SVMMÆ
THEOLOGIAE
SPECVLATIVÆ,
ET MORALIS,
ATQVE COMMENTARIA
SCHOLASTICA,

IN QVARTVM LIBRVM SENTENTIARVM DOCT. SVBT.
Ioannis Duns Scoti Theologorum facilè principis.

PARS SECVNDA.

IN QVA DE SACRAMENTIS POENITENTIAE, ET EXTREMAE VNCTIONIS,
à XIII. vsque ad XXIII. Distinctionem inclusiue disseritur.

CVM EXPLICATIONE COMPENDIOSA TEXTVS MAGISTRI SENT.

Et inter differendum nedum Scoti sententia explicatur, & contra Thomistas, & ceteros contradictores pro viribus defenditur, verum etiam multorum Theologorum tam prisci, quam nostri aui opiniones recensentur, & explicantur.

AVTHORE ADM. REV. P. FRATRE FRANCISCO DE PITIGIANIS ARRETINO
Ordin. Minor. de Obseru. Prouinciæ Hetturiæ Alumno, olim Serenis. FERDINANDI
Mantuæ, & Montisferrati Ducis, Theologo.

OPVS NEDVM THEOLOGIS SCHOLASTICIS, ET CONCIONATORIBVS sed etiam Sacræ Scripturæ Studiosis, & Confessarijs valde vtile, & necessarium.

Cum triplici Indice, quorum primo Distinctiones, Quæstiones, atq. Articuli principales & minus principales continentur. Secundo Res notatu, ac memoria dignæ comprehenduntur. Tertio denique omnium Auctorum in toto Volumine citatorum nomina enumerantur.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



VENETIIS, MDCXVIII.
Apud Ioannem Guerilium.







ILLVSTRISS.MO AC REV.MO D.
D. FABRITIO VERALLO
S.R.E.Card.amplifs.Ord.Fratrum Minorum de Obfer. Protectori Vigilantifsimo.

FRATER HILARION SACCHETTIVS DE FLORENTIA eiufdem Ordinis, ac Prouinciæ Thufciæ Alumnus, Prædicator Sacræque Theologiæ Profeffor minimus. S. P. O.

TERTIVS iam vertit Annus, Illuftriffime ac Reuerendiffime Præful, quo Patris Francifci de Pittigianis Arretini, Francifcanæ Religionis eximij viri, cudendis fcriptis, tuo ex præcipuo mandato incubo, quas Scyllas, quafuè Charybdes obierim, nouerit Deus; tandem aliquando hoc Secundo in quartum Sententiarum iuxta noftri Scoti Quæftiones, Tomo coronidem impono, Herculeasq; columnas figo; cetera reuera defideranda, at mortis hæ voraces funt falces, medio ipfo autumno quin & fapidos, permaturosq; adhuc producens fructus, diffecta nobis eft fecundiffima planta; fic fata voluere. Ius fasq; omne pofcit, Protector oculatiffime, tuis fub aufpicijs huiufmodi lucubrationes prodire in lucem; nam et fi quod ex fe optimum eft, fatis in tuto fit; non defunt quandoq; fuperuacanei circumforaneiq; cenfores, (Cantores vtinam, non Momi,) in obliquum, quæ recta funt, retorquentes; Tui nunc erit muneris hæc fub purpuratis Alis obumbrare, fciolorum dicterijs occurrere, oblatrantibus ora detrudere. Hanc Auctoris ipfius firmiffimam noui mentem, viuumq; viua centies audiui, hifce auribus voce, nomen tuum, laudesq; tuas tonantem; illius genium lubens profequor, doctrina etfi intercapedine, vel longa ab illo diftans, animi tamen in te propenfione per quam proximus; fic Vitæ tuæ integritas, fic in probos humanitas, fic in Deum, vera pietas expofcunt. Obfequia hæc in te mea fore accepta exopto; Deumq; Optimum Maximum precabor affiduè incolumem te his in auris feruare diù, æternoq; æternis adnectere gaudijs. Vale.

Dat. Ven. ex Cœnobio noftro D. Francifci Vinearum, Kal. Decemb. 1618



FRATER HILARION
DE SACCHETTIS,
Studioso ac benigno Lectori Salutem.



VAM tibi, Amice lector, cum ederetur Prima Summæ, ab eximio atque eruditissimo P. Fratre Fancisco Arretino, in Quartum Sententiarum Scoti Librum, conscripta Pars, tractationem de Sacramentis in genere, ac de Baptismo, Confirmatione, atque Eucharistia complectens, polliciti sumus, nunc alteram eiusdem Summæ Partem, in qua, uti solet in omnibus; de pœnitentia & extrema vnctione, & ipsis apprime vtilibus, ac necessarijs Sacramentis, suo in genere, subtiliter ac docte disputat, tandem aliquando damus. Permolestum est, tibi non posse præterea afferre quæ idem P. Frater Franciscus de reliquis duobus sacramentis, Matrimonio, & Ordine Sacro sibi tractanda proposuerat. Ea siquidem morte præuentus præstare nequiuit. Quod autem hæc, quæ in lucem profecimus, non perierint, factum est auctoritate, benignitateque FERDINANDI SERENISSIMI MANTVÆ AC MONTIS FERRATI DVCIS, qui studiosorum omnium, ac præsertim Patris Francisci Theologi sui nimirum, vel defuncti suæ Patronus, ac Mæcenas, ab Illustrissimo & Reuerendissimo Cardinali VERALLO RELIGIONIS NOSTRÆ PRVDENTISSIMO VIGILANTISSIMOQVE PROTECTORE mihi præcipiendum curauit, vt illa ad vniuersæ, tum litterariæ, tum Christianæ Reipublicæ vtilitatem in apertum emitterem. Vix dici potest quam libenti animo hanc quamuis perduram prouinciam susceperim, & quantum operæ dederim, vt quam emendatissima hæc scripta prodirent. Quod si minus aliqua fortasse in parte assecutus fuerim, non mihi, sed ipsis operis, atque excussoriæ arti, mendorum parenti vitio vertendum. Etsi de matrimonij Sacramento quæ discutiuntur, & æquè doctissimè videre cupis; eruditissimi sapientissimique viri Thomæ Sanchez, & Ledesmæ in scriptis commode poteris. Vale, atque hæc omnino æqui bonique facias.



INDEX

INDEX
DISTINCTIONVM, QVÆSTIONVM,
ARTICVLORVM PRINCIPALIVM
MINVSQVE PRINCIPALIVM,
Quæ in hac Secunda Parte explicantur.

ARTI-

Ar-

DISTINCTIO XVI.

QVÆSTIO PRIMA.

DISTINCTIO XVII.

QVÆSTIO VNICA.

DI.

DISTINCTIO XXI.

QVÆSTIO PRIMA.

QVÆSTIO SECVNDA.

DISTINCTIO XXII.

QVÆSTIO VNICA.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ Vnctionis. 422

DISTINCTIO XXIII.

QVÆSTIO VNICA.

FINIS.

INDEX RERVM OMNIVM NOTATV DIGNARVM.

Quæ in hac Secunda Parte continentur. In quo numerus primus paginam, Secundus columnam explicat.

A



B

D

Index Rerum Memorabilium.

si aliud

Ho-

Index Rerum Memorabilium.

M

Ma-

Index Rerum Memorabilium.

N

O

ita

Q

R

Re-

S

T

Tri-

Index Rerum Memorabilium.

F I N I S.

NOMI-

NOMINA AVCTORVM,

Qui in hac Secunda Parte citantur.

A


Ceuisius.
Adam.
Ayla.
Albertus Magnus.
Adrianus.
Alcocerus.
Alcuinus.
Alexander de Ales.
Alexander III.
Alexand. Iurisconsultus.
Albertus Physicus.
Alphonsus Tostatus.
Alphonsus à Castro.
Altissiodorensis.
D. Ambrosius.
Ambrosius Catharinus.
D. Anacletus.
Andreas Vega.
Andreas Alciatus.
Andreas Barbatius.
Angelus Arretinus.
Angelus de Cabascasio.
Antonius Corduba.
Antonius Iurisconsultus.
Antherus Papa.
D. Antoninus.
Æneas Syluius.
D. Anselmus.
Armacanus.
Archidiaconus.
Aristoteles.
Armilla.
Astensis.
D. Athanasius.
D. Augustinus.
Augustinus de Ancona.
Auerroes.
Ausonius.
Azo.

B

BAldus.
Bartolus.
D. Basilius.
Bartholomæus Medina.
S. Beda.
D. Bernardus.
D. Bernardinus.
Bernardinus de Bustis.
D. Bonauentura.
D. Brigita.

C

CArolus Molineus.
Cato.
Cassiodorus.
Celestinus Papa.
Claudius.
D. Clemens Papa.
D. Chrysostomus.
Claro.
Celsus.
Cicero.
Cyrillus.
Cinus.
Conradus.
Cornelius Papa.
Cornelius Iansenius.
Cottesius.

Concilia:
Nicenum.
Quinta Synodus.
Sexta Synodus.
Constantiense.
Lateranense sub Innoc.
Lateranense sub Leo. X.
Florentinum Aurasi.
Tridentinum Complut.
Vormacense Mileuit.
Coloniense. Palest.
Cabilonense.
Aquis granense.
Moguntinum.
Senonense.
Apanense.
Carthaginense.
Fleberitinum.
Albanense.
Tusonense.
Viennense.

Canisius.
Cesar Baronius.
D. Cyprianus.
Chrysostomus Iauellus.

D

DAmascenus.
Damascus Papa.
Decius.
Didacus Conar.
Dionysius Areopagita.
Dionysius Carthusianus.
Dionysius Cistercienfis.
Dominicus Soto.
Dominicus Baones.
Dorinus.
Durandus.
Dominicus Iacobaticus.

E

EManuel Rodoriquez.
Emanuel Sa.
Ecumenius.
Euthymius.
Eusebius.

F

FAbianus Papa.
Felinus.
Franciscus Victoria.
Franciscus Suarez.
Franciscus de Mayrone.
Franciscus Toletus.
Franciscus de Platea.
Franciscus Zabarella Card.
Fortunius. Francus.

G

GAbriel Biel.
Gaspar de Vzeda.
Gelasius Papa.
Genesius.
Gerardus Odonis.
Gerardus de Senis.
Gratianus.
D. Gregorius.
Gregorius Nissenus.
Gregorius de Arim.
Gregorius de Volhen.
Gregorius Sayrus.
Goffredus de Font.
Glossa.
Guido Carmilita.
Guido Brianssonus.
Gulielmus Parisiensis.
Gulielmus Ocham.
Gulielmus Rubion.

H

HEnricus de Gandauo.
Henricus de Allia.
Helichyus.
D. Hieronymus.
D. Hylarius.
Hieronymus Angest.
Historia Tripartita.
Hossius.
Hostiensis.
Hugo Victorinus.
Hugo Glossator Decreti.

I

IAcobatius.
Iacobus Almayn.
Iason.
Isidorus.
Innocentius I.
Innocentius III.
Ioannes Zaberena.
Ioannes Scotus.
Ioannes Capreolus.
Ioannes Maior.
Ioannes Bassolus.
Ioannes Andreas.
Ioannes de Lignano.
Ioannes Calderinus.
Ioannes de Annania.
Ioannes de Imola.
Ioannes Medina.
Ioannes Gerson.
Ioannes Ressensis.
Ioannes Echius.
Ioannes Maldonatus.
Ioannes Driedo.
Ioannes de Polineo.
Ioannes Glossator.
Ioannes Cocleus.
Ioannes Turrecremata.
Ioseph Aogles.
Isocrates.
Iustinianus.

L

LActantius.
Landulphus Minorita.
Laurentius de Redulphis.
Leo I.
Leo X.
Leonardus Lessius.
Lindanus.
Liuius.
Ludouicus Molina.

Ludo-



Præsens Secunda Pars Summæ Theologiæ speculatiuæ, & moralis super Quarto Sententiarum Scoti, Reuer. admodum Patris Fratris Francisci Arretini Ordinis Minorum de Obseruantia, in qua amplissime tractatur materia tota Sacramentorum Pœnitentiæ, & extremæ Vnctionis, fuit diligenter examinata, & typis admissa.

Ita est. Fr. Io. Dom. Vignut. Magist. Gen. Inq. Ven.

SVMMAE

SVMMAE THEOLOGIAE

SPECVLATIVÆ, ET MORALIS,


ATQVE

COMMENTARIA SCHOLASTICA

In Quartum Librum Sententiarum Scoti.

PARS SECVNDA.

IN QVA DISSERITVR DE SACRAMENTIS Pœnitentiæ, & extremæ Vnctionis.



DISTINCTIO XIIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Continuatio ad præcedentia.



VPRA determinauit Magister de Baptismo, in quo gratia inchoatur, & de confirmatione, per quam roboratur, et de Eucharistia per quam nutritur, & consummatur. Hic determinãt de Pœnitentia, per quam amissa gratia reparatur. Et iure optimo quartum locum inter Sacramenta tenet pęnitentia, quod sua authoritate confirmauit Concil. Trid. sess. 14. vt omittã Patres antiquiores, & Cõcilia. Hic autem ordo non fundatur in dignitate; In hac. n. Sacramentum hoc non tenet quartum locum, sed quintum, vel fortasse, sextum, sed fundatur in vsu huius Sacramẽti, nam per se loquendo est quartum in vsu; necessario. n. præcedit Baptismus, vt per se notum est, deinde confirmatio, & Eucharistia cum sint Sacramenta viuorum, ac per se loquendo peccatum non supponant, quia verò spiritualis vita in hominibus, vel frequenter amittitur, vel leuioribus culpis facile maculatur; Ideo post prædicta Sacramenta statim sequitur vsus pęnitentiæ, de qua disputat Magister ab hac. 14. d. vsq; ad 22. & diuiditur iste tractatus in quatuor partes. In quarum prima determinat de Pęnitẽtia in se, In secunda de partibus pęnitẽtię, In tertia, de instrumentis, & in quarta de tempore. Prima pars incipit à Distin. 14. 2. à 16. 3. & 4. à 21. Prima pars diuiditur in duas partes, in prima agit de quidditate pœnitentiæ, quæ habetur in hac præsenti Distin. in 2. determinat de integritate, quæ continetur in d. sequenti.

Concil. Trid.

Sacramentũ pœnitentiæ quemodo teneat quartũ locum.

Diuisio tractatus de pœnitentia.

Diuisio distinctionis.

Hæc aũt præsens Distinctio in tres secatur partes. In quarum prima determinat pęnitentiæ definitionem; In secunda quomodo bona opera per consequens peccatum mortificata per pęnitentiam reuiuiscãt, & in tertia quomodo publica pœnitentia pro eodem peccato non sit reiteranda.

Hieronym.

Pœnitentia est secunda tabula.

Quo ad primum. Primo ostendit Magister pœnitentiæ necessitatem ad vitam consequẽdam æternam. Est. n. secundum Hieronym. secunda tabula post naufragium, ex eo quod qui vestem innocentiæ in baptismo perceptã præuaricando destruxit, potest eam pœnitentiæ remedio reparare. Baptismus autem dicitur prima tabula, vnde pęnitentia sæpe reiterari potest, Baptismus autem non: necessaria est ergo pœnitentia. Insuper si non esset necessaria, Christus, & Ioannes Baptista prædicationem suam à pœnitentia non incœpissent dicentes. Pœnitentiam agite, appropinquabit enim Regnum cęlorum. Hoc idem docet Ecclesiastes verbis. Misereris omnium Domine, & nihil odisti eorum, quæ fecisti, dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Cuius genus est Sacramentum, & est duplex interior scilicet, & exterior, interior pęnitentia est habitus, & virtus, exterior vero Sacramentum cuius actus est punitio, dicitur enim pęnitentia à puniendo, eo quia per hanc illicita puniuntur. Eius autem origo est timor: nam pœnitentia virtus timore concipitur. Vnde Esaias à timore tuo Domine concepimus, & peperimus spiritum salutis.

Pœnitentia est necessaria.

Pœnitentia est duplex interior, & exterior.

Pœnitentia definitio.

Ambrosius.

Gregorius.

His præmissis definit pęnitentiam secundum D. Amb. Pęnitentia, est præterita peccata plangere, et plangenda iterũ non committere. Item Greg. Pęnitere est ante acta peccata deflere, & flenda non committere: nam qui sic alia deplorat, vt alia tamen committat, adhuc pęnitentiã agere, aut ignorat, aut dissimulat.

Isidorus.

Augustinus.

Gregorius.

Cæterum quidam (inquit Magister) ex hac definitione moti fuerunt dicere, eam non esse veram pœnitentiam, quæ sequenti peccato maculatur, vere enim pœnitentem dicunt, vltra mortaliter non peccare, quod etiam confirmant Beati Isidori authoritate dicentis talẽ pęnitentiam esse irrisoriam: nam in libro secundo de summo bono inquit. Irrisor est, & non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnitet. & authoritate D. Aug. qui dicit eam esse inanem, ita enim scribit libr. soliloquiorũ, & habetur de pœnitẽtia. d. 3. c. inanis. Inanis est pœnitentia quã sequens culpa coinquinat. & D. Greg. dicit eã esse grauioris pęnæ. Qui commissa plangit (inquit) nec tamen deserit, pœnæ grauiori se subiicit, & multis alijs autho-



authoritatibus idem confirmant, quæ patent in textu.

Hunc errorẽ eliminans Magister dicit, quod cessatio à peccatis præteritis, & dolor de eis cũ proposito cauendi futura ad veram pœnitentiam sufficit: duplicem.n. actum claudit pœnitentiæ definitio, vnum respectu præteriti, alterum respectu futuri. Ideo dicebatur mala præterita plãgere, & plangenda iterum non committere; primus actus dicitur in re, alter vero in proposito voluntatis reperiri, & esse; & sicuti in re, & in proposito inuenitur pœnitentia. Ita duplex dicitur esse, interior.s. vna, altera exterior. Illa interior est de iure naturali, nec propriè sacramentum cum talis esse possit & fieri ante baptismũ, secũda, quæ fit ad hominis arbitrium, nec non secundũ Ecclesiæ præceptum sacramentum est quod per ministros Ecclesiæ iurisdictionem habẽtes habet ministrari, de exteriori pœnitentia loquendo certum est, quod nec debet, nec oportet esse perpetua, si aũt de interiori loquamur, cum hæc considerari possit, vel quo ad habitum, vel quo ad actũ, secundo modo non videtur, quod queat esse perpetua, at primo modo sic: nam tenetur semper peccator, seu pœnitens non velle peccasse in præterito, in futurum nolle peccare, cessatio itaq; à peccatis præteritis, & dolor de eis, cum proposito cauendi futura, ad veram sufficit pœnitentiam; Vnde quando dicitur inanis, vel derisoria, &c. debet hoc intelligi, quando id fit sine proposito abstinendi à peccatis, quare irrisor ille est, qui cum proposito iterum peccandi dolet.

Opera sunt in triplici differentia.

Quo ad secundum inquit Magister quod viatoris bona opera, quæ per sequens peccatum deficiunt per veram pœnitentiam iterum reuiuiscunt, pro cuius insinuatione distinctio operum præmittenda est. Quædam.n. sunt opera viua, quædam mortua, quædã mortificata. Illa viua sunt quæ in charitate, & gratia fiunt, viua insuper ratione finis, viua ratione gloriæ adeptionis, mortua deinde illa, quæ ab homine in peccato mortali existente, & sine charitate fiunt, quæ ad vitam æternam consequendam meritorie minime valent, dispositiue sic. Mortificata illa, quæ prius in charitate facta per sequens peccatum deficiunt, ac rursus per pœnitentiam reuiuiscunt. Vnde pro maiori luce huius sententiæ Magister soluit quasdam authoritates superius allatas, & primo explicat illam D. Aug. dicentis, quod pœnitentia, quam consequens culpa coinquinat dicitur inanis, quæ authoritas intelligi habet ex parte finis, quia.s. fine caret.i. pœnitentiæ fructu, qui duplex est, gehennæ vitatio, et gloriæ adeptio, recedente verò peccato per pœnitentiam, quæ prius mortificata erant opera fiunt viua, dignaque mercede propria, maxime loquendo de illis in charitate factis, nam si de mortuis, inanis sermo est, quia opera, quæ nunquam viua fuerunt reuiuiscere non possunt. quando autem D. Aug. dicebat. Nihil prosunt lamenta si replicantur peccata, hoc debet intelligi quantum ad ingratitudinem iterum peccantium, quibus eadem replicatur pœna: quia eadem quibusdam videntur redire peccata. Vel si non redeunt, saltem propter ingratitudinem, ita reus, & immundus constituitur, ac si peccata dimissa redirent. His addenda sunt duo ab Aug. dicta, quæ videntur facere pro confirmatione præcedentis erroris, vnum est quia Aug. dicit, quod pœnitens semper debet pœnitentiam tenere, ita tamen quod de dolore gaudeat, Peccator semper doleat, et de dolore gaudeat, quod intelligendum est de perfectorum pœnitentia, qui pœnitentiam vsque ad finem vitæ suæ continuant. Alterum est, quod nihil de venia relinquitur, quando homo post pœnitentiam in peccatum relabitur. Quod esse verum Magister fatetur, vel quo ad peccatorum reditum simpliciter, vel quantum ad ingratitudinem, vt dictum est.

Quo ad tertium. Inquit Magister quod quamuis pœnitentia publica pro grauioribus inflicta non sit pro eodem reiteranda, communis tamen confessio, & pœnitentia, est nobis frequentius peragenda; Hanc Magister insinuans explicat authoritatem B. Ambrosij, qua dicit pœnitentiam non esse iterandam propter reuerentiam Sacramenti, dicens hoc esse intelligendum de pœnitentia solemni, quæ pro grauioribus criminibus infligitur, quæ nõ iteratur, ne vilis reputetur. Ambrosius. *Pœnitentia solemnis illa est, quæ à solo Episcopo imponitur: quæ ideo solemnis dicitur: quia cum hac solemnitate fiebat.* Pœnitentia solemnis, quæ sit. *In die cinerum illi, qui debebant hanc pœnitentiã agere, se in Ecclesia coram Episcopo, & Sacerdotibus præsentabant, & Episcopus præmissa aliqua monitione, ostendebat eis grauitatem, & suorum peccatorum enormitatem, & indutos cilicio eijciebat eos de Ecclesia, illud responsorium cantando. In sudore vultus tui vesceris pane tuo, atque ita extra Ecclesiam manebant vsque ad diem Cœnæ: qua die recipiebantur, & ad Ecclesiæ ingressum admittebantur, non tamen ad communionem, quousque essent per Episcopum reconciliati. Ratio huius solemnitatis triplex est. Vna ad exemplar, & terrorem aliorum, alia ad erubescentiam delinquentium, tertia ad significationem eiectionis Adæ de Paradiso. Hæc autem pœnitẽtia non imponebatur nisi pro grauissimis criminibus publicis totam communitatẽ conturbantibus, & de hac pœnitentia intelligitur, vt diximus, Diui Ambrosij authoritas. Postremo quia quidam dixerunt, quod pœnitentiæ iterari non debent: quia facilitas pœnitentiæ esset incitatio ad peccandum. Ideo probat Magister per plures authoritates quod pœnitentia semper iterari debet, & potest, nam si non foret pœnitentia iteranda, procuIdubio viderentur Deo posse hominum peccata placere, & hoc est falsum, pœnitentia ergo reiteranda est. Et confirmatur exemplo Dauid, qui bis veniam impetrauit, semel de commisso adulterio, & homicidio, & iterũ de numeratione populi. Insuper nonne Christus dixit Petro in hoc proposito. Non tibi dico septies, sed septuagies septies? ex quo patet veram pœnitentiam sæpius agi posse. Et quia errantes circa pœnitentiam innitebantur quibusdam verbis Apostoli in Epistola ad Hæbreos. Ideo dicit Magister ibi Apostolum non negasse illam pœnitentiam, sed bene voluntarie peccantibus hostiã secundam, quia Christus semel passus est. Et hæc breuiter de hac tota Distinctione, Circa quam quærit primo Doc.*

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum pœnitentia necessario requiratur ad deletionem peccati mortalis post Baptismum commissi.



Nter alia mala, quæ ex Protoparentis nostri peccato contraximus vnum est, atq; id non minimũ, inconstantia. Peccauit ille dum nesciuit in statione sua consistere, & felicitatem illam eximiã, in qua conditus fuit, instabilitate sua male perdidit, eoque factum est, vt & filios sibi similes generauerit, inconstantes, inquietos, varios, instabiles, quique nesciant vnquam in eodem statu permanere. Ac proinde summus ille Deus patiens & multæ misericordiæ, qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, nostræ vertibilitati, & infirmitati compatiens, secundum diuitias bonitatis, & lõganimitatis suæ remedium certissimum statuit, quo saluari, & reparari possent, quicunque mutabilitatis suæ vitio acceptã iustificationis gratiam perdiderint. Hoc autem remedium est pœnitentia, quæ quam sit necessaria post lapsum, vel hinc colligere quis potest, quod cum post partam innocentiam in Baptismo homo recedit per naufragium peccati alicuius actualis in mari mundi huius, rursum relabitur in eam,

Pœnitentiæ necessitas post lapsum.

&

& inimicitiam Dei, summi vtique boni, cui æque odio est impius, & impietas eius: per peccatum.n. homo se auertit ab eterno, & sūmo bono, fęlicitatē amittit, & damnationē acqrit, vsq. adeo vt amplius dignus nō sit pane quo vescitur.

Cum itaque peccator in tantum ceciderit baratrū à summi Dei gratia nō potest à seipso resurgere, quia nemo venit ad Dominum nisi Pater eius traxerit eum, liberum autē arbitrium vsq. adeo extollere, vt etiā possit per se resurgere à peccatis pellagianum est, sacris literis, & Concilijs aduersū, Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis, &c. Necessarium itaq. est vt homo peccator habeat peculiarē quandā motionē a Deo, vt seipsum inspiciens, & excutiens totū, sua consideret peccata, & super ijs pœnitentiam agat, sine qua gratiam Dei consequi haud potest.

Pęnitentia est duplex, vt virtus, et vt Sacramētum, quã cōueniunt, & differunt. Hæc aūt pęnitentia duplex est. Nēpe pęnitentia virtus, & pęnitentia Sacramentum, atq. simul Doctores Scholastici agunt de virtute, atque Sacramento pęnitentiæ: quoniam in lege gratiæ adeo sunt coniuncta, vt nec virtus prodesse valeat sine Sacramento, vel ordine ad Sacramentum, nec Sacramentum sine virtute consistere.

Conueniunt autem pęnitentia virtus, & Sacramentū, & differunt, conueniunt primo in nomine, atq; ethymologia, est, n. illis cōe pęnitentiæ nomen, quod a pęna nuncupatum est, vt idem sit pęnitere quod pęnā tenere, & pęnitentia (inquit D. Aug.) sit penæ tenentia, vel vt Isidorus dicit, idem sit quod punientia. *Augustinus Isidorus.* Secundo conueniunt virtus, & Sacramentū pęnitentiæ in ratione medicinæ vtilis ad delendum peccasū actuale, & necessariæ si illud mortale sit, & cū debita proportione applicetur. Tertio cōsest vtrique illa metaphora, qua pęnitentia dicitur secunda tabula post naufragiū, per illā enim aliud quā necessitas pęnitentiæ non significatur. Cōueniūt. Quarto in materia circa quam versantur: quia .s. vtraq. versatur aliquo modo circa peccatum actuale. Quinto conueniunt aliquo modo in subiecto: quia vtraque habere pōt suum actum tātum in homine adulto: quia solus ille potest esse capax actualis peccati, interuenit tamen discrimen: quia pęnitentia virtus locum habet in quolibet homine capaci actualis peccati, Sacramentū autē solum in homine baptizato. vlt. conueniunt: quia vtraque pęnitentia iterari potest.

Differunt autem primo definitione, nam Sacramentum, vt sic constituitur in ratione signi; virtus vero in genere habitus, vel actus. Secundo differunt consequenter in aliquibus proprietatibus, quæ has rōnes comitantur, nam vt vidimus supra ex Magistro, pęnitentia vt Sacramentum est actus exterior, vt virtus est actus interior. Differūt tertio qa virtus, & Sacramentum cōparantur, vt totū, & pars, nam virtus p actum suum est pars Sacramenti pœnitentiæ, quod componitur ex actibus pęnitentis, & absolutione Sacerdotis. Quarto differunt in modo causandi remissionem peccati, & gratiam, vtrūque.n. vt notauit Magister est causa gratiæ, & remissionis peccati, sed diuerso modo, nam virtus tantū est causa disponēs, Sacramentum verò est causa efficiens. Vltimo differunt in origine, & antiquitate, nam Sacramentū pęnitentiæ ortū habet ex institutione Diuina, virtus aūt est de iure naturæ, & ex hoc patet qūo differant antiquitate, nā virtus pęnitētiæ est lōge antiquior Sacramēto, hoc.n. in lege noua, et post Christi mortē habuit initiū, illa vero ab initio mundi.

Diuisio quæstionis. De pęnitentia virtute tractat Doct. in hac, & sequentibus duab. quæstionibus, de pęnitentia aūt Sacramēto, in 4. q. & deinceps. Primam quæstionē diuidit Scot. in tres art. In primo declarat quid remaneat in peccatore post actū peccati, cuius causa homo dicatur peccator: nā si nihil remaneret, nihil est, quod pęnitentia possit auferri. Est aūt notitia huius difficultatis maioris, vt reor momēti, quā primo aspectu appareat, ex ea namq. pendet vera intelligentia status peccati, a quo per pęnitentiā purgamur, plurimū aūt interest rectè nosse, quo pacto homo præterito actu peccati, in peccato manere dicatur, vt sciamus quid sit à peccato purgari, & iustificari. Vnde pro exacta huius rei notitia habenda circa hunc primum articulum Doct. tot formabimus articulos, quot de hac materia sunt opiniones.

Primus Art. Vtrum Peccator transeunte actu peccati formaliter denominetur peccator a priuatione iustitiæ habitualis, i. à carentia charitatis, vel gratiæ.

Secundus Art. Vtrum per aliquem realem respectū in anima existentem transacto peccato dicatur homo peccator.

Tertius Art. Vtrum elongatio a Deo sit id, quo homo transacto peccato, seu peccati actu appellatur peccator.

Quartus Art. Vtrum per habitū vitiosū ex actib. vitiosis productum trāsacto actuali peccato, dicatur homo peccator.

Quintus Art. Vtrum illud, à quo homo denominatur peccator a cessatione actus peccati, vsque ad pœnitentiam sit relatio rationis, quo peccator ordinatur ad pœnam.

Sexto Art. Vtrum id, quod manet in peccatore post actum peccati, deleri possit per pœnitentiam.

Septimus Art. Vtrum pena, quæ requiritur ad deletionem peccati, debeat esse voluntaria.

Octauus Art. Vtrum pœna possit esse voluntaria.

Nonus Art. Vtrum pœnitere idem sit quod pœnam tenere.

Decimus Art. Vtrum pœnitentia necessario requiratur ad deletionem culpæ mortalis actualis post Baptismum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum peccator transeunte actu peccati formaliter denominetur Peccator a priuatione iustitiæ habitualis. i. a carentia Charitatis, uel gratiæ.

Iustitia est duplex. PRo huius tituli intelligētia obser. est, quod iustitia est duplex altera habitualis, quæ cōsistit in charitate, & gratia, quæ secundum Scotum sunt idem, altera vero actualis; quæ consistit in rectitudine actualis operationis, qua rectitudine operatio, quæ exercetur, est conformis rectæ rōni, vt habeo hoc dictamen, quod danda est. V. q. eleemosyna pauperi indigenti propter Deum, & volo conformiter ad illud iudicium facere, talis conformitas ad dictamen rectum prudentiale appellatur actualis iustitia, qua propter idem sunt iustitia actualis, rectitudo, & conformitas ad dictamen rectum. Rectitudo actus est conformitas ad dictamen rectū, & rectitudo est illemet actus rectus materialiter, sed formaliter est respectus, nempe volitio, vel nolitio recta, vel actus impetatus ab illis. Et cum tot modis dicatur vnū oppositū, quot dicitur & reliquū; eius oppositum nimirum iniustitia, (cū iniustitia nihil sit aliud, quā iustitiæ priuatio) duplex est *Iniustitia est duplex.* ēt iniustitia, vna habitualis, quæ consistit in priuatione charitatis, & gratiæ, altera vero actualis, quę consistit in priuatione rectitudinis, quæ operationi deberet inesse.

D. Thomas. Hoc supposito fuit opinio Diui Thomæ. 1. 2. q. 86. art. 1. & 2. maculā peccati, qua homo postquā peccauit denominatur peccator, esse priuationem decoris gratiæ, & pulchritudinis spiritualis, quemadmodū macula corporalis est priuatio pulchritudinis corporalis: nā in peccatore non est nisi actus peccati, & effectus peccati, macula nō est actus peccati: quia manet in aīa post actū peccati, nec vero est reatus ad pęnā, ergo hoiem esse peccatorē, est hominē esse decore gratiæ priuatū.

Sanct. Tho. in hac snīa, vt macula à qua homo, actu peccati trāsacto, denominatur peccator, sit solū priuatio gratiæ habitualis, sequuntur Sotus in 4. d. 15. art. 2. q. 1. non longe à fine, & Recentiores Thomistæ. *Sotus.* *Caietan.* Caiet. vero in Coment. 1. art. asserit quidē maculam esse priuationem, bifariā tamen capi posse, primum pro priuatione coniunctionis cū Deo, deinde pro priuatione nitoris, & priori modo esse ipsā maculā peccati, à qua dicitur homo manere in peccato, posteriori autē modo nō esse ipsam maculam, a qua quis dicitur homo in peccato, sed esse effectū peccati, quod probat: quia pulchritudo est effectus coniunctionis cum Deo, cum igitur in priuatione coniunctionis posita sit propria ratio maculæ, & peccati per modū habitus, sequitur in priuatione nitoris nō consistere. Conuenit itaque Caietanus cum cæteris Thomistis in hoc, quod macula solum sit priuatio, sed quod asserit de illa duplici priuatione, nescio quis alius præter ipsum docuerit, atq. est manifeste falsum, si quidem priuatio nitoris, seu pulchritudinis in aīa eadem est cū priuatione coniunctionis cū Deo, sicut ipsamet coniunctio cum Deo est pulchritudo animæ, vtraque autē .s. coniunctio cū Deo, & aię pulchritudo est ipsa gratia, neque pulchritudo est effectus coniunctionis, sed ipsa coniunctio. Cæterū quamuis negari nō possit homines maculā aliquā ex peccato actuali cōtrahere: quæ sit priuatio gratiæ habitualis, & charitatis, qua anima coniungitur Deo, nihilominus de priuatione gratiæ habitualis, & charitatis non potest dici esse peccator per modum habitus, à quo homo dicitur in peccato esse, translacto peccato. quod probatur, & primo de actuali iniustitia: non enim homo dicitur peccator post actū peccati ratione actualis iniustitiæ: quia subiectum huius iniustitiæ, sicut, & iustitiæ, qua priua-

tur est operatio, ergo transacta operatione talis iniustitia nõ remanet, atque ex consequenti homo post actum peccati non dicitur peccator ab actuali iniustitia. Secundo probatur, quod homo post actum peccati non dicitur peccator ratione iniustitiæ habitualis. Vnus homo post actum peccati dicitur magis peccator, quam alter. Et propterea dignior maiori pœna, vt docet catholica fides, sed nullus homo dicitur magis priuatus gratia, quam alter, si quidem per mille peccata mortalia non magis aufertur gratia, quam per vnum mortale peccatum, per vnum.n. mortale peccatum gratia aufertur animæ, ergo homo non dicitur peccator ab iniustitia habituali, quæ consistit in priuatione gratiæ. Pro ampliori intelligentia huius rationis obs. est, quod priuatio gratiæ crescere in se non potest, præsertim in sententia Sancti Thomæ, quia priuatio in facto esse non potest crescere, nec minui, ac proinde si homines ea sola ratione dicerentur esse in peccato, quod gratia habituali priuati essent, omnes essent æqualiter polluti peccato, omnes æqualiter peccatores, & iniusti, & per consequens, qui commisisset duo millia peccata mortalia, & qui vnum tantum, essent æque peccatores intensiue, & extensiue, vt dicit hic Doct. quia in eis, & tota gratia quantum ad intensionem, & sola ipsa quantum ad extensionem priuatur tam in eo, qui cõmisit vnum, quam in eo qui duo millia, quoniam priuatio gratiæ in omnibus peccatoribus æqualis est, nullus autem rectè asserere potest, omnes qui sunt in peccato æqualiter esse pollutos, & peccatores, ergo non in sola priuatione gratiæ constitui debet macula peccati, & confirmatur: quia quolibet peccato mortali, ita priuatur gratia, quod nihil eius manet, & proinde per nullum succedens potest fieri intensior, neque extensior, loquendo de priuatione ista habituali: quia non priuat nisi vnum habitum, sicut non est natus nisi vnicus in esse. *Anselmus.* Hæc ratio similis est rationi Anselmi de conceptu virginali, quod peccatum originale non est natum magis esse in vno, quam in alio: quia in quo non est iustitia, non potest ab eo priuari iustitia.

Respõdetur ad rationẽ Scoti. Respondent primo aliqui huic rationi, & dicunt, quod inæqualitas priuationis gratiæ assignatur ex eo, quod quis maiori gratia, quam habebat se per peccatum priuauit, itaq; illa est intensior priuatio, quæ intensiorem habitum gratiæ *reijcitur responsio.* priuat. Contra, si hoc esset verum sequeretur, quod aliquando, qui minori peccato, aut paucioribus peccauit, sit magis maculatus, quam ille, qui grauiori, vel pluribus peccatis peccauit: quia maiorem gratiam habebat, quam ille, qui maiori peccato, aut pluribus peccauit, quod est absurdum. Nam contingere potest, vt ille, qui maiorem habitum gratiæ habebat, minori peccato illum amittat, ac proinde maiori gratia priuetur, atque adeo si priuatio gratiæ est macula animæ, qua quis dicitur in peccato manere, & hæc ex oppnsito habitu quo priuat pensanda est, fit vt qui minori peccato peccat, interdum maiorem maculam contrahat, quod est falsum.

Præterea licet priuatio gratiæ, quæ primo facta est ex primo peccato, non esset æqualis in omnibus, tamen multiplicatis nouis peccatis non posset in eodem homine crescere: quia non diceretur homo magis, ac magis se ipsum gratia priuare, & per consequens sequitur quod macula non posset in dies nouis peccatis augeri. quod est absurdum: nã qui magis peccat in dies, magis est maculatus iuxta illud Apoc. 22. Qui in sordibus est sordescat adhuc, multiplicans nouis peccatis.

Respondent a Thomistæ. Secundo respondent huic argumento S. Tho. vbi supra artic. 1. ad tertium, Caiet. & Sotus loco superiori citati, & recentiores Thomistæ dicentes maculam non esse solam priuationem gratiæ, sed cum ordine ad voluntatem liberam, ex qua habet rationem voluntarij necessariam ad rationem peccati, etiam per modum habitus, quare ex diuersa causa voluntarij, diuersam quoque maculam procedere, veluti ex diuersis corporibus diuersæ vmbræ, quæ sunt priuatio eiusdem lucis, proficiscuntur.

Refellitur respõsio Thomistarum. Cæterum hoc responsum Scoticæ rationi non satisfacit; & primum quidem exemplum de vmbra ex diuersis corporibus parum probat, ideo enim diuersa corpora, diuersas vmbras efficiunt, nõ quia sunt diuersæ causæ priuationis eiusdem formæ, nam priuatio ex multiplici causa non multiplicatur, sed ex diuersitate formæ, qua priuat, aut secundum earum differentiam indiuiduam, aut specificam: quare cum sint diuersæ vmbræ ex diuersitate corporum, non in eadem parte aeris, neque respectu eiusdem partis luminis fiunt, sed in diuersis partibus, & respectu diuersi luminis. In eadem vero parte possunt esse diuersæ priuationes, nempe in eadem parte aeria tenebræ, & silentium, sed hæc priuationes sunt diuersæ, quia sunt diuersarum formarum. Cum igitur in anima vnica tantum sit gratia, cuius priuatio dicitur macula, vnica erit priuatio, non plures. Quare cum illa sit priuatio eiusdem gratiæ, non potest esse ex diuersa causa inæqualis.

Præterea, secundo transacto actu peccati adhuc manet in homine id, quod Deus odit, & quod nõ est ab eo tamquam a causa, sed à nobis, à quibus (docet Propheta) quod est perditio, sed malum pęnæ non habet odio Deus, cum sit ab ipso tanquam a causa, ergo &c. Ex hoc manifeste sequitur, quod priuatio gratiæ, nec ordinatio ad pęnam, nec inimicitia Dei possunt habere rationem illius mali, quod Deus odit, & à quo homo dicitur peccator, quia hæc omnia sunt à Deo volita, & ordinata, ipse enim vult gratias auferri, & cætera supernaturalia ab homine peccante, & similiter ipse peccatorem ordinat ad pęnas: nam iustitia exigit, vt qui Deũ offendit his pęnis puniatur, & opus iustitiæ bonum est, esse verò peccatorem malum est &c. *Secundum arg. Scoti.* Huic argumento respondent Thomistæ: quod priuatio gratiæ accipitur duobus modis, vno pro priuatione ipsius habitus gratiæ, qui est fulgor, & splendor animæ, & hoc modo priuatio non constituit statum peccati, sed à tali statu procedit. Alio enim accipitur priuatio gratiæ pro priuatione ordinis ad Deum, siue coniunctionis cum Deo, & hoc modo priuatio constituit statum peccati, itaque hominem esse peccatorem nihil aliud est, quam carere illo ordine, siue coniunctione cum Deo, & hæc priuatio est macula, à qua homo formaliter dicitur peccator. *Responsio Thomistarum ad secundũ arg. Priuatio gratia bifariã sumitur.* Sed con. efficaciter arguitur, ille ordo, & coniunctio cum Deo fit per gratiam, ergo ille ordo, vel est ipsamet gratia, vel effectus formalis gratiæ, qui effectus formalis est idem realiter, & formaliter cum gratia; nam si ille ordo, & illa coniunctio esset ante gratiam, cum per illum ordinem homo sit amicus Dei, esset amicus Dei prius quam esset in gratia, ergo idem iudicium esset de priuatione huius ordinis, ac de priuatione gratiæ, sed priuatio gratiæ non constituit statum peccati, sed ab illo procedit, ergo nec priuatio coniunctionis cum Deo talem statum constituit, ex quo sequitur bene Caiet. 1. 2. quæst. 86. artic. 1. vtramque priuationem confundere, & eandem esse reputare. *Improbatur respõsio Thomistarum.* Confirmatur hæc veritas, hominem esse peccatorem est esse dignum pœna, iuxta illud Diui Dionysij puniri non est malum, sed fieri pœna dignum, esse verò priuatum gratia, & coniunctione Dei non est esse pęna dignum, ergo non constituit peccatorem, probatur minor, ob id enim homo priuatur gratia Dei, & coniunctione cum Deo, quia tali priuatione, & disiunctione est dignus, ergo prius est secundum naturam, peccatorem dignum esse priuatione, quam quod priuetur, vnde huiusmodi priuatio potius est pœna, quam culpa, sed pœna est bona, & a Deo inflicta, peccatum vero est malum, ergo priuatio coniunctionis non constituit statum peccati, sed ab illo procedit. *Caietanus.* *Dionysius.* Confirmatur secundo quia Deus non est causa peccati, sed est causa priuationis gratiæ, non solum prout est priuatio doni, sed etiam prout est priuatio cuiuscunque effectus eius formalis, ergo talis priuatio non habet in peccatore rationem culpæ. Probatur minor, quia Deus est causa priuationis gratiæ prout est donum, ergo est causa priuationis cuiuscunque effectus formalis, sicut est causa cuiuscunque alterius pęnæ: nam in intelligibile est, quod aliquid sit causa alicuius formæ, & non sit causa eius effectus formalis, igitur priuatio gratiæ quomodocunque explicetur nequit habere rationem culpæ, & per consequens transacto actu peccati non potest homo dici peccator a tali priuatione.

Tertia ratio Scoti. Præterea, tertio hominem esse peccatorem non este hominem priuatum esse gratia, quæ qualitas est in anima existens, quia licet Deus de facto nullum hominem admittat ad suam gratiam nisi infundendo realem illam qualitatem, negandum tamen non est, quin possit hominem ad suam gratiam admittere sine tali qualitate, vt docet Scot. 3. Sent. dist. 26. & Gabr. in 1. d. 17. & Vega libro 7. in Concilio Trident. cap. 7. vbi sic ait. *Scotus. Gabriel. Vega.* Nec vero vllus ambiget, quin Deus sine vlla charitate possit nos habere gratos. Ex quo sic arguitur, si homo esset gratus Deo sine tali charitate, eadem ratione diceretur peccator post peccatum commissum,

missum, qua dicitur modo, sed tunc non esset peccator à priuatione charitatis, quia quando erat in gratia habebat talem priuationem per casum, & tamen tunc non erat peccator, ergo neque modo est peccator, propter priuationem gratiæ, vel charitatis.

ARTICVLVS II.

Vtrum per aliquem realem respectum in anima existentem transacto peccato, dicatur homo peccator.

Refert hic Scotus opinionem quorundam dicentium, quod in anima post actum peccati remanet reatus culpæ, idest obligatio ad pœnas inferni, quæ obligatio nihil est aliud, quam relatio realis istius animæ ad pœnas Inferni, cuius relationis fundamentum est essentia animæ, conditio vero fundamenti est actus peccati præteriti, sicut potentia generatiua est fundamentum relationis paternitatis, conditio verò fundamenti est actus generationis præteritus. Itaque iuxta hanc sententiam homo transeunte actu peccati non denominatur peccator ab aliquo actu, vel habitu, quia forte nullus est genitus ex tali actu transeunte, nec à carentia gratiæ, sed à quodam respectu reali existente in anima, quam sententiam notationes marginales Scoti tribuunt Sancto Thomæ, ex qua notatione decepti quam plurimi, illam sententiam Diuo Thomæ attribuunt sed immerito inquit Sotus, quia nullibi eam somniauit. Cæterum cuiuscunque sit, hæc sententia falsa est, & merito refellitur a Doct.

Et primo probat, quod nulla relatio realis fundata super actum culpæ maneat in anima. Secundo quod esto, quod maneret, tamen ab illa non diceretur anima peccatrix. Primum probat sic. Illa relatio, aut esset respectus intrinsecus adueniens, vel extrinsecus: non intrinsecus quia non ponitur necessario naturaliter posito fundamento, scilicet anima ipsa, & posito termino puta Deo, quia tunc antequam anima peccaret poneretur, quod est falsum, si dicas quod Deus non est terminus, sed pœna ad quam iste ordinatur. Contra nunquam est respectus realis intrinsecus aduenies ad illud, quod non est, sed pęna, ad quam iste ordinatur, nondum est, ergo &c.

Præterea & est quasi idem, relatio intrinsecus adueniens necessario ma et, manentibus fundamento, & termino: sicut paternitas manet, manente homine, qui genuit, & genito, sed anima, quam isti faciunt fundamentum relationis & pœnæ Inferni, quas faciunt terminum, possunt etiam manere post peccatum commissum ablato reatu, vel per Baptismum si commissum est ante, vel per pęnitentiam si fuit cōmissum post Baptismum, ergo iste reatus non est relatio realis. Quod si quis dicat hanc relationem esse extrinsecus aduenientem, sine qua bene potest manere fundamentum, & terminus.

Contra. Relatio extrinsecus adueniens producitur per actionem, cuius ipsa est per se terminus, sicut patet de vbi, & alijs respectibus, qui non sunt de genere actionis, vel passionis, sunt enim termini actionum, quibus ponuntur in esse terminis iam præsuppositis, sed in proposito huiusmodi agens assignari non potest, quia vel esset anima, vel Deus, sed anima esse non potest, quia anima in peccando non habet nisi vnam actionem determinatam ad actum peccati deordinatum, sicut nisi vnum peccatum, nam anima quādo peccat solum exercet vnam actionem, per quam Diuinum præceptum transgreditur, neque experimur exercere aliam, per quam producatur reatus, neque potest poni Deus. quoniam Deus non agit per se aliquid, quo dicatur anima peccatrix, quia alias esset malus, & peccator, quod dicere esset blasphemia: tum quia nulla anima dicitur peccatrix præcise ab illo, quod est immediatus terminus actionis Diuinæ. Præterea in peccato omissionis, non apparet aliqua causa talis respectus: quia nec anima ipsa, cum anima possit peccare tali peccato nullum actum eliciendo, nec Deus: quia Deus non est causa peccati effectiua, sed tantum permissiua. quare &c.

Secundum probatur, nam esto, quod esset talis respectus realis obligationis, adhuc per ipsum non posset dici anima peccatrix: quia talis respectus non est formaliter peccatum, sed magis sequitur peccatum, & est peccato posterius, tum quia si poneretur, esset aliquod bonum positiuum, & in se iustum iustitia naturali, ergo &c. Tum demum quia si esset in anima talis obligatio, non posset fingi in esse nisi à Deo immediate, & ita per istam formaliter non esset anima peccatrix, cum Deus non sit causa peccati per se, sed solum permissiue.

ARTICVLVS. III.

Vtrum elongatio a Deo sit id, quo homo transacto peccato, seu peccati actu, appellatur Peccator.

Magister sententiarum disputans quæstionem hanc in 4. dist. 18. capit. vltimo postquam dixit maculam relictam in anima ex peccato præterito non esse ipsum actum peccati: quia iam transijt: neque contemptum pęnitentię, hic enim esset nouum peccatum actuale, asserit elongationem à Deo, vt ipse loquitur per dissimilitudinem, esse maculam animæ; Deus enim est vita animæ (inquit ille) & mūditiæ illius, quare elongari ab eo idem est, quod maculari, & pollui, manetque polluta anima quousque pęniteat, sicut erat dum id, praua erat voluntas, quod declarat Magister à simili: nam quemadmodum ille, qui tangit morticinum, vel aliud immundum ita pollutus est post actum, quousque lauatur, sicut fuit dum tangeret, ita post actum peccati, ita polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati: quia ita est longe à Deo per dissimilitudinem, qui est vita, & munditia mentis, sicut fuit dum peccatum ageret. Ipsa ergo dissimilitudo, quæ inest animæ ex peccato, & est à Deo elongatio, animæ macula intelligitur, à qua purgatur in pęnitentia. *Magister sententiarum.*

Cum Magistro videntur conuenire multi Scholastici. Primum quidem Alexander de Ales parte prima. quæst. 14. m. 6. art. 4. in fine. Vbi inquit maculam esse priuationē debitæ pulchritudinis, Deinde D. Bonauent. in 4. dist. 18. par. 2. in dubio 4. circa textum, cum asserit hanc maculam esse auersionem ab ipso Deo, sicut Magister: ita enim scribit, quod peccatum debet considerari, & secundum rationem auersionis, & secundum rationem conuersionis, & secundum rationem vtriusque, secundum primam rationem cōpetit ei ratio priuationis, secundum secundum modum ratio infectionis, secundum tertium modum ratio obligationis. Quantum ad primum modum dicitur peccatum tenebra, & deformitas: quoniam bonum potest dupliciter considerari, scilicet in se, & sic dicitur lux, & per oppositum peccatum dicitur tenebra, & per comparationem ad vim cognitiuam, & sic dicitur pulchritudo animæ, & per oppositum peccatum dicitur deformitas. Quantum verò ad auersionem sic dicitur macula, & fętor, & hoc similiter secundum duplicem comparationem illius coniunctionis cum delectabili terreno, aut in se, & sic est macula, aut ad vim cognitiuam, & sic fętor. Et quantum ad vtrumque, & sic competit esse vinculum mortis æternæ. Postremo Ric. eadem d. in expositione textus cum dicit maculam esse dissimilitudinem. Cæterum hij Doctores non explicant, cuius nam sit priuatio auersio hæc, & quid sit hæc dissimilitudo; Huc etiam spectat sententia S. Thomæ 3 par. quæst. 86. art. 1. constituit enim maculam peccati in priuatione nitoris animæ, vt vidimus supra artic. 1. qua propter Bassolus hac. d. quæst. 2. artic. 1. dixit D. Thomam conuenire in hac sententia cum Magistro, quod etiam Caiet. notauit. 3. p. q. 86. art. 1. *Alex. de Al. Bonauent. Peccatū tribus modis considerari, potest. Ricardus. Thomas Aquinus. Bassolus. Caietanus.*

Sed contra hanc sententiam instat Doct. dupliciter, & primo sic. Macula ista vel elongatio, vel dissimilitudo, vel immunditia, quomodocunque nominetur, non est iniustitia actualis, nec habitualis, nec relatio realis, non carentia rectitudinis in actu, quia ista non est nata manere, nisi manente macula in actu, nec carentia habitualis gratiæ: quia illa totaliter inest primo peccato, de relatione reali patet supra. Hæc ratio potest ita deduci. Hæc macula, & status peccati nequit esse priuatio, vel enim esset priuatio rectitudinis actualis debitæ in esse, vel priuatio alicuius habitus, non potest esse priuatio rectitudinis actualis debitæ in esse: quia si talis priuatio aliquando est, constituit ipsum peccatum actuale, & eo præterito talis priuatio non manet, hic autem non inquirimus de macula, quæ est actuale peccatum, sed de macula permanente per modum habitus actu ipso peccati præterito, nec potest esse priuatio alicuius habitus, si enim alicuius maximè gratiæ, & charitatis: nam fidei, & spei esse non potest, cum hij habitus maneant cum multis peccatis mortalibus, & solum peccatis

peculiari modo ipsis oppositis expellantur, nec alterius habitus acquisiti, hæc enim priuatio manet cum gratia, sed neque charitatis, & gratiæ esse potest, quia sequeretur, quod non posset in dies nouis peccatis augeri, quia totaliter inest primo peccato, quod esse absurdum ostendimus supra.

Item macula summi odij. A. & amor summus ipsius. A. repugnant, ergo per vnum aufertur aliud, & per consequens macula odij. A. posset auferri per immoderatum amorem ipsius. A. consequentia patet: quia contrariorum contrariæ debent poni causæ, tum quia malus actus non est efficacior ad demittendum post se talem maculam in anima, quam contrarius ad contrarium relinquendum. quare &c. cum ergo macula odij, & amoris inordinati erga proximum sint opposita, & sibi inuicem aduersaria, ergo vna alteram expellit, & in eadem anima simul non maneret, quod in Theologia est valde absurdum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum per habitum uitiosum ex actibus uitiosis productum, transacto actuali peccato, dicatur homo peccator.

Iniustitia est duplex. PRo huius difficultatis intelligentia obseruandum est primo quod iniustitia est duplex, quædam actualis, & quædam habitualis, iniustitia actualis nihil aliud est nisi actus iniustus, siue actus malus, quod idem est, qui actus ex eo dicitur malus, quia caret iustitia, seu rectitudine actuali, quæ est quædam conformitas ad rectam rationem, siue ad rectũ dictamen rationis, quæ deberet in esse actui. Iniustitia habitualis est duplex, vna priuatiua, altera positiua. Iniustitia habitualis priuatiua est carentia habitualis iustitię. i. gratiæ, vel charitatis infusæ. v.g. Petrus fuit in gratia, & ante Christi negationem non peccauit, cecidit negando Christum á gratia, & charitate, eo quia peccauit mortaliter: ex quo mortali peccato non fuit causatus habitus inclinans ad consimilem actũ, quia forte adeo fuit actus remissus, quod non potuit causare habitum; sed eo tantum amisit habitualem iustitiam. s. charitatem infusam, atque adeo in Petro vt sic non fuit iniustitia positiua, sed priuatiua.

Iniustitia verò habitualis positiua est habitus causatus ca actibus iniustis inclinãs ad consimiles actus, vt Socrates eliciens actum malum, nempe intemperantiæ ex frequentatione consimilium actuum malorum generatur habitus intemperantiæ, qui appellatur iniustitia habitualis positiua, non enim loquimur hic de iniustitia prout est vitium oppositum iustitiæ, quæ est virtus specialis, sed suso nomine, prout omnis habitus vitiosus potest aliquo modo iniustitia appellari.

Iniustus potest quis duobus modis appellari. Secundo obser. est, quod duobus modis potest quis iniustus appellari, scilicet actualiter, & habitualiter, quemadmodum potest quis vel actualiter, vel habitualiter appellari iustus. actualiter dicitur quis iustus secundum rectitudinem actus, habitualiter vero secundum rectitudinem habitus gratiæ, vel charitatis, ita similiter dicitur aliquis peccator actualiter, vel habitualiter, actualiter dicitur peccator ea carentia iustitiæ actualis debitæ in esse, quæ non inest, vel ab iniustitia actuali, quæ est deformitas, seu irrectitudo actus, & isto modo dicitur quis peccator formaliter, & in re, quando actu peccat committendo, vel omittendo, pro quando debet sibi in esse rectitudo actus, & non inest, siue priuetur totus actus, vt in peccato omissionis, siue tantum circunstantia actus, vt in peccato commissionis. Et est denominatio formalis ab eo quod est in re, & hoc modo non potest dici quis actu, & realiter peccator, nisi dum actu peccat; quia non potest aliquis dici formaliter intrinseca denominatione peccator, ab eo quod iam transijt, & non est, sicut nec aliquis dicitur formaliter albus ab albedine, quæ sibi non inest: sicut per oppositum dicitur aliquis actualiter rectus, & iustus, quando habet actum rectum, pro quando debet ipsum habere.

Peccator quis dicitur habitualiter duobus modis. Habitualiter dicitur quis peccator dupliciter, vno modo quia est priuatus habitu iustificante formaliter debito inesse, sicut gratia, vel charitate, vel iustitia, & huiusmodi. Secundo modo quia habet habitum vitiosum inclinantem ad peccatum aggeneratum in eo ex frequentia actuum peccandi. Primo modo etiam puer recenter natus dicitur esse peccator, & quantum ad hoc non est vnus magis peccator, vel maior peccator, quam alius, sicut arguebatur supra; quia per vnum peccatum mortale, ita tollitur gratia, vel charitas funditus quantum ad omnem sui gradum, sicut per centum millia, vnde nec peccatum originale maius est in vno, quam in alio, similiter nec peccatum actuale, quantum ad priuationem gratiæ, vel charitatis. Secundo modo potest dici vnus maior peccator habitualiter quam alius, secundum quod habitus vitiosus inclinatiuus ad peccatum, magis intenditur, vel minus, vel magis plurificatur in vno, quam in alio.

Tertio obs. est, quod primus modus, quo aliquis dicitur habitualiter peccator, ex priuatione habitus iustificantis formaliter, cuiusmodi est charitas vel gratia, secundum communiter loquentes, non potest stare in aliquo cum gratia, vel charitate vt patet, quia priuatio cum habitu stare non potest.

Secundus modus essendi peccatorem habitualiter, potest stare cum gratia, & charitate, & stat frequenter, vt patet in magnis peccatoribus, & habituatis in peccatis suis, quando de nouo iustificantur, & datur eis gratia, non statim n. corrumpuntur in eis tales habitus vitiosi, sed manent in eis donec per contrarios actus, vel per cessationem ab actibus talium habituum finaliter corrumpuntur. Ex quo patet quod aliquis dicitur, vel potest dici formaliter peccator habitualiter per aliquid, quod non est formaliter peccatum, sed habitualiter tantum inclinans ad ipsum. Ex quo etiam patet intellectus tituli Quæstionis; quæritur enim an ab huiusmodi habitu vitioso inclinante ad peccatum dicatur quis peccator, peccato actualiter transacto.

Et probat Doct. quod non, dupliciter, & primo sic, nullus homo constituitur peccator per id, quod manet cum gratia, sed habitus vitiosi manent simul cum gratia, ergo homo per habitum vitiosum non constituitur in esse peccatoris, maior patet: quia alias aliquis post sufficientem pœnitentiam diceretur peccator, quod est contra fidem, minor probatur: quia ille, qui fuit magnus peccator, & in vitijs inueteratus, si magno ardore ad Deum conuertatur in principio suæ conuersionis sentit ingentes difficultates in exequendis bonis operibus, cuius non est alia causa nisi quia habitus vitiosi, qui simul cum charitate manent, contrapugnant retrahentes hominem a bonis operibus, & inclinantes in mala, & pugnando contra prauam illam inclinationem habitus vitiosi meretur, & per actus contrarios acquirit sibi habitum contrarium. Vnde magni peccatores (inquit Doctor) non statim quando sunt iustificati habent illam pacem, quã habent perfecti, & exercitati in virtutibus.

Secundo probatur si ab habitu vitioso transeunte actu peccati diceretur aliquis peccator, sequeretur quod ante peractam pœnitentiam de peccato posset aliquis dici nõ peccator, consequens est falsum, ergo & antecedens: Consequentia probatur, & suppono, quod licet habitus sit de difficili mobilis, tamen si non frequentetur eius actus, tandem corrumpitur habitus nam quicunque habitus, vel dispositio desinit esse post fluxum temporis, nisi firmetur per frequentes actus, hoc supposito pono casum, quod quis habuerit Cõcubinam per quatuor annos, & quoniam videt in Domo sua laborare lethali morbo omnes, ductus infirmitatis, ac mortis timore Concubinam dimittit, non propter Deũ, sed propter infirmitatis, ac mortis periculum, atque ita abstinet vno, ac pluribus annis, in tantum quod (adhuc ipso de suis peccatis in impęnitentia remanente) deletur habitus incontinentiæ vitiosus, quia deinde de Concubina amplius non curat, & tamen iste esset peccator, cum impęnitens maneat, & non ab habitu vitioso cum per casum desierit esse. Et confirmatur. nullus dicitur peccator ab eo, quo desinente nihil minus dicitur peccator, sed habitu vitioso desinente adhuc, potest homo dici peccator, ergo ab habitu vitioso actu peccati transacto, non dicitur quis peccator. Ex his concludit Doct. quod actu peccati transacto, non est in peccatore aliquid absolutum, vel respectiuum, positiuum, vel priuatiuum, á quo dicatur peccator, á tempore cessationis actus, vsque ad pœnitentiam.

ARTI.

ARTICVLVS V.

Vtrum illud a quo homo denominatur peccator a cessatione actus peccati vsque ad pœnitentiam sit relatio rationis, quo Peccator ordinatur ad pœnam.

PRo huius difficilis quæstionis explicatione obs. est primo certum esse, quod homo post peccatum mortale manet in statu peccati, etiam si actu non peccet, & hoc est de fide tenendum. Tradidit enim Deus vt constat ex literis sacris potestatem Apostolis ad remittenda peccata, non quando committuntur peccata, quia repugnat, & contradictionem inuoluit peccatum remitti, quando committitur, ergo remittitur postquam commissum est, illo igitur tempore, quod est a peccato commisso vsque ad remissionem illius, homo est in statu peccati, in quo tempore si moreretur est de fide, quod damnaretur, hoc etiam manifestum est in peccato, quod commisit tota natura humana, quando primo peccauit Adam; nam post illud peccatum commissum, Pueri dicuntur esse in statu peccati, & peccatores ante baptismum, quando actu non peccant, ergo similiter post peccatum personale dicitur persona peccatrix, & esse in statu peccati, etiam quando homo non peccat. Controuersia ergo est circa hoc, quidnam sit illud, quod hominem constituit in statu peccati, & in esse peccatoris; etiã quando non peccat: Nam quod post peccatum mortale maneat gratia priuatus, & ordinatus ad æternas pœnas sub conditione, si non agat pœnitentiam, certum est in eo quod consentiunt omnes Doctores Scholastici. Illud verò est cõtrouersum, an post actum peccati homo dicatur peccator, & esse in statu peccati à priuatione gratiæ, an verò ab ordinatione ad pœnas æternas.

Non est idẽ hominẽ esse in statu peccati, & esse Dei inimicũ

Secundo obseruandum est, certum esse, quod non est idem hominem esse in statu peccati, & esse inimicum Dei: patet, nam esse inimicum Dei duobus modis contingit. primo, quia homo Deum odio habet, vel secundo quia homo a Deo odio habetur, sed hominem esse in statu peccati non est idem quod odio habere Deum, neque est idem quod odio haberi a Deo, ergo hominem esse in statu peccati non est idem quod esse inimicum Dei: maior patet, & minor probatur: nam quod status peccati non sit idem, quod odio habere Deum. Patet: non enim est idem quod odio habere Deum secundum actum: quoniam contingit homines esse in statu peccati, quando nullum habet actũ, neque est idem quod odio habere Deum secundum habitum: quoniam homo existens in statu gratiæ potest habere Deum odio secundum habitum: nam si aliquis habuit odium Dei sæpe numero replicatum, talis genuit in se habitum intensi odij Dei, qui habitus non statim excluditur infusa gratia per pœnitentiam, imo verò post pœnitentiam, & infusam gratiam sentit homo inclinationem in talem odium Dei, in qua reprimenda patitur difficultatem, sicut & alij habitus vitiosi cum gratia manent, neque isti habitus sunt mala culpæ, quamuis ad culpam inclinent, imo sunt occasiones merendi, cum enim homo existens in gratia videat se rapi ad peccata, a vitiosis habitibus, ne in hac pugna succumbat, opera virtutum exercet. Sed neque odio haberi a Deo est hominem esse peccatorem: quia esse peccatorẽ malum est, at verò odio haberi a Deo bonum est, quia est operatio Dei homini malum volentis, ex quibus sequitur, quod hominem esse peccatorem, non est ordinari a Deo ad pœnas æternas: quia ordinari a Deo ad pœnas æternas est odio haberi a Deo.

Hominẽ esse peccatorẽ nõ est hominem peccare.

Tertio obseruandum est, hominem esse peccatorem non est esse peccantem siue peccare: quoniam de fide est pueros recenter natos esse peccatores, & in statu peccati, cum tamen de fide sit etiam tenendum eos tunc non peccare: quia eo tempore libertate non vtuntur, quæ ad peccandum requiritur, quod etiam manifestum est in eo, qui dormit ante pœnitentiam, postquam commisit peccatum, talis enim eo tempore est peccator, & in statu peccati, cum tamen eo tempore non peccet.

Hominẽ esse peccatorẽ nõ dicit solum hominẽ peccasse.

Quarto obseruandum est hominem esse peccatorem nõ solum dicit, quod homo peccauit, quamuis hoc etiam dicat, patet, quia alias sequeretur istum hominem esse peccatorẽ necessario postquam peccauit, quia fieri nulla potentia potest, vt qui peccauit non peccauerit, iuxta illud Agatonis citatum ab Aristo. in Ethy. dicentis hoc vno priuatur Deus, soloque carere videtur, infecta, vt faciat, quæ facta sunt, atque peracta, hoc autem est falsum, & hæreticum cum sit de fide hominem posse transire a statu peccatoris siue peccati ad statum gratiæ. Patet ergo ex dictis hic, & in superioribus articulis, quod non sit hominem esse peccatorem, & in statu peccati.

Quid sit hominem esse peccatorẽ secundum Scotum.

Superest modò ostendere quid sit esse peccatorem, & in statu peccati, Vnde Doct. postquam aliorum impugnauit sententias, tradit propriam dicens, quod in peccatore iste reatus, qui manet post actum peccati, a quo denominatur peccator, nihil aliud est quam ipsum peccatorem a Dei voluntate ordinari ad pœnam condignam illi peccato. Adeo quod sententia Doctoris est, macula peccati, ex qua præterito actu peccati aliquis dicitur peccator, & in peccato manere, donec iustificetur, & quæ dicitur per pœnitentiam deleri esse relationem rationis nempe obligationem, & reatum ad pœnam, quatenus anima per actum peccati est obiectum Diuinæ iræ, & intellectus, atque voluntatis Dei destinantis hominem ad pœnam debitam, hanc verò destinationem seu ordinem ad pœnam, inquit non esse ad pœnam, prout re ipsa futura est, sic enim nullus prædestinatus in peccato esset, sed qua vere digne puniretur, si tunc homo discederet, hæc est sententia Scoti, quam magis explicabimus defendentes illam contra Thomistas.

Augustin.

Probat Doc. hanc suam sententiam primo authoritate D. Augustini in ps. 31. in illa verba. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, vbi ita scribit, Cooperta sunt peccata, & tecta sunt, abolita sunt, si texit peccata Deus, noluit aduertere, si noluit aduertere, noluit animaduertere, si noluit animaduertere, noluit punire, noluit agnoscere, maluit ignoscere. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, nec sic intelligatis quod dixit, peccata cooperta sunt: quasi ibi sint, & viuant. Tecta ergo peccata, quare dixit? vt non viderentur: Quid enim erat Dei videre peccata, nisi punire peccata? vt noueritis: quia hoc est Dei videre peccata, quod punire peccata, quod ei dicitur Auerte faciem tuam a peccatis meis &c. quibus verbis docet D. Augustinus, quod Deum videre peccata est illa imputare ad pœnam, auertere autem faciem a peccatis, est ea ad pœnam non reseruare, nam ita dicit peccata ab eo tecta, non vt Deus, tunc non videat, sed vt nolit animaduertere, id est, punire, ergo per oppositum. Deum videre peccata, est illa imputare ad pœnam, sed ordinare hominem ad pœnam inferni nihil reale ponit in homine, sed solum dicit relationem rationis, quia vt sic homo est obiectum Diuinæ voluntatis ad tales pœnas ordinantis, obiectum autem intellectus, & voluntatis, vt cognitum, & volitum, non habet nisi relationem rationis, nam esse cognitum, & esse volitum sunt respectus rationis.

Secundo hoc idem probat a simili: nam sicut aliquis dicitur magis vel minus mereri per acceptationem Diuinæ voluntatis ad vitam æternam, seu per ordinationem ad maiorem Gloriam. Ita a simili aliquis dicitur peccator, vel a Deo abiectus per deacceptationem, seu ordinationem ad pœnam æternam, sed sic est, quod acceptatio, seu ordinatio Diuinæ voluntatis ad vitam æternam, vel ad maiorem gloriam, non dicit in hoc iusto aliquod reale positiuum, sed tantum respectum rationis, quo denominatur acceptatus, seu denominatus ad vitam æternam, ita a simili neque deacceptatio, seu ordinatio ad pœnam æternam dicit aliquod reale in isto peccatore. Et si dicatur, quod iustus non dicitur mereri tantum per acceptationem Diuinæ voluntatis, siue per ordinationem ad maiorem gloriam, sed quia habet maiorem, & intensiorem gratiam. Contra, Possibile est quod aliquis habeat plura merita, quam alius, & tamen non maiorem gratiam, ergo talis dicitur magis meritus per acceptationem, siue per ordinationem ad maiorem Gloriam, Antecedens probatur, nam esto quod aliquis homo habeat charitatem, & exerceat plura opera meritoria, quibus charitas non augeatur, vel quia illa opera sunt minus intensa, quam charitas qua illa operatur, vel quia etiam si opera sunt magis intensa, Deo non placeat augere tunc charitatem, talis homo habet plura merita quam ante, per hoc solũ quod Diuina voluntas ordinat eum ad maiorem Gloriam, cum nihil in se habeat homo, quod antea non haberet, ergo eadem ratione dici potest hunc hominem esse magis peccatorem, vel maioris demeriti per hoc solum, quod a Diuina vo-

na voluntate ordinatur ad maiorem pœnam, propter plura, & maiora peccata, quæ commisit. Et sicut iste, qui plura merita habuit, transeuntibus interioribus, & exterioribus actibus meritorijs est magis meritus quam alius, non per aliquod reale positiuum, vel priuatiuum absolutum, vel respectiuum intrinsecum isti, sed solum per relationem rationis, inquantum vt est obiectum voluntatis Diuinæ ordinatur ad maiorem Gloriam. Ita propter peccata transeuntia nihil est aliud abiectio istius nisi reprobatio, vel repulsio in voluntate Diuina, & in peccatore relatio rationis, vt abiecti, vel reprobati ad talem, & talem pęnam ordinati.

Et confirmatur exemplo: nam si quis Regem offendit, talis post commissam offensam nihil reale habet, cuius causa dicatur inimicus Regis, sed ob id solum dicitur inimicus: quia voluntas Regis eum habet destinatum ad pęnam, ergo eadem ratione, qui offendit Deum, non manet Deo inimicus propter aliquod reale in illo existens, sed propter id solum, quod voluntas Dei eum habet ordinatum ad pœnam. Quæ ordinatio quatenus discordat ab animæ natura, dicitur eius macula, sicut gratia per oppositum, quia concordat cum animæ natura, dicitur illius pulchritudo, quatenus est obligatio ad pęnam dicitur reatus: reus enim idem est, quod obligatus ad pęnam, quatenus verò est actus Diuinæ voluntatis vindictam sumere volentis de homine, qui eum offendit dicitur offensa, & ira, nihil enim aliud est offendi, vel irasci in Deo, quam velle vendicare ista pęna, & in hac Dei volitione consistit tota ista realitas, per quam ordinatur peccator ad talem pęnam, & licet Deus dicatur figuratiuè, seu methaphoricè iratus, & offensus; tamen accipiendo istam rationem irasci pro velle vindicare, exclusa passione concomitante istius velle, Deus formaliter est iratus, vel offensus, quia formaliter est volens vindicare peccatum commissum contra legem suam. Ex dictis ergo constat, quod nihil aliud est post actum peccati cessante offensa, macula, & reatus, nisi ista relatio rationis, scilicet, ordinatio ad pęnam, cuius causa dicitur homo peccator, & manere in statu peccati.

Caietanus. Medina. Sotus. Contra hanc sententiam Doct. acriter insurgit. Caiet. 1. 2. quæst. 86 articulo primo, & secundo. Medina ibidem, & Sotus in hoc 4. d. 15. quæst. 1. articulo 2. in vltima parte illius artic. Eamque dicunt esse falsam, & plusquam falsam, arguuntque contra illam. Primo Homo non fit peccator a voluntate Diuinà, sed ab ea voluntate ordinatur homo ad pęnas æternas, ergo esse ordinatum ad pęnas æternas non est hominem esse peccatorem, vel esse in peccato. Secundo arguunt Hominem esse in peccato est malum, sed esse ordinatum ad pęnas æternas propter commissum peccatum, est bonum, quia est opus iustitiæ, ergo esse ordinatum ad pęnas non est esse in peccato. Tertio quia si per impossibile Deus non statuisset pęnas æternas transgressoribus legis suæ nihilominus quicunque transgrederetur legem Diuinam esset peccator, ergo esse in peccato non est esse ordinatum ad pęnas æternas, Antecedens probatur quoniam qui transgrederetur legem Diuinam, offenderet Deum, sed offensor Dei est peccator, ergo qui transgrederetur legem Diuinam esset peccator, licet non esset ordinatus ad pęnas æternas.

Opinio Sco. explicatur. Hominē esse peccatorem quid sit. Vnde pro explicatione, & defensione opinionis Doctoris Sub. obseruandum est, quod hominem esse peccatorem, siue in statu peccati idem est, quod propter commissum peccatum esse dignum inimicitia Dei, & hoc non est a voluntate Dei, quia licet Deus velit esse inimicus Iudæ, non tamen vult eum esse dignum sua inimicitia, cum enim ego mea voluntate dignum me fecerim inimicitia Dei, Deus sua voluntate se præbet mihi inimicum, neque etiam bonum est esse dignum inimicitia Dei, imo verò hoc pessimum est, cum tamen Dei inimicitia, qua peccator dignus est, optima sit, neque etiam hæc dignitas procedit a statu peccati, imo est ipse status, quoniam non possumus imaginari aliquem esse peccatorem, quin sit dignus inimicitia Dei, neque è contra. Imo seclusis omnibus alijs hoc solo diceretur quis peccator, si dignus esset inimicitia Dei, & contradictionem inuoluit non solum esse, sed etiam inteligi aliquem esse dignum inimicitia Dei, absque eoquod peccauerit.

Secundo obseruandum est, quod sicut homo postquam meruit, manet in merito, seu in statu meriti, ita postquam peccauit, manet in peccato, & in statu peccati, vnde sicut homo qui est in statu peccati appellatur hoc nomine peccator, ita ille qui est in statu meriti appellari posset meritor, & sicut hæc vox meritor significat statum meriti, ita hæc vox peccator statum peccati, sed homo postquam meruit dicitur esse in statu meriti, & in merito propter solam dignitatem præmij; sicut Christus licet modo non mereatur nobis, manet tamen in merito propterea, quod nostra gratia, & Gloria dignus est propter opera meritoria, quæ fecit dum esset viator. Ergo eadem ratione hominem esse in peccato postquam peccauit nihil aliud est, quam esse dignum supplicio, & inimicitia Dei propter peccatum commissum, ex quo sequitur, quod homo dicitur habere plures culpas propter plures dignitates, quas habet contractas, ex pluribus peccatis: qui enim peccauit peccato homicidij, & adulterij, alio modo est dignus inimicitia Dei propter adulterium, alio verò modo propter homicidium, & magis dignus est propter vtrumque.

Tertio obseruandum est, quod peccatum accipitur duobus modis. Priori modo pro dicto, facto, vel concupito contra legem Dei, quæ acceptio peccati est communissima, & hoc modo hæc dignitas non est peccatum, alio modo accipitur peccatum pro quocumque malo culpæ atque ita dignitas inimicitiæ Dei est peccatum, est enim malum, vt de se patet, & non malum pœnæ, quia bonum est simpliciter pęna, & a Deo; dignitas autem inimicitiæ Dei malum est simpliciter, & non a Deo, ergo est malum culpæ, quia per se loquendo sequitur auersionem a Deo, neque eadem est ratio de pęna, quia culpa per se loquendo non est causa pęnæ nisi dispositiuè, quatenus facit hominem dignum pęna, quæ tamen pęna a Deo est effectiuè, atque ita dignitas inimicitiæ Dei est peccatum, non quod constituat hominem peccantem, sed peccatorem, hoc autem malum culpæ est peccatum quasi in habitu, quia est in dormiente, & vigilante, in sano, & in insano, quo etiam modo de peccato originali dictum est. *Peccatū bifariā sumitur.*

Quarto obseruandum est, quod ad hoc quod homo sit peccator, & in statu peccati, non est necessaria libertas præsens, sed sufficit libertas præterita, qua vsus est quando actu peccauit, sicut ad hoc quod natura sit peccatrix, & in statu peccati non est necessarium libertas præsens, sed satis est naturam vsam fuisse libertate in peccato naturæ, quando ipsa natura illud peccatum commisit, atque ita pueri ante baptismum peccatores sunt, & in statu peccati, licet non vtantur libertate. *Libertas p̄sens non est necessaria ad hoc quod homo sit peccator, sed sufficit præterita.*

Ex his patet quid sit id, a quo homo dicatur peccator post actum peccati transactum, ex eo enim dicitur peccator, quia est dignus inimicitia Dei, & hæc absque dubio est sententia Scoti, nam licet videatur sentire, quod esse peccatorem est idem, quod ordinari ad pęnas æternas, attamen reuera hoc non sensit, cum ordinari ad pęnas æternas sit a Deo, quo Authore nullus est peccator, quo argumento vsus est ipse Scot. primo articulo huius q. ad lit. C. ad improbandam aliorum opinionem, at non est verisimile, tam subtilem, accuratumque Doctorem in eadem quæst. sibi ipsi contradicere.

Sententia ergo Scoti est, quod peccatum duo dicit, significat enim & condignitatem, & ordinationem ad pęnas æternas, in prædicto enim artic. sub lit. I. dicit hæc verba, manere in reatu post actum transeuntem, id est, hominem esse peccatorem, nihil aliud est nisi ipsum a Dei voluntate ordinari ad pęnam condignam illi peccato, quibus verbis, & condignitatem, & ordinationem includit, & cum de re constaret, de modo loquendi noluit esse solicitus. Propriè enim dixisset hominem esse peccatorem idem esse, quod condignum esse ordinationis ad pęnas æternas, sicut D. Thom. 1. 2. quæst. 86. maculam appellauit priuationem gratiæ, proprius tamen dixisset esse dignitatem talis priuationis. Itaq; Petrus, verbi gratia, qui peccauit est obiectum materiale illius ordinationis, qua Petrus ordinatur ad pęnas, formale verò est dignitas, siue dignum esse tali ordinatione, vnde constat, quod hominem esse peccatorem idem est, quod dignum esse priuationis gratiæ, id est, inimicitiæ Dei, vel ordinationis ad pęnas æternas, cum verò omnis priuatus gratia de facto sit inimicus Dei, idem est hominem esse priuatum gratia, & inimicum Dei, sed cum Deum esse inimicū alicuius, sit ei velle malū, & ordinare ad pœnas æternas sit illi velle malum æternarum pęnarum, idem est omnino inimici. *Sententia Sc. Peccatū duo dicit.*

micitia Dei, & esset dignum ordinationis ad pœnas æternas. Hæc autem dignitas significatur per verbum merendi, solemus enim dicere de homicida, quod meretur suspendi, id est, dignus est suspendi. Sunt enim quædam verba quæ licet actionem videantur significare, nullam tamen actionem significant, sicut valere, nullam actionem significat, sed idem quod esse sanum, ita contingit de ista voce peccator, at non est idem de hac voce peccare, quia hæc vox solum imposita est ad significandam actionem peccati.

Obseruandum est tamen, quod hæc dignitas fundatur super peccatum actuale præsens, vel præteritum non dimissum, tamdiu quod manet, quamdiu manet peccatum non dimissum, quæ quidem dignitas non est aliqua realis qualitas, sed hominem esse dignum inimicitiæ Dei, nihil aliud est, quam esse subiectum aptum, & congruum, in quo Deus suam inimicitiam exerceat propter peccatum, quod cōmisit, vnde solum dicit relationem rationis aptitudinis, & congruitatis inimicitiæ Dei. Ista ergo dignitas dicitur distantia Metaphorice: quia sicut distantia localis impedit coniunctionem duorum corporum, ita hæc dignitas impedit coniunctionem animæ cum Deo per gratiam. Dicitur etiam macula: quia sicut anima est perfecta, & pulcra, quando est cōiuncta cum suo principio per gratiam, ita disformis est, & maculata, quando distat a Deo per peccatum; dicitur insuper deordinatio: quoniam est distantia a Deo, qui est principium totius ordinis; dicitur etiam auersio: quoniam se tenet ex parte auersionis peccati actualis, ad quam dicit essentialem ordinem, vnde sequitur, quod etiam dicit ordinem ad conuersionem, sine qua, auersio non est intelligibilis.

Contra, eadem ratione persona est peccatrix propter peccatum personæ, qua natura est peccatrix propter peccatum naturæ; sed natura non dicitur peccatrix propter dignitatem, sed propter priuationem iustitiæ originalis secundum omnes, ergo persona non dicitur peccatrix propter hanc dignitatem, sed propter priuationem gratiæ personalis: sicut enim iustitia originalis se habet ad naturam, ita gratia personalis ad personam. Respondetur, quod peccatum originale non est priuatio habitus, siue doni, quod erat iustitia originalis, neque etiam ordinis quem causabat originalis iustitia, solus enim Deus est causa effectiua huius priuationis, homines verò sunt solum causa meritoria, Deus enim est, qui effectiue priuauit Adam iustitia originalis, auferendo illam ab eo, & qui nos priuat etiam, non dando illam nobis, quæ priuatio iustitiæ originalis iusta est, & sancta, iustū est enim, quod natura, quæ Deum reliquit peccando, priuetur donis Diuinis. Igitur sicut per peccatū mortale personale manet persona peccatrix propter dignitatem inimicitiæ, quam ex peccato contraxit, quæ dignitas quamuis non sit peccatum, prout peccatum est dictum, vel factum &c. contra legem Dei, est tamen peccatum, prout peccatū accipitur pro malo culpæ, & est peccatum, quod non constituit peccantem, sed peccatorem. Ita postquam tota natura peccauit in Adam, mansit peccatrix: quia digna est inimicitiæ Dei propter peccatum, quod in Adam commisit, quæ dignitas non est peccatum, vt est dictum, vel factum &c. licet ad hoc dicat essentialem ordinem (alias pueri recenter nati dicerentur peccantes) sed est peccatum prout accipitur pro malo culpæ. Vocatur autem hæc dignitas priuatio iustitiæ originalis, quia talem priuationem habet annexam, vel quia ipsamet dignitas est priuatio non formalis, sed meritoria priuationis formalis. *D. Thomas.* Vnde D. Thomas 1.2.q.82.art.4 dicit quod peccatum originale dicit defectum iustitiæ originalis, & relationem ad peccatum, quod omnes cōmisimus in Adam, tanquam ad causam, cum illud peccatū causa non sit nisi meritoria, hæc relatio, quam dicit peccatum originale, nihil aliud est quam dignitas, relicta a peccato actuali, hæc enim dignitas dicit essentialem ordinem ad peccatum actuale, quæ dignitas inest vnicuique propria, potest enim hic paruulus habere hanc dignitatem alijs non habentibus, & non habere alijs habentibus, fundamentum autem huius dignitatis est peccatum actuale, quod omnes commisimus in Adam, vnde sequitur, quod paruuli geniti a sanctis Parentibus contrahunt hanc dignitatem, quæ est peccatum originale, quoniam hæc dignitas fundatur in peccato non dimisso, & cum parentes huius paruuli peccauerunt in Adam, & iste puer similiter fieri potuit, vt peccatum remitteretur parentibus, & non illi, vnde iste paruulus, eo ipso quod nascitur ex Adam in quo peccauit, cum peccatū illud huic non fuerit remissum, eo ipso nascitur dignus inimicitia Dei donec remittatur illi.

Reatus sumitur dupliciter. Ex dictis patet solutio ad argumenta Caiet. & Soti. Ad primum dicitur, quod reatus sumitur dupliciter apud Doctores Scholasticos, primo pro obligatione, & ordinatione ad pœnas propter culpas, & hoc modo accipiendo reatum procedit ratio Caiet. con. Scotum: nam huiusmodi reatus Deus est causa, & ordinatio hæc bona est, quia est effectus Diuinæ iustitiæ. Alio modo sumitur reatus pro dignitate, vel merito pœnæ, & talis reatus est effectus causatus directe ab actuali peccato, vt enim docet ipse D. Tho. 1.2.q.87. *D. Thomas.* art.1. ad secundum peccatum geminum habet effectum, alterum quem directe causat, scilicet, reatum, & dignitatem pœnæ, alterum verò quem causat solum indirecte, & dispositiue, scilicet, ipsam pœnam, reatus ergo in prima acceptione non est culpa, imo quid bonum, & a Deo. In secunda verò acceptione est quid malum, & habens rationem culpæ, vt diximus supra, & ab ista dignitate, vel reatu pœnæ dicimur peccatores, & vt sic hominem fieri dignum pœnis æternis, vel esse dignum illis, in quo Sco. (vt visum est supra) dixit fundari hanc denominationem videlicet, hominem esse peccatorem, non fit a voluntate Diuina, sed a voluntate ipsius, qui peccauit, & sic patet quòd homo non fit peccator a voluntate Diuina.

Ad secundum patet ex dictis, & conceditur malum esse, hominem esse in peccato, & peccatorem, quia est esse dignum inimicitia Dei, supplicio æterno, & ordinatione Dei ad tale supplicium, vnde nihil probat Argumentum contra Sco. sententiam.

Ad vltimum dicitur, quod ad impossibile sequitur quodlibet. Dico tamen, quòd licet Deus non ordinasset pœnas transgressoribus legis suæ, nihilominus, qui illas transgressus esset peccaret, & ex se dignus esset supplicio, & ordinatione Dei ad illud, atque ita nihil concludit contra meam sententiam.

Durandus. Hanc sententiam Scot. sequitur Durandus in 4.d.14.q.5. in solutione primi, & secundi, disputans enim de effectibus pœnitentiæ, inter quos primus numeratur remissio peccati, concedit argumento ibi proposito peccatum tantum deleri, quod attinet ad reatum pœnæ æternæ, non quod attinet ad culpam quæ transijt, & expressius in 2.d.42.q.3.nu.4. idipsum docuit, & quamuis in 1.d.18.q.1.nu.7. dicat maculam peccati esse priuationem gratiæ, hanc tamen maculam existimat esse pœnam, vt diserte notauit in 2.d.32.q.1.nume.5. quare in sua sententia nihil aliud est deleri peccatum, quam non imputari ad pœnam, vt ipse ibidem docet. Idem affirmat Ioan. Medina Codice de pœnitentia, tract.1.q.7 & Guilelmus Parisiensis tract. de Sacramento pœnitentiæ, fol. 45. col.3. & 4. Consentit Guilelmus Rubion in 4.d.14.q.2.ar.2. & Gab. in 4.d.14.q.1. notabili 2. Quātum attinet ad reatum prouenientem ex Dei ordinatione, nisi quod Rub. & Gab. secuti Ocham in 4.q.8. & 9. negant hanc denominationem esse relationem rationis, quia secundum ipsos nulla relatio ponenda est præter absoluta, sed omnem denominationem ab absolutis sumendam esse existimant.

Ioan. Medina. Guilelmus Parisiensis. Guilelmus Rubion. Gabriel.

Bassolus. Olchot Almayn. Ioannes autem de Bassolis in 4.d.14.q.2 quem secuti sunt Olchot. & Almain, ponit verum pulcrum modum dicendi, dicens hominem dici, & esse peccatorem, & pollutum ex actu peccati præteriti, & ex illo similiter dici manere vere dignum æterno supplicio, sicut aliquis denominatur Doctor non ab actu docendi, quem nunc habet, sed quem alias exercuit, obseruat tamen primo solum actum peccati præteritum non esse sufficientem causam huius denominationis: nam quamuis ex eo quod aliquis aliquando peccauit, quocumque modo postea se habeat dici possit quodammodo peccator, quo sensu dicimus iustos, etiam post iustificationem esse peccatores, quia peccauerunt, sicut dicere solemus de Diua Magdalena illa beata peccatrice, tamen ex actu illo præterito peccati non dicitur homo semper pollutus, & in statu peccati manere: nam post pœnitentiam iam amplius non dicitur manere in peccato, aut sorde peccati pollutus, sed vere mundus, & a peccato iustificatus, illud, ergo vnde quis denominatur ita peccator, vt in statu peccati pollutus manere dicatur, non est peccatum solum præteritum, sed peccatum præteritum nondum retractatum, vel vt ipse dicit, de quo nondum pœnituit vel pœnituit, vel aliud remedium contra tale peccatum non habuit, non quod a nō

tetta-

retractatione fiat denominatio hominis peccatoris, sed non retractatio necessaria est ex parte subiecti: nam retractatio esset impedimentum huius denominationis, nam si iam retractatum esset peccatum, homo ille non esset amplius in statu peccati, & per consequens peccator propriè appellari non posset, requiritur ergo non retractatio peccati tanquam necessario requisitum ad hanc denominationem, nō quod pertineat aliquo modo ad formam denominantem. Vnde ex actu præteriti peccati hoc modo non retractato, quædam deriuantur denominatione solum extrinseca.

Primo vt homo sit dignus pęna, vel æterna, si sit mortale, vel temporali, si sit veniale, retractato autem peccato, sicut iam non dicitur homo manere pollutus sorde peccati, ita etiam non dicitur manere dignus pęna æterna, vel tota illa temporali, qua antea dignus erat, nam parte aliqua pęnæ adhuc potest dici dignus manere, cum nondum omnino pro illa satisfecit.

Secundo ex præterito peccato non retractato fit, vt anima manere dicatur conuersa ad creaturam, cuius amore peccauit, vel auersa ab eo, quod odio habuit, denique in eodem statu, & affectu, quo peccauit, cumque huius etiam eadem ratio sit in peccatis venialibus, & mortalibus, consequitur ex veniali etiam vere manere aliquam maculam peccati, & hominem etiam eo dici, aliqua ratione pollutum, nam & a peccatis venialibus per pęnitentiam emundari, & lauari dicimur.

Tertio ex hac eadem ratione non solum ex peccato præterito, manet macula, & conuersio in anima per modum habitus in vniuersum, sed etiam peculiari ratione, ita vt qui occidit dicatur manere in statu, & macula peculiari homicidij, & ita de alijs, & iuxta varietatem peccatorum actualium, magis aut minus dicatur homo manere pollutus: nā cum ab actu præteriti peccati denominetur quisquam peccator, & pollutus, sequitur iuxta varietatem peccatorum varias etiam esse maculas peccati per modum habitus, ex quibus omnibus infertur iuxta hanc sententiam iustificatione tolli in nobis, non solum priuationem gratiæ, sed aliquid etiam positiuum a quo etiam dicitur mundari non quidem positiuum reale, & intrinsecum, sed rationis, & extrinsecæ solum denominationis, vt explicatum est.

ARTICVLVS VI.

Vtrum id quod manet in peccatore post actum peccati deleri possit per pęnitentiam.

SVpponendum est hic primo. Pęnitentiam esse duplicem, scilicet actualem, & habitualem, hic non est sermo de habituali, sed tantum de actuali pęnitentia. Secundo supponendum est, quòd hic non est sermo de necessitate absoluta, cuius oppositum est impossibile, & contradictionem inuoluens, sed de necessitate ordinata, quæ concernit ordinem Diuinæ sapientiæ, qui nunc est, & hæc supposita magis explicabuntur in sequenti articulo. His suppositis Doc. tria ostēdit in hoc articulo. Primum id quod manet in peccatore post actum peccati posse deleri. Secundum quòd de facto Deus illud deleat, & Tertium quòd illud deleat pęnitentia mediante. Primum probat ex Symbolo Apostolorum ex illo articulo. Credo remissionem peccatorem, ergo si est credendum est aliquando peccata deleri. Et confirmatur ex Propheta Ioele c. 18. Si impius egerit pęnitentiam &c. omnium iniquitatum eius non recordabor, vita viuet &c. Et ex Euangelio Matth. 3. & 4. vbi Christus Dominus prædicationem suam inchoauit a pęnitentia, & similiter D. Ioannes Baptismo & D. Petrus, post acceptum Spiritum Sāctum in die Pentecostes in primo sermone prædicata fide in Christum, prædicauit, & pęnitentiam, vt patet actorum 2. Ergo pęnitentia, valet ad remissionem peccatorum. Vnde D. Hierony. Epistola secunda ad Demetriadem, pœnitentiam nuncupauit secundam tabulam post naufragium, quæ metaphora desumpta est a nauigantibus, qui fracta Naui liberantur per aliquam tabulam, est autem prædictæ metaphoræ gemina explicatio Prima est Magistri in 4. d. 14. dicentis, quod nauis integra fuit status innocentiæ. Hæc autem nauis fuit fracta quando Adam præuaricatus est Diuinum pręceptum, & ipso peccante omnes peccauimus, & tunc humana natura passa est naufragium: perdidit namque spirituales illas diuitias, quibus veluti nauis onusta, ex insulis illis fortunatis Paradisi pergebat in patriam Cœlestem: atque adeo hominibus naufragis, vt mortem euaderent sempiternam, necessarium fuit accipere tabulam, in qua sustentati saluarentur, quæ tabula in noua lege est Baptismus, sine quo nullus a morte potest euadere, quare vt homo posset liberari ab isto naufragio. Prima tabula, hoc est primum remedium est Baptismus quo remittitur originale peccatum, sed quia post Baptismum, contingit vt homo iterum patiatur naufragium, a quo liberari nequit per Baptismum cum sit initerabilis, liberatur autem virtute pęnitentiæ atque ideo, secunda Tabula post naufragium appellatur. Secunda expositio est D. Tho. vbi supra art. 6. dicentis quod mundus est mare, & Baptismus est nauis, & est integra, dum homo non amittit gratiam baptismalem, frangitur vero quando amittitur gratia per peccatum, & remedium ad vitandum hoc naufragium, est Sacramentum pęnitentiæ ita D. Tho. sed magis arridet prior expositio, quia si pęnitentia est secūda Tabula non apparet, quæ sit prior nisi baptismus. Et Cōc. Tri. sess. 6. c. 14. approbat, & docet pęnitentiam apte nominatam esse a Sanctis Patribus secundam tabulam post naufragium, ergo sicut baptismus valet, & est necessarius hominibus naufragium spiritirale passis, ita pęnitētia est necessaria, & valet illis omnibus, qui post naufragium primam quoque Baptismi tabulam perdiderunt.

Ioel Propheta. *Matth. 4.* *D. Hierony. Pænitentia quomodo sit Secunda tabula post naufragiū. Magist. sen.* *D. Thom.* *Conc. Trid.*

Secundū nempe, quod Deus peccata deleat, probat Doc. ex eo, quod Dauid, Petrus, Paulus, & alij multi prædestinati in hac vita existentes peccata mortalia commiserunt, si autem mortale peccatum reatum, seu deleri non posset, necessarium esset aut prædestinatos non consequi gloriam, aut simul cum gloria esse in statu peccati, quorum vtrumque est impossibile. Pro ampliori huius rationis intelligentia obs. est, quod prædestinatus, vt docet Docto. in primo d. 40. in sensu diuiso potest damnari, ex quo sequitur, quod prædestinatus potest peccare, quamuis hæ duæ propositiones sint dissimiles, nam prima est tantum vera de possibili. Secunda autem est vera, tam de possibili, quam de inesse. Secundo supponendum est, quod prædestinatus tandem saluabitur, & per consequens esto, quod peccet, Deus peccata illi dimittit: nam si ei peccatum non dimitteretur, nunquam saluaretur: quia peccatum, & gloria sunt ad inuicem incompossibilia, ac proinde non posset prædestinatus beatificari, ad quam beatitudinem principaliter ordinatur per prædestinationem, nisi deleto peccato accipiendo peccatum modo prędicto, id est, pro reatu: nullus enim beatificatur remanens obligatus ad pęnam soluendam, quia vel esset soluenda simul cum gloria, ita ut beatus simul frueretur Deo, & solueret pęnam debitam; vel post habitam gloriam, sed vtrumq; est impossibile, primum quidem, quia ex dispositione Diuina, saltem pœna, & gloria repugnant, atque adeo simul esse non possunt. Secundum etiam est impossibile, quia disposuit Deus gloriam esse perpetuam, adeoque post eam non sequatur aliqua pęna, relinquitur ergo, quod oportet ante glorificationem remitti, & deleri istam obligationem ad pęnam quandoque sustinendam, atque adeo sequitur, quod Deus in hoc sæculo peccata dimittit.

Prædestinatus potest damnari.

Quin ad tertium, scilicet, quod Deus deleat peccata, pęnitentia mediante, probat Doc. nam Deus non remittit peccatum, nisi per pęnam pęnitentialem, vel per aliquid æquiualens pęnæ in acceptatione Diuina: quia per quodcumque peccatum offenditur Deus, sicut Scriptura sacra satis protestatur, offensa autem eius vel ira (vt dictum est supra) est eius velle vindicare, vel aliquid sufficiens ad placandum exigere, ergo posito quocunque peccato Deus vult se vindicare de peccante, sed velle vindicare est velle punire, ergo post peccatum commissum ad eius deletionem requiritur aliqua punitio, vel æquiualens in acceptatione Diuina, & licet culpa, quæ tollitur, tollatur regulariter per pęnam, sicut obligatio ad aliquid tollitur per solutionem illius, & licet quandoque tollatur per aliud a pęna æquiualens in acceptatione Diuina, tamen regulariter, per pęnam ordinatur, & si non tollatur per pęnam, & hoc est quòd dicitur communiter, & accipitur a Boetio libro 4. de Consol. Philosophiæ prosa 4. quod pęna est ordinatiua culpæ, ita quod non potest relinqui in vniuerso aliqua culpa, cui non correspondeat pęna ordinatiua. Sententia huius literæ Doct. breuiter consistit in hoc, quod remedium ad delendum peccatum est punitio, & inflictio pęnæ: nam si hominem esse in statu peccati, nihil aliud est quam manere, & esse obligatum

Boetius.

ad pę-

ad pœnas æternas, vt homo a tali obligatione liberetur aptissimũ fuit remedium, vt homo de se ipso sumat vindictam sibi, quod inferat illi æquiualentem pœnam, cuius debitor erat, non quidem secundum nostram, sed secundum acceptionem Diuinam: nam secundũ Boetium in 4. de Cons. prosa 4. Pęna est ordinatiua culpæ, ideoque peccatum de potentia ordinata puniendum est per pęnam, tamquam per proprium correspondens, quamuis autem Deus ordinarie non remittat peccatum sine pœna, vel punitione, de potentia tamen absoluta, potest remittere illud absque illa pęnæ inflictione, vt patebit inferius.

Boetius.

Vnum est hic obseruandum, quod Doc. dicit, quod peccatum deletur per pœnam, vel per aliquid æquiualens in acceptatione Diuina; non enim semper deletur peccatum per pœnam pænitentialem, sed interdum deletur (vt videbimus infra) per solum actum dilectionis Dei super omnia, sicut dicitur de Magdalena, quod remissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum: nam contingere potest, vt aliquis peccator audiens concionem statim accendatur in Dei amorem super omnia, quæ dilectio esset æquiualens pœnæ pro peccato, adeoque per illam omnia eius delerentur peccata.

Peccatũ non remittitur semper per pœnam pœnitentialem.

Ex his infert Doc. quod melius est peccatorem non correctum esse in pœna quam sine pęna, cum in vniuerso nihil inordinatum sit secundum dispositionem Diuinæ sapientię, culpa autem vniuersi deordinationem dicit, cum dicat rectitudinis deordinationem, atque adeo melius est, quod reordinetur, quam quod deordinata permaneat, reordinatur verò culpa per pœnam, non quod det sibi debitam rectitudinem, qua priuat, sed quia dat sibi iustam, & meritã pęnam, ergo melius est simpliciter peccatorem non correctum esse in pęna, quã sine pęna: quia in primo est aliquid boni, scilicet correspondentia iusta pœnæ ad culpam, sed in secundo esset tantum malitia, scilicet culpa, & impunita. Dicitur notanter melius simpliciter, quoniam licet melius sit peccatorem simpliciter esse in pęna &c. tamen non est melius huic peccatori &c.

Quatuor ostendit Doctor Subt. in hoc articulo. Primum quod pęna pœnitentialis ad hoc, quód sit deletiua peccati, oportet quod sit voluntaria, adeoque non omnis pęna delet peccatum, sed tantum pęna voluntaria. Secundo ostendit, quomodo pœna esse possit voluntaria. Tertio ostendit, quid sit hæc pœna voluntaria quatenus est punitiua peccati. postremo ostendit, quod ad deletionem peccati mortalis post Baptismum commissi, necessario requiritur pœnitentia. Vnde pro faciliori huius articuli explicatione diuidimus eum in quatuor articulos partiales.

ARTICVLVS VII.

Vtrum pęna quæ requiritur ad deletionem peccati debeat esse voluntaria.

Dvplex punitio, considerari potest, vna qua culpa deletur, & altera qua non deletur, quod autem sit aliqua pęna, qua culpa non deletur, patet primo de pęna damnatorum, nam damnati pęnam patiuntur, & tamen nullum eis peccatum remittitur. Patet secundo de illa pęna, quæ statim sequitur culpam, de qua Diuus Augustinus libro 1. confe. c. 12. dixit. Iussisti Domine, & ita est vt pęna sit sibi quisque peccator. Et Iuuenalis satyra 13. Prima est hæc vltio quod se iudice nemo nocens absoluitur, &c. quod etiam sit aliqua pœna, qua deletur peccatum, patet ex superiori articulo, inter autem has pœnas nullum aliud potest assignari discrimen nisi, quod vna est voluntaria, altera verò non. Vnde ad deletionem peccati regulariter requiritur punitio voluntaria, & hoc probatur dupliciter. Et primo sic pœna damnatorum longe maior est, & intensiue, & extensiue, quam punitio viatoris, cuius peccatum deletur per punitionem, & tamen vt diximus, & est de fide certum, quod punitio damnatorum non delet peccatum, ergo quod pœna sit maior, vel minor intensiue, & extensiue, nihil refert ad delendum, vel non delendum peccatum, atque adeo pœna voluntaria est quæ delet peccatum. Idem patet de pęna illa, quæ est in viatoribus de qua loquitur Diuus Augustinus vbi supra, nam omne peccatum est pœna peccati, quia omnis priuatio boni commodi est pœna, peccatum autem cum sit carentia rectitudinis, quæ est iusta, est priuatio boni iusti, quod bonum est magis homini conueniens, quam bonum commodum, ergo sequitur quod peccatum sit pœna, & tamen hæc pœna non est deletiua culpæ, cum non sit voluntaria. Et si dicatur ergo, Idem erit culpa, & pœna, Dico cum Magistro Sent. quòd actus culpabilis duobus modis consideratur, vno modo actiue pro quanto est in potestatate voluntatis, & vt sic dicitur culpa. Alio modo passiue pro quanto dicit carentiam rectitudinis, & vt sic dicitur pœna. Vnde nullum est inconueniens, quod idem actus sit pœna, & culpa respectu diuersarum habitudinum.

Punitio est duplex.

D. Augusti.

Iuuena. is.

Augusti.

Magi. sent.

Secundo probatur conclusio, a simili: nam si homo offensus non placatur, ea pœna, quam ille, qui offendit inuitus sustinet, & remurmurat, sed ea quæ voluntarie suscipitur ab eo, qui offendit propter offensam commissam. Sic etiam Deus placatur his pœnis, quæ voluntarie tollerantur ab his, qui peccata admiserunt. Rationabile est ergo, quod si per aliquam pœnam debeat deleri offensa, & per aliquam non, & differentia quo ad hoc non sit ita probabilis per aliquid, sicut per voluntarium, & inuoluntarium, quod pœna voluntaria regulariter requiratur ad deletionem peccati.

Vnde infertur, quod dupliciter culpa ordinatur per pœnam, culpa enim manens ordinatur per pœnam concomitantem, sed inuoluntariam, atque ita non deletur peccatum per eam, qualis est illa pęna de qua Diuus Augustinus vbi supra, & qualis est etiam damnatorum pœna, quæ ab inuitis, & remurmurantibus sustinetur, culpa tamen ordinata per voluntariam pœnam deletur per illam.

Culpa dupliciter ordinatur per pœnam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum pœna esse possit voluntaria.

Ratio dubitandi est, quia de ratione pœnæ esse videtur, quod sit inuoluntaria: nullus enim sentit pœnam de illa re, quam ipse vult euenisse, sed pœnam sentimus de his, quæ nobis nolentibus accidunt, ergo contradictionem inuoluit pęnam esse voluntariam, & confirmatur, quia sicut nullus peccat in eo, quod non vult, ita nec punitur in eo, quod vult.

Pro huius dubij solutione obseruandum est, primo quod pœna significat disconueniens quodcumque, vel incommodum, vnde quæcumque afflictiones etiam corporis vocantur pœnæ, propriè tamen significat tristitiam, quæ tristitia est in voluntate, sine qua exteriora incommada non habetent rationem pœnæ: tristitia enim quæ est ex parte intellectiua, & quæ proprie, & primo est pęna, est primum disconueniens de qua dicit Diuus Augustinus, libro 14 de ciuitate. c. 15. quòd tristitia est dissentio animi alijs rebus, quę nobis nolentibus acciderunt.

Pœna quid significet.

D. Augusti.

Secundo obseruandum est, quod pœna potest esse voluntaria, vt hic docet Doct. tribus modis. Primo quia libere sustinetur. Secundo quod libere acceptatur. Tertio quia libere causatur. Et quidem in secundo modo plus est voluntatis, quam in primo, nam qui libere acceptat pœnam, libere sustinet eam, & non èconitra, & in tertio est plus voluntatis, quam in primo, & secundo, nam qui voluntarie in se ipso causat pœnas voluntarie, etiam sustinet, & acceptat, & non èconitra. Illud autem dicitur voluntarie sustineri, quod patienter sustinetur, adeo quod voluntas non remurmurat sicut legitur de S. Iob. Illud dicitur voluntarie acceptari, quod propter aliquem finem gratanter sustinetur, sicut legitur de B. Paulo, Qui dicebat quis separabit nos a charitate Christi &c. Illud verò dicitur voluntarie causari, ad quod voluntas voluntarie concurrit, quod duobus modis contingere potest. Primo vt causa proxima partialis, & non intendens istum effectum. Secundo vt causa remota principalis istum effectum intendens. Causæ proximæ partiales, verbi gratia Tristitiæ sunt duæ, nempe volitio disconuenientis, & illius consideratio: nam posita consideratione alicuius disconuenientis, & eius nolitione, statim sequitur tristitia, & hoc naturaliter, quemadmodum

Pœna potest esse voluntaria trib modis.

appro-

approximato combustibile ad ignem, statim sequitur combustio.

Causa remota est ipsa voluntas præcipiens intellectui, vt consideret disconuenientens, & sibimet ipsi, vt disconueniens nolit. Vnde possumus ponere quartum membrum cum alijs prædictis, id est, quod pœna dicitur voluntaria, quia libere causata a voluntate tamquam a causa remora, itaque habeantur quatuor membra, & hæc quatuor membra non coincidunt, sed sunt inter se distincta, quia in primis duobus modis tristitia est obiectum tantummodo volitionis, & non effectus, nam qui libere sustinet tristitiam, & qui libere eam acceptat habent tristitiam pro obiecto, quod sustinetur, & acceptatur; in tertio tristitia est effectus tantum, & non obiectum, nam consideratio, & nolitio incommodi existentis causant tristitiam. In quarto, Tristitia est obiectum, & effectus, est obiectum quatenus voluntas præcipit intellectui, vt existens incommodum consideret, & sibimet ipsi, vt illud nolit, & per consequens tristetur; est effectus quatenus voluntas est causa remota illius.

Tristitia, quæ est prima pœna quo modo possit esse voluntaria. His obseruatis explicat Doct. quomodo tristitia, quæ est prima pœna sit voluntaria his quatuor modis, & primo explicat quomodo voluntariè sustinetur, & acceptatur iuxta duos primos modos, & primo potest esse voluntaria primo modo, quia patienter, & voluntarie tollerata, nam cum voluntas posset eam dimittere, & non deponat voluntarie eam sustinet; omne enim malum incommodum, quod non est contra rectam rationem, potest non tantum absolute patienter, sed ordinate patienter sustineri. Tristitia autem de peccato est incommodum, quod non est contra rectam rationem, ergo potest nedum patienter, sed etiam ordinate patienter tolerari, atque adeo libere. Secundo potest esse voluntaria secundo modo: quia voluntas per actum reflexum super eam acceptat illam, & tristitia vt sic est obiectum illius acceptationis, quæ est omnino libera, & nedum absolute potest voluntas illam acceptare, sed etiam in ordine ad aliquem finem, vt dicit Diuus
D. August. Augustinus libro de pœnitentia, peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat, ergo signum est, quòd talis tristitia potest esse voluntaria, cum aliquis possit de habendo illam gaudere.

Secundo explicat Doct. quomodo tristitia sit voluntaria alijs duobus modis, hoc est quomodo voluntarie causetur. Et dicit quod huius tristitiæ duæ sunt causæ partiales, & proximæ, vna est consideratio existentiæ alicuius mali, altera est nolitio existentiæ eiusdem mali, iuxta descriptionem tristitiæ præmissam ex Diuo Augustino, vt si quis nollet peccasse, ex eo quod videt se commisisse, quod commisisse nollet, tristatur; huius tristitiæ duæ sunt causæ partiales, intellectus quatenus est causa considerationis, & voluntas quatenus est causa nolitionis peccati, nam quicquid est causa nolitionis est causa partialis ipsius tristitiæ, licet non intendat per nolitionem causare tristitiam, nec etiam oportet intendere, istæ autem duæ causæ, id est, consideratio existentiæ alicuius mali, & eiusdem mali existentis nolitio, quandocumque concurrunt quantum est ex se causant tristitiam, sicut effectum naturaliter consequentem.

Et hoc quantum ad tertium modum, & ex tertio declaratur. quartum membrum: ex quo enim tristitia sequitur, vt effectus naturalis nolitionem alicuius, & considerationem actualem illius noliti, licet illæ duæ causæ multipliciter possint concurrere, quia ex tot causis ex quot potest esse talis consideratio actualis in intellectu, & talis actualis nolitio in voluntate nimirum, vel propter timorem gehennæ, vel propter desiderium Beatitudinis, vel propter Deum super omnia dilectum &c.

Tamen nihil vnum potest esse causa tristitiæ, loquendo de naturali causatione, nisi possit esse causa concursus istorum duorum, quæ sunt causæ proximæ naturaliter necessariæ, huiusmodi autem causa communis potest esse voluntas.

Nam potest voluntas esse causa totalis tristitiæ imperando intellectui, vt sit in actuali consideratione, & sibi apti vt sit in actuali nolitione peccati, & tale imperium est causa totalis tristitiæ, quatenus in sua potestate, atque in suo arbitrio habet coniungere causas partiales, & proximas tristitiæ, & hoc in ordine ad illum finem intentum, vt licet sequatur tristitia puniens. Voluntas ergo præcipiens intellectui, considerare aliquid, vt actu existens, & voluntati nolle illud actu existens, causat tristitiam tamquam vna causa, etiam intendens istum effectum, & hoc non vt proxima; quia non potest esse causa vna sufficiens proxima, sed causat tristitiam, vt vna causa remota; quia non immediate, sed medijs consideratione, & nolitione peccati; causat tristitiam. Est enim causa proximarum causarum tristitiæ, nempe considerationis, & nolitionis, & applicationis earum.

Vnde patet differentiam inter nolitionem peccati, & illud voluntatis Imperium. quoniam nolitio peccati non habet tristitiam pro obiecto. neque enim voluntas illo actu tristari vult, sed solum nolle peccasse, & habet tristitiam, pro effectu naturaliter consequente, veluti causa eius partialis.

At verò Imperium illud habet pro obiecto tristitiam, quia illa, actu voluntas vult tristari, vt propter commissum peccatum per tristitiam se affligat, & cruciet, habet etiam tristitiam pro effectu, velut causa totalis remota, vt dictum est. Ex his ergo patet, quod tristitia potest esse voluntaria, quatuor prædictis modis, est enim voluntaria: quia voluntarie causatur a voluntate, tamquam a causa remota applicante causas proximas.

Secundo est voluntaria, quia voluntas voluntarie elicit causas proximas illius, nempe detestationem, nolitionem, & odium peccati, quod idem est, & considerationem de peccato, & quia voluntarie acceptatur, & patienter sustinetur, quoad tertium, & quartum modum.

Vnde ad argumentum in oppositum respondet Doctor, quod tristitia quæ est prima pœna, est voluntaria, & inuoluntaria, voluntaria quia conformis est cum voluntate, quatenus propter amorem iustitiæ voluntas eligit tristitiam qua se cruciet propter commissum peccatum. Inuoluntaria est quatenus discordat a voluntate amante proprium commodum, & delectationem, quæ illi naturalis est. Sicut mors Christi Domini fuit voluntaria, & inuoluntaria, voluntaria quatenus erat conformis voluntati amanti redemptionem humani generis, quæ per mortem erat perficienda. Inuoluntaria verò quatenus discordabat a voluntate naturali amante vitæ propriæ conseruationem, indeque in illa verba prorupit. Pater si possibile est transeat a me Calix iste, hoc enim a voluntate processit amante vitæ conseruationem, fuit nihilominus mors eius voluntaria simpliciter; quia electa omnibus circumstantijs pensatis. Inuoluntaria autem secundum quid, quia nollet mortem nolitate quadam, sicut ille qui proicit merces in mare, vt tempestatem euadat, absolute vult proijcere, nollet tamen proijcere; ad rationem ergo pœnæ non requiritur, quod sit inuoluntaria simpliciter, sed satis est, quod sit inuoluntaria secundum quid.

Dico præterea, quòd non est de ratione pœnæ, quod sit inuoluntaria, atque adeo quando dicitur, nullus sentit pœnam de illo, quod vult, conceditur, quando vero colligitur, ergo pœna est inuoluntaria, negatur, solum enim sequitur, quod illud, de quo est pœna, est inuoluntarium, neque enim ego pœnam accipio de voluntaria pœna: immo verò de pœna voluntaria gaudeo, iuxta illud D. Augustini libro de pœnitentia, peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat, peccatum igitur, de quo doleo, & pœnam accipio, inuoluntarium est, ex dictis ergo constat pœnam voluntariam requiri ad peccatum delendum, & quibus modis contingat pœnam esse voluntariam.

ARTI.

ARTICVLVS IX.

Vtrum pœnitere idem sit quòd pœnam tenere.

CErtum est quo ad hanc difficultatem, quòd pœnitentia non est tristitia de peccato, quia tristitia non est pœnitentia, imo est ipsamet pœna, nam pœnitentia, idem est quòd pœnæ tenentia, pœnam autem tenere non est idem quòd pœnam recipere, vt eius subiectum, sed est habere aliquem actum quo pœna teneatur, quòd ostendit Christus Dominus, Lucæ 13. vbi dixit.

D. Thomas. Nisi pœnitentiam habueritis omnes simul peribitis, illud autem habere, seu tenere dicimur, vt etiam D. Thom. annotauit. 1. p. q. 38. art. 1 in corpore quæstionis, quòd in nostra est potestate, ex quo sequitur quòd pœna non est pœnitentia, quia pœna solum dicit passionem affligentem, pœnitentia autem dicit actionem, qua hæc pœna tenetur. Actiones verò quibus pœna tenetur, sunt illi quatuor actus voluntatis, de quibus dictum est in superiori articulo.

Pœnitere bifariam sumitur. Quapropter obser. est, quòd pœnitere potest dupliciter accipi, vno modo pro toto aggregato totius pœnitere, & tunc importat nouem, scilicet quatuor actus voluntatis, quatuor volita, & ipsam punitionem. Vnde primus actus quem habet voluntas, est velle imperatiuum, siue efficax, quo voluntas vult detestari peccata sua, & quo imperat causas pœnæ eas adinuicem coniungendo scilicet apprehensionem peccati, & nolitionem ipsius; secundus actus est detestari peccata idest nolle ipsum, quo voluntas nollet peccasse; & istud nolle dicitur causa non intendens idest non libere, sed naturaliter producens tristitiam, sicut ignis non producit libere calorem, sed naturaliter. Tertius actus est quo voluntas postquam causata est tristitia, vult illam acceptare iam inflictam. Quartus actus est, quo patienter vult sustinere illam punitionem, & hæc quatuor sic breuiter explicantur; Vindicare commissum; Detestare commissum, acceptare pœnam inflictam, & patienter ferre pœnam inflictam.

Secundo obser. est, quòd his quatuor actibus, correspondent alia quatuor ex parte termini volitionis, nam in quolibet actu est vnum volitum; quòd est tertius, seu obiectum volitionis, & considerando illa quatuor volita apparet quòd sunt diuersarum rationum, siue specierum, nam licet supponant pro eodem scilicet pro tristitia, habent tamen diuersas connotationes, quia connotant illas quatuor volitiones, quæ inter se diuersæ sunt, nam aliud est velle vindicare peccatum à se commissum, aliud illud detestari; aliud gratanter acceptare tristitiam, seu pœnam inflictam; & aliud patienter ferre illam.

Atque adeo cum istæ sint quatuor volitiones diuersæ, eis correspondent quatuor volita diuersa, saltem ratione, quæ dicuntur obiecta seu termini volitionum, nimirum ista, volitum à voluntate vindicante, seu causante; volitum à voluntate detestante; volitum à voluntate gratanter acceptante; & volitum à voluntate patienter sustinente; & ista quatuor volita supponunt pro eodem scilicet pro tristitia, connotant tamen diuersa; nempe illas quatuor volitiones, quòd sic patet, quia complexum hoc, scilicet volitum à voluntate vindicante, supponit pro tristitia volita, connotando, quòd illa accipiatur per modum vindictæ, similiter hoc complexum, volitum à voluntate detestante, supponit pro tristitia volita, connotando quòd accipiatur per modum detestationis, atque ita proportionabiliter dicatur de alijs.

Ex quo infertur primo quòd non est idem punitio, & velle punitiuum: nam punitio est tristitia, quæ est vna passio, quæ non est bona nec mala de se, sed velle punitiuum est vnus actus. Secũdo sequitur, quòd si sit aliquod nomen impositum, ad significandum ipsam punitionem scilicet tristitiam, & ipsam volitionem, non significabit illa duo vniuocè, sed æquiuoce. Tertio sequitur, quòd accipiendo illa quatuor sicut prius accepimus, nempe pro quatuor volitionibus, adhuc iste terminus pœnitere est æquiuocus ad illa quatuor.

Et si quæratur quòd istorum debeat magis dici pœnitere, vel pœnitentia, idest vel tristitia, vel illæ quatuor volitiones; respondetur quod stando in rigore termini pœnitere solum dicitur de aliqua illarum quatuor volitionum, quòd patet secundum Ethymologiam nominis pœnitere, quòd est idem, quòd pœnam tenere, sed hoc quòd est tenere pœnam solum conuenit illis quatuor volitionibus, ergo illæ quatuor volitiones proprie debent dici pœnitere.

Ex his ergo patet quòd pœnitere idem est quòd pœnam tenere, & significat vnum de quatuor prædictis actibus, quibus voluntas tenet pœnam, quod patet discurrendo per singulos, nam secundum hos quatuor actus quadrupliciter definiri potest pœnitere.

Iuxta primum actum sic definitur. Pœnitere est vindicare peccatum à se commissum; siue est libera vindicatio peccati, siue velle peccatum vindicare, & applicare causas immediate producentes tristitiam; & patet quomodo est ibi tenere pœnã, quia applicare sibi ipsi pœnam, est tenere eam, & hoc potest intelligi siue applicet, vel infligat pœnam in effectu, vel in affectu; Dupliciter enim potest quis sibi pœnam infligere, atque pœnam tenere, vno modo in effectu, altero modo in affectu, Infligere pœnam in effectu, est quando actualiter sequitur, seu producitur ille effectus, qui dicitur tristitia; sed infligere seu tenere pœnam in affectu nihil aliud est, quam habere causas immediatas talis effectus scilicet tristitiæ; siue sequatur, siue non.

Nam contingit aliquando, quòd voluntas vult vindicare, applicatque causas tristitiæ, & tamen tristitia non sequitur; quia impeditur à causa naturali, vel quia talis non est dispositus, vel quia propter aliquod magnum gaudium impeditur. Sunt enim aliqui homines in quibus voluntas adeo nata est complacere appetitui sensitiuo, quòd magna cum difficultate possunt habere tristitiam, de quibus haud dicendum est quod non habeant pœnitentiam, quia vindicans non minus vindicat, & si quandoque non sequatur pœna, vel tristitia in effectu propter defectum alicuius causæ secundæ, dum tamen intendat æque, & iuste pœnam infligere, non enim est curandum quòd sequatur, vel non sequatur tristitia, sed solum quòd applicatæ sint causæ tristitiæ.

Ex secundo actu ita describitur pœnitere. Pœnitere est detestari, vel odisse peccatum à se commissum, vel displicentiam habere de hoc peccato à se commisso, & patet quomodo est ibi pœnam tenere; quia pœnitere est causa partialis ipsius pœnæ nempe tristitiæ, nam tristitia causatur immediate ex destatione, seu odio, vel ex nolle peccati commissi, ideo qui detestatur peccatum dicitur tenere pœnam, supple in sua causa proxima partiali, idest habet causam proximam pœnæ scilicet detestationem: & istud inquit Doc. potest intelligi, de nolle, vel detestari, vel displicentiam habere de hoc peccato sub propria ratione, vel in generali simul de quocumque peccato à se commisso, atque iterum de displicentia formali, vel virtuali.

Vnde obseruandum est, quòd aliquis potest detestari sua peccata dupliciter, vno modo in particulari, & distincte, alio modo in generali, & confuse. Ille autem detestatur peccata sua in particulari, & distinctè, quando circa quodlibet peccatum habet propriam detestationem; sed ille detestatur peccata sua in generali, quando vnica detestatione generaliter detestatur se peccasse, & omnia peccata à se commissa, vt si ego nollem peccasse quocumque peccato, iam peccatum luxuriæ detestor, verum non specialem illius rationem; peccata ergo remitti possunt nedum per specialem, verum etiam per generalem detestationem, adeo quod quæcumque detestatio, siue specialis, siue generalis sufficit ad deletionem peccati. *Detestari peccata potest quis dupliciter.*

Secundo obser. est, quòd aliquis potest detestari peccatum suum dupliciter, vno modo formaliter, alio modo virtualiter, atque adeo duplex est displicentia de peccato, vna formalis, altera virtualis, formalis est quando habeo realem nolitionem, quo nollem peccasse. Virtualis est quando habeo actum, ex quo illa nolitio peccati est causabilis. i. est aliquis actus voluntatis, ad quem nata est sequi displicentia de peccato, licet actualiter non sequatur: nam secũdũ Doc in 2. sent. d. 6. q. 2 Omnis nolitio causatur ex aliqua volitione, & oĩs amor cõcupiscẽtiæ ex amore amicitiæ; *Displicentia de peccato est duplex.* *Scotus.*

nolitio ergo causatur ex volitione: quia nihil odi, nisi pro quanto aliud amo, vt si odi Petrum, est quia diligo aliquid, cui iudico Petrum esse disconuenientem. Potest ergo aliquis habere aliquem actum amoris, ad quem nata est sequi detestatio peccati, si peccatum consideretur; vt aliquis diligit amore perfecto Deum, ad illum amorem perfectum nata est sequi detestatio peccati, si de illo peccato esset memoria; & tunc ista volitio scilicet amor perfectus Dei, dicitur esse virtualis displicentia, vel detestatio peccati; quia ad illum amorem nata est sequi displicentia de peccato, & habens illam volitionem detestatur peccatum virtualiter, idest habet actum virtualiter continentem actum detestatiuum; nam omnis causa virtualiter continet effectum, & quod dictum est de velle amicitiæ Dei, dicendum est etiam de velle martyrij propter Deum. Et vtraque displicentia idest tam formalis, quam virtualis, sufficit ad remittendum peccatum: de formali non est dubium, de virtuali autem declaratur exemplo D. Magdalenæ, cui dimissa sunt peccata multa: quoniam dilexit multum, ex quo patet quod propter perfectum Dei amorem potest dimitti peccatum, patet etiam de Santo Bonifatio, qui cum esset peccator maximus, videns martyres Christi patienter tollerare tormenta exclamauit Christianus sum, & statim mortuus est, ille actus formaliter non includebat detestationem peccatorum, sed tantum virtualiter. Sed de his prolixior erit sermo infra.

Quantum ad tertium actum potest sic pœnitentia definiri, pœnitentia est libera pœnæ pro peccato acceptatio, vel pœnitere, est pœnam inflictam pro peccato suo commisso gratanter acceptare, hoc est non remurmurando, vel non abijciendo cum posset, & patet quomodo hoc est pœnam tenere sicut obiectum tenere per actum voluntatis, talis enim pœnitens tenet pœnam tamquam obiectum, quia habet vnum actum voluntatis, nempe velle acceptatiuum, quòd fertur circa pœnam tamquam circa obiectum, & ideo tenet pœnam tamquam obiectum: sicut omnis actus tenet obiectum suum quando est præsens. Et est duplex acceptatio pœnæ scilicet formalis, & virtualis, formalis est velle actuale, quo actualiter volo illam pęnam habere; virtualis est acceptatio alicuius ad quòd nata est sequi acceptatio pęnæ, vt acceptatio Gloriæ æternæ, est acceptatio virtualis pęnæ: quia ad gloriæ æternæ acceptationem, nata est sequi acceptatio pęnæ; Vnde maxima est, quòd volitio mediorum ad finem includitur in volitione finis, & hoc maxime quando illa volitio est efficax; vtraque autem acceptatio, & formalis, & virtualis sufficit ad remittendum peccatum. Postremo describitur pęnitere, ex quarto actu in hunc modum pęnitere est pęnam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre; & de hoc patet quomodo est pęnam tenere; voluntas enim per hunc actum pęnam tenet, quatenus non reijcit illam per actum voluntatis, remurmurando, & recalcitrando contra illam, & illud pęnitere vocatur sustinere sub actione agentis infligentis pęnam se illi confirmando tenere, quòd est patienter ferre pęnam pro peccato inflictam.

Ex his sequitur, quòd omnis punitio voluntaria, continetur sub aliquo quatuor modorum pœnitentiæ, & quilibet istorum quatuor modorum sufficit ad remittendum peccatum post Baptismum commissum, quia per quemlibet illorum potest teneri pœna, & ex hoc sic arguitur. Omnis punitio voluntaria sub aliquo istorum quatuor modorum continetur; sed ad deletionem cuiuslibet peccati mortalis actualis post baptismum commissi, requiritur aliqua punitio voluntaria; ergo ad eius deletionem requiritur pœnitentia dicta aliquo illorum quatuor modorum.

ARTICVLVS X.

Vtrum Pœnitentia necessariò requiratur ad deletionem culpæ mortalis actualis post Baptismum.

PRo huius difficultatis resolutione obser. est primo, quòd illi quatuor actus in superiori articulo enumerati, non sunt ad inuicem essentialiter ordinati, quia posterius nominati possunt esse sine prioribus, & è conuerso, vnde quandoque velle vindicare peccatum est prius, seu primus actus, vt quando apprehenditur peccatum vt vindicandum, & statim sequitur velle vindicare, & præcipere intellectui considerare peccatum, vt malum, & sibi ipsi imperare vt eliciat detestationem, ad hoc vt sequatur tristitia puniens; imo potest voluntas velle vindicare peccatum pœna exteriori, & tamen non habere displicentiam peccati; sicut nonnulli nolentes dimittere peccatum, nihilominus assumunt aliquam satisfactionem, nempe ieiunium, vel laborem pro peccato, quòd tamen placet.

Potest etiam pręcedere detestatio peccati, & deinde quia displicet peccatum sequi velle punire; Verum dum actus illi sunt ordinati, & circumstantionati, & vestiti circunstantia vltimi finis, regulariter videtur præcedere actus detestationis. Apprehensio enim peccato vt Dei offensiuo, statim sequitur nolle peccati vt Diuinæ maiestatis offensiui; & hoc nolle, & prædictam apprehensionem, naturaliter sequitur tristitia; & hanc acceptationem eius, & hanc sequitur velle vindicare ipsum, quia à Deo præceptum, vel pœna interiore eam augendo, vel continuando, vel pœna exteriore vt confessione, & satisfactione.

Vnde quandocumque peccatum apprehenditur vt vindicandum tamquam Deo displicens, statim displicet voluntati Deum diligenti, & non potest elici velle vindicare quia Dei offensiuum, quin præcedat detestatio peccati, cæterum inter detestationem, & tristitiam consequentem est ordo essentialis, quia necessario detestatio præcedit tristitiam, vt causa effectum.

Secundo obseruandum est, quòd ad deletionem peccati non sufficiunt actus pœnitentiæ prædicti quomodocumque se habentes, neque eorum singuli, neque simul omnes; patet quia actus isti non requiruntur ad remissionem peccati, vt causa remittens principalis, quia hoc solius est Dei. Solus enim Deus remittit peccatum, vt causa principalis, neque vt causa formalis: quia hoc est gratiæ, concurrunt ergo vt causa dispositiua subiecti idest peccatoris ad suscipiendam gratiam, per quam formaliter remittitur peccatum, cæterum adhoc quòd pœnitentia sit dispositio congrua, requiritur, quod sit debitè circumstantionata, & maximè circunstantia finis; sed illi actus diuersis finibus possunt circunstantionari: interdum propter fines honestos, interdum propter fines vitiosos, quandoque indifferentes. Potest enim voluntas peccatum velle vindicare, detestari, pœnam assumere, & in his complacere, aut patienter ferre, vel propter pœnam æternam, vel temporalem solum, vel propter priuationem præmij, vel propter peccati turpitudinem præcisè, vel propter confusionem, & contemptum hominum, vel propter superbiam, vt alijs peccatoribus præferatur, aut propter vermis inquietudinem, aut tandem propter finem vltimum, quia est Dei offensiuum. Non possunt autem esse dispositio congrua si habeant finem inhonestum: quia sic ipsi sunt peccata, nec sufficientes sunt nisi circumstantionentur fine vltimo, quæ circunstantia requiritur ad omnem actum perfecte virtuosum, vel virtutis perfectæ generatiuum.

Tertio obser. est, quòd ad deletionem sola criminis detestatio sine alijs actibus pœnitentiæ bene circumstantionata sufficit, & nulli alij sine ea. Prima pars patet ex illo Ezechielis. 18. cõsiderãs, & auertẽs se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, & vita viuet, & non morietur; sed

pecca-

peccator per nullum actum ita auertitur à peccato, sicut per detestationem peccati, quæ est nolle peccasse, ille enim directè opponitur peccato, quod pro tanto est peccatum pro quanto voluntarium; nec potest stare cum complacentia peccati, cæteri autem omnes possunt stare cum complacentia peccati, potest enim quis velle vindicare peccatum, & etiam vindicare opere complacens in peccato, sicut nonnulli errantes, peccata à quibus recedere nolunt eleemosynis redimere nituntur.

Ex hoc patet secunda pars, quia cum alij pœnitentiæ actus quatenus sunt separati à detestatione peccati, possunt stare cum actuali complacentia peccati, atque ita cum peccato, non sufficiunt ad peccati remissionem: & si dicas si alius actus. v. g. velle vindicare peccatum fuerit bene circunstantionatus circunstantia vltimi finis, videtur quod sufficiat sine detestatione peccati, similiter de complacentia consequente tristitiam, seu dolorem de peccato. Dico, quòd quicumque actus pœnitentiæ circunstantionatus circonstantia finis vltimi includit actum detestationis peccati, quia non possum velle vindicare peccatum, quia Dei offensiuum, aut complacere in punitione propter eumdem finem, & non habere nolle respectu peccati vindicandi: si enim volo vindicare peccatum, quia contra Deum, ergo nolo quicquid est contra Deum, atque ita nolo peccatum.

Quarto obser. est, quòd pœnitentia est duplex, vt etiam diximus supra scilicet actualis, & habitualis, Pœnitentia actualis est actus actualiter vindicans, aut actualiter detestans peccatum commissum, vel gratanter acceptans, seu patienter sustinens pœnam pro peccato commisso, habitualis pœnitentia, est habitus ex huiusmodi actibus generatus, quo faciliter pœnitentia exit in actus consimiles. In proposito autem non loquitur Doc. de pœnitentia habituali, sed actuali.

Necessariū est duplex. Quinto obser. est, quod duplex est necessariū scilicet simpliciter, & ex suppositione, non loquimur hic de necessario simpliciter, cuius oppositum implicat contradictionem, sed de necessario ex suppositione, quòd concernit ordinem statutum à Diuina sapientia, quo ordine stante necessarium est conformiter ad illum operari.

His obseruatis. Dico primo ad delendum peccatum, pœnitentia non est simpliciter necessaria, necessarium simpliciter dico cuius oppositum est impossibile, & contradictionem inuoluens; Ratio, quia peccatum absolutam Dei potentiam potest Deus velle non punire peccatorem absque omni actione peccatoris, imo manentem in peccatis, ergo pœnitentia non est simpliciter necessaria; consequentia est nota, & antecedens probatur, quia huius oppositum non includit contradictionem. Item quia Deus potest velle non punire peccatorem ad tempus: non enim statim punit, ergo potest velle peccatorem non punire perpetuo, tenet consequentia, quia quicquid non repugnat Deo in tempore, etiam non repugnat perpetuo: quia repugnantia aliquorum non est ex tempore, sed ex natura rerum. Tum etiam quia Deus non alligauit potentiam suam remittendi peccatum, vel misericordiam faciendi ipsi pœnitentiæ dictæ secundum aliquem prædictorum modorum.

Dico secundo, quòd pœnitentia habitualis non est necessaria, etiam de potentia Dei ordinata ad deletionem, vel remissionem culpæ mortalis: patet quia alicui remittitur peccatum ad vnum solum actum contritionis vel pœnitentiæ, quæ est displicentia, vel detestatio ipsa peccati, ex quo tamen vnico actu non generatur habitus pœnitentiæ virtutis, nec est necessario elicitus à virtute, sed prior virtute, & generatiuus illius secundum aliquem gradum. Tum etiam quia pœnitere importat actum, & non habitum, quia idem est quòd pœnam tenere, tenere autem actionem dicit, & non habitum.

Dico tertio, quòd Deus secundum potentiam ordinatam potest culpam actualem remittere sine actu pœnitentiæ formaliter concurrente. Probatur primo in duobus casibus. Primus est si quis de commisso peccato oblito habeat ignorantiam inuincibilem. Secundus est si quis arctatur ad actum feruentiorem charitatis circa aliquod obiectum ipsum distrahens à cogitando de peccato commisso, vt si peccator subito rapiatur ad sæuissimum martyrium, nisi neget Christum, in quo casu arctatur ad insistendum toto conamine circa Christi confessionem, & actus martyrij, quibus distrahitur ne cogitet de peccatis commissis. In vtroque casu Deus remittit peccatum sine aliquo actu pœnitentiæ, quòd probatur. Nam nulli facienti quòd in se est disponendo se ad gratiam subtrahit Dominus gratiam, sed in vtroque casu potest peccator facere totum, quòd in se est, conuertendo se ad Deum sine actu pœnitentiæ, ergo vtrisque non deest Deus dando gratiam, & per consequens peccatorum remissionem, consequentia est nota cum maiore, & minor probatur, quia vterque potest diligere Deum super omnia ex toto corde absque aliquo actu respectu peccati commissi; Et hoc faciendo vterque facit totum quòd in se est; Nam nulla est perfectior, & immediatior dispositio ad gratiæ susceptionem quam dilectio Dei super omnia, quam potest quis habere absque hoc, quòd de peccato suo cogitet, & per consequens absque actu pœnitentiæ pro peccatis. Nec aliud vltra requiritur, quam pœnitentia peccatorum, sed hæc non requiritur, quia in primo casu excusat ignorantia inuincibilis, in secundo, Distractio necessaria à cogitatione de peccato, ergo nihil vltra facere possunt. Si dicas quòd in primo casu tenetur pœnitere in generali, nimirum si aliquid commisit. Dicit Ocham quòd tenetur pœnitere si sibi peccatum occurrat in generali; sed si absque sua negligentia sibi non occurrat non videtur quin possit remitti peccatum, si cogitat intensiue de Deo propter quam cogitationem non posset conteri de peccato in generali, nec in speciali. *Ocham*

Et confirmatur de Martyre, quia nullus excluditur à Regno Cælorum, qui facit illud, quod simpliciter est necessarium, sed est possibile aliquem vsque ad instans. A. extremum in peccato mortali ab instanti. A. necessitari ad toto corde insistendum, circa actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso, vt pote statim in expositio martyrio arctissimo, ergo &c. Dixi notanter in conclusione formaliter concurrente: quia licet in prædictis casibus constitutus non habeat actum pœnitentiæ respectu peccati, habet tamen actum ad quem sequitur pœnitentia, si occurrat peccatum in cogitatione, habet enim in se actum diligendi Deum super omnia, propter quem se ipsum exponit martyrio, quo maiorem dilectionem nemo habet, in quo virtualiter includitur actus pœnitentiæ: nam ad talem actum sequeretur pœnitentia, si occurreret peccatum; Non enim posset quis diligere Deum super omnia, & non nolle peccasse, si peccatum occurrerit in memoria. Intelligendum est igitur pœnitentiam requiri ad delendum peccatum regulariter loquendo, idest secundum regulas à Deo determinatas, quarum hæc est vna, quod peccatum commissum non deleatur sine displicentia de tali peccato commisso, adeo quòd regulariter, & vt in plurimum non remittitur peccatum sine detestatione.

Dico quarto, quòd existenti in peccato mortali post Baptismum commisso, ac de eodem conscientiam habenti, vel habere debenti, de potentia ordinata peccatum non dimittitur sine actu pœnitentiæ formali, vel virtuali. Dixi in peccato mortali: quia de venialibus forte non oportet, quæ etiam decedenti in eis remittuntur in futuro, vbi pœnitentia locum non habet, vt videbimus infra. Dixi post Baptismum comisso propter peccatum originale, quòd Infantibus remittitur in Baptismo, qui tamen pœnitentiam habere non possunt. Dixi de eodem conscientiam habenti, idest notitiam, seu memoriam propter dicta in tertia conclusione, quia de eo quod omnino non cogitatur pœnitentia haberi non potest. Dixi vel habere debenti propter peccata, quorum ignorantia imputatur ad culpam, vel ea quæ est vincibilis: quia illa sine pœnitentia non remittuntur. Dixi formali, vel virtuali: quia vt dictum est in tertia conclusione per actum vehementem Diuinæ charitatis, quando quòd potest dimitti peccatum sine pœnitentia formali, in illo tamen actu charitatis est pœnitentia virtualis, quatenus in Diuina acceptatione æquiualet actuali pœnitentiæ, & eam virtualiter includit. Hæc concl. sic explicata probatur primo ex locis supra citatis, in secundo articulo principali Veteris, & noui Testamenti, quæ auctoritates habentur ad oppositum, Secundo probatur, pœna voluntaria requiritur ad deletionem peccati post Baptismum commissi, sed in pœna voluntaria includitur aliquis ex prædictis actibus, quibus pœnam tenemus, ergo cum pœnitere sit pœnam tenere infertur manifeste pœnitentiam requiri ad delendum peccatum post

post Baptismum commissum. Et confirmatur: quia sicut peccatum auertit à Deo, & conuertit ad creaturam, ita rationabile est quod non deleatur nisi per motum oppositum auertentem à peccato scilicet à creatura, & conuertentem ad Deum detestando, & nolendo peccatum. Et praeterea sicut peccando qua fruitur homo delectatione in peccato, ita iustum est vt de peccato doleat, & tristetur, & ipsum poena afficiatur, vt à peccato liberetur, atque ita contraria curentur contrariis.

Contra hanc vltimam conclusionem sunt argumenta principalia Doc. Et primum est tale: nullum peccatum deletur per poenitentiam, Igitur poenitentia non est necessaria ad deletionem peccati, consequentia patet, & antecedens probatur: quia transeunte actu interiori, & exteriori, cessat esse peccatum, ergo statim, & sine poena deletur, assumptum patet: quia peccatum non est nisi deordinatio in actu exteriori, vel interiori. Respondetur negando antecedens, & ad probationem dico, quòd transeuntibus praedictis actibus transit quidem peccatum quo ad substantiam actus, caeterum non quo ad maculam, & obligationem ad poenam aeternam, atque adeo peccator transacto actu peccati, remanet dignus inimicitiae Dei, & obligatus ad poenam aeternam, quousque per poenitentiam deleatur talis dignitas, & obligatio ad poenam.

Secundo arguitur homo offensus potest remittere alicui offensam sibi ab eo illatam ex mera liberalitate sine aliqua poenitentia; ergo multo magis hoc conuenit Deo scilicet remittere peccata hominum absque poenitentia, qui est summe misericors: non enim Deus est minus potens, nec minus liberalis quam homo. Dico quod argumentum non probat nisi de potentia Dei absoluta, & hoc concessum est in prima conclusione huius artic. Et si arguas quòd de potentia ordinata potest, sicut homo natus. Dico quòd Deus posset sine omni poenitentia remittere peccatum, & deceret si ita ordinasset; modo autem decet illud, quod ipse ordinauit propter congruentias positas in quarta quaestione huius art. Nec est simile de homine, & de Deo: quia homo est mutabilis, quando enim offenditur vult se vindicare, tamen postea mutatur eius voluntas; At Deus est immutabilis; & quoniam ab aeterno habuit velle quo volunt talem esse puniendum pro tunc, pro quo quis peccauit, idest pro tali peccato, & in tali tempore, & per consequens si in aeternitate vult aliquem puniendum esse, pro aliquo tempore, vult illum semper puniendum pro illo tempore, nisi aliquid in creatura mutetur. Remissio ergo peccati non est per mutationem voluntatis eius, quia voluntas eius, & in se, & in actu volendi, tam absoluta, quam in quantum transit super obiectum permanet vniformis, sed est per mutationem in peccatore, &c.

Tertio arguitur, Poenitentia non valet ad delendum peccatum, ergo non est necessaria, antecedens patet per D. Augustinum dicentem, quòd damnati habent maximam poenam, & tamen ipsis nihil prodest. Ita enim inquit D. Augustinus hom. super illud Math. 5. Estote misericordes loquens de damnatis; Erit & tunc poenitentia, sed tamen infructuosa; quòd probat per illud dictum de damnatis sapientiae scilicet Poenitentiam agentes, & prae angustia spiritus gementes &c. Et si dicas quòd ideo poenitentia est infructuosa damnatis: quia non sunt viatores, nec sunt in statu merendi; poenitentia autem valet homini quam diu homo est in hac vita, sed non post. Contra arguit auctoritate D. Hieron. & habetur de poenitentia. d. 3. Nihil Iudae profuit egisse poenitentiam per quam scelus emendare non potuit; & tamen Iudas erat viator, ergo poenitentia non valet etiam in viatoribus ad delendum peccatum.

D. August.

D. Hieronymus.

Respondetur quòd poenitentia damnatorum iden non valet, quia verè non poenitent: quia nec poenam tenent, cum non sit ibi voluntarium, sed temeritatio, de ratione autem poenae est quatenus est deletiua peccati, quòd sit voluntaria vt diximus supra articulo septimo & octauo. Ad illud quod obiicitur de Iuda, Dico quod non quicunque actus poenitendi sufficit ad deletionem peccati, sed oportet quòd sit actus ordinatus, & maxime ex circunstantia finis, quae est prima inter circunstantias actus moralis; Iudas autem non poenituit cum ista circunstantia. t. ex dilectione Dei; imo in sua poenitentia habebat pro obiecto desperationem, & diffidentiam de misericordia Dei.

Quarto arguitur, Poenitentia non valet ad delendam culpam, ergo non necessario requiritur, Probatur antecedens, illud per quod deletur peccatum mortale debet esse maius bonum; vel saltem aeque bonum, quam peccatum illud sit malum, sed poenitentia, est minus bonum quam peccatum mortale sit malum, ergo non valet ad delendum peccatum; Maior patet, quia non recompensatur malum, nisi per bonum aequale illi, quòd tollit; Minor probatur: quia poenitentia est bonum finitum, peccatum autem mortale est malum infinitum, vt patet per illud Ansel. lib. 2. Cur Deus homo. c. 5. tantum malum est peccatum, quantus est qui offenditur, vel in quem committitur, sed ille est infinitus: quia est Deus. Tibi enim soli peccaui, ergo &c.

D. Anselm.

Respondetur quod poenitentia vel poenitens potest reddere aequiualens bonum malo peccati, nam malum peccati consistit in auersione à fine, ergo bonum reducens conuersionem in finem, ita autem perfectè conuersio in Deum actus conuersionis, sicut auertit à Deo actus peccati, & sicut in actu conuersionis non est realiter bonitas infinita, ita nec in actu peccati malitia intensiua infinita, non enim peccatum est malum infinitum formaliter: quia non priuat bonum formaliter infinitum; non priuat enim nisi actum rectum, vel circunstantiam rectitudinis in actu, quae est aliquid creatum, & finitum; & si dicas offensus est infinitus, ita dico, quod placatus per poenitentiam est infinitus, & sicut tanta est offensa, quantus offensus, ita pari ratione tanta est placatio poenitentiae, quantus est placatus, & planum est, quòd non oportet placationem esse infinitam formaliter intensiue; sicut ergo est peccati infinitas, & malitia in peccato propter infinitatem ipsius obiecti, à quo peccatum auertit; ita & bonitas per oppositum in actu conuersionis potest dici infinita propter infinitatem obiecti, ad quod actus bonus conuertit. Caeterum hoc modo non est nisi infinitas participata, vel magis secundum dici, siue extrinseca denominatione, propter infinitatem realem, & simpliciter in ipso obiecto.

QVAESTIO II.

Vtrum actus poenitendi requisitus ad deletionem peccati mortalis sit actus alicuius virtutis.



Aetera sacramenta cum sint Dei instrumenta supernaturaliter instituta, per se non sunt virtus, at poenitentiae sacramentum hoc singulare, & speciale habet, quod sit simul, & sacramentum, & virtus, nam poenitentia de qua hic loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis; nam praecepta legis non dantur nisi de actibus virtutum; quidem legislatoris propositum, vt 2. Ethy. legitur, non est nisi ciues facere studiosos, praeceptum autem diuinae legis est de poenitentia secundum illud Math. 4. Poenitentiam agite; est ergo poenitentia virtus. Et hoc est praesuppositum huius quaestionis. Non enim quaerit Doc. an poenitentia sit virtus, sed an poenitere sit actus virtutis quae est poenitentia. Vnde obserua, quòd virtus non est actus, sed habitus electiuus secundum rectam rationem ex 2 Ethy. idest, est habitus inclinans ad operandum secundum dictamen rectae rationis; actus autem non est virtus, sed actus virtutis, hoc est, vel generat virtutem scilicet habitum studiosum, vel est genitiuus à virtute, ratio est, quia à virtute dicitur aliquis studiosus, sed propter vnum actum rectum non dicitur aliquis studiosus, nec propter malum dicitur vitiosus, sed propter frequentiam actuum ex quibus generatur habitus, ac per inde virtus, à qua aliquis dicitur studiosus non est actus, sed habitus.

Poenitentia est sacramentum & virtus.

Virtus quid sit.

Secundo obseruandum est, quod haec quaestio in duas secatur partes, In quarum prima disquirit Scotus per quatuor actus poenitendi, quos enumerauimus proxima quaestione, & de singulis declarat an pertineant ad virtutem, & ad quam; In secunda verò explicat quomodo isti actus poenitendi se habeant ad delendum peccatum. Sed Nos pro maiori huius quaestionis explicatione secamus illam in sequentes decem articulos.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS PRINCIPALIS.

IN hoc primo articulo discurrit Doc. per quatuor actus pœnitendi, quos enumerauimus proxima q. & de singulis declarat, an pertineant ad virtutem, & ad quam, & primo hoc declarat de imperio illo voluntatis, quod est causa remota tristitiæ; vnde pro explicatione maiori hunc art. diuidimus in sequentes articulos partiales.

Primus Art. Vtrum pœnitere prout est velle vendicare peccatum sit actus alicuius virtutis.

Secundus Art. Vtrum pœnitere prout idem est, qui velle vindicare peccatum sit actus specialis virtutis.

Tertius Art. Vtrum velle vindicare peccatum sit actus virtutis intellectiuæ, vel appetitiuæ.

Quartus Art. Vtrum velle, punire peccatum sit actus iustitiæ, vel amicitiæ.

Quintus Art. Vtrum actus iste iustitiæ punitiuæ, sit superior, siue nobilior actu charitatis.

Sextus Art. Vtrum nolitio, seu detestatio peccati sit actus virtutis specialis.

Sextus Art. Vtrum pœnæ acceptatio, & patienter tollerare pœnam sit actus specialis virtutis.

Octauus Art. Vtrum contingat excedere in nimis pœnitendo, hoc est, in nimis detestando peccatum, vel vindicando.

Nonus Art. Vtrum pœnitentia sit virtus infusa, vel acquisita.

Decimus Art. Vtrum Pœnitentia fuerit in Adamo in statu innocentiæ, vtrum etiam in paruulis cum baptizantur, & an in Beatis, & specialiter in B. Virgine, & Christo domino.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum pœnitere prout est velle vendicare peccatum sit actus alicuius virtutis.

Interior pœnitentia sumitur quinque modis. INterior pœnitentia de qua est hic principaliter sermo, accipitur quintupliciter, Primo pro imperio voluntatis, quo ipsa voluntas imperat intellectui, vt reductis peccatis ad memoriam consideret eorum malitiam, & deformitatem, & ipsamet voluntas imperat sibi, vt detester illa. Secundo accipitur pro ipsa nolitione, & detestatione peccatorum, quando voluntas hunc elicit actum scilicet nolle peccasse. & hic actus sequitur ex primo. Tertio accipitur pro tristitia, & anxietate, quam patitur peccator, & ista pœnitentia non est actus, aut operatio voluntatis, sed quædam passio, quæ sequitur ex detestatione, & nolitione peccatorum; quia vt dicit D. Augustinus. Tristitia est passio ex his quæ nobis nolentibus accidunt. *D. August.* Quarto accipitur pœnitentia pro acceptatione huius tristitiæ, quando peccato accepiat illam tristitiam congaudendo in illa; de qua acceptatione inquit D. Augustinus. Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat. Velle enim habere dolorem, est pœnitere; quia est velle habere pœnam scilicet accipitur pœnitere, vt idem est quòd libenter ferre flagella nobis inflicta à Deo propter peccata. Hanc legimus. 1. Reg. 3. Heli sacerdotē habuisse; cui cum Deus per Samuellem minaretur pœnam propter negligentiam in puniendis filijs respondit, Dominus est quòd bonum fuerit in oculis suis faciat. Vbi inquit glossa, quòd hæc pœnitentia Heli fuit sufficiens ad remissionem peccatorum: quia patienti animo acceptauit pœnam sibi infligendam à Deo.

Hoc præsupposito dico, quòd pœnitere primo modo accipiendo illud pro imperio voluntatis est actus virtutis. Probatur primo omnis actus qui est conformis rectæ rationi potest esse actus alicuius virtutis, sed pęnitere primo modo accipiendo illud pro imperio voluntatis est conformis rectæ rationi, ergo potest esse actus alicuius virtutis: Maior patet nam bonitas intrinseca, & formalis actus moralis, est conformitas ad rectam rationem, seu ad rectum dictamen rationis, quo ad bene agendum, & malum fugiendum; minor probatur summus legislator secundum rectam rationem, punit transgressores legis suæ; atque adeo Arist. ex Ethy. c. vltimo post doctrinam de vitijs, & virtutibus statim introducit legem positiuam, tamquam vltricem vitiorum, & præmiatricem virtutum ergo eius minister secundum rectam rationem punit eos, quorum punitio est sibi commissa à supremo legislatore; patet consequentia quia Minister iustè exequitur, quòd iustè Iudex præcipit; nam vniuersaliter rectitudo in actu subministrationis est ex conformitate eius ad agens, cui subministrat; sed vnicuique homini, qui offendit Deum, in præsenti vita commissa est punitio sui ipsius à Deo, tamquam ministro, ergo vnusquisque secundum rectam rationem se punit post peccatum; at verò homo potissimum se punit illo imperio, quo coniungit causas partiales punitionis, ergò illud imperium est conforme rectæ rationi, & per consequēs actus virtutis. Vis, & robur huius rationis in hoc consistit, quod secundum rectam rationem sicut bonum est præmiandum, ita malum est puniendum; atque adeo puniens malum (& maxime si à legislatore hoc est sibi commissum) facit actum rectæ rationi conformem: quoniam sicut legislator iudicans transgressionem legis agit rationabiliter, & secundum rectum dictamen rationis, ita & eius Minister exequens legislatoris voluntatem similiter rationabiliter agit, & secundum rectum dictamen rationis, atque adeo velle vendicare peccatum in seipso est actus secundum rectam rationem, quia elicitur conformiter ad voluntatem legislatoris. Deus autem est legislator, qui vult secundum suas leges æternas peccatorem punire, eo quòd peccans transgreditur eius legem, & licet ipse immediate posset peccatorem punire, tamen commisit hoc ministris suis nempe ipsismet peccatoribus, vnicuique enim peccatori commissum est esse ministrum Dei ferentis legem, vt vnusquisque in seipso vindictam sumat de peccatis suis, quæ contra Dei legem commisit, & per consequens imperium illud, quo coniungit causas partiales punitionis, est conforme voluntati supremi legislatoris, atque ita actus virtutis.

Obser. est tamen quòd pœnitere non dicit solum, & præcise vendicare peccatum, sed cum hoc connotat peccatum illud esse commissum, ab ipsomet vindicante seu puniente; quod patet ex nominis interpretatione. Pœnitere enim est pœnam tenere, ille autem pœnam tenet, qui sibi ipsi eam tenet, atque obligatur sibi ipsi dare pœnam; ex quo sequitur quòd licet Deus suas transgressionem legis vindicet in peccatore; tamen non dicitur pœnitere, quia in seipso pœnam non tenet. Nam tenere (vt inquit Doc.) quando non additur datiuus exprimens cui teneatur, significat quod sibi ipsi tenetur teneatur, atque adeo licet Deus puniat peccatorem, tamen non dicitur pęnitere: quia non sibi sed alteri pœnam infligit, at sibi pœnam infligens pœnitere dicitur, id est sibi pœnam applicando tenere.

Actus virtutis tripliciter accipi potest. Secundo obser. est, quòd actus virtutis potest tripliciter accipi, vel actus dicitur esse virtutis tripliciter, vno modo quia est elicitus ab habitu, qui est virtus. Secundo quia generat virtutem, & his duobus modis non oportet quod pęnitere sit actus virtutis: nam accidit actui virtuoso, quod producatur à virtute, vel quòd generet virtutem. Tertio modo dicitur actus virtutis, quia natus est generare, vel augere virtutem, & isto modo pęnitere est actus virtutis. Ex hoc sequitur quod quando dicitur in conclusione, quòd pœnitere est actus virtutis, nō est intelligendum esse actum virtutis quòd semper à virtute procedat, sed quòd procedit à virtute, vel virtus procedit ab ipso, sicut primus actus temperantiæ est actus virtutis, non quia à virtute procedit, sed quia virtus procedit ab ipso, ita pœnitere, quòd præcedit habitum, qui est virtus, non dicitur actus virtutis, eo quòd à virtute procedat: quia stat quòd aliquis verè pęniteat, & nullum habitum habeat: non enim oportet quando quis bene agit, quod semper ex virtute agat: quia accidit actui virtutis quantum ad per se rationem bonitatis moralis, quod sit à virtute genitus, vel virtutem generans, sed satis est vt elicitur conformiter ad rectum dictamen.

ARTICVLVS II.

Vtrum pœnitere prout idem est quod velle vindicare peccatum sit actus specialis virtutis.

PRo titulo quæstionis obs. est primo quòd virtus generalis est habitus inclinans ad actus plurimarum virtutum, veluti si aliquis ex multis actibus communicandi sua bona acquireret habitū donandi aliquādo liberaliter; aliqn̄ debitū; aliqn̄ eleemosynā talis habitus esset virtus gn̄alis. Virtus

autem specialis est habitus inclinans ad actum vnius specialis virtutis, vt habitus liberalitatis inclinat ad communicandum gratis sua bona cum mediocritate. quærimus ergo an pœnitere sit actus virtutis specialis ab alijs distinctæ, an generalis.

Secundo obs. est ex 2. de anima, quod virtutes quæ sunt habitus distinguuntur per actus, & actus per obiecta, obiectum autem est duplex scilicet materiale, & formale; materiale est res circa quam operamur; formale autem est ratio, quæ mouet nos ad operandum; V.g. in Elecmosyna, obiectũ materiale est pecunia, formale autem est quia damus eleemosynam, ad subleuandam aliorum miseriam. Habitus ergo virtutum distinguuntur per actus, & habitus per obiecta non materialia, sed formalia, dare enim eleemosynam, & dare alienum proprio domino, sunt duo actus duarum virtutum: quia distinguuntur per obiecta formalia, obiectum enim eleemosynæ idest ratio, quæ nos mouet ad dandum, est vt subueniamus indigenti; ratio autem quæ nos mouet ad restituendum, est vt seruemus æqualitatem reddendo vnicuique quòd suum est. Ex hoc sequitur, quòd illa specialis est virtus, quæ habet speciale obiectum formale, ideo enim habitus dandi eleemosynam est virtus specialis, quia ratio mouens ad eleemosynam, quæ est subuenire indigenti, non mouet ad vllam aliam virtutem, præterquam ad eleemosynam.

Tertio obs est, quòd malum culpæ, seu peccatum est materiale obiectum pœnitentiæ vt destruendum, seu vitandum, nam virtus pœnitentiæ est principium retractationis prioris facti, ita vt retractatio ex obiecto honesta sit, hæc autem retractatio versatur circa culpam commissam, & per consequens illa est materiale obiectum eius. Obiectum autem formale pœnitentiæ est Diuinum ius, quatenus ex peculiari debito iustitiæ seruandum est, cum enim pœnitentia sit quædam iustitia, & iustitiæ obiectum sit ius, sequitur quòd seruata proportione determinatæ iustitiæ obiectum proprium sit determinatum ius, vel est resarcitio, seu recompensatio diuinæ iniuriæ. Virtus namque pœnitentiæ inclinat ad destructionem peccati, intendens quantum est in potestate peccatoris cum auxilio Dei recompensare, vel resarcire Diuinam iniuriam; recompensatio ergo, vel resarcitio Diuinæ iniuriæ est ratio quæ mouet peccatorem ad vindicandum peccatum.

Quarto obs. est, quòd pœnitere requirit notitiam distinctam illius de quo aliquis pœnitet. Vnde quando aliquem pœnitet, multa sunt quæ se habent per ordinem. Primum est velle imperatiuum, imperans atque contingens causas tristitiæ adinuicem; Secundum sunt ipsæ causæ tristitiam ipsam causantes; Tertium est ipsa tristitia; Quartum est complacentia, & velle seu acceptatio illius tristitiæ; Quintum ex illo velle sequitur gaudium de illa tristitia, iuxta dictum D. Augustini. Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat V.g. Petrus peccauit peccato fornicationis, in pœnitendo hunc ordinem habet, primo habet velle imperatiuum, quo imperat causas tristitiæ, quæ sunt duæ, nempe fornicationis apprehensio, & nolle, seu odio habere fornicationem illam. Tum dico quòd velle illud imperatiuum, quo voluntas imperat intellectui, vt consideret, & apprehendat illam fornicationem, & sibimetipsi, vt illam detestetur, est primum; Secundum est apprehentio illius fornicationis, & nolitio, seu odium illius; Tertium est tristitia, quæ ex apprehensione fornicationis, & eiusdem nolitione causatur. Quartum est vnum velle, quo voluntas vult tristitiam illam habere. Quintum ad illud velle, quo vult habere tristitiam sequitur gaudium, & tunc verificatur dictum D. Augustini. Peccator de peccato doleat &c. Inter ista quinque Doc. ponit huiusmodi ordinem, seu distinctionem: quia primum se habet vt causa principalis tristitiæ, sed remota. Secundum se habet vt causa proxima, & immediata tristitiæ. Tertium se habet vt effectus. Quartum se habet vt actus cadens super tristitiam tamquam super obiectum. Quintum se habet tamquam effectus sequens ex illo actu; primum itaque distinguitur à secundo, sicut causa principalis, & remota à causa secundaria, & propinqua. secundum distinguitur a tertio velut causa ab effectu, seu actio à passione. tertiũ à quarto sicut obiectum ab actione, quæ transit super ipsum, & primum à quinto sicut obiectum à passione appetitiua illius obiecti.

All pœnitẽtiam quinq; per ordinem concurrunt.

Ex his sequitur, quòd nihil dicitur proprie, & per se vindicare, nisi primum istorum quinque, nempe illud velle imperatiuum. quo quis imperat causas immediatas tristitiæ, hoc patet in vindicante superiore, & inferiore, qui debent habere actum vindicandi eiusdem rationis, & speciei. v. g. Deus vult vindicare peccatum meum, & ego etiam volo idem peccatum vindicare. Deus est vindicans superior, & ego sum vindicans inferior; actus vindicandi quo Deus vult vindicare peccatum & actus quo ego volo idem peccatum vindicare, sunt eiusdem rationis, quia sicut vindicans superior vult infligere pœnam propter peccatum, ita & vindicans inferior, & sub ijsdem circunstantijs. Cæterum nihil est vniforme, vel simile in vindicante superiore, & inferiore nisi illud velle imperatiuum, ergo nihil dicitur proprie, & per se vindicare nisi velle imperatiuum quòd est primum istorum quinque.

Hoc etiam probari posset à posteriori: quia alia quatuor possunt esse à quibusdam causis indeterminatis, & signanter secundum, i. possunt fieri bene, & male, à causa bona vel mala, sed de isto inquit Scot. parum est curandum. Sed sufficiat hic habere, quòd possibile est inuenire aliquem actum priorem causis proximis tristitiæ, & coniungentem illas causas. sicut declaratum est in q. præcedenti, & per consequens ille actus præcedit tristitiam, ac per hoc complacentiam, & multo magis gaudium de tristitia. Illum primum actum possibilem (inquit Doc.) voco vindicare, siue pœnam infligere pro commisso, & per consequens habemus distinctam rationem eius, quòd est pœnitere secundum primam significationem nominis.

Hoc supposito, sit hæc conclusio responsiua ad quæstionem. Pœnitere accipiendo pro velle vindicare est actus virtutis specialis, idest ille actus non pertinet indifferenter ad quamlibet virtutem, sed ad certam, & determinatam. Probatur, ille actus est specialis virtutis, qui habet speciale obiectum, & speciales circunstantias, sed iste actus nempe velle vindicare est huiusmodi, habet enim speciale obiectum puta peccatum vindicabile propter Deum offensum, & etiam speciales circunstantias, scilicet propter debitum finem, & tali modo, ergo pœnitere primo modo est actus specialis virtutis.

ARTICVLVS III.

Vtrum velle vindicare peccatum sit actus virtutis intellectiuæ, vel appetitiuæ.

PRo solutione obs. est, quòd habituum alius est intellectiuus, alius appetitiuus; habitus intellectiuus est qui subiectiue in intellectu recipitur, & est duplex alius acquisitus, alius infusus; infusus, vt fides, acquisitus est duplex, scilicet speculatiuus, & practicus, speculatiuus est etiam duplex scilicet realis, & rationis; realis, vt methaphysicus, Mathematicus, & Physicus, rationis vt logicus, Rethoricus, Grammaticus, Practicus est duplex idest circa agibile, vt Prudentia; & circa factibile, vt lana, Nemus, mics, Nauigatio, Rus, Medicina, & ars fabrilis. Habitus appetitiuus est qui subiectiue in appetitu, hoc est in voluntate subijcitur, & est duplex scilicet acquisitus, & infusus, acquisitus est duplex scilicet in ordine ad se, vt Fortitudo, & Temperantia, & in ordine ad alterum, vt Iustitia; Infusus est etiam duplex scilicet in ordine ad se, vt spes, & in ordine ad alterum, vt charitas.

Habitus est duplex.

Secundo obseruandum est, quòd secundum communiter loquentes triplex est subiectum virtutum scilicet intellectus, appetitus sensitiuus, & voluntas. Prudentia subiectatur in intellectu; Iustitia in voluntate, Temperantia, & Fortitudo secundum D. Thom. in appetitu sensitiuo, sed secundum Sco. etiam in voluntate; & si dicas cum intellectus, & voluntas sint potentiæ idem realiter inter se, & cum anima iuxta doctrinam Sco. quomodo potest aliquis habitus subijci in vna potentia, quin simul subiciatur in altera;

Subiectũ virtutũ est triplex.

D. Thomas. Scotus.

Respondetur quod distinctio ex natura rei, vel formalis sufficit ad hoc, quod vna potentia dicatur vnius habitus, vel virtutis subiectum, & non altera; vel dicatur quòd duplex est subiectum scilicet inhæsionis, & perfectionis, ac etiam denominationis. Vnde quando dicimus, quòd intellectus est subiectum prudentiæ, & non voluntas, nequit intelligi de subiecto inhæsionis: quia cum sint idem realiter istæ potentiæ, non potest vna esse subiectum

Subiectũ est duplex inhæsionis & denominationis.

quin

quin & altera, sed intelligitur de subiecto perfectionis, & denominationis, prudentia enim perficit, & denominat intellectum, inclinans illum ad recte cognoscendum, non autem perficit voluntatem, nec eam denominat: quia cognoscere non spectat ad voluntatem, sed ad intellectum.

Velle vindicare peccatū est actus virtutis appetitiuæ.

His obseruatis. Dico, quod illud imperium, seu velle vindicare non est actus virtutis intellectiuæ, sed appetitiuæ. Probatur illud velle vindicare, non est nisi velle imperatiuum imperans causas pœnæ, & tale non conuenit nisi voluntati: quia imperare intellectui, vt consideret, & voluntati vt detestetur, non competit nisi appetitui, vel voluntati, ergo &c. Probatur minor, non enim conuenit potentiæ sensitiuæ: quia nulla talis habet imperare intellectui, vel voluntati, & coniungere eos in actibus suis, sub te enim erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius &c. neque conuenit intellectui: quia intellectus non potest imperare sibi ipsi, & voluntati; ergo solum conuenit voluntati: quia sola voluntas habet imperare sibi ipsi, & intellectui, secundum

D. Aug.

D. Augustinum, quod imperet intellectui patet ex lib. 11. de Trin. c. 3. vbi scribit D. Augustinus quod voluntas copulat parentem cum prole, idest coniungit intellectum fecundum specie intelligibili cum cognitione, quæ est eius proles, Vnde parens est memoria fecunda, quæ est intellectus cum obiecto, & proles est actus intelligendi, vel ipsa intelligentia, ita quod tunc voluntas copulat parentem cum prole, cum præcipit intellectui, vt vna cum obiecto producat actum intelligendi. Quod autem voluntas sibi ipsi imperet patet ex eodem Augustino dicente nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas idest eius actus, cum ergo ad voluntatem pertineat imperare, sequitur quod velle imperatiuum non est actus virtutis intellectiuæ, sed appetitiuæ.

Probatur secundo eadem Conclusio Virtus intellectiua inclinat habentem ad esse verum, vel non esse verum, idest ad iudicandum de aliquo vero, idest de aliquo sic adendo, vel non sic adendo, sed sic est quod velle vindicare, non est actus, quo sic dictetur, de aliquo agendo, vel fugiendo, ergo non est actus virtutis intellectiuæ. Concluditur ergo ex prædictis, quod velle vindicare peccatum non est actus virtutis intellectiuæ, sed appetitiuæ idest virtutis existentis subiectiue in voluntate.

ARTICVLVS IV.

Vtrum velle punire peccatum sit actus iustitiæ, vel amicitia.

Omnes virtutes morales reducuntur ad vnū ex quatuor generibus virtutum.

PRo explicatione tituli obs. est primo quod ex mente Arist. omniumque Philosophorum omnes virtutes morales reducuntur ad vnum ex quatuor generibus virtutum scilicet ad Iustitiam, fortitudinem, temperantiam, & prudentiam, quæ dicuntur virtutes Cardinales, V.g. Iustitia cuius ratio formalis consistit in ratione debiti reddendi secundū rectam rationem; est genus ad liberalitatem, obedientiam, eleemosynam &c quod patet, quia genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, sed iustitia prædicatur de his virtutibus, ergo est genus earum.

Sub iustitia continentur 22. virtutes.

Secundo obs. est, quod sub iustitia 22. virtutes continentur, quæ sunt latria, Pietas, Dulia, Hiperdulia, legalis iustitia, Epicheia, beneuolentia, Affabilitas, beneficentia veritas, amicitia, liberalitas, pœnitentia, reuerentia, obseruantia, misericordia, vindicatio, gratitudo punitiua iustitia; restitutiua iustitia, distributiua iustitia, & commutatiua iustitia. Quarum virtutum sufficientia ita assignari potest. Nam cum ratio formalis iustitiæ, vt diximus, consistat in ratione debiti reddendi, secundum rectam rationem, Homini contingere potest quod sit debitor quadrupliciter, quia hoc potest contingere, vel secundum habitudinem effectus ad causam, vel secundum propriam conditionem, & naturam, vel quantum ad perfectionem secundam, & superadditam vel quantum ad actionem voluntariam.

Sufficientia ... virtutum moralium, quæ sub iustitia continentur.

Iuxta primam habitudinem scilicet effectus ad causam comparatur homo tripliciter. Primo ad Deum secundum suum esse totale. Secundo ad parentes secundum esse naturale, & tertio ad quemlibet superiorem, & legem, secundum esse perfectum. Primo modo redditur Deo debitum per virtutem latriæ: quod facere potest tripliciratione, vel quatenus cum considerat sub ratione principij producentis, vel prouidentis, vel omnia præscientis, & intuentis. Ex hoc autem oriuntur multæ species religionis, siue latriæ, quibus homo reddit Deo debitum; vt sunt deuotio, laus exterior, adoratio, oblatio decimarum, vel primitiarum, gratiarum actio, oratio, deprecatio, seu inuocatio, votum &c. de quibus diffusus sermo habitus est in 3. sent.

Secundo modo comparatur homo ad parētes scilicet quo ad esse naturale, & ipsis reddit debitum per virtutem, quæ potest dici ius paternum, siue pietas. Tertio comparatur ad quemlibet superiorem, vel legem secundum esse perfectionale, ad quod inducitur tripliciter. Primo per modum exēpli, vt ab illis, qui sunt sibi superiores. quantum ad imitationem perfectionis, & status, & istis debitum reddit per virtutem hyperduliæ exhibendo eis debitum cultum, & obsequium. Secundo per modum præcepti, vt ab illis quorum subditus est, & qui ex officio præsident sibi, quibus reddit debitum per virtutē Duliæ. Tertio inducitur quasi per modum eruditionis, & doctrinæ practicæ, per quem modum legibus bene ordinatis, expedit hominem inducere ad virtuosam perfectionem, & istis reddit debitum per virtutem legalis iustitiæ, vel epycheiæ, sed differunt quia legalis iustitia est obeditiua respiciendo maxime ad legis verbum, & eius actus est iudicium, epycheia autem est obedientia, respiciendo maxime ad intellectum, quem habuisset legislator, vnde est obseruantia legis non secundum verbum sicut legalis iustitia, sed secundum intellectum alium consequēs verbum, propter hoc quia est legis interpretatiua.

Iuxta secundam habitudinem si consideratur homo, nēpe secundum conditionem propriam, tripliciter inuenitur debitor, secundum quod triplicem conditionem naturaliter habet; est enim animal sociabile, vel ciuile, est animal rationale, & est animal quod sibi non sufficit si solitarium esse velit; ex prima conditione tripliciter fit debitor aliorum; scilicet quantum ad animum, quod reddit per beneuolentiam, quantum ad verbum, quod reddit per affabilitatē, & quantum ad auxilium, & beneficium, quod reddit per beneficētiam. Ex secunda conditione efficitur debitor eius, quod exigit natura inquantum rationalis, & hæc est veritas, quod debitum reddit per virtutem veracitatis, vel veritatis. Ex tertia conditione obligatur homo, vt alijs societur, quod fit per virtutem amicitiæ.

Iuxta tertiam habitudinem, si consideretur homo scilicet quantum ad perfectionem secundam, & super additam, & eius oppositum, hoc potest esse vel ratione eius, quod habet in se, vel ratione eius, quod reperit in alio, si priori modo, vel illud est bonum, vel defectus boni, quod est ipsum malum; si illud sit bonum, vel est bonum animæ, & respectu huius est superius assignata, virtus Duliæ hyperduliæ legalis iustitiæ, & epycheiæ; vel est bonum fortunæ qualia sunt bona temporalia propter quæ obligatus est ad restituēdum, & hoc pertinet ad liberalitatem; si verò in se reperiat defectum boni, quod est malum culpæ tenetur ad emendandum, quod facit per virtutem pœnitentiæ. Si autem surgat obligatio ratione quod reperit homo in alio, aut illud est bonum & maxime bonum moris, vel illud est malum, si sit bonum moris obligatur ad honorem retribuendum, quod redditur per virtutem reuerentiæ respectu meliorum, vel obseruantiæ respectu æqualium, vel inferiorum. Si autem quod reperitur in alio sit malum, tenetur ad subueniendum si sit malum pœnæ, ad quod inclinat virtus misericordiæ; vel tenetur ad tollendum, & persequendum si sit malum culpæ, & ad hoc inclinat virtus vindicatiua.

Si homo consideretur posttemo, quo ad obligationem, quæ contingit per actionem voluntariam, aut actio illa voluntaria præsupponit factum, aut non; si factum præsupponit, vel illud est sibi bonum vel malum; si sibi bonum obligatur ad recompensandum secundum possibilitatem, quod reddit per virtutem gratitudinis, si autem est malum, obligatur quis ex officio ad corrigendum, ad quod inclinat iustitia punitiua, & specialiter obligatur, qui malum gessit, si sit læsiuum proximi ad satisfaciendum, ad quod inclinat iustitia restitutiua. Si verò actio voluntaria non præsupponit factum, sed sit de pari; Tunc potest oriri duplex obligatio scilicet vel ad æqualitatem secundum proportionem geometricam, & hanc exercet iustitia distributiua, vel ad æqualitatem secundum proportionem Arithmeticam, & hāc exercet iustitia commutatiua.

His suppositis diximus velle vindicare peccatum esse actū

specia-

specialis virtutis distinctæ ab omnibus aliis, quia habet specialem actum, & speciale obiectum formale, & cum virtutes omnes morales reducantur ad prædicta quatuor genera, & certum sit pœnitentiam contineri sub iustitia, cum sit virtus appetitiua, & ad alterum vt statim videbimus, quæritur modo an pœnitentia ea sit species iustitiæ; quæ appellatur iustitia punitiua; vel quæ appellatur amicitia. Et videtur quod sit amicitia; Est enim amicitia habitus inclinans voluntatem amici ad se conformandum voluntati alterius in licitis, & honestis, atque etiam ad corrigendum amicum si necesse sit, ad hoc vt amicus sit dignus amari; sed per istam vindictam qua quis vindicat peccatum suum reconciliatur vindicans ipsi Deo, ergo ille actus est actus amicitiæ. Hoc etiam patet tam ex parte Dei, cuius finis est per punitionem hunc hominem reconciliare sibi; quam ex parte hominis, cuius finis est correctio, & emendatio, per quam dignus sit Dei amicitia, hæc autem omnia pertinent ad amicitiam, ergo &c. Præterea duplex est castigatio, altera qua intenditur correctio, & emendatio castigati; & hæc cum sit propter bonum castigati, ad amicitiam pertinet; altera vero est castigatio, quæ fit vt appetitus castigantis expleatur alterius vindicta, vt docet Arist. 1. ethy. c. x. sed Deus non vult punire propter vindictam sui appetitus, quia hoc esset crudelitas, ergo vult punire hominem propter eius correctionem, & emendationem, hoc autem ad amicitiam pertinet, ergo velle sic punire est actus amicitiæ. Et confirmatur per Philosophum 2. Retho. c. 12. vbi docet quod differt correctio a punitione stricte accepta in hoc, quod correctio fit correcti gratia, scilicet vt emendetur, punitio autem fit punientis gratia, vt satietur. Secundum videtur esse omnino crudelitas, & hoc etiam tam in Ministro, quam in Iudice, quia propter eumdem finem debet Minister exequi, propter quem fert Iudex sententiam: quia finis eius debet esse finis mouentis ipsum, & per consequens, quod est crudelitatis in vno, & in alio.

Arist.

Definitio virtutis appetitiuæ. Virtus appetitiua est duplex.

Pro solutione obseruandum est, quod virtus appetitiua est quidam habitus existens in voluntate subiectiue, qui inclinat ad aliquid volendum, vel fugiendum, & est duplex, quidam est ordinatiuus ad se, alius est ordinatiuus ad alterum habitus seu virtus ordinatiua ad se est illa, quæ inclinat habentem ad recte volendum ea, quæ sunt circa se, & pertinent ad ipsum quemadmodum sunt temperantia, & fortitudo, nam istę duæ virtutes ordinant habentem circa ea, quæ sibimet ipsi conueniunt; virtus verò, quæ est ordinatiua ad alterum, est illa, quæ inclinat ad reddendum alteri, quod suum est, & vocatur iustitia, quæ inclinat habentem ad volendum alteri quod suum est, ex hoc sequitur quod ex virtutibus, quædam faciunt hominem rectum in se ipso sine ordine ad aliud, vt est temperantia, cuius effectus est moderatio passionum concupiscibilis in ordine ad se ipsum; Quædam vero faciunt hominem rectum in ordine ad alterum vt iustitia, cuius munus est hominem prohibere a nocumento alterius, & punire malos, & præmiare bonos. Hoc supposito.

Velle vindicare peccatū nō est actus virtutis appetitiuæ ad se.

Dico primo. Velle vindicare peccatum a se commissum non est actus virtutis appetitiuæ ordinantis ad se. Probatur. Istum actum, qui est vindicare peccatum potest aliquis elicere circa alterum sicut circa seipsum: imo si aliquis vindicet peccatum suum, non vindicat se nisi tamquam alterum, ergo sequitur quod non est actus virtutis ordinantis ad se, & per consequens erit actus virtutis ordinantis ad alterum. Et si dicas actus, quo volo vindicare peccatum, non est circa alterum, sed est eiusdem ad seipsum, ergo est actus virtutis ordinantis ad se. Respondet Sco. subtiliter, quod iste punit quatenus est Dei Minister, punitur autem quatenus est reus, & quamuis idem homo sit minister, & reus: accidit tamen illi quatenus est minister quod sit reus, nam eadem ratione hic homo qui est Minister castigaret reum, si reus esset alius a ministro, & Deus illi concederet talem facultatem; vnde hic homo non castigat se ipsum nisi qua ratione, idem, vt minister diuersam rationem habet a se ipso, vt est reus.

Velle vindicare peccatū est actus virtutis punitiuæ.

Dico secundo quod iste actus scilicet vindicare peccatum est actus iustitiæ distinguendo iustitiam, contra iustitiam amicitiam, & contra iustitiam commutatiuam, quam iustitiam possumus appellare iustitiam punitiuam, Probatur; velle punire alterum est actus eiusdem speciei, cū actu quo quis vult punire se ipsum: quoniam habent idem obiectū; sed velle punire alterum manifeste pertinet ad iustitiam punitiuam, ergo ambo actus sunt eiusdem speciei, & per consequens ad iustitiam pertinent; & reducuntur ad virtutem iustitiæ distributiuæ cuius est præmia virtutibus, & pœnas vitiis dispensare, nam vindicans peccatum, hoc agit vt minister Iudicis, dispensans prēmia meritis. & licet pœnitere dicat vindictam, vt in se, hoc tamen non variat rationē vindictæ inferendæ, ratione cuius reducitur ad iustitiam distributiuam.

Iustitia distributiuæ, duo sunt actus.

Dico tertio, quod iste actus, qui est vindicare peccatum est nobilior inter omnes actus iustitiæ, accipiendo iustitiam in sua communitate excepto actu præmiationis. Pro cuius intelligentia obseruandum est, quod iustitiæ distributiuę duo sunt actus, vnus præmiatiuus, & alter punitiuus, qui differunt ab aliis actibus iustitiæ commutatiuæ amicitiæ, & huiusmodi quia alij actus iustitiæ possunt indifferenter conuenire cuilibet personæ, siue publicę, siue priuatę, siue nobili, siue ignobili, siue vrbanę, siue rurali, sed isti dico actus scilicet præmiatiuus, & punitiuus, conueniunt dumtaxat personis publicis in Respub. nempe legislatori, & eius ministris, ex legislatoris commissione. Ideo isti duo actus sunt ceteris perfectiores: nam actus qui excellentiori personæ est proprius, ceteris paribus est excellentior. Ceterum inter illos duos actus excellentior est actus præmiandi; quia cum ista excellentia communi vtrobique scilicet, quod soli Principi conuenit, actus præmiandi habet nobiliora extrema, nam habet meritum, pro quo fit præmiatio, & præmium quod confertur propter meritum, & personam meritam cui confertur. quæ excellunt pœnam, culpam, & personam ream, cui pœna infligitur, quæ sunt extrema actus puniendi.

Velle punire peccatum est actus voluntatis vt irascibilis.

Dico quarto, quod velle punire est actus voluntatis quatenus irascibilis, & non quatenus concupiscibilis pro cuius luce obseruandum est quod appetitus sensitiuus est concupiscibilis, & etiam irascibilis concupiscibilis est ille, qui inclinat in bona conuenientia secundum sensum, & refugit contraria, vt patet in appetitu, quo canis appetit cibum, & refugit flagellum: Irascibilis autem ille est, qui resistit his, & pugnat contra ea, quæ auferunt bona conuenientia concupiscibili, vel contraria inferunt, vt patet in appetitu quo canis mouetur ad mordendum alios canes auferentes sibi cibum, vel etiam hominem ferientem illum, vnde patet quod appetitus irascibilis est defensor, & propugnator concupiscibilis.

Voluntas humana est irascibilis & concupiscibilis.

Secundo obseruandum est, quod voluntas hominis propter suam præstantiam est irascibilis, & concupiscibilis, concupiscibilis est, quatenus inclinatur in bona conuenientia secundum intellectum, & quatenus refugit contraria; Irascibilis vero, quatenus resistit his, & pugnat contra ea, quæ auferunt bona conuenientia, & inferunt contraria. Vnde sequitur, quod voluntas hominis vult punire hominem, quatenus est irascibilis: propter ea enim punit, quod abstulit peccando vnionem cum Deo, quod erat illi boni conuenientissimū, & fecit illum Diabolo subiectum, quod homo refugit tamquam sibi nocentissimum, & confirmatur ex D. Augustino in lib. de pœnitentia, dicente pœnitentia est quædam dolentis vindicta, sed constans est, quod vindicta est ipsius irascibilis, Ps. Irascimini &c. & Glos. quid iustius, quam vt suis quisque irascatur peccatis potius quam alienis, seque puniēs per pœnitentiam se Deo offerat. Item Chrysostomus. Perfecta pœnitentia cogit pœnitentem omnia libenter sufferre, sed hoc est ipsius irascibilis, ergo pœnitentia est in vi irascibili, & sic patet, quod velle vindicare peccatum est actus voluntatis, cuius est imperare imperio pertinente ad vim irascibilem, & est actus iustitiæ punitiuæ.

D. Aug.

D. Chrys.

Vindicta & correptio differunt.

Ad Argumenta in oppositum respondetur, & ad primum dicitur quod velle punire non est actus amicitiæ, nec habet pro fine correptionem, & emendationem puniti. Vnde obseruandum est. Latam esse differentiam inter vindictam, & correptionem: nam iustitia vindicatiua est vna virtus, quę inclinat ad puniendum aliquod peccatum secundum quod lex committit, ac proinde vindicta respicit correspondentiam pœnę ad culpam secundum legem, siue concomitetur correctio puniti siue non, vnde, & quandoque iusta vindicta fit exterminando reum, ex qua patet, quod non sequitur correctio, nec tamen est ibi crudelitas, quia finis proximus istius vindictæ non est vt vindicans, satietur sed conseruatio legis, & vlterior finis ille, qui est finis legis.

Et si

Lex duplex diuina & humana.

Et si quæras quis est finis istius legis. Dico quod duplex est lex, scilicet Diuina, & humana, lex humana est quæ ponitur ab homine, & finis eius non est legislator, sed bonum Reipub. Lex Diuina est quæ statuitur a Deo, & eius finis est ipsemet legislator, nempe Deus. Vnde si quæratur quare debet seruari huiusmodi lex diuina? Respondetur propter legislatorem, siue propter amorem, & dilectionē eius. Si autem quæratur, quare seruari debet lex humana? nō potest dici propter legislatorem, sed propter bonum commune; quia finis legis positæ ab homine non est ipse legislator, vel bonum eius, sed bonum commune, atque adeo propter illum finem est lex, & obseruatio eius, atque adeo rationabilior est vindicta, inquantum est ad istum finem, quam si esset ad bonum priuatum personæ punitæ, nempe ad ipsius correctionem. Ita in proposito dici posset, quod lex diuina est propter bonum commune hominum, quibus data est; & punitio cuiuscunque contra legem peccantis, & hoc est secundum legem propter legis obseruantiam, & vlterius propter bonum commune illorum, quibus data est lex, & tandem propter ipsum legislatorem. Et hoc ideo hic, & non in lege posita ab homine: quia hic bonum legislatoris est simpliciter melius bono communitatis: at in lege humana bonum legislatoris non est tantum bonum, sicut est bonum commune: Ex quo sequitur, quod in omni lege tota resolutio debet fieri ad ipsum Deum, qui est summus legislator. Vnde si quæratur, quare hoc punitur? Respondetur vt seruetur lex, sed quare seruatur lex? Respondetur propter bonum commune; sed quare seruandum est bonum commune? respondetur propter ipsum Deum: quia Deus est maius bonum, quam bonum commune. Ex hac litera Doc. sumi potest argumentum efficacissimum ad probandum; quod magis debeāt puniri peccata, quæ sunt grauiora, quam ea quæ magis sunt contra bonum Reipub. & argumentatur sic. Bonum legis vltimum est bonum ipsius Dei, qui est legislator. quia diximus quod bonum Reipub. nō est nisi propter bonum ipsius Dei, sed peccata grauiora sunt magis Dei offensiua, quam minus grauia. ergo Reipub. magis debet punire peccata grauiora. Et confirmatur. Bonum Dei non est propter bonum Reipub. sed econuerso bonum Reipub. propter bonum Dei, ergo magis debet Respub. punire peccata, quæ sunt contra bonum Dei, quam quæ sunt contra bonum commune, atque ita fornicator magis debet puniri, quam latro mille aureorum.

Habemus itaque quod iusta vindicta respicit correspondentiam pœnæ ad culpam secundum legem non curando, an sequatur correctio puniti, vel non sequatur. Sed de amicitia aliud est, quia si amicitia inclinat ad puniendum aliquem, non inclinat ad puniendum illum, nisi vt ille sit magis amabilis, ita videlicet, quod amicitia non curat nisi illam punitionem, quæ facit amicum magis amabilem, siue illa punitio sit magna, siue parua, & si amicum corrigere posset absque punitione, seu vindicta, libentius faceret, atque adeo lata est differentia inter vindictam, & amicitiam, quia vindicare non est actus amicitiæ.

Ex his ad primam rationem dicitur, quod licet ita sit, ꝙ per pœnitentiam reconciliemus nobis Deum, tamen pœnitentia, seu pęnitere, non est propter hoc principaliter, vt reconcilietur ipse Deus, sed vt pęnitens fiat immunis a pęna, ad quam obligatur pro peccato suo. vt sit debita correspondentia pœnæ ad culpam, eo modo, sicut lex præcipit.

Ad secundam dico, quod vendicare peccatum non est principaliter propter correctionem puniti, vt patet in punitione, qua Deus punit damnatos, ex qua tamen non intendit, neque sperat illorum correctionem, & etiam patet in occisione homicidæ, quæ iusta est, & tamen ex illa non speratur illius correctio, atque adeo velle punire, non est actus amicitiæ, sed iustitiæ punitiuæ: quoniā eius proprius actus est adæquare pœnam statutam a lege, cum culpa, neque Iudex humanus propterea crudelis est: quia non punit propter suum bonum, neque propter seipsum, sed propter bonum commune, vt hac ratione leges obseruentur, & homines a peccatis retrahantur. neque etiam Deus est crudelis castigando damnatos, licet non intendat bonum illorum: quia castigat illos propter bonum publicum, & commune, & propter seipsum, vt magis reluceat sua iustitia in vasis miseriæ, & iræ. Contra si iudex humanus castigat aliquem propter seipsum est crudelis, ergo si Deus castigat damnatos propter seipsum crudelis est. Respondetur quod bonum ipsius Iudicis humani, & ipse Iudex est bonum particulare, multo imperfectius quam bonum commune, ideoque puniendo alios propter seipsum, & non propter bonum commune, sed propter bonum proprium, crudelis est, at vero Deus, & bonum diuinum est multo perfectius quam bonum commune, quod leges procurant, proptereaque puniendo damnatos propter seipsum tanto melius facit, quanto ipsemet longo interuallo omnia alia bona antecellit. Et per hoc patet ad confirmationem de primo Rethorum: nam corrigens corrigit gratia correcti; sed vindicans non vindicat gratia correcti per se, nec gratia sui ipsius, sed gratia legis, & vlterius gratia boni communis, & tunc gratia sui si est ipse finis legis, vt est in proposito. Ex his ergo concluditur, ꝙ velle punire peccatum non est actus amicitiæ, sed iustitiæ: quoniam proprium eius obiectum est recompensatio, & adequatio culpæ cum pœna debita secundum regulam, siue legem, quod pertinet ad iustitiam. Vnde quamuis Deus, & homo per hunc actum habeant pro fine, reconciliationē; quia tamen hic finis est remotus, & non proximus, ideo iste actus non est amicitiæ, alias quicumque actus bonus cuiuscunque virtutis esset actus amicitiæ: quoniam homo per illum potest habere pro fine reconciliationem cum Deo.

ARTICVLVS V.

Vtrum actus iste Iustitiæ punitiuæ sit superior, siue nobilior actu Charitatis.

RAtio dubitādi est; quia ille actus videtur esse nobilior, quo mediante voluntas imperat alium actum; at mediante actu vindicandi; voluntas imperat actum charitatis; nam voluntas volens vindicare peccatum, ex hoc sibimet ipsi imperat vt amet, & diligat Deum: Ex eo enim quod homo vult se ipsum punire, mouetur ad amandum Deum, vt firmior, & Deo charior sit punitio, cum ergo imperare sit virtutis superioris, videtur sequi quod hæc iustitia sit charitate superior.

Pro solutione obseruandum est primo, quod voluntas est ita potens, quod mediantibus diuersis habitibus potest vti se ipsa quasi circulariter: nam mediante charitate potest producere dilectionem Dei, & habita dilectione Dei, potest ex hoc imperare, vt sequatur detestatio, & vindicta peccati; similiter econuerso ex actu vindicandi peccatum potest voluntas imperare amorem Dei, & ex hoc patet quomodo virtutes dicuntur sorores: quia nempe voluntas habens vnum actum virtutis mediante illo imperat immediate actum alterius virtutis.

Secundo obseruandum est, quod charitas, & iustitia punitiua sunt duę virtutes, quarum vna potest ad actum alterius inclinare, quod potest dupliciter intelligi, vno modo immediate, & sic est falsum, quia virtus immediate inclinat ad actus, ex quibus genita est: Alio modo mediate, hoc est mediante actu suo, atque ita dicit Doct. quod aliqua virtus mediate potest inclinare ad actum alterius virtutis: imo ad actum alterius potentiæ, nempe intellectus, vt velle detestari peccatum suum, partialiter inclinat ad actum charitatis, idest partialiter potest concurrere ad actum charitatis. Displicentia enim peccati concurrit ad actum dilectionis Dei: imo etiam ad actum intellectus falsum, & non rectum: nā secundum aliquos humilitas, quæ est in voluntate, inclinat ad causandum iudicium, quod iste est melior me, cum tamen communiter sit oppositum: Sicut ergo ista iustitia punitiua inclinat mediante actu suo ad actum charitatis: ita charitas inclinat ad actum iustitiæ punitiuæ, atque adeo istæ duæ virtutes reciproce inclinant ad actus suos, atque ita ex hoc quod iustitia punitiua inclinat ad actum charitatis non potest concludi, iustitiam punitiuam esse superiorem, aut nobiliorem charitate, sicut nec econuerso. Et si quæras ex quo ergo concluditur nobilitas virtus super alteram? Dico quod nobilitas actuum, & habituum, communiter accipitur secundum nobilitatem obiecti. Vnde illa virtus est simpliciter nobilior alia, quæ habet obiectum nobilius, atque adeo cum obiectum charitatis sit Deus sub ratione obiectiua nobilissima; obiectum autem huius iustitiæ sit recompēsatio pœnæ cum culpa, vel malum vindicabile, siue reus in quem est vindicandum, quod est aliquid creatum, sequitur quod charitas est longe nobilior hac iustitia punitiua. Tum etiam quia illa virtus est nobilior alia, quæ ratione obiecti nobilio-

Nobilitas actus assumitur penes nobilitatē obiecti.

nobilioris magis sibi conuenit imperare, sed charitas habet obiectum nobilissimum, nempe finẽ vltimum scilicet Deũ, ex quo sibi conuenit imperare actus aliarum virtutum, ergo est nobilior, hoc patet in potestatibus ordinariis; in quibus habens finem superiorem, vtitur aliis habentibus finem inferiorem, v.g. Rex in Regno Gallorum, constitutus est ad regimen totius Regni. Præpositus autem Parisiensis, est constitutus ad gubernandum solum Ciuitatem Parisiensem, ac proinde Rex habet finem superiorem, & ideo potest vti Pręposito tamquam subiecto suo, qui habet finem inferiorem. Ita in proposito actus charitatis habet finem superiorem s. Deum, ergo debet vti aliis actibus virtutum habentium finem inferiorem. Dicendum est ergo quod actus charitatis est nobilior, quam actus vindicandi peccatum, & similiter charitas est virtus nobilior virtute, quæ inclinat immediate ad vindicandum peccatum, quia habet nobilius obiectum.

Vnde ad rationem dubitandi respondetur, quod charitas secundum se habet imperare aliis virtutibus, id enim habet ex obiecto, quod est altissimum, & supremum, contingit tamen aliquando quod homo ex actu fortitudinis, quo vult subire martyrium, moueatur ad concipiendum Dei amorẽ, & rursum ex charitate, qua Deum amat moueatur ad fortitudinem: atque ita veluti circulo, quodam ex temperantia ad fortitudinem, ex hac ad iustitiam, ex hac ad charitatem, ex hac autem ad alias virtutes moueri solet, idque rationabiliter contingit, cum enim homo habeat virtutes imperfectas, conuenientissimum est firmare, & corroborare ex aliis alias.

Sic apparet de primo actu penitendi, siue de prima significatione huius vocabuli pœnitere, hic Doc. recapitulat quę dicta sunt per ordinem, dicens quod velle vindicare peccatum est velle imperatiuum. Secundo eius effectus ex tristitia. Tertio illa tristitia causatur per aliqua instrumenta, quæ sunt apprehensio, & detestatio peccati. Quarto obiectum illius velle vindicare, est peccatum commissum. Quinto ille qui vindicat habet auctoritatem vindicandi a legislatore scilicet Deo, qui cuilibet concessit, vt esset Minister sui ipsius. Sexto talis vindicat propter finem, qui est vt lex adimpleatur, & vlterius propter bonum commune, & tandem propter ipsum Deum, qui est legislator. Septimo iste actus est specialis virtus, scilicet iustitiæ punitiuæ, existens in voluntate quo ad partem, siue vim irascibilem, atque adeo talis actus habet proprium subiectum, scilicet voluntatem. Octauo iste actus non est tam nobilis, sicut actus charitatis, & actus vlterius virtutis Theologicæ, neque vt actus iustitiæ pręmiatiuæ. Atque ita de primo actu pęnitentiæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum nolitio, seu detestatio peccati sit actus virtutis specialis.

Pœnitentia tripliciter sumi potest.

PRo tituli explicatione obseruandum est primo, quod pęnitentia tripliciter sumi potest, scilicet pro actu, pro habitu, & pro pœnitentiæ sacramento. Actus penitentiæ est omnis actus culpæ præteritæ punitiuus: dixi culpæ præteritæ: quia nullus punit peccatum actualiter inexistens, sed præcedens. Est autem huiusmodi actus triplex in genere, Vnus interior, & duplex exterior, actus punitiuus culpæ interior, est actus respuitionis seu detestationis, vel nolitionis peccati; quem actum aliquid præcedit, & aliquid sequitur, antecedit siquidem actus considerationis, seu meditationis peccati detestati: nullus enim potest detestari, seu nolle, sicut nec velle aliquid, nisi notum, & actualiter intellectum; atque ita volens peccatum nolle, & respuere; oportet quod ipsum consideret, & actualiter meditetur. Sequitur actum nolendi, vel detestandi peccatum meditatum, vel cogitatum, est tristitia, quæ est passio sequens actum nolendi aliquid in existens, & licet ipse actus nolendi, vel respuendi præcedens sit in hominis potestate, tamen ipso posito non est in eius potestate tristitia sequens. Actus autem huiusmodi nolendi peccatum, quo scilicet qui peccauit nollet peccasse ratione tristitiæ ipsum concomitantis, est peccati præteriti punitiuus: nam tristitia est animæ grauissima pœna, quæ si est de culpa: sicut est quando sequitur actum nolendi ipsam, est culpæ punitiua.

Secũdus actus culpæ punitiuus, qui est primus exterior, est actus confitendi peccatum commissum, quem actum exteriorem sequitur rubor interius peccati confessi, etiam punitiuus, est enim rubor, seu verecundia animæ non leuis pęna: qua punitur etiam ipsa culpa, quando verecundia est de ipsa; sicut est omnis verecundia, seu rubor actum confessionis sequens in quolibet confitente.

Tertius actus in genere, qui est secundus exterior culpæ pręteritæ similiter punitiuus, est omnis actus laboriosus corporalis confesso pęnitenti inflictus, pro punitione, & satisfatione delicti confessi. Secundo modo accipitur pęnitentia pro habitu virtuoso ad aliquem actum prædictorum inclinante. Tertio & postremo potest accipi pęnitentia pro Sacramento ab aliis sex distincto, & sic potest sumi dupliciter, vno modo pro Sacramento quidditatiue, alio modo pro Sacramento denominatiue. Sacramentum pęnitentiæ quidditatiue consistit in verbis absolutionis, quæ sunt, ego te absoluo, vt videbimus q.4. huius d. Sacramentum pęnitentiæ denominatiue potest dici habitus existens in Sacerdote absoluente, de quo statim erit sermo.

Penitentia sacramentum bifariã sumi potest.

Secundo obseruandum est, quod aliqua virtus potest dici generalis tripliciter, vno modo per prædicationem, quia prædicatur de omnibus aliis virtutibus, atque ita iustitia communiter accepta dicitur esse virtus generalis, & communis, & est quæcunque rectitudo animæ, docens declinare a malo, & facere bonum. Secundo modo aliqua virtus dicitur generalis per regulationem, atque ita prudentia est regula omnium virtutum, quia omnes virtutes debent regulari per prudentiam, prudentia enim docet tenere medium, & fugere ab extremis. Tertio modo dicitur aliqua virtus generalis per informationem, & sic charitas est virtus communis, quia format alias virtutes, ac facit eas acceptabiles Deo.

Virtus pōt dici generalis tripliciter.

Tertio obseruandum est, quod duplex est pęnitentia, scilicet naturalis, & supernaturalis pœnitentia naturalis est pęnitentia late sumpta, quæ dicit principium eliciens quamcunque honestam detestationem peccati, per modum habitus inclinantis ad illam, & est quando pęnitet nos peccasse, quia amisimus aliquam virtutem, vt si quempiam pęniteret fornicationis, pro amore continentiæ, vel pęniteret peccati, quatenus est difforme rectæ rationi, talis pęnitentia dicitur naturalis, tum quia eius obiectum est naturaliter cognitum, scilicet amor virtutis; Tum secundo quia potest elici viribus naturæ absque speciali auxilio Dei, veluti eliciebant Philosophi morales. Pœnitentia autem supernaturalis est, quando aliquis dolet de peccatis propter Deum offensum, quem vult sibi reddere amicum ad assequendam gloriam, dicitur autem supernaturalis, quia obiectum scilicet placare Deum pro assequenda gloria, non est naturaliter cognitum, neque ista pœnitentia potest elici viribus naturæ, absque peculiari Dei auxilio. His obseruatis, titulus quęstionis vnum præsupponit, & aliud quærit. Præsupponit enim pœnitere, vt idem est quod nolle peccasse, vel detestari peccatum esse actum virtutis. Quærit autem, an sit actus specialis virtutis, vel detestari vt sic peccatum spectet ad quamlibet virtutem.

Pœnitentia duplex naturalis, & super naturalis.

Circa præsuppositum conueniunt omnes Theologi, omnesque affirmant, nolitionem, siue detestationem peccati esse actum virtutis, hoc est vel generantem virtutem, vel a virtute genitum, scilicet ab habitu virtutis, quod non solum intelligendum est de primo actu punitiuo interiori, nempe nolitionis peccati, vel detestationis, sed etiam de duplici actu exteriori, scilicet de actu confitendi peccatum commissum, atque de actu satisfaciendi, & de primo quidem actu; Probatur sic. Actus virtutis est, qui elicitur secundum rectam rationem in mediocritate consistens, sed recta ratio dictat quod non gaudeamus de peccatis, iuxta illud lætantur in rebus pessimis, & exultant cum malefecerint: neque quod illorum pœniteamus vsque ad desperationem, sicut Cayn, & Iudas, sed in mediocritate, idest cum spe veniæ, ergo talis actus est actus virtutis: Præterea velle peccasse, est actus vitiosus, ergo velle non peccasse est actus virtutis.

Secundo probatur de tribus omnibus actibus simul: Et primo sic, omnis actus imperatus, vel elicitus concors recto dictamini intellectus est studiosus, & moraliter bonus, sed talis est quilibet prædictorum, vt patet per singulos discurrendo, ergo &c. constat enim quod recta ratio dictat omne malum, quod est contra Diuinum beneplacitum esse respuendum, sicut & bonum eligendum, sed peccatum commissum

missum fuit malum, & contra Diuinum beneplacitum, ergo &c.

Præterea, omnis actus culpæ punitiuus, siue vindicatiuus, secundum quod est a legislatore institutus, est studiosus, dum tamen fit a Ministro debito, & ad hoc instituto factus, sed Christus Dominus Euangelicæ legis lator, statuit culpam commissam contra legem Euangelicam puniendã omnibus tribus actibus supradictis, scilicet nolitione, quam sequitur tristitia siue dolor, confessione quam sequitur verecundia siue rubor, & satisfactione aliqua exteriori, quam sequitur pœna, & labor; Instituit autem, & voluit suæ legis quemlibet transgressorem esse ministrum suæ legis vindicatiuum, & tribus supradictis mediantibus actibus punitiuum, ergo &c.

Ex hoc sequitur, quod penitentia habitualis est virtus ad actum aliquem prædictorum inclinans, nam sicut habitus inclinans ad actum vitiosum prompte, & faciliter exercendum dicitur vitiosus, ita econtrario omnis habitus inclinans ad actum aliquem studiosum dicitur virtus, sed quilibet horum trium actuum (vt probatum est) est formaliter studiosus, ergo habitus inclinans ad aliquem ipsorum est habitus studiosus, siue habitus qui est virtus.

Sequitur secundo, quod accipiendo pœnitentiam pro sacramento pœnitentiæ denominatiuæ, potest dici habitus studiosus, non quidem ille qui inclinat ad actum aliquem pœnitendi trium prædictorum, quia nullus illorum est pœnitentiæ sacramentum, sed ille qui inclinat ministrum idoneũ ad actum absolutionis, cum enim ex omni bono actu moraliter, possit habitus moraliter bonus generari ad consimilem inclinans actum prompte, & delectabiliter exercendũ; & actus absolutionis, quo sacerdos absoluit modo debito pœnitentem sibi confessum, sit actus studiosus, sequitur quod ex ipso frequentato in sacerdote ipso habitus studiosus generabitur, quo mediante inclinabitur prompte, & delectabiliter ad consimiles actus absoluendi pœnitentes; & talis habitus non est sacramentum quidditatiue, seu formaliter, sed tantum denominatiue, & quodamodo virtualiter propter sacramentum ipsum ex quo ministrato, fuit generatus, & ad quod faciliter ministrandum inclinat habituatum.

D. Bonau. Quoad principale quæsitum huius art. Quatuor sunt opiniones. Prima opinio, seu potius error est aliquorum, quos refert, & refutat D. Bona. hac d. p. 1. art. 1. q. 1. & 3. asserentium habitum gratiæ, & charitatis esse habitum pœnitentiæ Sed falsitas istius sententiæ plane constat, quia gratia non est proprie virtus, quæ sit in potentia ad operandũ, sed forma qua grati denominamur, & sumus.

Alex. de Ales. D. Bonau. D. Thomas. Secunda sententia est aliorum, vt ait Alex. 4. q. 12. m. 1. art. 1. §. 2. D. Bona. vbi supra q. 2. D. Thom. 3. p. q. 85. art. 2. asserentium. Pœnitentiam non esse specialem virtutem, sed generalem, horum fundamenta sunt, quia virtus specialis habet peculiarem materiam, circa quam operatur: materia enim iustitiæ est reddere vnicuique quod suum est, & materia fortitudinis est superare ardua, ita quod quælibet virtus habet peculiare obiectum, idest peculiarem materiam, circa quam operatur, sed materia pœnitentiæ est generalis: quia sunt omnia peccata cuiuscumque speciei, ergo non est virtus specialis, sed generalis, siquidem reperitur sub omnibus virtutibus, nam pœnitere de incontinentia est actus continentiæ, & de furto erit actus iustitiæ. et ita de aliis. Confirmatur quia eadem virtus numero, quæ inclinat ad actum proprium, inclinat etiam ad detestandum suum contrarium, iustitia enim quæ inclinat ad restituendum. inclinat etiam ad detestandum furtum, quæ detestatio est penitentia, ergo &c. Item vna virtus specialis tantum opponitur vni vitio, vt castitas luxuria &c. Sed penitentia opponitur omnibus vitiis, ergo non est vna virtus, sed multiplex, & non distincta ab aliis, ita quod penitere de luxuria, est actus temperantiæ, & de furto iustitiæ &c. & confirmatur; quia omne quod positiue corrumpitur, non corrumpitur nisi per suum contrarium, sed virtute penitentiæ corrumpuntur, & relaxantur omnia vitia; ergo omnibus contrariantur, & per consequens non est specialis virtus, siquidem non opponitur vni vitio, sed omnibus. Huic opinioni existimat Sotus *[...]tus.* suffragari Scotum, sed falso, vt statim videbimus.

[...]et [...] Tertia sententia est Caiet. 3. p. summæ q. 85. art. 2. affirmãtis penitentiam non esse virtutem generalem, nec specialẽ distinctam ab aliis, sed esse idem cum virtute religionis, eius fundamentum est, quia nulla virtus exigit, vel præexigit habentem ipsam sub illius contrario, sed penitentia præexigit pœnitentem fuisse sub peccato, quod contrariatur pœnitentiæ, ergo &c. at nisi identificetur Religioni necessario supponet contrarium, ergo &c. & hanc rationem ait Caiet. conuincere intellectum suum, quam confirmat primo quia in Christo fuerunt omnes virtutes non tamen fuit penitentia Inclinat Suar. 3. p. Tom. 1 disp. 19. sec. 1. secundo religionis est reddere debitum propter beneficia accepta, ergo & propter offensam factam; Tertio quia ita sunt in nobis virtutum semina, vt illas possimus acquirere non præexigito peccato, *Suarez.*

Alex. de Ales. D. Thomas. D. Bonau. Richardus. Quarta sententia est communis quam applectimur. Alex. de Ales. vbi supra D. Thom. vbi supra, & D. Bonau. & Ric. d. 14. art. 1. q. 2. Hi asserunt quod pœnitentia non est virtus generalis, sed specialis ab omnibus aliis distincta. Ceterum huic sententiæ videntur contrariari verba Scoti in hac quæstione, vbi dicit quod loquendo de secunda significatione huius vocabuli pœnitere, scilicet de eo quod est detestari peccatum commissum, vel displicentiam habere de commisso licet sit actus virtutis, est nullius tamen specialis, sed cuiuscũque appetitiuæ. V. g. pœnitere de superbia est actus spectans ad humilitatem, penitere de gula est actus spectans ad temperantiam, atque ita de aliis actibus pœnitentiæ, quod patet, quia vnaquæque virtus sicut inclinat ad complacendũ in bono honesto, idest ad complacentiam sui actus, ita inclinat ad detestandum, & displicendum de malo inhonesto opposito, idest ad displicentiam sui oppositi, quæ displicentia est pœnitentia, ergo penitentia est virtus generalis. Quælibet tamen virtus inclinans ad talem displicentiam est virtus appetitiua, quia nihil est principium odiendi, sicut, nec amandi, nisi virtus appetitiua. Hactenus Scotus. Sed nihilominus si comode explicetur eius sententia non distat a cõmuni, vt videbimus. *Scotus.*

Pœnitentia naturalis nõ ẽ virtus specialis Ideo dico primo, quod penitentia, prout est actus naturalis non est virtus specialis ab omnibus aliis distincta; Probatur, quia pro vt est naturalis solum detestatur peccata ob amorem virtutum, quibus peccata opponuntur, & quia sunt contra rectã rationem, ergo huiusmodi detestatio erit eiusdem rationis cuius est virtus, cui opponitur, vt si detestatur fornicationem ob amorem castitatis cui opponitur fornicatio, talis detestatio erit actus castitatis; Nam eadem virtus in specie, quæ inclinat immediate ad acceptandum aliquod obiectum, inclinat etiam ad detestandum oppositum licet mediate, scilicet mediante actu suo; vt virginitas inclinat ad actus virginitatis immediate, sed mediante isto actu inclinat ad actum alterius virtutis, qui est detestari oppositũ virginitatis. similiter: quia humilitas inclinat ad actum humilitatis, etiam inclinat ad detestandum actum superbiæ oppositum actui humilitatis, & sic de qualibet virtute.

Probatur etiam ratione Doc. quæcumque virtus, quæ inclinat ad complacendum de bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & ad displicendum de malo inhonesto opposito, sicut enim castitas inclinat ad complacendum in bono honesto, ita & ad displicendum de malo inhonesto sibi contrario, sicut etiam humilitas inclinat ad acceptandum actum humilitatis, ita ad respuendum actum superbiæ illi contrarium; ex quo sequitur, quod sicut nulla est specialis virtus appetitiua vna, quæ inclinet ad acceptandum omne bonum actum, ita nec est aliqua specialis, quæ inclinet ad respuendum, aut detestandum omne malum commissum atque ita sicut acceptatio, seu electiones diuersorum eligibilium bonorum sunt actus diuersarum virtutum; ita & diuersæ respuitiones, seu detestationes diuersorum malorũ, seu peccatorum non sunt vnius, sed diuersarum virtutum, vt detestatio actus, seu peccati superbiæ sit actus humilitatis, & peccati luxuriæ sit actus castitatis, atque ita de aliis. Capiendo ergo penitentiam prout est naturalis displicentia peccatorum, non est virtus specialis, sed generalis, & in hoc sensu loquitur Scotus, quem sequuntur Duran. in 4. d. 14. q. 2. Rubion, eadem d. q. 3. & Suarez. tom. 4. disp. 3. sect. 7. *Durandus. Rubion. Suarez.*

Pœnitentia supernaturalis est specialis virtus. Dico secundo quod capiendo penitentiam prout est actus supernaturalis, non est generalis virtus, sed specialis distincta ab aliis virtutibus moralibus, & Theologicis, Probatur a priori, habitus distinguuntur per actus, & actus per obiecta, sed nulla virtus præter penitentiam inclinat ad istum actum, scilicet penitet me peccasse propter Deum offensum, vt illum mihi reconciliem, & vitam æternam acquiram, cum proposito emendandi vitam, ergo est virtus specialis, distincta

cta

cta ab omnibus aliis, hæc est sententia communis Theologorum quam & si Scotus non clare dixerit tamen manifestissimum est non negasse.

Pœnitentia supernaturalis è pars potentialis iustitia.

Dico tertio, quod pœnitere, vt est actus supernaturalis non est pars subiectiua iustitiæ, sed potentialis, prima pars probatur; quia pars subiectiua includit totam quidditatem generis, sicut homo includit totam quidditatem animalis; sed pœnitentia non includit totam quidditatẽ iustitiæ, quia per eam non reddimus Deo æqualem satisfactionem pro mensura peccatorum, quod quidem est de ratione iustitiæ strictè sumptæ, ergo non est pars subiectiua iustitiæ. Probatur 2. pars, species potentialis alicuius generis est illa, quæ habet partem quidditatis illius generis, non autem totam definitionem, sed pœnitentia, quatenus per eam satisfacimus Deo, licet non in totum, sed commutando dolorem pro offensa illi facta, habet partem iustitiæ commutatiuæ, seu distributiuæ prout distribuit pœnam cum proportione ad culpam, ergo est pars potentialis iustitiæ. quemadmodum liberalitas, quæ est reddere alicui indebitum, & si in primo habeat rationem iustitiæ: quia est ad alterum, in secundo autem minime; atque adeo dicitur pars potentialis iustitiæ.

Ad fundamenta aliarum opinionum, respondetur; Et primo ad fundamentum primæ opinionis, quæ affirmabat habitum pęnitentiæ esse ipsum habitum gratiæ, quia habet eundem effectum, scilicet remittere peccata: Dicimus, ꝙ non eodem modo gratia, & pęnitentia remittunt peccata, nam gratia remittit peccatum formaliter, pęnitentia autem dispositiuè.

Ad primum secundæ sententiæ negatur virtutes distingui per diuersas materias actuum, eadem enim materia potest esse diuersarum virtutum, sed habitus distinguuntur per actus, & actus per obiecta, non materialia, sed formalia, vt supra dictum est. art. 2. Ad confirmationem respondetur, quod habet locum in actu pęnitentiæ naturalis, vt cõclusione prima diximus.

D. Thom.

Vnũ contrariũ duobus modis potest expellere suũ contrarium.

Ad secundum respondetur prænotando ex D. Tho. vbi supra ad tertium quod vnum contrarium potest expellere suum contrarium dupliciter, aut formaliter aut effectiue, expulsio formalis tantum est, quando vnum contrarium non est forma actiua, sed solum est incompossibile in eodem subiecto cum suo contrario. v. g. albedo non expellit nigredinem ab eodem subiecto effectiue, quia destruitur a generante albedinem, sed solum albedo expellit formaliter: quia sunt duæ formę incompossibiles in eodem; calor vero expellit formaliter, & effectiue ab eodem frigiditatem: quia est forma actiua; modo ad propositum dico, quod pęnitentia non opponitur formaliter omnibus vitiis, sed solum impenitentiæ, vel obstinationi; effectiue autem saltem dispositiuè opponitur omnibus vitiis, quia destruit illa, ex quo patet pœnitentiam vnam esse specialem virtutem, quia tantum opponitur formaliter vni vitio, scilicet impęnitentię, quamuis effectiue opponatur omnibus vitiis. Ex quo sequitur, quod pęnitentia habitualis potest manere in peccatore pleno vitiis, dummodo non sit obstinatus, si quidem talis habitus non opponitur omnibus peccatis formaliter, sed vni tantum, scilicet impęnitentiæ, vel obstinationi, & consequẽter pęnitentia erit vna virtus specialis.

Ad fundamentum Caiet. respondetur, quod actus pęnitentiæ non solum includit subiectionem Deo, & redditionem honoris debiti, sicut actus religionis, sed etiam includit propositum emendandi vitam, & spem consequendi veniam, & vitam æternam, quod sufficit, vt differat a virtute religionis.

Sed contra præsuppositum huius art. Arguitur primo sic, omnis actus virtutis est laudabilis, sed pęnitere, vel detestari peccatum non est actus laudabilis, ergo non est actus virtutis. Maior patet ex secundo Ethy. c. 5. Et Minor probatur, quia passionibus non laudamur 2 Ethy. vbi supra: pęnitere autem est passio quædam, sicut & ipsa punitio, quam includit, ergo &c.

Respondet Doc. quod & si tristitia sit passio, tamen imperare eam est actus, concedimus ergo tristitiam non esse actum virtutis pęnitentiæ, quomodocunque accipiatur pęnitentia; sed pęnitentiæ virtutis primo modo acceptę tristitia est effectus remotus. pęnitentiæ autem virtutis secundo modo acceptæ est effectus proximus, & immediatus: nã nolitio, seu detestatio peccati est causa proxima tristitiæ. vt diximus sup. Ad rationem ergo dico, ꝙ pęnitere põt accipi dupliciter, vno modo pro ipsa nolitione peccati, & vt sic est actus virtutis, alio modo pro tristitia, quæ sequitur ex nolitione, & hoc pacto non est virtus, nec actus virtutis: quia virtus, vel est actus, vel habitus, prædicta autem tristitia nihil est horum, sed tantum passio.

Secundo arguitur actus virtutis est voluntarius: quia electiuus ex secundo Ethic. c. 6. sed pœnitentia est in voluntaria, quia nihil est pœnale, nisi quod est contra voluntatem, ergo pœnitere non est actus virtutis. Respondet Doct. negando minorem: quoniam licet tristitia secundum affectionem commodi sit inuoluntaria, potest tamen esse voluntaria secundum affectionem iustitiæ. Præterea esto quod pęna esset inuoluntaria, non sequitur quin actus elicitus à voluntate, nempe nolitio, seu detestatio peccati, quam sequitur pęna, idest tristitia sit voluntarius, & huiusmodi actus elicitus est actus virtutis, & non pęna, seu tristitia.

Tertio arguitur nolle peccasse est actus pęnitendi, vt constat ex dictis, sed hic actus ad nullam pertinet virtutem, ergo nolle peccasse non est actus alicuius virtutis, consequentia patet cum maiori, & minor probatur. Quia virtus cum sit habitus electiuus, non versatur circa impossibile: quia electio possibilium est, sed nolle peccasse est circa impossibile: quia impossibile est non peccasse, qui peccauit, nã præteritum nõ fuisse est impossibile Deo. 6. Ethic. cap. 3. hoc solo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt, ergo &c. Huic argumento non respondet hic Doct. sed responsio accipi potest ex secundo sentent. d. 6. quæst. 1. Vbi docet Doct. quod electio sumitur dupliciter, vno modo pro actu voluntatis plenæ, & deliberatæ, & in hac significatione, Theologi vocant peccatum ex electione, quod non est ex passione, vel ignorantia, quod quidem peccatum plenam habet deliberationem, & in hac significatione qui vellet peccasse, postquam non peccauit, si habet plenam deliberationem, dicitur peccasse ex electione, quamuis versetur circa impossibile, vnde electio in hac significatione potest esse circa impossibile.

Electio bi- riã sumitur

Secundo modo sumitur electio pro cognitione practica consilij, vt est cognitio conclusionis deductæ per syllogismum practicum, veluti si quis postquam intendit aliquem finem V. g. sanitatem, consultauit de medijs, & determinauit medium magis idoneum, tunc consilium sequitur electionem illius medij, qua voluntas se accinxit ad quærendum illud, hæc electio est tantum possibilium, quia nullus quærit medium ad id, quod impossibile iudicat, prima ergo electio sufficit ad virtutem, in qua significatione velle non peccasse, est electio: quia est actus deliberatus voluntatis, & nihil obstat, quod sit cum ea impossibile.

Contra. Virtus est habitus electiuus ab electione. Secundo modo. Respondetur, quod virtus est actus, siue habitus electiuus ab electione, secundo modo: quia sic est actus principalis eius, nihil tamen obstat habere alios actus minus principales. Contra. Virtus cuius actus est nolle peccasse non potest causare electionem, secundo modo. Respondetur quod nolle peccasse est actus diuersarum virtutum, vt visum est supra, vnaquæque enim illarum habet hunc actum pro minus principali, electionem autem, secundo modo pro magis principali, sicut per temperantiam vellet aliquis non peccasse contra temperantiam, & etiam eligit cibum moderatum de præsenti propter illam, quæ est electio secundo modo.

Vel secundo, ad argumentum respondetur, quod quamuis peccasse sit impossibile illi, qui peccauit, velle tamen non peccasse est illi possibile, atque ita circa hoc potest esse electio, & similiter circa nolle peccasse, tamquam circa medium determinatum à ratione consultante, an sit pęnitendum de peccato, vel non, voluntas enim eligit nolle peccasse, vel pęnitere tamquam medium ordinatum ad placandum Deum, & consequendam peccatorum remissionem.

ARTICVLVS VII.

Vtrum pęnæ acceptatio, & patienter tollerare pęnam, sint actus specialis virtutis.

QVo ad tertiam significationem, seu actum pęnitentiæ, qui erat pęnæ acceptatio, dicit Doct. quod potest esse actus virtutis, quia potest esse conformis rectæ rationi: nam

nam recta ratio dictat, quod ratione peccati commissi sufferenda est pœna; & quantum ad hoc non est difficultas, sed difficultas est cuius virtutis sit actus. Doctor dicit, quod acceptare gratanter pœnam inflictam pro peccato non est actus determinatæ virtutis, sed pertinet indifferenter ad quamlibet virtutem, ita quod quælibet virtus inclinat ad gratanter acceptandum pœnam pro peccato commisso opposito illi virtuti; ideo indifferenter potest esse cuiuslibet virtutis actus. Pro cuius explicatione obseruandum est, quod quicquid potest esse principium acceptandi, seu amandi aliquod obiectum, potest etiam esse principium acceptandi aliquid aliud in ordine ad illud obiectum, hoc est, omnis virtus acceptans aliquid, potest acceptare aliud in ordine ad illud tamquam medium. hoc declaratur: nam si charitas inclinat ad amandum Deum, inclinabit etiam ad acceptandum media, per quæ consequi poterit Dei amor, & in illum reduci, siue illa media sint pœna, vel non, vel aliquid huiusmodi. Similiter per spem inclinatur homo ad optandum bonum vitæ æternæ; atque etiam per illam inclinatur ad acceptandum aliquam pęnam; quæ faciat illum dispositum ad vitam ęternam habendam. Item si ex virtute timoris timet quis pœnas Inferni, eadem virtute gratanter accipiet aliquam pœnam, vt in illam æternam non incidat.

Nullus absolute pœnā acceptat. Secundo obseruandum est, quod nunquam aliquis acceptat pœnam de per se, & absolute, sed solum propter aliud, hoc est, quatenus illud pœnale est conducens ad aliquod bonum consequendum: non enim acceptatur potio amara, nisi propter bonum sanitatis. Ita cum tristitia de per se sit obiectum nolibile, fit de per accidens obiectum volitionis, quatenus acceptatur in ordine ad aliquod bonum. Talis autem acceptatio tristitiæ potest indifferenter esse cuiuslibet virtutis actus, patet, quia eiusdem virtutis est acceptare obiectum, & media ad illud obiectum consequendum, sed per vnam quamque virtutem potest acceptari aliquod bonum per se, & consequenter acceptari illa tristitia in ordine ad illud bonum acceptatum per illam virtutem ergo ad vnam quamque virtutem spectat gratanter acceptare tristitiam punitiuam peccati. Nam si aliquis ex actu charitatis, qua diligit Deum super omnia acceptat pęnam, talis acceptatio spectat ad charitatem. Similiter si aliquis ex amore castitatis acceptat pœnam pro actu opposito castitati; talis actus spectat ad castitatem: quia talis pœna non est per se acceptabilis, ideo spectat ad virtutem per quam acceptatur illud aliud, ad quod ordinatur talis pœna, sed acceptare pœnam potest esse cuiuslibet virtutis: nam quælibet virtus inclinat ad gratanter acceptandum aliquam pęnam pro peccato commisso contra illam virtutem, sicut inclinat ad detestandum malum oppositum sibi.

Bassolus. Bassolus hac distinctione quæstione prima articulo tertio dicit, quod ratio Doc. non valet, nam quamuis actus, per quem acceptatur obiectum sit imperatus ab aliqua virtute, tamen non sequitur, quod sit ab illa virtute elicitiuè: aliquando enim per actum fortitudinis imperatur actus temperantiæ, & ex temperantia acceptatur interdum aliquod obiectum in ordine ad aliud obiectum, & tamen non sequitur quod actus, quo acceptat, spectet ad illas virtutes elicitiue, sed tantum imperatiuè, ergo videtur quod Doc. non dicat consequenter ad quam virtutem spectet talis acceptatio elicitiue. i. quæ sit illa virtus, ex qua causatur immediate talis actus.

Ideo dicit Bassolus quod habitus pœnitentialis, cuius est gratanter acceptare pœnam, est virtus specialis distincta contra alias appetitiuas habens malum pęnæ, seu tristitiæ inflictæ pro peccato, tamquam pro per se primo obiecto, & actum acceptandi tale malum pro per se primo actu & tali, ad quem sequitur, vel nata est sequi delectatio, & gaudium, atque adeo distinguitur ab aliis virtutibus primo in ratione obiecti, quia aliæ virtutes per se, & primo acceptant aliquid aliud a pęna ipsa, licet secundario, & per accidens possint acceptare pęnam in ordine ad aliud. Et potest reduci hæc virtus aliqualiter ad iustitiam, pro quanto reddit Deo, & iuste æquiualentem delectationem in pœna, ad delectationem malam prius habitam in culpa.

Quo ad quartam significationem pœnitentiæ, siue de quarto actu qui erat patienter tollerare pęnam pro peccato commisso. Dicit Doc. esse actum virtutis specialis, videlicet patientiæ, cuius officium est firmare animum contra tristitiam, & pęnam, ne per impatientiam prostratus remurmuraret, & recalcitret contra pœnam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum contingat excedere in nimis pœnitendo, hoc est in nimis detestando peccatum, vel vindicando.

RAtio dubitandi est, quia cum pœnitentia non sit virtus Theologica, sed moralis, vt videbimus infra, & omnis virtus moralis consistat in medio inter duo extrema, vt docet Arist. in Ethi. in qualibet enim virtute morali contingit reperire excessum, & defectum, videtur quod contingat excedere in nimis pœnitendo, vel deficere in minus. Ex altera parte videtur quòd pœnitentia non habeat medium, cum de omni peccato, & super omnia doleat.

Medium in quo cōsistit virtus quomodo accipiatur. Pro solutione obser. est primo quod medium in quo consistit virtus, accipitur per comparationem ad dictamen rationis rectæ. Vnde Philosophus postquam 2. Ethi. c. 6. dixit, quod virtus est habitus electiuus in medietate consistens, immediate subiungit, quo ad nos determinata ratione, & vt vtique sapiens determinabit.

Virtutē esse in medio cōtingit dupliciter. Secundo obseruandum est, quod virtutem esse in medio potest accipi quadrupliciter; nam quædam virtutes consistunt in medio, tam ex parte obiecti, quam ex parte circunstantiarum, vt temperantia; Tum quia quis posset nimis comedere, tum quia quando, vel vbi non oportet. Quædam sunt quæ ex parte obiecti habent superabundantiam, sed ex parte circunstantiæ sunt in medio. Dicit enim Philosophus 4. Ethi. c. 4. Quod magnanimus quidem magnitudine extremus est eo tamen quod vt oportet medius, vt magnanimitas, & fortitudo; Tum quia magnanimitas est circa maxima, & fortitudo respicit vltimum terribilium pro obiecto; Tum quia si magnanimus dignificaret se plus, quam oportet, esset cainus, sin autem minus esset pusillanimis; & fortis, si exponeret se morti pro inani gloria esset audax &c. Quædam sunt virtutes quæ sunt in defectu ex parte obiecti; in medio tamen ex parte circunstantiæ, vt virginitas, quia negat omnem veneream delectationem, atque adeo tenet extremum quo ad materiam; sed tenet medium quo ad circunstantias; quia hoc obseruat pro tempore, quo hoc expedit obseruare hoc est pro tempore, quo non præcipitur, nec a Deo consulitur vacare carnali copulæ, & etiam obseruat hoc propter quod oportet scilicet vt mens liberius vacet spiritualibus. Ex quo sequitur quod quædam sunt virtutes, quæ habent superabundantiam, & non defectum, vt magnanimitas, & fortitudo; quædam e conuerso, quæ habent defectum, & non superabundantiam, vt virginitas; quædam quæ plus habent de superabundantia, vt latria; quædam, quæ plus habent de defectu, vt temperantia.

D. Thomas. Tertio obseruandum est, quòd quamuis pœnitentia sit tantum virtus potentialis iustitiæ; habet nihilominus, (inquit D. Tho. in 3. p. q. 85. art. 3. ad vltimum) omnes alias virtutes annexas, habet enim fidem, quæ est initium iustificationis, ad Rom. 3. habet charitatem, quatenus pœnitet nos propter Deum summe dilectum, habet spem, quatenus pœnitet nos cum spe veniæ; non quod pœnitentia requirat actualem spem, sicut requirit actualem dilectionem, quia sufficit non desperare, & hoc si pœnitens non cogitat de spe veniæ, si autem cogitat tenetur habere illam. Habet similiter fortitudinem puniendo in se peccata corporis maceratione, quæ maceratio est difficilis, & fortitudo versatur circa difficile, habet temperantiam, quatenus fugit delectabilia, & tandem habet prudentiam, quatenus ponit medium tristitiæ, ne prę nimia tristitia decidat pœnitens in desperationem.

Medium in virtutibus communiter est respectu extremorū, quæ sunt vitiosa. His obseruatis dicitur primo ad difficultatem, quòd medium in alijs virtutibus dicitur respectu extremorum, quæ solent esse vitiosa, vt temperantia est medium inter gulam, & inediam. Medium autem iustitiæ est vt reddatur æquale; at quia Deo nunquā possumus reddere æqualē satisfactionem pro peccatis, Ideo quantumcumque aliquis pœniteat, talis pœnitentia ex parte iustitiæ non erit

post Baptismum commissum. Et confirmatur: quia sicut peccatum auertit à Deo, & conuertit ad creaturam, ita rationabile est quod non deleatur nisi per motum oppositum auertentem à peccato sisè à creatura, & conuertentem ad Deum detestando, & nolendo peccatum. Et præterea sicut peccando quæsiuit homo delectationem in peccato, ita iustum est vt de peccato doleat, & tristetur, & seipsum pœna afficiat, vt à peccato liberetur, atque ita contraria curentur contrarijs.

Contra hanc vltimam conclusionem sunt argumenta principalia Doc. Et primum est tale, nullum peccatum deletur per pœnitentiam, Igitur pœnitentia non est necessaria ad deletionem peccati, consequentia patet, & antecedens probatur: quia transeunte actu interiori, & exteriori, cessat esse peccatum, ergo statim, & sine pœna deletur, assumptum patet: quia peccatum non est nisi deordinatio in actu exteriori, vel interiori. Respondetur negando antecedens, & ad probationem dico, quòd transeuntibus prædictis actibus transit quidem peccatum quo ad substantiã actus, cæterum non quo ad maculam, & obligationem ad pœnam æternam, atque adeo peccator transacto actu peccati, remanet dignus inimicitiæ Dei, & obligatus ad pœnam æternam, quousque per pœnitentiam deleatur talis dignitas, & obligatio ad pœnam.

Secundo arguitur homo offensus potest remittere alicui offensam sibi ab eo illatam ex mera liberalitate sinè aliqua pœnitentia; ergo multo magis hoc conuenit Deo scilicet remittere peccata hominum absque pœnitentia, qui est summe misericors: non enim Deus est minus potens, nec minus liberalis quam homo. Dico quod argumentum non probat nisi de potentia Dei absoluta, & hoc concessum est in prima conclusione huius artic. Et si arguas quòd de potentia ordinata potest, sicut homo natus. Dico quòd Deus posset sine omni pœnitentia remittere peccatorum, & deceret si ita ordinasset; modo autem decet illud, quod ipse ordinauit propter congruentias positas in quarta quæstione huius art. Nec est simile de homine, & de Deo: quia homo est mutabilis, quando enim offenditur vult se vindicare, tamen postea mutatur eius voluntas; At Deus est immutabilis; & quoniam ab æterno habuit velle quo voluit talem esse puniendum pro tunc, pro quo quis peccauit, idest pro tali peccato, & in tali tempore, & per consequens si in æternitate vult aliquem puniendum esse, pro aliquo tempore, vult illum semper puniendum pro illo tempore, nisi aliquid in creatura mutetur. Remissio ergo peccati non est per mutationem voluntatis eius; quia voluntas eius, & in se, & in actu volendi, tam absoluta, quam in quantum transit super obiectum permanet vniformis, sed est per mutationem in peccatore &c.

Tertio arguitur, Pœnitentia non valet ad delendum peccatum, ergo non est necessaria, antecedens patet per D. Augustinum dicentem, quòd damnati habent maximam pœnam, & tamen ipsis nihil prodest, Ita enim inquit D. Augustinus hom. super illud Matth.5. Estote misericordes loquens de damnatis; Erit & tunc pœnitentia, sed tamen infructuosa; quòd probat per illud dictum de damnatis sapientiæ scilicet Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes &c. Et si dicas quòd ideo pœnitentia est infructuosa damnatis: quia non sunt viatores, nec sunt in statu merendi; pœnitentia autem valet homini quam diu homo est in hac vita, sed non post. Contra arg. auctoritate D. Hieronymi & habetur de pœnitentia. d.3. Nihil Iudæ profuit egisse pœnitentiam per quam scelus emendare non potuit; & tamen Iudas erat viator, ergo pœnitentia non valet etiam in viatoribus ad delendum peccatum.

D. August.

D. Hieronymus.

Respondetur quòd pœnitentia damnatorum ideo non valet, quia verè non pœnitent: quia nec pœnam tenent, cum non sit ibi voluntarium, sed renurmuratio, de ratione autem pœnæ est quatenus est deletiua peccati, quod sit voluntaria vt diximus supra articulo septimo & octauo. Ad illud quòd obijcitur de Iuda, Dico quod non quicunque actus pœnitendi sufficit ad deletionem peccati, sed oportet quòd sit actus ordinatus, & maxime ex circunstantia finis, quæ est prima inter circunstantias actus moralis; Iudas autem non pœnituit cum ista circunstantia. s. ex dilectione Dei; nam in sua pœnitentia habebat pro obiecto desperationem, & diffidentiam de misericordia Dei.

Quarto arguitur, Pœnitentia non valet ad delendam culpam, ergo non necessario requiritur, Probatur antecedens, illud per quod deletur peccatum mortale debet esse maius bonum, vel saltem æque bonum, quam peccatum illud sit malum, sed pœnitentia, est minus bonum quam peccatum mortale sit malum, ergo non valet ad delendum peccatum; Maior patet: quia non recompensatur malum, nisi per bonum æquale illi, quòd tollit; Minor probatur: quia pœnitentia est bonum finitum, peccatum autem mortale est malum infinitum, vt patet per illud Ansel. lib.2. Cur Deus homo. c.5. tantum malum est peccatum, quantus est qui offenditur, vel in quem committitur, sed ille est infinitus: quia est Deus. Tibi enim soli peccaui, ergo &c.

D. Anselm.

Respondetur quod pœnitentia vel pœnitens potest reddere æquiualens bonum malo peccati, nam malum peccati consistit in auersione à fine, ergo bonum reductiuum consistit in conuersione ad finem, ita autem perfectè conuerti in Deum actus conuersionis, sicut auertit à Deo actus peccati, & sicut in actu conuersionis non est realiter bonitas infinita, ita nec in actu peccati malitia intensiua infinita, non enim peccatum est malum infinitum formaliter: quia non priuat bonum formaliter infinitum; non priuat enim nisi actum rectum, vel circunstantiam rectitudinis in actu, quæ est aliquid creatum, & finitum; & si dicas offensus est infinitus, ita dico, quod placatus per pœnitentiam est infinitus, & si tanta est offensa, quantus offensus, ita pari ratione tanta est placatio pœnitentiæ, quantus est placatus, & planum est, quòd non oportet placationem esse infinitam formaliter intensiue; sicut ergo est peccati infinitas, & malitia in peccato propter infinitatem ipsius obiecti, à quo peccatum auertit; ita & bonitas per oppositum in actu conuersionis potest dici infinita propter infinitatem obiecti, ad quod actus bonus conuertit. Cæterum hoc modo non est nisi infinitas participata, vel magis secundum dici, siuè extrinseca denominatione, propter infinitatem realem, & simpliciter in ipso obiecto.

QVAESTIO II.

Vtrum actus pœnitendi requisitus ad deletionem peccati mortalis sit actus alicuius virtutis.



Aetera sacramenta cum sint Dei instrumenta supernaturaliter instituta, per se non sunt virtus, at pœnitentiæ sacramentum hoc singulare, & speciale habet, quod sit simul, & sacramentum, & virtus, nam pœnitentia de qua loquimur, vel est virtus, vel actus virtutis; nam præcepta legis non dantur nisi de actibus virtutum; si quidem legislatoris propositum, vt 2. Ethic. legitur, non est nisi ciues facere studiosos, præceptum autem diuinæ legis est de pœnitentia secundum illud Matth.4. Pœnitentiam agite; est ergo pœnitentia virtus. Et hoc est præsuppositum huius quæstionis. Non enim quærit Doc. an pœnitentia sit virtus, sed an pœnitere sit actus virtutis quæ est pœnitentia. Vnde obseruandum est, quòd virtus non est actus, sed habitus electiuus secundum rectam rationem ex 2. Ethic. idest, est habitus inclinans ad operandum secundum dictamen rectæ rationis; actus autem non est virtus, sed actus virtutis, hoc est, vel generat virtutem scilicet habitum studiosum, vel est genitus à virtute, tanto est, quia à virtute dicitur aliquis studiosus, sed propter vnum actum rectum non dicitur aliquis studiosus, nec propter malum dicitur vitiosus, sed propter frequentiam actuum ex quibus generatur habitus, ac perinde virtus, à qua aliquis dicitur studiosus non est actus, sed habitus.

Pœnitentia est sacramentum & virtus.

Virtus quid sit.

Secundo obseruandum est, quod hæc quæstio in duas secatur partes, In quarum prima discurrit Scotus per quatuor actus pœnitendi, quos enumerauimus proxima quæstione & de singulis declarat an pertineant ad virtutem & ad quam; In secunda verò explicat quomodo isti actus pœnitendi se habeant ad delendum peccatum. Sed Nos pro maiori huius quæstionis explicatione secamus illam in sequentes decem articulos.

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS PRINCIPALIS.

IN hoc primo articulo discurrit Doc. per quatuor actus pœnitendi, quos enumerauimus proxima q. & de singulis declarat, an pertineant ad virtutem, & ad quam, & primo hoc declarat de imperio illo voluntatis, quod est causa remota tristitiæ; vnde pro explicatione maiori hunc art. diuidimus in sequentes articulos partiales.

Primus Art. Vtrum pœnitere prout est velle vendicare peccatum sit actus alicuius virtutis.

Secundus Art. Vtrum pœnitere prout idem est, qui velle vindicare peccatum sit actus specialis virtutis.

Tertius Art. Vtrum velle vindicare peccatum sit actus virtutis intellectiua, vel appetitiua.

Quartus Art. Vtrum velle, punire peccatum sit actus iustitiæ, vel amicitiæ.

Quintus Art. Vtrum actus iste iustitia punitiua, sit superior, siue nobilior actu charitatis.

Sextus Art. Vtrum nolitio, seu detestatio peccati sit actus virtutis specialis.

Sextus Art. Vtrum pœna acceptatio, & patienter tollerare pœnam sit actus specialis virtutis.

Octauus Art. Vtrum contingat excedere in nimis pœnitendo, hoc est, in nimis detestando peccatum, vel vindicando.

Nonus Art. Vtrum pœnitentia sit virtus infusa, vel acquisita.

Decimus Art. Vtrum Pœnitentia fuerit in Adamo in statu innocentiæ, vtrum etiam in paruulis cum baptizantur, & an in Beatis, & specialiter in B. Virgine, & Christo domino.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum pœnitere prout est velle vendicare peccatum sit actus alicuius virtutis.

Interior pœnitentia sumitur quinque modis. INterior pœnitentia de qua est hic principaliter sermo, accipitur quintuplicitet, Primo pro imperio voluntatis, quo ipsa voluntas imperat intellectui, vt reductis peccatis ad memoriam consideret eorum malitiam, & deformitatem, & ipsamet voluntas imperat sibi, vt detestet illa. Secundo accipitur pro ipsa nolitione, & detestatione peccatorum, quando voluntas hunc elicit actum scilicet nolle peccasse, & hic actus sequitur ex primo. Tertio accipitur pro tristitia, & anxietate, quam patitur peccator, & ista pœnitentia non est actus, aut operatio voluntatis, sed quædam passio, quæ sequitur ex detestatione, & nolitione peccatorum: quia vt dicit D. Augustinus. *D. August.* Tristitia est passio ex his quæ nobis nolentibus accidunt. Quarto accipitur pœnitentia pro acceptatione huius tristitiæ, quando peccato acceptat illam tristitiam congaudendo in illa; de qua acceptatione inquit D. Augustinus. Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat. Velle enim habere dolorem, est pœnitere; quia est velle habere pœnam scilicet accipitur pœnitere, vt idem est quòd libenter ferre flagella nobis inflicta à Deo propter peccata. Hanc legimus. 1. Reg. 3. Heli sacerdotē habuisse; cui cum Deus per Samuelem minaretur pœnam propter negligentiam in puniendis filijs respondit, Dominus est quòd bonum fuerit in oculis suis faciat. Vbi inquit glossa, quòd hæc pœnitentia Heli fuit sufficiens ad remissionem peccatorum: quia patienti animo acceptauit pœnam sibi infligendam à Deo.

Hoc præsupposito dico, quòd pœnitere primo modo accipiendo illud pro imperio voluntaris est actus virtutis. Probatur primo omnis actus qui est conformis rectæ rationi potest esse actus alicuius virtutis, sed pœnitere primo modo accipiendo illud pro imperio voluntatis est conformis rectæ rationi, ergo potest esse actus alicuius virtutis: Maior patet nam bonitas intrinseca, & formalis actus moralis, est conformitas ad rectam rationem, seu ad rectum dictamen rationis, quo ad bene agendum, & malum fugiendum; minor probatur summus legislator secundum rectam rationem, punit transgressores legis suæ; atque adeo Arist. ex Ethy. c. vltimo post doctrinam, de vitijs, & virtutibus statim introducit legem positiuam, tamquam vltricem vitiorum, & præmiatricem virtutum ergo eius minister secundum rectam rationem punit eos, quorum punitio est sibi commissa á supremo legislatore; patet consequentia quia Minister iustè exequitur, quòd iustè Iudex præcipit; nam vniuersaliter rectitudo in actu subministrationis est ex conformitate eius ad agens, cui subministrat; sed vnicuique homini, qui offendit Deum, in præsenti vita commissa est punitio sui ipsius á Deo, tamquam ministro, ergo vnusquisque secundum rectam rationem se punit post peccatum; at verò homo potissimum se punit illo imperio, quo coniungit causas partiales punitionis, ergo illud imperium est conforme rectæ rationi, & per consequēs actus virtutis. Vis, & robur huius rationis in hoc consistit, quod secundum rectam rationem sicut bonum est præmiandum, ita malum est puniendum; atque adeo puniens malum (& maxime si à legislatore hoc est sibi commissum) facit actum rectæ rationi conformem: quoniam sicut legislator iudicans transgressionem legis agit rationabiliter, & secundum rectum dictamen rationis, ita & eius Minister exequens legislatoris voluntatem similiter rationabiliter agit, & secundum rectum dictamen rationis, atque adeo velle vendicare peccatum in seipso est actus secundum rectam rationem, quia elicitur conformiter ad voluntatem legislatoris. Deus autem est legislator, qui vult secundum suas leges æternas peccatorem punire, eo quòd peccans transgreditur eius legem, & licet ipse immediate posset peccatorem punire, tamen commisit hoc ministris suis nempe ipsimet peccatoribus, volens etiam peccatorem ipsum esse ministrum Dei ferentis legem, vt vnusquisque in seipso vindictam sumat de peccatis suis, quæ contra Dei legem commisit; & per consequens imperium illud quo coniungit causas partiales punitionis, est conforme voluntati supremi legislatoris, atque ita actus virtutis.

Obser. est tamen quòd pœnitere non dicit solum, & præcise vendicare peccatum, sed cum hoc connotat peccatum illud esse commissum, ab ipsomet vendicante seu puniente; quod patet ex nominis interpretatione. Pœnitere enim est pœnam tenere, ille autem pœnam tenet, cui sibi ipsi eam tenet, atque obligatus sibi ipsi dare pœnam; ex quo sequitur quòd licet Deus sæpius transgressionem legis vindicet in peccatore; tamen non dicitur pœnitere, quia in seipso pœnam non tenet. Nam tenere (vt inquit Doc.) quando non additur datiuus exprimens cui teneatur, significat quod sibi ipsi tenenti teneatur, atque adeo licet Deus puniat peccatorem, tamen non dicitur pœnitere: quia non sibi sed alteri pœnam infligit, at sibi pœnam infligens pœnitere dicitur, idest sibi pœnam applicando tenere.

Secundo obser. est, quòd actus virtutis potest tripliciter accipi, vel actus dicitur esse virtutis tripliciter, vno modo quia est elicitus ab habitu, qui est virtus. Secundo quia generat virtutem, & his duobus modis non oportet quòd pœnitere sit actus virtutis: nam accidit actui virtuoso, quod producatur á virtute, vel quòd generet virtutem. *Actus virtutis tripliciter accipi potest.* Tertio modo dicitur actus virtutis, quia natus est generare, vel augere virtutem, & isto modo pœnitere est actus virtutis. Ex hoc sequitur quod quando dicitur in conclusione, quòd pœnitere est actus virtutis, nō est intelligendum esse actum virtutis quòd semper á virtute procedat, sed quòd procedit à virtute, vel virtus procedit ab ipso, sicut primus actus temperantiæ est actus virtutis, non quia à virtute procedit, sed quia virtus procedit ab ipso, ita pœnitere, quòd præcedit habitum, qui est virtus, non dicitur actus virtutis, eo quòd à virtute procedat: quia stat quòd aliquis verè pœniteat, & nullum habitum habeat: non enim oportet quando quis bene agit, quod semper ex virtute agat: quia accidit actui virtutis quantum ad per se rationem bonitatis moralis, quod sit à virtute genitus, vel virtutem generans, sed satis est vt elicatur conformiter ad rectum dictamen.

ARTICVLVS II.

Vtrum pœnitere prout idem est quod velle vindicare peccatum sit actus specialis virtutis.

PRo titulo quæstionis obser. est primo quòd virtus generalis est habitus inclinans ad actus plurimarum virtutum, veluti si aliquis ex multis actibus communicandi sua bona acquireret habitū donandi aliquādo liberaliter; aliqñ debitū; aliqñ eleemosynā talis habitus esset virtus gñalis. Virtus autem

autem specialis est habitus inclinans ad actum vnius specialis virtutis, vt habitus liberalitatis inclinat ad communicandum gratis sua bona cum mediocritate, quærimus ergo an pœnitere sit actus virtutis specialis ab alijs distinctæ, an generalis.

Secundo obs. est ex 2. de anima, quod virtutes quæ sunt habitus distinguuntur per actus, & actus per obiecta, obiectum autem est duplex scilicet materiale, & formale; materiale est res circa quam operamur; formale autem est ratio, quæ mouet nos ad operandum; V.g. in Eleemosyna, obiectū materiale est pecunia, formale autem est quia damus eleemosynam, ad subleuandam aliorum miseriam. Habitus ergo virtutum distinguuntur per actus, & habitus per obiecta non materialia, sed formalia, dare enim eleemosynam, & dare alienum proprio domino, sunt duo actus duarum virtutum: quia distinguuntur per obiecta formalia, obiectum enim eleemosynæ idest ratio, quæ nos mouet ad dandum, est vt subueniamus indigenti; ratio autem quæ nos mouet ad restituendum, est vt seruemus æqualitatem reddendo vnicuique quòd suum est. Ex hoc sequitur, quòd illa specialis est virtus, quæ habet speciale obiectum formale, ideo enim habitus dandi eleemosynam est virtus specialis, quia ratio mouens ad eleemosynam, quæ est subuenire indigenti, non mouet ad vllam aliam virtutem, præterquam ad eleemosynam.

Tertio obs. est, quòd malum culpæ, seu peccatum est materiale obiectum pœnitentiæ vt destruendum, seu vitandum, nam virtus pœnitentiæ est principium retractationis prioris facti, ita vt retractatio ex obiecto honesta sit, hæc autem retractatio versatur circa culpam commissam, & per consequens illa est materiale obiectum eius. Obiectum autem formale pœnitentiæ est Diuinum ius, quatenus ex peculiari debito iustitiæ seruandum est, cum enim pœnitentia sit quædam iustitia, & iustitiæ obiectum sit ius, sequitur quòd seruata proportione determinatæ iustitiæ obiectum proprium sit determinatum ius, vel est satisfactio, seu recompensatio diuinæ iniuriæ. Virtus namque pœnitentiæ inclinat ad destructionem peccati, intendens quantum est in potestate peccatoris cum auxilio Dei recompensare, vel resarcire Diuinam iniuriam; recompensatio ergo, vel resarcitio Diuinæ iniuriæ est ratio quæ mouet peccatorem ad vindicandum peccatum.

Quarto obs. est, quòd pœnitere requirit notitiam distinctam illius de quo aliquis pœnitet. Vnde quando aliquem pœnitet, multa sunt quæ se habent per ordinem. Primum est velle imperatiuum, imperans atque coniungens causas tristitiæ ad inuicem; Secundum sunt ipsæ causæ tristitiam ipsam causantes; Tertium est ipsa tristitia; Quartum est complacentia, & velle seu acceptatio illius tristitiæ; Quintum ex illo velle sequitur gaudium de illa tristitia, iuxta dictum D. Augustini. Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat. V.g. Petrus peccauit peccato fornicationis. in pœnitendo hunc ordinem habet, primo habet velle imperatiuum, quo imperat causas tristitiæ, quæ sunt duæ, nempe fornicationis apprehensio, & nolle, seu odio habere fornicationem illam. Tum dico quòd velle illud imperatiuum, quo voluntas imperat intellectui, vt consideret, & apprehendat illam fornicationem, & sibimetipsi, vt illam detestetur, est primum; Secundum est apprehensio illius fornicationis, & nolitio, seu odium illius; Tertium est tristitia, quæ ex apprehensione fornicationis, & eiusdem nolitione causatur. Quartum est vnum velle, quo voluntas vult tristitiam illam habere. Quintum ad illud velle, quo vult habere tristitiam sequitur gaudium, & tunc verificatur dictum D. Augustini. Peccator de peccato doleat &c. Inter ista quinque Doc. ponit huiusmodi ordinem, seu distinctionem: quia primum se habet vt causa principalis tristitiæ, sed remota. Secundum se habet vt causa proxima, & immediata tristitiæ. Tertium se habet vt effectus. Quartum se habet vt actus cadens super tristitiam tamquam super obiectum. Quintum se habet tamquam effectus sequens ex illo actu; primum itaque distinguitur à secundo, sicut causa principalis, & remota à causa secundaria, & propinqua. secundum distinguitur a tertio velut causa ab effectu, seu actio à passione. tertiū à quarto sicut obiectum ab actione, quæ transit super ipsum, & primum à quinto sicut obiectum à passione appetitiua illius obiecti.

All pœnitētiam quinq; per ordinem concurrunt.

Ex his sequitur, quòd nihil dicitur propriè, & per se vindicare, nisi primum istorum quinque, nempe illud velle imperatiuum. quo quis imperat causas immediatas tristitiæ, hoc patet in vindicante superiore, & inferiore, qui debent habere actum vindicandi eiusdem rationis, & speciei. v. g. Deus vult vindicare peccatum meum, & ego etiam volo idem peccatum vindicare. Deus est vindicans superior, & ego sum vindicans inferior; actus vindicandi quo Deus vult vindicare peccatum, & actus quo ego volo idem peccatum vindicare, sunt eiusdem rationis, quia sicut vindicans superior vult infligere pœnam propter peccatum, ita & vindicans inferior, & sub iisdem circumstantijs. Cæterum nihil est vniforme, vel simile in vindicante superiore, & inferiore nisi illud velle imperatiuum, ergo nihil dicitur propriè, & per se vindicare nisi velle imperatiuum quòd est primum istorum quinque.

Hoc etiam probari posset à posteriori: quia alia quatuor possunt esse à quibusdam causis indeterminatis, & signanter secundum. i. possunt fieri bene, & male, à causa bona vel mala, sed de isto inquit Scot. parum est curandum. Sed sufficiat hic habere, quòd possibile est inuenire aliquem actum priorem causis proximis tristitiæ, & coniungentem illas causas, sicut declaratum est in q. præcedenti, & per consequens ille actus præcedit tristitiam, ac per hoc complacentiam, & multo magis gaudium de tristitia. Illum primum actum possibilem (inquit Doc.) voco vindicare, siue pœnam infligere pro commisso, & per consequens habemus distinctam rationem eius, quòd est pœnitere secundum primam significationem nominis.

Hoc supposito, sit hæc conclusio responsiua ad quæstionem. Pœnitere accipiendo pro velle vindicare est actus virtutis specialis, idest ille actus non pertinet indifferenter ad quamlibet virtutem, sed ad certam, & determinatam. Probatur, ille actus est specialis virtutis, qui habet speciale obiectum, & speciales circumstantias, sed ille actus nempe velle vindicare est huiusmodi, habet enim speciale obiectum puta peccatum vindicabile propter Deum offensum, & etiam speciales circumstantias, scilicet propter debitum finem, & tali modo, ergo pœnitere primo modo est actus specialis virtutis.

ARTICVLVS III.

Vtrum velle vindicare peccatum sit actus virtutis intellectuæ, vel appetitiuæ.

PRo solutione obs. est, quòd habituum alius est intellectiuus, alius appetitiuus, habitus intellectiuus est qui subiectiue in intellectu recipitur, & est duplex alius acquisitus, alius infusus; infusus, vt fides, acquisitus est duplex, scilicet speculatiuus, & practicus, speculatiuus est etiam duplex scilicet realis, & rationis; realis, vt methaphysicus, Mathematicus, & Physicus, rationis vt logicus, Rethoricus, Grammaticus, Practicus est duplex idest circa agibile, vt Prudentia; & circa factibile, vt lana, Neomis, mites, Naugatus, Rus, Medicina, & ars fabrilis. Habitus appetitiuus est qui subiectiue in appetitu, hoc est in voluntate subiicitur, & est duplex scilicet acquisitus, & infusus, acquisitus est duplex scilicet in ordine ad se, vt Fortitudo, & Temperantia, & in ordine ad alterum, vt Iustitia; Infusus est etiam duplex scilicet in ordine ad se, vt spes, & in ordine ad alterum, vt charitas.

Habitus est duplex.

Secundo obseruandum est, quòd secundum communiter loquentes triplex est subiectum virtutum scilicet intellectus, appetitus sensitiuus, & voluntas. Prudentia subiectatur in intellectu; Iustitia in voluntate, Temperantia, & Fortitudo secundum D.Thom. in appetitu sensitiuo, sed secundum Sco. etiam in voluntate; & si dicas cum intellectus, & voluntas sint potentiæ idem realiter inter se, & cum anima iuxta doctrinam Sco. quomodo potest aliquis habitus subiici in vna potentia, quin simul subiiciatur in altera;

Subiectū virtutū est triplex.

D. Thomas Scotus.

Respondetur quod distinctio ex natura rei, vel formalis sufficit ad hoc, quod vna potentia dicatur vnius habitus, vel virtutis subiectum, & non altera, vel dicatur quòd duplex est subiectum scilicet inhæsionis, & perfectionis, ac etiam denominationis. Vnde quando dicimus, quòd intellectus est subiectum prudentiæ, & non voluntas, nequit intelligi de subiecto inhæsionis: quia cum sint idem realiter istæ potentiæ, non potest vna esse subiectum quin

Subiectū est dup ex inhæsionis & denominationis.

quin & altera, sed intelligitur de subiecto perfectionis, & denominationis, prudentia enim perficit, & denominat intellectum, inclinans illum ad recte cognoscendum, non autem perficit voluntatem, nec eam denominat: quia cognoscere non spectat ad voluntatem, sed ad intellectum.

Velle vindicare peccatũ est actus virtutis appetitiuæ. His obseruatis. Dico, quod illud imperium, seu velle vindicare non est actus virtutis intellectiuæ, sed appetitiuæ. Probatur illud velle vindicare, non est nisi velle imperatiuum imperans causas pœnæ, & tale non conuenit nisi voluntati: quia imperare intellectui, vt consideret, & voluntati vt detestetur, non competit nisi appetitui, vel voluntati, ergo &c. Probatur minor, non enim conuenit potentiæ sensitiuæ: quia nulla talis habet imperare intellectui, vel voluntati, & coniungere eos in actibus suis, sub te enim erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius &c. neque conuenit intellectui: quia intellectus non potest imperare sibi ipsi, & voluntati; ergo solum conuenit voluntati: quia sola voluntas habet imperare sibi ipsi, & intellectui, secundum *D. Aug.* D. Augustinum, quod imperet intellectui patet ex lib. 11. de Trin. c. 3. vbi scribit D. Augustinus quod voluntas copulat parentem cum prole, idest coniungit intellectum secundum specie intelligibili cum cognitione, quæ est eius proles, Vnde parens est memoria fœcunda, quæ est intellectus cum obiecto, & proles est actus intelligendi, vel ipsa intelligentia, ita quod tunc voluntas copulat parentem cum prole, cum præcipit intellectui, vt vna cum obiecto producat actum intelligendi. Quod autem voluntas sibi ipsi imperet patet ex eodem Augustino dicente nihil est tam in potestate voluntatis, quam ipsa voluntas idest eius actus, cum ergo ad voluntatem pertineat imperare, sequitur quod velle imperatiuum non est actus virtutis intellectiuæ, sed appetitiuæ.

Probatur secundo eadem Conclusio. Virtus intellectiua inclinat habentem ad esse verum, vel non esse verum, idest ad iudicandum de aliquo vero, idest de aliquo sic adendo, vel non sic adendo, sed sic est quod velle vindicare, non est actus, quo sic dicitur, de aliquo agendo, vel fugiendo, ergo non est actus virtutis intellectiuæ. Concluditur ergo ex prædictis, quod velle vindicare peccatum non est actus virtutis intellectiuæ, sed appetitiuæ idest virtutis existentis subiectiue in voluntate.

ARTICVLVS IV.

Vtrum velle punire peccatum sit actus iustitiæ, vel amicitiæ.

Omnes virtutes morales reducuntur ad vnũ ex quatuor generibus virtutum. PRo explicatione tituli obs. est primo quod ex mente Arist. omniumque Philosophorum omnes virtutes morales reducuntur ad vnum ex quatuor generibus virtutum scilicet ad Iustitiam, fortitudinem, temperantiam, & prudẽtiam, quæ dicuntur virtutes Cardinales, V.g. Iustitia cuius ratio formalis consistit in ratione debiti reddendi secundũ rectam rationem; est genus ad liberalitatem, obedientiam, eleemosynam &c quod patet, quia genus est quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid, sed iustitia prædicatur de his virtutibus, ergo est genus earum.

Sub iustitia continentur 22. virtutes. Secundo obs. est, quod sub iustitia 22. virtutes continentur. quæ sunt latria, Pietas, Dulia, Hiperdulia, legalis iustitia, Epicheia, beneuolentia, Affabilitas, benificentia veritas, amicitia, liberalitas, pœnitentia, reuerentia, obseruantia, misericordia, vindicatio, gratitudo punitiua iustitia; restitutiua iustitia, distributiua iustitia, & commutatiua iustitia. Quarum virtutum sufficientia ita assignari potest. Nam *Sufficientia [illegible] mora[illegible] quæ sub iustitia continentur.* cum ratio formalis iustitiæ, vt diximus, consistat in ratione debiti reddendi, secundum rectam rationem, Homini contingere potest quod sit debitor quadrupliciter, quia hoc potest contingere, vel secundum habitudinem effectus ad causam, vel secundum propriam conditionem, & naturam, vel quantum ad perfectionem secundam, & superadditam vel quantum ad actionem voluntariam.

Iuxta priorem habitudinem scilicet effectus ad causam comparatur homo tripliciter. Primo ad Deum secundum suum esse totale. Secundo ad parentes secundum esse naturale, & tertio ad quemlibet superiorem, & legem, secundum esse perfectum. Primo modo redditur Deo debitum per virtutem latriæ: quod facere potest triplici ratione, vel quatenus eum considerat sub ratione principij producentis, vel prouidentis, vel omnia præscientis, & intuentis. Ex hoc autem oriuntur multæ species religionis, siue latriæ, quibus homo reddit Deo debitum; vt sunt deuotio, laus exterior, adoratio, oblatio decimarum, vel primitiarum, gratiarum actio, oratio, deprecatio, seu inuocatio, votum &c. de quibus diffusus sermo habitus est in 3. sent.

Secundo modo comparatur homo ad parẽtes scilicet quo ad esse naturale, & ipsis reddit debitum per virtutem, quæ potest dici ius paternum, siue pietas. Tertio comparatur ad quemlibet superiorem, vel legem secundum esse perfectionale, ad quod inducitur tripliciter. Primo per modum exẽpli, vt ab illis, qui sunt sibi superiores. quantum ad imitationem perfectionis, & status, & istis debitum reddit per virtutem hyperduliæ exhibendo eis debitum cultum, & obsequium. Secundo per modum præcepti, vt ab illis quorum subditus est, & qui ex officio præsident sibi, quibus reddit debitum per virtutẽ Duliæ. Tertio inducitur quasi per modum eruditionis, & doctrinæ practicæ, per quem modum legibus bene ordinatis, expedit hominem inducere ad virtuosam perfectionem. & istis reddit debitum per virtutem legalis iustitiæ, vel epycheiæ, sed differunt quia legalis iustitia est obeditiua respiciendo maxime ad legis verbum, & eius actus est iudicium, epycheia autem est obedientia. respiciendo maxime ad intellectum, quem habuisset legislator, vnde est obseruantia legis, non secundum verbum. sicut legalis iustitia, sed secundum intellectum alium consequẽs verbum, propter hoc quia est legis interpretatiua.

Iuxta secundam habitudinem si consideratur homo, nẽpe secundum conditionem propriam, tripliciter inuenitur debitor, secundum quod triplicem conditionem naturaliter habet; est enim animal sociabile, vel ciuile, est animal rationale, & est animal quod sibi non sufficit si solitarium esse velit; ex prima conditione tripliciter fit debitor aliorum; scilicet quantum ad animum, quod reddit per beneuolentiam, quantum ad verbum, quod reddit per affabilitatẽ, & quantum ad auxilium, & beneficium, quod reddit per beneficiẽtiam. Ex secunda conditione efficitur debitor eius, quod exigit natura inquantum rationalis, & hæc est veritas, quod debitum reddit per virtutem veracitatis, vel veritatis. Ex tertia conditione obligatur homo, vt alijs societur, quod fit per virtutem amicitiæ.

Iuxta tertiam habitudinem, si consideretur homo scilicet quantum ad perfectionem secundam, & super additam, & eius oppositum, hoc potest esse vel ratione eius, quod habet in se, vel ratione eius, quod reperit in alio, si priori modo, vel illud est bonum, vel defectus boni, quod est ipsum malum; si illud sit bonum, vel est bonum animæ, & respectu huius est superius assignata, virtus Duliæ hyperduliæ legalis iustitiæ, & epycheiæ; vel est bonum fortunæ qualia sunt bona temporalia propter qua obligatus est ad restituẽdum, & hoc pertinet ad liberalitatem; si verò in se reperiat defectum boni, quod est malum culpæ tenetur ad emendandum, quod facit per virtutem pœnitentiæ. Si autem surgat obligatio ratione quod reperit homo in alio, aut illud est bonum & maxime bonum moris, vel illud est malum, si sit bonum moris obligatur ad honorem retribuendum, quod redditur per virtutem reuerentiæ respectu meliorum, vel obseruantiæ respectu æqualium, vel inferiorum. Si autem quod reperitur in alio sit malum, tenetur ad subueniendum si sit malum pœnæ, ad quod inclinat virtus misericordię; vel tenetur ad tollendum, & persequendum si sit malum culpæ, & ad hoc inclinat virtus vindicatiua.

Si homo consideretur postremo, quo ad obligationem, quæ consurgit per actionem voluntariam, aut actio illa voluntaria præsupponit factum, aut non; si factum præsupponit, vel illud est sibi bonum vel malum; si sibi bonum obligatur ad recompensandum secundum possibilitatem, quod reddit per virtutem gratitudinis, si autem est malum, obligatur quis ex officio ad corrigendum, ad quod inclinat iustitia punitiua, & specialiter obligatur, qui malum gessit, si sit læsiuum proximi ad satisfaciendum, ad quod inclinat iustitia restitutiua. Si verò actio voluntaria non præsupponit factum, sed sit de pari; Tunc potest oriri duplex obligatio scilicet vel ad æqualitatem secundum proportionem geometricam, & hanc exercet iustitia distributiua, vel ad æqualitatem secundum proportionem Arithmeticam, & hãc exercet iustitia commutatiua.

His suppositis diximus velle vindicare peccatum esse actũ

specia-

specialis virtutis distinctæ ab omnibus aliis, quia habet specialem actum, & speciale obiectum formale, & cum virtutes omnes morales reducantur ad prædicta quatuor genera, & certum sit pœnitentiam contineri sub iustitia, cum sit virtus appetitiua, & ad alterum vt statim videbimus; quæritur modo an pœnitentia ea sit species iustitiæ; quæ appellatur iustitia punitiua; vel quæ appellatur amicitia. Et videtur quod sit amicitia; Est enim amicitia habitus inclinans voluntatem amici ad se conformandum voluntati alterius in licitis, & honestis, atque etiam ad corrigendum amicum si necesse sit, ad hoc vt amicus sit dignus amari; sed per istam vindictam, quia quis vindicat peccatum suum reconciliatur vindicans ipsi Deo, ergo ille actus est actus amicitiæ. Hoc etiam patet tam ex parte Dei, cuius finis est per punitionem hunc hominem reconciliare sibi: quam ex parte hominis, cuius finis est correctio, & emendatio, per quam dignus sit Dei amicitia, hæc autem omnia pertinent ad amicitiam, ergo &c. Præterea duplex est castigatio, altera qua intenditur correctio, & emendatio castigati; & hæc cum sit propter bonum castigati, ad amicitiam pertinet; altera vero est castigatio, quæ fit vt appetitus castigantis expleatur alterius vindicta, vt docet Arist. t. ethy. c. x. sed Deus non vult punire propter vindictam sui appetitus, quia hoc esset crudelitas, ergo vult punire hominem propter eius correctionem, & emendationem, hoc autem ad amicitiam pertinet, ergo velle sic punire est actus amicitiæ. Et confirmatur per Philosophum 2. Retho. c. 12. vbi docet quod differt correctio a punitione stricte accepta in hoc, quod correctio fit correcti gratia, scilicet vt emendetur, punitio autem fit punientis gratia, vt satietur. Secundum videtur esse omnino crudelitas, & hoc etiam tam in Ministro, quam in Iudice, quia propter eumdem finem debet Minister exequi, propter quem fert Iudex sententiam: quia finis eius debet esse finis mouentis ipsum, & per consequens, quod est crudelitatis in vno, & in alio.

Arist.

Definitio virtutis appetitiuæ. Virtus appetitiua est duplex.

Pro solutione obseruandum est, quod virtus appetitiua est quidam habitus existens in voluntate subiectiue, qui inclinat ad aliquid volendum, vel fugiendum, & est duplex, quidam est ordinatiuus ad se, alius est ordinatiuus ad alterum habitus seu virtus ordinatiua ad se est illa, quæ inclinat habentem ad recte volendum ea, quæ sunt circa se, & pertinent ad ipsum quemadmodum sunt temperantia, & fortitudo, nam istę duæ virtutes ordinant habentem circa ea, quæ sibimet ipsi conueniunt; virtus verò, quæ est ordinatiua ad alterum, est illa, quæ inclinat ad reddendum alteri, quod suum est, & vocatur iustitia, quæ inclinat habentem ad volendum alteri quod suum est, ex hoc sequitur quod ex virtutibus, quædam faciunt hominem rectum in se ipso sine ordine ad aliud, vt est temperantia, cuius effectus est moderatio passionum concupiscibilis in ordine ad seipsum; Quædam vero faciunt hominem rectum in ordine ad alterum vt iustitia, cuius munus est hominem prohibere a nocumento alterius, & punire malos, & præmiare bonos. Hoc supposito.

Velle vindicare peccatū nō est actus virtutis appetitiuæ ad se.

Dico primo. Velle vindicare peccatum a se commissum non est actus virtutis appetitiuæ ordinantis ad se. Probatur. Illum actum, qui est vindicare peccatum potest aliquis elicere circa alterum sicut circa seipsum: imo si aliquis vindicet peccatum suum, non vindicat se nisi tamquam alterum, ergo sequitur quod non est actus virtutis ordinantis ad se, & per consequens erit actus virtutis ordinantis ad alterum. Et si dicas actus, quo volo vindicare peccatum, non est circa alterum, sed est eiusdem ad seipsum, ergo est actus virtutis ordinantis ad se. Respondet Sco. subtiliter, quod ille punit quatenus est Dei Minister, punitur autem quatenus est reus, & quamuis idem homo sit minister, & reus: accidit tamen illi quatenus est minister quod sit reus, nam eadem ratione hic homo qui est Minister castigaret reum, si reus esset alius a ministro, & Deus illi concederet talem facultatem; vnde hic homo non castigat se ipsum nisi qua ratione, idem, vt minister diuersam rationem habet a se ipso, vt est reus.

Velle vindicare peccatū est actus iustitiæ punitiuæ.

Dico secundo quod iste actus scilicet vindicare peccatum est actus iustitiæ distinguendo iustitiam, contra iustitiam amicitiam, & contra iustitiam commutatiuam, quam iustitiam possumus appellare iustitiam punitiuam, Probatur; velle punire alterum est actus eiusdem speciei, cū actu quo quis vult punire se ipsum: quoniam habent idem obiectū; sed velle punire alterum manifeste pertinet ad iustitiam punitiuam, ergo ambo actus sunt eiusdem speciei, & per consequens ad iustitiam pertinent; & reducuntur ad virtutem iustitiæ distributiuæ cuius est præmia virtutibus, & pœnas vitiis dispensare, nam vindicans peccatum, hoc agit vt minister Iudicis, dispensans pręmia meritis, & licet pœnitere dicat vindictam, vt in se, hoc tamen non variat rationē vindictæ inferendæ, ratione cuius reducitur ad iustitiam distributiuam.

Iustitiæ distributiuæ duo sunt actus.

Dico tertio, quod iste actus, qui est vindicare peccatum est nobilior inter omnes actus iustitiæ, accipiendo iustitiam in sua communitate excepto actu præmiationis. Pro cuius intelligentia obseruandum est, quod iustitię distributiuę duo sunt actus, vnus præmiatiuus, & alter punitiuus, qui differunt ab aliis actibus iustitiæ commutatiuæ amicitiæ, & huiusmodi quia alij actus iustitiæ possunt indifferenter conuenire cuilibet personæ, siue publicę, siue priuatę, siue nobili, siue ignobili, siue vrbanę, siue rurali, sed isti dico actus scilicet præmiatiuus, & punitiuus, conueniunt dumtaxat personis publicis in Respub. nempe legislatori, & eius ministris, ex legislatoris commissione. Ideo isti duo actus sunt ceteris perfectiores: nam actus qui excellentiori personæ est proprius, ceteris paribus est excellentior. Ceterum inter illos duos actus, excellentior est actus præmiandi; quia cum ista excellentia communi vtrobique scilicet, quod soli Principi conuenit, actus præmiandi habet nobiliora extrema, nam habet meritum, pro quo fit præmiatio, & præmium quod confertur propter meritum, & personam meritam cui confertur. quæ excellunt pœnam, culpam, & personam ream, cui pœna infligitur, quæ sunt extrema actus puniendi.

Velle punire peccatum est actus voluntatis irascibilis.

Dico quarto, quod velle punire est actus voluntatis quatenus irascibilis, & non quatenus concupiscibilis pro cuius luce obseruandum est quod appetitus sensitiuus est concupiscibilis, & etiam irascibilis. concupiscibilis est ille, qui inclinat in bona conuenientia secundum sensum, & refugit contraria, vt patet in appetitu, quo canis appetit cibum, & refugit flagellum: Irascibilis autem ille est, qui resistit his, & pugnat contra ea, quæ auferunt bona conuenientia concupiscibili, vel contraria inferunt, vt patet in appetitu quo canis mouetur ad mordendum alios canes auferentes sibi cibum, vel etiam hominem ferientem illum, vnde patet quod appetitus irascibilis est defensor, & propugnator concupiscibilis.

Voluntas humana est irascibilis, & concupiscibilis.

Secundo obseruandum est, quod voluntas hominis propter suam præstantiam est irascibilis, & concupiscibilis, concupiscibilis est, quatenus inclinatur in bona conuenientia secundum intellectum, & quatenus refugit contraria: Irascibilis vero, quatenus resistit his, & pugnat contra ea, quæ auferunt bona conuenientia, & inferunt contraria. Vnde sequitur, quod voluntas hominis vult punire hominem, quatenus est irascibilis propter ea enim punit, quod abstulit peccando vnionem cum Deo, quod erat illi boni conuenientissimū, & fecit illum Diabolo subiectum, quod homo refugit tamquam sibi nocentissimum, & confirmatur ex D. Augustino in lib. de pœnitentia, dicente pœnitentia est quædam dolentis vindicta, sed constans est, quod vindicta est ipsius Irascibilis, Ps. Irascimini &c. & Glos. quid iustius, quam vt suis quisque irascatur peccatis potius quam alienis, seque puniēs per pœnitentiam se Deo offerat. Item Chrysostomus. Perfecta pœnitentia cogit pœnitentem omnia libenter sufferre, sed hoc est ipsius irascibilis, ergo pœnitentia est in vi irascibili, & sic patet, quod velle vindicare peccatum est actus voluntatis, cuius est imperare imperio pertinente ad vim irascibilem, & est actus iustitiæ punitiuæ.

D. Au.

D. Chriso.

Vindictæ, & correptionis differentia.

Ad Argumenta in oppositum respondetur, & ad primum dicitur quod velle punire non est actus amicitiæ, nec habet pro fine correptionem, & emendationem puniti. Vnde obseruandum est. Latam esse differentiam inter vindictam, & correptionem: nam iustitia vindicatiua est vna virtus, quę inclinat ad puniendum aliquod peccatum secundum quod lex committit, ac proinde vindicta respicit correspondentiam pœnę ad culpam secundum legem, siue concomitetur correctio puniti siue non, vnde, & quandoque iusta vindicta fit exterminando reum, ex qua patet, quod non sequitur correctio, nec tamen est ibi crudelitas, quia finis proximus istius vindictæ non est vt vindicans, satietur sed conseruatio legis, & vlterior finis ille, qui est finis legis.

Et si

Lex duplex, Diuina & humana.

Et si quæras quis est finis istius legis. Dico quod duplex est lex, scilicet Diuina, & humana, lex humana est quæ ponitur ab homine, & finis eius non est legislator, sed bonum Reipub. Lex Diuina est quæ statuitur a Deo, & eius finis est ipsemet legislator, nempe Deus. Vnde si quæratur quare debet seruari huiusmodi lex diuina? Respondetur propter legislatorem, siue propter amorem, & dilectionē eius. Si autem quæratur, quare seruari debet lex humana? nō potest dici propter legislatorem, sed propter bonum commune; quia finis legis positæ ab homine non est ipse legislator, vel bonum eius, sed bonum commune, atque adeo propter illum finem est lex, & obseruatio eius, atque adeo rationabilior est vindicta, inquantum est ad istum finem, quam si esset ad bonum priuatum personæ punitæ, nempe ad ipsius correctionem. Ita in proposito dici posset, quod lex diuina est propter bonum commune hominum, quibus data est; & punitio cuiuscunque contra legem peccantis, & hoc est secundum legem propter legis obseruantiam, & vlterius propter bonum commune illorum, quibus data est lex, & tandem propter ipsum legislatorem. Et hoc ideo hic, & non in lege posita ab homine: quia hic bonum legislatoris est simpliciter melius bono communitatis: at in lege humana bonum legislatoris non est tantum bonum, sicut est bonum commune: Ex quo sequitur, quod in omni lege tota resolutio debet fieri ad ipsum Deum, qui est summus legislator. Vnde si quæratur, quare hoc punitur? Respondetur vt seruetur lex, sed quare seruatur lex? Respondetur propter bonum commune; sed quare seruandum est bonum commune? respondetur propter ipsum Deum: quia Deus est maius bonum, quam bonum commune. Ex hac litera Doc. sumi potest argumentum efficacissimum ad probandum; quod magis debeāt puniri peccata, quæ sunt grauiora, quam ea quæ magis sunt contra bonum Reipub. & argumentatur sic. Bonum legis vltimum est bonum ipsius Dei, qui est legislator, quia diximus quod bonum Reipub. nō est nisi propter bonum ipsius Dei, sed peccata grauiora sunt magis Dei offensiua, quam minus grauia. ergo Respub. magis debet punire peccata grauiora. Et confirmatur. Bonum Dei non est propter bonum Reipub. sed econuerso bonum Reipub. propter bonum Dei, ergo magis debet Respub. punire peccata, quæ sunt contra bonum Dei, quam quæ sunt contra bonum commune, atque ita fornicator magis debet puniri, quam latro mille aureorum.

Habemus itaque quod iusta vindicta respicit correspondentiam pœnæ ad culpam secundum legem non curando, an sequatur correctio puniti, vel non sequatur. Sed de amicitia aliud est, quia si amicitia inclinat ad puniendum aliquem, non inclinat ad puniendum illum, nisi vt ille sit magis amabilis, ita videlicet, quod amicitia non curat nisi illam punitionem, quæ facit amicum magis amabilem, siue illa punitio sit magna, siue parua, & si amicum corrigere posset absque punitione, seu vindicta, libentius faceret, atque adeo lata est differentia inter vindictam, & amicitiam, quia vindicare non est actus amicitiæ.

Ex his ad primam rationem dicitur, quod licet ita sit, quod per pœnitentiam reconciliemus nobis Deum, tamen pœnitentia, seu pęnitere, non est propter hoc principaliter, vt reconcilietur ipse Deus, sed vt pęnitens fiat immunis a pęna, ad quam obligatur pro peccato suo. vt sit debita correspondentia pœnæ ad culpam, eo modo, sicut lex præcipit.

Ad secundam dico, quod vendicare peccatum non est principaliter propter correctionem puniti, vt patet in punitione, qua Deus punit damnatos, ex qua tamen non intendit, neque sperat illorum correctionem, & etiam patet in occisione homicidæ, quæ iusta est, & tamen ex illa non speratur illius correctio, atque adeo velle punire, non est actus amicitiæ, sed iustitiæ punitiuæ: quoniā eius proprius actus est adæquare pœnam statutam a lege, cum culpa, neque Iudex humanus propterea crudelis est: quia non punit propter suum bonum, neque propter seipsum, sed propter bonum commune, vt hac ratione leges obseruentur, & homines a peccatis retrahantur. neque etiam Deus est crudelis castigando damnatos, licet non intendat bonum illorum: quia castigat illos propter bonum publicum, & commune, & propter se ipsum, vt magis reluceat sua iustitia in vasis miseriæ, & iræ. Contra si Iudex humanus castigat aliquem propter seipsum est crudelis, ergo si Deus castigat damnatos propter seipsum crudelis est. Respondetur quod bonum ipsius Iudicis humani, & ipse Iudex est bonum particulare, multo imperfectius quam bonum commune, ideoque puniendo alios propter se ipsum, & non propter bonum commune, sed propter bonum proprium, crudelis est, at vero Deus, & bonum diuinum est multo perfectius quam bonum commune, quod leges procurant, proptereaque puniendo damnatos propter se ipsum tanto melius facit, quanto ipsemet longo interuallo omnia alia bona antecellit. Et per hoc patet ad confirmationem de primo Rethore nam corrigens corrigit gratia correcti; sed vindicans non vindicat gratia correcti per se, nec gratia sui ipsius, sed gratia legis, & vlterius gratia boni communis, & tunc gratia sui si est ipse finis legis, vt est in proposito. Ex his ergo concluditur, quod velle punire peccatum non est actus amicitiæ, sed iustitiæ: quoniam proprium eius obiectum est recompensatio, & adequatio culpæ cum pœna debita secundum regulam, siue legem, quod pertinet ad iustitiam. Vnde quamuis Deus, & homo per hunc actum habeant pro fine, reconciliationē; quia tamen hic finis est remotus, & non proximus, ideo iste actus non est amicitiæ, alias quicumque actus bonus cuiuscunque virtutis esset actus amicitiæ: quoniam homo per illum potest habere pro fine reconciliationem cum Deo.

ARTICVLVS V.

Vtrum actus iste Iustitiæ punitiuæ sit superior, siue nobilior actu Charitatis.

Ratio dubitādi est; quia ille actus videtur esse nobilior, quo mediante voluntas imperat alium actum; at mediante actu vindicandi; voluntas imperat actum charitatis; nam voluntas volens vindicare peccatum, ex hoc sibimet ipsi imperat vt amet, & diligat Deum: Ex eo enim quod homo vult se ipsum punire, mouetur ad amandum Deum, vt firmior, & Deo charior sit punitio, cum ergo imperare sit virtutis superioris, videtur sequi quod hæc iustitia sit charitate superior.

Pro solutione obseruandum est primo, quod voluntas est ita potens, quod mediantibus diuersis habitibus potest in se ipsa quasi circulariter: nam mediante charitate potest producere dilectionem Dei, & habita dilectione Dei, potest ex hoc imperare, vt sequatur detestatio, & vindicta peccati; similiter econuerso ex actu vindicandi peccatum potest voluntas imperare amorem Dei, & ex hoc patet quomodo virtutes dicuntur sorores: quia nempe voluntas habens vnum actum virtutis mediante illo imperat immediate actum alterius virtutis.

Secundo obseruandum est, quod charitas, & iustitia punitiua sunt duę virtutes, quarum vna potest ad actum alterius inclinare, quod potest dupliciter intelligi, vno modo immediate, & sic est falsum, quia virtus immediate inclinat ad actus, ex quibus genita est: Alio modo mediate, hoc est mediante actu suo, atque ita dicit Doct. quod aliqua virtus mediate potest inclinare ad actum alterius virtutis: imo ad actum alterius potentiæ, nempe intellectus, vt velle detestari peccatum suum, partialiter inclinat ad actum charitatis, idest partialiter potest concurrere ad actum charitatis. Displicentia enim peccati concurrit ad actum dilectionis Dei: imo etiam ad actum intellectus falsum, & non rectum: nā secundum aliquos humilitas, quæ est in voluntate, inclinat ad causandum iudicium, quod iste est melior me, cum tamen communiter sit oppositum. Sicut ergo ista iustitia punitiua inclinat mediante actu suo ad actum charitatis: ita charitas inclinat ad actum iustitiæ punitiuæ, atque adeo istæ duæ virtutes reciproce inclinant ad actus suos, atque ita ex hoc quod iustitia punitiua inclinat ad actum charitatis non potest concludi, iustitiam punitiuam esse superiorem, aut nobiliorem charitate, sicut nec econuerso. Et si quæras ex quo ergo concluditur nobilitas vnius super alteram? Dico quod nobilitas actuum, & habituum, communiter accipitur secundum nobilitatem obiecti. Vnde illa virtus est simpliciter nobilior alia, quæ habet obiectum nobilius, atque adeo cum obiectum charitatis sit Deus sub ratione obiectiua nobilissima: obiectum autem huius iustitiæ sit recompēsatio pœnæ cum culpa, vel malum vindicabile, siue reus in quem est vindicandum, quod est aliquid creatum, sequitur quod charitas est longe nobilior hac iustitia punitiua. Tum etiam quia illa virtus est nobilior alia, quæ ratione obiecti

Nobilitas actuum sumitur penes nobilitatē obiecti.

nobilio-

nobilioris magis sibi conuenit imperare, sed charitas habet obiectum nobilissimum, nempe finẽ vltimum scilicet Deũ, ex quo sibi conuenit imperare actus aliarum virtutum, ergo est nobilior, hoc patet in potestatibus ordinatis; in quibus habens finem superiorem, vtitur aliis habentibus finem inferiorem, v.g. Rex in Regno Gallorum, constitutus est ad regimen totius Regni. Præpositus autem Parisiensis, est constitutus ad gubernandum solum Ciuitatem Parisiensem, ac proinde Rex habet finem superiorem, & iden potest vti Pręposito tamquam subiecto suo, qui habet finem inferiorem. Ita in proposito actus charitatis habet finem superiorem s. Deum, ergo debet vti aliis actibus virtutum habentium finem inferiorem. Dicendum est ergo quod actus charitatis est nobilior, quam actus vindicandi peccatum, & similiter charitas est virtus nobilior virtute, quæ inclinat immediate ad vindicandum peccatum, quia habet nobilius obiectum.

Vnde ad rationem dubitandi respondetur, quod charitas secundum se habet imperare aliis virtutibus, id enim habet ex obiecto, quod est altissimum, & supremum, contingit tamen aliquando quod homo ex actu fortitudinis, quo vult subire martyrium, moueatur ad concipiendum Dei amorẽ, & rursum ex charitate, quia Deum amat moueatur ad fortitudinem: atque ita veluti circulo, quodam ex temperantia ad fortitudinem, ex hac ad iustitiam, ex hac ad charitatem, ex hac autem ad alias virtutes moueri solet, idque rationabiliter contingit, cum enim homo habeat virtutes imperfectas, conuenientissimum est firmare, & corroborare ex aliis alias.

Sic apparet de primo actu penitendi, siue de prima significatione huius vocabuli pœnitere, hic Doc. recapitulat quę dicta sunt per ordinem, dicens quod velle vindicare peccatum est velle imperatiuum. Secundo eius effectus ex tristitia. Tertio illa tristitia causatur per aliqua instrumenta, quæ sunt apprehensio, & detestatio peccati. Quarto obiectum illius velle vindicare, est peccatum commissum. Quinto ille qui vindicat habet auctoritatem vindicandi a legislatore scilicet Deo, qui cuilibet concessit, vt esset Minister sui ipsius. Sexto talis vindicat propter finem, qui est vt lex adimpleatur, & vlterius propter bonum commune, & tandem propter ipsum Deum, qui est legislator. Septimo iste actus est specialis virtus, scilicet iustitiæ punitiuæ, existens in voluntate quo ad partem, siue vim irascibilem, atque adeo talis actus habet proprium subiectum, scilicet voluntatem. Octauo iste actus non est tam nobilis, sicut actus charitatis, & actus vlterius virtutis Theologicæ, neque vt actus iustitiæ pręmiatiuæ. Atque ita de primo actu pęnitentiæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum nolitio, seu detestatio peccati sit actus virtutis specialis.

Pœnitentia tripliciter sumi potest.

PRo tituli explicatione obseruandum est primo, quod pęnitentia tripliciter sumi potest, scilicet pro actu, pro habitu, & pro pœnitentiæ sacramento. Actus pęnitentiæ est omnis actus culpæ præteritæ punitiuus: dixi culpæ præteritæ: quia nullus punit peccatum actualiter inexistens, sed præcedens. Est autem huiusmodi actus triplex in genere, Vnus interior, & duplex exterior, actus punitiuus culpæ interior, est actus respuitionis seu detestationis, vel nolitionis peccati; quem actum aliquid præcedit, & aliquid sequitur, antecedit siquidem actus considerationis, seu meditationis peccati detestati: nullus enim potest detestari, seu nolle, sicut nec velle aliquid, nisi notum, & actualiter intellectum; atque ita volens peccatum nolle, & respuere; oportet quod ipsum consideret, & actualiter meditetur. Sequens actum nolendi, vel detestandi peccatum meditatum, vel cogitatum, est tristitia, quæ est passio sequens actum nolendi aliquid in existens, & licet ipse actus nolendi, vel respuendi præcedens sit in hominis potestate, tamen ipso posito non est in eius potestate tristitia sequens. Actus autem huiusmodi nolendi peccatum, quo scilicet qui peccauit nollet peccasse ratione tristitiæ ipsum concomitantis, est peccati præteriti punitiuus: nam tristitia est animæ grauissima pœna, quæ si est de culpa: sicut est quando sequitur actum nolendi ipsam, est culpæ punitiua.

Secũdus actus culpæ punitiuus, qui est primus exterior, est actus confitendi peccatum commissum, quem actum exteriorem sequitur rubor interius peccati confessi, etiam punitiuus, est enim rubor, seu verecundia animæ non leuis pęna: qua punitur etiam ipsa culpa, quando verecundia est de ipsa; sicut est omnis verecundia, seu rubor actum confessionis sequens in quolibet confitente.

Tertius actus in genere, qui est secundus exterior culpæ pęteritæ similiter punitiuus, est omnis actus laboriosus corporalis confesso pęnitenti iniunctus, pro punitione, & satisfatione delicti confessi. Secundo modo accipitur pęnitentia pro habitu virtuoso ad aliquem actum prædictorum inclinante. Tertio & postremo potest accipi pęnitentia pro Sacramento ab aliis sex distincto, & sic posset sumi dupliciter, vno modo pro Sacramento quidditatiue, alio modo pro Sacramento denominatiue. Sacramentum pœnitentiæ quidditatiue consistit in verbis absolutionis, quæ sunt, ego te absoluo, vt videbimus. q. 4. huius d. Sacramentum pęnitentiæ denominatiue potest dici habitus existens in Sacerdote absoluente, de quo statim erit sermo.

Penitẽtia sacramentũ bifariã sumi potest.

Secundo obseruandum est, quod aliqua virtus potest dici generalis tripliciter, vno modo per prædicationem, quia prædicatur de omnibus aliis virtutibus, atque ita iustitia communiter accepta dicitur esse virtus generalis, & communis, & est quæcunque rectitudo animæ, docens declinare a malo, & facere bonum. Secundo modo aliqua virtus dicitur generalis per regulationem, atque ita prudentia est regula omnium virtutum, quia omnes virtutes debent regulari per prudentiam, prudentia enim docet tenere medium, & fugere ab extremis. Tertio modo dicitur aliqua virtus generalis per informationem, & sic charitas est virtus communis, quia format alias virtutes, ac facit eas acceptabiles Deo.

Virtus potest dici generalis tripliciter.

Tertio obseruandum est, quod duplex est pęnitentia, scilicet naturalis, & supernaturalis pœnitentia naturalis est pęnitentia late sumpta, quæ dicit principium eliciens quamcunque honestam detestationem peccati, per modum habitus inclinantis ad illam, & est quando pęnitet nos peccasse, quia amisimus aliquam virtutem, vt si quempiam pęniteret fornicationis, pro amore continentiæ, vel pęniteret peccati, quatenus est difforme rectæ rationi, talis pęnitentia dicitur naturalis, tum quia eius obiectum est naturaliter cognitum, scilicet amor virtutis, Tum secundo quia potest elici viribus naturæ absque speciali auxilio Dei, veluti eliciebant Philosophi morales. Pœnitentia autem supernaturalis est, quando aliquis dolet de peccatis propter Deum offensum, quem vult sibi reddere amicum ad assequendam gloriam, dicitur autem supernaturalis, quia obiectum scilicet placare Deum pro assequenda gloria, non est naturaliter cognitum, neque ista pœnitentia potest elici viribus naturæ, absque peculiari Dei auxilio. His obseruatis, titulus quęstionis vnum præsupponit, & aliud quærit. Præsupponit enim pœnitere, vt idem est quod nolle peccasse, vel detestari peccatum esse actum virtutis. Quærit autem, an sit actus specialis virtutis, vel detestari vt sic peccatum spectet ad quamlibet virtutem.

Pœnitentia duplex naturalis, & super naturalis.

Circa præsuppositum conueniunt omnes Theologi, omnesque affirmant, nolitionem, siue detestationem peccati esse actum virtutis, hoc est vel generantem virtutem, vel a virtute genitum, scilicet ab habitu virtutis, quod non solum intelligendum est de primo actu punitiuo interiori, nempe nolitionis peccati, vel detestationis, sed etiam de duplici actu exteriori, scilicet de actu confitendi peccatum commissum, atque de actu satisfaciendi, & de primo quidem actu; Probatur sic. Actus virtutis est, qui elicitur secundum rectam rationem in mediocritate consistens, sed recta ratio dictat quod non gaudeamus de peccatis, iuxta illud lætantur in rebus pessimis, & exultant cum malefecerint; neque quod illorum pœniteamus vsque ad desperationem, sicut Cayn, & Iudas, sed in mediocritate, idest cum spe veniæ, ergo talis actus est actus virtutis: Præterea velle peccasse, est actus vitiosus, ergo velle non peccasse est actus virtutis.

Secundo probatur de tribus omnibus actibus simul: Et primo sic, omnis actus imperatus, vel elicitus concors recto dictamini intellectus est studiosus, & moraliter bonus, sed talis est quilibet prædictorum, vt patet per singulos discurrendo, ergo &c. constat enim quod recta ratio dictat omne malum, quod est contra Diuinum beneplacitum esse respuendum, sicut & bonum eligendum, sed peccatum com-

missum

missum fuit malum, & contra Diuinum beneplacitum, ergo &c.

Præterea, omnis actus culpæ punitiuus, siue vindicatiuus, secundum quod est a legislatore institutus, est studiosus, dum tamen fit a Ministro debito, & ad hoc instituto factus, sed Christus Dominus Euangelicæ legis lator, statuit culpam commissam contra legem Euangelicam puniendā omnibus tribus actibus supradictis, scilicet nolitione, quam sequitur tristitia siue dolor, confessione quam sequitur verecundia siue rubor, & satisfactione aliqua exteriori, quam sequitur pœna, & labor; Instituit autem, & voluit suæ legis quemlibet transgressorem esse ministrum suæ legis vindicatiuum, & tribus supradictis mediantibus actibus punitiuum, ergo &c.

Ex hoc sequitur, quod pœnitentia habitualis est virtus ad actum aliquem prædictorum inclinans, nam sicut habitus inclinans ad actum vitiosum prompte, & faciliter exercendum dicitur vitiosus, ita e contrario omnis habitus inclinans ad actum aliquem studiosum dicitur virtus, sed quilibet horum trium actuum (vt probatum est) est formaliter studiosus, ergo habitus inclinans ad aliquem ipsorum est habitus studiosus, siue habitus qui est virtus.

Sequitur secundo, quod accipiendo pœnitentiam pro sacramento pœnitentiæ denominatiuæ, potest dici habitus studiosus, non quidem ille qui inclinat ad actum aliquem pœnitentiæ trium prædictorum, quia nullus illorum est pœnitentiæ sacramentum, sed ille qui inclinat ministrum idoneū ad actum absolutionis, cum enim ex omni bono actu moraliter, possit habitus moraliter bonus generari ad confirmilem inclinans actum prompte, & delectabiliter exercendū; & actus absolutionis, quo sacerdos absoluit modo debito pœnitentem sibi confessum, sit actus studiosus, sequitur quod ex ipso frequentato in sacerdote ipso habitus studiosus generabitur, quo mediante inclinabitur prompte, & delectabiliter ad consimiles actus absoluendi pœnitentes; & talis habitus non est sacramentum quidditatiue, seu formaliter, sed tantum denominatiue, & quodamodo virtualiter propter sacramentum ipsum ex quo ministrato, fuit generatus, & ad quod faciliter ministrandum inclinat habituatum.

D. Bonau. Quo ad principale quæsitum huius art. Quatuor sunt opiniones. Prima opinio, seu potius error est aliquorum, quos refert, & refutat D. Bona. hac d. p. 1. art. 1. q. 1. & 3. asserentium habitum gratiæ, & charitatis esse habitum pœnitentiæ Sed falsitas istius sententiæ plane constat, quia gratia non est proprie virtus, quæ est in potentia ad operandū, sed forma qua grati denominamur, & sumus.

Alex. de Ales *D. Bonau.* *D. Thomas.* Secunda sententia est aliorum, vt ait Alex. 4. q. 12. m. 1. art. 1. §. 2. D. Bona. vbi supra q. 2. D. Thom. 3. p. q. 85. art. 2. asserentium. Pœnitentiam non esse specialem virtutem, sed generalem, horum fundamenta sunt, quia virtus specialis habet peculiarem materiam, circa quam operatur: materia enim iustitiæ est reddere vnicuique quod suum est, & materia fortitudinis est superare ardua, ita quod quælibet virtus habet peculiare obiectum, id est peculiarem materiam, circa quam operatur, sed materia pœnitentiæ est generalis; quia sunt omnia peccata cuiuscumque speciei, ergo non est virtus specialis, sed generalis, siquidem reperitur in omnibus virtutibus, nam pœnitere de incontinentia est actus continentiæ, & de furto est actus iustitiæ, et ita de aliis.

Confirmatur quia eadem virtus numero, quæ inclinat ad actum proprium, inclinat etiam ad detestandum suum contrarium, iustitia enim quæ inclinat ad restituendum, inclinat etiam ad detestandum furtum, quæ detestatio est pœnitentia, ergo &c. Item vna virtus specialis tantum opponitur vni vitio, vt castitas luxuriæ &c. Sed pœnitentia opponitur omnibus vitiis, ergo non est vna virtus, sed multiplex, & non distincta ab aliis, ita quod pœnitere de luxuria, est actus temperantiæ, & de furto iustitiæ &c. & confirmatur; quia omne quod positiue corrumpitur, non corrumpitur nisi per suum contrarium, sed virtute pœnitentiæ corrumpuntur, & relaxantur omnia vitia; ergo omnibus contrariatur, & per consequens non est specialis virtus, si quidem non opponitur vni vitio, sed omnibus. Huic opinioni existimat Sotus *Sotus.* suffragari Scotum, sed falso, vt statim videbimus.

Caietanus. Tertia sententia est Caiet. 3. p. summæ q. 85. art. 2. affirmātis pœnitentiam non esse virtutem generalem, nec specialē distinctam ab aliis, sed esse idem cum virtute religionis, eius fundamentum est, quia nulla virtus exigit, vel præexigit habentem ipsam sub illius contrario, sed pœnitentia præexigit pœnitentem fuisse sub peccato, quod contrariatur pœnitentiæ, ergo &c. at nisi identificetur Religioni necessario supponet contrarium, ergo &c. & hac ratione ait Caiet. conuincere intellectum suum, quam confirmat primo quia in Christo fuerunt omnes virtutes non tamen fuit pœnitentia Inclinat Suar. 3. p. Tom. 1 disp. 19. sec. 1. secundo religio- *Suarez.* nis est reddere debitum propter beneficia accepta, ergo & propter offensam factam; Tertio quia ita sunt in nobis virtutum semina, vt illas possimus acquirere non præexigito peccato.

Quarta sententia est communis quam amplectimur. Alex. *Alex. de Ales* de Ales. vbi supra D. Thom. vbi supra, & D. Bonau. & Ric. *D. Thomas.* d. 14. art. 1. q. 2. Hi asserunt quod pœnitentia non est virtus *D. Bonau.* generalis, sed specialis ab omnibus aliis distincta. Ceterum *Richardus*, huic sententiæ videntur contrariare verba Scoti in hac quæstione, vbi dicit quod loquendo de secunda significatione hu- *Scotus.* ius vocabuli pœnitere, scilicet de eo quod est detestari peccatum commissum, vel displicentiam habere de commisso licet sit actus virtutis, est nullius tamen specialis, sed cuiuscūque appetitiuæ. V. g. pœnitere de superbia est actus spectans ad humilitatem, pœnitere de gula est actus spectans ad temperantiam, atque ita de aliis actibus pœnitentiæ, quod patet, quia vnaquæque virtus sicut inclinat ad complacendū in bono honesto, id est ad complacentiam sui actus, ita inclinat ad detestandum, & displicendum de malo in honesto opposito, id est ad displicentiam sui oppositi, quæ displicentia est pœnitentia, ergo pœnitentia est virtus generalis. Quælibet tamen virtus inclinans ad talem displicentiam est virtus appetitiua, quia nihil est principium volendi, sicut nec amandi, nisi virtus appetitiua. Hactenus Scotus. Sed nihilominus si comode explicetur eius sententia non distat a cōmuni, vt videbimus.

Pœnitentia naturalis nō ē virtus specialis Ideo dico primo, quod pœnitentia, prout est actus naturalis non est virtus specialis ab omnibus aliis distincta; Probatur, quia pro vt est naturalis solum detestatur peccata ob amotem virtutum, quibus peccata opponuntur, & quia sunt contra rectā rationem, ergo huiusmodi detestatio erit eiusdem rationis cuius est virtus, cui opponitur, vt si detestatur fornicationem ob amorem castitatis cui opponitur fornicatio, talis detestatio erit actus castitatis; Nam eadem virtus in specie, quæ inclinat immediate ad acceptandum aliquod obiectum, inclinat etiam ad detestandum oppositum licet mediate, scilicet mediante actu suo; vt virginitas inclinat ad actus virginitatis immediate, sed mediante isto actu inclinat ad actum alterius virtutis, qui est detestari oppositū virginitatis. similiter: quia humilitas inclinat ad actum humilitatis, etiam inclinat ad detestandum actum superbiæ oppositum actui humilitatis, & sic de qualibet virtute.

Probatur etiam ratione Doc. quæcumque virtus, quæ inclinat ad complacendum de bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & ad displicendum de malo in honesto opposito, sicut enim castitas inclinat ad complacendum in bono honesto, ita & ad displicendum de malo in honesto sibi contrario, sicut etiam humilitas inclinat ad acceptandum actum humilitatis, ita ad respuendum actum superbiæ illi contrarium; ex quo sequitur, quod sicut nulla est specialis virtus appetitiua vna, quæ inclinat ad acceptandum omne bonum actum, ita nec est aliqua specialis, quæ inclinet ad respuendum, aut detestandum omne malum commissum atque ita sicut acceptatio, seu electiones diuersorum eligibilium bonorum sunt actus diuersarum virtutum; ita & diuersæ respuitiones, seu detestationes diuersorum malorū, seu peccatorum non sunt vnius, sed diuersarum virtutum, vt detestatio actus, seu peccati superbiæ sit actus humilitatis, & peccati luxuriæ sit actus castitatis, atque ita de aliis. Capiendo ergo pœnitentiam prout est naturalis displicentia peccatorum, non est virtus specialis, sed generalis, & in hoc sensu loquitur Scotus, quem sequuntur Duran. in 4. d. 14. q. *Durandus.* 2. Rubion, eadem d. q. 3. & Suarez. tom. 4. disp. 3. sect. 7. *Rubion.* *Suarez.*

Pœnitentia super naturalis est specialis virtus. Dico secundo quod capiendo pœnitentiam prout est actus supernaturalis, non est generalis virtus, sed specialis distincta ab aliis virtutibus moralibus, & Theologicis, Probatur a priori, habitus distinguuntur per actus, & actus per obiecta, sed nulla virtus præter pœnitentiam inclinat ad istum actum, scilicet pœnitet me peccasse propter Deum offensum, vt illum mihi reconciliem, & vitam æternam acquiram, cum proposito emendandi vitam, ergo est virtus specialis, distincta

cta ab omnibus aliis, hæc est sententia communis Theologorum quam & si Scotus non clare dixerit tamen manifestissimum est non negasse.

Pœnitentia supernaturalis è pars potentialis iustitia.

Dico tertio, quod pœnitere, vt est actus supernaturalis non est pars subiectiua iustitiæ, sed potentialis, prima pars probatur; quia pars subiectiua includit totam quidditatem generis, sicut homo includit totam quidditatem animalis; sed pœnitentia non includit totam quidditatẽ iustitiæ, quia per eam non reddimus Deo æqualem satisfactionem pro mensura peccatorum, quod quidem est de ratione iustitiæ strictè sumptæ, ergo non est pars subiectiua iustitiæ. Probatur 2. pars, species potentialis alicuius generis est illa, quæ habet partem quidditatis illius generis, non autem totam definitionem, sed pœnitentia, quatenus per eam satisfacimus Deo, licet non in totum, sed commutando dolorem pro offensa illi facta, habet partem iustitiæ commutatiuæ, seu distributiuæ prout distribuit pœnam cum proportione ad culpam, ergo est pars potentialis iustitiæ. quemadmodum liberalitas, quæ est reddere alicui indebitum, & si in primo habeat rationem iustitiæ: quia est ad alterum, in secundo autem minime; atque adeo dicitur pars potentialis iustitiæ.

Ad fundamenta aliarum opinionum, respondetur; Et primo ad fundamentum primæ opinionis, quæ affirmabat habitum pęnitentiæ esse ipsum habitum gratiæ, quia habet eundem effectum, scilicet remittere peccata: Dicimus, ꝙ non eodem modo gratia, & pęnitentia remittunt peccata, nam gratia remittit peccatum formaliter, pęnitentia autem dispositiuè.

Ad primum secundæ sententiæ negatur virtutes distingui per diuersas materias actuum, eadem enim materia potest esse diuersarum virtutum, sed habitus distinguuntur per actus, & actus per obiecta, non materialia, sed formalia, vt supra dictum est. art. 2. Ad confirmationem respondetur, quod habet locum in actu pęnitentiæ naturalis, vt cõclusione prima diximus.

D. Thom.

Vnũ contrariũ duobus modis potest expellere suũ contrarium.

Ad secundum respondetur prænotando ex D. Tho. vbi supra ad tertium quod vnum contrarium potest expellere suum contrarium dupliciter, aut formaliter aut effectiue, expulsio formalis tantum est, quando vnum contrarium non est forma actiua, sed solum est incompossibile in eodem subiecto cum suo contrario. v. g. albedo non expellit nigredinem ab eodem subiecto effectiue, quia destruitur a generante albedinem, sed solum albedo expellit formaliter: quia sunt duæ formę incompossibiles in eodem; calor vero expellit formaliter, & effectiue ab eodem frigiditatem: quia est forma actiua; modo ad propositum dico, quod pęnitentia non opponitur formaliter omnibus vitiis, sed solum impenitentiæ, vel obstinationi; effectiue autem talem dispositiuè opponitur omnibus vitiis, quia destruit illa, ex quo patet pœnitentiam vnam esse specialem virtutem, quia tantum opponitur formaliter vni vitio, scilicet impęnitentię, quamuis effectiue opponatur omnibus vitiis. Ex quo sequitur, quod pęnitentia habitualis potest manere in peccatore pleno vitiis, dummodo non sit obstinatus, si quidem talis habitus non opponitur omnibus peccatis formaliter, sed vni tantum, scilicet impęnitentiæ, vel obstinationi, & consequẽter pęnitentia erit vna virtus specialis.

Ad fundamentum Caiet. respondetur, quod actus pęnitentiæ non solum includit subiectionem Deo, & redditionem honoris debiti, sicut actus religionis, sed etiam includit propositum emendandi vitam, & spem consequendi veniam, & vitam æternam, quod sufficit, vt differat a virtute religionis.

Sed contra præsuppositum huius art. Arguitur primo sic, omnis actus virtutis est laudabilis, sed pęnitere, vel detestari peccatum non est actus laudabilis, ergo non est actus virtutis. Maior patet ex secundo Ethy. c. 5. Et Minor probatur, quia passionibus non laudamur 2 Ethy. vbi supra: pęnitere autem est passio quædam, sicut & ipsa punitio, quam includit, ergo &c.

Respondet Doc. quod & si tristitia sit passio, tamen imperare eam est actus, concedimus ergo tristitiam non esse actum virtutis pęnitentiæ, quomodocunque accipiatur pęnitentia; sed pęnitentiæ virtutis primo modo acceptę tristitia est effectus remotus. pęnitentiæ autem virtutis secundo modo acceptæ est effectus proximus, & immediatus: nã nolitio, seu detestatio peccati est causa proxima tristitiæ. vt diximus sup. Ad rationem ergo dico, ꝙ pęnitere põt accipi dupliciter, vno modo pro ipsa nolitione peccati, & vt sic est actus virtutis, alio modo pro tristitia, quæ sequitur ex nolitione, & hoc pacto non est virtus, nec actus virtutis: quia virtus, vel est actus, vel habitus, prædicta autem tristitia nihil est horum, sed tantum passio.

Secundo arguitur actus virtutis est voluntarius: quia electiuus ex secundo Ethic. c. 6. sed pœnitentia est inuoluntaria, quia nihil est pœnale, nisi quod est contra voluntatem, ergo pœnitere non est actus virtutis. Respondet Doct. negando minorem: quoniam licet tristitia secundum affectionem commodi sit inuoluntaria, potest tamen esse voluntaria secundum affectionem iustitiæ. Præterea esto quod pęna esset inuoluntaria, non sequitur quin actus elicitus à voluntate, nempe nolitio, seu detestatio peccati, quam sequitur pęna, idest tristitia sit voluntarius, & huiusmodi actus elicitus est actus virtutis, & non pęna, seu tristitia.

Tertio arguitur nolle peccasse est actus pęnitendi, vt constat ex dictis, sed hic actus ad nullam pertinet virtutem, ergo nolle peccasse non est actus alicuius virtutis, consequentia patet cum maiori, & minor probatur. Quia virtus cum sit habitus electiuus, non versatur circa impossibile: quia electio possibilium est, sed nolle peccasse est circa impossibile: quia impossibile est non peccasse, qui peccauit, nã præteritum nõ fuisse est impossibile Deo. 6. Ethic. cap. 3. hoc solo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt, ergo &c. Huic argumento non respondet hic Doct. sed responsio accipi potest ex secundo sent. d. 6. qua st. 1. Vbi docet Doct. quod electio sumitur dupliciter, vno modo pro actu voluntatis plenæ, & deliberatæ, & in hac significatione, Theologi vocant peccatum ex electione, quod non est ex passione, vel ignorantia, quod quidem peccatum plenam habet deliberationem, & in hac significatione qui vellet peccasse, postquam non peccauit, si habet plenam deliberationem, dicitur peccasse ex electione, quamuis versetur circa impossibile, vnde electio in hac significatione potest esse circa impossibile.

Electio h… riã sumit…

Secundo modo sumitur electio pro cognitione practica consilij, vt est cognitio conclusionis deductæ per syllogismum practicum, veluti si quis postquam intendit aliquem finem V. g. sanitatem, consuluit de medijs, & determinauit medium magis idoneum, tunc consilium sequitur electionem illius medij, qua voluntas se accinxit ad quærendum illud, hac electio est tantum possibilium, quia nullus quærit medium ad id, quod impossibile iudicat, prima ergo electio sufficit ad virtutem, in qua significatione velle non peccasse. est electio: quia est actus deliberatus voluntatis, & nihil obstat, quod sit cum ea impossibile.

Contra. Virtus est habitus electiuus ab electione. Secundo modo. Respondetur, quod virtus est actus, siue habitus electiuus ab electione, secundo modo: quia sic est actus principalis eius, nihil tamen obstat habere alios actus minus principales. Contra. Virtus cuius actus est nolle peccasse non potest causare electionem, secundo modo. Respondetur quod nolle peccasse est actus diuersarum virtutum, vt visum est supra, vnaquæque enim illarum habet hunc actum pro minus principali, electionem autem, secundo modo pro magis principali, sicut per temperantiam vellet aliquis non peccasse contra temperantiam, & etiam eligit cibum moderatum de præsenti propter illam, quæ est electio secundo modo.

Vel secundo, ad argumentum respondetur, quod quamuis peccasse sit impossibile illi, qui peccauit, velle tamen non peccasse est illi possibile, atque ita circa hoc potest esse electio, & similiter circa nolle peccasse, tamquam circa medium determinatum à ratione consultante, an sit pęnitendum de peccato, vel non, voluntas enim eligit nolle peccasse, vel pęnitere tamquam medium ordinatum ad placandum Deum, & consequendam peccatorum remissionem.

ARTICVLVS VII.

Vtrum pęnæ acceptatio, & patienter tollerare pęnam, sint actus specialis virtutis.

QVo ad tertiam significationem, seu actum pęnitentiæ, qui erat pęnæ acceptatio, dicit Doct. quod potest esse actus virtutis, quia potest esse conformis rectæ rationi: nam

nam recta ratio dictat, quod ratione peccati commissi sufferenda est pœna; & quantum ad hoc non est difficultas, sed difficultas est cuius virtutis sit actus. Doctor dicit, quod acceptare gratanter pœnam inflictam pro peccato non est actus determinatæ virtutis, sed pertinet indifferenter ad quamlibet virtutem, ita quod quælibet virtus inclinat ad gratanter acceptandum pœnam pro peccato commisso opposito illi virtuti; ideo indifferenter potest esse cuiuslibet virtutis actus. Pro cuius explicatione obseruandum est, quod quicquid potest esse principium acceptandi, seu amandi aliquod obiectum, potest etiam esse principium acceptandi aliquid aliud in ordine ad illud obiectum, hoc est, omnis virtus acceptans aliquid, potest acceptare aliud in ordine ad illud tamquam medium. hoc declaratur: nam si charitas inclinat ad amandum Deum, inclinabit etiam ad acceptandum media, per quæ consequi poterit Dei amor, & in illum reduci, siue illa media sint pœna, vel non, vel aliquid huiusmodi. Similiter per spem inclinatur homo ad optandum bonum vitæ æternæ; atque etiam per illam inclinatur ad acceptandum aliquam pęnam; quæ faciat illum dispositum ad vitam ęternam habendam. Item si ea virtute timoris timet quis pœnas Inferni, eadem virtute gratanter accipiet aliquam pœnam, vt in illam æternam non incidat.

Nullus absolute pœnã acceptat. Secundo obseruandum est, quod nunquam aliquis acceptat pœnam de per se, & absolute, sed solum propter aliud, hoc est, quatenus illud pœnale est conducens ad aliquod bonum consequendum: non enim acceptatur potio amara, nisi propter bonum sanitatis. Ita cum tristitia de per se sit obiectum nolibile, fit de per accidens obiectum volitionis, quatenus acceptatur in ordine ad aliquod bonum. Talis autem acceptatio tristitiæ potest indifferenter esse cuiuslibet virtutis actus, patet, quia eiusdem virtutis est acceptare obiectum, & media ad illud obiectum consequendum, sed per vnam quamque virtutem potest acceptari aliquod bonum per se, & consequenter acceptari illa tristitia in ordine ad illud bonum acceptatum per illam virtutem ergo ad vnam quamque virtutem spectat gratanter acceptare tristitiam punitiuam peccati. Nam si aliquis ex actu charitatis, qua diligit Deum super omnia acceptat pęnam, talis acceptatio spectat ad charitatem. Similiter si aliquis ex amore castitatis acceptat pœnam pro actu opposito castitati; talis actus spectat ad castitatem: quia talis pœna non est per se acceptabilis, ideo spectat ad virtutem per quam acceptatur illud aliud, ad quod ordinatur talis pœna, sed acceptare pœnam potest esse cuiuslibet virtutis: nam quælibet virtus inclinat ad gratanter acceptandum aliquam pęnam pro peccato commisso contra illam virtutem, sicut inclinat ad detestandum malum oppositum sibi.

Bassolus. Bassolus hac distinctione quæstione prima articulo tertio dicit, quod ratio Doc. non valet, nam quamuis actus, per quem acceptatur obiectum sit imperatus ab aliqua virtute, tamen non sequitur, quod sit ab illa virtute elicitiuè: aliquando enim per actum fortitudinis imperatur actus temperantiæ, & ea temperantia acceptatur interdum aliquod obiectum in ordine ad aliud obiectum, & tamen non sequitur quod actus, quo acceptat, spectet ad illas virtutes elicitiuè, sed tantum imperatiuè, ergo videtur quod Doc. non dicat consequenter ad quam virtutem spectet talis acceptatio elicitiuè. i. quæ sit illa virtus, ea qua causatur immediate talis actus.

Ideo dicit Bassolus quod habitus pœnitentialis, cuius est gratanter acceptare pœnam, est virtus specialis distincta contra alias appetitiuas habens malum pęnæ, seu tristitiæ inflictæ pro peccato, tamquam pro per se primo obiecto, & actum acceptandi tale malum pro per se primo actu & tali, ad quem sequitur, vel nata est sequi delectatio, & gaudium, atque adeo distinguitur ab aliis virtutibus primo in ratione obiecti, quia aliæ virtutes per se, & primo acceptant aliquid aliud a pęna ipsa, licet secundario, & per accidens possint acceptare pęnam in ordine ad aliud. Et potest reduci hæc virtus aliqualiter ad iustitiam, pro quarto reddit Deo, & iuste æquiualentem delectationem in pœna, ad delectationem malam prius habitam in culpa.

Quo ad quartam significationem pœnitentiæ, siue de quarto actu qui erat patienter tollerare pęnam pro peccato commisso. Dicit Doc. esse actum virtutis specialis, videlicet patientiæ, cuius officium est firmare animum contra tristitiam, & pęnam, ne per impatientiam prostratus remurmuret, & recalcitret contra pœnam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum contingat excedere in nimis pœnitendo, hoc est in nimis detestando peccatum, vel vindicando.

Ratio dubitandi est, quia cum pœnitentia non sit virtus Theologica, sed moralis, vt videbimus infra, & omnis virtus moralis consistat in medio inter duo extrema, vt docet Arist. 10 Ethi. in qualibet enim virtute morali contingit reperire excessum, & defectum, videtur quod contingat excedere in nimis pœnitendo, vel deficere in minus. Ex altera parte videtur quòd pœnitentia non habeat medium, cum de omni peccato, & super omnia doleat.

Medium in quo cõsistit virtus quomodo accipiatur. Pro solutione obser. est primo quod medium in quo consistit virtus, accipitur per comparationem ad dictamen rationis rectæ. Vnde Philosophus postquam 2. Ethi. c. 6. dixit, quod virtus est habitus electiuus in medietate consistens, immediate subiungit, quo ad nos determinata ratione, & vt vtique sapiens determinabit.

Virtutẽ esse in medio cõtingit dupliciter. Secundo obseruandum est, quod virtutem esse in medio potest accipi quadrupliciter; nam quædam virtutes consistunt in medio, tam ex parte obiecti, quam ex parte circunstantiarum, vt temperantia; Tum quia quis posset nimis comedere, tum quia quando, vel vbi non oportet. Quædam sunt quæ ex parte obiecti habent superabundantiam, sed ex parte circunstantiæ sunt in medio. Dicit enim Philosophus 4. Ethi. c. 4. Quod magnanimus quidem magnitudine extremus est eo tamen quod vt oportet medius, vt magnanimitas, & fortitudo; Tum quia magnanimitas est circa maxima, & fortitudo respicit vltimum terribilium pro obiecto; Tum quia si magnanimus dignificaret se plus, quam oportet, esset caunus, si in autem minus esset pusillanimis; & fortis, si exponeret se morti pro inani gloria esset audax &c. Quædam sunt virtutes quæ sunt in defectu ex parte obiecti; in medio tamen ex parte circunstantiæ, vt virginitas, quia negat omnem veneream delectationem, atque adeo tenet extremum quo ad materiam; sed tenet medium quo ad circunstantias; quia hoc obseruat pro tempore, quo hoc expedit obseruare hoc est pro tempore, quo non præcipitur, nec a Deo consulitur vacare carnali copulæ, & etiam obseruat hoc propter quod oportet scilicet vt mens liberius vacet spiritualibus. Ex quo sequitur quod quædam sunt virtutes, quæ habent superabundantiam, & non defectum, vt magnanimitas, & fortitudo; quædam e conuerso, quæ habent defectum, & non superabundantiam, vt virginitas; quædam quæ plus habent de superabundantia, vt latria; quædam, quæ plus habent de defectu, vt temperantia.

D. Thomas. Tertio obseruandum est, quòd quamuis pœnitentia sit tantum virtus potentialis iustitiæ; habet nihilominus, (inquit D. Tho. in 3. p. q. 85. art. 3. ad vltimum) omnes alias virtutes annexas, habet enim fidem, quæ est initium iustificationis, ad Rom. 3. habet charitatem, quatenus pœnitet nos propter Deum summe dilectum, habet spem, quatenus pœnitet nos cum spe veniæ; non quod pœnitentia requirat actualem spem, sicut requirit actualem dilectionem, quia sufficit non desperare, & hoc si pœnitens non cogitat de spe veniæ, si autem cogitat tenetur habere illam. Habet similiter fortitudinem puniendo in se peccata corporis maceratione, quæ maceratio est difficilis, & fortitudo versatur circa difficile, habet temperantiam, quatenus fugit delectabilia, & tandem habet prudentiam, quatenus ponit medium tristitiæ, ne prę nimia tristitia decidat pœnitens in desperationem.

Medium in virtutibus communiter est respectu extremorũ, quæ sunt vitiosa. His obseruatis dicitur primo ad difficultatem, quòd medium in aliis virtutibus dicitur respectu extremorum, quæ solent esse vitiosa, vt temperantia est medium inter gulam, & inediam. Medium autem iustitiæ est vt reddatur æquale; at quia Deo nunquã possumus reddere æqualẽ satisfactionem pro peccatis, Ideo quantumcumque aliquis pœniteat, talis pœnitentia ex parte iustitiæ non erit vitiosa;

vitiosa: nisi ex parte temperantiæ vt si quis tantum vellet pro peccatis ieiunare, vt nunquam comederet, potest etiam esse vitiosam ex parte prudentiæ, vt si ex nimia tristitia a prudentia non moderata decideret penitens in desperationem. Sed hæc responsio non videtur assignare medium pęnitentiæ, vt pęnitentia est virtus distincta ab aliis virtutibus, atque adeo videtur insufficiens.

Ideo dicitur secundo quod quarumdam virtutum moralium materia, non est vniuersali virtuti contraria, sicut sunt passiones delectabiles, circa quas est temperantia; & passiones terribiles, circa quas est fortitudo; sed huiusmodi materia contrariatur virtuti secundum excessum, & diminutionem, atque ita dicunt aliqui, quod respectu talis materię virtus moralis obseruat medium, & circa materiam resecando superabundantiam, & defectum: & circa resecandi modum, debitas circumstantias obseruando. Ceterum materia pęnitentiæ secundum quamlibet sui partem virtutem corrumpit, aut ad eius corruptionem disponit, atque adeo pęnitentia non obseruat medium circa materiam suam, sed totaliter ipsum excludit, sed circa excludendi modum medium obseruat per comparationem ad rationem rectam. Hæc responsio videtur implicare vnum falsum, nempe, ꝙ quælibet virtus, quæ est circa delectationes venereas, non tantum obseruet medium per comparationem ad circumstantias, sed etiam per comparationem ad materiam hoc (inquam) falsum est, quia virginitas, quæ est nobilissima virtus omnem excludit delectationem veneream, atque adeo non versatur circa passiones delectabiles resecando superabundantiam, vel defectum, cum omnes delectationes venereas excludat.

Tertio respondent alij, & dicunt pęnitentiam ponere medium inter presumptionem, & desperationem, sed hoc potius pertinet ad spem: nisi dicatur quod per se primo conuenit spei, participari autem suo modo a pęnitentia, quatenus requirit condignam existimationem peccati: ne homo illud contemnat, & obdurescat, & aliunde etiam requirit ne peccatum æstimetur, vt malum irreparabile, & incidat in desperationem, sed hoc videtur potius esse officium prudentiæ, quam pęnitentiæ.

Quarto respondent alij, quod pęnitentia habet medium: quia in pęnitendo, seu detestando peccatum contingit excedere. V.g. si aliquis nimis detestetur peccatum, adeo quod ex illa detestatione tanta sequatur tristitia, ex qua sequatur mors pœnitentis, hoc pacto detestans peccatum excederet in pęnitendo, ergo in detestando peccatum contingit excedere, ergo pęnitentia consistit in medio.

Sed contra. Si hæc responsio esset vera sequeretur, quod aliquis posset esse perplexus in via salutis: Probatur, nam esto, quod aliquis commiserit multa peccata grauia, & dicatur (posita infirmitate) a medicis. Si detesteris peccata tua, ex illa sequetur tristitia, & tandem ex illa tristitia sequetur mors, quo posito, talis peccator erit perplexus. Si enim detestetur peccatum suum est occasio suæ mortis, & erit homicida animæ suæ, & damnabitur: ergo videtur quod ille sit perplexus. Respondetur quod quantumuis quis detestetur peccata sua propter Deum, non peccat: immo quanto erit maior detestatio, tanto erit melior, & hoc permissum est in lege Diuina, sicut patet multis in locis sacræ Scripturæ, quibus datur nobis facultas peccata detestandi, sicut patet ex psalmo lauabo per singulas noctes lectum

Psal. 50

meum, & lacrymis meis &c. Et cum dicis ex illa magna detestatione sequitur mors, Dico, esto quod ita esset, tamen non sequitur, quod ille peccet, quia dispensatum est a Deo facere aliqua, quæ sunt abreuiatiua vitæ, ex quo patet quod nullus erit perplexus in via salutis per talem casum. Et cum dicebatur pęnitentia est virtus moralis, at in omni virtute morali contingit excedere, & deficere.

In virtute morali reperire excessū & defectū contingit tripliciter.

Respondetur quod in virtute morali reperire excessum, & defectum potest tripliciter intelligi: Vno modo pęnes intensionem actus, atque ita non est vniuersaliter verum.

Secundo modo per comparationem ad materiam, neque vt licet semper verum.

Tertio modo pęnes circumstantias, & modum agendi, & hoc modo in omni virtute morali contingit excedere, & deficere, atque ita etiam in pęnitentia: vt si quis in detestando non facit propter finem illum, propter quem debet detestari, deficit in detestando; Contingit etiam excedere, vt si quis magis detestetur paruum peccatum, quam magnum, vel si magis tristetur de peccato propter amissionem alicuius boni temporalis, quam spiritualis.

Virtutes aliqua dātur ad actū intēdendū, aliæ ad actū remittendum & quadam ad vtrūq.

Et si quæras quid est peius in virtute pęnitentiæ superabundantia, vel defectus, vel maius peccatum. Dico, quod aliquæ virtutes dantur ad actum intendendum, aliæ ad actum remittendum: quædam quæ dantur ad vtrumque, scilicet ad actum intendendum, & remittendum. Quædam vero quæ dantur neque ad actum intendendum, neque remittendum, sed ad actum dirigendum: sicut prudentia, quæ non intendit, nec remittit, sed regulat actus aliarum virtutum. Vnde quando natura prona est ad deficiendum, & desistendum, Tunc indiget habitu roborante, & quodammodo impellente, talis est habitus fortitudinis, quæ est circa terribilia mortis, quæ natura nata est refugere. Quando autem natura est nimis prona ad exequendum, Tunc indiget virtute retrahente, & moderante, & talis est virtus temperantiæ, quæ est ad remittendum actum circa delectationes tactus, & gustus. Et quia interdum homines proni sunt ad resistendum, & per consequens nimis rigidi ad puniendum, idcirco indigent iustitia punitiua remittente actum puniendi. quandoque homines proni sunt ad cupiditates rerum temporalium, & ad diligendum sua, & per consequens ad remunerandum citra condignum, atque adeo indigent habitu iustitiæ remuneratiuæ actum remunerandi intendente, seu perficiente: ac proinde iustitia distributiua vere vtique deseruit, hoc est, & intendit, & remittit actum.

Ex hoc dico, quod quando virtus datur ad actum intendendum, defectus in tali virtute peius est, quam superabundantia: quia sibi magis opponitur, Ideo timidus magis est vituperandus, quam audax: quia magis opponitur fortitudini. Quando autem virtus datur ad actum remittendum superabundantia in virtute peior est defectu. Vnde magis est vituperabilis intemperatus, quam insensibilis: quia magis opponitur intemperantia virtuti temperantiæ, quam insensibilitas. Quando autem datur ad vtrumque simul peior est, qui secundum aliam, & aliam comparationem magis a medio recedit, vnde magis vituperabilis est vindicatiuus, quam misericors, item magis deficiens in remunerando, quam superabundans.

Ad propositum autem virtus pęnitentiæ datur ad intendendum actum: quia remissi sumus ad puniendum peccata nostra, atque adeo quamuis superabundantia, & defectus circa pęnitentiam sint vituperabiles, tamen vituperabilior est defectus, vnde grauius est non penitere quam excedere in pęnitendo; Contra, Cayn fuit nimis pęnitens:

Gen. 4.

tantum enim putauit peccatum suum graue, quod non credidit posse veniam obtinere. Maior est, inquit, iniquitas mea quam vt veniam merear. Esau autem fuit minus pęnitens; & tamen primus magis vituperatur. Item Iudas

Mat. 27.

fuit nimis pęnitens. Quia pęnitentia ductus laqueo se suspendit. Symon magus impęnitens, & tamen primus magis vituperatur. Dico quod comparando præcise peccata adhuc stat quod dictum est, sed in Cayn vltra pęnitentiam fuit desperatio, & in hoc plus peccauit, & magis vituperatur, non ratione pęnitentiæ, sed quia contra aliam virtutem nobilem fecit, scilicet contra spem. eodem modo dicendum est de Iuda, quod non ratione pęnitentię, sed ratione desperationis.

ARTICVLVS IX.

Vtrum pœnitentia sit virtus infusa vel acquisita.

D. Thom. Sotus. Canus.

CIrca hanc difficultatem sunt duæ sententiæ. Prima est S. Thom. 3. p. q. 85. artic. 5. prout explicat Caiet. ibidem. Et Soto hac d. q. 2 art. 5. & Cano relatione de pęnitentia p. 2. cum reliquis Thomistis, qui omnes existimant habitum pęnitentiæ ex suo genere esse infusum, atque simul cum charitate infundi. Et probatur primo a causa precisa negatiua. Tota præcisa ratio quare ponuntur virtutes infusæ est, quia earum actus sunt operationes supernaturales, vt credere, sperare, & diligere, istæ enim operationes non possunt elici viribus naturæ, hoc est, solo libero arbitrio cum auxilio, vel concursu generali Dei, sed sufficienter

ter

tet pœnitere est actus supernaturalis, ergo procedit ab habitu supernaturaliter infuso, & non ab acquisito, quia virtus acquisitiua est naturalis, vt constat.

Secundo arguitur omnes virtutes, quæ disponunt ad finem supernaturalem, sunt infusæ, & non acquisitæ viribus naturæ: quia tunc ex naturalibus assequeretur gloriam, quod est Pelagianum.

Tertio, & efficacius arguitur, si ex actibus penitendi supernaturalibus generaretur habitus acquisitus, sequeretur quod ex viribus naturæ possemus penitere, quod est Pelagianum; probatur sequela, habitus acquisitus naturaliter inclinat ad actus consimiles illis, ex quibus genitus est: sed iste habitus penitendi fuit acquisitus ex actibus penitentiæ supernaturalibus, ergo naturaliter inclinat in similes actus, & per consequens naturaliter possumus penitere, quod est Pelagianum.

Quarto arguitur, Virtus acquisita potest esse in Nobis sine charitate, sed penitentia sine charitate in nobis esse non potest, ergo penitentia non est virtus acquisita, consequentia patet cum maiori; Et minor probatur, Tum quia penitentia delet mortale, ergo non stat cum eo, Tum
D. August. quia Diuus Augustinus in libro de penitentia inquit, quod penitentia sine charitate in nobis esse non potest vera penitentia: & in libro de vera, & falsa pœnitentia inquit. Cum sit opus Dei fructifera penitentia, inspirare eam potest, quandocunque vult sua misericordia, & subdit ibidem, esse inconueniens, vt quis consequatur veniam sine amore Dei, & eodem modo esse veram penitentiam sine amore Dei.

Scotus. Contraria sententia est Sco. hac. q. in solutione vltimi argumenti principalis, & quæstione sequenti, affirmantis penitentiæ habitum esse acquisitum ex pluribus actibus,
Durandus & quod potest remanere informis in peccatore, sicut pos-
Bassolus sunt remanere aliæ virtutes sine charitate: Eiusdem sen-
Gabriel tent. est Durandus hac dicta quæstione secunda. Bassolus,
Marsilius & Gabriel: quos sequitur Marsilius quæstione decima ar-
D. Bonau. ticulo secundo, & indicat Diuus Bonauentura in quarto distinctione decimaseptima, parte prima, articulo secundo, quæstione tertia, in responsione ad vltimum, quatenus ait virtutem penitentiæ manere in peccatore, & esse informem, quod de virtutibus infusis præter fidem, & spem non
Ricardus admittitur, & ab hac sententia non recedit Ric. hac. d. art. 4. q. 1.

Et probatur primo hæc sententia: quia sicut ex pluribus actibus generatur quæcunque alia virtus, ita hæc. Patet quia actus respectu generationis habitus, est agens naturale, & non impeditum, ergo &c. Et gratia non destruit naturam, imo perficit, sed omnis actus si multiplicatur naturaliter generat habitum: quia est agens naturale, ergo quantumcunque meritorius, vel dispositiuus ad gratiam, si multiplicabitur, naturaliter generat habitum.

Præterea secundo ex multis ieiuniis meritoriis, vel generatur habitus temperantiæ vel non: si primum habetur propositum, quod ex multis actibus supernaturalibus generabitur naturaliter habitus: alias sequitur, quod deterioris conditionis sunt ieiunantes in statu gratiæ, quam in peccato, cum de sententia aduersariorum isti per suos actus habitum temperantiæ acquirant, & non iusti, quod est absurdum.

Tertio probatur sententia Sco. Prius natura habet homo dolorem de peccatis, quam Deus iustificet illum, ergo talis dolor non est elicitus a penitentia infusa, patet consequentia: quia penitentia infusa, secundum ipsum Caiet. non infunditur nisi in ipsa iustificatione, igitur si penitentiæ actus præcedit iustificationem, etiam præcedet penitentiam infusam, & per consequens non erit necessaria: siquidem absque tali habitu infuso, Deus acceptauit penitentiam actualem, & vis istius argumenti magis explicabitur infra.

Habitus ad quid ponitur. Pro explicatione huius difficultatis. Obseruandum est primo, quod habitus ponitur vt inclinet potentiam ad operandum, & quia sunt aliqui actus supernaturales necessarij ad salutem, ad quos non potest inclinare virtus acquisita, ideo ponuntur virtutes, vel habitus infusi, vt sunt fides, spes, & charitas.

Virtutes sunt in triplici differentia. Secundo obseruandum est, quod virtutes sunt in triplici differentia, quædam enim habent pro obiecto materiali circa quod operantur ipsum Deum, & finis intrinsecus est ipsemet Deus, itaque de ratione illius virtutis est referre illum actum in Deum, huiusmodi sunt virtutes Theologicæ, scilicet fides, spes, charitas, quarum obiectum, idest materiam, circa quam operantur, & in quem actio earum fertur, est ipsemet Deus, vt diligo Deum: spero Deum, credo in Deum, ecce quomodo operatio est circa Deum. Aliæ sunt virtutes oppositæ, quarum obiectum materiale, nec est Deus, neque finis intrinsecus, veluti fortitudo cuius obiectum est mors, aut quid simile, finis etiam non est Deus nisi loquamur de fine extrinseco, veluti velle subire mortem pro patria, vt pacifice viuamus: mors est obiectum materiale, & pax finis intrinsecus, vel obiectum formale quod si aliquando huiusmodi actus moralis referatur in Deum, talis finis erit extrinsecus, & non de ratione virtutis fortitudinis, sed a charitate elicitus, vnde habet esse meritorium. de ratione autem virtutis moralis non est quod eius actus sit meritorius. Aliæ virtutes sunt mediæ, quarum materia est aliquis actus humanus, finis autem intrinsecus est Deus aliqua particulari ratione consideratus, veluti virtus religionis, cuius species est adoratio latriæ, in qua materia est oblatio turis, vel tunsio pectoris, & alia huiusmodi, finis autem intrinsecus non est tendere in Deum, sed colere Deum tamquam supremum Dominum, & si colendo tendimus simpliciter in Deum illud habet religionis actus a charitate, huius generis virtutis est penitentia.

Tertio obseruandum est quod actus penitentiæ vt in se- *Actus penitentia dispo-*
quentibus euidenter probabimus, disponit subiectum ad *nit subiectū*
habitus infusos: nam in Concilio Tridentino, sessione sexta *ad habitus*
capitulo sexto, & septimo inter dispositiores iustificationis *infusos*
recensetur pœnitentia. Sex enim enumerant Patres opera *Conc. Trid.*
quibus adulti ad iustitiam disponuntur, scilicet fides, timor, spes, dilectio Dei, penitentia, votum Baptismi, & nouæ vitæ, siue obseruationis mandatorum Dei. Et sessione decimaquarta capitulo quarto: Legitur contritionem illam imperfectam, quæ attritio dicitur: quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & penarum metu, communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & spiritus sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo peniens adiutus viam sibi ad iustitiam parat. Et quamuis sine sacramento penitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento penitentiæ impetrandam disponit. Eamdem doctrinam firmiter tenendam præcipit sub anathematis pena canone quinto eiusdem sessionis. His obseruatis sit prima *Pœnitentia*
conclusio. Penitentia non est virtus Theologica: sed mo- *non est vir-*
ralis. hæc conclusio est Doc. in hac quæstione in responsio- *tus Theolo-*
ne ad vltimum, & est communis sententia omnium Theo- *gica sed mo-*
logorum. prima pars probatur: quia obiectum immedia- *ralis.*
tum virtutis Theologicæ est Deus, sed penitentiæ immediatum obiectum non est Deus, sed recompensatio penæ cum culpa, quod est creatum, ergo &c. Item virtutes Theologales tantum sunt tres, vt sumunt Theologi ex illo, 1. ad Corinth. 14. Nunc autem manent tria hæc, fides, spes, charitas, sed penitentia non est aliqua istarum, ergo non est virtus Theologica. Secunda probatur. Tum quia ex more, vel consuetudine, vel frequentia actuum appetitiuorum nempe ipsius voluntatis acquiritur: Tum etiam quia omnis virtus appetitiua, aut est Theologica, aut moralis: nam hæc membra includunt immediatam contradictionem: sed penitentia est virtus appetitiua, non Theologica, ergo moralis.

Secunda conclusio penitentia non est virtus infusa, hæc *Pœnitentia*
conclusio est Doct. vbi supra. Probatur. Virtutes infusæ so- *est virtus in-*
lum ponuntur, vt inclinent suscipientem ad actus necessa- *fusa.*
rios ad salutem, vt habitus fidei ad credendum &cet. Sed habitus penitentiæ infusæ si ponatur, non potest inclinare suscipientem ad actum penitendi necessarium ad salutem, ergo non est necessarium ponere talem habitum, consequentia patet cum maiori: & minor probatur: quia actus penitentiæ necessarius ad salutem est ille, qui disponit animam ad infusionem virtutum in instanti iustificationis: sed impossibile est quod actus, qui est causa disponens subiectum ad infusionem,

C 2 habi-

habitus producatur ab ipso habitu infuso, ergo &c. Probatur minor dupliciter: primo, quia si actus, qui est causa dispositiua habitus, produceretur ab eodem habitu, ad cuius infusionem disponit, idem esset causa, & effectus respectu eiusdem, quod implicat, & est simile in aliis formis; nam calor disponens subiectum ad introductionem formæ, non producitur a forma genita, sed comproducitur ab igne: ignis enim introducens formam in ligno, simul producit calorem vltimo disponentem lignum, & formam ignis. Similiter actus disponens animam ad habitum infusum impossibile est, quod producatur a tali habitu infuso.

Secundo probatur eadem doctrina, forma introducenda est posterior dispositione, ergo actus pœnitentiæ necessarius ad salutem, non producitur ab habitu pœnitentiæ infusæ, siquidem est posterior illo; nam prius natura habet homo dolorem de peccatis, quam Deus iustificet illum, atque adeo talis dolor non potest esse a pœnitentia infusa elicitus, cum ex sententia Caiet. non infundatur nisi in iustificatione, & per consequens si pœnitentiæ actus præcedit ordine naturæ

Conc. Trid. iustificationem, vt præcedit ex sententia Concilii Tridentini, quia est dispositio ad ipsam, præcedit quoque pœnitentiam infusam, & consequens talis habitus non est necessarius, nec ponendus.

Ex actibus pœnitentiæ naturaliter generatur habitus. Tertia conclusio, ex actibus pœnitentiæ naturaliter generatur habitus, hæc conclusio patet rationibus positis supra pro opinione Scoti.

Habitus pœnitentiæ est habitus moralis acquisitus. Quarta conclusio, quæ sequitur ex supra dictis, habitus pœnitentiæ est solum habitus moralis acquisitus. Probatur, quia ex Arist. 2. Ethy. habitus moralis est ille, qui acquiritur ex more, vel consuetudine operandi, sed ex frequentatis actibus pœnitentiæ potest acquiri talis habitus, ergo est moralis. Præterea pœnitentia est pars iustitiæ, vt dictum est, sed iustitia est virtus moralis, ergo est pœnitentia.

Ad argumentum pro opinione B. Thomæ: Respondetur ad primum negando consequentiam propter rationem assignatam in secunda conclusione, cum enim actus pœnitentiæ sit dispositio ad habitum pœnitentiæ si infunditur; impossibile est quod producatur ab ipso habitu ad quem dispo nit: quia dispositio secundum veram Philosophiam nō producitur a forma introducenda, sed ab agente, quod si dicas actus pœnitentiæ est supernaturalis, ergo est ab habitu supernaturali, nego consequentiam: sufficit enim, quod sit a causa supernaturali, nempe ab auxilio speciali, nec aliā causam huius actus supernaturalem requirit Concil. Trident.

Conc. Trid. vt patet. c. & 6. cap. sess. 6. Ad secundum respondetur, quod virtutes acquisitæ mediante auxilio speciali disponunt ad præmium supernaturale, atque ita non iustificamur viribus naturæ.

Præcepta di uina bifariā adimpleri possunt. Ad tertium respondetur, & prænoto, quod adimplere Diuina præcepta contingit dupliciter, vel quantum ad substantiam actus, vel quantum ad finem præcipientis. V. g. si existens in mortali honoret parentes adimplet præceptum quantum ad substantiam actus, sed non quantum ad finem præcipientis, scilicet Dei intendentis, quod ille actus sit meritorius: ita ad propositum dico, quod habitus pœnitentiæ acquisitus inclinabit voluntatem ad actum pœnitendi, quantum ad substantiam actus, quæ est nolle peccasse, non tamen inclinat quantum ad finem præcipientis, scilicet Dei intendentis, quod ille actus pœnitendi sit vltima dispositio ad gratiam: quia vt actus pœnitentiæ sit dispositio, requiritur auxilium Dei speciale, & sic est verum dicere, quod talis habitus inclinabit voluntatem ad similes actus, similes inquam, quantum ad substantiam actus, non tamen similes quantum ad vltimam dispositionem ad gratiam. analogia est de actibus meritoriis ieiunandi: quia inquantum sunt qualitates generant habitum temperantiæ, sed habitus genitus inclinat ad huiusmodi actus inquantum actus virtutis, & non inquantum sunt meritorij.

Ad quartum neg tur minor: nam ex multis actibus vindicandi in se ipsum reum, potest acquiri habitus, qui maneat cum peccato mortali, & posset acquiri ante deletionem peccati mortalis: nisi forte, quia Deus iustificat, antequam possint haberi actus sufficientes ad generationem pœnitentiæ, sed ex hoc non sequitur quod aliquis exitus a charitatem existens non possit velle se ipsum punire propter peccatum, ex quo actu sæpe repetito generabitur habitus inclinans ad consimiles actus, qui habitus potest esse extra charitatem, sicut actus ex quo genitus est, cum hæc ergo sit virtus pœnitentiæ primo modo, quam iustitiam appellauimus vindicatiuam, sequitur virtutem pœnitentiæ esse virtutem acquisitiuam, & non infusam. Et cum dicitur quod pœnitentia delet peccatum, ergo non stat cum eo; Dico quod si pœnitentia capiatur pro habitu pœnitendi falsum est; quia virtus non delet etiam meritorie, sed actus qui natus est esse actus virtutis, siue sit a virtute elicitus, siue non; sed virtutis generatiuus, sed cum hoc bene potest stare: immo necessario stat, quod sit informis loquendo maxime de actu præuio ad contritionem, non de actu concomitante.

Ad auctoritates D. Augustini respondetur, quod D. Augustinus non loquitur de virtute pœnitentiæ, sed de actu pœnitentiæ fructifero, qualis actus pœnitentiæ, est quando incipit esse contritio, & vltima dispositio ad gratiam, tunc enim est fructifera pœnitentia, quia tunc est remissio peccatorum, quæ est fructus pœnitentiæ.

ARTICVLVS X.

Vtrum Pœnitentia fuerit in Adamo in statu innocentiæ.

Vtrum in Paruulis cum baptizantur, an in Beatis, & specialiter in Beata Virgine, & Christo Domino.

HAEc difficultas tangitur hic a Doc. in solutione ad tertium principale. Vbi ponit, duplicem modum dicendi, primus est aliquorum affirmantium, quod in statu innocentiæ solum fuissent illæ virtutes, quæ haberent pro obiecto bonum; & inclinarent ad illud; non tamen illæ, quarum obiectum est malum; quia ibi nullum esset; virtus autem, quæ pro obiecto respicit malum, est in nobis supplementum defectus naturalis, cum ergo in statu innocentiæ nullus fuisset naturalis defectus, ideo non essent ibi prædictæ virtutes; quapropter non ponunt isti huiusmodi virtutes morales in Angelis, neque vt dictum est fuissent in statu innocentiæ: quia non fuisset necessitas habendi huiusmodi virtutes. Et loquendo specialiter de pœnitentia, cuius obiectum est peccatum quatenus punibile a Deo, non fuisset in statu innocentiæ, nec etiam in Angelis, sicut nec forte ibi esset patientia; quia nec materia patientiæ. Secundus modus dicendi est, quod virtus pœnitentiæ in prima significatione est iustitia vindicatiua cuius munus est vindictam de reo sumere, siue reus sit alius, siue ipsemet vindicans; quod enim reus sit ipse puniens hoc est materiale, siue per accidens; quia formalis ratio huius virtutis esset eadem, si committeretur illi vindicta in alium reum. Vnde Beatus, & innocens possent habere istam virtutem, si tamen reatus inesset, atque ita potest concedi, quod in statu innocentiæ, & beatitudinis, potest esse ista virtus, videlicet iustitia vindicatiua: nec mirum cum in Deo sit iustitia vindicatiua, licet non in se ipsum: quia non potest esse reus. Vnde ex istis duobus modis dicendi eli- Almayn

cit Almayn, quod in Beatis non est pœnitentia, accipiendo pœnitentiam pro vltimo actu pœnitentiæ, qui est actus patienter tollerandi tristitiam, cum ibi nulla sit tristitia, nec etiam est in eis pœnitentia pro tertio actu, scilicet pro acceptatione voluntaria tristitiæ; sed bene est in eis pœnitentia pro actu pœnitendi. Secundo modo, nempe pro detestatione: nam beatus cogitans se peccasse, potest habere illum actum, quo nollet se peccasse, ceterum ad illum non sequitur tristitia, cuius est naturaliter causatiuus: quia ibi est vehementissimum gaudium, quod expellit tristitiam, non solum contrariam, sed etiam contingentem, vt dicit Arist. In statu autem innocentiæ nec pœni- Arist.

tentia, nec patientia fuissent inquit Almayn pro quanto obiecta illarum virtutum repugnant illi statui, scilicet aduersum, & peccatum: nam si obiectum alicuius virtutis repugnat alicui statui, etiam actus virtutis repugnabit illi. Ideo illæ virtutes supradictæ non fuissent quantum ad habitus, pro quanto obiectum illarum repugnat tali statui innocentiæ. Et videtur quod Almayn loquatur de Beatis, qui quandoque fuerunt peccatores, & pœnitentes, nam de innocentibus atque Angelis beatis videtur, quod sententia eius state non possit iuxta eius principia: nam non magis obiectum pœnitentiæ repugnat statui innocentiæ, quam statui beatitudinis; immo magis videtur statui beati-

beatitudinis repugnare, cum beati peccare potentia proxima nequeant, ergo magis statui beatitudinis actus pœnitentiæ repugnat, quam innocentiæ statui, & per consequens sicut in statu innocentiæ non fuisset pœnitentia, ita nec in statu beatitudinis quo ad Angelos, & beatos qui nunquam peccauerunt.

Ceterum vt exactior huius difficultatis notitia habeatur, videndum est, quid senserint circa hanc difficultatem præclarissimi Theologi. Quo ad singula quæsita in titulo dubitationis.

Almayn. D.Thom. Et primo quo ad statum innocentiæ, an scilicet pęnitẽtiæ habitus fuerit in Adam in statu innocentiæ. Almayn, vt vidimus negat habitum pęnitentiæ fuisse in statu innocentiæ; & ex principiis D.Thomæ posset quis idem opinari, quia secũdum D.Thomam ratione status repugnabat Adamo peccare venialiter, eo quod esset ab omni malo exemptus, & mortaliter, nisi quando statum perderet. Nihilominus tamen, S. Thom. 1.p.q.95.art.3. contrarium censet, quam opinionem nos etiam secuti sumus super cap.2. Gen. de prærogatiuis, & excellentiis status innocentiæ.q.2. nam potuit Adam habere actum conditionalem, erat quippe sic dispositus, vt si peccatum in eo præcessisset doleret, sicut si miseriam in alio prospiceret (licet ea tunc esse non potuerit) eam pro posse repelleret ob idque vt habitu misericordiæ, sic, & pęnitẽtiæ fuit ordinatus. Eamdem sententiam docuit Alex. de Ales. p.2 q. 91.m.2.art.2.§.2.& D.Bona. in 2.d.19.art.3.q.1. *Alex. de Ales D. Bonau Alex de Ales.* Quo ad paruulos, Alex. de Ales. p.4.q.12.m.1.art.1.§.1. dicit ꝙ pęnitentia duo importat, scilicet habitum bonum, quo informatur liberum arbitrium, & motum ad puniendum malum commissum, vnde habens pęnitentiam virtutem habet habitum bonum mouentem ad actum puniendi, qui attenditur in afflictione doloris, & actu punitionis: In paruulis igitur inquit infunditur habitus pęnitentię, quatenus est habitus huiusmodi: quia gratia illis infusa potest mouere liberum arbitrium ad actum pęnitendi si se offerret opportunitas; Vnde quando dicitur quod pęnitentia non est in paruulo, intelligitur (inquit ipse) ratione actus, vel motus progredientis a virtute, non quia non habeat gratiam, & virtutem, quę mouerent ad actum huiusmodi tempore congruo: Alex. secutus est. S.Thom. in 4.d.14.q.1.art.3. quæstiuncula.3. ad argumenta, *D.Thom.* licet secundum eius principia apparens argumentum sit in contrarium, nam in 1.2.q.89.art.6. existimat, paruulum accedens ad vsum rationis, non posse primo peccare venialiter, sed primum eius peccatũ esse mortale, quo principio stante, ille habitus si poneretur esset frustratorius; quia in actum exire non posset: nam veniens ad vsum rationis, nisi peccatum mortalę committat, pęnitere non potest, per peccatum autem mortale perditur illa virtus infusa, at primum peccatum quod committit accedens ad vsum rationis secundum D.Thom. est mortale, ergo virtus infusa pęnitentiæ amittitur, atque adeo si in baptismo infundatur paruulo virtus pęnitentiæ, habitus ille erit frustra, cũ numquam posset in actum exire. Nihilominus inquit Sotus hac *Sotus.* d.q.2.art.5. quod Deus cum gratia infundit omnes gratias pertinentes ad illum statum; quare licet virtus illa necessario non possit exire in actum circa peccatum existens; potest tamen habere actum cõditionalem, scilicet si peccarem me pęniteret peccati, præterquam quod illa perdita dum homo postea resipiscit infunditur similis, per quam hominem pęnitet peccatorum præteritorum, etiam si sint remissa.

Scotus. Sed iuxta doctrinam Doc. nostri dicendum est, quod in paruulis non inest habitus pęnitentiæ virtutis; quia in 3. d. 36.q.vnica.art.3. vbi tractat de connexione virtutum moralium cum Theologicis, docet non esse necessariam connexionem moralium ad Theologicas; & quod in paruulo baptizato non infunduntur virtutes morales, et si dicatur virtutes morales manent in patria, ergo datæ fuerunt in via, dicit sub litera. P. quod non est necesse paruulos habere virtutes morales in patria, sed sufficit quod bene disponantur circa appetibilia per charitatem, sicut non oportet, quod habeant omnem scientiam in genere proprio, sed sufficit habere eam in verbo, quæ est notitia perfecta; secundo dicit quod paruulis baptizatis, licet in baptismo non infundantur virtutes morales, tamen si tunc morerentur infunderentur illis, in illo instanti in quo consequerentur beatitudinem, & hoc est (inquit Sco.) magis rationabile, ex quo patet ipsum negare paruulis in baptismo infundi virtutes morales, & per consequens negàt eos habere habitum pęnitentiæ.

Ricardus D.Thom. De beatis autem Ric. hac.d.art.3.q.2. cum D.Thom. vbi supra distinguit dicens; quod beatorum quidam sunt, qui nunquam peccauerunt, peccare tamen potuerunt, & si peccassent in eis peccatum remitti potuissent, sicut sunt innocentes, qui mortui sunt ante vsum rationis. Alii sunt qui numquam peccauerunt, sed peccare potuerunt, tamen si peccassent non potuisset in eis peccatum remitti, cuiusmodi sunt Angeli Sancti; alii sunt, qui peccare potuerunt, & peccauerunt, vt de B. Petro, & multis aliis Sanctis patet, quibus peccatum fuit remissum. In primis est habitus pœnitentiæ, quia quamuis in eis numquam habuerit actum, tamen habere potuit, vt dictum est supra de paruulis iuxta sententiam D.Thom. In tertiis etiam est habitus pœnitentiæ; quia in eis, & potuit habere actum, & habuit, & adhuc habet non actum, qui est de peccato dolere, sed qui est gaudere de peccati remissione, & se velle numquam peccasse si esset possibile. In mediis verò, idest in Angelis non est virtus pœnitentiæ: quia numquam potuisset habere actum in eis: quia quamuis peccare potuerint, tamen si peccassent nũquam virtuose pœnitere potuissent, sicut patet in Angelis, qui peccauerunt.

Alex. de Ales. Alex. autem de Ales vbi supra, Distinctione vtitur: nam loqui possumus de pœnitentia dupliciter primo secundum rigorosam vocis significationem, per quam connotatur respectus ad proprium peccatum commissum, & retractationem eius; & ita verum est, quod pœnitentia non est in Sanctis Angelis, quia non peccauerunt, & hac ratione neganda etiam esset ab innocentibus, quamuis, quia non solum peccare potuerunt, sed etiam retractare peccatum; aliquo maiori titulo eis tribuatur, quam Angelis, qui iuxta principia Alex. & D. Thom. natura sua peccatũ retractare non possunt. Alio modo considerari potest pœnitentia sub nomine, & conceptu iustitiæ ad Deum, qui est magis adæquatus tali virtuti, & sub hac ratione dicendum est, esse posse in omni voluntate creata, quæ tenetur ius Diuinum illæsum seruare, & in ea habere posse saltem absolutam voluntatem non transgrediendi aliquod diuinum mandatum, sub ratione vitandi diuinam iniuriam, & sub hac ratione in omnibus beatis ponenda est pœnitentia virtus. Et huic sententiæ quantum ad hoc adhęret etiam Doc. Sub. *Scotus.*

Paludanus. Sed dubium est de Beata Virgine. Palud. in quarta, distinctione decimaquarta, quæstione quarta, asserit Beatam Virginem habuisse pœnitentiæ habitum; quia (inquit) peccare potuit venialiter, sed quicquid sit de conclusione: ratio profecto est falsissima: quia vt determinauit concilium *Trid. Conc.* Tridentinum sessione sexta canone vigesimotertio, non potuit venialiter peccare; nam ante Christi conceptionem religatum habuit fomitem, vt docent Theologi, qui tunc fuit omnino extinctus. Quidam probat Beatam Virginem habuisse habitum pœnitentiæ ex eo, quod virtutes morales infusæ in aliis viatoribus non segregantur a gratia: nihil autem derogat perfectioni Mariæ quod illas habuerit. ergo &c. Tum secundo, quia si secus eo maxime, quia numquam peccauit, at sic neque in Adamo esset ponendus, neque in Pueris decedentibus ante vsum rationis: sed neque istæ rationes propositum concludunt, prima enim supponit vnum quod est probandum, scilicet vna cum gratia infudi omnes virtutes morales, secunda procedit a non causa, vt causa: non enim ex eo quod numquam peccauit, negatur habitus pœnitentiæ a Beata Virgine, sed ex eo quod peccare non potuit, quia vt ostendimus in tertio distinctione tertia, Beata Virgo in prima sua sanctificatione mansit in gratia confirmata, nec est simile de Adamo, & innocentibus. Adam enim nedum peccare potuit, sed de facto peccauit, Innocentes verò saltem peccare potuerunt, Vel ergo dicendum est cum Ioan. de Mai. in hac distinctione, quę *Ioa. Maior* stione secunda, quod in Beata Virgine non fuit pęnitentiæ habitus: quia habitus non ponitur nisi in illo, in quo est possibilitas ad eius actum: Vel dicendum est quod pœnitentia prout significat retractationem, vel detestationem alicuius actionis propriæ, non fuit in Beata Virgine, quia certissimum est illam numquam habuisse talem actum, nec egisse aliquid retractatione dignum, cæterum prout pœnitentia est habitus quidam iustitiæ ad Deum, dicendum est cum communi sententia Theologorum: Virginem fuisse capacem huius virtutis, quemadmodum & Angeli beati;

quia de se capax erat peccati, quamuis Diuina gratia præuenta fuerit.

Alex. de Al. D. Bonau.

Vltimo, dubium est de Christo Domino. Alex. de Ales vbi supra; quem sequitur D. Bona. hac. d. ar. 1. q. 1. ad quartum tenet habitum pœnitentiæ fuisse in Christo Dño, non quidem prout ab illo elicitur actus penitendi, quia penitentia, vt, talis est dat intelligere peccatum præcessisse, sed habuit habitum, quo elicitur vel imperatur actus penitentiæ. Et si dicatur q Christus non solum habuit plenitudinē virtutum, quantum ad genera, sed etiam quantum ad vsus earum, ergo si habuit virtutem pœnitentiæ habuit vsū eius, qui est commissa flere, Respōdet, q re vera Christus habuit vsus omnium virtutum; qui non importabant aliquam imperfectionem; Vnde sicut Christus licet haberet omnes virtutes, & vsum earum, non habuit fidē ratione visionis ęnigmaticæ, ita non habuit pęnitentiam vt ab illa elicitur actus pęnitendi; Vnde penitentia (inquit D. Bon.) habet aliquid perfectionis, & aliquid imperfectionis; perfectionis est velle emendare, si in aliquo contingat offendere, & hæc quidē voluntas est in omnibus iustis: impossibile est enim, quod sit voluntas recta sino hoc. Imperfectionis vero est luctus pro peccato perpetrato, & secundum hoc non fuit pęnitentia in Christo.

Secundo inquit Alex. quod pęnitētia generaliter sumpta, non est genus, vel species virtutis per se, prout virtus distinguitur per Theologicas, & Cardinales, sed pertinet ad iustitiam, ad charitatem, & suo modo ad quamlibet virtutē, atque adeo omnis virtus de se est sufficiens ad aliquam pœnitentiam eliciendam, vnde dicendum est q habitus virtutū, quibus eliciuntur actus pęnitentiæ, vel imperantur, fuerunt in Christo non tamen ordinati erant ad hunc actum eliciendum, vel imperandum; ponitur ergo iuxta hanc sententiam pęnitentia in Christo, accipiendo penitentiam secundū se, seu quantum ad substantiam, & essentiam eius, hoc est sub nomine, & conceptu iustitiæ ad Deum, qui est magis adæquatus illi virtuti: Quam sententiam tenuit etiam Marsilius in 4. q. 10. ad 6. & eamdem tenent necessario Durandus, & Caiet. nam prior asserit pęnitentiam esse ipsam iustitiā commutatiuam, posterior vero asserit esse ipsam Religionem, ergo in omni subiecto capaci iustitiæ, & Religionis necessario ponere debent hanc virtutem secundum se, seu secundum essentiam, & substantiam eius. Idem sic tenet Sco. hoc in loco, quamvis non loquatur in particulari de Christo, sed de Beatis in communi, ratio tamen eius generalis est.

Marsilius. Durandus. Daietanus.

Scotus.

Thomas ab Argent.

Thomas ab Argent. hac. d. q. 1. art. 1. ad quintum ne dū sub hac ratione, sed etiam sub nomine pęnitentiæ videtur illam Christo tribuere, saltem quo ad hunc actum cōditionalem, si peccasset detestaret peccatum. Ita enim scribit. Inter omnes effectus, & actus penitentiæ inclinare animam ad faciē dum emendam Deo pro offensa relaxanda est fortè magis proprius actus pęnitentiæ. cæterum ad hunc actum potest anima dupliciter se habere, vno modo absolute, atque ita nō potest esse in aliquo innocente: quia eo ipso quod innocens nihil commisit, quod sit emendandum, ideo absolute & simpliciter non inclinatur ad emendandum delictum. Alio modo sub conditione, vt si homo cogitet si offendisset Deū, vel si quocunque modo contingeret quod Deum offenderet, vellet emendare, & percipit homo se inclinatum, & paratum ad obseruationem huius emendæ, alio modo conditionaliter cogitata, vel prolata. & hoc modo inquit actus pęnitentiæ debet esse in quolibet iusto, quantumuis innocente, siue sit viator, siue comprehensor, immo quanto homo est iustior, & perfectior, tanto magis actum pęnitentię, isto modo conditionaliter acceptum inuenit in se ipso: non enim esset innocens quicunque oppositum istius actus in se sentiret. Et ideo pœnitentia, non solum quantum ad ornatum animæ, verum etiam quantum ad iam dictum actū, videtur esse in Domino Iesu Christo non minus, quam in quocunq. alio homine iusto, & innocente. hactenus Argentina.

D Thom. Ricardus.

Ceterum hæc sententia mihi nō placet, saltē pro Christo Dño, propter impotentiā peccandi, atque adeo vel dicendū est cum D Tho. & Ric. Christum non habuisse habitum pęnitentiæ: quia repugnabat illi peccare, sicut nec habuit fidē. Tum quia Christus ex perfectissimo amore Dei omnē eius offensam detestabatur, atq. adeo non est cur aliū habitū in eo ponamus propter huiusmodi actum, Tum quia habitus pęnitentiæ si minus peccatum, saltem supponit potentiam ad peccatum. Christus aūt erat impeccabilis, & habitus, vt inquit Ric. præsupponitur esse in illo, in quo est possibilitas ad eius actum.

Alex. de A. D. Bona.

Vel dicendum est cum Alex. & D. Bona. quod in Christo fuit habitus pęnitentiæ secundum se, & quoad substantiā, & essentiam eius, & quoad id, quod est perfectionis, & non vt ab illo elicitus est actus pęnitendi quocunque modo, q est imperfectionis.

ARTICVLVS SECVNDVS PRINCIPALIS

IN hoc secundo art. principali (postquam in superioribus visum est ad quam virtutem spectet actus penitendi secundū illos quatuor modos penitēdi superius explicatos) declarat Scotus quomodo isti actus penitendi se habeant ad delendum peccatū, & diuiditur iste art. in duos articulos partiales. Nos aūt pro ampliori explicatione, ac defensione opinionis Doc. plures quam duos formabimus articulos.

Primus Art. Vtrum penitentia vt est actus virtutis requiratur ad deletionem peccati post Baptismum commissi.
Secundus Art. Vtrum isti actus penitendi sufficiant ad delendum peccatum si sint informes.
Tertius Art. Vtrum aliquis istorum quatuor actuum sit perfectior, & efficacior ad delendum peccatum.
Quartus Art. Vtrum attritio quæ iustificationem præcedit sit meritoria gratiæ de congruo.
Quintus Art. Vtrum ad attritionem, quæ est dispositio ad gratiam necessaria sit gratia specialis auxilij.
Sextus Art. Vtrum attritio fieri possit contritio.
Septimus Art. Vtrum ad hoc, q pęnitentiæ actus valeat ad peccatorū remissionem requiratur certa duratio temporis.
Octauus Art. Vtrū pęnitentiæ actus prior sit gratia infusione.
Nonus Art. Vtrum remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Pęnitentia vt est actus virtutis requiratur ad deletionem peccati post Baptismum commissi.

PRo titulo. e. obs. est, q quod dupliciter intelligitur actū esse alicuius virtutis, vno modo q sit a virtute elicitus, ita q prius fuerit habitus virtutis partialiter concurrens ad illum actum producendum, alio modo q sit virtutis generatiuus, sicut actus generat habitum, hoc obseruato respondet Doc. ad q. gemina conclusione.

Actus duobus modis potest esse actus virtutis.

Prima conclusio. Actus penitendi non requiritur ad delēdum peccatum pro ut est actus determinatæ virtutis. Probatur, quia dictum est, q quilibet illorum supradictorū sufficit, & pœnitere primo modo est actus iustitiæ punitiuæ, pęnitere secundo modo est indifferenter actus cuiuslibet virtutis, prout est detestatio peccati, quatenus peccatum est contra rectam rationem, vel est actus specialis virtutis, scilicet iustitiæ, prout est detestatio peccati, quatenus peccatum est offensiuum Dei: similiter pœnitere. tertio modo est actus cuiuslibet virtutis modo supra explicato; & quarto modo est actus patientiæ, & quodlibet istorum sufficit ad delendum peccatum, ergo pœnitere, vt est actus determinatæ virtutis, non requiritur ad delendum peccatum nempe vt est actus iustitiæ, vel patientiæ: assumptum probatur ex eo, quod quocunque tempore peccator egerit pœnitentiam Deus remittit illi peccatum, vt patet Ezech. 18. & 33. In quacunque hora peccator ingemuerit &c. sed per quemcunque istorum actuum peccator agit pęnitentiam: quia per quemcunque illorum habet, & tenet pęnam peccatorum, vt patet ex dictis, ergo quilibet illorum actuum sufficiens est sine alio ad delendum peccatum. Ex quo sequitur, quod actus pœnitentiæ, quo peccatum deletur, non est actus solius vnius virtutis; quia quocunque illorum quatuor actuum deletur peccatum, quos tamen omnes constat non esse eiusdem virtutis: nam primus est iustitiæ, & postremus patientiæ. Secundus autem, & tertius diuersarum virtutum.

Actus pœnitendi non requiritur ad delendū peccatū, vt actus determinatæ virtutis.

Secunda conclusio, non oportet quod pęnitere, quod debet esse deletiuum peccati, effectiue producatur ab habitu virtutis, adeo quod ad delendum peccatum non est necesse, quod actus pęnitendi, sit actus alicuius virtutis, siue istius, vel illius: patet quia non quilibet pęnitens habet

Actus pœnitendi deletiuus peccati non oportet q effectiue producatur ab habitu virtutis.

bet habitum virtutis, ex quo possit actum virtutis elicere: stat enim quòd pœnitens nullum habitum virtutis habeat, ac proinde non est necessarium, quod pœnitendi actus, qui ad deletionem peccati requiritur sit actus elicitus à virtute; sed satis est, quòd actus ille sit vel à virtute elicitus, vel virtutis generatiuus, quatenus elicitur conformiter ad rectam rationem; quod patet, quia actus æque perfectus, & æque circumstantionatus omnibus circumstantijs requisitis in genere moris, æqualiter acceptatur à Deo, & est sufficiens ad remissionem peccati, sicut alter sibi consimilis; sed est possibile ante quemcumque habitum virtuosum genitum, voluntatem elicere actum detestatiuum peccati æqualiter circumstantionatum, & cum tali, & tanto conatu, sicut actus procedens ab habitu virtutis, ergo si talis actus sequens habitum est sufficiens ad deletionem peccati, ita & præcedens; atque adeo non requiritur necessario, quod actus pœnitendi sit elicitus à virtute, cum cæteris paribus actus bonus, & cum bonis circumstantijs, tam acceptus est Deo, si sit ante virtutem genitam, quam si sit post illam, ergo valet ad delendum peccatum.

ARTICVLVS II.

Verum isti actus Pœnitendi sufficiant ad delendum peccatum si sint informes.

Charitas est forma aliarum virtutum.

PRo explicatione huius difficultatis aliqua prænotanda sunt. Primo obser. est quod charitas est forma aliarum virtutum, Tum quia dirigit aliarum virtutum operationes, ac omnia opera nostra naturaliter bona in vltimum finem. Tum quia dat actibus aliarum virtutum, atque operibus nostris moraliter bonis acceptabilitatem: nam ille actus dicitur acceptus, quem Deus acceptat tamquam dignum vita æterna; nullus autem actus est talis nisi sit à charitate, & secundum inclinationem charitatis elicitus, ex quo sequitur quod actus formatus, est actus humanus idest qui est in potestate hominis, bonus moraliter, & elicitus ab existente in charitate secundum charitatis inclinationem, & è contra actus informis ille appellatur, qui licet sit moraliter bonus, non est tamen elicitus ab existente in charitate, & ex charitatis inclinatione. sensus ergo tituli est, an actus pœnitendi requisitus ad deletionem peccati debeat esse formatus idest elicitus ab existente in charitate, ex inclinatione charitatis, vel sufficiat informis.

Secundo obser. est, quòd actum aliquem requiri ad deletionem peccati dupliciter intelligi potest, vno modo vt dispositio præuia præcedens remissionem peccati. Secundo modo vt dispositio concomitans idest simul existens cum remissione peccati. Primo modo illa dispositio vocatur attritio. Secundo modo vocatur contritio.

Tertio obser. est, quod peccator manens in statu peccati potest ex naturalibus supposita reuelatione Sacræ scripturæ, & quod peccator cognoscat, vel per scripturam, vel per prædicationem, quòd peccatum est detestabile sub istis conditionibus, scilicet vt Dei offensiuum, & vt contra legem diuinam, & vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum supplicij, & sub multis talibus rationibus, quas ex reuelatione accepit. Tunc (inquam) ex puris naturalibus potest considerare peccatum cum illis conditionibus idest vt est Dei offensiuum, & à Deo auersiuum, & à beatitudine separatiuum, & supplicij æterni inductiuum, ita quod non est necesse, quod illa consideratio immediate sit à Deo, licet prima reuelatio fuerit immediate à Deo. Et voluntas potest ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis, illud peccatum sic consideratum, (non dico ex naturalibus) detestari; & ille motus idest illa detestatio potest continuari, & intendi ante infusionem gratiæ; atque etiam potest illi detestationi circumstantias necessarias apponere, quibus appositis illa detestatio sit actus bonus moraliter. non est enim verisimile, quod necesse sit propter peccatum illud remanens; actum quemcumque circa peccatum commissum esse defectiuum in aliqua circunstantia morali; potest ergo peccatum adhuc in peccato existens elicere actum detestationis peccati commissi, circumstantionatum omnibus circunstantijs moralibus, qui actus detestationis, quatenus præcedit gratiam habet rationem attritionis; & est dispositio siue meritum de congruo, ad deletionem peccati mortalis, quæ remissio sequitur in vltimo instanti alicuius temporis, in quo tempore ista attritio durauit. nam decet bonitatem diuinam huic homini culpam remittere, qui culpam commissam detestatur cum debitis circumstantijs: non tamen meretur de condigno, & de iustitia talem remissionem: quia si Deus non remittat peccatum nullam facit iniuriam, etiam supposita hac attritione.

Actum non habere circumstantias requisitas bifariam intelligi potest.

Quarto obser. est, quod actum non habere omnes circunstantias requisitas bifariam potest intelligi, vno modo, quia talis actus habet vnam circunstantiam malam oppositam circunstantiæ bonæ, quam deberet habere. Secundo modo quod licet non habeat circunstantiam malam oppositam circunstantiæ bonæ, tamen illam bonam non habet propter inaduertentiam intellectus, vel negligentiam voluntatis, atque ita Petrus dupliciter potest detestari peccata, vno modo quia detestando habet circunstantiam oppositam bonæ circunstantiæ. v.g. quia refert vltimate illam detestationem in aliquod creatum, nempe in vanam gloriam, quam referre deberet vltimate in Deum, & talis relatio in finem creatum repugnat remissioni peccati. Alio modo quia non habet omnes bonas circunstantias requisitas; non habet tamen oppositam malam; sed vnam bonam positiue nõ apposuit; vel quia intellectus non aduertit, vel quia negligens fuit voluntas in apponendo; actus non bene circunstantionatus primo modo nõ est ad deletionem peccati sufficiens, patet quia talis actus est malus; nam omnis actus habens circunstantiam malam, necessario est malus in sensu composito; atque adeo talis actus non disponit ad gratiam; sed actus non bene circunstantionatus. Secundo modo, vt pote quia caret aliqua circunstantia, dubium est, an sit sufficiens dispositio ad remissionem peccati. non enim est certum (inquit Doc.) si Deus talem attritionem velit esse dispositionem ad iustificationem, nisi sit perfecte moraliter circumstantionata. Probabilius tamen, & verisimilius est dicere, quòd requiritur, quod talis actus habeat omnes circunstantias requisitas ad actum bonum moralem, & non sufficit quod non sit male circumstantionatus positiue; Cæterum si attritio sit perfecte circunstantionata in genere moris, videtur omnino dispositio ad iustitiam in termino illius attritionis acquirendam; in termino inquã quẽ Deus præfixit debere esse terminum illius motus attritionis, quã vsque tunc vult continuari; quod autem hoc meritum de congruo, siue hæc dispositio, quæ appellatur meritum de congruo, sit ponenda, ex eo probatur quod ea non posita difficile est explicare quomodo Deus non sit personarum acceptor, nam absque vllo merito magis in vno, quam in alio isti daret gratiam, & alteri negaret, ergo de lege necessario requiritur aliqua dispositio præuia ad infusionem gratiæ, & deletionem peccati. hæc autem eadem attritio si vsque ad gratiæ infusionem perseuerer, tunc nomen contritionis acquirit, & nomen attritionis amittit.

Sed dubium est, an requiratur, quòd talis dispositio præcedat tempore remissionem peccati, & gratiæ infusionem. an sufficiat quòd præcedat natura tantũ, ita vt illa posita in primo instanti elicitionis, causet gratiam, & remittatur peccatum, atque ita dispositio illa sit tantum natura præuia ad remissionem peccati respondet Doc. resolute, quod requiritur quod sit prior tempore, ita quod sunt imaginanda tria signa naturæ in peccatoris iustificatione, quæ instantia, seu signa sunt inter actum, vt est talis in esse naturæ, & moris, & inter charitatem, & inter actum vt est formatus; Primũ instans dicatur a. secundum b. & tertium c. In primo signo naturæ est ibi actus talis, idest, est detestatio peccati quæ vocatur meritum de congruo, & dispositio ad gratiam, & est actus informis. In secundo signo naturæ est charitas, nam in instanti terminatiuo actus detestationis Deus infundit gratiam, & in tertio signo est actus formatus à charitate, tam inchoante, & inhærente. v. gratia, sit Petrus, qui peccauit, recogitet ipse Petrus peccatum suum, tamquam Dei offensiuum, & sub alijs rationibus supra signatis, atque ita recogitando peccatum potest secundum quamcumque istarum rationem peccatum detestari; Ponamus quod ipsum detestetur, quia est Dei offensiuum, & propter Deum. quã cito ista detestatio ponitur, non ponitur gratia, sed requiritur certa temporis continuatio in cuius instanti terminatiuo Deus infundit gratiam. adeo quod in illo toto tempore præcedente detestatio illa vocatur attritio, & dispositio remota, ac meritum de congruo infusionis gratiæ, quæ quidẽ

attritio

attritio in vltimo instanti terminante illud tempus, in quo quidem instanti infunditur gratia, vocatur contritio, & dispositio immediata ad gratiam, & est actua formatus. Ex quo sequitur, quod vnus, & idem actus numero continuatus in a. & in b. est informis in a., & formatus in b. atque ita idem actus est attritio, & contritio in sensu diuiso, & per consequens attritio, & cõtritio non distinguũtur specie: quia eademmet dispositio numero, quæ prius erat attritio efficitur contritio; sed differunt solum penes connotata scilicet per habere gratiam, & non habere gratiam. Vnde patet ex sententia Doc. quod ad hoc quod detestatio efficiatur contritio requiritur ex parte pœnitentis certa temporis cõtinuatio; hoc est antequam remittatur peccatum & infundatur gratia, requiritur præuia dispositio pœnitentis, non solum natura præcedens, sed tempore; quod quomodo habeat intelligi infra latius declarabimus.

Dubitatur. Secundo. Vtrum necessarium sit continuare attritionem vsque ad primum instans infusionis gratiæ inclusiue, ita vt attritio maneat simul in primo instanti cum gratia, vel sufficiat continuare attritionem, vsque ad primũ instans gratiæ exclusiue. v. g. Petrus habens actum detestãdi peccatum moraliter bonum continuet ipsum per totum illud tempus præcedens gratiæ infusionem; in instanti tamen terminante detestationem illam, in quo quidem instãti debebat infundi gratia desistit ab illa, quòd fieri potest; quia pro illo instanti habet Petrus libertatem etiam contrarietatis; dubium est modo, an tunc infunderetur gratia Petro. Et videtur quod non sit necessarium continuare attritionem, vsque ad primum instans infusionis gratiæ inclusiue; quod probatur quia iste homo non meretur gratiam in eo instanti, in quo infunditur gratia, quia meritum est prius quam præmium, cum ergo huic homini detur gratia per attritionem tamquã per meritum de congruo, sequitur quod non datur gratia propter attritionem, quatenus perseuerat cum gratia, sed per eam quatenus gratiam antecedit, atque ita non est necesse continuare attritionem vsque ad instans infusionis gratiæ inclusiue; sed contra hunc modum dicẽdi arguitur: nam sequeretur quod gratia infundatur Petro, qui nec est, nec vnquam fuit contritus, & per consequens, quod contritio non esset necessaria ad remissionem peccati, quod est falsum, probatur sequela; quia si Petrus non continuat attritionem vsque ad instans infusionis gratiæ non est contritus, quia nõ habet displicentiam de peccatis cum gratia, & tamen iuxta hunc modum dicẽdi infunditur sibi gratia, ergo contritio non est necessaria ad gratiæ infusionẽ. Et confirmatur: quia in illo instanti, in quo cessat ab actu detestationis, potest ponere obicem ad gratiam, quia sicut potest tunc habere actum impertinentem, ita oppositum, ergo si non continuat actum detestationis peccati vsque ad instãs infusionis gratiæ, non infunditur sibi gratia. Respondetur quod vtique si poneret obicem, non infunderetur sibi gratia, sicut nec adulto, qui baptizatur si ponat obicem infunditur gratia, in proposito tamen continuans detestationem peccati per totum tempus præcedens gratiæ infusionem, vsque ad instans infusionis gratiæ exclusiue, non potest ponere obicem: quia iam meruit, vt in illo instanti detur sibi gratia, sed hoc nihil est inquit Doc. quia & si non possit quis in instanti præmiationis post meritum de condigno ponere obicem, vt in instanti mortis nõ potest quis demereri, tunc enim merito suo debet reddi impeccabilitas, tamen qui meruit de condigno, potest ponere obicẽ in illo instanti, in quo reciperet præmium meriti de congruo, si non esset obex. Dicendum est ergo, quod sicut in termino meriti de congruo potest non habere illud, quod meruit: quia ponit obicem, ita est verisimile, quod nisi continuet actum detestationis moraliter bonum vsque ad instans infusionis gratiæ inclusiue; non habebit illud, ad quod talis actus disponit merito de congruo idest non habebit gratiam, nisi continuet illam detestationem, vsque ad instãs infusionis gratiæ inclusiue. His obseruatis: respõdetur ad quæst. gemina cõclusione.

Actus requisitus ad deletionem peccati mortalis vt dispositio præuia non requiritur quod sit formatus.

Prima conclusio. Actus requisitus ad deletionem peccati mortalis, vt dispositio præuia, & vt meritum de congruo, non requiritur quòd sit formatus: quia talis est in instanti a. hoc est in primo signo naturæ præcedens gratiam. ergo &c.

Secunda Conclusio. Actus requisitus ad deletionem peccati mortalis, vt dispositio concomitans, idest simul existens cum remissione peccati requiritur quod sit formatus, & de facto est formatus, quia huiusmodi actus est in instanti b. in quo pœnitenti infunditur gratia, & tũc in instanti c. actus ille intelligitur formatus, nam in primo instanti naturæ peccator detestatur peccatum. In secundo remittitur ei peccatum & datur sibi gratia; & in tertio talis actus detestandi est formatus, & appellatur contritio.

Contra hanc secundam conclusionem arguitur quia stãte eius veritate sequitur, quod peccatum non remittitur per contritionem: nam contritio secundum naturam sequitur gratiæ infusionem, & ex consequenti remissionem peccatorum quæ fit per gratiam, ergo nulla contritio potest esse causa remissionis peccatorũ. Respondet Doc. prænotãdo, quòd Deus disposuit dare gratiam huic homini per attritionem tamquã per meritum de congruo, non tamen dat gratiã in principio attritionis, oportet enim continuare attritionem per tempus certum à Deo institutum, quo transacto Deus statim dat gratiã tamquam per meritũ de congruo; quatenus autem eadem attritio continuatur, & perseuerat vsque ad instans infusionis gratiæ, in quo instanti hic actus accipit esse contritionem, deletur peccatum per contritionẽ, vt per actum concomitantem. Et cum arguitur hic actus vt contritio sequitur remissionem peccati, ergo non remittitur peccatum per contritionem. Respondetur quod licet hic actus vt contritio sequatur remissionem peccati, dicitur adhuc peccatum remitti per contritionẽ, quatenus hic idem actus qui est contritio prius natura est quam infusio gratiæ: quia est dispositio proxima ad gratiam; vnde cum dicitur peccatum remitti per cõtritionem debet intelligi materialiter, hoc est per illum actum qui re vera est contritio, nõ tamen formaliter, quia non remittitur per illum, quatenus est contritio.

Dubium est tamen; quia secundũ Scotum meritum non solum est prius natura quam præmium, sed etiam est prius tẽpore, propter eaque ipse in 2. d. 5. q. 1. tenet Angelum non meruisse beatitudinẽ in eo instanti, in quo habuit gloriã, sed in instantibus præcedentibus, atque ita refellit D. Thom. tenentem oppositum: nunc verò dicit attritionem per quã de congruo homo meretur gratiã esse in eodem instanti cũ ipsa gratia. Respondetur ad hoc, quod Sco. hanc attritionem, quatenus est prior tempore quã gratia, dicit esse dispositionem remotam ad gratiam, & meritũ de congruo ipsius gratiæ; eamdem verò attritionem quatenus est in eodẽ instanti temporis cum gratia, nunquam appellat meritum de congruo, sed eam appellat dispositionem immediatã ad gratiã, ad quam necessarium non est, quod sit prius tempore quam gratia: quia vltima dispositio bene potest esse in eodem instanti temporis cum sua forma; sed satis est quod in eodem instanti temporis, sit prius natura, quam gratia in genere causæ materialis tamquam eius vltima dispositio. Vnde secundum Scotum per hanc attritionem, quatenus est prior tempore quam gratia remittitur peccatum tamquã per dispositionem remotam, & meritum de congruo, at verò per eamdem vt permanentem cum gratia remittitur peccatum solum tamquam per dispositionem proximam, & vltimã. Ex quibus patet quemlibet prædictorum quatuor actuum sufficere ad delendum peccatum, & appellari attritionem, quando sunt sine gratia, quando verò sunt cum gratia appellari contritionem.

ARTICVLVS III.

Vtrum aliquis istorum quatuor actuum sit perfectior, & efficacior ad delendum peccatum.

Actus elicitus à pluribus virtutibus est cæteris paribus perfectior.

PRo solutione obs. est, quòd quanto aliquis actus est elicitus à pluribus virtutibus, & perfectioribus, tanto est perfectior ceteris paribus idest supposito æquali conatu voluntatis. & actus qui elicitur à perfectiore virtute, est etiam perfectior. Hoc supposito dico, quòd vel loquimur de istis quatuor actibus vniformiter, idest quatenus omnes oriuntur ex vna virtute, vel difformiter, ita quod vnus oriatur ex vna virtute, & alius ex pluribus, vel quod vnus eliciatur à virtute perfectiori, quam alius.

Si loquamur primo modo idest si omnes illi quatuor actus oriantur ex vna, & eadem virtute. v. g. ex charitate, dico quòd velle vindicare est perfectior, quia habet magis de voluntario. Si autem loquamur difformiter quatenus vnus actus elicitur à virtute perfectiori. Dico quod si primus actus scilicet velle vindicare, elicitur à sola iustitia mediate, vel immediate, secundus verò actus scilicet nolle peccasse, vel detestari peccatum, & tertius nempe gratanter acceptare tristitiam, si inquam secundus & tertius actus eliciantur

ab alia

ab alia virtute perfectiori, vt potè à charitate, dico quod secundus & tertius erunt excellentiores primo.

Si tertio loquamur difformiter: quia vnus actus elicitur ex pluribus virtutibus quã alius, Dico quod si primus actus eliciatur ne dum à iustitia virtute, sed etiam à virtute charitatis: quia potest iustitia imperans actũ primo modo moueri ad suum imperium ex actu charitatis, vt dictum est supra, actus vero secundus vel tertius eliciantur à sola charitate, Tunc primus actus est perfectior: quia habet duplicẽ bonitatem, & ex iustitia proxima imperante, & ex charitate remota imperante actum illum, actus autem secundus vel tertius habet vnam tantum bonitatem scilicet ex charitate eliciente. E contra verò si quis vult seipsum punire, qui est primus actus ad pœnam culpæ adæquandam. Alter verò ferat patienter pęnam, (qui est quartus actus; qui est secundum se simpliciter imperfectissimus; quia minus habet de ratione voluntarij, & quia à minus perfecta virtute) propter patientiam, & Dei amorem, hic actus est conuenientior ad delendum peccatum, quia talis actus procedit à patientia, & charitate, quæ est omnium virtutum suprema; alter verò actus procedit à sola iustitia, adeo quod actus perfectior est semper conuenientior ad delendum peccatum. Huiusque causa est: quia per hos actus deletur peccatum tamquam per meritum de congruo: magis autem congruit bonitati Diuinæ deleri peccatum propter actum meliorem, qualis est ille, qui à pluribus, vel melioribus virtutibus procedit.

Sed dubium est quis istorum quatuor actuum potentior sit ad causandũ tristitiam. Respondet Doc. quod duo actus postremi scilicet acceptare, & patienter ferre tristitiam; non causant tristitiam; sed eam præsupponunt, & ideo quo ad hoc nullam efficaciam habent: quia isti duo actus respiciũt tristitiam, tamquam obiectum, & non tamquam effectum. Secundus verò actus, qui est nolle peccasse, si procedat à feruenti Dei amore, sine primo actu, qui est velle punire se, solet quandoque causare maximam tristitiam. Primus verò actus, qui est velle punire se, licet intensus in se sit, solet quãdoque nullam causare tristitiam, licet imperceptibiliter causet, idque ex duobus potest euenire: primo quia tristitia non causatur, nisi ex nolitione, & cõsideratione peccati perfectis. quamuis autem primus actus coniungere possit considerationem, & nolitionem peccati, non potest tamen eas coniungere perfectas, propter defectum habituum proximorum. hoc est, quia carent habitibus, qui elicitur principia perfectionis in actibus suis. Secũdo verò: quoniam sicut intellectus conformatur potentiæ cognoscitiuæ sensus, ita etiã voluntas appetitui sensitiuo conformatur, quo ad tristitiã, & lætitiam, nam cum appetitus intellectiuus pro statu isto coniunctus sit appetitui sensitiuo natus est condelectari, & contristari; Cuius ergo appetitus sensitiuus non est natus tristari, vel dolere, eius voluntas non faciliter tristatur, atque adeo cum aliqui hominea secundum appetitum sensitiuum sint natura priori ad hilaritatem, & magna difficultate trahantur ad tristitiam, non est mirum si talium voluntas cum magna difficultate ad tristitiam trahi potest. Ex quo sequitur primo inquit Doc. quod aliquis habet maximum actũ pœnitentiæ primo modo, & tamen nullam tristitiam vel modicam; & aliqui sine aliquo actu pęnitẽtiæ primo modo habent maximum effectum idest maximam tristitiã eiusdem rationis cum illa, quæ nata est esse effectus pœnitentiæ. Secundo sequitur ad pœnitentiam necessarium esse aliquem ex prædictis quatuor actibus, quamuis nulla aut modica sequatur tristitia, si verò tristitia adsit tanto melius est, quanto ab illa excitantur prædicti actus ad maiorem perfectionem: tamen plus delet meritorie peccatum actus causatiuus tristitiæ, quam ipsa tristitia.

ARTICVLVS IV.

Vtrum attritio, quæ iustificationem præcedit sit meritoria gratiæ de congruo.

DE hac quæstione duæ sunt opiniones inter catholicos, & scholasticos Auctores, & quidam tuentur partem negatiuam, alij verò partem affirmatiuam defendunt: omnes tamen fatentur gratis iustificari peccatores, neque debere illis gratiã aut remissionem peccatorum suorum; neque illa esse in eis opera, quantumcumque præclara, & præexcellentia habeant opera, propter quæ Deus eos teneatur ad suam amicitiam admittere. & iidem omnes concedunt aliqua esse in peccatoribus opera propter quæ congruum sit Deum illos sibi reconciliare: atque ita de nomine tantum est quæstio inter eos in hoc, an ea opera, quæ congruum est acceptare, vt peccatores iustificet, meritoria saltem ex congruo debeant appellari iustificationis ipsorum.

Primam sententiam apertissime defendit Sotus lib. 2. de natura, & gratia. c. 4. & in 4. sent. d. 14. q. 2. art. 5. & adeo mordicus, vt dicat patres antiquos solum agnouisse meritum de condigno, & ecclesiam, hoc meritum quod aiunt congrui repellere, vt recens inuentum. probatque suam sententiam quatuor potissimum rationibus, quarum primam desumit ex nomine ipso, nam meritum latine relatiuum est præmij, & mercedis: nam vbi nulla est ratio mercedis. nulla est ratio præmij, quinimo meritum à mercede deducitur, ergo nisi sit opus cui aliqua ratione debeatur merces, nulla potest ratione censeri debitum, ergo sicut vbi est proprie meritum illis, est proprie debitum tamquam omnino correlatiua, ita vbi est aliqua ratio meriti, debet esse aliqua ratio debiti, quod si nulla sit ratio debiti, nec proprie, nec improprie erit ratio meriti; sed prima gratia nullam habet rationem nec proprie, nec improprie mercedis, & præmij; ergo nulla est proprie in operibus ratio meriti. Minor patet ex D. Paulo asserente rationem debiti tollere rationem gratiæ, nam vbi est debitum, iam non est gratia; & confir. ex Concilio Aurisicano can. 2. c. 28. dicente. Debetur merces bonis operibus si fiant; sed gratia quæ non debetur præcedit vt fiant. *Concil. Arausic.*

Accedit secundo inquit Sotus mihi profecto pergrande argumentũ contra meritum congrui ex eius nouitate: Cum enim ecclesia à Pelagianis tantam fuerit molestiam perpessa contendentibus quod iustificamur ex meritis; si sancti Patres iuto potuissent hac distinctione vti eo modo illis satisfecissent, quod si licet aliqua esset ex nobis naturalis dispositio, quæ esset meritum de congruo; sed tamen hanc distinctionem nec somniare ausi sunt, ne gratiæ Dei iniuriam irrogarent. Quare in Concilio Palestino, vt refert ad Paulinũ Augustinus simpliciter annathematizatur, qui dixerit gratiam Dei secundum merita nostra dari; & lib. 3. Hipogo. ex illo ad Ephes. 2. Cum essemus mortui peccatis cõuiuificauit nos Christo. probat nullum esse meritum hominis ante gratiam, insinuans quod in peccatore veluti in mortuo nihil meriti præcedit. Ac demum ait. Audi hæretice stulte, & inimice veritatis. Opera liberi arbitrij bona, quæ vt fiant præparantur per gratiæ præuentum, nullo haberi arbitrij quæ gratiæ præponuntur, & ex his tamquam meritis in Christo iustificari extolluntur, quis enim prior dedit ei, & retribuetur illi? Hæc Augustinus. *Conc. Palest. D. August.*

Tertio arguitur, meritum condigni, & congrui in hoc differunt, quod meritum de condigno sit dignitas ad gratiam, meritum autem de congruo sit saltem operum congruitas, atque adeo ponentes meritum de congruo negare non possunt, quin si gratia detur ex merito de congruo fiat ex operibus, quod Paul. ad Rom. 12. simpliciter negat. Dicens si autem gratia, iam non ex operibus, alioquin gratia iam non est gratia.

Postremo probat suã sententiam ex determinatione Ecclesiæ: nam in Concilio Mileuitano can. 5. determinatur; quod gratia iustificationis non datur, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium facilius possimus implere per gratiam, sed simpliciter initium est à gratia, atque adeo nullo præcedente merito; Item in Concilio Arausi. can. 25. expresse hoc idem determinatur his verbis. Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono nos nõ incipimus, & postea per Dei materiam adiuuamur, sed ipse nobis nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem, & amorem suum inspirat. & in Conc. Trid. inquit Sotus cum fautores meriti de congruo multarum dierum disputationibus contendissent, vt in Canone poneretur iustificationẽ fieri, nullis nostris proprie meritis præcedentibus, vt in sanciaretur præcedente de congruo neutiquam obtinere potuerunt, tum quod si improprie est meritum, non est dignum meriti nomine, tum quòd Patres in Cõc. Palestino, Mileuit & Arausi. ab omni nominatione meriti ante gratiã prorsus exhorruerũt. Quare Synodus sess. 6. c. 5. declarauit exordiũ iustificationis nostræ in adultis à Deo per Iesum Christum præueniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum meritis existentibus vocantur. *Concil. Mileuit.* *Cõc. Arausi.* *Concil. Trident.*

Postre-

Postremo concludit Sotus, quod omnes nostri motus, etiam si ab auxilio speciali procedant, tamen quatenus gratiam iustificantem antecedunt, nullam prorsus rationẽ meriti, aut de congruo, aut de condigno habent, neque verò propriè causam, vel materialem dispositionem, quæ nobis consentientibus per Dei auxilium fit.

Alex. de Ales. D. Bonauentura. Scotus. Gabriel. Maior. Almaynus. Adrianus. Rofensis. Vega. Car. Bellar. Suarez.

Oppositam sententiam tuentur Alex. de Ales. p.4. q.24. m.4. art.3. §.1. & 2. D. Bonau. in 2. d.28. art.2. q.2. & 3. & in 4. d.15. p.1. art.1. q.5. & 6. & Doc. noster sub. in 1. d.17. q.1. & in hac q. & multis alijs in locis, & sequuntur eos Theologi recentiores. Gab. Maioris. Almaynus in 2. & in 4. & Adrianus. quol.7. q.6. & Sanctus Episcopus Roffensis in art: primo contra Lutherum adeo non abhorret ab hac sententia, vt & ideo putet à Paulo dictum. Nos iustificari per fidem; quia fides meretur gratiam, qua sola iustificamur. Noster Vega lib.8. in Concil. Trid. à c.4. vsque ad finem. & q.7. de iustificatione. Card. Bell. tomo 3. suorum operum lib.1. de iustificatione c.21. lib.2. de pęnitentia c.12. tom.2. & Suarez tom. 1.3. p. D. Thom. disp.4. sent.8.

Origenes. Tertull. D. Cypr. D. Ambros. D. August. D. Hylarius D. Gregor. Hesychius.

Vnde pro huius difficultatis explicatione obs. est primo Patres antiquos licet contra Pelagianos disputantes semper statuissent gratiam iustificationis non dari secundum merita; eosdem tamen agentes cum catholicis nonnunquam asseruisse, fide, eleemosyna, pęnitentia, oratione, & alijs bonis operibus ex dono Dei habitis mereri peccatores suam iustificationem; vt facile videri potest ex his quæ scribunt. Origenes hom.3. in Leuit. ex illis verbis Dauidis. Dixi pronunciabo aduersum me iustitiam meam, & tu remisisti &c. Tertullianus 4. in Marcionem. Cyprianus in expositione orationis Dominicæ Ambros. lib.7. &c. super Lucam, sermone de eleem. ser.44. & 45. & lib 2. de pęnitentia c.3. D. Augustinus lib.2. de peccatorum meritis. c.34. in lib. de pęnit. medicina. c.15. & in epistola 89. ad Hylarium. q.4. Greg. lib.3. Reg.1.4 & hom.9. super Ezechielẽ. Et Hesychius in Leuit.

D. August.

Secundo obser. est quod D. Augustinus quandoque de sola gratia præueniente loquitur, & eam asserit omnia merita inchoare, & antecedere, & de hac gratia loquitur præsertim in epistola. 105. 106. & 107. & omnibus in locis, quibus asserit gratiam Dei non dari secundum opera nostra; nã licet iustificationem nostram præcedant aliqua bona opera, tamen à gratia gratis data, hoc est à speciali Dei auxilio, vt plurimum proficiscuntur, atque adeo inquit D. Augustinus ante illam, vel nulla bona sunt, vel certe tam pauca, & tam exigua, vt à malis meritis multis nominibus vincantur, & vix bona, vel saltẽ merita gratiæ nullatenus debeant cẽseri. Quandoque vero loquitur D. Augustinus de tota gratia iustificationis, vt complectitur in se gratiam præuenientẽ, & gratiam iustificantem, & quicquid gratiæ concurrit ad iustificationem peccatoris, & quia gratia præueniens datur sine merito, ideo simpliciter asserit neminem mereri suã iustificationem, atque ita loquitur epistola 105. Et generaliter vbicumque negat meritum gratiæ, solum negat merita gratiæ in sensu, in quo ea asserebat Pelagius, videlicet vt merita essent bona opera per solam libertatem arbitrij facta: neque vnquam negat merita iustificationis, quæ sint ex gratia Dei, sed tantum damnat, & aduersatur merita humana, quæ sine gratia fieri dicuntur, & ei præponuntur, vt patet ex his, quæ scribit epistola 106. ad Paulinum.

Meritum bifariam sumitur.

Tertio obs. est, quod meritum bifariam sumitur, quãdoque strictè, & in rigore, atque ita meritum appellatur actio libera, cui debetur ex iustitia præmiũ aliquod, seu merces, & hoc Doctores Scholastici consueuerunt appellare meritum de condigno. quandoque verò meritum large dicitur actio libera acceptata ad aliquod præmium, vel ex debito, vel ex pacto seu conuentione, aut simpliciter ex gratia, & generaliter quodcumque opus, quod impetrat apud aliquem mercedem aliquam, vel præmiũ, causa est collationis ipsius. Ad meritum primo modo acceptum idest ex condigno, & dignitas requiritur operis, & lex statuta de concessione pręmij sibi respondentis, sed ad meritum secundo modo (quod meritum de congruo appellant Scholastici optimo addito temperamento, quod omnem difficultatẽ, & contrarietatẽ ad gratiam, quam insinuare videretur verbum meritum, emollit, & temperat, immo in totum aufert adiecta particula ex congruo) ad hoc inquam, meritum alterutrum istorũ satis est: nam nomine meriti ex congruo tantum intelligimus actionem aliquam liberam, cui congruum sit, & par respondere aliquod præmium.

Quarto obs. est, quòd hæc congruentia, quæ attenditur pęnes meritũ de congruo, contingere potest, vel propter dignitatẽ operis, seu operantis; vel propter legem à Deo statutam de concessione alicuius præmij, atque adeo duplex esse creditur meritum ex congruo respectu iustificationis. Merentur primo ex congruo iusti conuersionem peccatorum pro quibus orant; quia amici sunt Dei, neque indigni, vt eorum orationes exaudiantur quãuis nulla certa sit lex de hoc pręscripta; & meritum de congruo in hac significatione multi Theologi appellant meritũ digni; Peccatores verò secundo modo si se in Deũ conuertunt mereri possunt suã iustificationẽ ex congruo: quia licet digni tanto beneficio non sint, tamen lex est a Deo de hoc statuta. Aperte quippe per Ezechielẽ ait. Impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate sua, & alibi sæpe cõuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Hoc tamen meritũ quòd ex congruo appellamus, non est meritũ simpliciter, sed tãtum ex congruo. Vnde Ric. in 2. d.27 art. 2 q.1. dicit hæc merita non esse merita simpliciter, sed tantũ secundũ quid. Et Doc. Sub. sic tẽperauit verba, vt quamuis dispositiones sufficiẽtes ad iustificationẽ merita ipsius ex congruo appellauerit, tamen nunquã ea dixerit esse merita simpliciter, immo merita absolute, & sine limitatione repugnare gratiæ ostendit, in 2. d.5. & in quolib. q 17. art.2. docet ad actũ meritoriũ simpliciter requisitum esse, vt is actus specialiter sit acceptus Deo, tamquam actus dignus eo præmio, quod pro eo est reddendum, quæ quidem nullis operibus peccatorum conueniũt,

Meritum de congruo respectu iustificationis est duplex. Ezech.33. Zach.1. Ricardus. Scotus.

Postremo obs. est, quod pro merito de congruo nunquã intellexit Sco. opus cui de iustitia debeatur præmiũ aliquo modo, sed intellexit opus impetratorium, atque ita omnia opera bona facta ab existente in mortali sunt impetratoria; quia Diuinã misericordiã excitant, vt elargiatur nobis suã gratiã, ante cuius infusionem nulla inueniri potest in rigore ratio meriti, cum ipsa sit principium merendi; vnde si sano modo intelligantur verba Sco. neque sunt falsa, neque reprehensione digna, vt arbitratur Sotus; imo sunt digna summa laude, vt ex dicendis manifestissime apparebit.

Scotus quid intellexit per meritum de congruo.

His itaque suppositis, & diligẽter obseruatis. Dico primo gratiam gratis datam, qua Deus benignissima sua voluntate trahit peccatores ad suam gratiã, & iustitiam, nemo meretur, sed illa antecedit omne meritũ. Hæc conclusio est D. Augustini multis in locis, & peculiariter in 3. lib. Hypognosticon, vbi ita dicit Vitiato, ergo libero arbitrio totus homo vitiatus est, per quòd absque adiutorio gratiæ, quod Deo placeat, neque valet incipere, neque perficere sufficit, præueniatur autem medicina idest Christi gratia, vt sanetur & reparetur in eodẽ vitiata, atque præparetur voluntas, qua semper indigens adiutorio illuminante gratia Saluatoris, possit tam Deum cognoscere, quã secundũ eius viuere voluntatẽ.

Gratiam gratis datam nemo meretur. D. August.

Dico secundo gratiam gratis datam, qua Deus peccatores trahit ad suam gratiam non dari propter meritum aliquod de congruo, sed propter solam Diuinam benignitatẽ, hanc conclusionem esse de mente D. Augustini patet ex statim citatis ex.3. Hypognost. & ex his quæ scribit lib.4. contra Iulianum pelag. c.8. & multis alijs in locis.

D. August.

Dico tertio gratiam iustificationis, vt amplectitur omnes gratias gratis datas, & gratũ facientem, quæ concurrunt ad nostrã iustificationẽ, nemo meretur, neque simpliciter, neque ex congruo, probatur quia si gratias gratis datas, quibus venimus ad Dei gratia nemo meretur, neque simpliciter, neque ex congruo, vt tradidimus in secunda & prima conclusione, ergo neque vllo modo cadit sub merito gratia iustificationis, vt complectitur omnia Dei beneficia, quibus ad hoc peruenimus, vt iustificemur.

Gratiam iustificationis, vt amplectitur omnes gratias ad nostram iustificationẽ concurrẽtes nemo meretur.

Dico quarto fides, pęnitentia, & alia bona opera quibus disponimur ad gratiã gratum facientẽ, qua formaliter iustificamur, & fuimus accepti Deo meritoria sunt ex congruo eiusmodi gratiæ, & nostrę iustificationis. probatur & quidẽ si fides nostra non esset causa iustificationis nostræ; neque diceremur à Paulo iustificari ex fide, neque per fidem, ex, vtique, & per causam notant, & cur dixisset Christus Magdalenæ, cur etiã Hæmorrohissæ fides tua te saluam fecit? Cur & sancti, quod sæpe est legẽre apud illos, fidẽ sanare, iustificare, liberare, purificare, si nulla est fidei in illo virtus, & efficacia? si spes nullam efficaciã haberet respectu salutis nostræ non diceret Paulus spe salui facti sumus. Neque per Prophetam Deus diceret. Quoniam in me sperauit liberabo eum, protegam eum: quoniam cognouit nomen meum.

Fides pœnitentia, et alia opera bona meritoria sunt de congruo nostra iustificationis. Rom 3. Luc 7. Matth 9. Rom 8. Psal. 90.

Dilectio

Dilectio etiã aperte asseritur causa remissionis peccatorũ, cũ dicitur remissa sunt ei peccata multa: quoniã dilexit
Luc 7. multum: nam quoniam: nota est causalitatis.

De pęnitentia etiam aperta sunt testimonia scripturæ, ex
Sap. 11. quibus conuinci possit eã esse causam, propter quã Deus iustificat peccatores. Salomon dissimulare Deũ dicit peccata
Ezech. 18 hominũ propter pęnitentiã. Ezechiel, cũ auerterit (inquit) se impius ab impietate sua; quã operatus est, & fecerit iudiciũ, & iustitiã ipse animã suã viuificabit. si peccatum animã suã viuificat per pęnitentiã suã, habet ergo aliquã efficaciã pęnitentia illius ad ipsius viuificationem. & qui dixit conuerti-
Zach. 1. mini ad me, & ego conuertar ad vos, & rursus conuertimini, & viuetis, profecto indicauit cõuersionẽ nostrã in ipsum causã esse vitæ nostræ spiritualis, & cõuersionis ipsius ĩ nos.

Adde quod si peccata causę sunt iræ, & indignationis Dei aduersum nos; erit & pęnitentia causa reconciliationis, &
Hier. 18. placationis ipsius. Nã perinde Deus per Hieremiã de vtrisque loquitur dicens. Repente loquar aduersus gentẽ, & aduersus Regnũ vt eradicẽ, & destruã, & disperdã illud. Si pęnitentiã egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus illã agã, & ego pęnitentiã super malo, quod cogitaui, vt facerẽ ei, & subito loquar de gente, & regno, vt ædificẽ, & plantẽ illud, si fecerit malũ in oculis meis, vt non audiat vocẽ meã, pęnitentiam agã super bono, quod locutus sum vt facerẽ ei. Cum ergo ex scripturis sacris pateat dispositiones ad gratiã causas esse nostræ iustificationis, quis cõtendet eas nõ mereri de congruo nostrã iustificationẽ? nã verissimum est habere rationẽ meriti alicuius præmij, quicquid est causa illud obtinẽdi. Cum ergo dispositiones nostræ, & præparationes ad gratiã causæ sint aliquo modo propter quas Deus nobis suam gratiam elargiatur, erunt, & illæ quoque aliquo modo, hoc est, ex congruo ipsius meritoriæ.

Confirmari potest hæc conclusio auctoritatibus sanctorum, quos supra retulimus in primo obseruando, quas diffuse videre poterit lector in Vega locis supracitatis superest modo respondere ad argumenta Soti.

Et primo quidẽ hominẽ admiror alioqui oculatissimum & D. Thomæ studiosissimũ, qui non videt aperte contradicere, & S. Thomæ, & ipsummet ea quibus maxime nititur expugnare meritũ congrui; Recens inquit inuentũ est, neque patres nouerunt nisi meritũ condigni, extare, quia non potest ratio meriti, vbi non subest ratio debiti, & iustitiæ. at
D Thomas. vero S. Thomas. 3. p q. 2. art. 11 aperte fatetur sanctos patres suis orationibus meruisse, ex congruo incarnationẽ filij Dei & 1. 2. q. 114. art. 4. asserit iustũ quẽuis posse alteri mereri ex
Alex. de Ales. cõgruo, primã gratiã, & ante illũ idẽ docuit Alex. Ales. quẽ
D. Bonau. sequutus est D. Bonau. locis supracitatis & ante omnes illos
D Ambros. D. Ambrosius in c. 5. Lucę, in illa verba. Quorũ fidẽ vt vidit dixit Homo remittuntur tibi peccata tua, diserte idẽ tradit his verbis. Magnus Dñs qui aliorũ merito ignoscit alijs. & dũ alios probat, alijs relaxat errata. Cur apud te homo collega non valeat, cũ apud Deũ seruus, & interueniendi meritũ, & ius habeat deprecandi? hæc Ambrosius. Neque ipse quidẽ hæc negat, aut recens inuẽtũ affirmat. Atque in aperto est nullã in his esse rationẽ debiti, & iustitiæ: quare meritũ ex condigno appellari non potest. quapropter si fatetur sanctos patres, sic vsurpasse nomen meriti, vt nõ diffiteatur de homine diu viuente in peccato consueuisse dicere meruisse eũ postea iustificari propter aliqua bona opera, quæ fecerat in peccato, & manifestũ est, tunc eos non significasse meritũ aliquod ex condigno, cur dicit huiusmodi solũ meritũ eos agnouisse? ac proinde intelligere certe haud possum, & cur eũ tantũ offendat meritũ de congruo non adipiscor; præsertim cũ additione illa de congruo, cum agitur de operibus, quæ fiunt ex gratia præueniente: nã si tẽpore Pelagiani erroris, qui humana merita extollebat. Sanctus Augustinus præcipuus gratiæ defensor merita appellare non dubitauit merita illa, quæ nascuntur ex fide, quanto magis hoc tẽpore, quo Lutherani merita omnia tollunt è medio, deberent catholici eadẽ illa opera merita nominare, & maxime cũ hoc addito de congruo. At inquit August. lib. 1. Retractationũ. c. 23. retractasse videtur sententiã illã fides meretur remissionẽ peccatorũ, quando illã aliã retractauit initiũ fidei est ex nobis. sed non est ita. Nã in lib. de prædest. sanct. c. 3. Vbi meminit illius retractationis, adeo non retractat illam, fides meretur iustificationẽ, vt expresse ibi dicat fidẽ inchoare in Nobis meritũ, & misericordiã præcedẽti fidei merito tribui. & 1. de Trin. cap. 10. tractans illa verba Ioannis. Ipse pater amat vos, sic ille scribit. Quo merito nisi fidei. qua credimus antequam id, quod promittitur videamus? & in lib. 83. q. q. 68. Merces cognitionis (inquit) meritis redditur; credendo autẽ meritũ cõparatur &c. & in epistola 105. & 106. docet fidẽ mereri iustificationẽ, & tamen in his epistolis sũma contentione affirmat initiũ fidei nõ esse ex nobis, & in ipso l. 1. Retract. c. 23. vbi retractat illã sententiã de initijs fidei ex nobis, scribit verissime dictũ esse, fides ĩchoat meritũ.

At inquit. S. Augustinus loquitur de merito fidei formatæ; quo meremur iustificationẽ, i. incrementũ iustitiæ, non de merito fidei informis, quo meremur remissionẽ peccatorũ. Neque hoc verũ est; nã in epistola 105. loquitur aperte de remissione peccatorũ. Neque ipsa (inquit) remissio peccatorũ sine merito est, si fides hanc impetrat, & lib. 1. contra aduersariũ legis, & Prophetarũ c. 17. fides (inquit) impetrat charitatem, & in epistola 106. fides meretur gratiam bene operandi, & tract. 44. in Ioan. hæc inquit confessio meruit iustificationem. loquitur igitur Augustinus de fide, quæ præcedit charitatem, & remissionem peccatorum, & illi meritum impetrationis attribuit.

At S. Augustinus cũ dicit fidẽ mereri iustificationẽ intelligit fidem ostendere à quo sit petendũ auxilium, vnde iustificatio, & post iustificationẽ merita acquirantur. Sed hæc responsio indigna est viro docto, qualis est is, cũ quo dissentimus; nam si id esset mereri iustificationẽ, posset etiã Verbũ Dei, & concionatores, & ipse Deus dici mereri nobis iustificationem. Deinde S. Augustinus explicat, quomodo fides mereatur, cũ dicit eã impetrare remissionẽ peccatorũ. Denique & ipse Augustinus & reliqui Patres omnes non solũ fidei, sed etiam dilectioni, ac pęnitentiæ tribuunt meritum iustificationis, certe autem dilectio, & pœnitentia non ostẽdunt à quo sit petendum auxilium.

At S. Augustinus improprie loquitur de merito, proinde nulla est causa, cur illũ in hac parte imitari velimus. Cæterum si semel tantum, aut iterum hæc vox vni Augustino excidisset, fortasse tollerari posset hæc respõsio; at quod omnes Patres quorum plerique latinam linguam ab ipsa Nutrice didicerant in re tam graui perpetuo improprie loquãtur incredibile videtur. Deinde non est potissima nostra quæstio, an actus pœnitentiæ, quibus homo disponitur ad iustificationem sint merita proprie, vel improprie dicta: nã neque esse merita proprie asseruit Sco. Sed an sint hoc nomine appellanda; & nos quidem probamus ita esse vocanda, quemadmodum hic Scot. attritionem meritum de cõgruo appellat, & similiter opera quibus disponimur ad iustificationem ita vocant omnes Latini Patres, neque argumenta Soti contrarium probant.

Vnde primũ Argumentũ de relatione meriti, & mercedis potest primo contra ipsum reflecti; meritũ, & præmiũ relatiue dicantur, neque potest esse præmiũ, cui non respõdeat meritum, neque meritum cui nõ respondeat præmiũ, at peccatoris iustificatio, præmium est aliquod suæ conuersionis ad Deum. Conuertimini inquit ad me, & ego cõuertar ad vos, ergo &c. Deinde vbi est aliqua ratio debiti in aliquo beneficio, erit & aliqua ratio meriti in opere, propter quòd datur illud beneficium, sed in beneficio iustificationis est vtique aliqua ratio debiti; debetur enim aliquo modo iustificatio ex lege Dei peccatori se in eum conuertenti.

Vnde & Ioan. ait. si confiteamur peccata nostra fidelis, & iustus est, vt remittat nobis peccata nostra. Nunquam sanè meminisset hic Ioan. fidei, & iustitiæ Diuinæ aut eis imputasset quòd remitteret Deus peccata illis, qui ea confitentur, nisi agnouisset aliquam subesse hic rationem debiti, & Deum hoc debere legi, & promissioni suæ.

Dico ergo ad Argumẽtũ quod, & nos fatemur omni merito respondere mercedem, sed sicut meritum quoddam esse dicimus ex congruo, ita mercedem quandam esse dicimus ex congruo, quæ magis debeatur ex gratia, quam ex iustitia. Nam ipse etiam Apostolus ad Rom. 4. cum dicit. ei qui operatur merces non imputatur secundum gratiã, sed secundum debitum, satis aperte indicat esse quandam mercedẽ, quæ imputari possit secũdũ gratiã, nõ secundũ debitũ.

Ad secundum dico primo quod si omnia, quæ in vsum nunquam fuerunt apud Patres damnanda essent, multa cogimur damnare, quæ omnes catholici iam recipiunt. & frustra dixerit Philosophus scientias fieri per additamenta; neque ecclesia progrederetur, vt aurora consurgens, maiora in annos singulos sapientiæ & cognitionis diuinorũ mistetiorum

riorum incrementa ab ipso sole iustitiæ suscipiens.

Secundo dico falsum esse ignotã fuisse prioribus distinctionẽ meriti ex congruo, & ex condigno, agnouerunt rem licet non vsi fuerint his terminis, & vt manifestũ esset agnouisse illos rẽ, quæ his verbis subest variè vsi sunt verbo merendi, vt iã supra diximus. Ratio autẽ quare disputantes cõtra Pelagiũ semper vsi fuerint verbo merendi, in ea significatione, quæ debitũ simpliciter requirit, quod nos meritũ ex de condigno appellamus, ea est: quia Pelagius sic accipiebat meritũ, & eo in rigore vtebatur eo verbo. Cũ.n. gratiã præuenientẽ non agnouerit, neque merita agnoscebat nisi illa, quæ ex solis viribus naturalibus essent. Quæ verò per sola opera liberi arbitrij consequi possumus, ea nobis debita possumus facere. Quare cũ ad iustitiam necessaria contenderet solis arbitrij nostri viribus à nobis fieri posse ex consequẽti gratiã tributã illis bonis operibus debitã esse aiebat, & illa esse simpliciter ipsius meritoria. & hac de causa Pelagius nunquã se defendit hac distinctione, neque ea oblata vsus fuisset. Nam tres fuerũt circa hoc ipsius Pelagij errores, qui dãnati fuere in Concilio Palestino, vt refert D. Augustinus epistola 106. Primus. Per solas arbitrij vires possumus nos præparare ad gratiã. Secundus. gratiã omnẽ concurrentẽ ad nostrã iustificationẽ antecedunt bona opera per solũ liberũ arbitriũ facta, & causæ sunt participationis illius gratiæ. Tertius. opera bona per solũ liberũ arbitriũ facta meritoria sũt iustificationis, & remissionis peccatorũ. At inquit, si patres meritũ ex congruo cognouerunt, cur respectu gratiæ iustificantis, quare pelagianis quærentibus, cur hic potius, quã ille iustificatur, nunquã respõderunt illũ recipi ad gratiã, quę hoc meretur ex congruo, non autẽ qui hoc non meretur. Non solũ autẽ non est datũ à Patribus hoc responsum, verũ expresse retulerunt semper causam huius in vnã voluntatẽ Diuinã. & hoc maxime inquit Sotus, contra Sco. vrget; quia Augustinus contra duas epistolas Pelagianorũ c 7. hoc inter alia Pelagianorũ refert argumẽtũ quod si faciẽtẽ viribus naturalibus quod in se est, Deus non iustificaret, esset acceptator personarũ; ad quod Patres respondebãt. Deũ nulli quidquã debere, & tñ inquit Sotus eodẽ argumẽto vtitur Scotus.

Verũ si hoc argumẽtũ validũ esset cõcluderet pari facilitate nullã esse dispositionẽ ad gratiã, sicut.n. nõ est reddita causa, ob quã vnus potius, quã alter iustificetur ex ipso merito de congruo inuẽnto in vno, & non in altero; ita neque reddita est ex aliqua dispositione inuenta in vno, & non in altero, atque ita ad dispositiones recurrere poterant; licut ad merita. Quod vero neque ad merita, neque ad dispositiones recurrerunt, in causa fuit; quia Pelagius rogabat, cur hic potius, quã ille trahitur ad gratiam, si nihil facit bonus vsus liberi arbitrij, quã cur potius ille quã ille iustificatur. Vnde D. Augustinus in epistola 105. Personarũ acceptatorẽ Deũ se credere existimant (ait de Pelagianis) si credant hunc vllis præcedentibus meritis, cuius vult misereri, & quos dignatur vocare, & quẽ vult religiosum facere, pati que attẽdant, quod debita reddatur pęna dãnato, indebita gratia liberato. Quibus verbis satis indicat, eos magis quæstionẽ retulisse ad gratiã præuenientẽ, quã illi nõ credebant necessariã, quã ad gratiã iustificantẽ, quã illi non videntur in totũ negasse. Quoniã igitur licet iustificationis possit reddi causa ex parte meriti de congruo, vel dispositionis, tractus tamen ad gratiã, vel gratiæ primæ præuenientis vnũ, & non alterũ; de quo Pelagiani potissimũ quærebant, nulla potest reddi causa alia; nisi voluntas Diuina, ideo non ad merita ex cõgruo, quæ nulla ex congruo respectu illius tractus erant, neque ad dispositiones nostras recurrerunt patres, sed ad voluntatẽ diuinã. Ex quo patet quod nihil vrget argumẽtũ Soti contra Scotũ; ad ea, quæ adducit ex D. Augustino dicimus ipsum accipere meritũ propriè, & strictè, neque ad gratiam iustificantem, de qua nunc agimus, sed ad gratiã præuenientem illud refert, vt in secundo obs. supra ostendimus. atque ita intelligenda sunt Cõciliorũ verba, atque decreta.

Ad tertium concedimus merita ex congruo ex se habere congruitatem propter quam congruum sit reddi præmium sibi respondens, negamusque congruitatem, quæ est vt iustificentur peccatores, dum se conuertunt in Deum, esse tãtum ex parte Dei. Nam si tantum esset hæc congruitas ex parte Dei; Cur Deus eos solos peccatores iustificat, qui se in eum conuertunt? cur exiguntur ad nostram iustificationem nostra opera, & non qualiacum que, sed certa dumtaxat, & præscripta in eam gratiam acceptanda? nam si etiam opera nostra de se nullam talem congruitatem habeant, tamen quatenus cum gratia Dei fiunt, aliquam congruitatem participant: ex hoc tamen non sequitur gratiam fieri ex operibus: quoniam nec ista bona opera quibus conuertuntur in Deum peccatores meritoria sunt simpliciter eorum iustificationis, sed tantum ex congruo, quod que omnes catholici necesse est vt fateantur: cum omnes fateri teneantur dispositiones requisitas ad iustificationem esse causas propter quas Deus peccatores iustificat, vt supra explicatum est.

Ad quartum, Dicimus Concilia, quemadmodum & Patres negasse gratiam ex meritis reddi, & damnasse vbique opinionem Pelagij asserentis gratiam secundum merita dari, & verbum gratis docuisse aduersari meritis: Atque ita Patres, & Concilia asseuerant, neque fidem, neque alia opera bona præcedentia iustificationem promereri ipsam iustificationis gratiam; nullus enim peccator iustificatur ex debito, nullus ex rigore iustitiæ; nullus ex suorum operũ dignitate; sed omnes qui iustificantur, gratis à Deo iustificantur, & ex gratia, & misericordia, & absque meritis, & condignitate suorum operum. Cum autem Doc. Sub. vna cum Sanctis Patribus, vt patet ex testimonijs ex ipsis citatis fide, pœnitentia, oratione, misericordia, & similibus peccatores suam mereri iustificationem dixit, non in hoc rigore accepit verbum mereri, sed ab eo rigore solutus, vsus est verbo meriti ex congruo, quod nunquam negauerunt, neque Patres, neque Concilia.

Ex quo infero quòd cum sancti Patres, & Concilia negauerunt merita gratiæ, tela nobis subministrarunt, quibus confoderemus Pelagianos, dum verò peccatores bonis suis motibus, & affectibus in Deum promereri suam iustificationem asseruerunt, tela nobis suppeditarunt, quibus triumpharemus hoc tempore de Lutheranis, negantibus vllas esse dispositiones, & præparationes in nobis, ob quas à Deo iustificemur. Manifesta igitur luce constat nihil repugnare opinionem asserentium meritum de congruo dictis Conciliorum, falsumque esse quod passim iactat Sotus, dicens eam opinionem esse falsam, alienam ab scripturis, orthodoxis patribus, & Concilijs. Equidem Trid. Concil. neque negauit vsquam, neque asserit merita ex congruo iustificationis, sed hoc potius semper disputationibus Scholasticis, sicut par erat permisit. Dicit quidem Concilium, iustitiam à Deo nobis infundi secundum dispositionem, & cooperationem vniuscuiusque, sed an ea dispositio sit meritoria saltem de congruo; an vero nullo modo, sed tantum sit conditio quædam requisita, non explicat.

ARTICVLVS V.

Vtrum ad attritionem quæ est dispositio ad gratiam, Necessaria sit gratia specialis auxilij.

PRo huius difficultatis explicatione obseruandum est primo ex D. Thom. 2. contra gentes c 35. quod auxiliũ Dei non est aliqua entitas positiua in nobis, sed tantum est concursus voluntatis diuinæ cum aliqua creatura ad operandum; & iste concursus est ipsa volitio diuina, vel Deũ velle creaturam operari, iuxta illud. Ipse dixit, & facta sunt. Deũ ergo auxiliari creaturas nihil aliud est, quam velle quod ipsæ operentur talem operationem.

Secundo obseruo, quod hoc auxilium est duplex, scilicet generale, & speciale, generale est volitio Dei concurrens cum omnibus creaturis ad operationes naturales. v.g. Deus concurrit mecum ad legendum, scribendum & c. Auxilium autem speciale est volitio, qua Deus vult, quod creatura rationalis operetur supernaturales operationes, vt miracula, & opera meritoria, & pœnitentiam sufficientem, quæ dicuntur supernaturalia, quia sunt digna supernaturali præmio, & quia efficiuntur per auxilium speciale.

Tertio obseruo, quod inter hæc duo auxilia duplex est differentia; primum quod auxilium generale nemini denegatur nisi miraculosè; si enim ignis appositum combustibile haud combureret, hoc esset per abstractionẽ auxilij generalis, quod esset miraculum, similiter si aliquis repente mutesceret, vt contingit Zachariæ, quòd quidem fuit quia Deus noluit, quod loqueretur; illa taciturnitas fuit miraculosa. Auxilium autem speciale subtrahitur sine miraculo, & in pœnam peccati, vt Philosophis gentilibus, de quibus ad Rom. 1. dicitur, Qui cum Deum cognouissent non tam-

Errat a Pelagij.

Ctc. l. Tri

D. Thom. Auxilium Dei q d sit.

Auxilium Dei est duplex.

Auxilium Dei generale, & speciale auxiliũ differunt.

tamquam Deum glorificauerunt &c. propterea tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt, illa traditio fuit negatio auxilij specialis ad cauenda peccata, quæ nihil aliud fuit, quam nolle auxiliari. Vnde sequitur, quod generale auxilium, omnibus conceditur, speciale autem non omnibus, sed quibus Deus vult. Secundum discrimen est, quod auxiliũ generale recensetur inter causas naturales: quia concurrit ad operationes naturales, & sine ipso nulla causa secunda pōt agere. Auxiliũ autẽ speciale recẽsetur inter dona gratuita, & inter causas supernaturales.

Auxiliũ speciale est duplex.

Quarto obseruandum est, quod auxilium speciale est duplex, scilicet, præueniens, & concomitans siue adiuuans. primum sunt media quibus homo inducitur ad pœnitendum, vt prædicatio, inspirationes internæ, timor gehennę &c. huiusmodi. Concomitans autem siue adiuuans est volitio Diuina concurrens cum ipso peccatore tempore quo conuertitur. differunt hæc duo auxilia: quia primum frustrari potest non autem secundum. hanc doctrinam sapientissime exponit noster Vega super Conc. Trid. lib. 13. c. 13. & plenius lib. 6 a ca. 6. vsque ad 13. de hoc autem duplici speciali auxilio loquitur ipsum Conc. sess. 6. c. 5. & 6 His obseruatis sic prima

Vega.

Conc. Trid.

Vires naturales nõ sufficiũt ad attritionẽ, quæ sit sufficiẽs & immediata disp ositio ad gratiam D. Bonauẽ. D. Thomas Marsilius. Gre. Arim.

Conclusio ad attritionem, quæ sit sufficiens, & immediata dispositio ad gratiam, & meritum de congruo nostræ iustificationis non sufficiunt vires naturales, sed opus est auxilio Dei speciali. Hæc conclusio est Sancti Bonauenturæ in 2. d. 28. art. 2. q. 1. & d. 30. q. 1. & D. Thomæ. 1. 2. q. 109. art. 6. & 7. & 3. p. q. 62. art. 2. ad tertium. Marsilij in 2. q. 17. & Gre. Arim. in eodem. 2. d. 26. q. 1. & multorum aliorum Theologorum. Estque notandum, quod D. Bonau. in fine quæst. statim citatæ ex d. 28. expresse dicit in duobus errasse, & mentitum fuisse Pelagium, & in eo, quod posuerit primam gratiã sub merito cadere, & etiam in eo, quod dixerit proprijs viribus liberi arbitrij posse nos ad gratiam disponere.

Durand. Gabriel.

Estque tamen nostra conclusio ex doctoribus catholicis contra Durandum in 2. d. 28. q. vltima, & contra Gabrielem eadem d. q. 1. art. 1. Durandus namq; dicit omnem dispositionem ad gratiam esse posse ex naturalibus nostris, ipsam tamen gratiam non esse nisi ex concursu Dei speciali: quia est supernaturalis ad quam vires nostræ nullo modo sufficiunt, eamdem sententiam tenet Gab. & videtur esse contra nostrum Do. Sub. & ita plerique Scotistæ. & alij non Scotistæ existimant: nam ipse Sco. hac d. & q. lit. T dicit expresse. sciẽdum, quod peccator in peccatis existens, potest ex naturalibus cum communi influentia, considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt a Deo auersiuum, & sub multis talibus rationibus, & potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis illud peccatum sic cõsideratum detestari, ex quibus verbis videtur sensisse, voluntatem posse detestari peccatum vt offensiuum Dei ex naturalibus, & cum communi influentia, sicut dixit intellectum posse ex naturalibus, & cum influentia communi considerare peccatum, vt Dei offensiuum, ad vtramq; enim potentiam videtur retulisse illud verbum ex naturalibus, & cum communi influentia. Secundo quia ibidem lit. N. ita scribit. Vel enim oportet dicere, quod iustificetur peccator sine omni dispositione sufficiente de congruo ex parte eius, & per consequens difficile est saluare, quod apud Deum non sit acceptatio personarum, vel nulla potest esse sufficientior dispositio ad istam iustificationem, quam ista attritio, videlicet detestatio peccatorum perfecte circumstantionata in genere moris, quibus verbis sensisse videtur ad uitandum acceptionem personarum in Deo necessarium esse ponere aliquã dispositionem in peccatore, quæ sit sufficiens causa suæ iustificationis, quamque ipse peccator ex ipsa sui potestate arbitrij apponat, vt ipse potius quam alius iustificetur, & Deus probetur alienus ab omni acceptione personarum in hoc, quod quosdam iustificat, & non omnes.

Tertio, quia in responsione ad vltimum huius. q. cum ipse sibi objceret ex D. Augustino sine charitate nõ esse posse veram pœnitentiam, & opus Dei esse fructiferam pęnitentiã, expresse respondet pœnitentiam posse innasci, ex naturalibus, sed non esse veram quantum ad finem pœnitentiæ attingendum, neque fructiferam hoc est ferentem fructum sine charitate, hunc enim fructum fert, & hunc finem assequitur in vltimo instanti temporis, quo continuata impetrat gratiã,

Quarto quia in 2. d. 7. q. vnica sub lit. I. vbi de Angelis lapsis concedit, magis esse in eorum potestate, quam sit in potestate hominum habere ex puris naturalibus attritionem sufficientem, neque ideo non posse eos meritorie velle, quia non possunt se disponere ad gratiam, sed propter alias causas, quas ibi assignat. Quibus ex locis colligunt prædicti Doctores, quod secundum sent. Sco. nullum auxilium speciale est necessarium ad pœnitentiam, quæ est dispositio ad gratiam. Immo vero, inquit, Sotus lib. 2. de natura, & gratia, c. 4. & 14. & in 4. d. 14. q. 2. art. 5. Quod nusquam reperitur in tota doctrina Sco. mentio aliqua specialis auxilij. Cęterũ quicquid senserit de hoc Scotus dicemus statim.

Interim tenendum est, contra Durandum, & Gabr. non posse hominem se ad gratiam disponere sine auxilio Dei speciali cõcurrente ad ipsam dispositionem, quatenus est prior natura, quam gratia, quæ sententia adeo certa est, vt oppositum sit error. Et definita est hæc sententia in Concilio Arausicano 2. can. 4. vbi ita legimus. Siquis vt a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autẽ vt etiam purgare velimus per Spiritus sancti infusionem, & operationem in nos fieri confitetur resistit Spiritui sancto per Salomonem dicenti. Præparatur voluntas a Domino. & Apostolu salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis, & velle, & perficere pro bona voluntate. Et can. 6. si quis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantib. sustinentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri, non autem diuinitus, vt credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere valeamus per infusionem, & inspirationem Sancti spiritus in nobis fieri confitetur, aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratię adiutorium, nec vt obediens, & humillimus ipsius gratiæ donum esse cõsentit, resistit Apostolo dicenti. Quid habes quod non accepisti? & gratia Dei sum id, quod sum.

Cõc. Arausi.

Item Cęlestinus primus in suæ Epistolæ 1. can. 11. apertissime docet a Dei peculiari auxilio peccatorum conuersionẽ proficisci, illudque auxilium propter preces Ecclesiæ Deũ plurimis impartiri, vnde & ipsa Ecclesia in quadam oratione communi ita orat. Voluntates nostras quęsumus Domine adspirando præueni. Ex his ergo patet, ꝙ non pōt homo resurgere a peccato nisi per auxiliũ Spiritus sãcti speciale, q̃a auxilium generale non attribuitur Spiritui sancto. solũ enim attribuuntur Spiritui sancto ea, quæ ad gratiã pertinent, non autem ea, quæ ad nostram, quale est auxilium generale.

Cęle. Papa.

Preterea D. Paulus dicit, quod operari, velle, & perficere pro bona voluntate. Deus operatur in Nobis: cuius sensus est, quod Deus operatur in nobis, velle rectum, & bonam operationem, quibus iustificamur, & in iustitia proficimus pro sua magna misericordia, vbi non loquitur de auxilio generali, q̃a hoc auxiliũ nõest minus necessariũ ad opera quib. iustificamur, & proficimus in iustitia, quam ad opera mala.

Demum in Concilio Trid. sess. 6. ca. 5. idem decretum est per hæc verba. Declarat sancta Synodus ipsius iustificationis exordium in adultis a Dei per Christum Iesum præuenienti gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione: quia nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccata a Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiæ libere assentiendu, & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationẽ, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationẽ illam recipiens, quippe qui illã, & abijcere potest, neq; tamẽ sine gratia Dei mouere se ad iustitiam corã illo libera sua voluntate possit. Vnde in sacris literis cum dicitur Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos libertatis nostræ admonemur, cũ respondemus. Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur, Dei nos gratia præueniri cõfitemur. Quibus verbis Sacrũ Conciliũ expresse dicit necessariã esse gratiã adiuuantem, vt homo se disponat ad iustificationẽ, & ex eius auctoritate colligitur euidẽter quãuis nos ipsi simus causæ dispositionis ad nostrã iustificationẽ adhuc necessaria est gratia Dei per Iesum Christum præueniens, & adiuuans.

Conc Trid.

Secunda conclusio. Per gratiam Dei adiuuantem non pōt intelligi auxiliũ generale probatur. primo quoniã si sub gratia intelligatur auxiliũ generale eadem ratione dicendũ esset, ꝙ homo sine gratia non potest peccare, quia sine auxilio Dei generali peccare non pōt. Secũdo probatur ex eo, quod gratia adiuuans appellatur a Cõc. gratia per Iesum Christũ, auxilium verò generale non communicatur nobis per merita Christi, quoniam istud auxilium debitum est ordini naturarum rerum, & non fuit ablatum per peccatum.

Gratia Dei adiuuãs nõ est auxiliũ generale.

Tertio denique ex eo patet, quod in sacris literis ea, quæ na turaliter fiunt distinguuntur ab his, quæ fiunt per gratiam, illa autem quæ naturaliter fiunt auxilio fiunt generali, ergo auxilium generale distinctum est a gratia, idque euidenter patet ex contextu ipsius Concilij, sic dicentis in Can. 1. eiusdem sessionis. Siquis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per legis doctrinam, fiant absque diuina per Iesum Christum gratia posse iustificari coram Deo anathema sit. Ex quo colligitur nonnulla opera fieri posse per naturam, & per legis doctrinam, quæ tamē non fiunt per gratiam Iesu Christi. Opera verò quæ fiunt per naturam, & per legis doctrinam, non fiunt sine concursu Dei generali, ergo concursus Dei generalis non est gratia per Iesum Christum. Itaque quando Concil. dixit in cap. 5. supracitato, necessariam esse gratiam adiuuantem per Iesum Christum, vt homo se disponat ad iustificationem, non loquitur de auxilio generali, sed de auxilio speciali gratuito. Dispositiones autem ad iustificationem declarat idem Concil. esse credere, sperare, diligere, atque pœnitere, igitur ad has dispositiones necessaria est gratia adiuuans.

Vnde idem Concil. can. 3. eiusdem sess. Sic dicit. Si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, vt iustificationis gratia conferatur anathema sit. Ex quo colligitur, quod ad illos actus producendos, quatenus distinguuntur ab ipsa iustificatione, & ad eam disponunt necessarium est Spiritus sancti adiutorium, neque potest intelligi de auxilio generali: quoniam hoc adiutorium non est minus necessarium ad credere, sperare, diligere, atque pœnitere sicut non oportet, quam sicut oportet, cum tamen ibi Concilium apertissimam inter illa constituat differentiam.

Dicendum est ergo, quod necessarium est auxilium Dei speciale ad dispositiones, ad iustificationem, quatenus ipsa dispositio est prior natura, quam iustificatio, atque ita Concilium postquam in ca. 5. dixerat esse necessariam gratiam ad ipsam dispositionem, & cap. 6. explicuit quænam sit illa dispositio, statim cap. 7. dicit, hanc præparationem, seu dispositionem iustificatio ipsa consequitur, vt intelligamus quod quando dixit: in cap. 5. esse necessariam gratiam, vt homo se disponat ad iustificationem, loquitur de dispositione, non quatenus includit iustificationem, sed vt ipsam præcedit secundum naturam, & hoc est de fide tenendum.

Sed contra primam conclusionem arguitur, ad contritionem satis est detestari peccata propter Deum, vt ex sequentibus apparebit, ergo non est necessarium auxilium speciale ad contritionem.

Secundo homo potest ex puris naturalibus amare supra omnia delectationem sensualem, quæ non est amabilis super omnia ex natura sua, ergo similiter ex puris naturalibus potest amare Deum super omnia, cum ex natura sua est amabilis super omnia, & ex consequenti poterit homo detestari peccatum ex naturalibus, quatenus est Dei offensa. Præterea tertio. Deuter. 30. Moses exortans populum Isdraeliticum ad obseruationem mandatorum Dei, atque vt ad Deum conuerterentur ex toto corde, ne hoc illis difficile appareret, inquit, hoc non esse super illos, neque in Cœlo situm, neque vltra mare positum, sed iuxta (inquit) est verbum in ore tuo, & in corde tuo, ex quo colligitur, quod illa non erant supra illorum naturam, & ex consequenti illa ex suis naturalibus præstare poterant.

Cæterum ante quam his argumentis respondeamus vindicandus est Doctor Sub. a falsis calumnijs quibus Sotus, & alij, eius conantur inficiare doctrinam. Sotus enim in quarta distinct. 14 quæst. 2 artic. 5. inquit ita sunt apud Scotum correctione digna, cuius doctrina non tuta est, neque longissime a Pelagianorum errore distans. Primum est, quod actus naturales ponit esse meritorios gratiæ de congruo, & quod peius est, quòd illi actus sufficiunt, vt dispositiones ad iustitiam coram Deo. Secundum quod homo ex puris naturalibus cum solo concursu Dei generali, potest habere attritionem, quæ sit sufficiens dispositio ad gratiam. Tertium quod obiectum attritionis ponit offensam Dei cum sit obiectum contritionis, attritio enim solum est propter pœnas.

Sotus.

Sed nos in præcedenti articulo ostendimus attritionem (sicut cæteras dispositiones) quæ ipsam iustificationem præcedit esse meritoriam gratiæ de congruo, neque hoc esse Pelagianum, sed maxime Sanctorum Patrum dictis, & Conciliorum Decretis consentaneum, quia non loquitur Scotus de attritione, & alijs operibus bonis, quæ naturaliter fiunt sine auxilio gratiæ speciali, sed prout ab auxilio speciali procedunt. Vnde sequitur falsissimum esse, Scotum negasse auxilium speciale, & manifeste ostendit Sotus, se parum versatum in doctrina Scoti, cum dicit nusquam in doctrina Scoti reperiri mentionem aliquam specialis auxilij. Nam in primo sent. d. 44. q. 1. sub lit. E. expresse meminit gratiæ præuenientis, & docet quemlibet peccatorem posse de lege saluari, quia (inquit) potest Deus cum gratia sua præuenire. gratia autem præueniens cum non sit gratia gratum faciens, est necessario gratia specialis auxilij. Vnde cum doceat Scotus quemlibet peccatorem dum est in via posse de lege saluari, non eius liberum arbitrium statuit huius esse causam, sed quia Deus, inquit, potest illum sua gratia præuenire, ex quo vt dictum est, aperte colligitur, eum posuisse gratiam præuenientem ad pœnitentiam, & ab ea proficisci, quod quidam iustificentur. Et in hoc quarto d. 22. quæstione vnica in fine 2. articuli. Dicit per lectoribus cum in peccata caduut, Deus citius dare gratiam ad resurgendum, quam alijs, & velocius eos resurgere a peccatis propter Dei benignitatem, merita ipsorum præterita, ad hoc aliquo modo acceptantem, & inspirantem ipsis pœnitentiam, & statim in tertio articulo subdit, necessariam esse præseruationem diuinam ad cauendum peccata, & in quol. qua st. 17. artic. 1. in fine clarissime confitetur necessarium esse speciale auxilium ad diligendum Deum super omnia, vbi ait plures actus dilectionis, ad quos naturaliter inclinamus possumus potestate naturali elicere, licet non omnes: quia ad perfectissimum circa vltimum finem est inclinatio naturalis, licet ad illum non possit natura attingere ex se, & d. 20. 4. q. 1. art. 1. sub lit. A. Dicit, cum ergo opus sit non hominis, sed Dei fructuosam pœnitentiam inspirare, potest eam quandocunque, vult sua misericordia inspirare. Cum autem hæc inspiratio non sit auxilium Dei generale: quia hoc æquale est, & æque omnibus paratum, sequitur, quod Scotus loquitur de inspiratione specialis auxilij, ex quo colligitur, quod ipsemet actus pœnitentiæ procedit secundum sententiam Scoti auxilio Dei speciali, & inspiratione ipsius.

Scotus non negauit vnquam auxiliu Dei speciale, imo apertissime posuit.

Superest modo satisfacere his, quæ contra Doct. objiciuntur. Et primo valde miror ingenium Soti, qui & si verba Scoti verum, & sanum intellectum habere possint, tamen contradicendi libidine, fere semper ad sinistrum sensum detorquet, vt hic manifeste apparet: nam quamuis verba Scoti in hac q. difficillima sint, ex antecedentibus tamen, & sequentibus constat catholicus sensus viri pijssimi, atque doctissimi, dixerat enim, quod ille motus dicitur attritio, & est dispositio sue meritum de congruo, si tamen perseueret vsque ad illud, in quo determinauit Deus attritionem debe te durare ad hoc, vt sit meritum de congruo ad iustificationem, ecce quomodo idem est apud Scotū dispositio, & meritum de congruo, & meritum de congruo, vt diximus idē est apud illum, quod opus impetratorium siue diuinam excitans misericordiam, & subdit infra quod idem motus, qui prius fuit attritio, manet vsque ad certū tēpus, in quo Deus determinauit gratiam infundere. ista autem determinatio Dei nihil aliud est, quam collatio gratiæ concomitantis. vnde addit infra Scotus, q̄ si manet idem motus contra peccatū in esse naturæ, & moris, ille motus, qui prius erat attritio, in illo instanti fit contritio, quia in illo instanti fit concomitans gratia, id est, adiuuatur auxilio speciali, & non mutata natura motus in genere moris, mutatur in genere dispositionis.

Scotus Scoti explicatur.

His ergo verbis tria fatetur Scotus manifeste, & aliud colligitur. Dicit primo, quod peccator viribus naturæ, potest cō siderare peccatū, vt est offensiuū Dei, & vi tale detestari illud ad modū sup. explicatū, & infra magis explicandū. Secūdo ait q̄ talis detestatio est attritio, qa est dolor imperfectus cū sit informis. Tertio q̄ talis attritio est vltimum de potentia, quod potest facere viribus naturæ supposito speciali auxilio Dei, vt disponat se ad diuinam gratiam, vel ipsam mereatur de congruo ad sensum supra explicatum. colligitur autem affirmare peccatorem, adhuc non posse iustificari donec ex diuina Clementia talem detestationem comitetur gratia concomitans, quia (manente eodem illo actu in genere moris: quia pœnitens pœnitebat propter Deum) vltimo disponi tur

tut ad iustitiam, id est, ad gratiam iustificantem, quæ in genere causæ formalis præcedit contritionem, vt in sequentib. explicabimus, quæ omnia vera sunt, & ab ipso Soto concessa infra. d. 17. q. 2. art. 5. vbi quodam proposito argumēto quo Caiet. conabatur probare, quod si pœnitentia propter Deum esset vltima dispositio ad iustitiam, sequeretur quod posset aliquis esse certus suæ gratiæ, siquidem est conscius huius actus, qui est vltima dispositio. Respondit Sotus his formalibus verbis. Nemo certus esse potest, an illa detestatio offensæ Dei licet intellectus circunstantiam ponat propter Deū, fiat a Deo per auxilium speciale supernaturaliter trahente, quod requiritur ad gratiam assequendam, & subdit. miror Caie. doctrinæ. S. Tho. peritissimum hoc non animaduertisse. hactenus Sot. ecce quomodo stultum reputat in doctrina D. Tho. non concedere, quod potest dari detestatio peccatorum, etiam cum circunstantia propter Deum, & quod non procedat ab auxilio speciali: hanc detestationem vocat Scotus attritionem: quia est dolor insufficiens ad remissionem culpæ, ipse vero Soto fatetur, quod non est contritio, dicat igitur obsecro, quo debeat nomine nuncupari. sed his omissis. aliter respondemus, & explicamus sententiam Scoti. & primo quidem dicimus, quod quando Scotus in locis citatis, seu alibi videtur dicere, quod ex naturalibus potest haberi actus pœnitentiæ, qui est dispositio ad gratiam, intelligendus est dicere, quod homo sine hoc, quod in se habeat aliquem habitum supernaturalem gratiæ potest habere pœnitentiam, quæ est vltima dispositio ad gratiam, non tamen negat, neque vsquam negauit auxilium Dei speciale, imo illud adhuc propositum multis in locis concessit, & asseruit esse necessarium, vt dictum est supra.

Sotus.

Secundo dicimus, quod Scotus loquitur hic de peccatore fideli præsupposita fide, quæ gratia præueniens est, nec ex peccato penitus deperditur, sed dumtaxat infirmatur, ac si diceret, quod peccator fidelis ex fide infirmi mediante auxilio Dei ad bonum, quod est communis influentia ad bonū, potest producere aliqua bona opera, non quidem meritoria gratiæ gratum facientis, sed dispositiua ad illam tanquam fidei fructus; ita ut attritionem, id est, imperfectum de peccato dolorem producat, detesteturque (imperfecte tamen) peccatum adeo vt recipiendo gratiam gratum facientem, attritio fiat contritio, vniuersaque opera, quæ deinde producit meritoria sint, adeoque Scoti sententia huiusmodi est, peccatorem ex naturalibus, id est, sine habitu infuso cum generali influxu, & auxilio Dei posse considerare peccatum a se commissum, vt offensiuum Dei, & vt auersiuum a Deo, vt impeditiuum præmij, & supplicij inductiuum, ac proinde posse voluntatem eius peccatum sic consideratum detestari, & in hoc detestationis motu pergere, donec ex congruo tandem infundatur gratia; infusa verò gratia iam idem motus, qui pridem dictus erat attritio, contritio dicitur An non vides Sote apud Doctorem Sub. contritionem, quæ modis antedictis paratur charitate formatam esse, attritionem verò, quæ discussionem illam, & collectionem, & detestationem peccatorum complectitur, penitus informem esse? quam tamen opinatur ex fide simul, & alijs donis Dei gratuitis proficisci, quæ supra naturam sunt, sed citra charitatem, nec est dubium quin tam fides, quam spes, ac cętera id genus dona sunt in multis peccatoribus absque charitate, & quod ista sit Scoti sententia apertissime nouisses, si ea, quæ docet in sequenti quęst. animaduertisses: nam ibi ponit duplicem regulam in intellectu dictantem de displicentia peccati, quarum prima est mere naturalis, quæ est cognitio dictatiua voluntati, vt detestetur peccatū absolute, quia in se malum. alia est supernaturalis, & hæc vel sibi immediate reuelata, vel ab aliquibus Sanctis, nempe ab Apostolis, et Prophetis, quibus credimus, & talis regula est cognitio dictatiua voluntati, vt detestetur peccatum sub istis circumstātijs, vt est offensiuum Dei, vt auersiuum a Deo &c. & detestetur principaliter propter Deum, & huiusmodi; & hac regula supernaturali posita, quæ est speciale Dei auxilium potest postea ex puris naturalibus se disponere, id est, elicere actum displicentiæ cum debitis circunstantijs. Præterquam quod sunt, qui affirmant per pura naturalia Scotum intellexisse, peculiare auxilium. nam Deus creauit hominem propter beatitudinem, vt summum bonum intelligeret &c. auctore D. Augustino, & quia ordinauit eum ad talem finem, instituit media ad illum finem consequendum illi tribuere quæ quidem media cum dentur toti naturæ humanæ, ab Scoto naturalia appellata sunt, quæ alij, & ipse etiam alibi, supernaturalia vocant, atq; eadem ratione gratia præueniēs appellari potest communis influxus, eoque omnibus vniuersaliter indifferēter, atque sine discrimine datur, quemadmodum presto est omnibus indifferenter communis influentia, & quamuis huic homini gratia præueniens sit speciale auxilium, tamen respectu Dei, qui omnibus paratus est eā tribuere, & quantum est ex se eam omnibus indifferenter tribuit, communis influentia nō incongrue appellari potest. Cęterum cum Doc. Sub. nusquam speciale auxilium negauerit ad opera supernaturalia requisitum, imo euidenter multis in locis necessarium esse docuerit, vt supra ostendimus, non indiget Doc. Sub. huiusmodi glossematibus, neque verba, quæ allegata sunt conuincunt eum contrariam habuisse sententiam. nam ad primum dicere possumus illa verba ex naturalibus, & cum communi influentia, non esse referenda ad vtramque potentiam rationalem, sed tantum ad intellectum, non autem ad voluntatem, immo eo ipso quod ea non adiunxit Doc. cum de voluntate locutus fuit, videtur indicasse aliquam quo ad hoc se credidisse differentiam subesse inter intellectum, & voluntatem neque sic posse voluntatem detestari peccatum ex naturalibus, esto quod intellectus ex naturalibus possit iudicare, peccatum esse detestandam, quod tamen aperte negat. q. sequenti, ibi enim aperte dicit, non posse intellectū ex naturalibus iudicare peccatum esse detestandum, inquantum est offensiuum Dei, & auersiuum a Deo. Ad ea autem verba, quæ secundo loco inducta sunt possumus dicere non iustificari homine sine aliqua dispositione ex parte sua, etiam si ad ea requiratur speciale Dei auxilium, neque Doc. Sub. ibi id agit, vt ostendat hominem iustificari absque aliquo Dei speciali auxilio, sed tantum nititur ostendere requisitum esse aliquid ex parte nostra, vt vere iustificemur, & satis quidem esse attritionem de peccatis perfecte circunstantionatam.

Ad tertium dicendum est, pœnitentiam posse innasci ex naturalibus, intelligitur (vt patet ex antecedentibus, & consequentibus) posse innasci ex naturalibus hominis sine vllo habitu infuso, quod vnum ibi agebatur, non autem ex naturalibus sine auxilio Dei speciali, quemadmodum Caiet. in commentario 1 2. q. 109. art. 6. exponit D. Tho. dicentem in 2. d. 28. art. 4. ex solo libero arbitrio posse se hominem præparare ad habendam gratiam gratum facientem, quia faciendo quod in se est gratiam a Deo consequitur.

Ad vltimum de secundo sent. dico primo, quod ibi nihil definitur de hoc, an vel Angelus, vel homo illa possint ex naturalibus. Secundo quamuis aliquid statueretur de Angelo, tamen cum Doc. fateatur maiorem esse potestatem Angeli, quam hominis, nihil illa essent contra nos, qui solū de hominibus hic agimus. Ad Argumenta contra primam conclusionem respondetur, & ad primū negatur consequentia, quia in tali detestatione includitur speciale auxiliū, neq; enim potest sine illo constare, sicut non sequitur ad producēdum calorem sufficit calefacere, ergo non est necessarium cōcursus generalis: quia talis concursus seu tale auxilium in tali calefactione includitur.

Ad secundum similiter concesso antecedente, negatur cōsequentia, primo quia natura humana post peccatū primi parentis mansit corrupta, & ad malum prona, & liberum arbitrium respectu boni, mansit debilitatum, & attenuatū, adeoque non sequitur homo potest facere, quod est malum, ergo similiter potest & bonum facere sine auxilio Dei speciali, secundo quia delectatio sensitiua est bonum sensibile, bona autem sensibilia magis mouent, & vehementius ad se rapiūt hominis voluntatem, quam bona insensibilia. homo enim ab infantia sua cum rebus sensibilibus educatus est, atq; enutritus. res vero non sensibiles tardius homo cognoscit, & per ipsa sensibilia, indeque homini multo facilius est res amare sensibiles. Vnde D. Ioan. 1. Can. c. 4. sic arguit. Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt quomodo diliget? Tertio quia ad diligendum super omnia delectationem sensualem, satis est violare vnum pręceptum, de non fornicando, seu adulterando, at verò ad diligendum Deum super omnia, est necessaria resoluta, & determinata voluntas seruandi omnia Diuina præcepta, quæ voluntas in natura lapsa hic non valet sine auxilio gratiæ speciali, quia virtualiter includit obseruantiam omnium mandatorum Dei, quæ tamen omnia sine auxilio gratię natura corrupta non potest implere.

Ad vltimum dico, quod quando Moises dicit non esse supra nos conuerti ad Deum ex toto corde, & reliqua Dei mādata seruare, non debet intelligi, quod ista præstare, non sit supra naturam nostram secundum se consideratam, sed habet intelligi non esse supra Nos, id est, non esse supra nostram libertatem, & potestatem, quia licet ad hæc sit necessarium auxilium Dei speciale, hoc tamen auxilium habere positum est in nostra potestate, ac libertate, non minus quā auxilium generale ad opera naturalia.

ARTICVLVS VI.

Vtrum attritio fieri possit contritio.

Definitio quid nominis attritionis.

PRo tit. quæst. obseruādum est, quod secundum definitionem quid nominis attritio significat dolorem imperfectum ad remissionem peccatorum per ipsam attritionem obtinendam. Contritio verò perfectum ad hunc effectum: attritio enim est displicentia de peccatis sine gratia, & contritio est displicentia de peccatis elicita cum gratia. cæterum est aliqua attritio non solum insufficiens ad remissionem peccatorum per se ipsam obtinendam, hoc est absque Sacramento in re, sed etiam insufficiens ad ipsum Sacramentum, vt illa qui conterit absque proposito actuali, vel virtuali emendandi vitam, quod solet meretricibus, vsurarijs, & concubinarijs contingere, vel sine spe veniæ, vt Iudæ proditori contigit, & de hac attritione nihil quærit nostra quæst. Sed de illa quæ per se ipsam insufficiens est ad gratiam obtinendam, efficitur autem sufficiens virtute Sacramenti. Hæc attritio conuenit cum contritione in hoc, quod est dolor de peccatis cum proposito emendandi vitam, & spe veniæ diuinitus obtinendæ. Nam tam attritio quam contritio est detestatio peccatorum, detestatio autem idem est quod nolitio seu displicentia peccati, distinguitur autem displicentia a dolore sicut causa ab effectu: in Beatis enim est perfecta displicentia de peccatis sine dolore, dolor autem est effectus detestationis in subiecto capaci doloris. Propterea que Sancti, & Concilia contritionem, & attritionem appellant dolorem, sumpta denominatione non ab essentia rei, sed ab effectu.

Attritionis & contritionis conuenientia, & discrimen.

Differunt autem attritio, & contritio multipliciter, & primo quia attritio est imperfecta detestatio peccatorum, contritio verò est perfecta detestatio: quia enim cor metaphorice teritur, & quasi conteritur per detestationem peccati, quæ causat dolorem; atteritur autem quando imperfecte illud detestatur, idcirco dicitur attritio imperfecta detestatio, conteritur verò quando perfecte peccatum detestatur, atque adeo contritio perfecta detestatio appellatur: nā sicut attritio est imperfecta diuisio, verbi gratia, lapidis, & contritio illius perfecta diuisio, ita in proposito attritio est imperfecta diuisio, & separatio cordis a peccato, contritio autem perfecta est diuisio, & separatio cordis a peccato.

Secundo differunt, quia contritio semper est vltima dispositio ad gratiam, vt patet psal. 50. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies, eo enim ipso quod contritum est cor, non est in peccato, alias displiceret a Deo, & ex consequenti est in gratia: quia nullum est medium secundum legem a Deo statutam inter statum peccati, & gratiæ. Attritio autem non est vltima dispositio ad gratiam nisi in sacramento realiter suscepto.

Tertio differunt, quia de ratione contritionis est, quod sit detestatio peccatorum propter Deum, idque ex eo patet, quod de ratione contritionis est, quod sit perfecta detestatio peccatorum, non autem perfecte detestatur peccata, qui illa non detestatur propter Deum: nam de ratione peccati mortalis est, quod a Deo auertat, & separet, & Deum ipsum offendat, qui ergo non detestatur peccata propterea quod Deum offenderunt, & a Deo separauerunt, non perfecte detestatur illa, qui verò hoc modo de peccatis dolet propter Deum dolere dicitur, cæterū de ratione attritionis non est, quod sit detestatio peccatorum propter Deum, potest enim quis detestari peccata propter vitandas pœnas inferni, aut propter beatitudinem obtinendam, quæ detestatio non est contritio, sed attritio appellatur.

Ex his sequitur primo quod duplex possumus assignare discrimen, inter attritionem, & contritionem, primum ex parte obiecti, vt detestatio peccatorum, quæ fit propter vitandas pœnas, aut propter beatitudinem obtinendam appellatur attritio, ea verò detestatio quæ fit propter Deum dicatur contritio secundū ex parte habitus, vt detestatio peccatorum propter Deum imperfecta, hoc est remissa dicatur attritio, perfecta autem, & intensa dicatur contritio, non enim omnes qui detestantur peccata, quia offensiua sunt Dei, habent contritionem, quia alias esset aliquis certus suæ contritionis, & per consequens suæ gratiæ, quod est erroneum, ex quo sequitur, quod potest aliquis detestari peccata inquantum offensiua Dei, & quod talis actus sit insufficiens ad gratiam consequendam, & per consequens non erit contritio sed attritio, quia attritio est quicunque dolor insufficiens per se ad gratiam sine sacramento:

Secundo sequitur, quod attritio, & contritio quatenus differunt ratione habitus, hoc est attritio, quæ est dolor insufficiens ad iustificationem propter defectum intensionis, licet fiat propter Deum, & contritio non differunt nisi penes imperfectum, & perfectum, remissum, & intensum.

Attritio in iustificatione peccatoris contritionem præcedit.

Secundo obseruandum est, quod in iustificatione peccatoris de lege communi attritio contritionem præcedere debet, velut præparatio ex parte nostra, prout insinuatur Zacha. 1. cum dicitur conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, hæc autem præparatio ad iustificationem debet esse secundum conuenientiam quantum ad aliquid, quod est ex parte Dei in iustificatione, & quantum ad aliquid, quod est ex parte nostra. Sicut enim in iustificatione requiritur ex parte Dei gratia gratum faciens, & ex parte nostra dolor contritionis, ita similiter in præparatione requiritur ex parte Dei gratia gratis data, id est, auxilium speciale, & ex parte nostra dolor attritionis. Vnde ad consummatam iustificationem, qua fit solutio a culpa, & a pœna, requiritur triplex dolor, scilicet antecedens iustificationem, & coexistens, & subsequens. primus est dolor attritionis, secundus est dolor contritionis sacramentalis. tertius est dolor contritionis satisfactionis, & sicut contritio quodammodo est ex motu liberi arbitrij, qui est ex instinctu fidei formatæ. ita attritio ex motu liberi arbitrij, qui est ex instinctu fidei, informis.

Ad cōsummatam iustificationem requiritur triplex dolor.

Postremo obseruandum est, quod attritio potest sumi dupliciter, vno modo pro habitu pœnitentiæ informi, alio modo pro actu, vel pro actuali attritione seu detestatione peccati. His obseruatis. Dico primo, quod accipiendo attritionem pro habitu pœnitentiæ informi, attritio potest fieri contritio, hæc conclusio est Alexand. de Ales. p. 4. quæ. 17. m. 5. artic. 4. & D. Bonauen. in 4. d. 17. artic. 2 q. 3. & Richar. eadem d. art. 1. q. 2. probatur quia huiusmodi attritio est ex fide informi, quæ potest fieri formata, sicut & fides, nam sicut fides informis per aduentū charitatis formatur, ita habitus pœnitentiæ informis per aduentum gratiæ informatur. Et si dicatur attritio eo quod est cum peccato mortali est opus mortuum, contritio autem quia est opus gratuitum, est opus viuum, sed opus mortuum non potest per gratiam reuiuiscere, ergo attritio non potest fieri contritio, præterea attritio est ex timore seruili, contritio est ex timore filiali. sed timorem seruilem impossibile est fieri filialem, cum vnus sit a spiritu seruitutis, alius autem a spiritu adoptionis. ergo attritio non potest fieri contritio. Respondetur, quod opus mortuum, quoddam est de se mortuum, vt est opus peccati, & illud non potest reuiuiscere, aliud est opus mortuum ex contagionis peccati participatione, atque ita non ex se, sed potius ex hoc quod est in mortuo, & hoc dupliciter, quia vel semper est cum mortali, nec sine eo esse potest, vel non est necesse, quod semper sit cum mortali, & sic est de habitu, a quo exit motus attritionis. primum nunquam viuificatur. secundum quia habet esse in permanentia, habet possibilitatem, quod non sit cum mortali, propter quod potest informari gratia, & quantum ad hoc attritio fit contritio.

Attritio bifariam sumi potest.

Attritio habitualis potest fieri contritio

Ale. de Ale. D. Bonauē. Richard.

Opus mortuum est duplex.

Ad aliud dico, quod duplex est timor seruilis, vt docet Diuus Gregorius in moralibus: nam aliquis ex habitu timoris seruilis retrahitur a peccato timore pœnæ, tamen libenter peccaret si non timeret, alius ex habitu timoris seruilis cessat a perpetratione peccati, & libenter relinqueret peccatum, & satisfaceret de peccato, si Dominus daret illi gratiam, iste timor seruilis potest fieri filialis, sed alius non, quia in eo viuit voluntas peccandi, si separaretur impunitas, potest tamen disponere ad ipsum.

Timor seruilis est duplex.

Secundo

Attritio actualis citra Sacramentũ contritio fieri nequit.

Secundo dico, quod citra Sacramentum impossibile est, quod attritio actualis, quæ est detestatio peccatorum propter pœnas fugiendas, vel beatitudinem consequendam fiat idem actus necessario contritio, hęc conclusio est communis omnium Theologorum, & patet, quia attritio vt sic, & contritio distinguuntur specie, sed implicat quòd iidẽ actus distinguuntur specie, quod vnus fiat alius ergo &c. maior probatur ex 3. de anima actus distinguuntur specie per obiecta formalia, sed obiecta attritionis, & contritionis distinguuntur specie, ergo & actus, min. patet, quia contritio est detestatio propter Deum, attritio propter pœnas &c.

Tex. 33.

Attritio actualis eadem numero in Sacramẽto potest fieri contritio.

Dico tertio, quod loquendo de mutatione horum actuũ virtute Sacramenti, eadem numero attritio potest fieri contritio: patet quia vt d. 17. in materia de confessione fatius dicemus, attritus virtute Sacramenti iustificatur, ergo talis attritio est sufficiens ad consequendam gratiam, atque adeo merito nuncupatur à Theologis contritio, sed dices de ratione intrinseca contritionis est, quod detestatio sit propter Deum, sed licet attritus accedat ad Sacramentum nusquam mutatur obiectum formale sui actus, ergo nunquam attritio fit contritio. Respondetur concedendo totam stricte, & formaliter loquendo, sed dicitur ille actus contritio, & ille homo contritus: quia defectus ille ex parte obiecti impediens iustificationem in attrito, suppletur virtute Sacramẽti conferentis tunc primam gratiam, & ideo talis actus dicitur contritio, itaque sensus istius Theologorum axiomatis, (Attritio fit contritio virtute Sacramenti) hic est, dolor insufficiens ad gratiam fit sufficiens virtute Sacramenti.

Attritio actualis qua distinguitur à contritione tantum penes habitum, & citra Sacramentum, & in Sacramento potest fieri contritio.

Dico quarto, quod attritio actualis prout a contritione distinguitur tantum penes habitum, & non penes obiectum & citra Sacramentum, & in Sacramento potest fieri contritio, quod virtute Sacramenti possit fieri cõtritio clarum est, & ab omnibus conceditur, quod autem citra Sacramentum probatur, quia attritio, & contritio, vt sic non differunt nisi penes intensum, & remissum, imperfectum, & perfectum, actus autem idem numero remissus potest fieri intensus, ergo attritio potest fieri contritio. Præterea dolor attritionis bonus est, & donum Dei quantum est de ipso, ergo non tollitur adueniente gratia, sed adueniente gratia gratificatur, & informatur ipsa anima, & quantum ad potentias, & actus, qui eliciuntur ex ipsis, ergo dolor attritionis ex quo nõ expellitur gratificatur, atque ita fit contritio. Item dispositio, & habitus differunt per facile mobile, & difficile, & quamuis istæ conditiones facile, & difficile circa idem non se cõpatiantur simul, tamen hoc non impedit, quod dispositio fiat habitus. Ita in proposito licet aliqua sint annexa attritioni, & contritioni, quæ non se compatiuntur circa idem, tamen hoc non impedit, quin attritio quantum ad actum siue substantiam detestationis possit fieri contritio. Præterea vnus & idem motus exterior, qui primo est informis, postea potest formari sicut patet de motu quo quis vadit ad Ecclesiam si in fundatur ei gratia in via, ergo a simili idem motus interior, ergo attritio formari potest, atque ita fieri contritio. Item attritio non opponitur gratiæ, sed disponit ad eã, ergo per aduentum gratiæ non tollitur, sed perficitur, & fit attritio cum perficitur per gratiam fit contritio, ergo &c. hęc conclusio sic probata est D. Bona. & Richar. locis supra citatis, nec non Doc. nostri Sub. in hac q. & Caiet. in Tracta. de attritione, & contrit. q. 1. sed est contra Alex. de Ales vbi sup. & contra D. Thom. in 4. d. 17. q. 2. art. 1. quæstiun. 3. quorũ fundamentum est, quia actus attritionis non permanet, sed transit, actus autem qui transit non potest esse primo informis, & postea formatus, quod autem actus attritionis transeat ex eo patet, quia est actus voluntatis, qui est in instanti. Vnde Philosophus. 10. Ethic. c. 4. inquit delectatio in instanti est. Cæterum hoc fundamentum stabilitatem non habet, quia quamuis motus voluntatis sit simplex, & in instanti ponatur in esse, quantum ad suum esse, tamen non statim transit, sed aliquandiu potest manere idem numero, quia non est de genere successiuorum per se quantum ad suum esse, sed permanentium, alioquin suum esse non esset in instanti, potest ergo manere quousque charitate formetur, adeo quod idem actus detestationis continuatus, qui in principio erat sine gratia, in fine potest esse cum gratia, atque ita in principio dicebatur attritio, in fine autem contritio, & per consequens attritio est dispositio de congruo ad gratiam habendam, contritio verò insequitur ipsam gratiam. Est obseruandum est, quod non requiritur, vt nonnulli dicunt,

D. Bonau. Richard. Scotus Caietanus. Ale. de Ale. D. Thomas.

quod actus, qui dicitur contritio, fit intensior actu, qui dicitur attritio; quia potest esse remissior, quia quæcumque minima detestatio elicita cum charitate, dicitur contritio, & quæcumq; maxima detestatio elicita sine charitate semper erit attritio, & nunquam contritio, nisi postquam informata fuerit charitate, licet quandoque contingat attritionem, intendi, & fieri contritionem, vt supra explicatum est.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ad hoc, quod Pœnitentiæ actus valeat ad peccatorum remissionem, requiratur certa duratio temporis.

Doctor in hac quæstione videtur tenere necessariam esse certam temporis durationem, vt patet supra artic. 2. quam sententiam absque dubio defendit Caiet. q. 1. de contritione, qui durissime, & iudicio Doctissimorum Theologorum absurdissime sensit, Deum non iustificare peccatorẽ mox vt habet dolorem de peccatis propter Deum supra omne odibile, & propositum vitandi peccata supra omne vitabile, sed expectare etiam tum incertum nobis tempus, priusquam eum sibi reconciliet, quod ex eo probat: quia si ad iustificationẽ sufficeret dolere de peccatis propter Deũ, & non esset necessaria certa duratio incognita nobis, cum possit nobis euidenter constare dolere nos de peccatis propter Deum, euidenter etiam constaret ipsa iustificatio nostra. Secundo potest desumi argumentũ ex Scoti doctrina. Quia videretur Deus acceptator personarum si non esset necessaria hæc duratio actus pœnitentiæ, non enim videtur posse assignari causa quare hunc hominem iustificat Deus, & non illum, nisi quia ille durauit in actu pœnitentiæ, iste vero nõ.

Caietanus.

Contrariam sentẽtiam tenet Ocham in 4. q. 7. Dionysius. Adam, & Gab. in 4. d. 14. q. 1. art. 2. quos secuti sunt Vega lib. 13. in Concil. Trid. c. 43. Soto d. 17. q. 2. art. 4. & lib. 2. de natura, & gratia, c. 14. Medina tract. de pœnitentia. q. 5. & Cano in 10. de pœnitentia. Et communiter omnes Neotherici, imo addunt aliqui oppositum sent. esse erroneam, & Cano eam vocat errorem Scoticum, sed immerito, vt videbimus. Tamen pro solutione difficultatis sit.

Ocham. Dionysius. Adam. Gabriel. Vega. Sotus. Medina. Canus.

Prima conclusio, ad remissionem solius culpæ quantumcunque grauissimæ, sufficit momentanea cõtritio, probatur primo ex cap. 33. Ezechielis, vbi legitur. Non nocebit impio impietas eius quacunque die fuerit conuersus ab impietate sua, sed ille qui dolet de peccatis propter Deum quocunq; instanti, aut quacunque parte alicuius diei conuertitur ad Dominum in aliqua die, quia quicquid fit in instãti aut parte diei, in die dicitur fieri, neque enim necessarium est, vt aliquid fiat, & fieri dicatur in aliqua die, vt talis actio duret, per totam diem, ergo quocunque instanti, aut quacunque parte temporis peccator conuertatur ad Deum per pœnitentiam impietas eius non nocebit ei, multas alias auctoritates adducit Vega loco supracitato, quas per vos ipsos potestis videre. Secundo probatur ratione. Conuersio ex significatione nominis, solum significat voluntatis motum a peccato ad Deum, sed hic motus potest esse in instanti, sicut omnes motus voluntatis, ergo nulla est mora temporis necessaria ad remissionem peccatorum obtinendam. Præterea pronior est Deus ad miserendum, quam ad puniendum, sed quilibet existens in gratia, potest per peccatũ in instanti amittere gratiam, nulla mora temporis expectata, ergo peccator in quolibet momento potest gratiam recipere nulla mora temporis expectata. Item auersio a Deo propter peccatum est contraria conuersioni a peccato ad Deum, sed vt aliquis auertatur a Deo nulla mora temporis requiritur, ergo neque requiritur, vt conuertatur ad Deum. Deinde graue esset pœnitentię præceptũ, & importabile iugum, si certam actus durationẽ requireret, nullus enim posset habere probabilitatem de eo, quod præceptum pœnitentiæ adimpleret, cum scire non posset probabiliter, quantum durare debet actus pęnitentiæ, ergo non est dicendum, neque credendum, quod diuina misericordia præceptum hominibus imposuerit, de cuius adimpletione nulla via posset probabiliter homini constare. Deinique in alijs præceptis Deus non exigit hunc rigorem: neque enim est aliquod præceptum, quod talem moram temporis exigat, ergo non est dicendum, quod in solo præcepto pœnitentiæ Deus tam rigidus fuerit, & moram temporis exigeret nullo modo cognoscibilem nobis.

Ad remissionem solius culpæ sufficit momentanea contritio.

Ad remissionem totalem peccatorum, scilicet quo ad pœnam, & culpam exigitur extensio doloris per aliquam temporis moram.

Secunda Cõclusio ad remissionem totalem peccatorum, scilicet quo ad culpam, & omnem pœnam temporalem virtute solius contritionis requiritur extensio doloris per aliquam temporis moram. probatur quia quo peccata sunt grauiora, eo maior dolor desideratur, vt omnis pœnæ remissio fiat, non solum intensiue, sed etiam extẽsiue, legitur enim in Apoc. quantum glorificauit se, & in delitijs fuit tantum date illi tormentum. Vnde ad remissionem culpæ, & omnis pœnæ maior satisfactio requiritur, quam ad remissionem culpæ tantum, & per consequens maior temporis mora erit necessaria, & in hoc sensu dicunt aliqui interpretandos esse Scotum, & Caiet. Sed Vega in loco supracitato, inquit, opinionem asserentium requiri certam temporis continuationem, vt peccatorum detestatio reponat hominem in gratia, intelligendam esse quando per tempus licet. Tunc enim nisi actus pœnitentiæ duret certo quodam tempore, non obtinebitur peccatorum remissio, si quis verò temporis angustia includatur satis est talem facere, quod in se est, quando tamen suppetit tempus, qui non protrahit actum pœnitentiæ certo illo tempore: quia non facit, quod in se est, non obtinebit peccatorum remissionem. Vel inquit habent dicere sic opinantes certum tempus requiri ad sufficientem pœnitentiam, vt non satis sit vsque ad instans terminatiuum eius tẽporis exclusiue dolere, nisi etiam in illo, vel vt communiter dicitur, vsque ad illud inclusiue doleat. Gratia namque incipit esse per primum sui esse, & Deus nemini remittit peccatum sine contritione; contritio autem non est antequam infundatur gratia. Cæterum quicquid sit de Caieta. & alijs ita opinantibus.

Sententia Scoti explicatur.

Doctor Sub. non indiget hac interpretatione: nam quãquam in hac d. 14. q. 2. & 4. multa dicat, ex quibus posteriores pleriq; Auctores hanc ei sententiam, de necessitate certæ intensionis, aut continuationis tribuerint, tamen si bene perpẽdamus, neque hic, neque vsquam alibi ex professo disputat de hoc, & in his locis tantũ contendit ostendere duo, nempe attritionem, vt informem, sufficere posse, vt dispositionem præuiam ad deletionem peccati, sicut in quantum formata est, sufficit vt concomitans, & aliquando superueniente Sacramento, dari propter attritionem, & Sacramentum gratiam, quando attritio ad eam non sufficeret, atque adeo vt hoc ostenderet, secutus est opinionem illam, quæ asserit dolorem de peccatis per intensionem, & continuationem, sufficientem reddi ad infusionem gratiæ: quia ea opinio tunc erat celebris, & ea via multo facilius, & apertius poterat facere propositum suum, quam in contraria opinione, verum illam opinionem Doct. Sub. non tenet, imo contrariam apertissime docet infra. d. 20. q. vnica in tota illa q. & potissimum in prima conclusione, & in hac secunda, & in responsione ad Argumenta principalia, & potissime ad quartum vbi apertissime dicit, quod qua ratione peccator in quocunque instanti sanitatis potest pœnitere, pari ratione, & in extremis, & in tota illa quæstione docet expresse quemcunque peccatorem, qui tantum sit morti propinquum posse obtinere remissionem peccatorum, ex his patet quam falso Sotus, & immerito. d. 17. q. 2. art. 2. Doc. Sub. reprehendat.

Tertia cõclusio. Non est erroneum affirmare requiri certam temporis moram per quam continuetur dolor, etiam pro remissione solius culpæ iuxta eius grauitatem; patet quia licet contraria sententia sit verior, hæc autem non est hactenus per Ecclesiam damnata, neque contra aliquã eius determinationem procedit, & testimonia scripturæ quibus roboratur contraria sententia, a multis exponuntur, ita ut quando dicitur in quacunque hora &c. Conuertimini ad me &c. non sit sensus, quod statim in quocunque momento venia obtineatur, sed est sensus, quod nulli ante mortem præcluditur via salutis.

Sotus. Io. Medina.

Sed contra arguunt Sotus vbi supra, & Medina, trac. de pœnitentia q. 5. Si aliqua mora esset necessaria ad iustificationem posset fieri, vt homo in hac vita esset extra statum salutis: sit enim v. g. tempus requisitum ad actum pœnitentiæ centesima pars hora, sitq; aliquis peccator tam propinquus morti, vt non distet ab illa nisi medietate illius centesimæ partis, talis homo licet faciat totum, quod in se est, non facit totum, quod est necessarium ad salutem, ergo non potest habere actum pœnitentiæ durantem totam illam partem horæ. Cæterum hoc argumentum minus vrget, nec tanti illius faceret Sotus, si recordaretur, quod ipse cum reliquis Thomistis defendunt opinionem D. Tho. dicentis, quod ad contritionem requiritur recogitatio peccatorum, ex qua quidem opinione idem absurdum sequitur. Sed illi asserunt esse intelligendum D. Tho. quando suppetit tempus, & facultas recogitandi, ita possent sic opinantes respondere, quod mora temporis requiritur ad pœnitendum dummodo adsit facultas tẽporis, nam si vrgeat mora excusabitur ab hoc præcepto.

Ad Argumentum pro opinione Caiet. Respõdetur, quod non potest homini constare euidẽter sua iustificatio, nisi per specialem reuelationem, satis est tamen, quod possit illi probabiliter constare, neque aliud probat argumentum esto enim quod aliquis sit conscius huius actus, qui dicitur contritio, non tamen sequitur scire se esse in gratia: quia consequens non est magis certum quam antecedens, sed antecedens est opinabile, an ille actus sit vera contritio, & an ille actus sufficiat absq. certa intensione, vel extẽsione, ac proinde consequens similiter erit opinabile, atque ita habebit aliquis tantum opinionẽ suæ gratiæ, quod non est inconueniẽs.

Ad secundum desumptum ex doctrina Sco. Respõdetur, quod licet ex duobus hominibus æque se habentibus Deus daret gratiam, vni, & alteri non daret, adhuc non esset personarum acceptor: Acceptio enim personarum non habet locum, vbi non est ratio debiti, Deus autem nulli peccatori aliquid debet, atque adeo si vni conferat gratiam, & nõ alteri, nullam facit iniustiam, vt recte ei dici posit cur ita facis? Secundo Respondetur. Quod Deus ex duobus hominibus æqualiter se habentibus non dat vni gratiam, & alteri negat. Sed ille cui dat gratiam disposuit se ad illam in eodem instanti in quo gratia datur, alteri verò, qui non se disposuit, gratiam non tribuit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Pœnitentiæ actus prior sit gratiæ infusione.

SEnsus tituli est cũ in iustificatione impij infundatur gratia, & pœnitentia virtus, quærimus quid illorum præsupponatur ad aliud, an actus pœnitentiæ ad infusionem gratiæ, vel è conuerso infusio gratiæ ad actum pœnitentiæ. Et videtur, quod pœnitentiæ actus semper præsupponitur ad gratiæ infusionem, in omni enim mutatione dispositio præsupponitur ad forma introductionem, sed actus pœnitentiæ est dispositio ad gratiam iustificãtem, ideo enim aliquis iustificatur quia pœnitet, ergo actus pœnitentiæ præsupponitur ad gratiæ infusionem. Et confirmatur, quia alias, id est, si gratia præsupponeretur ad actum pœnitentiæ, sequeretur, quod non esset necessarium aliquod auxilium speciale præter ipsam gratiam, si quidem gratia est donum supernaturale, quo anima eleuatur ad operationes supernaturales.

Secundo arguitur, si gratia esset prior quam pœnitentia, sequeretur quod ipse actus pœnitentiæ esset meritorius gratiæ, siquidem eliceretur a gratia, consequens est falsum, quia gratia ad quã homo resurgit, quæ dicitur prima, nõ cadit sub meritis, alioquin gratia nõ esset gratia, sed præmiũ, ergo &c.

D. Thomas

Circa hanc quæst. fere eadem est sententia D. Th. & Sco. asserit enim D. Thom. 1. 2. q. 113. ar. 6. & 8. & 3. p. q. 85. ar. 6. quod in iustificatione impij, siue peccatoris prius natura infunditur charitas, quam liberum arbitrium hominis moueatur ad perfectam detestationem peccati, & ratio eius est, quia talis pœnitentia oritur ex delectione Dei, ergo prius natura habet homo charitatem, qua diligit Deum, quam pœnitentiam, siquidem causa est prior suo effectu, vnde Lucæ. 7. de Magdalena dicitur. Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum, ibi non intelligas, quod remissa fuerunt ei peccata per solam dilectionem absque pœnitentia, sed quod pœnitentia habuit ortum ex amore, ideo remissio peccatorũ tribuitur dilectioni, hactenus D. Th. cui subscribit Richard. d. 14. art. 5. q. 1. & d. 17. art. 1. q. 4. *Richardus.*

Scotus.

Eadem fere est opinio Sc. d. 14. q. 2. ar. 2. vbi ponit tria instantia naturæ. Inquit enim quod post aliquam tẽporis moram præfixam a Deo, in qua homo continuauit dolorẽ peccatorum, in vltimo instanti illius temporis, est actus pœnitẽtiæ, & simul tempore est charitas, sed in isto instanti tẽporis sunt tria signa naturæ, quia in primo est actus pœnitentiæ, in secundo infunditur charitas, & in tertio actus pœnitentiæ efficitur contritio, virtute cuius remittuntur peccata, quia dolor sine charitate non est contritio, sed attritio tantum, hoc est dolor imperfectus: ecce quomodo de mẽte Scoti hæ duæ propositiones sunt veræ, quia peccator continuauit dolorem

vsque

vsque ad instans determinatum a Deo, ideo infunditur gratia a Deo, & quia infunditur gratia, ideo ille actus pęnitentiæ est contritio.

Actus pęnitentiæ, & infusio gratiæ sunt simul tempore.

Vnde pro explicatione huius quæst. obser. est primo quod quando quærimus quid sit prius infusio gratiæ, an actus pęnitentiæ, non est quæstio de prioritate temporis: nam simul tempore est vtrumque, quia ex primo de generatione, simul tempore est vltima dispositio, & introductio formæ: sed pęnitentia est vltima dispositio ad gratiam, ergo est simul tempore cum gratia, hæc est sententia Doct. loco supra citato sub lit. Q & est contra Caiet. in tractatu de contritione, q. 2. est ergo intelligenda quæstio de prioritate naturæ. Illud autem dicitur prius natura, quod præsupponitur ad illud non tempore (quia possunt esse simul, sicut apertio fenestræ, & ingressio luminis,) sed sicut causa ad effectum, vnde prioritas naturæ non est resoluenda per ablatiuum in quo, sed per causalem, quia: non enim est dicendum, quod in aliquo instanti aperitur fenestra, in quo non ingrediatur lumen, sed quia aperitur fenestra ideo ingreditur lumen.

Caietanus.

Causæ sunt sibi inuicem causæ.

Secundo obser. est ex 2. Phy. contingere aliquando causas sibi inuicem esse causas in diuersis generibus causarum, non tamen in eodem genere. V. g. sanitas in intentione est causa finalis deambulationis post cœnam & ipsa deambulatio est causa efficiens sanitatis: ecce quomodo deambulatio est effectus sanitatis, quatenus sanitas est causa finalis: quia enim volumus assequi sanitatem, ideo deambulamus, & sanitas est effectus deambulationis quatenus deambulatio est causa efficiens. similis circulus datur inter causam efficientem, & materialem, vel quasi materialem, prius enim natura in genere causæ efficientis introducitur calor in aqua, quam expellatur frigiditas, quia calor adueniens expellit, & effectiue corrumpit frigiditatem, tamen frigiditas ipsa in genere causæ materialis prius natura recedit a subiecto, quam inhæreat calliditas: hoc est; quia frigiditas recedit, ideo redditur subiectum aptum ad caliditatem: vnde vtraque istarum propositionum est vera: quia calor aduenit, expellitur frigiditas: & quia frigiditas recessit, introductus est calor, sed prima est vera in genere causæ efficientis, vel formalis. Secunda in genere causæ materialis: quia calor est causa efficiēs corruptionis frigiditatis, & corruptio frigiditatis est causa dispositiua introductionis caloris.

Causæ nostræ iustificationis sūt quinque. Conc. Trid.

Tertio obser. est, quod quinque sunt causæ nostræ iustificationis quas recenset Concil. Trid. sess. 6. c. 6. & 7. causa efficiens qui est ipse Deus iustificans per auxilium speciale, causa finalis, quæ est gloria Dei, & Christi, meritoria, quæ est passio Christi, formalis, quę est gratia, & dispositiua qui sūt actus pęnitentis, vnde gratia non est causa efficiens cōtritionis, sed tantum formalis.

Infusio gratiæ est prius natura in genere causæ formalis, quam perfectus actus pęnitentiæ.

Prima conclusio, in genere causæ formalis prius natura est infusio gratiæ, quam perfectus actus pęnitentiæ qui dicitur contritio. hæc conclusio est Doct. loco supra citato, vbi dicit, quod actus, qui est contritio in eodem instanti temporis præcedit natura deletionem peccati, licet vt contritio hoc est, vt formatus sequatur deletionem ordine naturæ, probatur conclusio prænotando, quod de ratione contritionis est, quod sit actus formatus charitate, cum sit meritorius gloriæ, vt in solutione ad vltimum diximus: quo supposito sic probatur conclusio; causa formalis est prior natura suo effectu, albedo enim prior est, quam subiectum sit album, quia dat illi tale esse, sed gratia est causa formalis contritionis dās illi esse formale, ergo est prior illa in genere in quam causæ formalis.

Actus contritionis, vt causa dispositiua est prius natura quā gratia infusio.

Secunda conclusio, quatenus contritio est causa dispositiua gratiæ prius natura est actus cōtritionis quam gratiæ infusio, probatur causa materialis præsupponitur ad causā formalem, sed actus contritionis disponit subiectum, vt sit aptum ad gratiæ receptionem, ergo sub hac ratione est prius natura actus contritionis, quam gratiæ infusio.

Ex his conclusionibus sequitur; quod istæ propositiones sunt veræ: quia homo habet actum pęnitentiæ, ideo est gratus Deo, est enim vera in genere causæ materialis, & sensus est: quia homo disponit se per actum pęnitentiæ, ideo assequutus est gratiam. Similiter ista est vera, quia Deus infundit gratiam, ideo homo habet contritionem, vel actum pęnitentiæ; quia est vera in genere causæ formalis, & est sensus, si non esset infusa gratia non haberet contritionem.

Ad primū argumentum. Respondetur concedendo quod dispositio in genere causæ materialis præcedit suā formam, ipsa tamē forma præcedit causam materialem in genere causæ formalis, vt conclusione secunda dictum est. Ad confirm. respōdetur quod prius natura est gratiæ infusio, quam actus pęnitentiæ perfectæ, scilicet contritionis, non tamen sequitur, quod absque auxilio speciali præter gratiam homo possit pęnitere: quia auxilium speciale datur ad mouendum liberum arbitrium, vt homo detestetur sua peccata gratia autem non infunditur ad mouendum lib. arbitr. sed vt sit causa formalis iustificationis, vt constat ex Concil. Trid. vbi supra, ibi enim ponitur auxilium speciale solum ad hoc, vt homo adiutus concursu diuino pęniteat, gratia autem infunditur vt causa formalis.

Conc. Trid.

Ad tertium. Respondetur concedendo, quod nunquam actus pęnitentiæ est contritio sine charitate, & gratia, sed hinc non sequitur, quod sit meritorius gratiæ, immo implicat, cum in ipsa iustificatione infundatur gratia prima, quæ non cadit sub merito, sequitur autem quod sit meritorius gloriæ, quod quidem fatemur, & quod sit verum patet exēplariter. Esto enim quod aliquis impius conuertatur, qui nūquam habuit gratiam, aut merita, & statim post contritionē moriatur illi dabitur gloria non solum respondens meritis Christi, sicut datur paruulo baptizato morienti ante vsum rationis, sed etiam dabitur maior gloria quam paruulo; ergo illa gloria respondet meritis propriis, non habet autem aliud meritum, vt supponimus, præter actum contritionis, ergo talis actus est meritorius gloriæ.

ARTICVLVS IX.

Vtrum remissio culpæ sit effectus pęnitentiæ.

Pęnitentia bifariam cōsideratur.

SEnsus tituli est, vtrum virtus pęnitentiæ siue contritio sit causa remissionis peccati, pro cuius ampliori intelligentia obseruandum est quod pęnitentia consideratur dupliciter, vno modo prout est informis, hoc est sine gratia, alio modo prout est informata, primo modo est actus elicitus à libero arbitrio mediante auxilio speciali, & non mediante gratia, & est vltima animæ dispositio ad gratiam, atque ita pœnitentia non est meritoria gloriæ, sed est meritoria de congruo iustificationis, neque hoc est Pellagianum, vt ostensum est supra art. 4. quicquid dicat Sotus. d. 15. q. 1. art. 6.

Secundo modo consideratur idem actus necessario prout est formatus gratia, & tunc non est meritorius gratiæ, sed gloriæ. V. g. iste actus nollem offendisse Deum, prout est à libero arbitrio cum auxilio speciali consideratur absque gratia, atque ita est informis, & est dispositio siue meritum de congruo ad iustificationem, & consideratur cum gratia, & sic est formatus & meritorius vitæ æternæ. Hoc supposito in hac quęst. est aliquod certum, aliquod verò sub iudice, certum est enim quod simul tempore est motus liberi arbitrij, & remissio peccati. Dicitur enim Ezech. 18. Si impius egerit pœnitentiam, non recordabor amplius iniquitatum eius, sed si poneretur aliqua morula temporis inter pęnitentiam, & remissionem peccati, vt falso existimat Caiet. Deus recordaretur peccatorum, quorum homo egit pęnitentiam, ergo simul tempore est pęnitentia, & remissio culpæ. Est etiam certum, quod pęnitentia est causa remissionis peccati, iuxta illud Hier. 18. si pęnitentiam egerit gens illa, & ego pęnitentiam agam. i. remittam peccatum, & ex Concil. Trid. sess. 6. c. 6. constat. Vbi inter causas disponentes ad iustificationem recensetur pęnitentia Est autem sub iudice, & tota difficultas quæstionis, an pęnitentia, sit causa remissionis peccatorum, velut vt informis, vel vt formata iam per gratiam.

Conc. Trid.

Scotus.

Et primo circa hanc q. est opinio Doct. d. 14. q. 2. art. 2. sub lit. P. & Q affirmantis quod pęnitentia prout informis, est causa remissionis culpæ, & prout formata concomitatur ipsam remissionem: ita quod secundum Scot. hæc est vera: quia homo pęnitet, remittitur culpa, & quia remittitur culpa, ideo infunditur gratia.

D. Thom.

Secunda opinio huic contraria est D. Thom. 3. p. q. 86. art. 6. Vbi affirmat quod motus liberi arbitrij informatus gratia, est causa remissionis peccati, & secundum hanc sententiam seruatur hic ordo in iustificatione peccatoris, quia infunditur gratia, ideo homo pęnitet, & quia pęnitet ideo remittuntur peccata, tribuit autem D. Thom. pęnitentiæ formatæ remissionem peccatorum, quia remissio peccati est effectus Sacramenti pęnitentiæ, quod Sacramentum secundum ipsum est ipsa pęnitentia.

Tertia

Thomistarũ opinio.

Tertia opinio est quorundam Thomistarum distinguentium de prima gratia, quæ datur per solam pœnitentiam, & virtutem Sacramenti, dicunt enim, quod gratia, quæ datur extra Sacramentum, semper antecedit contritionem, ita quod seruatur iste ordo naturæ. Deus dat gratiam, & per illam homo detestatur peccatum, ratione cuius formatæ contritionis remittitur peccatum. Si autem homo attritus accedat ad Sacramentum, tunc gratia prima datur virtute attritionis, & virtute formæ Sacramentalis, scilicet absolutionis, atque ita gratia non est prior natura motu liberi arbitrij.

Causa dispositiua est duplex.

Pro huius quæst. solutione obser. est quod causa dispositiua dupliciter dicitur, vel quia remouet tantum prohibens ad introductionem alicuius effectus, vt apertio fenestræ: quæ remouet fenestram prohibentem ingressum luminis. Vel secundo dicitur causa dispositiua, quia causat aliquam formam præuiam in subiecto ad effectum, vt siccitas respectu combustionis.

Gratia nullum effectũ operatur in nobis sine libero arbitrio.

Secundo obser. est, quod gratia nullum effectum operatur in nobis sine motu nostri liberi arbitrij iuxta illud axioma Augustini. Qui creauit te, sine te, non saluabit te, sine te: nec est dicendum quod licet requiratur motus liberi arbitrij, tamen talis actus pœnitentiæ non producitur à voluntate, sed solum à Deo, sed recipitur à voluntate, quæ voluntas respectu huius doloris se habet solum passiue, vt quidã dicere voluerunt: quia hoc est erroneum, & contra Concilium Trident. sess. 6. can. 5.

Conc. Trid.

Tertio obser. est, quod possumus considerare pœnitentiã dupliciter, primo prout est causa disponens animam ad gratiam. Secundo prout est causa, secunda instrumentalis, per quam Deus effectiue remittit peccatum, primo modo est pœnitentia virtus, secundo modo est Sacramentum.

Deus effectiue remittit peccatum.

Quarto obseruandum est, quod Deus infundendo gratiam, effectiue remittit peccatum, quod probatur sic, agens producens aliquem habitum in subiecto destruit effectiue priuationem illius habitus, vt sol producens lumen in aere effectiue destruit tenebras, sed peccatum transeunte actu, est priuatio gratiæ cum quadam dignitate inimicitiæ Dei, & obligatione ad pœnas inferni, ergo Deus infundendo gratiam destruit effectiue peccatum. His suppositis absoluetur quæst. gemina conclusione.

Actus pœnitentiæ informis est causa remissionis culpæ.

Prima Conclusio. Actus pœnitentiæ informis, quatenus est dispositio ad gratiam est causa remissionis culpæ. probatur à definitione causæ dispositiua: est enim remouens prohibens ad introductionem formæ, sed pœnitentia informis est dispositio ad gratiam cuius introductio, & infusio prohibetur per culpam indemissam, & præexistentem, ergo ipsa pœnitentia informis remouet illam, & per cõsequens est causa remissionis illius. Hæc conclusio est. Doct. loco supra citato affirmantis contritionem vt informem, quam attritionẽ appellat esse causam remissionis peccati, quæ adeo vera est, vt oppositum plane repugnet: nam contritio vt formata, supponit iam, & gratiam infusam, & remissum peccatum, ergo vt sic, non potest esse dispositio ad remissionem peccati: patet consequentia, quia vt sic, est natura posterior, causa autẽ debet esse prior. Contritio autem vt informis est prior natura quam gratia, & quam remissio peccati, ergo vt sic est dispositio ad talem effectum.

Sotus.

Sotus tamen d. 15. q. 1. art. 6. Scotum reprehendit: quia cõtritio inquit vt informis non est meritoria de cõdigno, alioquin remissio fieret ex meritis nostris quod esset Pelagianũ. sentiens ad causandum dispositiue remissionem peccatorũ esse necessarium meritum de condigno.

At vero fundamentum hoc Soti, omnino falsum est, tum quia illæ sunt diuersæ causalitates, quæ non habent inter se necessariam connexionem, nam fidelis existens in peccato mortali, si efficiat actum fidei intensiorem habitu se disponit ad augmentum eius, & illud obtinet, quamuis de condigno non mereatur. Secundo & præcipue; quia si illud verum esset, nullo modo esset contritio dispositio ad remissionem peccati, atque etiam vt formata, quia nec illa etiam est meritoria de condigno remissionis peccati, vt est certa doctrina omnium Theologorum.

Et si dicatur inter infusionem gratię, & remissionem peccati, est etiam ordo naturæ, & infusio gratiæ simpliciter censetur prior, ergo huiusmodi gratia prius etiam natura informat attritionem, ergo attritio vt sic formata, quæ est vera cõtritio, erit dispositio ad remissionem peccati. Respondeo primo quod eodem modo posset retorqueri argumentũ, quia etiam remissio peccati in genere causæ materialis dicitur esse prior natura, quam infusio gratiæ, ergo vt sic contritio informis erit dispositio ad illam. Dicendum est ergo illam mutuam habitudinem, inter infusionem gratiæ, & remissionẽ peccati (quæcunque sit illa) reperiri inter eas collatas inter se, non vero comparatas ad contritionem: nam gratiæ infusio, & remissio peccati bifariam considerari possunt priori modo, vt sunt mutuo sibi inuicem causæ in diuersis generibus causarum: quia infusio gratiæ est causa formalis remissionis peccati & remissio peccati est causa materialis infusionis gratiæ, posteriori modo respectu contritionis. Si considerentur primo modo, sunt (vt diximus) sibi inuicem causa, at respectu contritionis neutram habent causalitatem, neque prioritatem: quia prioritas naturæ in præsenti nihil est, nisi ordo causalitatis. Illa ergo mutua prioritas consideratur inter gratiam, & remissionem peccati inter se, non vero vt cõparata ad actum pœnitentiæ: quia est dispositio ad illa duo. Addo etiam donec intelligatur remissum peccatum, non dũ intelligi actum pœnitentiæ perfectè formatum, quia non dũ intelligitur persona perfecte sanctificata, & extra statum inimicitiæ Diuinæ, in quo nullus potest esse actus formatus.

Infusio gratiæ, & remissio peccati bifariam considerari possunt.

Pœnitentia formata nõ est causa remissionis culpæ nisi vt pars Sacramenti.

Secunda cõclusio. Pœnitentia formata nullo modo est causa remissionis culpæ, nisi quatenus est pars Sacramenti, hæc conclusio ponitur contra Sotum, qui loco supra citato docet cõtritionem operari ad remissionem peccati. Pro cuius intelligentia obser. est quod pœnitentia formata potest considerari dupliciter, vno modo secundum se præcise, & vt est actus virtutis, alio modo vt est pars Sacramenti pœnitentiæ. Secundo obser. est quod duobus modis loqui possumus de efficientia, nempe vel de efficientia physica, vel morali. Tertio obser. est quod causalitas moralis potest esse duplex nẽpe dispositiua, aut meritoria. Quarto obser. est quod dispositio meritoria est etiam duplex. i. imperfecta, & secundum quid, quæ dicitur meritoria de congruo; perfecta & simpliciter, quæ appellatur meritoria de condigno. Quinto obser. est quod dispositio ad introductionem formæ dicitur aliquo modo efficere effectum illius, seu expellere contrariũ, his obser. dico quod pœnitentia formata, vt est pars Sacramenti, potest causare aliquo modo remissionem peccati: nã vt sic probabile est posse concurrere effectiue ad infusionẽ gratiæ sicut efficere solent aliæ materiæ Sacramentorum: sed tunc non habet illam efficientiam, vt actus formatus est, sed vt informis: quia nihil potest efficere formam quatenus per illam eamdem formatum est. Sed considerando actũ pœnitentiæ secundum se, & vt est actus virtutis. Dico primo quod nec vt formata, nec vt informis potest physice efficere gratiam, & per consequens non potest physice efficere remissionem, & expulsionem peccati: patet quia ferè apud omnes certum est nihil posse efficere physice remissionem peccati, nisi quod potest efficere physice gratiam: quia vniuersaliter non potest priuatio tolli physica actione, nisi ea qua fit forma, gratia autem non potest produci physice nisi à Deo, cũ producatur per creationem.

Dico secundo, quod actus pœnitentiæ informis secũdum se, & vt est actus virtutis, potest esse causa moralis dispositiua, sed non proprie physica, quod possit esse causa dispositiua ostensum est in prima conclusione, quod autem non sit propriè dispositio physica patet, quia non est necessaria propter physicam vnionem gratiæ cum anima, sicut requiritur dispositio corporis ad vnionem animæ cum ipso, atq. adeo transacta illa dispositione: manet vnio gratiæ cum anima, & interdum etiam fit sine illa, est ergo dispositio moralis: quia homo facit quod in se est ad tollendum obicem.

Dico tertio, quod iste actus pœnitentiæ secundum se, quatenus est actus supernaturalis, hoc est elicitus mediante auxilio Dei speciali, potest esse causa meritoria imperfecte, & secundum quid, hoc est de congruo.

Dico quarto, quod huiusmodi actui nõ potest tribui perfectum meritum, vel satisfactio de condigno respectu remissionis peccati. Tum quia alias non fieret gratis remissio: tum etiam quia tale meritum, vel satisfactio supponit iam remissum peccatum. Qua propter hoc certum mihi videtur nullo pacto contritionem perfecte mereri peccatorum remissionem, nam si sit sermo de actu contritionis, vt informis, seu vt est prior natura quam gratia, est res clara, cum ipsa gratia sit principium omnis meriti de condigno. Alias posset homo mereri de condigno infusionem ipsius gratiæ per contritionem: est enim eadem ratio. Si vero loquamur de con-

tritione

tritione formata, hæc illam supponit remissum peccatum alias non satis formata est, multo ergo minus potest illa de cõdigno mereri, sed contra communiter dicitur, quod peccatum remittitur per contritionem, ergo contritio est causa remissionis peccati. Respondetur quod cum dicitur communiter, quod peccatum remittitur per contritionem intelligendum est quatenus hic idem actus, qui est contritio prius natura est, quam infusio gratiæ, quia est dispositio proxima ad gratiam, remittitur ergo peccatum, per contritionem realiter, hoc est per illum actum qui reuera est contritio, non tamen formaliter: quia non remittitur per illum quatenus est contritio: nam contritio formalis; ordine naturæ sequitur remissionem culpę, & hæc est expressa sententia Doct. Sub. quicquid quidam somnient. ex his ergo sequitur remissionem culpæ esse effectum contritionis informia ad sensum explicatum; & non propriæ formalæ contritionis.

QVAESTIO III.

Vtrum Pœnitentia virtus sit tantum vnius pœnæ inflictiua.

Visum est in quæstionibus præcedentibus, quomodo pœnitentia sit necessaria ad deletionem peccati, & quomodo pœnitentia actualis non est nisi pœnæ tenentia, & virtus mediante qua infligitur pęna pro peccato, dicitur pęnitentia.

Quærit consequenter Doctor postquam peccator propter peccatum pęnam sibi infligit, vtrum vnicam tantum pęnam sibi infligere debeat. Hæc quæstio valde facilis est, atque adeo aliquibus prænotatis, eam breuiter gemina conclusione absoluemus.

Vnde obser. est primo quod quæstio intelligenda est tantum de pęnitentia, primo & secundo modo accepta, s. pro pęnitentia vindicatiua vel detestatiua: quia acceptatiua, & supportatiua non infligunt pœnam, vel tristitiam, sed magis eã præsupponunt, & potissime intelligitur quæstio de pęnitentia, secundum primam acceptionem, secundum quam dictũ est in superioribus, quod est iustitia vindicatiua, atque ita ei competit esse pęnæ inflictiuam, quia eius obiectum est recompensatio pęnæ cum culpa.

Virtuti appetitiuæ correspondet dictamen prudentiale in intellectu.

Secundo obser. est, quod cuicunque virtuti appetitiuæ de necessitate correspondet dictamen prudẽtiale in intellectu, quia fortis non exit in actu nisi prius reguletur à prudẽtia, seu à dictamine prudentiali, atque ita iustus, & temperatus &c. nam vna quæque virtus appetitiua de necessitate exigit suam regulam in intellectu, nam secundum Scot. tot sunt prudẽtiæ partiales in intellectu, quot sunt virtutes morales in voluntate, ex quo sequitur quod nullus est actus virtutis in voluntate, nisi quatenus est conformis dictamini recto, quod quidem dictamen est iudicium in intellectu de aliquo prosequendo, vel fugiendo, illud autem iudicium in intellectu vocatur regula illius actus, qui est in voluntate: quia per conformitatem ad illud dictamen rectum actus dicitur regulatus, & conformis, & per difformitatem dicitur malus, & difformis rectæ rationi.

Actus virtutis duplex est regula in intellectu.

Tertio obser. est, quod duplex põt assignari regula actus virtutis in intellectu. Quædam est regula in intellectu regulans actum voluntatis, ad quam intellectus lumine naturali pertingere potest, & est quædam ad quam lumine naturali intellectus haud pertingere potest, sed solum ex reuelatione Diuina: Nam sicut sunt aliquæ propositiones speculatiuæ, ad quorum cognitionẽ intellectus lumine naturali pertingere non potest, sed indiget lumine supernaturali. V. g. Intellectus lumine naturali sibi relicto non potest pertingere ad cognitionem huius propositionis. Deus est trinus, & vnus: Aliqua verò sunt ad quarũ cognitionem intellectus lumine suo naturali relicto pertingere potest, vt sunt propositiones Geometricæ, physicæ, logicæ, &c. Eodem modo in agibilibus, sunt quædam propositiones practicæ, ad quarum cognitionem, & intellectionem intellectus lumine naturali pertingere potest, vt sunt propositiones de iure naturali, vt non facias aliis, quæ tibi fieri non vis, non mechaberis, nõ furtum facies, &c. huiusmodi. Aliqua verò sunt, ad quarũ notitiam intellectus lumine suo naturali pertingere non potest, sed dumtaxat ex reuelatione diuina, vt est ista, omnia temporalia propter Christum sunt relinquenda, & propter Christum Prælatis obediendum est in omnibus licitis, & huiusmodi. Ex his habemus duo primum quod nulla est virtus in voluntate, cui non correspondeat regula in intellectu. Secundum quod in intellectu duplex est regula regulans affectum, seu voluntatem, quadam ad cuius cognitionem intellectus lumine naturali peruenire potest, & quædam ad cuius cognitionem solum potest peruenire mediante reuelatione Diuina.

Pœnitentia virtuti correspondet dictamen prudentiale in intellectu.

Quarto obser. est quod pęnitentiæ, cum sit virtus apetitiua, de necessitate correspondet dictamen prudentiale in intellectu: & cum duplex possit assignari regula in intellectu, scilicet naturaliter nota, & nota supernaturaliter: Ideo penitentia bifariam considerari potest. Vno modo vt est conformis dictamini recto intellectus, siue regulæ ad quam intellectus lumine naturali pertingere potest, alio modo vt est conformis dictamini intellectus, ad quod intellectus lumine naturali non potest peruenire. atque adeo sicut in genere duplex est regula: ita est duplex regula regulans pęnitentiam; quædam est ad quam intellectus lumine naturali peruenire potest, vt est iudicium, quo intellectus iudicat peccatum esse detestandum atque fugiendum: quia est contra bonum honestum &c. quod quidem iudicium est cuilibet lumine naturali notum. Altera est regula, regulans pęnitentiã, quæ est nota dumtaxat reuelatione diuina, vt est iudicium quo intellectus dictat, & iudicat, quod peccatum est detestandum: quia est Dei offensiuum, & a Deo auersiuum, beatitudinisque impeditiuum, & finalis miseriæ inductiuum; ista regula non potest ab homine lumine naturali cognosci, sed solummodo ex reuelatione; nam non potest homini esse naturaliter notum, quod sit futura beatitudo æterna, vel quod sit æterna damnatio, qualem ponunt fideles sed illa solum sunt nota ex reuelatione diuina. Ex his patet quomodo intelligendus sit Doct. super qu. 2. huius dist. cum dixit, quod homo ex puris naturalibus cum communi influentia considerare potest peccatum commissum, vt offensiuum Dei &c. Sic enim interpretandus est vt explicauimus ibi. s. quod stante reuelatione Sacræ scripturæ, quod scilicet peccator cognóscat, vel per scripturam, vel per prædicationem, quod peccatum est detestabile sub huiusmodi conditionibus, tunc ex suis naturalibus supposito speciali Dei auxilio potest considerare peccatum sub illis conditionibus, itaque non est necesse quod talis consideratio sit immediate a Deo, licet prima reuelatio fuerit immediate a Deo, exemplum quamuis ex puris naturalibus non possim cognoscere Deum esse trinum & vnum, facta tamen mihi immediate reuelatione a Deo, vel alicui cui firmiter credo, possum postea bis, ter, quater considerare Deum esse trinum, & vnum, ita quod talis consideratio erit ex puris meis naturalibus generali influentia concurrente, ita dico de peccato, quãuis enim homo ex puris naturalibus non possit se disponere: quia ex puris naturalibus non potest cognoscere peccatũ sub illis conditionibus, potest tamen se disponere ex puris naturalibus ad hunc sensum, quod postquam credidit peccatum esse detestandum sub illis conditionibus, potest ex puris naturalibus considerare illud, & speciali adiutorio Dei adiutus etiam detestari, & hoc est quod intendit Doct. ibi: sed ad propositum redeundo. Pęnitentia potest habere duplicem regulam vnam naturali lumine notam, alteram vero supernaturaliter notam ex his ad. q. sit.

Nota Scotista.

Pœnitentia correspondẽs dictamini naturali est inflictiua tantũ vnius pœnæ.

Prima conclusio. Pęnitentia correspondens dictamini naturali, dictanti quod de peccato est dolendum, est inflictiua tantum vnius pęnæ, scilicet tristitiæ, seu displicentiæ. probatur quia eius regula tantum ostendit vnam pęnam infligẽdam videlicet displicentiam, ad quam sequitur tristitia, quæ est vnica, & prima pęna: nam non habemus in intellectu regulam naturaliter notam, quod detestandum sit peccatum nisi istam. Peccatum detestandum est, huiusmodi autem regula non dictat nisi peccati displicentiam, non enim dictat de ieiunio, vel aliis pęnis. ad displicentiam autem seu detestationem sequitur illa pęna, quæ est tristitia, atque adeo si sequatur vt est conformis regulę naturaliter notæ est dumtaxat vnius pęnę inflictiua. Vnde quilibet habens vsum rationis potest habere hoc iudicium naturale, detestãdum est peccatum & huiusmodi regula inquit Doct. esset nota intellectui Angelico si fuisset Angelus viator post primũ peccatum commissum, & per consequens potuisset habere aliquid in voluntate correspondenter inclinans illi regulę ad actum vindicandi, vel displicendi, tunc huiusmodi pęnitentia sicut & regula eius posset esse in omni statu vniformis:

quia

quia si non deficeret cognitio naturalis conueniens naturæ humanæ, posset pro quocunque statu deuenire in cognitionem istius regulæ, & per consequens æque habere in voluntate aliquod inclinans proportionabiliter isti regulæ, & habens in voluntate actum conformem ad illam sequitur tristitia, atque adeo habere potest illam pœnam inflictiuam. Penitentia ergo considerata vt regulata per regulam naturaliter notam, est vnius pęnæ inflictiua.

Penitentia est plurium pęnarum inflictiua.

Secunda conclusio, pęnitentia correspondens regulæ notæ ex reuelatione diuina est plurium pœnarum inflictiua: est enim tot pęnarum inflictiua, quot Deus ex reuelatione per sacras Scripturas voluit peccatorem luere; patet quia pęnitentia est iustitia primitiua secundum legem diuinam, sed secundum legem Diuinam oportet plures pœnas infligere pro culpa totaliter expianda: quia ex sacris literis habemus, quod Deus vult plures pœnas pro peccato infligi, ergo pœnitentia correspondens regulæ reuelatæ per legem Diuinam est plurium pœnarum inflictiua; Minor probatur ex Iohele.c.3. scindite corda vestra, & non vestimenta vestra &c. quibus verbis ostenditur, quod pœnitentia infert tristitiam. Item Iacobi quinto dicitur, Confitemini alterutrũ peccata vestra &c quibus denotatur alia pęna, quæ est erubescentia in confessione, & Matth.3. dicitur facite fructus dignos pęnitentiæ, idest ieiunate, orate, eleemosynam date, & cætera opera penalia facite, & in his tribus authoritatibus plures pęnæ significantur infligendæ pro peccato, videlicet in prima contritio, in secunda confessio, in tertia satisfactio,

D. August.

pœnitentia autem secundum D. Augustinum si sit vera, nititur ad Baptismi innocentiam reducere, sed nõ reducitur peccator ad baptismalem innocentiam nisi per ista tria, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem, ergo &c. & confirmatur auct. D. August. libro de vera, & falsa penitentia, cuius auctoritas valde longa, atque prolixa refertur de pęnt. d.5. c. 1. in qua agitur de multis, quæ requiruntur in vero pęnitente, quæ D. August appellat fructus dignos pęnitentiæ. Pœnitentia ergo, prout regulatur regula supernaturaliter nota, est plurium pęnarum inflictiua. Sed contra hanc conclusionem arg. t. sic, aliqua pœnitentia est, quæ regulatur regula non naturaliter nota, sed solum ex reuelatione diuina, ergo est aliqua pœnitentia quæ non est virtus moralis acquisita, sed Theologica vel infusa, consequens est cõtra id, quod determinatum est in 2.q. vbi dictum est, quod pęnitentia est virtus moralis, & non Theologica, consequẽtia probatur, nam quælibet virtus moralis regulatur regula nota lumine naturali, sed pęnitentia, de qua agitur in secunda conclusione, non regulatur regula lumine naturali nota: quia notitia regulæ illius habetur tantum ex reuelatione, ergo talis penitentia non est virtus moralis acquisita. Respondet Doct. prænotando aliqua. Et primo dicit, quod in omnibus doctrinis, tam speculatiuis, quam practicis, doctrinæ speculatiuæ sunt quarum finis est speculatio, vt Mathematica, Methaphysica, & Physica, quæ docent speculari, si ea rum finis est simpliciter scire, doctrinæ practicæ vero sunt, quarũ finis est opus, vt philosophia moralis, quę docet bene viuere, in omnibus inquam doctrinis, tam speculatiuis quã practicis, & hoc tam actiuis, quam factiuis, superior idest subalternans aliquid nouit eo modo, quo illud non potest esse notum inferiori, idest subalternatæ, vt patet primo metaphysic. in proœmio, & primo Ethic. c. 1. & primo Post. & per exempla manifesta; quia in speculatiuis superior. idest subalternans nouit propter quid, sed inferior tantum quia. In practicis autem actiuis superior nouit finem superiorem sub propria ratione, & illum intendit, inferior autem non, sed tantum proprium finem, similiter in artibus loquendo de artibus subordinatis, vt patet de equestri, & freni factiua, atque ita de alijs.

Secundo dicit, quod veritates supremas speculatiuas nõ possumus naturaliter nosse, sed tantum ex reuelatione, vt Deum esse trinum, & vniuersaliter quascunque veritates immediatas de Deo, de quibus dictum est in primo libro q.1. prologi, & d.42.q.1. Consimiliter in practicis non possumus scire Deum sub propria ratione esse finem creaturæ intellectualis, nisi per reuelationem, atque ita si posset inueniri aliqua ars, ita excellens, cuius finis proprius non esset naturaliter cognoscibilis, oporteret de fine eius habere cognitionem per reuelationem.

Dicit tertio, quod de virtutibus possibilibus naturæ humanæ, quædam sunt quarum finis non potest naturaliter attingi, quia ordinantur ad finem sub ratione superiori, quam cognitio huius status se extendat, velut sunt Euangelica paupertas, atque obedientia, nam quod omnia sint dimittenda propter Christum, & quod pro Christo sit prælatis obediẽdum in omnibus licitis, & sic de alijs virtutibus Euangelicis, non est nobis naturaliter notum, huiusmodi. n. virtutes licet sint de obiecto pure creato, quia de bonis externis, nihilominus exigunt regulam, quæ non est homini nota lumine naturali, sed tantummodo ex reuelatione. & tales sunt vniuersaliter omnes regulæ virtutum euangelicarum, vt paupertatis, castitatis, & huiusmodi, quia principia, vel conclusiones practicæ, quibus innituntur istæ virtutes, vt regulis, non possunt naturaliter esse nota: nec propter hoc, illę sunt minus virtutes, idest non sequitur ex eo, quod regula istarũ virtutum sit nota tantum ex reuelatione Diuina, non esse virtutes, immo sunt excellentiores virtutes: tum quia illa vera, idest regulatiua illarum virtutum, sunt excellentiora vera, pro quanto ad ea nõ attingit lumen naturale viatoris: Tum quia illa vera, idest illa principia regulatiua sunt certiora, quam multa alia, ad quæ attingit lumen naturale viatoris: quia sunt vera ab illa veritate, quæ nec fallere potest, nec falli. Vnde habenti fidem, quod Deus inspirauit totam sacram Scripturam, & quod ipse est veritas infallibilis, certius esse debet quicquid ab ipso in scriptura est reuelatum, quam illud, ad quod quicunque intellectus potest naturali lumine attingere.

Virtutes Euãgelicæ quo modo sint virtutes morales.

Quarto dicit, quod ex eo quod regula istius virtutis est tantum ex reuelatione, vel fide nota, non sequitur istam virtutem appetitiuam non esse moralem; quia secundum Philosophum 2. Ethic. c. 1. virtus moralis dicitur esse ex hoc, quod est ex more, vel consuetudine generabilis, consuetudo autem est actuum frequens reiteratio, itaque frequens actuũ elicitio consuetudo appellatur; & ex illa consuetudine, i. ex frequenti reiteratione actuum generatur virtus. Quamuis ergo habeam regulam solum per reuelationem mihi notã, possum tamen me tali regulæ conformare ex consuetudine, hoc est pluries, & ex frequenti actione generare in me habitum sic inclinantem: qui erit habitus electiuus: quia appetitiuus, & secundum rectam rationem, licet non naturalem, sed illo certiorem, Vnde habita ista regula supernaturali, Omnia propter Christum sunt relinquenda quæ habetur Lucę 14. Sic ergo omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet non potest meus esse Discipulus, & Matt. 19. Si vis perfectus esse vade, & vende omnia, quæ habes &c. possum me pluries illi conformare, & ex tali consuetudine, idest frequenti actuum conformium elicitione, generare habitum virtutis, æque bene, ac si talis regula esset naturaliter nota, & talis habitus est ita bene more genitus, idest consuetudine, ac si talis regula esset naturaliter nota, atque ita vere appellari potest moralis, & hoc modo paupertas, humilitas, charitas, & huiusmodi sũt virtutes morales: quia secundum perfectam, & rectam rationem, licet non pure naturalem, ex more, idest ex frequenter sic eligere generantur. Ita in proposito supposita ista regula ex Euangelio Matth.3. Penitentiam agite, & quod peccatum est detestandum; quia Dei offensiuum, gloriæ æternæ impeditiuum, & pęnæ æternæ inductiuum, potest voluntas frequenter se illi conformare, & ex frequenti actuum conformium elicitione, generare in se habitum inclinantem ad cõsimiles actus, & ille vere erit virtus: quia rectæ rationi, immo rectissime cõsonus, est tamen moralis; quia ex more, & consuetudine generatus.

His prænotatis ad rationem respondetur negando consequentiam, & ad probationem negatur maior; non enim sequitur, hæc virtus habet regulam, ad quam homo lumine naturali pertingere non potest, sed tantum ex reuelatione, ergo non est moralis: quia quamuis talis regula nota sit ex reuelatione, tamen ipsa posita, & reuelata, est in potestate mea tali regulæ pluries me conformare, & ex tali more conformandi pluries, generatur habitus moralis.

Secundo arguitur contra quæst. argumento primo principali. Pęnitentia est reordinatiua culpæ, sed sicut in vna culpa est vna deordinatio, ita erit vna pœna per quam reordinabitur illa culpa.

In vno actu peccaminoso possunt esse duæ deformitates.

Respondetur, & primo dico, quod in vna culpa contingit interdum esse duas deformitates, sicut cõtingit in eodem actu esse duas bonitates, quarum vna elicitur ab vna virtute, & alia imperatur ab altera, ita in vna culpa, siue in eodem

actu

actu malo, possunt esse duæ malitiæ V.g. si quis furatur vt mechetur, ille actus imperatur ab intemperantia, & elicitur a furtu: atque ita est falsum vniuersaliter, quod in vnico actu sit vnica tantum deordinatio, sed esto quod ita esset, nō tamen sequitur, quod infertur, nempe vnius culpæ est vna deordinatio, ergo sibi correspondet vnica pœna: nam distinguo consequens, pęna enim potest comparari vel ad culpam, hoc est pro vt ordinatur ad culpam, vel comparari potest ad offensum, cui debet fieri satisfactio, si primo modo verum est, quod pęna ordinans peccatum secundum se potest esse vna vnius, verum secundo modo negatur consequentia, quia pęna ordinans culpam in ordine ad offensum multiplex est secundum voluntatem illius in comparatione, ad quem ordinat, patet in actibus humanis vbi pęna satisfactoria alicui offenso tanta, & tam multiplex est, quanta & quotuplex sufficit offensio pro emenda, pęnitentia autem tanquam pena subordinata iustitiæ iudicis est virtus inflictiua pęnæ correspondentis voluntati ipsius offensi, & illa est multiplex loquendo de pęnitentia, secundo modo, idest quæ habet regulam supernaturalem, vt patet ex scriptura ex qua est nobis notum, vt patet ex illis tribus authoritatibus supra allegatis, quod Deus ipse offensus plures pœnas exigit.

Tertio arguitur, secundo Argumento principali. Pęnitētia est quædam particularis iustitia, sed iustitia reddit æquale pro æquali, ergo pęnitentia reddit æquale pro æquali, sed vna pęna potest esse æqualis vni culpæ, ergo pęnitentia reddit vnicam illam pęnam pro offensa.

Respondetur quod reddere pęnam æqualem culpæ potest intelligi dupliciter, vno modo æqualem ex natura rei, & hoc modo potest reddi æquale: quia ex natura rei vni culpæ correspondet vna pęna, sed hæc pęna non esset sufficiens quo ad satisfactionem offensi, quia non esset pęnitens sufficienter punitus per illam, quia punitio debet respicere culpam in ordine ad Deum offensum, qui non vnicam, sed plures exigit pęnas, vt patet ex scripturis sacris. alio modo potest reddi æquale secundum acceptationem illius, cui redditur, & sic verum est, quod pęnitentia reddit æquale, sed illud æquale non est vna, sed plures pęnæ. Et si dicatur ergo Deus erit crudelis si punitio in se, hoc est ex natura rei sufficiens, non sit sibi sufficiens. Respondetur dupliciter, & primo negatur consequentia: quia punitio, qua punitur peccator, non fit præcise gratia puniti, nec fit punientis gratia, vt satietur, sed fit propter bonum commune, & propter bonū legislatoris, & propter bonum illorum quibus data est lex, & propter legis conseruationem, vt diximus artic. 4. primi art. principalis. 2.q. & ratio istorum tantum tollit crudelitatem. Secundo respondetur quod omnes illæ pęnæ æquiualent vni perfectæ punitioni: sæpe enim attritio insufficiens est, atque adeo requiruntur alia. Dico tamen quod aliquando potest esse tanta tristitia inflicta, quod Deus acceptabit eā pro æquali, in tantum quod remittet omnino peccatum, & quo ad culpam, & quo ad pęnam.

Quarto arguitur, tertio argumento principali. Pęnitentia est vna virtus, sed vnius virtutis vnicum est obiectum, & pęnitentia habet pro obiecto pęnam, ergo vnicam, & per consequens non infligit plures. Respondetur quod pęnitentia, est vnica virtus in genere sed non est vnica virtus in specie. Insuper dico quod pęnitentia habet plures actus: immo. pęnitentia collectiue ex tribus constatur, primo ex actu detestandi, secūdo ex proposito cauendi in futurum à peccato. tertio ex proposito confitendi cum fuerit opportunitas, & satisfaciendi, & quilibet illorum trium habet partialem pęnā, nam pęnitere, vt est actus testandi: habet tristitiam confiteri habet aliam particularem pęnam, scilicet erubescentiam, & satisfactio fit, ieiunio, oratione, & eleemosyna &c. ergo pęnitentia collectiue imperat plures pęnas, atque ita est plurium pęnarum inflictiua. & hoc est quod dicit Doct. quod actus pęnitentiæ virtutis est imperare vindictam, & primo, & immediate imperat actus causationis pęnæ, qui sunt respectu tristitiæ consideratio peccati, & illius detestatio siue nolitio, quam sequitur ipsa tristitia tamquam effectus remotus, atque ita stante vnico actu imperatiuo pęnitentiæ virtutis pęnæ multiplicari possunt, quia per vnum actum vindicandi siue imperandi punitionem, potest quia imperare omnes punitiones correspondentes secundum iustitiam, huic culpæ, & hæc de ista quæstione sufficiant.

Post hæc autem necessariū est pro exactiori, & pleniori explicatione virtutis pęnitentiæ, & eorum, quæ hucusq; ex sententia Doct. dicta sunt in præcedentibus tribus quæstionibus, aliquas difficultates examinare, atque discutere, quas sequentibus articulis explicabimus.

Primus Art. Vtrum ad remissionem peccati necessaria sit pęnitentia.

Secundus Art. Vtrum vniuersa peccata mortalia post baptismum commissa possint de lege remitti virtute pœnitētia.

Tertius Art. Vtrum pœnitentia possit, & debeat iterari.

Quartus Art. Vtrum de pęnitentia agenda aliquod sit præceptum.

Quintus Art. Vtrum hoc pęnitentia præceptū contineatur in Decalogo.

Sextus Art. Vtrum præceptum pęnitentia obliget statim post peccatum commissum.

ARTICVLVS PRIMVS.

PRo explicatione huius quæst. obser. est primo quod modo non loquimur de pęnitentia Sacramentali, quæ consistit in exteriori confessione, & absolutione peccatorum: de hac enim postea erit sermo; sed loquimur de pęnitentia interiori, quam sancti vocant pęnitentiam cordis. Quid vero sit peccatum remittere, ex superioribus constat: cum. n. post actum peccati, nihil aliud remaneat quam dignitas inimicitiæ Dei, qua homo constituitur peccator, remitti peccatum nihil aliud est, quam auferri hanc dignitatem.

Secundo obser. est quod hæc pęnitētia cordis est duplex *Pœnitentia cordis est duplex.* imperfecta videlicet, & perfecta, imperfecta dicitur attritio: non quia mala, sed quia insufficiens extra Sacramentum pęnitentiæ, ad remissionem peccati: perfecta vero pęnitentia est contritio: quia est sufficiens ad remissionem peccati cum voto confessionis &c. & de hac pœnitentia perfecta est sermo in hac quæst. Circa quam fuit error Lutheri, quem refert, & confutat Vega li. 13. super Concil. c. 17. Hic asserebat, *Andreas Vega.* vt patet in primo articulo suarum assertionum contra Bullam Leonis X. ad remissionem peccati satis esse vitam nouā absque detestatione peccatorum; immo absque recordatione vitæ prioris, sed sufficere vitæ nouæ inchoationem, deserendo vitia, & amplectendo virtutes. Probatque suam sentētiam ex illo ad Gal. 5. & 6. In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium sed noua creatura, ergo sola noua vita est, quæ sola valet in Christo Iesu, vnde, & iā in prouerbium abijt, optima pęnitentia noua vita, & confirmatur, quia D. Paulus in sua conuersione non legitur meminisse vitæ prioris, sed solum interrogasse Christum quid nā deinceps a se fieri vellet.

Secundo quia Matth. 19. dicitur. Si vis ad vitam ingredi serua mandata, sed nullum est mandatum in toto decalogo, quod nobis præcipiat vitæ prioris recordationem, seu detestationem, ergo ad remissionem peccati satis est noua vita ambulans per viam mandatorum Dei.

Tertio arguitur, ex significatione huius nominis pœnitentia, nam verbum quod in Græco Textu loco huius quod est, pœnitentiam agite. Matth. 3. est Metanœte, & pęnitentia græce metanœa appellatur, quod nihil aliud significat, quā resipiscentia, sicut metanæte resipiscite, ex quo colligitur, quod ad veram pœnitentiam nihil aliud requiritur, nisi resipiscentia, vel mentis mutatio, sed id fit nouam vitam inchoādo, etiam si præteritam non detestemur, ergo ad remissionem peccatorum satis est noua vita.

Inter Catholicos etiam sunt de hac re variæ sententiæ. *D.Thom.* Prima, est D. Thom. 3. par. q. 86. art. 2. affirmantis vsq; adeo esse necessariam peccatorum displicentiam, vt affirmet prout ab eius Discipulis exponitur, Deum non posse secundum suam omnipotentiam remittere alicui peccatum nisi mediāte detestatione suorum peccatorum, & hæc sententia vt clarius nobis constet clauditur vnica diuisione, & gemina conclusione. Diuisio est, aut pęnitentia sumitur pro Sacramento nouæ legis, aut pro virtute tantum, nullo habitu respectu ad Sacramentum.

Prima conclusio non solum de lege, sed etiam de potentia Dei absoluta nequit peccatum remitti absque pęnitentia, quæ est virtus; probatur conclusio prænotando quod hoc interest inter Deum, & nos, quod nos ideo amamus alium: quia æstimamus eum bonum; Deus autem amando alium

non

non præsupponit eum bonum, sed facit eum bonum: quia Deum amare aliquem nihil aliud est, quam dare ei suam gratiam, per quam ex malo efficiatur bonus, quo supposito sic arguitur. Si homo est bonus statim auertit se ab amore creaturarum, & conuertit se in Deum, sed nequit in Deum conuerti, nisi semel eum pœniteat veteris vitæ, ergo de primo ad vltimum nequit remitti peccatum nisi virtute pęnitē: patet minor, quia cum primum aliquis conuertitur in Deum statim pęnitet eum recessisse à Deo, nec aliud est intelligibile.

Secunda conclusio, licet de lege peccatum nequeat remitti absque sacramento pęnitentiæ in re, vel in voto post euangelium promulgatum, potest tamen remitti de potētia Dei absoluta, patet quia omnipotens Deus non est alligatus Sacramentis, hactenus Diuus Thomas.

Ricardus. Scotus. Secunda sententia est Ric. in 4. dist. 15. art. 1. q. 7 affirmantis peccatum posse remitti de potentia Dei absoluta absque virtute pęnitentiæ, & eamdem sententiam docet Doctor. Nost. Sub supra hac d. q. 1. §. ex his ad solutionem quæstionis sub lit. V. & d. 15. q. 1. art. 3. sub lit. F. & *Adrianus. Ocham. Gabriel. Medina.* Adrianus quol. 7. q. 4. Och. in 4. q. 8. dub. 2. lit. N. & q. 9. lit. E. Gab. d. 14. q. 1. ar. 1. & art. 2. q. 6. & Medina cod. de pęnitentia tract. 1. q. 7. & 12. Pro explicatione quo opus est (vt excutiamus certa ab incertis) quod ad remissionem peccati requiritur cōmuniter duplex motus lib. arb. nempe in Deum, & in peccatū commissum, diuersimode tamen, quia in Deum amando ipsum, & in peccatum ipsum detestando, hoc docet Trid. Synodus sess. 6. c. 14. & optime probat D. Thomas. 1. 2. q. 113. ab arbitr. 3. vsq; *D. Thomas.* ad quintum, & patet primo ex illo ps. ego dixi confitebor aduersum me, &c. & ratione sic probatur, Deum iustificare impium est mouere ipsum a statu peccati ad statum iustitiæ. peccatorem autem mouere a peccato ad gratiam non est motus localis, sed voluntatis mouentis se ab amore creaturę ad amorem creatoris, hoc autem nequit fieri nisi detestando inordinatum amorem creaturarum, cui hactenus adhæsit, ergo ad remissionem peccatorū necessaria est huiusmodi de- *Innocentius* testatio, secundo probatur a priori per Innocentiū in c. Maiores. de baptismo, vbi text. cōstituit discrimen inter originale, & actuale, quo ad remissionē vtriusq; originale. n. quia contrahitur sine voluntate propria, sed per alienam .s. protoparentis, ita absq. operatione propria remittitur paruulis per baptismū, at vero actuale quia causatur per voluntatem propriam nequit deleri nisi per aliquem actum eiusdem voluntatis contrarium peccato, & ratio est, quia nihil est tam naturale, quam vt per quacumque causas aliquid nascitur per easdem dissoluatur.

Hoc supposito sit prima conclusio contra Lutherum, ad remissionē cuiuscumq. peccati mortalis personalis necessaria est pęnitentia, & detestatio illius peccati, dicitur aūt in cōcl. personalis: quia ad remissionē peccati naturæ, quod non ex propria, sed aliena volūtate contraximus, nō est necessarius proprius actus, sed sicut peccatū voluntatis capitis naturæ, Adæ, cuius mēbra efficimur in generatione carnali, in ipsā generatione cōtrahimus: ita illud peccatū nobis remittitur per meritum Christi capitis nostri, cuius mēbra efficimur, dum regeneramur supernaturaliter in baptismo. Conclusio autem manifeste probatur ex illo Lucæ, 13. Nisi pęnitentiā egeritis oēs simul peribitis in quibus verbis expresse Christus Dn̄s dicit pęnitentiam esse necessariā. At Lutherus huic & alijs scripturę locis respondet, dicens se ingenue fateri pęnitentiā esse necessariā, sed noīe pęnitentiæ dicit nihil aliud esse intelligendum præter vitam nouam. Ideo oportet cōtra ipsum probare, quod nomine pęnitentiæ in diuina Scriptura non tantum includatur noua vita, sed ēt detestatio veteris vitæ, & primo quidem hoc significat ipsum nomen pęnitentiæ, nisi manifeste sua significatione exuatur. Pęnitere. n. idē est, quod pęnā tenere, vt visum est in superioribus, sed pęnā non tenemus propter vitā nouā, quæ bona est, sed propter veterē, quæ mala fuit: pęna. n. nō nascitur nisi ex malo nolito, vt dictū est supra. Itē Ezechiel. 18. dicit Dominus, si impius egerit pęnitentiam ab omnib. peccatis suis, & custodierit præcepta mea, vita viuet, & non morietur; vbi Dominus asserit necessariam esse pęnitentiam de peccatis. Et Iohel 2. dicitur conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio fletu, & planctu, amaritudo autē fletus, & planctus non est de vita noua, sed de peccatis præteritis. Et Apoc. secūdo dicitur. Memento vnde excideris, & pęnitentiam age, & prima opera fac, vbi præcipitur, & recordatio vitæ pręteritæ, & casus, & de illo casu agere pęnitentiam. Item Dauid Propheta 2. Reg. 12. dixit peccaui &c. & Ps. 50. Miserere mei Deus &c. & subdit quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Idem docuit nos Dominus in parabola de filio Prodigo, & princeps Apostolorum Petrus, qui post trinam negationem, non nisi amare flendo placauit Deum & Lucæ 18. recēsetur historia publicani, qui percutiendo pectus, & præ nimio dolore non leuans oculos suos in cęlum iustificatus est. Videte Castrū contra hæreses *Alphonsus à Castro Andreas Vega.* verbo contritio, & Vega loco supra citato, his & aliis authoritatibus optime Lutheri impietatem retundentes. Quæ im- *Conc. Trid.* pietas, atq; hæresis damnata est in Cōc. Trid. sess. 14. c. 4. Vbi postquā Conc. definiet at cōtritionē esse necessariā ad remissionem peccati his verbis. Contritio animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cętero, fuit aūt quouis tempore ad impetrandam veniā peccatorum; hic contritionis modus necessarius, etiā postea subdit hæc verba, declarat igitur sancta Synodus non solum cessationē a peccatis, & vitæ nouæ propositum, & inchoationē, sed ēt veteris odiū continere, iuxta illud, proijcite à vobis iniquitates vestras, & facite vobis cor nouū, & spiritū nouum.

Proijcere aūt a vobis iniquitates vestras, non possumus secundū localem distantiam, ergo proijciendæ sunt secundū detestationem voluntatis illas detestantis, & vltra oportet facere vobis cor nouū, & spiritum nouū & addet Conciliū. Et certe qui illos clamores sanctorum considerauerit. Tibi soli peccaui, etiam laboraui in gemitu meo, ēt & Recogitabo tibi oēs annos meos in amaritudine aīæ meæ, facile intelliget eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & peccatorū ingēti detestatione emanasse. hactenus Conciliū.

Secūda conclusio, Nequit Adultus, qui tōne vtitur de lege cōsequi remissionē peccatorum, quorū recordatur absq; actuali detestatione, patet Luc. 13 Nisi pęnitētiam egeritis, ēt secundo probatur ex supposito fundamento, vbi probatū est geminum motum liberi arbitrij requiri ad iustificationē nimirum in Deum, & in peccatum, illum amando, hoc autē detestando. & diximus notanter in conclusione quorum recordatur, q̄ de peccato oblito infra specialis erit sermo.

Tertia Conclusio, nequit homo ēt de potentia Dei absoluta remissionem obtinere peccati mortalis, cuius actualiter cōplacet, probatur, quia esse peccatorem est esse dignum æternæ damnationis, i. pęnæ sensus, & pęnæ damni, & per consequens restitui ad statum gratiæ est dignum effici æternę beatitudinis, sed hominem esse simul dignū & indignū diuinæ visionis conuersum, & auersum, manifestam inuoluit contradictionem. ergo conclusio vera.

Quarta conclusio. Si aliquis non cōplaceat actualiter peccati cuius recordatur, bene poterit de potentia Dei absoluta illius remissionem obtinere sine pęnitentia per solam nouę vitę inchoationē, hanc conclusionē sic probat Ric. Deus pōt *Ricardus.* remittere peccata mediante pęnitētia, ergo poterit sine illa, patet consequentia quia quid pōt Deus facere cum causa secunda pōt se solo præstare ergo &c. sed adhuc efficacius probatur conclusio, non implicat contradictionem Deū dispensare cum aliquo peccatore, vt non teneatur ad pęnitentiā, sed tantum ad nouæ vitæ inchoationē, & ad dilectionē Dei super omnia: nam cum sint duo actus distincti, dilectio Dei, & detestatio peccati, quibus homo iustificatur, poterit Deus obligare hominem ad primum, & non ad secundum. Et cōfirmatur, quia quamuis impossibile sit aliquem simul diligere Deum, & cōplacere actualiter in peccato, tamen non est impossibile ex diuina dispensatione aliquem diligere Deū, & actualem complacentiam, vel displicentiam peccatorum nō habere: sed apud Deum non est impossibile omne verbum, idest id quod est factibile apud Deum non est impossibile, ergo &c. Præterea, si de lege per solam dilectionem Dei super omnia, quando homo non recordatur peccatorum consequitur illorum remissionem, vt tenet ipsemet Soto contra *Sotus.* quem est hæc 4. conclusio dist. 15. q. 1. art. 2. Quare non poterit Deus per suam omnipotentiam efficere, vt etiam si homo recordetur ad eorum detestationem non teneatur, sed ad solam dilectionem Dei super omnia.

Ad argumenta Lutheri Respondetur, & ad primum dicitur primum quidem valere nouam vitam per gratiam, hæc tamen noua vita sine pœnitentia veteris esse non potest vt constat ex dictis, ad illud autem quod adducitur de Pauli conuersione, respondetur quod licet ibi non legatur pœnitētia D. Pauli de vita ante acta, certo tamen credendum esse illum

lum prioris vitæ penituisse, imo ex loco illo Actorum 9. vbi agitur de conuersione D.Pauli colligitur illum vitæ prioris recordatum fuisse & pœnituisse. Cum.n. à Christo Dño audisset. Ego sum Iesus, quem tu persequeris. Paulus tremens, ac stupens dixit, Dñe quid vis me facere? Timebat aũt qa recordabatur iniuriarũ cõmissarum in Christũ, quẽ p eiꝰ membra persequebatur. Vnde Oecumenius in illa verba historię conuersionis illius *Oecumen.* quib. dr. & erat triduo non videns, & non comedit neque bibit, interrogat q ob causam non comedit neque bibit? Respondetq; qm̃ seipsum mirum in modũ pęna dignũ iudicabat ob Ecclesiæ persecutionẽ tristisq. Deum deprecabatur, vt sibi remitteret. Hæc Oecumenius & clarius D. Chrisost. *Chrisostom* hom. 19. in eadẽ verba. sic.n. ait quare non comedit neque bibit. Respõdet cõpũgebat se pp ea, q̃ fecerat, confitebatur, p̃cabatur, orabat Deum, & inferius in eadem hom. dicit sicut Medicus optimus febre adhuc feruẽte, auxilium sibi attulit Christus, & comprehensurus tunc potissimum concidit, & seipsum condemnauit, quod grauia attentarit. hæc Chrisost.

Ad secundum respondetur negando minorem, est enim de pęnitentia præceptum vt art. 4. ostendemus.

Ad tertium respondetur quod metantea non solum significat cessare à peccatis, & nouã vitã inchoare, sed ẽt cum hoc *D. August* præterita detestari. Verum est.n. illud D. Aug. in lib. de vtilitate pniæ c. 1. Neminem inchoare vitam, quẽ veteris nõ pęnituerit, fieri.n. non põt vt aliquis proponat deinceps vitam bonã agere, cui ante male acta vita non displicuerit. Vnde q̃ latini pniam, eam Græci vocant metantea, quæ latine dici pt *Tertulliam.* mentis mutatio siue resipiscentia, ipso ẽt Tertulliano teste li. 2. contra Marcionẽ scribit in græco sono pniæ nomen nõ ex delicti consentione, sed ex aiæ mutatione compositum est, animi aũt demutatio esse non põt vbi quæ prius placuerũt, ea deinceps non displicent. Ideo & cõis ipse sensus indicat ad nouam vitam inchoandam opus esse detestatione vitæ prioris, sic Hier. 31. postquã cõuertisti me, egi pniam, & postquã *D.Hieron.* ostendisti mihi, percussi fęmur meũ. In quæ verba D. Hier. dolentis inquit, & plangentis & super errore pristino plorãtis indiciũ est, vt fęmur manu percutiat, & stultũ se ante fuisse fateatur, dolor itaque comes indiuiduus est resipiscentiæ.

Quod elegantissime, vt pleraque oia Lactantius Firmia- *Lactantius.* nus lib. 6. diuinarum institutionũ c. 24. ostẽdit dicẽs: is.n. quẽ facti sui pęnitet errorẽ suũ pristinũ intelligit, ideoque græci melius, & significantius metantea dicunt, quã nos latine possumus resipiscentiam dicere: resipiscit.n. ac mentem suam, quasi ab insania recipit, quem errati piget, castigatq; seipsũ dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius viuendũ, tum illud ipsum maxime cauet, ne rursus in eosdem la- *Ausonius Poeta.* queos inducatur. hæc Lactantius, quib. quid expressius ad suis telis configendum Lutherum dici potuit. Idemq; confirmatur ex illo vulgato Ausonij Poetæ in epigrãmate de occasione & pniã, introducens penitentiam sic alloquentem dicit sum Dea, cui nomen, nec Cicero ipse dedit. Sum Dea quę facti non factiq; exigo pęnas, nempe vt pęniteat sic metantea vocor, eam vero Ausonius occasioni comitem adiunxit vt ostenderet pęnitentiam subsequi eos, qui temporis opportunitate quæ breui præteruolat vti nescierunt, vel noluerũt. Nõ igitur siue latine penitentia, siue græce metantea, nouã solummodo vitam, sed & veteris odium vindictamque significat, vt apertissime constat ex superioribus, ex quibus satis confutata manet hæresis Lutheri.

Ad argumentum, quo probatur prima concl. D. Tho. vel qua dr esse D. Thomæ (nã multi Thomistarũ tum in tertia parte in loco supra citato tum. 2.2. qu. 113. art. 2. aliter exponunt D. Th. quã Sotus loco supra citato) respõdetur optime probare, quod implicat Deum infundere gratiam, vel diligere complacentem actualiter in peccato, nihil autem probat contra Doctorem, & Ric. vt ex supradictis patet.

ARTICVLVS II.

Vtrum vniuersa peccata mortalia post baptismum commissa possint de lege remitti virtute pœnitentiæ.

SEnsus non est verum per pniam deleantur peccata; hoc.n. ex dictis in secunda q̃stione Doct. satis liquido cõstat, sed q̃stio hęc est de sensu vniuersali, an, s. oĩa remittantur peccata ita vt nullũ sit peccatũ, quod pęnitentia nequeat auferre.

Alex. de Ales Circa hanc quæstionem post Alex. de Ales 4. par. q. 14. in *D. Thomas.* 5. art. 3. D. Thom. 3. p. q. 86. art. 1. & D. Bonauent. in 4. d. 14. p. *D. Bonau* 2. art. 1. q. 3. vidẽdus est Castro cõtra hæreses li. 12. verbo pec- *Alphonsus à Castro.* catum hæresi 6. & præ omnibus elegantissime hoc disputat *Andr. Vega.* noster Vega super Concil Trid. li. 13. a c. 1. vsq; ad 13. vbi sex

enumerat errores, qui sequentibus quinq; comprehẽdũtur.

Primus error fuit Nouati à quo Nouatiani appellati sunt, qui affirmabat peccata remissa post baptismũ (vt ex Cypria- *Cyprianus.* no lib. 1. epist. 1. & lib. 2. epist. 2. Eusebio lib. 6. Ecclesiasticę hi- *Eusebius.* storiæ c. 33. & Hieron. in quadam epist. ad Marcellam) esse *Hieronym.* omnino irremissibilia, ita quod pęnitentia huiusmodi peccatoribus suffragari nequeat.

Secundus error fuit Armachani li. 9. de quæstionib. Armenorum c. 27. affirmantis esse aliquos in via vsq. adeo obstinatos in malitia, vt secundum legem communem penitere non possunt, sicut Apostoli in gratia confirmati secũdum legem non poterant peccare mortaliter. In quo errore fuit quidam Origenes antiquus, vt refert Athanasius, & Theognostus quidam fuit etiam in eo errore D. Aug. eo tempore, quo sermones scripsit in sermonem Domini in monte, sed cantauit eius erroris palinodiam lib. 1. Retract.

Tertius error fuit quorũdam Iudæorum affirmantium tertium peccatum post acceptam gratiam esse remissibile, non tñ quartũ iuxta illud Amos. 1. & 2. super tribus sceleribus Damasci, & Moab exaudiam eos, & super quartum non conuertar ad eos.

Quartus error est quorundã dicentiũ esse certũ numerũ peccatorum quẽ, qui tetigerit de lege cõi est irreparabilis, neque veniã assequi potest, tametsi cursum huius vitæ nõ concluserit, nisi ex priuilegio super excellentis miĩa diuinæ.

Vltimus & deterior est impij Lutheri affirmantis oĩa opera nostra esse peccata volente & consentiente Deo, tñ nõ imputantur ad pęnam præter vnum peccatum infidelitatis.

Pro explicatione quæst. & his erroribus sibi eniter confutãdis sunt aliqua obseruanda, primo obs. ex D. Th. 1.2. q. 97 ar. *D. Thomas.* 3. aliquos esse peccatores ita obstinatos in malo, vt eorum pęnitentia quamuis non sit impossibilis, est tamen difficillima, quod prouenit primo ex parte peccatoris, & secundo ex parte ipsius Dei. Difficultas autem ad pęnitendum ex parte peccatoris proficiscitur aliquando ex diuturna peccandi consuetudine, ita vt propter consuetudinem delinquendi grauissima quæq; peccata vel nulla, vel parua videantur. Insuper cõsuetudo peccandi efficit, vt peccatores sint velut agentia naturalia, de quib. dicitur Hier. 13. si põt Aethyops mutare pellẽ suam, & Pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum. & prouerb. 18. Peccator cum in profundum malorum deuenerit contemnet, s. peccare: quia flagitia præ nimia peccandi consuetudine, vel nulla, vel pauca videntur: tunc enim nõ erubescũt homines peccare, prout Hie. 3. dicitur frons Meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, ecce rationem difficillime pęnitendi ex parte peccatoris, scilicet consuetudo peccandi.

Alia est ex parte ipsius Dei iuste punientis peccatores de negando plerumque auxilia specialia ad pęnitẽdum. Et de vtraq. difficultate loquitur Apostolus Actorum 13 Cum vifa iudęorum perfidia dixit. vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes, ecce quomodo propter perfidiam, & impęnitens cor iudæorum subtraxit illis Deus prædicationem, & alia necessaria auxilia ad pęnitendum. Sed dices ergo istis non imputabitur impęnitentia? siquidem nemo peccat in his quæ vitare non potest. Respondetur quod peccat non pęnitendo, quia ipse fuit causa vt destitueretur a Deo. Vnde omnibus quantumcumque peccatoribus est consulendum, vt se exerceãt in bonis operibus moralibus elargiendo eleemosynas, etiam vt consuluit Daniel c. 4. Nabucodonosor, dicens. Crede mihi Rex, peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis. hæc enim bona temporalia facta in peccato mortali, esto quod non sunt meritoria, sunt tñ impetratoria auxilij diuini ad pęnitendũ.

Secundo obs. est pro explicatione multorũ sacræ scripturę testimoniorũ, quibus prædicti hæretici solent veritatẽ hu- *Testimonia scriptura q̃ pęnitentiam peccatoribus negare vidẽtur quomodo sint interpretanda.* ius quæstionis inficiare, quod prędicta Sacræ Scripturæ testimonia insinuantia aliqua peccata non esse remittenda, sunt intelligenda vna ex quinque vijs, quas omnes, & maxime verbi Dei concionatores præ oculis habere oportet.

Prima via seu explicatio est, quod nõ sunt huiusmodi peccata remittẽda solum quo ad pęnam temporalem huiusmodi interpretationem patiũtur illa verba Amos. 1. & 2. super tribus sceleribus &c. hæc enim comminatio prout intelligitur ex textu est intelligenda ad hũc sensum, quod si illi populi non abstinuerint à persequutione populi Israelitici, qđ

propter tres persecutiones non punientur propter quartam comminatur illis Deus pœnam temporalem, s. mortem, & subuersionem ciuitatis, eundem patiuntur sensum illa verba Gen. Non dum sunt completæ iniquitates Amorrheorū, s. vt destruat illos Deus temporaliter.

Secunda via explicandi prædicta testimonia est de subtractione auxilij sufficiētis ad pœnitendū, iuxta hūc sensum explicāda sunt illa verba, indurauit Deus cor Pharaonis, & talis induratio non est subtractio oīs auxilij specialis, cōplurima enim auxilia fuerunt collata diuinitus Pharaoni, vt constat, sed indurare, est subtrahere auxilium necessarium, vel concomitans, quod numquam frustratur, ad pœnitendum.

Tertia via ad explicandas alias authoritates, quib. dr̄ quorundam peccata non esse remittenda, est quod sunt intelligēde de sensu prophetico, vaticinantur. n. sæpe prophetæ aliquorū peccatorū non esse remittenda, quia ipsi peccatores numq̄ condignā agent pniam, non tñ quia nequeant agere: huiusmodi fuit peccatū Iudęorū crucifigentiū Christū, de quo Hier. vaticinatur c. 17. quod numq̄ erat remittendū dicens. Peccatum Iuda esse scriptū stilo ferreo, & vnguine adamantino, hoc est nunq̄ delendū, non tñ inde sequitur, qd non potuerint pœnitere, quia prophetia mali futuri non tollit liberum arbitrium, sed tm̄ quod sit futurum pdicit. Vnde non fuerunt rebelles quia propheta prædixit, sed è conuerso propheta prædixit, quia præuisā illi fuit ex prophetia.

Quarta via est quod aliqn̄ dicit scriptura aliquod peccatū nō posse remitti, quia difficile remittitur. Impossibile. n. idē aliqn̄ est, quod difficile, vt patet ex 5. Meth. & ex 1. de Cęlo, & Mundo, sic interpretari oportet illud 2. Reg. 3 si peccaue sit vir i virū placere poterit sī āt peccauerit ī Deū, qs orabit pro eo? ac si dicat difficulter de his homines agunt pniam.

Quinta via est frequentior, & est quod multoties Deus cominatur irremissionē peccatorū, vel subtractionē auxilij ad pœnitendū, & hoc non absolute, sed sub conditione, si illi nō resipuerint, atq; ita sunt plura testimonia intelligenda, vt illud Hierem. 14. Noli orare pro populo isto, & c. 15. dr̄. si Moyses, & Samuel steterint coram me non erit aīa mea ad Populū istū, & statim Hieremias orauit, & dixit illi Deus, si conuerteris conuertam te, & ante faciem meā stabis, similiter dicitur 1. Reg. 15. Vt quid tu luges pro Saule, cum ego proiecerim eum, intellige comminatiuē, & sub conditione, hoc est si nō pœnituerit. Vnde multi affirmant Saulem pœnituisse, & saluū esse. Vide ad hoc Nicolaum de Lyra 1. Reg. c. 31. sic dixit Ionas Niniuitis adhuc 40. dies Niniue subuertetur, & de facto tunc non fuit subuersa; quia pœnituerunt.

Nicolaus de Lyra.

Tertio obst. quod aliud est peccatum esse irremissibile, aliud vero quod nūquā remittetur, irremissibile dicitur ex eo, quod nullum sit institutum remedium, quo possit remitti, peccatum vero quod numquam remittetur de facto est: quia peccator de eo nunquam dignam agit pœnitentiam.

Prima concl. peccata damnatorum sunt irremissibilia, pater q̄a nullū est institutum remediū vt possint remitti: in eo dictum est. In inferno nulla est redēptio, & insuper superbia eorū ascēdit semper, adeo sunt obstinati, vt nulla culpa qua tenus Dei offensi, est possit illis displicere. contra arguitur authoritate Ioannis Damasc. in sermone de defunctoiū arbitratis animā Traiani, precibus D. Greg. liberatam fuisse ab inferis, quē sequitur D. Thom. 4. d. 45. & alij complurimi, quos refert author Bibliotecæ Patrū... Respondetur complurimos hanc negare historiam, sed licet concedatur non agit contra nostram conclusionē, quia est intelligenda de lege, non autē de potentia Dei absoluta: non n. ampliter (vt aliqui in hac q̄stione improbabiliter dixere) Deum educere Iudā de inferno ad locum pœnitentiæ, &c.

Damascen.

Thomas.

Secunda concl. Multa sunt peccata viatorum quæ numq̄ in hoc seculo, nec in futuro remittentur, vt peccatum Esau de quo ad Heb. 11. dr̄ Esau non inuenit pniæ locum quamquam eum lachrymis exquisisset eam. Vt peccatū Antiochi de quo 2. Machab. 9. dicitur. Orabat scelestus Dominum, à quo non erat miam consecuturus. Hi pœnitebant non propter Deum offensum, sed quia puniebantur propter scelera sua, non autem hinc sequitur peccata istorum esse irremissibilia, quia si oretāt ingtie ą pniere, & si pœnituissent sicut Dauid, Manasses, & alij grauissimi peccatores, cōcederetur eis venia. sed multa sūt ... legē possibilia quę tñ numquā fient.

Tertia conclusio, Nullum est viatoris peccatum irremissibile, patet, quia non est dabile peccatum in via, de quo non possit homo pœnitere, aut contra quod nō sit institutū remedium pniæ sufficiētissimū, vide Vegam vbi sup. c. 2. vsq; ad f. primū, & Sotū d. 15. q. 1. art. 1. & probatur euidentius cōcl. in sequenti articulo. Sed contra hanc conclusionem videtur pugnare verba dñi. Math. 12. vbi dicitur. Quicumq; dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritū sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc seculo, neq. in futuro, & loquitur Dñs de peccato viatoris, vt cōstat, ergo aliquod est peccatum irremissibile, et viatoribus.

Vega.
Sotus.

Pro solutione huius argumenti duo peragēda sunt, primū inuestigare quid sit peccatum in Spiritum sanctū, & alterū explicare, quō, nec in hoc seculo neq. in futuro remittetur. Circa primum complurimas refert sētias noster Vega vbi supra, prima docet, omne peccatū post baptismū cōmissum esse in Spiritum sanctum, secunda apostasiam a fide, tertia obstinationem, & obdurationem mentis, quarta peccatum cōmissum ex malitia, quinta finalem impœnitentiā, sed quia ex antecedentibus, & sequentib. inuestigandus est verus sensus scripturæ, manifestissime constat, prædicta oīa gratis esse dicta, cū. n. āt prædicto tex. quod erat Iesus eijciens demonia, &c. cęteris aūt præ rei magnitudine mirantibus. dixerūt Pharisei in principe Demoniorum eijcit iste demonia. aduersus quos argumentatur Christus, & finitis argumentis ait. Qui blasphemauerit in Spiritum sanctum &c. Si ergo ex præcedentib. colligitur sensus scripturæ. sequitur quod hic vocat Dñs peccatū in Spiritum sanctum blasphemia Phariseorum tribuentium miracula virtuti demonis, quæ fiebant virtute Spiritus sancti. Et clarius hoc colligitur Marci 3. vbi recensetur eadem historia, & dr̄, qui peccauerit in Spiritum sanctū non habebit remissionem in æternum, sed reus erit æterni delicti, quoniam dicebat spiritum immundum hēt, ecce quō manifestissime ait Marcus quod peccatum in Spiritum sanctum numquam remittendum est, quod est tribuere virtuti diaboli miracula Christi, facta virtute Spiritus sancti.

Quid sit peccatum in Spiritū Sanctū

Hāc sñiam docent beatissimi Patres Hylarius Athanasius, Ambrosius, & Chrisostomus, quos refert, & sequitur Vega vbi supra. Et qd Dñs distixit inter verbū cōtra filiū hominis, & contra Spiritū sanctū aduerte geminū fuisse Phariseorū & scribarū peccatum. Hi. n. quia cœpit Dominus eorū vitia reprehendere conceperūt odiū, & inuidiā contra ipsum, & ex tunc inceperunt in malū oīa opera eius interpretare, & primo vocauerunt eū voracem, potatorē vini, & peccatorū, & publicanorū amicū. ecce primū eorū peccatum. Postea cognouerunt iā ex sacris eorū codicibus, iā ex vrgentib. coniecturis ipsū esse Christū, & tandē diuinis constauit signis verū & naturalē D. ū esse, atq. adeo inuidia, atq. odio moti, in hanc blasphemiā proruperunt, vt dicerent eū habere Belzebub, & in eius virtute, & potētia edere magnifica, quæ fiebāt miracula: quæ nullo modo, nisi diuina virtute fieri poterāt. Et licet primum horum graue esset peccatum. erat tamē tm̄ blasphemia contra sanctam Christi humanitatem secūdū quā fuit incomparabiliter grauius numq̄ expiandum: quia erat cōtra eius diuinitatē, & nō ex passione, aut ira, & ignorāter, sed ex solo mentis, & voluntatis impulsu agnitam veritatem impugnābant, & de hoc peccato ait Dominus. Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum &c. n. Spiritū sanctū intq̄ non vt est tertia persona in Trinitate (vt existimo, sed vt est nomen essentiale diuinitati conueniens, hactenus de primo.

Hylarius. Athanasius Ambrosius. Chrisostom.

Quo ad secundum quō peccatum in Spiritum sanctū non sit remittendum, nec in hoc, nec in futuro. Respondeo relictis opinionib. quas refert idē Vega, vbi supra, quod dr̄ peccatū hoc non remittendū, non quod dimitti nō possit ex parte Dei, & ex mia eius, q̄ est super oīa opera eius, vel q̄d homo non possit dolere, vel pœnitere de tali blasphemia, cum flexibilis sit eius voluntas ad vtrumq;, & non qualis est demoniorum, aut damnatorum hominum, sed ideo non dimittendū dicit huiusmodi peccatum: quia præuidit duritiā cordis blasphemantium, & subtractionem diuini auxilij specialis, & super excellentis ad talem pniam necessarij. nec ex hac loquendi forma nō dimittetur in hoc seculo, neq. in futuro, maius argumentū insurgit pro hac maiori quæst. ex dictis prophetarum vaticinantium peccatum Iudęorū numquam expiandum propter eorum pertinaciam.

Peccatū in S. ritu sanctū quomodo dicatur irremissibile

Quod aūt prædictum peccatum in spiritum sanctū remissibile sit in sensu nostræ tertiæ cōclusionis insinuat ipse Dñs quibusdā valde notandis verbis, quorū meminit D. Lucas c. 11. eādem narrans historiā. Inquit ergo Dns. Porro si in digito Dei eijcio Demonia, pfecto peruenit in vos Regnū Dei, illa cōditionalis si, quid insinuat, cū plusq̄ certū sit in digito Dei

Dei ipsum ejecisse demonium non quidē gratis, sed magno cum misterio dictum est, si in digito Dei &c. & deinde promittit regnū Dei, est. n. ac si diceret, si vos credetis quod in virtute Dei ejicio demones peruenit, nō regnū Dei, sed in vos, i. ad vestram salutē, non. n. pendebat ex fide istorū, quia crederent, quod in Dei virtute ejiceret demones quod advenisset iam regnum Dei vtrumq; n. absq; eorum fide absolute erat verū, & certum, ideo dixit venit in vos, & non absolute venit regnum Dei: ecce quō inter seuerissima comminationis verba cternæ damnationis, repromisit verbū per fidē, q̄ per dilectionem operatur: illis blasphemantib. contra Spiritū sanctum. Manifestū est ergo qđ huiusmodi blasphemia in Spiritum sanctum non sit irremissibilis, & per consequēs nullum est peccatum, quod dimitti non possit per pęnitentiā. Cętera argumenta quæ adduci possunt contra hanc veritatem omnia solui possunt per secundum fundamentum.

ARTICVLVS III.

Vtrum Pęnitentia possit & debeat iterari.

SEnsus tituli est, an post peractā semel pniam, & peccatū remissū, si iterum homo in peccatum ruat, possit iterum virtute pęnitentiæ obtinere peccati remissionem. Tractant de hac re Alex de Ales 4. p. q. 14. m. 5. art... D. Tho. 3. p. q. 86. artic. 10. & D. Bonau. in 4. dist. 14. par. 2. artic. 1. quæst. 3.

Alex. de Ales. D. Thom. D. Bonau. Heresis Mōtani D. Hieron.

Circa hanc quæstionē gemina est heresis. Prima est Mōtani, vt docet D. Hier. li. 2. cōtra Iouinianū, quē secutus est postea Nouatus Presbyter à quo Nouatiani appellati sūt eius discipuli. Hi asserunt post baptismū nemini relinqui pniæ locus. Error iste ex alio pullulabat, existimabant. n. hæretici isti gratiā, q̄ recipitur in baptismo, vel in pniæ Sacramento, esse indeperdibilē, decepti illis D. Pauli verbis ad Heb. 6. vbi legitur. Impossibile est eos qui semel sūt illuminati, & gustauerūt cęleste donū, & participes facti sunt Spūs sancti, & ꝓlapsi sunt, renouari rursus ad pniam. Et confirmari pōt multiplicitet, & primo sic Prou. 28. Qui peruersis graditur viis cōcidet semel. Secūdo D. Amb. in lib. de pnia dicit, quod vnica est pnia sicut vnicū baptismū, itē eodē libro, Præteriti nos sēper det pęnitere peccati: sed hoc delictorū leuiorū, quib. verbis innuere vr̄, qđ non sit frequens pnia indulta grauiū peccatorum. Et infra non quoties peccat quis committendo gratia toties &c. & subdit, Reperiuntur qui sæpius pniam agēdā putant, qui luxuriantur in Christo, nā si vere in Christo pniam agerent iterandā postea non putarent. Itē quidē arguebāt vt refert D. Aug. lib. de pnia p simile ex factis Dni sic. Quē bis illuminauit. Quē leprosum bis mundauit? Quē mortuū bis suscitauit? non Lazarum quem dilexit. non filiū Viduæ, quem misertum matri reddidit. Non filium dissipatore legitur bis recepisse, non filiam Abrahæ bis a demonio liberasse: in nulla persona iterauit factum, docens (vt aiunt) non sæpe à Domino fieri remedium.

D. Ambros. D. August.

Secunda hæresis est quorumdam antiquorū vt refert D. Aug. in libro de pnia asserentiū post baptismum semel bene posse a peccato resurgere aliquē per pęnitentiam, non tamen amplius, quod confirmant ex facto Christi Domini, vt dictum est supra, & istorum dementiæ fundamentum est existimare, quod peccatum commissum post actam pęnitentiam non esset possibile à Deo remitti.

Pro solutione huius quæstionis obs. est primo, vt notat Alex. de Ales 4. p. q. 14. m. 5. art. 1. quod aliqui ita errauerunt circa pniam, sicut circa charitatem, quod habens semel verā charitatē, numquā perdit eā, similiter, & habens verā pniam numquam eam perdit, & ratio q̄ istos decipit, fuit hoc verbū verū, existimantes illud solummodo esse verū, quod a fine non deficit, vera ergo charitas, & vera pnia erunt, quæ numquā à fine deficiunt, atq. adeo charitas, & pnia, quæ à fine deficiunt veræ non erant. Non attendentes, quod ex eo virtus dicitur vera, vel quia hēt verum virtutis opus, vel nata est hēre quantum est de se, quæ veritas est de essentia virtutis, vel quia perducit in finem, quæ veritas non est virtutis essētialis, sed dicit virtutis statū, seu cōtinuationē. Pęnitentia itaque vera secundum priorem veritatem est, quæ verum virtutis opus habet, quod opus, est malum commissum detestari, & pro illo tempore nullum committere, & de futuro proponere non cōmittere, & ab omnib. his pōt homo cadere, atq; ita a pnia vera veritate primo modo dicta. Pęnitentia autem vera secundo modo est pnia finalis, & continuata, & ab hac non contingit cadere, cęterum hanc pniam homo nō habet, nisi finaliter perseueret, & ab illa non cadat.

Secundo obs. est, quod ratio quare possit pnia iterari, & bapt. non est triplex secundum Alex. vbi supra art. 2. vna est quia in baptismo imprimitur character, qui est indelebilis, in pnia non, secunda rō est, quia baptismus est contra morbum non iterabilem, qualis est morbus originalis, sed pnia est contra morbum iterabilem, qualis est morbus peccati actualis, vnde quia medicina debet aptari morbo patet &c. tertia ratio est quia baptismus habet totā efficaciam a passione Christi, pnia, non habet totam efficaciam à Christi passione, sed requiritur etiam actus noster, atq; ideo baptismus nō iteratur sicut nec passio, pnia vero iteratur secundum quod voluntas nostra conuertitur, & reuertitur, inde est quod in baptismo oīs pęna remittitur, in pęnitentia non, & si baptismus iteraretur daretur nobis occasio peccandi, non sic est in pęnitentia quia bene punit.

Tertio obser. est quod quoties peccatur toties via pęnitendi conceditur, si in hac via. Cuius ratio est infinitas misericordiæ ex parte Dei, & possibilitas conuersionis ex parte aīę q̄diu est in via. Decreuit. n. altitudo consilij diuinæ pietatis homini viatori numq̄ retrahere manum miæ suæ. Natura similiter aīæ quādiu est in corpore aīali numq̄ totaliter frangitur in peccato, quamuis tota; vnde semper retinet sibi aliquid de possibilitate ad conuersionem in Deum & susceptionem gratiæ, & ideo quoties peccauerit inuenire pōt locum pniæ. His obseruatis resoluitur quæstio vnica conclusione.

Quotiescumq; homo peccauerit, ēt post peractam multoties pniam, pōt iterum per pniam veniam consequi, patet concl. Matth. 18. Vbi quærenti Petro. Quoties peccauerit in me frater meus, & dimittam ei, vsq. septies? Respōdit Dn̄s. Non dico tibi vsq; septies, sed vsq. septuagies septies. Vbi secundum D. Aug & oēs numerus finitus ponitur pro infinito, ergo si Dn̄s præcipit nobis misericordiam ad infinitas culpas, si ab eo quæratur venia, cum maiorem misericordiam faciat, quam præcipiat, & ipse sit misericordiosissimus, multo magis videtur, quod ipse petenti sibi veniam parcat. Itē misericordia Dei in infinitum, maior est quam misericordia perfectissimi hominis, vt legitur Ecclesiasticum. Secundo, secundum magnitudinem eius sit & misericordia eius cum ipso est, sed magnitudo Dei est infinita Psalm. 144. Magnitudinis eius nō est finis, igitur mīa Dei infinita, sed mīa hominis, est remittere delinquenti septuagies septies Matt. 18. igitur mīa Dei remittit infinities. Item Lucę 6. Estote misericordes sicut pater vester misericors est, ex quibus verbis colligo tale argumentum. Deus præcipit nobis, vt simus misericordes eo modo, quo ipse est misericors, & simul præcipit, vt sępius in nos peccantib. dimittamus peccata, ergo ipse sæpius peccantibus remittit peccata, alias non imitaretur nos, vt essemus misericordes instar miæ diuinæ, & confirmatur conclusio, innumeris sacræ scripturæ testimonijs, & Sacrorū Concil. definitionibus, quæ refert noster Castro li. 12. aduersus hęreses, verbo pnia hæresi. 3 & rōne probatur conclusio, homo quā diu viuit non est extra statum salutis, vt constat Ezech. 35. Impietas impij non nocebit ei in quacumq; die cōuersus fuerit ab impietate sua, ergo quāuis millies post multiplicatam pniam ceciderit poterit resurgere, aliter esset extra statum salutis. Postremo cōfirmatur authoritate D. Aug. in lib. de pnia c. 5. tom. 4. dicentis instans perfidi, qui sapiunt plus quam oporteat non sobrij, sed excedentes mensuram, dicunt. n. & si semel pęnitentib. post baptismū valeat pnia, non tn̄ semel peccantib. proderit iterata, alioquin ad peccatū esset incitatio. Dicūt. n. quis nō sēper peccaret, si redire sēper posset? dicūt. n. Dn̄m incitatorē mali, si semper pęnitēib. subuenit, & ēt ei placere peccata, qb. semp pręsto est gratia. Errant aūt, imo cōstat multū ei peccata displicere, qui semper ꝑsto est ea destruere: si. n. ea amaret nō semper ea destrueret, sed cōseruaret, atq. inter sua munera foueret, sed sēper destruit peccata, q̄ inuenit, ne soluatur qđ creauit, ne corrumpatur q amauit. Ad fundamentū prions hæresis, respōdet posse hoīem p liberū arbitriū gratiā perdere, & rursus p diuinū auxiliū recipere. D. n. Petrus negādo Christū eā amisit, & pęnitēdo recepit, similiter Dauid, & discipulorū fides ꝑpessa est naufragiū tpe passionis, si qdem increpauit eos Dominus & cordis duritiā redarguitus est, eo qđ his q viderūt eū resurrexisse à mortuis nō crediderunt, & tn̄ huius sceleris peracta pnia veniā receperūt. Ad testimonium D. Pauli respondet. Alexan. vbi supra. art. 2. quod potest fieri vis in hoc quod dico, impossibile est, quia non ex virib. humanis, vel impossibile idest difficile, loquitur. n. de imperfectis, q dif ficulter insurgunt. Vel vt fiat vis in pęnitentia, quia loquitur

D. August. Castro. D August.

de renouatione, quæ est in pœnitentia, quam sequitur baptismus, hic enim virtutem totam habet ab hostia passionis & de hac dicit Apostolus ad Hebreos 10. ñ relinquitur hostia pro peccato, in hac responsione tangit Alex. triplicem modũ verba D. Pauli explicandi.

Triplex verborum D. Pauli explicatio impossibile esse eos, qui prolapsi sunt &c.

Primo dici potest ob id D. Paulum impossibile affirmasse redire ad gratiam, qui ab ea excidissent, quia Deo hoc est possibilẽ, non homini. Diuini quippe muneris est, vt peccatores à peccatis resurgant, non humanæ potestatis, quæ videtur fuisse D. Amb. explicano. Secundo possumus dicere impossibilẽ reparationem post lapsũ, quia difficilis, solet. n. scriptura, solet philosophus, solet & vulgus impossibilia dicere, quæ sunt difficilia, & hæc est D. Hieron. contra Iouinianũ, & hanc expositionem sequitur Lyranus. Tertio exponi potest D. Paulum non affirmasse impossibilem esse reparationẽ post lapsum, sed dũtaxat esse impossibilẽ secundã regenerationẽ, & hæc est germana eius loci interpretatio, quæ ex antecedentibus facile colligitur: meminit enim Apostolus in præcedentibus pœnitentiæ, atq. ibi certum est pœnitentiã esse illam, quæ præcedit bapt. non quæ est relapsorũ. dixerat enim quod iã proposuerat dicere de recõdita theologia: atq. adeo dimissis rudimentis, quæ tradi solent his, qui in christianismo primo instituuntur, feramur ad perfecta dogmata, non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ, & fidei ad Deum baptismatũ doctrinæ, impositionis quoq; manũ ac resurrectionẽ mortuorum, & iudicij æterni, ea. n. pertinẽt ad initium doctrinæ Christi. Nã Apostoli, vt patet apud Lucã in actis in institutione cathecumenorũ hunc seruabãt ordinẽ. primo exhortabãtur eos ad pœnitentiã qua receditur a vetere vita, & peccatis, quæ opera mortua ibi vocat Apostolus eo quod mortẽ adferant, deinde fidẽ exigebant, & post hæc præponebãt baptisma. Nos inq̃t Apostolus in hoc scripto nõ trademus de his rudimentis omittemus. n. fundamentum doctrinæ pœnitentiæ, fidei ad Deum, baptismũ ac totius cathechismi, & in summa non dicã de fundamẽtis, siue principijs christianæ doctrinæ, res de pœnitentia ab operibus mortuus de baptismo, & reliquis cum ijs scribam, quib. ad hæc remedia non licet recurrere, & statim subdit. Impossibile. n. est eos qui semel &c. recipientes baptismi Sacramentum, quod dicitur Sacramentũ fidei, quia illuminat per fidẽ, & bene semel dicitur, quia hoc Sacramentũ, non potest adhiberi homini nisi semel cum initerabile sit. gustauerunt ẽt donũ cęleste, i. quã sit magnum hẽre peccatorũ remissionẽ, & gaudere innocentia & participes facti sunt Spiritus sancti: nã per baptismũ effunditur Spiritus sanctus in corda credẽtiũ. ad Titũ c. 3. gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum i. Christi doctrinã virtutesq. seculi venturi, quia ex spiritu inhabitante mira possunt cũ ante ad. imbecilles essent. Impossibile est inquã eos, quib. hæc magna dona contigerunt & nihilominus prolapsi sunt in ista opera mortua, & peccata rursus renouare ad pniam, q̃ baptismũ antecedit, & q̃ per baptismũ habetur, de eadem. n. pœnitentia hic locus intelligẽdus est, cuius meminit in præcedentibus, atq; ibi certũ, pœnitentiã esse illam, quæ baptismũ præcedit, quare, & hic locus de eadẽ intelligẽdus est, & nõ de pnia alterius generis, pœnitentia, quæ est actio baptismi facillima est, pnia, q̃ sequitur baptismũ, de qua est sermo contra Nouatũ difficillima est, & multa requirit, quemadmodum docet Chrisostomus in sermone ethico huius loci, Græci interpretes vigent vocabulũ renouandi, Renouari inquit Chrisostomus est nouũ fieri, id aũt contingit in baptismo, ibi semel deponitur vetus homo cum actibus suis, & exit e lauacro noua creatura, solus ergo baptismus iuxta exactã loquendi rationem renouat, per pœnitentiam vero non iã renouamur, quam fatemur. Vrget ẽt Chrisostomus, quod additur rursus crucifigentes &c. Idem faciunt græcanica scholia, quæ ẽt citant Cyrillum. Quid igitur (aiunt) abieccine Apostolus pœnitentiam? absit, quemadmodum ait Cirylus, sed pœnitentiam abiecit, quæ est actio baptismi. vnde & renouari dixit, quod proprium est baptismatis, & rursum crucifigẽtes, quod ipsum quoq; proprium baptismatis est. Baptismus æquidẽ exprimit mortẽ Christi, qui ergo per alterum baptismũ pœnitere vult, is rursum crucifigit Christum. Nihil ergo locus iste facit pro Nouato cum loquatur de pœnitentia q̃ præcedit baptismum, & non de ea quã Hieronymus vocat secundam tabulã post naufragium.

Ad illud 28. Prou. dicitur quod qui peruersis graditur vijs implicando se varijs peccatis, concidet semel i. absq. resurrectione ad binum: quia impius cum in profundum peccatorum venerit contemnit. s. peccare, & tunc repentinus superueniet ei interitus, & eum sanitas non sequetur, quia sequitur eum ignominia, & opprobrium in gehenna, intelligitur ergo authoritas de peccatore obstinato in malo.

Magister sentent. Alex de Ales.

Ad aliud D. Ambrosij inquit Magister quod debet intelligi de pœnitentia solemni, & hoc inquit Alex. secundum morem aliquarum ecclesiarũ, & ad illud, quod subdit, qđ pœtere nos pœnitere debet &c. Dico quod D. Ambros. nõ negat beneficiũ pniæ, alicui, quotiescũq. peccauerit, sed potius hortatur, vt caueat vnusquisque à mortali peccato, & quod frequẽter pœniteat de venialibus à quibus non põt sibi cauere.

Ad illud quod objicitur quod si vere pœnitentiam agere, & iterandam non putarent, dico quod Ambr. reprehendit illos, qui ex præsumptione iterandi pœnitentiã frequenter recidiuantur, vt ex verbis suis patet, volẽs ostendere, quod nõ vere pœnitẽt quia si vere pœniterẽt, ex præsũptione illa, qua putant se posse reiterari pœnitentiam non peccarent. vnde p hoc, quod dicit, non putarent pniam iterandã. non intendit quin debeãt existimare pœnitentiam esse iterãdam, si recidiuent, sed quod non debent ex hac existimatione iterato peccare, vel dici potest quod D. Ambro. intelligit de pœnitentia solemni sicut habetur d. 50 c. si quis. §. Potest & aliter.

D. August.

Ad illud, quod objicitur per simile ex factis Domini respondet D. Augustinus lib. de vera, & falsa pœnitentia c. 5. dicens. Videmus quotidie in ecclesia sæpe febricitantes, sæpe languidos, sæpe passionib. captos, sæpe liberari, vt appareat opus miserantis toties, quoties confessio fit pœnitentis, quomodo. n. corpus quod vilius est ab ipso dissimilius sæpe sanaret, & animam digniorem, & redemptam, non toties liberaret? Medicum se vocat, & non sanis, sed male habentibus oportunũ, sed qualis hic Medicus, qui maiũ iteratũ nesciret curare? medicorũ. n. est centies infirmũ visitare, cẽties curare, atq. ita eorũ errorẽ rescilit Aug. manifesta veritate.

Nefanda itaq. est hæc secunda hæresis, & error est pessimus, & crudelissimus: quia claudit viscera misericordiæ, & quod peius est, Deum, vel minus potentem vel omnino immisericordem arbitratur, si. n. Deus non posset remittere peccata quæcũq; quæro, vel quia non potest, vel quia non vult, si primum ergo non est omnipotens, siquidem non omnia potest, quod est hæreticum si aũt secundum ergo non est infinitæ misericordiæ, ait. n Regius Propheta secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatẽ meam, ecce quomodo Deus non est vno modo misericors, sed multiplex ad misericordiam, & Gen. 4. increpatur Cayn. quia dixit, maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear, ergo.

ARTICVLVS IV.

Vtrum de Pœnitentia agenda aliquod sit Præceptum.

SVpra articulo 1. ostendimus pœnitentiam necessariam esse ad peccatorum remissionem, & ibi locuti sumus de necessitate medij. est autem necessitas medij in Sacramentis (vt diximus in materia de Eucharistia) in ordine ad finem consequendum, adeoq. illud Sacramentum dicitur necessariũ necessitate medij, quod per se institutum est ad conferendum effectum ad salutem necessarium, tamquam propria causa illius, & per se loquendo, atq. ex vi institutionis ad illum necessaria, quomodo baptismus est necessarius ad salutem, at etiam pœnitentia post lapsum necessitas autem præcepti solum requirit, vt præceptum sit impositum. In hac autem q. est sermo de necessitate p̃cepti, adeo quod sensus tituli est, esto quod pœnitentia sit necessaria ad salutem necessitate medij, quia est præcisum, & vnicum remedium remissionis peccatorum, quæritur an sit etiam necessaria necessitate præcepti, itaque non pœnitere sit nouum mortale peccatum.

Victoria. Canus

Circa hanc quæst. fuit opinio Victoriæ vt refert Cano in relectione de pni p. 4. existimantis, quod pœnitentia prioris vitæ est necessaria ad remissionem peccatorum, nullum tñ esse præceptum de pnia agenda, sicut pueris necessarius est baptismus ad remissionẽ peccati originalis, cum tñ ipsi pueri tali præcepto non teneantur: quia præcepta nõ dantur nisi hominib. rõne vtentibus, vsu aũt rõnis ipsi pueri carẽt, atque adeo præceptis ligati non possunt, & sicut ẽt habere habitum gratiæ fidei, & spei in hac vita necessarium est ad salutẽ æternã, ex præcepto tamen homines nõ tenẽtur hẽre istos habitus: quia præcepta de actibus, & operationibus, & non de habitubus dantur hominibus; vnde secũdum eius sententiã,

qui

qui commisit multa peccata mortalia, si non agat pœnitentiam cõdemnabitur quidem: quia agere pœnitentiam necessarium est ad salutẽ, cæterum talis homo, ex eo quod decedat sine pœnitentia illorũ peccatorũ nullum aliud peccatũ admittit, suamq; sententiam ex eo firmabat: quia si ex aliquo loco diuinæ scripturæ intelligeretur præceptum de pœnitentia agenda, id maxime esset de illo Lucæ 13. Nisi pœnitẽtiam egerẽtis omnes simul peribitis, sed ex illo non colligitur, quia ibi nullum est verbum præceptiuum talis præcepti, sed omnia verba illa sunt conditionalia, quæ de rigore sermonis tantum significant, necessarium esse, quod peccator pœnitẽtiã agat de peccatis suis, quã si nõ egerit damnabitur.

Secundo quia si esset præceptum de agenda pœnitentia, sequeretur, quod nullus possit damnari propter vnũ solũ peccatum mortale, quod est contra doctrinã sanctorũ, patet sequela: quia qui moreretur, non acta pœnitentia de vno mortali peccato à se cõmisso necessario damnaretur pro illo peccato, & ẽt pro transgressione præcepti violati, & non adimpleti de pœnitentia agenda. Et hanc sententiam dixit esse D. *D. Thomas.* Thom. quia ipse D. Th. 2. 2. q. 14. art. 1. ad vltimũ dicit, quod finalis impœnitentia non est speciale peccatum, sed circumstantia omnium peccatorum, ex quo sequitur nullum esse præceptũ de agenda pœnitentia, alias non agere pœnitentiam esset speciale peccatum, quia esset contra speciale præceptũ.

Cæterum hæc sententia reijcienda est tãquam falsa ne dicã erronea, contrariã. n. sniam tenent oẽs Doctores scolastici, & *D. Thomas.* primo. D. Th. quem pro se stare putauit Victoria, nã D. Th. in 4. d. 14. q. 1. dicit præceptum de agenda pœnitentia obligare de iure naturæ. & 3. p. q. 84. art. 7. ad primum & ad secundũ. Esse hoc præceptum confitetur, idemq; dicit q. 85. in ar- *Caietanus.* gumento. Sed contra eamdẽ sniam tenet Caiet. in quol. q. 7. *Canus.* & Cano in relectione supracitata quos sequutus est Sotus. *Sotus.* d. 17. q. 2. art. 6. Et est expressa sententia Doctoris nostri Sub. *Scotus.* d. 17. q. 1. art. 1. sub lit. F. parũ ante G. vbi dicit, quicũq; primam pœnitentiam amisit, tenetur de necessitate præcepti agere quantum in se est ad eius recuperationem, quam etiã *Medina.* docet Medina tract. de pœnitentia q. 2. art. 2. & alij doctores. Est ergo certissime tenendũ esse speciale præceptũ de agenda pœnitentia, quam si peccator non agat tempore statuto à præcepto, alijs peccatis accumulabit, & hoc speciale peccatum pœnitentiæ non actæ.

Probatur autem hæc sententia, primo ex eo, quod oẽs colligunt præceptum Baptismi ex illis verbis Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, &c. ergo hæc verba, quæ habentur Lucæ 15. Nisi pœnitentiam habueritis oẽs simul peribitis, eodem modo sunt accipienda cum eumdẽ habeant tenorem, & pœnam minentur æternam, & per consequens non ingressum in regnum cœlorum.

Præterea D. Io. Baptista & Christus Dominus, & etiam D. Petrus vt visum est in superioribus vsi sunt verbis imperatiui modi, vt patet actorũ. 2. & Matt. 3. in illis verbis, pœnitentiã agitesa; propinquauit enim regnum cœlorum.

Similiterq; D. Io. Ap. 2. dixit, Memor esto vnde excideris, prima opera fac, & pœnitẽtiam age, ex quibus verbis cũ sint imperatiui modi præceptum colligitur de agẽda pœnitẽtia.

Quod ẽt ratione probatur, quia præcepta diuinæ legis ad hoc dantur, & feruntur, vt per ea ad vitam perducamur æternã, tamquã per media necessaria ad salutem, igitur de oĩbus necessarijs ad salutẽ æternam intelligendũ est esse speciale præceptũ, cũ ergo Magister victoria concedat pœnitentiã esse necessariã ad vitã æternã, debuit ẽt concedere præceptum speciale de pœnitentia agenda, hac. n. sola rõne D. Th. 3. p. qu. 63. art. 1. probauit esse præceptũ speciale baptismi, quia videlicet est ad salutẽ necessariũ, neq; obstat, quod non sit præceptũ de habenda fide, spe. & gratia, prout habitus sunt, quatenus ista sint ad salutem necessaria, ista. n. sunt habitus, præcepta aũt dantur nõ de habitibus, sed de actibus, qui in nostra sunt potestate, vnde nullum est præceptum de habendo habitu pœnitentiæ, sed de actu pœnitentiæ, vt est manifestum: dispar etiam est ratio de pueris. qui non habent vsum rationis, & de homine illũ habente postquã mortaliter peccauit.

Secũdo arguitur. Nullus damnatur, nisi propter mortale, sed propter solã pœnitentiã potest aliquis damnari, ergo impœnitentia est mortale peccatum, & per cõsequens sub præcepto, probatur min. esto quod alicui virtute dilectionis Dei super oĩa remittatur aliquod peccatum oblitum, vt infra dicemus, & quod non habeat aliud peccatũ, si postea tempore mortis recordetur illius peccati, & non habeat actualem pœnitentiam illius damnabitur, non propter istud peccatũ cum sit iam dimissum, sed propter illius impœnitentiam, ergo impœnitentia est mortalis, & per consequens est sub præcepto.

Ad arg. Victoriæ respondetur, & ad primum dicitur, qđ præceptum de pœnitentia agenda colligitur ex Lucæ 13. Nisi pœnitentiam habueritis, &c. ex necessitate vero illius colligitur præceptũ speciale de illa agenda, vt constat ex dictis, cũ oẽs operationes, & actus ad salutẽ necessarij sint in præcepto, præsertim quod in alijs scripturæ locis ponuntur verba imperatiua de pœnitentia agenda, ex quibus non solum necessitas, sed etiam præceptum de illa agenda colligitur.

Ad secundum respond. Nullum esse inconueniens, quod peccator non condemnetur propter vnũ solum peccatũ mortale, quamuis vnũ solum ad damnationẽ sufficeret, quod si ita esset magnificaret potius misericordiam diuinam, quam minueret, quippe qui adeo benignus sit vt neminẽ pro vno solo mortali in ignem mittat æternum. Dico tamen esse possibile, quod peccator moriatur cum vno solo peccato mortali, & pro illo damnetur; si quis enim existat in gratia, & peccet vnũ peccatum mortale solum, & statim amittat vsum rationis, atque ita moriatur damnabitur talis propter solum peccatum mortale commissum, non autem propter trãsgressionẽ præcepti violati de agenda pœnitentia, amisso. n. vsu rationis impossibilis illi fuit obseruatio talis præcepti. Immo quamuis statim post peccatum non amittat vsum rationis potest decedere ex hac vita cum solo illo peccato, etiã si aliquanto tempore viuat in reatu illius antequam moriatur, quia non statim tenetur post quam peccauit facere pœnitentiam, vt dicemus in sequentibus.

ARTICVLVS V.

Vtrum hoc Pœnitentiæ præceptum contineatur in Decalogo.

Circa hoc quæsitum Magister Vega super decretum Con- *Andreas Vega.* cilij Trid. de iustificatione lib. 13. c. 20 dicit, quod eodem præcepto iure naturali saltem indirecte omnes peccantes cuiuscumq; status ad pœnitentiam tenentur, quod peccãtes transgressi sunt. Ita quod sic peccauerunt contra præcepta primæ tabulæ ex ijs præceptis quæ transgressi sunt astringuntur ad peccatorum pœnitentiam, & si contra secundam tabulam transgressi sunt, contra eamdem peccant non pœnitẽdo, & per illam ad peccatum detestandum tenentur vt V. g. eodem præcepto non furandi tenetur quis agere pœnitentiam de furto commisso, & eodem præcepto non adulterandi tenetur quis agere de adulterio commisso pœnitentiam, & sic de alijs, atq. ita non oportet aliud fingere præceptum. Probatque suam sententiam, quia eodem præcepto non furandi tenetur quis non complacere in furto, sed post quam commisit furtum eo ipso ꝙ non agit pœnitentiam manet in complacentia saltem virtuali illius furti, ergo tenetur agere pœnitentiam præcepto non furandi, sed hoc est falsum: quia tunc sequeretur, quod si quis commisit triginta peccata mortalia toto illo tempore, quo non agit pœnitentiam actualiter committeret triginta alia peccata, quod durissimum & falsissimum est.

Vidit Doctissimus Vega hoc argumentum, atque adeo respondet, quod licet quis commisisset triginta peccata, postea tamen non pœnitendo de illis vna & eadem voluntate quasi perseuerante in illis peccatis peccat, ideoq; tantum vnũ peccatum est, tanto grauius, quãto plura sunt peccata de quibus non agit pœnitentiam, & quanto plus differt pœnitentiã.

Sed contra, quia vel non agendo pœnitentiam violat tantum vnum præceptum, vel plura si vnum tantum, ergo non tenetur agere pœnitentiam præcepto non furandi, & præcepto non adulterandi, quia ista plura sunt, si vero plura sequitur, quod siue hoc sit vna voluntate vel pluribus, plura peccata committantur, nam qui adulteratur in Ecclesia vna voluntate peccat, & tamen duo peccata committit & adulterij, & sacrilegij, quia duo præcepta disparata violat. Præterea complacere in furto eiusdem speciei est cum peccato furti, complacerique in adulterio cum peccato adulterij, ergo sicut adulterium, & furtum sunt peccata distincta secundum speciem, sic etiam erit complacentia istorum peccatorum.

Secundo sic arguitur. Medium est inter complacere, & displicere, quia nõ opponuntur contradictione, sed contrarie, ergo postquã quis cõmisit peccatũ furti, potest fieri, vt neq; illi complaceat furtum, neq; displiceat: ergo licet non agat

pœnitentiã fieri, quæ est quædam displicentia, fieri potest vt peccator non habeat complacentiam in illis. Et confirmatur. Sicut peccatum deletur per pœnitentiam, ita meritum delectur aliquo modo per peccatum, sed postquam aliquis exercuit opera meritoria, quando non peccat non ob id complacet in operibus meritorijs præteritis, alias n. continuo mereretur actualiter (quod est contra Theologos,) quia complacentia de meritis præteritis, meritũ actuale est: ergo postquam quis peccauit antequam agat pœnitentiam non semper est in actuali complacentia præteritorum peccatorum.

Medina. Præceptum de agida pœnitentia continetur formaliter in sacra scriptura.

Ad dubium igitur, respondetur cum Medina, quod præceptum agendi pœnitentiam formaliter continetur in multis locis sacræ Scripturæ, vt visum est supra. In decalago aũt fat est quod contineatur virtualiter, continetur autem in illis præceptis præambulis diligendi Deum, & nos ipsos, vt docet etiam Doct. loco suptaciato. In dilectione. n. Dei includitur. (si vera sit) voluntas adimplendi omnia Dei mandata, In dilectione autem nostri includitur, voluntas faciẽdi omnia necessaria ad salutem. Sed obijcit Vega, quod in illo præcepto diligendi Deum includuntur, simul omnia præcepta decalogi, ergo non oportuit plura præcepta addere. Respondetur. Ad hoc fuisse necessarium explicare præcepta ad omnes homines, & status, qualia sunt illa, quæ continentur in Decalago, reliqua vero non oportuit ita explicare, quale est præceptum pœnitentiæ, quod non obligat nisi solos peccatores. Primo respondetur, quod præceptum agendi pœnitentiam reducitur ad præceptum colendi Deum, colit. n. Deũ, qui dolet de peccatis commissis in Deum, licet non sit propriissime cultus, satis est, quod cum cultu habet magnam affinitatem, sicut præceptum reddendi vxori debitum reduci potest ad præceptum non furandi, sicut & rapere alienam vxorem, quamuis non sit proprie furtum, quia tamen cum furto magnam habet affinitatem, ideo ad præceptum non furandi reducitur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Præceptum Pœnitentiæ obliget statim post peccatum commissum.

Præcepta sunt in duplici differentia.

PRo explicatione huius quæstionis obseruãdũ est primo, quod præcepta sunt in duplici differentia, negatiua. s. & affirmatiua: negatiua obligant semper non solum quantũ ad præparationẽ animi, sed ẽt quantum ad actum negatiuum. V. g. præceptum de non furando obligat non solum ad non habendum propositum furandi, siue ad habendum propositum non furandi, sed ẽt obligat, vt nullo tempore committamus furtum, at vero præceptum affirmatiuum obligat semper quantum ad præparationem animi, non tamen quantũ ad exercitium actus affirmatiui, sed temporibus determinatis ab Ecclesia, vel a Deo, vt præceptum honorandi parentes obligat semper quoad hoc, quod simus parati suo tempore illud adimplere, non tamen semper obligat ad actum, sed tã tum tempore, quo parentes indigent nostro adminiculo.

Præceptum affirmatiuũ includit vnum negatiuum de actu contrario.

Secundo obiec. est, quod omne præceptum affirmatiuum includit vnum negatiuũ de actu contrario obligans pro semper, vt præceptum honorandi parentes includit hoc negatiuum, nunquam in honorandi verbo aut facto parentes. Sed nota, quod dicitur de actu contrario, ad differentiam actus contradictorij, non enim præcepta affirmatiua includunt negatiuum de suo contradictorio, V. g. præceptum fidei includit negationem infidelitatis, hoc est præceptum negatiuum ne simus infideles habendo actum contrarium fidei, prohibet. n. infidelitatem positiuam non autem negatiuam, aut priuatiuam, qualis est in illis, qui nihil audierut de Christo & similiter præceptum dilectionis Dei includit negatiuum contrarium dicens nunquam habebis odium Dei positiuu, non autem includit contradictorium. s. sis nunquam non amans Deum, quia tunc obligaremur ad continuum actum positiuum, quod esset impossibile.

Tertio obiec. est, quod aliud est loqui de obligatione agẽdi pœnitentiam ex parte finis, & aliud ex parte præcepti.

Alex de Ales. D. Bonauẽt. D. Thom. Ricardus Gabriel. Hugo.

Circa hanc quæstionem sunt duæ opiniones oppositæ. Prima est antiquorũ. s. Alex de Ales. p. 4. q. 17. m. 2. §. 2. D. Bon. in 4. d. 17. art. 3. q. 2. D. Thom. in 4. d. 17. q. 3. art. 1. q. vnic. 4. & Ric. d. 14. art. 9. q. 1. & ibi Gabr. q. 3. art. 3. Isti enim affirmãt, quod Deus absoluens hominem a culpa ligat cum vinculo perpetuæ detestationis, vt dicit Hugo libro 2. de Sacramẽtis parte 2. tenetur enim homo malum quod fecit semper detestari, sed quia tertio talia est præcepti affirmatiui, quod semper obligat, sed non ad semper ideo dicunt, quod semper tenetur conteri, sed non ad semper, sed pro loco & tempore, videlicet cum recogitat mala sua in quibus offendit Deum, & addit Ric. quod tenetur tunc, quando de peccato suo ex deliberatione recogitat, tunc. n. illud detestari tenetur, non enim fideliter seruat reparatum fœdus diuinæ amicitiæ, cui actu non displicet, quando de hoc deliberat illud, quod inter ipsum & Deum causa fuit inimicitiæ, eamdem sententiam sequuti sunt Palud. in 4. d. 17. q. 1. art. 3. Syl. verbo contritio. q. 2. Angelus verbo contritio nume. 4. Vigue. in summa. cap. 16. §. 4. & quidam dicunt etiam Doctorẽ nostrum Subtilem hanc sententiam secutum fuisse insra. d. 45. q. 3. ad vltimum, sed non recte vt videbimus.

Paludanus. Syluester. Angelus. Viguerius.

Caietanus. Canus. Medina. Sotus.

Secunda opinio huic contraria, est Caiet. q. 3. de contritione, quem sequitur Cano de pœnitentia p. 4. & Medina cod. de Pœnitentia, cum Soto in 4. d. 17. q. 2. art. 6. & alij Neotherici, & nunc communiter hæc sententia defenditur in scholis.

1 Prima conclusio postquam quis egit pœnitentiam, & habuit peccatorum contritionem non tenetur amplius habere contritionem eorundem. Probatur, quia secundum Prophetam Deus non iudicat bis in idipsum, cuius sententiæ sensus est, quod Deus non punit bis pro eodem peccato, cum ergo homo per pœnitentiam se puniat, quia causat sibi dolorem, sequitur quod si semel homo pœnitentiam egit, Deus non exiget iterum pœnitentiam pro eodem peccato. Ideoquia Deus præcepit pœnitentiam vt peccata deleantur, sed per primam pœnitentiam deleta sunt, ergo Deus non præcepit secundam, & confirmatur à simili, quia peccata semel cõfessa non tenentur iterum confiteri, neq; quod semel restitui, teneor iterum restituere ergo &c.

D. August.

Sed contra hanc conclusionem arguitur ex D. Aug. de vera & falsa pœnitentia, dicente quod pœnitentia est quædã dolentis vindicta semper puniens in se, quod dolet commisisse. Item pœnitere est pœnam tenere, vt semper puniat in se pœnitendo, quod commisit peccando. Item sic. i. pœnitẽs semper doleat, & de dolore gaudeat, & nõ sic satis, qđ doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat, his authoritatib. videtur, quod pœnitens semper debeat dolere, atq. adeo qđ pœnitentia debeat durare vsque ad finẽ vitæ, ergo homo tenetur continuare pœnitentiam semel iã factam per totam vitã.

Respondetur quod actus displicentiæ de peccato debet durare per totam vitã, quoniam includit propositum numquã vlterius peccandi, non tamen debet durare formaliter, sic. n. statim cessat, sed debet durare virtualiter, atq; ita debet explicari D. Aug. Idq. declaratur exemplo, si quis habet actũ efficacem voluntatis eundi Romam, hic actus cessat statim formaliter, durat autem virtualiter toto itinere: quia virtute illius actus toto itinere mouetur homo in Romam, cessat autem hoc propositum virtuale per actum contrarium, velut si homo ille ex itinere velit redire. Ita homo quando egit vere pœnitentiam actum habuit displicentiæ de omnib. peccatis, & propositum non peccandi per totam vitam, hæcque displicentia tamdiu durat, quamdiu non corrumpitur per actum contrarium. Debet ergo hæc displicentia durare vsq. ad finem vitæ virtualiter, si enim interrumpitur per contrariam complacentiam, iam non durat, quia per complacentiã de peccato ammittitur actus pœnitentiæ.

Pœnitentiã esse ꝑpetuã bifariam intelligi pôt.

Secundo respondetur, pœnitentiã esse perpetuam bifariã intelligi potest, vno modo negatiue pro quanto talis pœnitẽtia nec displicet, nec displicere debet, alio modo positiue, & actualiter, priori modo verissime dicitur pœnitentiam debere esse perpetuam ex vi præcepti eius non quidem affirmatiui, sed negatiui, quod duplicem negationem induit, vnã, vt numquam displiceat pœnitentia prius habita, alteram vt nũquam complaceat homo in peccatis quæ semel displicuere, secundo autem modo non est necesse pœnitentiam esse perpetuã, immo neq. est hoc possibile, nõ. n. pôt homo sẽper hẽre actualẽ actũ cõtritionis, seu actualẽ peccatorũ detestationẽ.

Homo non tenetur post quam peccauit statim pœnitere.

Secunda Cõclusio. Nõ tenetur homo agere pœnitentiã statim postquã peccauit, & hoc intelligẽdo de obligatione agẽdi pœnitẽtiã quatenus est sub ꝑcepto. Probatur primo a priori, qa præceptũ de pœnitẽtia est affirmatiuũ, quo actus virtutis ꝑcipitur, ergo quantũ ad actũ positiuũ nõ obligat pro quo cũq. instanti, patet cõsequentia à simili de alijs præceptis affirmatiuis. s. confessionis & c. quæ non obligãt nisi certo quodam tempore, ergo idem est dicendum de hoc præcepto, &

con-

confirmatur, quia nulla ratio, nullaque auctoritas probat talem obligationem. ergo non est peccatoribus imponenda, & hoc dignum est misericordia Dei non imponere hominibus tam graue præceptum, quod nullus fere adimpleret.

Secũdo probatur a posteriori, quia alias sequeretur, quod in singulis momentis quibus homo tenetur agere pœnitentiam, si nõ ageret peccaret singula peccata mortalia, quod est erroneum. Probatur sequela, quia in singulis esset transgressor præcepti, & confirmatur ex totius Ecclesiæ cõsuetudine, nullus enim pœnitens se accusat corã Sacerdote, quod nõ statim post peccatũ egerit pœnitentiam, neq; aliquis Sacerdos hoc requirit, cum tamen si homo teneretur grauissimũ esset hoc peccatum, quod cõmitteretur toto tẽpore medio inter peccatum præteritum & pœnitentiam. Neq; credendum est Deum relinquere suam Ecclesiã in hoc erroro, vt grauissimum peccatum, & frequentissimum, nullus confiteatur.

Contra hanc conclusionem arguitur primo. Peccatũ mortale est, esse in periculo peccati mortalis iuxta illud Ecclesiast. 3. Qui amat periculum peribit in illo, sed homo qui est in statu peccati mortalis, est in periculo incidendi in aliud peccatum mortale secundum D. Gregorium hom. 11. super Ezech. dicentem, peccatum, quod per pœnitentiam non deletur mox suo pondere in aliud trahit, ergo peccator tenetur statim post peccatum mortale commissum, per pœnitentiam egredi a tali statu.

D. Greg.

Secundo arguitur præcepto negatiuo tenemur non esse Dei inimici, sed præcepta negatiua obligant pro semper, ergo quamdiu homo est inimicus Dei semper peccat, sed quãdiu homo sit in statu peccati, semper est inimicus Dei, ergo quamdiu est in statu peccati semper peccat; ergo tenetur ab illo statu egredi per pœnitentiam.

Tertio arguitur. Peccatum est velle permanere in statu peccati, quia eo ipso approbat homo peccatum, quod commisit, ergo peccatum est velle non agere pœnitentiam, eo enim ipso vult manere in statu peccati, quia qui vult antecedens bonæ consequentiæ, vult etiam consequens. Si enim vult Petrus currere, bene sequitur, quod vult moueri, & confirmatur: quia si esset licitum post peccatum cõmissum differre post aliquod tempus pœnitentiam, similiter liceret habere hunc actum volo differre pœnitentiam, quia quicquid est licitum facere, est licitum velle, sed non licet habere hũc actum volo differre pœnitentiam, ergo non licebit facto differre. Probatur minor quia iste actus est saltem otiosus, & inutilis. ergo illicitus, tum etiam quia si esset licitum habere hunc actum volo non pœnitere modo; similiter esset licitum habere hunc actum, volo esse Dei inimicum, filium gehennæ, amicum Diaboli &c. patet quia hæc omnia sequuntur ex illo actu nolo modo pœnitere, quia manifeste sunt peccata mortalia.

Quarto arguitur. Homo tenetur liberare se statim a morbo, & morte temporali si potest, sed morbus & mors spiritualis in qua est peccator postquam peccauit, est maius malum ergo statim tenetur, per pœnitentiam reponere se in statu salutis.

Quinto arguitur. Qui abstulit alicui honorem debitum tenetur statim illi satisfacere, sed qui peccat aufert honorem Deo debitum, ergo tenetur statim Deo satisfacere pro honore ablato. Et confirmatur ex Euangelio, si frater habet aliquid contra nos tenemur statim illi reconciliari, vt munus ad altare offeramus, vt habetur. Matth. 5. ergo cum Deus habet iram contra peccatorem propter peccatum, statim tenetur illi reconciliari per Pœnitentiam.

Ad primum Respõdetur. Quod existens in peccato mortali, non semper est in periculo peccandi mortaliter: potest enim per aliquod tempus vitare aliud peccatum mortale sine hoc quod pœnitẽtiam agat, si vero in periculum aliquod peccandi incidatur, quod nisi pœnitentiam agendo euadere non possit, tunc tenebitur agere illam, atque adeo quãdo instat periculum peccandi mortaliter, tenetur homo sub pœna noui reatus mutare statum, veluti fœmina, quæ est in Lupanari quamuis non fornicetur tenebitur sub pœna noui mortalis mutare illum locum, secus autem quando non constituitur in certissimo periculo, qualis est ille, qui per aliquod tempus distulit pœnitere. Vnde ad sententiam Diui Greg. respondetur, quod tractio illa non est adeo violenta, quod non possit superari a peccatore, trahit enim vnum peccatum in aliud, sicut quilibet actus virtuosus, aut vitiosus trahit in alium similem.

Ad secundum Respondetur, quod tripliciter contingit esse Dei inimicum, vno modo actiue, quando, scilicet homo Deum odio habet, alio modo passiue, quando Deus aliquẽ odio habet. Tertio vero modo homo dicitur Dei inimicus, quia est dignus inimicitia Dei. Si loquamur de inimicitia primo modo secundum quem homo Deum odio habet, eo modo præcepto negatiuo tenemur non esse Dei inimici, quia tenemur Deum numquam odio habere secundum actum, hoc tamen modo existens in peccato mortali non est inimicus Dei, vt nunc loquimur, si vero inimicitia secundo modo accipiatur secundum quã homo odio habetur a Deo, non tenetur homo præcepto negatiuo non esse inimicum Dei, quia hoc modo non est immediate in nostra potestate, vitare autem Dei inimicitiam mediante actu pœnitentiæ non tenemur alio præcepto, quam præcepto ipso de pœnitentia agenda, quod non negatiuum, sed affirmatiuum est, & obligat solum in articulo necessitatis, vt dicemus infra. Si vero inimicitia accipitur pro dignitate inimicitiæ, quæ constituit statum peccati, non tenetur homo vitare hanc inimicitiam præcepto negatiuo, tum quia vitare hanc inimicitiam non est in mea potestate nisi mediante actu pœnitentiæ, tum etiam quia hæc inimicitia est quidam status, at vero sicut neque meremur neque demeremur statibus, ita neque præcepta de statibus dantur, nullum enim præceptum est existendi in gratia.

Tribus modis potest quis dic. Dei inimicus.

Contra malum est esse in statu peccati, ergo est prohibitum aliquo præcepto. Respondetur. Quod malum culpæ accipitur duobus modis. Primo pro culpa actuali, & hoc modo est illicitum & lege prohibitum, alio modo pro malo procedente a culpa actuali, qualis est status peccatoris, & sic nulla lege prohibetur. Cont. non est illicitum per te esse in statu peccati, ergo est licitum. Respondetur quod neq; licitum neque illicitum est, quia licitum, & illicitum de sola operatione dicuntur, seu de omissione operationis est tamen non licitum.

Malum culpa bifariam sumitur.

Breuius ad hoc argumentum dici posset, quod differens pœnitentiam non habet odium Dei, sed solum non amat Deum, Datur enim medium inter odium, & amorem, sicut non amicus est medium inter amicum, & inimicum, similiter non pœnitere inter pœnitentiam, & impœnitentiã. Est enim pœnitentia displicentia peccati, & impœnitentia ipsius peccati complacentia, neque enim est præceptum negatiuum de non esse Deo inimicum, quia licet illud præceptũ. Diliges Dominum Deum &c. includat vnum negatiuum de suo contrario, scilicet nunquam habere odium Dei, quod obligat semper, & pro semper, tamen non includit negatiuũ de suo contradictorio, scilicet numquam non amabis Deũ, hoc est semper amabis, modo. quamuis differens pœnitentiã non habeat actualem amorem Dei, non habet tamẽ odium, ideo sic differens pœnitentiam non est reus illius præcepti. Diliges Dominum Deum &c.

Ad tertium Respondetur. Quod est peccatum velle esse in statu peccati, quia cum status peccati includat essentialiter peccasse, qui vult esse in statu peccati eo ipso vult peccasse, illicitum est autem velle peccasse de præterito, sicut velle peccare in præsenti, & in futuro. Ad argumentum ergo cum dicitur velle esse in statu peccati est peccare, ergo peccatum est velle non agere pœnitentiam statim, quia eo ipso vult esse in statu peccati. Respondetur negando consequentiam, sed satis est quod includat peccasse, & quando colligitur, ergo peccatum est velle non agere pœnitentiam, negatur, & ad probationem illam, qui vult antecedens bonæ consequentiæ vult consequens dicitur, quod hæc regula non est semper vera, bene enim sequitur Christus redimit genus humanũ ergo illud peccauit, & tamen Christus voluit redimere genus humanum, quod est antecedens, & tamen non voluit, quod peccasset genus humanum, quod est consequens, similiter bene sequitur ago pœnitentiam ergo peccaui, & tamen volo agere pœnitentiam, quod est antecedens, & tamen nolo peccasse, quod est consequens: imo vero ipsum, quod est agere pœnitentiam est velle non peccasse, ergo hæc regula solum est vera, quando antecedens ordinatur ad cõsequutionem consequentis, aut è contra, vnde bene sequitur vis beatitudinem, ergo vis media ad beatitudinem, & è contra. In proposito ergo. licet ex hoc quod non agatur pœnitentia colligatur. ergo est in statu peccati, non tamen sequitur volo non agere pœnitentiã ergo volo esse in statu peccati, quia non agere pœnitentiam non ordinatur ad consequutionem

ralis

talis status, quia hunc statum non consequimur pęnitendo, sed potius quando actualiter, atque ita velle non pœnitere tempore quo teneor non est actus bonus neque malus secundum suam speciem, proindeque peccatum non est secundum speciem suam. Sotus tamen, & Cano dicunt esse veniale. Ad confirmationem negatur consequentia, & ad probationem dico, quod illa maxima, quod est licitum facere est licitum velle, est vera, quando illa quæ omittuntur sunt referibilia in Deum, veluti, siquis dicat nolo hodie ieiunare, quia sum cōcionaturus, talis nolitio est referibilis in Deum, est tamen neganda maxima quando actus non est referibilis in Deum, tunc enim quamuis sit licitum differre actum, actus tamen nolitionis non erit licitus. v.g. licitum est non recitare psalmos pœnitentiales, iste tamen actus nolo recitare est ociosus, & inutilis, & peccatum veniale, similiter in proposito Ita Cano & Sotus, Cęterum in via Scoti concedentis dari actum indifferentem in indiuiduo possumus respondere concedendo totum, scilicet, quod qui potest differre pęnitentiam, potest etiam habere hunc actum nolo modo pœnitere, quia non est actus vitiosus, sed indifferens, & quando ergo potest habere hunc actum, ergo volo esse inimicus Dei &c. negatur consequentia, quia possum velle antecedens, & non consequens, quando consequentia est per locum extrinsecum, cuiusmodi est ista, de qua loquimur, bene enim sequitur habeo hęreditatem, ergo pater est mortuus, possum tamen velle antecedens, & nō consequens, quia est per locum extrinsecum.

Sotus.
Cano.
Scotus.

Ad quartum Respondet Caie. Quod vitæ meæ corporalis non sum ego dominus, quia eam propria diligentia non acquisiui, & ideo statim teneor me liberare a morbo, & morte vitæ corporali contrarijs, vitæ vero meæ spiritualis sum dominus, quia illa propria industria, & libertate acquisiui, & ideo non teneor me statim liberare a morbo, & morte cōtrarijs vitæ spirituali. Secundo Respōdetur. Quod quando ex morbo corporali nō timetur probabiliter mors, aut aliquod graue damnum, licite potest aliquis sustinere morbum corporale ad affligendum corpus, & illud subijcię dum spiritui, sicut licitum est illud affligere ieiunijs, & flagellis. Tertio Respondetur. Quod mors spiritualis, est peccatum actuale, quia tunc homo spiritualiter moritur, quando actualiter peccat, status vero peccati nō est mors spiritualis, sed status mortis, neque enim status denominat hominē morientem sed mortuum, atque adeo a morte speciali, hoc est ab actuali peccato tenetur homo se liberare non peccando, quia per peccatum actuale nouum damnum incurrit, per statum vero peccati in damno acquisito perseuerat, quādo ex statu peccati incurrit periculum probabile grauis damni, & noui, tunc homo tenetur statim se liberare a tali statu.

Caietanus.

Ad secundum Respondetur. Quod non statim tenetur homo satisfacere proximo pro honore ablato, si proximus non sit inuitus, quamuis ergo per peccatum Deo auferatur debitus honor, & peccator teneatur satisfacere Deo, non tamen tenetur nisi quando Deus erit inuitus si non satisfaciat, vel quando Deus postulauerit satisfactionem. Deus autem condescendens hominum infirmitati non statim exigit satisfactionem, sed illam exigit tempore necessitatis meæ, cuius causa est, quia Deus hanc satisfactionem non exigit propter suam vtilitatem sed propter nostram.

Ad confirmationem Respondetur. Quod per munus ad altare offerendum possunt intelligi orationes, & opera bona, quæ vt sint Deo accepta, oportet prius & fratri & Deo reconciliari, alias enim nullius meriti erunt. Cæterum sicut homo non tenetur semper facere opera Deo accepta, ita non semper tenetur ante orationem & bona opera, Deo reconciliari.

Tertia Conclusio non tenemur agere pęnitentiam, quoties peccata occurrunt memorię, patet; quia memoria diuinæ bonitatis, quæ est obiectum dilectionis non semper inducit obligationem exercendi actum amoris, ergo cum peccata sint obiecta pœnitentiæ, memoria peccatorum nō semper inducit obligationem agendi pęnitentiam, nisi forte qui meminit illorum sit adeo infirmus, vt illis delectetur, nisi illa detestetur, tunc enim tenebitur detestari peccata ne incidat in complacentiam illorum. Præterea nullum extat præceptum de huiusmodi pœnitētia, nec Deus punit bis in idipsum, vt dictum est ergo &c.

Hanc conclusionem existimant aliqui esse contra Doct. Sub, ita in 4. d. 45. q. 3. ad vltimum argumentem, dicentem quando aliquis recordatur peccatorum, aut complacet, & sic peccat, aut displicet, & sic habetur intentum, aut neutro modo se habet, & tunc videtur negligere Deum, quem tenetur diligere ergo tenetur pęnitere, alioquin peccabit. Verba autem Doctoris sunt ista. Viator non potest completa deliberatione recordari peccatum suum commissum quia detestetur, vel displiceat alioquin peccat ad minus omittendo.

Videtur etiam hæc conclusio esse contra Diuum Augustinum libro de vera, & falsa pęnitentia dicentem. Pęnitens dolorem cum uita finiat, & alibi, si pęnitentia finitur, quid relinquitur de venia, immo videtur esse contra illud Ecclesiastici 5. vbi dicitur. De propitiato peccato noli esse sine timore, ergo semper peccator manet dubius de remissione, & per consequens semper tenetur pęnitere, vt caueat periculum impęnitentiæ.

Respondetur, & primo dico. Quod Scotus arguit ibi ad hominem, nempe contra Richardum ita opinantem, atque adeo, vt ibi patet, non loquitur absolute, sed cum conditione; inquit enim. Si Viator per te o Richarde non potest completa deliberatione recordari peccatum suum commistum quin detestetur, vel displiceat, alioquin peccat ad minus omittendo, quanto magis ad hoc tenetur beatus, ratio enim communis magis ligat beatum quam viatorem, quæ est perfecta Dei dilectio, quem semper impellit ad odiendum illud, quod est contra Deum, quando actu cognoscitur, vel cogitatur patet ergo, quod non est mens Doctoris, quod peccator seu pęnitens toties teneatur detestari peccata, quoties eorum recordatur, vt optime notauit ibi Tartaretus, sed illa fuit opinio antiquorum, & Richar. contra quem arguit ibi Doct. Vnde ad argumentum dico, quod homo habendo se neutraliter non peccat, quia non agit cōtra aliquod præceptum, nec præceptum dilectionis Dei inducit talem obligationem, quia (vt diximus) bonitas Diuina, quæ est dilectionis obiectum, non semper inducit obligationem exercendi actum amoris.

Tartaretus

Ad auctoritates Diui Augustini dico Sanctos Patres loqui de pęnitentia priuatiua, non autem positiua, itaque sensus est, quod nunquam debet homo complacere in peccato.

Ad illud Ecclesiastici dico primo, quod Salomon loquitur de metu recidiuandi. secundo Dico, quod vult dicere Salomon, noli esse sine metu de propitiato peccato idest, nō habebis certitudinem remissionis moralem de qua stultū est dubitare ex hoc tamen non sequitur, quod teneatur, quis multiplicare contritionem, vt patet.

Quarta conclusio. Non tenetur homo agere pęnitentiam in diebus festiuis, hæc conclusio est contra Gab. in 3. d. 37. ar. primo Augustino verbo Contritio, & verbo festum contra Mars. in 4. q. 12. art primo, parte quinta, & D. Antoninum secunda parte tit. 9. cap. 1. videtur etiam esse contra Diuum Thom. quatenus dicit magis facere contra hoc præceptum Sabatha santifices, qui peccat, quam qui aliquod corporale opus facit, videtur etiam esse contra Doct. Subtilem. quatenus in 3. d. 27. art. 3. §. quantum ad secundum, & d. 37. §. ad primum sentit obligari homines ad diligendum Deum super omnia singulis diebus festis. Cœterum probatur nostra conclusio, quia præceptum hoc Sabatha santifices ex Ecclesiæ interpretatione ad duo obligat, scilicet ad vacādum Deo in aliquo actu latriæ, quod ex specificauit ipsa Ecclesia, vt sic audire Missam. Secundo obligat ad abstinendum a seruilibus, & corporalibus, ergo nihil aliud est addeodum, hæc autem duo quæ in hoc præcepto continentur sine actuali pęnitentia adimpleri, & obseruari possunt ergo &c. & de abstinentia ab operibus seruilibus ex se patet, de actu etiam audiendi missam ex eo patet, quia is qui est in peccato mortali potest efficere actum religionis externum, & etiam internū, prout præceptus est, quamuis ille non sit meritorius, neque ex gratia sanctificante profectus, qui modus non est præceptus atque adeo sub hoc præcepto non cadit pœnitentia.

Gabriel.
Angelus.
Marsilius.
D. Antonin.
D. Thomas.
Scotus.

Neque tamen in hac conclusione contradicimus Scoto, quia in locis supracitatis doctor loquitur dubitatiue: nam 27. d. inquit, quod illud præceptum affirmatiuum Deut. 6. & Matth. 22. diliges Dominum Deum tuum &c. obligat pro aliquando ad actum elicitum, sed quādo obliget forte determinauit illud pręceptum Sabatha sanctifices, & 37. d. inquit, quod illud præceptum Diliges Dominum Deum tuū &c. nō est simpliciter de lege naturæ inquātum est affirmatiuū, sed in quantum est negatiuum prohibens oppositū, non odisse enim est simpliciter de lege naturæ, sed aliquo amore dubitatum

bitatum est supra in tertio præcepto.lege Doct. eadem d.37. sub litera D. vnde non bene colligunt Thomistæ ex illis locis Scoti ipsum affirmasse singulis diebus festis hominẽ ad cõtritionẽ obligari,cũ vt diximus Doc.dubitatiue loquatur.

Sed contra arguitur ex verbis Domini Leuit. 23. decimo die mẽsis huius septimi dies expiationum erit celeberrimus & vocabitur sanctus affligetis animas vestras in eo,& offeretis holocaustum Domino, & patum infra, omnis anima, quæ afflicta non fuerit die hac peribit de populis suis. In quibus verbis glossa interlinearis per afflictionem intelligit pœnitentiã, ita.n.dicit affligetis animas vestras pœnitendo, sed præcepta moralia legis obligant modo,licet ceremonialia sint abrogata,sed præceptũ contritionis est morale, ergo sicut tunc obligabat diebus festis,ita & modo.

Præterea non seruat legem, qui aduersatur fini legis, sed finis huius præcepti Sabatha sanctifices est vt homines vacent Deo,& illum colant,hoc aũt cõmode non potest fieri si homo extra gratiã existat,ergo tenetur cõtritionẽ adhibere.

Ad primũ respondetur. Quod ibi non agitur de omnibus Sabathis,sed tantum de decima die septimi mẽsis, atq; adeo non habetur verbũ illud affligetis animas vestras in præcepto de obseruatione Sabathi,vt patet Leuit.16. & 23. & Exo. 16.& 20.& Num.19.sed specialiter ponitur verbum illud in quodam festo,quod celebrabatur die decimo septimi mensis,& dicebatur festum expiationis,propitiationis,& emundationis a peccato,vnde probabile est pro illo die festo fuisse specialiter præceptũ actũ pœnitentiæ,vel externũ, qui consistit in aliqua afflictione corporis, quia Iudęi tenebantur eo die se affligere ieiunijs,& vigilijs,vt ibidẽ dicit Lyranus. vel certe ẽt internum,iuxta quã expiationem per illam legẽ determinatũ fuit præceptum contritionis,pro eo tpe, vt saltem singulis annis reconciliarentur peccatores Deo per cõtritionẽ,quæ tamen lex vtpote ceremonialis iã cessauit,vnde pręceptũ cõtritionis fuit morale,& ceremoniale;morale quoad actũ,cæremoniale quoad tps,vt scilicet, in vno Sabatho totius anni mensis septimi, & decima die eiusdem mensis, nã modus & tps colendi Deum cæremonia est,atq; ita quantũ ad id quod est morale eodem modo obligat præceptũ cõtritionis,quantũ vero ad cęremoniã nõ est modo sub pręcepto.

Ad aliud dico,quod finis præcepti,vel pręcipientis nõ est sub præcepto;finis enim ieiunij est maceratio carnis , si autẽ aliquis illo die fornicetur,& ieiunet non erit reus ieiunij,similiter quãuis finis requietionis Sabathi sit vacare Deo,si aliquis ab operib. seruilibus quiescat in die sabathi,quãuis nõ vacet Deo,non erit reus præcepti.Vnde præcepta Diuina,vt optime notauit Caie.ex Doctrina Diuorum Dionysij,& Augustini non obligant in sensu spirituali,sed literali. Caiet.

Quinta concl.Præceptũ pęnitentiæ obligat in articulo necessitatis,patet quia est pręceptũ affirmatiuum,præcepta aũt affirmatiua non obligant pro semper licet semper obligent, eademq; regula obseruanda est in obseruandis præceptis affirmatiuis,non determinantibus tps,quæ solum obligant in articulo necessitatis. Est aũt articulus necessitatis in nostra conclusione tepus mortis , & tempus ministrandi aut suscipiendi aliquod Sacramentũ in trib. tẽporib. obligat hoc præceptũ pęnitentiæ interioris. Primũ quando imminet periculũ mortis naturalis aut violentæ. Secundũ quando suscipiendum est aliquod Sacramentũ. Tertium quando est administrandum.Primum probo,quia existens in articulo mortis si differt pęnitentiã constituit se in discrimen non adimplendi hoc præceptũ , si quidem post mortẽ non põt impleri , vnde crediderim ego, quod eo tpe tenetur homo agere pęnitentiam de peccatis, ẽt si multoties eã egerit. Præsumptio enim videtur ita confidere in pœnitentia præterita,ꝙ tunc omittatur : agenda enim est eo tpe pęnitentia, vt quæ eousq. forte vera non fuit,tunc Deo specialius adiuuante vera sit.Et credo oẽs viros sanctos ita fecisse. Vnde in lectionibus festi D. Augustini , quæ in nouo breuiario circumferuntur ita legimus.Solebat autem dicere.s. D. Augustinus Neminem etsi nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere vt sine pœnitentia migraret e vita.

Secundũ probatur, quia indigne accedẽs ad Sacramentũ cõmittit sacrilegium,& ponit obicẽ gratiæ,ergo peccat mortaliter,& D Paul.suscipientes Eucharistiã in mortali constãtissime iudiciũ sibi manducare asserit,& similis est licet non par ratio de alijs Sacramentis,de quib.& de Eucharistia dicitur, nolite sãctũ dare canib.nec mittatis margaritas ante porcos, p sanctũ intelligitur sacrũ Christi corpus,& p margaritas intelligũtur alia sacramẽta ꝙ administrari idignis prohibẽtur.

Tertium Probo ex illo Leuit.22.Omnis homo,qui accesserit de stirpe vestra ad ea,quæ consecrata sunt,& quæ obtulerũt filij Israel Domino in quo est immũditia peribit corã Domino.Si igitur Sacerdos legis veteris peccabat indigne ministrando , multo magis profecto deliquunt Sacerdotes nouæ legis & Isaiæ 52.Sacerdotibus sacramenta ministrantibus dicitur mundamini , qui fertis vasa Domini . Vide D. Thomam 3.p.q.64.art.6.& Scotum in 4.d.5.q.2. de Baptismo.& Gabr.ibidem quæst.vlt.dub.2.

An autem extra hęc tria tempora quisquam nouum peccatum mortale committat:quia eũ non pęnitet temere non asseruerim . Verum probabile valde mihi apparet numquã magno quempiam tempore perseuerare in peccato, quin ẽt nouũ ea causa admittat mortale , ẽt si, ꝙ difficillimum esset absq.noua cõplacentia in peccatis admissis permaneret,hoc tñ mihi certum est,ꝙ tempore,quo est confessio sub præcepto,si sacerdos deficiat,sicut cõtingit fidelibus captiuis apud infideles, tenebitur talis captiuus in peccato mortali existẽs in tali casu contritionem habere, quia differens pęnitẽtiam per longum tẽpus constituitur in discrimine peccandi mortaliter,ergo peccat si non pęnitet,iuxta illud. Qui amat periculum peribit in illo . D. Thom. Scotus. Gabriel.

Sexta Conclusio.Ex parte finis vt hõ reconcilietur Deo, necessarium est statim post peccatũ pęnitere,quia vt dictũ ẽ pęnitentia est necessaria ad peccatorum remissionem,& est secunda tabula post naufragium & Lucæ 13.dicitur.Nisi pęnitentiam egeritis &c.

Septima Conclusio. Præceptum pęnitentiæ post peccatũ commissum obligat statim quantum ad actum contrarium de non complacendo in peccatis .

Probatur ex secundo fundamento , quia omne præceptũ affirmatiuũ includit negatiuũ de actu cõtrario,obligãs pro sẽper,vt dictũ est,sed hoc præceptũ age pęnitẽtiã, hoc ẽ de peccatis displice, includit hoc negatiuum nõ complaceas in peccato,ergo obligat semper ad non complacendum .

Post hæc agendum est de essentia , & qualitate Pęnitentiæ interioris,nẽpe contritionis, & primo explicanda est contritionis Definitio , deinde agendum est de fine contritionis, atque eius obiecto;& postremo de eius qualitate,quæ omnia in contritionis definito ne continentur.Sic n. contritio definitur. Contritio animi dolor & detestatio est de Peccato commisso cũ proposito nõ peccãdi de cætero.Concil,Trid. sess.14.c.4.

Primus Art.Vtrum contritio sit dolor hoc est actualis nolitio peccatorum .

Secundus Art.Vtrum contritio seu talis nolitio , aut peccatorum detestatio debeat esse propter Deum .

Tertius Ar.Vtrũ de lege per solũ actũ dilectionis Dei super oĩa absque actuali pœnitentia remittatur aliquando peccatũ.

Quartus.Art. Vtrum Martyr per martyrium absque actuali penitentia peccatorum iustificetur .

Quintus Art Vtrum sola oratio sit satis aliquando ad peccatorum remissionem sine actuali illorum pænitentia , vel displicentia .

Sextus.Art.Vtrum contritio sit de commissis peccatis actualibus proprijs .

Septimus Art. Vtrum de singulis mortalibus culpis requiratur singularis contritio .

Octauus Art.Vtrum ad perfectam contritionem requiratur actuale propositum non peccandi de cætero & confitendi, atque satisfaciendi tempore debito .

Nonus Ar.Vtrũ ad contritionẽ sit necessarius sũmus conatus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum contritio sit dolor hoc est actualis nolitio peccatorum.

De contritione duplex est cõsideratio.s.quatenus actus virtutis est,& quatenus est pars sacramenti;hic nõ agimus de contritione,quatenus est pars sacramenti;de ea.n. vt licet erit sermo in sequentibus,sed hic agimus de ea secũdũ priorẽ cõsiderationẽ. Solet aũt cõtritionis nomẽ dupliciter accipi primo generatim vt cõprehẽdit attritionẽ, vt patet ex conc.Trid.sess.14.c.4.alio mõ pro quodã actu pfecto,& sufficiente ad remissionẽ peccati in ratione dispositionis,etiam absq.reali susceptione sacramẽti,atq.ita nũc de illa agimus. *Contritio bifariã considerari põt.*

Vnde

illumq; tamquã oĩs Iustitiæ fontẽ diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationẽ &c. Hanc etiam docet Doctor sup. q. 2. ar. 2. dicẽs, *Scotus.* primũ gradum pniæ esse considerare peccatũ quatenus Dei offensiuũ, & in responsione ad vltimũ vbi docet pniam non esse veram quantum ad finem attingendum sine charitate.

Pro explicatione huius quæstionis obseruandum est primo, ꝙ simul tẽpore habeat aliquis charitatẽ, & pniam, hæ duo tñ possunt sibi inuicẽ esse causę vt supra diximus, ita ut charitas in genere causæ formalis sit prior pęnitentia hoc est præsupponatur ad pęnitentiam, & sit eius causa. Et pęnitentia in genere causæ materialis pręsupponatur ad charitatem, quæ disponit animam ad gratiam.

Secundo obseruandũ est, ꝙ aliud est quærere, an pnĩa perficiatur ex timore pęnarum, aut desiderio gloriæ, vel amore virtutis, & vitij odio, ita ut sit præcisa ratio pęnitendi, aliud vero an perfecta pœnitentia possit exordium sumere a timore gehennæ, vel ab amore gloriæ.

Ad contritionẽ necessaria est dilectio Dei super omnia. Tertio obseruandũ est, ꝙ ad cõtritionem est necessaria dilectio Dei super oĩa. Cum.n. Deus sit super oĩa diligibilis, nõ diliget eũ absolute, qui non diligit super oĩa, quod vero ista dilectio sit necessaria constat ex illo diui Lucæ. c. 8. vbi Dominus dixit de Magdalena, remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multũ, vbi causam remissionis peccatorũ dilectionẽ appellauit Dñs, & 1. Io. 3. Qui non diligit manet in morte, ergo, qui hẽt cõtritionẽ hẽt dilectionẽ Dei super oĩa.

Quarto obseruandũ est, dilectionem Dei requiri necessario ad contritionẽ bifariam intelligi põt, vno modo formaliter, ideo ꝙ hic amor ad contritionem necessarius debeat esse formalis actus amoris directe tendens in Deum, aut in obiectum, ꝙ super oĩa diligitur. Adeo ꝙ contritio sit quid moraliter constans ex duob. actibus. s. ex peccati detestatione, & ex actuali dilectione Dei super omnia. Alio modo virtualiter, ita ut peccator iustificetur absq; proprio & formali actu amoris Dei in reipsa tunc elicito, sed per detestationem perfectã peccati, quæ & virtualiter & voto amorẽ includat, qualis est detestatio peccati, quatenus est contra bonum Dei in se, atq; eius dissoluit amicitiam, quæ detestatio vere dici põt esse propter Deũ summe dilectũ, quia est elicita ex charitate eius, & respiciendo solum ad bonitatem & amicitiam eius, non est tamen hæc displicẽtia amor Dei formalis, quia ille actus non tendit in Deum directe, vt in obiectum, quod sed quo, i. solum respicit illũ, vt rõnem proximam detestãdi peccatũ, Tum quia ille actus non est formaliter actus prosequutionis, sed fugæ, amor aũt formaliter sumptus est quædã prosecutio sui obiecti, & quasi virtualis coniunctio ad illud, vnde actus dicatur formalis amor Dei, nõ est satis quod sit elicitus a charitate, quia charitas habet vnũ obiectum primarium, ꝙ est Deus, & alia secundaria, ex quib. quędã amat propter Deum, vt proximum, alia odio habet vt peccatum. est ergo illa detestatio virtualis amor Dei tantum. His suppositis respondetur ad quæstionem quinq. conclusionibus.

Prima conclusio. Qui peccatorum pœnitet propter timorem gehennæ, vel pęna temporalis tantum, vt ad Hębreos 12. contigit Sauli, Antioco, & Esau non cõsequitur veniam, sicut nec qui pœnitet amore virtutis aut propter gloriam amissam, horum omnium vna est ratio, quia. s. talis pœnitẽtia oritur ex amore proprio, qui secundum D. Augustinum 14. *D. August.* de Ciuit. cap. vlt. ædificat Ciuitatem babilonis

Secunda conclusio. Vera Pœnitentia aliquando initium sumit ex timore gehennæ, spe gloriæ, aut ex fide Probatur *Conc. Trid.* ex definitione Concilij Tridentini sess. 6. c. 6 vbi dicitur Peccator adiutus fide, & concussus timore, erectus spe gloriæ, incipit diligere Deum, ac propterea mouetur ad detestationẽ peccati, & Matt. 7. dicitur eum timere, qui potest animã, & corpus perdere in gehennam, ergo dilectio exorditur a timore. Sicut.n. arcus non põt ædificari nisi supposita fimbria, & tamen potest manere absque illa, ita dilectio præsupponit aliquando timorem gehennæ, manet tamen absque illo. Vide Nauar. in summa cap. 1. num. 42. *Nauar.*

Tertia Conclusio. Pœnitentia sufficiens ad remisionẽ peccatorum absque Sacramento in se, qualis est contritio oritur ex dilectione Dei, hæc veritas definita est in Conc. Trid. *Conc. Trid.* vbi sup. sub his verbis. Peccatores incipiunt diligere Deum omnis iustitiæ fontem, ac propterea mouentur aduersus peccata per odiũ aliquod, & detestationẽ, idem insinuant verba Zachariæ primo. Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, & 1. Ioan. 3. dicitur, qui non diligit manet in morte, & propterea, qui habet contritionẽ pertinet ad Ciuitatem Dei, quia contritio est vltima dispositio ad gratiam, per quã homo constituitur in Ciuitate Dei, sed nullus pertinet ad Ciuitatem Dei nisi per amorem Dei vsq. ad contemptum sui, vt docet D. Augu. vbi sup. ergo necessarius est amor Dei vsque ad contemptum sui ad contritionẽ. *D. August.* Preterea contritio est detestatio peccatorum propter Deũ, ergo necessario præsupponit aliquem actum voluntatis circa Deum, sed non est intelligibilis alius actus præter amorem, ex eo enim, quod Deũ amamus, detestamur eius offensas ergo &c. necessario enim odium pręsupponit amorem, ergo cum contritio includat odium peccatorũ pp Deum, necessario Dei amorẽ requirit.

Quarta concl. formalis Dei amor per se loquendo est necessarius ad iustificationem peccatoris tamquam medium, & rebus ipsis consentaneum, & a Deo requisitum, hanc cõclusionem probant rõnes, quib. probata est tertia conclus. & probatur ẽt a priori, quia contritio dicit sufficientem dispositionem ad remissionẽ peccati, quæ remissio secundum legẽ ordinariã non fit nisi restituatur homo in Dei amicitiam, & eleuetur ad statum gratiæ, & charitatis. ergo talis dispositio non consumatur sine vera dilectione Dei. Probatur consequentia, tum quia amicitia non est sine mutuo amore, peccator aũt prius non amabat, ergo vt instituatur amicus, necesse est vt amando conuertatur, tum ẽt, quia inimicitia per amorem expelli debet. Et confirmatur: nã peccator cum delinquit se auertit a Deo, vt ab vltimo fine, ergo vt tollatur hæc auersio per se necessaria est formalis conuersio in vltimum finem, iuxta illud conuertimini ad me, & ego conuertar ad uos, hæc autem conuersio non fit nisi per amorem.

Contra hoc arguitur. Si necessaria est dilectio ad contritionem, vel pęnitentiã ergo superflua ipsa pnĩa, patet quia solum dilectio Dei super oĩa sufficit ad remissionẽ peccati, vt infra videbimus. Respondeo prænotando, ꝙ actus dilectionis Dei non esset necesse, vt exerceatur per actũ realiter distinctũ ab ipsa detestatione peccati, quæ ex illo nascitur, q a rũ illa duo obedientia sint ita connexa, vt vnũ sit aliquo modo pp aliud, probabile est fieri posse, vt vno actu simplici vtrumq; attingatur ad eo quod esse põt, quod actus dilectionis sit idem numero cũ actu pniæ, vel põt ista dilectio præcedere actum pęnitendi, ita ut sint duo actus per modũ vnius, vnus dilectionis, alter pniæ. Modo ad argumentũ. Dico ꝙ nunquã quando aliquis recordatur peccatorum cõsequitur veniã per solam dilectionẽ, quia si pnia, & dilectio sunt vnus actus, iã patet, si aũt sunt duo ita ut prius habeatur actus dilectionis, & ex eo sequatur pœnitentia, tunc dilectio præcedens pœnitentiã non est sufficiens ad remissionẽ peccatorum donec homo pœniteat, quia quando recordatur peccatorum, non sufficit sola dilectio absq. pęnitentia actuali. Vnde numquã pnĩa superfluit. Etsi dicas contra. In casu proposito, quando. s. dilectio præcedit pœnitentiã peccator diliget Deũ, ergo diligetur a Deo iuxta illud Sap. 7. Ego diligẽtes me diligo &c. & per consequens pœnitentia superfluit tunc, & non erit secunda tabula post naufragiũ. Respondetur negãdo, ꝙ peccator diligat Deũ perfecte ante pœnitentiam, esto enim quod peccator habeat illũ actum velle placuisse Deo in omnib. & deinceps propono placere si recordetur tũc peccator, & cum non pęniteat non placet Deo, ergo ille actus absq; pnĩa est imperfectus & insufficiens ad remissionẽ peccatorum, vnde sunt attente consideranda verba Cõcilij vbi sup. nõ. n. dicit, ꝙ ante pniam peccator diligit Deũ, sed quod incipit diligere. vide textum, & si ad hoc dicas, dilectio est actus charitatis infusæ, ergo iam ante pęnitentiam habet homo charitatẽ. Respõdetur quod existẽs in mortali addictus aliquo speciali auxilio potest habere prædictum actum dilectionis imperfectæ ante infusionem habitus.

Quinta concl. fieri põt vt peccator iustificetur absque proprio, & formaliter actu amoris Dei in reipsa elicito per detestationem perfectam peccati, quæ & virtualiter, & voto amorem includat. Probatur conclusio: nam si homo hẽt hãc detestationem perfectam peccati ante formalem amorẽ iustificabitur, ergo illa erit vera contritio, quia secluso formali amore, nemo põt iustificari extra Sacramentũ (vt nunc loquimur) nisi per contritionem, sed homo potest habere hãc detestationẽ ante formalem amorẽ, ergo formalis amor non est de necessitate contritionis. Maior siue prima conditionalis probatur primo, ex scriptura, quæ remissionẽ peccati promittit detestanti illud vtiq. detestatione perfecta, Ezech. 33. si auerterit se peccator ab iniustitia sua &c. vt ps. 32. Dixi cõ-

fitebor

Prima Conclusio. Quando aliquis recordatur peccatorū mortuorū non habuit pœnitentiā non potest consequi eorū remissionē per solā dilectionē Dei super omnia sine formali penitētia. patet; quia ex cōmuni Doctorū sentētia, qui ignorat aliquod peccatū cōmissū excusatur ab eius actuali displicētia pp ignorantiā: ergo qui nō ignorat & est bene cōscius peccatorū, nullā habebit excusationē, quominus eū suorum peccatorū pœniteat; hæc cōclusio est cōmunis & verissima, sed de casu impossibili, Vñ melius diceretur, q habet dilectionē Dei super oīa, & alicuius pēccati recordatur impossibile est quin illius pœniteat; Qui.n. diligit aliū super oīa diligibilia, & recordatur offensæ in eū cōmissæ statim eū peniter peccati cōmissi. Sed nota q̃d nec in hac conclusione, neq; in reliquis de perfectissimo actu martyrij loquimur, de quo articulo sequēti erit specialis sermo. Hęc tñ cōclusio videtur esse cōtra Vegā, & Medinā, quatenus dicūt hominē posse iustificari sine formali penitētia per dilectionē Dei super oīa, etiā qñ peccata memoriæ occurrūt; nisi istorū sentētia limi-

Nauar.

tetur queadmodū eā limitat doctissimus Nauar. in Manua. c.1.nu.5. nēpe hāc sententiā procedere tm̄, qñ defectus tēporis, aut incōsideratio iculpata peccatorū fuit in causa quominus formaliter peniteret, q̃d etiā vt mihi videtur sensit aperte ipsemet Vega vbi supra c.34. propositione 4. vbi ita scribit, q̃d si dilectio Dei super oīa talis sit, vt pteritū & futurū respiciat, & per eā sic velimus, & seruare, & seruasse in oībus mādata Diuina, vt cū illa nō stet cōplacentia alicuius peccati mortalis, immo ex ea si meminerimus cōtinuo sequatur omniū lethaliū peccatorū pęnitētia, sufficere quidē poterit sine alia penitētia ad iustificationē. Tertia itaq; opinio, q̃ ab aliquibus Vegæ attribuitur nō est eius, sed potius

Corduba.

Medinæ vt docet Cordub. l.1 q.q.15. Ad fundamētū vero Vegæ, & Medinæ quatenus esse possūt contra nostrā cōclusionē respōdetur, & ad primū dico, quod dilectio Dei sup oīa nō est exceptio præcepti pęnitētiæ, nisi qñ nō est pęnitētiæ locus, atq; ita talis dilectio iustificat sine cōtritione formali, qñ peccata nō occurrūt memoriæ, qñ vero occurrunt, locus est pęnitentiæ formalis, atque adeo tunc necessitas pęnitentiæ nullam patitur exceptionem.

Et ad illud de Magdalena respōdetur, Q̃d Christus ī illis verbis exprimēs vnā primā causā peccatorū, nō excludit alterā, immo beatissimā Magdalenā habuisse formalē cōtritionē peccatorū apertissime lacrymæ illæ profusæ copiosius, quæ à solo Christi amore nequaquā profluxerūt, sed propterea abūdātius flebat, quia maxime dolebat illū offendisse, quē intēsius diligebat. Discite inquit B. Gregor. quo dolore ardet, quæ flere, & inter epulas non erubescit, & infra, oculis terrena concupierat, sed hos iam per pœnitentiā conterens flebat, quia maxime dolebat illum offendisse.

Ad aliud dr. Diligere Deū diligētes se, qñ vero inde colligitur ergo peccator cui etiā peccata in memoria manēt diligēs Deū super oīa iustificabitur sine detestatione formali peccatorū, nō est admittēdus talis casus: quia nō potest homo Deū super oīa diligere sicut requiritur ad iustificationē sine Dei speciali auxilio, vt supra diximus; Deus autē nō pstat auxiliū speciale ad iustificationē illi, qui nō habet penitētiam formalē, qñ illā potest habere, quia talis homo prætermittit medium necessarium ad iustificationem.

Scotus. Gabriel. Maior. Medina. Vega. Nauar.

Secunda Cōclusio. Aliqñ potest remissio peccati mortalis obtineri sine formali actu pęnitētiæ. Hæc est sentētia Scoti & Gab. locis supracitatis, & eādem tenet Maior. d.14.q.1. & Medina tractatu de pęnitētia q.2. ad tertiū. Vega vbi supra, & etiā Nauar. quæ conclusio intelligēda est, qñ aliquis nō est conscius alicuius peccati indemissi, tunc enim si perfectā dilectionē Dei super omnia habuerit, consequetur huiusmodi peccati remissionem absque actuali pęnitentia, vel peccatorum recogitatione, Casus de peccatis oblitis communis est, & mihi certus, & ratio a posteriori est; quia in eo casu excusatur homo ab obligatione agendi pęnitentiā. (suppono.n. obliuionē esse naturalē & inculpabilē) pęnitētiæ.n. præceptū nō obligat, nisi supposita cōsciētia peccati mortalis; quia solū pp illud delendū necessaria est, ergo non peccabit ille homo non agendo pœnitentiam, ergo potest alio actu vel remedio cōsequi peccatorū veniā, quia alias homo ille implēdo oīa præcepta, quæ illi possunt occurrere, vt necessaria, & sufficientia ad salutem, & habens fidem, & spem (vt suppono) adhuc maneret extra statum salutis, quod est magnum inconueniens; & hic casus per obliuionem est extendendus, non solum ad obliuionem habitualem, seu in actu primo, sed etiam ad actualem, seu in actu secundo quæ solet dici naturalis inconsideratio: quia in rebus naturalibus eamdem vim habet ad excusandum actualis inconsideratio inculpabilis pro eo instanti, vel tempore, quo est quam habet altera obliuio: ergo & in præsenti habebit, quia naturalis inconsideratio dum est, ita causat inuoluntarium sicut ignorantia vel obliuio quādiu durat, quia ad volendum non sufficit habitus sed necessaria est actualis cogitatio.

Probatur etiam a priori: quia posita hac naturali inconsideratione, vel obliuione voluntas potest per formalē actū dilectionis super omnia conuerti in Deū non exercēdo pro tunc formalem actum pęnitentiæ, at si habeat illum actū amoris statim iustificatur, ergo consequitur remissionē peccati sine formali actu pęnitentiæ, Minor probatur nā illa verba Ioan.14. qui diligit me diligetur, &c. æquiualent illi cōditionali, hīc illa.1. Ioan.4. Omnis qui diligit ex Deo natus est, dilectio aūt Dei incompossibilis est cum peccato ergo &c.

Et si dicas. Verbis comminatoriis inquit Dñus, Nisi pęnitentiam egeritis &c. ergo absq. pęnitentia nequit peccatū quantumcumq. oblitum remitti, Respōdetur, q tales actus dilectionis Dei super oīa est ēt actus pęnitentiæ nō actualis sed virtualis, & qui obliuiscitur peccati excusatur a pręcepto actualis pęnitētiæ. Et si dicas ergo in tali casu sufficit inchoatio nouę vitę, vt dicebat Lutherus. Negatur cōsequētia, quia talis actus dilectionis Dei super oīa æquiualet pęnitentię actuali: est.n. virtualis pęnitentia, quia si recordaretur peccator absq. dubio peniteret, & per cōsequens hæc dilectio Dei super oīa dicit quodammō respectū saltē virtualē ad vitam pręteritam; Lutherus aūt negabat aliquem respectū esse necessariū ad vitā pręteritā, vt remissio peccatorū obtineretur, præterquā q licet hō per solā dilectionē iustificetur; adhuc tñ remanet illi obligatio detestandi peccata formaliter & expresse suo tpe. Et si iterū dicas. Dilectio Dei super oīa oritur a Charitate, ergo præsupponit illā, & per consequens iustificationē, ac proinde nō pōt esse ipsius iustificationis causa. Dico q aliqñ charitas infusa est principiū elicitiuū actus dilectionis Dei super oīa, vt constat in iā iustificatis, aliqñ vero ipsa dilectio Dei est causa dispositiua, vt cōmunicetur nobis charitas infusa, & hoc fit qñ hō iustificatur per solā dilectionē Dei super oīa, atq. adeo aliud est dilectionē Dei sup oīa non esse sine Charitate infusa, & aliud est dilectionē Dei super oīa posteriorē esse charitate infusa, atq. illā præsupponere; fateor dilectionē hmōi non esse sine charitate, mox.n. vt illa habetur Deus qui piget non est, sed promptissimus ad amandum habentem illam redamat, & charitate infusa atquealiis præcellentibus donis exornat, sed charitatem infusam præcedere hanc dilectionem, neq. posse absq. illa haberi cum Dei adiutorio speciali hoc non admitto.

Tertia conclusio extra casum naturalis obliuionis, vel inconsiderationis nūquā remittitur peccatū sine formali actu pęnitētiæ, ita docent oēs, excepto Medina, loco supracitato. Probatur, quia per se loquendo formalis pęnitentia est medium necessarium ad remissionē peccatorū, ergo qñ potest commode adhiberi non dabitur remissio sine tali medio, at vero quando homo cogitat actu de suis peccatis pōt facile adhibere remediū penitentiæ, & non legitime excusabitur exercendo solum actū amoris; quia amor non impedit peccatorū detestationē, si actu cogitantur: imò ita mouet ad illā, vt vix homo possit continere dolorem, si vere amat, etiam si velit; maxime quando intelligit peccata non dum fuisse remissa. Estq. intelligenda hæc conclusio, quādo memoria peccatorū practica est. i. quando occurrunt tamquam detestanda & delenda: nam alioquin non repugnat habere hominē cognitionem quasi speculatiuam de peccato, & habere naturalem inconsiderationem detestationis eius, vt aūt hō moueatur ad exercendum actum non satis est cogitatio ipsius obiecti secundum se, sed necessaria est aliqualis ipsius actus consideratio, Hanc vero si moraliter & regulariter loquamur semper excitabit amor si verus est præterim si coniunctam habet memoriam diuinæ offensionis. Hæc conclusio est fere eadem cum prima, quam tamen sub hac forma induxi, vt ostenderem quænam fuerit opinio Doct. nam falso ab aliquibus sibi īponitur huius cōclusionis oppositū sēsisse.

Intelligitur conclusio (.s. q ad deletionem culpæ mortalis post baptismum commissæ requiritur punitio voluntaria) de requiri non simpliciter necessario, cuius oppositū includit contradictionem, quia posset Deus remittere sine omni

actu illius, cui remittitur. Nec de requiri necessario sup, posito actu hominis cui remittit.

Posset. n. Deus remittere per aliquem motũ feruentẽ dilectionis in Deum absq. quocumq. prædictorũ actuũ sub propria ratione, vt pote in actu feruoris ad martyrium statim subsinendum, vbi forte non esset cogitatio de aliquo peccato mortali prius commisso, nec per consequens aliquod pœnitere prædictum, & hoc formaliter, licet virtualiter in illo motu esset pœnitere secundum secundam significationem, hactenus Scotus. in quibus verbis non loquitur nisi in casu Martyrij de repente oblati, & quando non est memoria peccati mortalis prius commissi.

Vltima conclusio. Quando aliquis consequitur remissionem peccatorũ, quorũ non est memor virtute dilectionis Dei super omnia tenetur eorũ pœnitere si postea recordatur, patet a simili in Baptismo, & in confessione. Iustificatus. n. ante baptismũ tenetur nihilominus baptizari, simile iustificatus ante confessionem, tenebitur confiteri tempore debito, vt adimpleat præceptũ confessionis, similiter iustificatus per dilectionẽ Dei super omnia tenetur peccatorũ pœnitere, si postea recordatur Vide Vegam vbi sup. c. 35.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Martyr per Martyrium absq. actuali Pœnitentia peccatorum iustificetur.

Alex. de Ales *D. Bon.* DE hac re est triplex opinio prima est Alex. de Ales p. 4. q. 8. m. 9 ar. 5. §. 1. & D. Bonau. in 4. d. 4. p. 2. ar. 1. q. 2 q negant per martyrium posse conferri primam gratiã; atque adeo necessariam esse contritionem, & consequenter charitatem elicientẽ, aut imperantẽ, vel saltẽ informantẽ, & viuificantem opus Martyrii, videtur ẽt hanc sententiã docere D. Thom. quatenus docet in 3. p. q. 66. at. 12 Sanguinis *D. Thom.* effusionem non habere rationem baptismi, si sit sine charitate, ex quo infert, q baptismus sanguinis includit baptismũ flaminis, & in corpore articuli dixerat virtutem spiritus Sãcti operari in baptismo aquæ per virtutẽ latentẽ, in baptismo pœnitentiæ per cordis commotionẽ, in baptismo aũt sanguinis per potissimum dilectionis actum; requirit ergo D. Thom. dilectionẽ, & charitatẽ vt Martyrium habeat baptismi effectũ; quã opinionẽ constantissime defendit Cano, re- *Canus.* lectione de pœnitentia p. 3. imò addit non sufficere ad consequendũ effectum Martyrii, etiam dilectionem Dei super omnia in eo, qui peccauit mortaliter sed omnino necessariũ esse formaliter dolorẽ, & contritionẽ peccatorũ, vt sine illo nũquã remittantur, etiã si adsit absoluta Dei dilectio super oĩa actu imperans martyrium: sed in hoc excessit: non. n. solũ in casu martyrij (vt videbimus) sed ẽt absolute, & per se sola dilectio Dei super oĩa si continga separari ab actuali detestatione est sufficiens dispositio ad gratiã obtinẽdã: nã satis est, q virtute & voto detestationẽ includat, vt ostẽdimus ar. præcedenti, fundamenta huius sententiæ sunt hæc.

Primũ fundamentũ sumitur ex verbis D. Pauli. 1. ad Corinth. 13. si distribuero in cibos pauperũ oẽs facultates meas, & si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest.

Quo in loco euidẽter loquitur D. Paulus de insigni actu eleemosynæ, & de actu Martyrii, & de vtroq. eãdẽ statuit legẽ, quoad Charitatis necessitatẽ: ergo sicut actus eleemosynæ, quantũ vis in suo genere si nõ supponit charitatẽ & aliquo mõ ab ea procedit, nullius est valoris apud Deũ, ita & mors seu martyrium. Itẽ si martyriũ sufficeret ad remissionẽ peccatorũ eadẽ ratione sufficeret sola voluntas patiẽdi Martyrium, q est erroneum. Sequela probatur, quia actus exterior no addit quidquã bonitatis aut malitiæ actui interiori. Falsitas consequentis ex eo patet. quia tunc absq. pœnitentia actuali, aut virtuali inchoare posset peccator nouam vitam, quod est error Lutheri.

Præterea. Ille patitur martyriũ, cui occiditur in cõtumeliam Christi: sed si sufficit martyriũ ad iustificandũ peccatorẽ, qñ occiditur dũ est vigilans, ergo similiter sufficit si occidatur inter dormiendũ, patet cõsequẽtia, quia vtrq. occidit in contumeliã Christi. Deinde quæro, qñ Martyr existẽs in peccato obtinebit primã gratiã, vel in instanti mortis, & hoc non: quia illud instans est primũ non esse suis, & est iã extra statũ viæ, & per consequens extra statu salutis: si ante instans mortis cõsequatur gratiã. sequitur q nõ cõsequitur eã ratione Martyrij de cuius ratione est mors.

Postremo si Martyrium confert gratiam tam paruulis quam adultis, sequeretur quod esset sacramentum, si quidem paruulum ex opere operato iustificat.

Secunda opinio huic omnimodo contraria affirmat martyriũ nullã omnino dispositionẽ respicere, vt suũ effectum conferat præter illã voluntatẽ moriendi pro Christo a qua martyriũ imperatur. Quæ sententia explicari põt tribus modis. Primo asserendo per se, & non tm̃ per accidens illã voluntatem esse sufficientẽ dispositionẽ, ita vt q quamuis hõ ad martyriũ rapitur, actu recordetur se esse in statu peccati mortalis, non tenetur aliquã pœnitentiã agere, neq. in illis interioribus actibus occupari, præterquã in illã voluntatem fundendi sanguinẽ pro Christo, nã hæc erit illi sufficiens dispositio ad gratiã, & remissionẽ peccati obtinendã, & hanc sententiã ita explicatã tenet Vega lib. 6. in Concil. Trid. c. 36. *Vega.* & 37. cuius fundamentũ esse põt: quia martyrium est per se sufficiens mediũ ad salutẽ non minus quã pœnitentia, ergo qñ hoc remediũ præsens adest, põt hõ illo esse contentus aliis prætermissis, tũ quia actus Martyrii est per se difficillimus ergo qñ instat eius occasio, & necessitas: non est obligandus hõ vt ad exercendos alios actus diuertatur, & distrahatur ne virtus in pluribus diuisa in singulis fiat minor, poterit se ergo totũ colligere, & in sola illa voluntate martyrij occupare, vt eã constanter, atq. efficaciter eliciat; ergo illa dispositio ei sufficiet. Tũ ẽt, quia illa volũtas est virtualis quędam dilectio Dei super oĩa, & displicentia peccatorum omniũ, ergo erit sufficiens dispositio ad effectũ martyrii, antecedens patet quia per eã voluntatẽ hõ contẽnit propter Deũ id, q est in hac vita maioris existimationis, nã dat vitã, ne Deum offendat: & diligit eum plusquam seipsum, & virtute detestatur Dei offensam super omne detestabile.

Secundo explicari põt hæc sententia, q præter volũtatẽ Martyrii requiratur per se loquendo aliqua dispositio ad effectũ eius in eo, qui antea erat in statu peccati, nam in eo qui est in gratia, ipsa gratia est sufficiens dispositio, ratio est, quia formalis pœnitentia est per se necessaria ad salutẽ, Cæterum hæc dispositio requisita põt esse sola attritio, quia baptismus sanguinis est efficacior, quã baptismus aquæ, teste D. Cipriano de laudibus Martyrij, sed Baptismus aquæ per se est efficax cũ tali dispositione, ergo multo magis erit baptismus sãguinis: per accidens tñ propter inaduertentiã, & obliuionẽ sufficere põt voluntas illa moriẽdi pro Christo absq. alia formali pœnitentia, seu dispositione, vt si aliquis repente cogatur fidẽ confiteri, & totus in eo actu occupatus, omnino nõ recordetur actu vitæ præteritæ, nec status sui, & subito in eo actu interficiatur, tunc enim & ratione obliuionis excusabitur ab omissione pœnitentiæ seu alterius dispositionis, & ratione illius voluntatis moriendi pro Christo censebitur satis dispositus ad iustitiam per martyrium obtinendam. *Cyprian.*

Tertio explicari põt q per se loquendo dispositio necessaria ad effectũ martyrij est cõtritio & charitas: ita vt si Martyr sciens & volẽs illa omittat nihil sit illi martyriũ ad salutẽ profuturũ, quia Martyriũ per se nõ aufert necessitatẽ aliorũ mediorũ, tñ ex accidẽti & ob ignorãtiã interuenientẽ potest sufficere attritio, quia alioq. nũqũ martyriũ daret primã gratiã, tãtaq. põt esse ignorãtia, et obliuio, vt sola voũ as Martyrij sufficiat sine alia dispositiua dispositione, dũmõ nõ adsit actualis affectus ad peccatũ, q hoc satis ẽ vt nõ ponat obex.

Tertia sententia media esse põt solã voluntatẽ moriendi pro Christo numquã sufficere ad effectũ martyrii absq. alia dispositione: quia oportet voluntatẽ formaliter auerti a peccato, vel conuerti in Deũ; non esse tñ necessariũ, vt hæc dispositio semper sit contritio, vel amor Dei super omnia, sed sufficere posse attritionem, aut per se aut per accidens ob ignorãtiã seu inaduertẽtiã, iuxta varias opiniones supra tractatas: adeo q iuxta hãc sẽtẽtiã, si q in Martyrio positus est inducias habet, vt possit peccata recolere, tenetur quidem. V.g. Dum est in Carcere, immò si est copia Ministri, tenetur tunc temporis confiteri, quia Martyrium non aliter potest supplere vim pœnitentiæ, quam baptismi suppleat, non aũt huius vicem supplet, nisi qñ eius copia haberi non põt, ergo nec pœnitentiam supplebit, si tñ fidelis rapitur ad Martyriũ, & eius atrocitas sic occupat mentem, vt peccati nequeat recordari, iustificabitur quidem nulla alia præuia dispositione & hãc sent. docet expresse Doc. Sub. sub hac dist. q. 1. ar. 3. quẽ sequuntur Gab eadem d. q. 1. ar. 2. conclusione 2. & Sotus in 4. d. 15. q. 1. art. 2. concl. 3. *Scotus. Gabriel. Sotus.*

Pro solutione quęstionis obseruandũ est primo, hoc differre inter infantes, & adultos, q in illis martyrium non requirit consensum voluntatium ipsius martyrij, sed sufficit

violenta

violenta mors a tyranno pp Christum seu in odium Christi illata, at vero in adultis de ratione martyrij est volũtatis cõsensus, vt docent Alex. de Ales vbi sup. & D. Thom. 2. 2. q. 124 ar. 1. & 2. & Caiet. ibi. Secundo obseruandũ est ad martyrij rationem, vt scriptura & sancti de illo loquuntur necessarium esse, vt hæc voluntas quæ mors pro Christo acceptatur sit honesta, & aliquo mõ supernaturalis, quia necesse ẽ, vt procedat ex honesto motiuo, nã si fiat pp gloriam vanã, aut famam, aut simile humanum commodum, nõ meretur illa mors nomen martyrij, vt merito docent omnes Theologi; quia talis mors, neq. est actus virtutis, neq. est pp Deũ, seu Dei amorẽ aliquo mõ, neq. pp cõfessionem Christi, sed propter inanem gloriã, Vnde de illo, qui sic moritur recte dici potest recepisse mercedẽ suã, & in illũ optime quadrat, ꝙ ait Paulus, si tradidero corpus meũ ita vt ardeã &c. Dẽet aliquo modo esse supernaturalis, nẽpe ex speciali Dei auxilio, & ex supernaturali fide Christi alias non pateretur hõ vt Christianus, sed vt Philosophus, & per consequens non posset dici pati aut mori pro Christo, aut pro defensione fidei, vel Christianæ Religionis, quia tenditur ad supernaturalem beatitudinem. Vnde si contingat hominem hæreticũ circa vnam fidei veritatem mori ob confessionem alterius veritatis fidei, ille non erit Martyr neq. vllũ effectũ martyrij consequetur, vt eleganter tradit Cyprianus Epistola 52. 54. & 73. ad Iulianum, & Aug. lib. 1. de Baptismo c. 13. lib. 3. c. 16. lib. 4. c. 17. & ratio est quia qui caret fidei fundamento nullo mõdo est Christo vnitus, ergo non põt mori ꝓ Christo, aut pro eius fide; nã licet videatur mori pro aliqua veritate, quæ ad fidẽ spectat; tñ sicut hæreticus illam non credit ex motiuo fidei, sed ex humana aliqua ratione, & iudicio ꝓprio pertinaciter defendendo, cuius iudicium est, quia eodẽ modo erit paratus ad moriendum pro quacumque alia re, quam simili modo credit, etiam si contingeret illã esse catholicæ veritati repugnantem; legite Vegam. Vbi supra.

Alex. de Ales. *D. Thom.* *Caiet.*

Martyriũ vt conferat primã gratiam quid requirat.

D. Cyprian. *D. August.*

Tertio obseruandum est, non esse de ratione Martyrij, vt procedat ex actuali charitate, & dilectione Dei super omnia, qm̃ põt hic actus per se loquendo & cõsiderata arbitrij libertate adiuncta gratia diuina elici a fortitudine infusa ex proprio motiuo absq. actuali imperio charitatis, vel ex imperio religionis, & intẽtione Diuini cultus. Qũo põt quis velle mori ne cultum soli Deo debitum transferat in Idolum, vel ex imperio virtutis obiectæ, vt si quis velit mori potius, quam diuinam legẽ trãsgredi, vel ex pia affectione ad fidẽ, vt contingere potuit in multis martyribus, vel deniq. ex solo intrinseco motiuo fortitudinis, quia intrinsece, & p se honestũ ẽ cõstanter tolerare mortẽ, qñ oportet propter maius bonũ. Põt igitur dari voluntas supernaturalis moriendi pro fide, aut Religione absq. actuali Dei amore super omnia, & mors illa volũtate accepta habebit verã, & essẽtialẽ rationẽ martyrij, quia & est opus virtutis, & est in cõfessionẽ Christi, & quasi in maximũ testimoniũ, & irreuocabile fidei. Nihil aũt aliud videtur Christũ postulasse ad veritatẽ martyrij cũ dixit. Qui me confessus fuerit corã hominibus, cõfitebor & ego eũ corã Patre meo Matt. x. & 16. & Mar. 8. Qui perdiderit animã suã pp me (& Euangeliũ) saluã faciet eã. Postremo obseruandũ est, ꝙ qui patitur Martyriũ altero ex his duobus modis se habere põt, vel .n. actuale habet alicuius peccati cõplacẽtiã, vel nullã; sed im̃ peccatũ ẽ indemissum. Rursus aut tẽpore martyrij recordatur peccatorũ, aut obliuiscitur, vel quia nõ habet tẽpus, vel præ Angustia & Anxietate Martyrij. His obseruatis sit prima conclusio. Qui hẽt alicuius peccati cõplacẽtiã & si martyriũ patiatur, nullã consequitur veniã, patet qm̃ Deus cũ summe sit bonus odio habet iniquitatẽ & neminẽ in ea perseuerantẽ iustificat; sed auersionẽ a nostris peccatis & conuersionẽ ad se requirit, vt se ipse conuertat ad nos atq. adeo si actus Martyrij transferre põt aliquem a peccato mortali ad gratiam, necesse est vt saltem virtualis displicentia sit ipsius peccati.

Potest quis dupliciter martyrium sustinere.

Secunda conclusio. Qui tẽpore martyrij nullius recordatur peccati consequitur primã gratiã virtute Martyrij absq. pęnitentia actuali, aut alicuius peccati præuia recogitatione. Probatur, quia iste actus est dilectionis Dei super omnia iuxta illud, Maiorem charitatẽ nemo habet &c. Sed per dilectionẽ Dei super omnia assequitur quis primã gratiã, vt articulo præcedenti dictũ est; ergo &c. Cõfirmatur Mat. 10. Marci 8. Lucæ 12. Omnis qui confitebitur me corã hominibus cõfitebor & ego eum coram Patre meo, sed nulla Christi confessio dari põt illustrior martyrio ergo &c. & Hugo lib. 2. de sacramentis p. 6. c. 7. inquit. Si saluus fit qui pp Deũ aquam suscipit, quare non magis qui pp ipsum sanguinẽ fudit? Plus certe sãguinẽ dare, quã aquã suscipere, hæc ille. Itẽ Christus dixit. Qui credit in me mortẽ non videbit in ęternum, sed qui vitam exponit pro Christo vere in eũ credit, vere in eum sperat vere eũ diligit, ergo mortẽ nõ videbit in æternum, & per consequens iustificabitur.

Hugo.

Item Ritus communis ecclesiæ hoc idem confirmat, nã nulla facta ĩquisitione circa mores, aut vitã oẽs fideles, quos constat voluntarie passos esse pro Christo, vt martyres celebrat, & cunctis fidelibus, vt tales venerandos, & honorãdos tradit, neq. exequias vllas, aut suffragia pro ipsis, sicut pro aliis mortuis fieri patitur. Vnde & Innocentius iij definiuit. c. cum Marthæ, de Celebratione Missarum, Iniuriam facere Martyri, qui orat pro Martyre.

Præterea Martyrium supplet vicem baptismi, vt cõstat ergo & pęnitentiæ: patet consequentia, quia tã baptismus, quã Pęnitentia sunt de necessitate salutis, ergo si Martyriũ supplet vicẽ baptismi, vt ex S. Emeretiana constare põt, quæ cathecumena cũ esset suo in sanguine baptizata: nihil obstat quo minus supplere possit vicẽ pęnitẽtiæ, & cõfirmatur auctoritate desumpta ex libris de sacris dogmatibus c. 74. vbi legitur. In martyrio tota baptismi sacramenta cõplẽtur, & peccata non tantum dimittuntur: sed etiam extinguuntur. ergo absq. dubio remittentur peccata oblita martyri, licet nulla fiat ipsorum peccatorum pręuia recogitatio.

Hæc conclusio est contra primã opinionẽ asserentiũ martyrem nõ saluari absq. actuali pęnitẽtia saltẽ generali, si pręuia inquisitione facta nullius peccati recordatur, nec tñ inquiunt Martyr damnabitur, quia Deus tũc adiuuabit, vt recordetur peccati, & illius pęniteat: Sed hęc sentẽtia licet viris alias doctissimis placuerit, in tribus deficit. Primo inquantũ asserit peccatũ obliũ nũquã dimitti per actũ dilectionis Dei super oĩa absq. actuali pęnitẽtia speciali vel generali; cõtra sũmos Theologos vtriusq scholæ. Secũdo quatenus asserit aliquẽ teneri ad pęnitẽdũ in generali peccati, cuius nõ recordatur, ꝙ quidẽ ẽ falsũ, quia si quis nullius peccati est cõscius, nõ ẽ quare teneatur agere pęnitentiã, licet aliqñ teneatur ad pręuiã recogitationẽ peccatorũ, nẽpe tpe quo aliquis tenetur ex præcepto confiteri peccata, & hẽt sufficiẽs tẽpus recogitandi, & Cõfirmatur, quia hõ nõ tenetur cõfiteri peccata quorũ est oblitus, ergo neq. pęnitere. Tertio Deficit illa sentẽtia inquantũ asserit ꝙ absque dubio Deus adiuuabit, vt Martyr recordetur peccati, quia hoc nõ ẽ de lege, cũ nulla appateat lex talis, ergo ad libitum & sine fundamento dictũ.

Vnde ad argumenta pro prima opinione quatenus sunt contra hanc secundã conclusionẽ respondetur, & ad primũ dr̃ cũ D. Chrisost. & Theophi. Sermonẽ Pauli nõ esse absolutũ, sed conditionalẽ, non .n. affirmat posse aliquẽ pro Christo mortẽ pati, & sine charitate manere, sed solũ ex hypothesi ait, si p possibile, vel impossibile id accideret, talẽ mortẽ nihil prodesse, ꝙ verissimum est, quia sine charitate nihil sumus, cum hoc tamen stat, ꝙ numquam talis mors sit sine charitate, & ideo non sit infructifera.

Chrisost. *Theophilac.*

Primo respondetur. Paulũ nõ dicere si tradidero corpus meũ pp Christũ, sed absolute si tradidero, charitatem nõ habuero. Ait aũt D. Tho. ibi, tunc tradi corpus sine charitate, quando vel iam tali opere adest voluntas peccandi mortaliter, vel quando fit per inanem gloriã, significans quando quis tradit vitã pp fidem vel religionẽ, vel honorẽ Christi, licet id non faciat ex supposito habitu charitatis neque ex formali, & actuali Dei dilectione, non posse omnino dici id facere sine charitate, quia ipso opere aliquo modo exhibet dilectionem Dei.

D. Thom.

Tertio dici potest, Duobus modis intelligi posse aliquem tradere corpus suum absq. charitate, Vno modo absq. charitate antecedente, quæ sit aliquo mõ causa operis, vel simpliciter vel in esse meriti: vel concomitante, vel consequente, ita vt ex tali opere non sequatur charitas in operante. Rursus duobus ẽt modis intelligi potest tradere corpus suũ absq. charitate nihil prodesse, (aut meritorie ex proprio merito operãtis, vel nullo prorsus modo. Tradere igitur corpus suum tali modo, qui nec sit ex charitate neque habeat charitatem adiunctam, & quasi consequentem opus ipsum saltem in termino operis est prorsus infructuosum, & inutile, atque ita potest recte Paulus intelligi. Similiter tradere corpus suum absque charitate aliquo modo antecedente opus ipsum, & operante vel dignificante illud, est infructuosum

quantum ad proprium meritum operantis, & ita etiam potest exponi D. Paulus & quo ad hoc est eadem ratio de martyrio, & eleemosyna.

Ceterum tradere corpus suum absq. charitate antecedente cum illa tamen consequente, sicut in ipso opere comparata, non est omnino inutile, sed valde vtile, quia non est omnino sine charitate, atq. ita contingit in Martyrio, ꝙ licet charitatem non supponat illum, tamẽ illã trahit: atq. adeo multum prodest V.c. si diceremus, si de peccatis doleam eaque confitear, charitatem autem non habeã, nihil mihi prodest, absolute loquendo verissime dictum est, quia eodem modo, quo illam non habeo, illa actio nihil mihi prodest. Vnde si neque antecedentem, neq. consequenter charitatem habeam nihil omnino prodest illa confessio: si tamen Charitatem non habeam ante ipsam confessionem, tamen per confessionem illam obtineam, multũ mihi prodest, quia nõ est omnino sine charitate. Sic ergo nos dicimus de Martyrio.

Ad secundum respondet Vega vbi supra negando consequentiam, licet. n. actus exterior habeat omnem suam bonitatem ab interiori in aliqua priuilegia conceduntur actibus exterioribus, quæ interioribus denegantur, vt per eleemosynam acquirimus indulgentias, non autem per solam voluntatem dandi eleemosynam: similiter martyrio cõceditur hoc priuilegium, non aũt soli voluntati patiendi martyriũ: nec Dominus inquit Maiorem charitatẽ nemo habet, quã vt animam suam quis velit ponere ergo &c. Et a simili patet, quia desiderium baptismi quantumcunq. ardentissimũ non iustificat sine penitentia, ergo nec sola voluntas martyrii licet sit efficax iustificabit, consequentia patet: quia Martyrium supplet vicem baptismi.

Ad tertium respondetur distinguendo consequens, aut ille, qui dormiens occiditur in cõtumeliam Christi, qn erat in vigilia habuit animum patiendi martyrium, & hoc animo accessit ad dormiendum, & tunc dico quod iustificabitur per martyrium, si aũt non cogitauit de Martyrio, quamuis inter dormiendum occidatur in contumeliam Christi, non iustificabitur: ratio vtriusque membri ponitur in c. Maiores de Baptismo: quia peccatum mortale cum propria cõmissum sit voluntate, nõ potest absq. proprio voluntatis motu deleri, Adultus. n. qui capax est propriæ voluntatis sine ipsius proprio consensu non consequitur regulariter gratiã, neq. remissionem culpæ; atq. adeo nulla actio vel passio exterior potest illi prodesse ad salutem: nisi aliquo modo voluntaria sit. Et si dicas paruuli occisi ante vsum rationis iustificabuntur per martyrium, ergo similiter dormientes adulti iustificabuntur. Negatur consequentia: quia Paruuli solum laborant peccato originali, quod quidem sicut aliena voluntate fuit commissum, ita non indiget propria voluntate ad eius remissionem.

Adulti vero qui laborant peccato actuali indigent motu propriæ voluntatis, quod patet a simili de Baptismo aquæ, qui licet in paruulo non requirat consensum propriæ voluntatis, in adulto non potest esse sine illo, licet gratia, & priuilegium huius baptismi non procedat ex voluntate recipientis, nec pendeat ex merito illius solũ ex illo principio, quod salus animæ, & remidia per quæ efficitur voluntaria esse debent ei, qui sua voluntate vti potest, quod maiori ratione dicendum est de Martyrio.

Vega Ad quartum est duplex solutio, Prima est Vegæ vbi sup. c. 37. quod tunc datur prima gratia Martyribus, qñ iã acceperunt vulnera ex quibus naturaliter sequatur mors: opinatur. n. ꝙ mors sit de ratione Martyrij, ꝙ quidem est verũ, vt colatur tamquam martyr, nõ ñ requiritur mors, vt aliquis iustificetur per Martyrium. Secundo respondetur secundũ

Caiet. Caiet. 22. q. 124. ar. 4. circa solutionem ad quartum probantẽ non requiri mortem subsequi ad martyrium: sed animum paratissimum ad patiendum tormenta, & ipsam mortem subeundam pro Christo, vnde ait, quod infunditur prima gratia Martyribus in principio actus imperati, vel post actũ inchoatum in prosecutione Martyrij ante mortem.

Quod ego intelligo sic. Qñ Deus, qui est scrutator cordiũ nouit animum martyris paratissimum vsq. ad mortẽ, quæ si non sequitur non est per ipsum martyrem, sed quia tyrannus cessauit a tormentis infligendis, ꝙ tunc assequitur primam gratiam, hic vere ponit animam suam, & confitetur Christum coram hominibus: ergo est Martyr, & si dicas idem facit qui desiderat martyrium, licet tunc nulla patiatur tormenta, ergo currit secundum argumentum.

Negatur consequentia; quia aliud est desiderare Martyriũ, aliud vero cum adest occasio pati illud, vel paratissimo animo se offerre illi. Apostoli enim dixerunt eamus & nos, & moriamur cum illo Christo, & postea fugerunt: vti aque itarum responsionum optima est.

Ad vltimum respondetur, ꝙ Martyrium in paruulis nõ est sacramentum, sed operatur instar sacramenti, quia de ratione sacramenti est, ꝙ sit certum signum cum determinata materia & forma, & intentione Ministri, quæ omnia deficiũt in Martyrio, confert tñ gratiam ex opere operato, quia congruum est, vt Deus ad se recipiat, quos impietas in eius contumeliam, eo ꝙ essent sibi dicati, occidit. Vnde si paruulus infidelis occideretur in contumeliam Christi V.g. quia deferebatur ad baptismum, & ne baptizaretur fuit occisus ab infidelibus, is absq. dubio saluabitur quia est occisus in Christi iniuriam, occisus est. n. ne consecraretur Christo, ꝙ quidem est Christo irrogare contumeliam, & confirmatur quia credibile est, ꝙ Herodes occidit, multos pueros Gentilium, qui erant incircumcisi, & etiam hebreorum, qui forte non erant circumcisi: cum Herodes occidisset omnes pueros a bimatu & infra atq. adeo illi, qui non dum octauum ętatis diem attigerant, quos necesse erat non dum esse circũcisos, & tñ eos colit Ecclesia generatim, & sine vlla exceptione: quia sunt occisi in contumeliam Christi, quicquid sentiant Armachanus lib. 8. de quæst. Armenorũ c. 37. & Adrianus in 4. q. vltima de Baptismo ad tertium, qui probabile esse censent innocentes Martyres nihil gratiæ, aut sanctitatis per mortem illam fuisse consequutos, & si fortasse aliqui ex eis non fuerant circumcisi eos etiam non fuisse saluos: sed in peccato originali decessisse, quam etiam docuisse videtur Alex. de Ales loco supracitato quatenus dicit Baptismum aquæ extensiue excedere in effectu baptismũ sanguinis, quia pluribus personis prodesse potest. i. paruulis & adultis, cum tamen baptismus sanguinis solum prosit adultis & Sotus citat in eam dem sententiam D. Bon. sed falso, quia ille de hac re nihil dicit, Si autem adultus ratione vtens iustificatur, nõ operabitur in eo Martyrium gratiam ex opere operato, sed operantis propter actum charitatis, quo adultus vult defendere fidem Christi, ꝑ vterquam ꝙ dicere possumus, ꝙ latet æquiuocatio in hoc vocabul. i. dare gratiam ex opere operato; nam si per hanc loquendi formam intelligatur opus ipsum martyrij conferre gratiam, tamquam propriam & per se causam illius, sic non est necesse id concedere, si aũt solũ significetur posito illo opere spiritum sanctum dare specialem gratiam absque merito, vel vltra meritum patientis, sic nullum est inconueniens id concedere, neque ex hoc sequitur Martyrium esse sacramentum vt dictum est. Quamuis id male concedat Maior in 4. d. 4. q. 3.

Armachanus

Adrianus.

Alex. de Ales

Sotus

D. Bonau.

Maior.

Ad fundamenta facta in fauorẽ opinionis Vegæ. Respondetur, ꝙ Martyrium non est per se medium ordinatum ad tollenda peccata, & ideo nõ excludit per se loquendo necessitatem penitentiæ, neque hæc obligatio est admodũ difficilis, aut impediens effectum Martyrij; nam si peccata memoriæ occurrant, eorum detestatio potius præbebit animũ ad mortem constantius & alacrius obeundam; Quod aũt sola voluntas Martyrij per se non sufficiat, nec satis cõtineat Dei amorem, & peccatorum detestationem iam ostensum est. Ad ea vero, quæ in secundo membro illius sententiæ adducebantur respondetur, quod ad attritionem attinet, nõ esse eamdem rationem de Baptismo aquæ, & sanguinis, nõ quia hic sit minus efficax: sed quia non est per se ordinatus ad remissionem culpæ, & ideo etiam per se non excludit necessitatem contritionis.

ARTICVLVS V.

Vtrum sola oratio sit satis aliquando ad peccatorũ remissionẽ sine actuali illorum penitentia vel Displicentia.

Certum est apud omnes, quod quando is peccatore est affectus peccandi, aut perseuerandi in peccato, neque actu vel virtute ab admissis peccatis aia reuocat, orationẽ pro venia peccatorum inutilem esse, atq. inanẽ. Si iniquitatẽ aspexi in corde meo ait Psalmista ps. 65. nõ exaudiet Dominus: sed si actu iam displicent, quæ male placuerunt, adhuc tamen imperfecte, & quantum satis non est ad gratiam; vel si quis ideo non dolet de suis peccatis: quia illa memoria exciderunt, aut aliqua ratione ea ignorat inculpabiliter, dubium

dubium est an superueniens oratio impetrare possit peccatorum veniam. Immo si commissa peccata actu non displiceant, sed virtute dumtaxat, & subito aliquo mortis periculo nempe subito naufragio quispiam preuentus, conuersus toto corde ad Dominum feruenter clamet. Domine miserere mei; queritur an huiusmodi oratio sit sufficiens dispositio ad gratiam obtinendam.

Suarez. De hac re duplex est sententia. Prima Suarez Tom. 4. 3. p. disput. 9. sect. 1. assertione 4. qui partem negatiuam defendit, quia inquit contraria sententia est contra doctrinam generalem Conciliorum & sanctorum Patrum, & contra vniuersales loquutiones scripturæ, quibus necessitas penitentiæ significatur. Præterea qui petit veniam peccatorum, iam de illis cogitat, ergo indebite petit veniam sine remedio, quod ipse potest & debet adhibere, huiusmodi autem remedium est displicentia de peccatis, ergo &c. Et confirmatur quia oratio est actus intellectus & non voluntatis; sed non conuertitur in Deum nisi per actum voluntatis, ergo non sufficit oratio sine penitentia. Præterea oratio facta ab existente in peccato non est impetratoria, iuxta illud. Iniquitatem si aspexi in corde meo.

Vega Adrianus. Contraria sententia, & verior est Magistri Vegæ lib. 6. super Conc. c. 38. & Adriani quol. 8. conc. 2. Pro cuius explicatione obseruandum est, quod quando aliquis recordatur peccatorum, & eorum penitet, assequetur veniam absq. oratione. Iuxta illud Psal. Ego dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam, & tu remisisti impietatem peccati mei, sed dato quod quis tantum oret, & non aliter peniteat, vt dictum est, Quæritur an iustificabitur virtute orationis, & respondetur gemina conclusione.

Prima conclusio, qui paulo ante mortem habet locum detestandi peccata, si ea non detestatur non consequetur gratiam virtute orationis, patet, quia tunc non excusatur a præcepto penitendi.

Secunda conclusio: Quando mors instat, & præ nimia angustia non recordatur aliquis peccatorum neque pœnitentiæ, si ex toto corde misericordiam petat Deo specialiter adiuuante sine actuali penitentia per solam orationem iustificabitur. Hæc conclusio probari solet ex illo publicani Luc. 23. dicentis. Deus propitius esto mihi peccatori, qui post orationem fuit iustificatus. Vnde & Diuus Augusti-

August. nus super Ioannem dicit, si Deus non exaudiret peccatores frustra Publicanus diceret. Domine propitius esto, &c. Et similiter Christo latronis clamantis in cruce Memento mei domine &c. cui statim dicitur hodie mecum eris in paradiso. Sed testimonia ista nihil probant, quia de publicano dicit textus, quod non audebat oculos ad celum leuare præ confusione, ergo habebat actualem dolorem, & similiter de latrone colligitur penitentiam egisse, hic enim increpans alium blasphemantem Christum dixit. Nec tu times Deũ, qui in eadem damnatione es, & nos quidem iuste, nam digna factis recipimus &c. Ecce quomodo peccatorum habuit displicentiam; his ergo relictis testimoniis, probatur conclusio Mat. 7. Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis, & ne iustis tantum hæc dici putaremus continuo subiecit, omnis qui petit accipit, & qui querit inuenit, & pulsanti aperietur. vbi Diuus Chri-

Chrisost. sost. ait, omnis qui petit accipit siue iustus, siue iniustus, & ipse Christ. vt ad petitionem iustificationis & remissionis peccatorum hæc intelligeremus referri, testante Luca, mox addidit, si ergo vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester celestis dabit spiritũ bonum petentibus se. Idem colligitur ex illo Mat. 8. serue nequam, non ne omne debitũ dimisi tibi, quia rogasti me: ex quibus locis tale colligo argumentum. Deus pollicetur se daturũ petenti quid fuerit petitum expediens ad salutem, sed nihil magis expedit, vel ei magis placet, quam remissio peccatorum, ergo &c. Hoc argumentũ confirmatur ex verbis. D. Ioannis epistola prima c. 5. dicentis, & hęc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius audit nos.

Sed quid magis secundum volũtatem eius possumus petere, quam nostram iustificationem? omnes vult saluare, & neminem vult perire, & voluntas ipsius est (vt dicit D. Paulus) sanctificatio nostra. Vnde si misericors Deus omnes ad se confugientes benigne recipit, quomodo credatur dispicere eos, qui subitis mortis periculis præuenti ad vnius ipsius clementiam pia, & humili oratione confugiũt? Sane ipse dixit conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos, neque dubitari potest, quin & conuersio ad ipsum sit feruens & deuota suæ misericordiæ imploratio.

Præterea. Si apud homines clementes, & benignos hanc vim habet humilis petitio remissionis offensæ sibi illatæ, multo magis profectò & apud Deũ cuius miserationis non est numerus, hanc gratiam habere orationẽ, est concedendum. Et si homines vt iniurias sibi irrogatas condonent, magis humilem petitionem veniæ, aut certe non minus, quam eorum penitentiam respiciunt, & eam petitionem veniæ penitentiæ loco habent, neque amplius requirunt; non est cur credamus orationem hanc virtutem apud Deum nequaquam habere, qua nostrorũ peccatorũ remissionẽ petimus.

Ad primum argumentum alterius sententiæ negatur antecedens: quia in casu nostræ secundę conclusionis habet homo virtualem penitentiam, adeo quod si peccatorum recordaretur absque dubio peniteret. Et si dicas cum oratione seu petitione veniæ iniuriæ irrogatæ compossibilis est ex natura rei complacentia iniuriæ commissæ, quoniam oratio non est necessaria dispositio ad iustitiam, neque in infideli, neq. in fideli: nam pœnitentia secundum omnes sufficit ad salutem, & ad eam oratio non requiritur, sed satis omnino est auersio a peccatis, & conuersio ad Deum per amorem, & propositum non peccandi; ergo in oratione dicta non est penitentia virtualis, si quidem non necessario peniteret homo sic orans, si peccatorum recordaretur,

Concedo orationem non esse necessariam dispositionem ad gratiam concedo etiam necessariam esse per se penitentiam ad remissionem peccatorum habendam, sed nego orationem, de qua in secunda conclusione loquimur non esse penitentiam virtualem, non enim loquimur de quacũque oratione inconsiderata, vel quæ oritur ex solo penarum timore, sed de feruentissima cum spe veniæ, & misericordiæ diuinitus obtinendæ, atque ita circumstantionata, quod si peccati recordaretur absque dubio detestaretur illud propter Deum, quem orat: nam orans qui sic esset affectus, vt de peccatis doleret, si vel eorum meminisset vel locum haberet penitentia; virtute peccata detestatur. Et vix sane crediderim posse ita feruidam orationem cõtingere absque penitentiæ actu, ipsa namque cordis compunctio est, quæ sic cogit exclamare & implorare Dei misericordiam, & cũ tali oratione manifeste implicat complacentia peccati.

Ad confirmationem dico, quod oratio licet sit actus intellectus nihilominus imperatur a voluntate, atque ita per istũ actum imperatum voluntas conuertitur in Deum. & ad illud Psal. dico, quod Dauid loquitur de peccatoribus in peccato complacentibus, alios autẽ peccatores bene Deus exaudit; siquidem exaudiuit Publicanũ peccatorem spreto Phariseo superbo, Vide D. Augustinum super Ioannem c. 9. & Cyrillum lib. 6. in Ioannem c. 19. & Diuũ Chrisost. eo loci. *D. August. D. Cyrillus D. Chrisost.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum contritio sit de commissis peccatis actualibus propriis.

HActenus disputauimus de quidditate contritionis, & de his quæ possunt contritionem supplere; modo agendum est de eius materia, scilicet quorum peccatorũ est habenda contritio, & quia peccata sunt in triplici differentia, s. originale, veniale, & mortale, & mortale quoddã commissum est ante baptismum, quoddam vero post, quoddam vero præteritum, & quoddam futurum, quoddam oblitũ, quoddam actuali memoria tenetur, quoddam per ignorantiam, & quoddam per malitiam commissam; Pro singulis respondendum est questioni singulis conclusionibus. *Contritionis materia quæ sit.*

Prima conclusio, de peccato originali non est necessaria contritio, neque tollitur ex natura sua per contritionem, patet ex c. Maiores. de Baptismo. §. hic autem, & probatur ratione eiusdem textus, quia originale non contrahitur per nouum consensum, ergo absq. illo potest remitti per sacramenta, & si dicas originale tollitur in adultis per contritionem, scilicet per baptismum in voto, ergo &c. Respondetur distinguendo antecedens quia originale tollitur in adultis per contritionem ante lapsum non ratione contritionis, sed ratione gratiæ, quæ datur per contritionem, atque ita contritio remittit originale non per se, sed per accidens. *De peccato originali nõ est necessaria contritio.*

Secunda conclusio. Ad remissionem venialium necessa-

Contritio de venialibus est necessaria. ria est actualis, vel virtualis penitentia, probatur conclusio. Peccatum veniale non remittitur per solam penæ, quæ illi respondet, remissionem, quia post peccatum veniale, nõ solum manet obligatio ad penam, verum etiam macula & culpa, quæ per solam penæ solutionem non tollitur, culpa enim nõ remittitur nisi per suũ contrariũ, s. per displicentiã, quæ est contraria implacentiæ in peccatis. ergo ad remissionem venialiũ necessario requiritur actualis, vel virtualis displicentia. Præterea nõ omnia peccata venialia remittũtur p quęcũq. actum meritoriũ, neq. per quęcũq. actũ dilectionis nisi sit actus perfectissimus, licet aliqua remittantur, v.g. per istum actũ. Propono obedire Prælato in omnibus pp Deũ, inobedientia venialis, nõ autem mẽdacium iocosum remittitur, patet quia ex isto actu dilectionis sequitur displicẽtia inobedientiæ, si tunc hõ recordaretur, non aũt displicentia mendacii iocosi, Tum etiam, quia talis actus dilectionis est compossibilis cum proposito mentiendi, atque ita non erit mendacij virtualis pęnitentia.

Item peccatum veniale est auersio a Deo secundũ quid, auersio autem cum sit priuatio cõuersionis nequit tolli nisi per ipsam conuersionem, igitur cum nemo conuertatur in Deum nisi per pęnitentiam actualem, vel virtualem, s. per dilectionem Dei super omnia; sequitur quod requiritur aliqua pęnitentia vel displicentia.

Preterea voluntas assentitur veniali illud committẽdo, ergo dissentiri debet vt remittatur, & si dicas cum Durando *Durand.* d. 16. q. 2. ergo requiritur pęnitentia actualis, & non sufficit virtualis. Respondetur negando consequentiam; quia sequeretur tantam, imo & maiorem contritionem requiri ad remissionem venialium, quã ad mortaliũ. q est falsũ, imò veniale sic dicitur q est dignũ venia, vel q facile remittitur.

Adultus accedẽs ad Baptismũ tenetur conteri de mortalibus. Tertia Cõclusio. Adultus accedens ad baptismũ, si fuerit cõscius alicuius mortalis tenetur habere illius dolorẽ, aliquin non iustificabitur virtute baptismi, hæc conclusio est Alexan. de Ales 4. p. q. 8. m. 7. ar. 2. §. 2. q. 1. & D. Bonau. in 4 d. 16. p. 2. articulo primo quæstione secunda & probatur acto. rum 2. vbi D. Petrus rogantibus iudeis, quid sibi esset faciendum, respondit pęnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum. *Alex. de Ales D. Bona.* Præterea hęc veritas definita est in Concilio Trid. sess. 6. cap. 6. sub his verbis. Disponuntur autem ipsi ad iustitiam &c. per odium aliquod aduersus peccata, & detestationem, hoc est per eam pęnitentiam, quam ante baptismum agere oportet. *Cõcil. Trid.*

Caietanus. Est autem hęc conclusio contra Caiet. 3. p. q. 86. art. 2. vbi affirmat, quod baptismus non præsupponit, sed affert secũ perfectum actum pęnitentiæ virtutis, opinatur. n. q ipsa susceptio baptismi sit actus pęnitẽtiæ virtutis, cuius verba sũt. Qui vult recipere baptismum ipsamet susceptio est detestatio prioris vitæ, & vult inchoare nouã, ergo non requiritur aliquis actus præuius pęnitentiæ, hactenus Caiet. Eadẽ opinio seu potius error a Gab. in 4. d. 14. q. 2. notabili 2. & Almayn. eadẽ d. q. 4. Adriano in 5. quolib. ar. 3. in respon. ad secundũ argumentũ principale Syluest. titulo confessio. 1. q. 21. Sũma Angelica, Confess. 1. §. 27. & Confess. 2. §. 1. summa Rosella confes. 1. §. 4. & a quibusdã alijs tribuitur Scoto qui tenus. q. seq. dicit, q adultus duplici via potest habere primam gratiam delentem originale. s. vel per bonum motum disponentem ad illam de cõgruo, vel per susceptionẽ baptismi absq. alio præuio dolore sufficit ad remissionẽ peccatorum, sed falso hæc sententia imponitur Scoto, quia supra d. 4. q. 5. agens de baptismo dicit, quod fictus dicitur ad baptismum accedere, qui habet aliquod peccatũ præteritũ de quo non conteritur neq atteritur, & hunc Deus non iustificat p Baptismum, & hęc sunt verba eius; alio modo potest aliquis esse fictus, ostendendo se esse dispositũ ad recipiendũ sacramentũ, & tñ non est dispositus interius, vel quia non habet rectam fidem, vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur vel conteritur. & tunc dico, q nolentes Deus non iustificat secundum illud Augustini, qui creauit te, sine te, nõ saluabit &c. Iste qui habet actualem obicem contra gratiã puta infidelitatem, vel aliquod peccatum. q tũc actu voluntatis cõmittit, & q prius commisit, & nullo modo sibi displicet, nullo modo recipit gratiam secundum Augustinũ, Omnis qui iã suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi peniteat eũ veteris vitæ, nouã non potest inchoare, hactenus Scotus, quid clarius? Et in quæstione sequenti expresse se ipsum explicans dicit, q requiritur, & sufficit cum hoc sacramento displicentia aliquãlis de se insufficiens, quæ sup. dicta est. d. 18. lit. F. §. 4. cõce. loista. Itaque Scotus ponit duo remedia peccatorum. Primum sine sacramento, & hoc est per veram contritionẽ. Alterũ per sacramentum, & est per attritionem sed de hoc egimus supra in materia de baptismo, & iterum redibit sermo in quæstione sequenti, & d. 18.

Gabriel. Almayn. Adrianus. Syluester. Angelus. Rosella.

Scotus.

D. Aug.

Quarta conclusio. Peccata mortalia propria iam cõmissa sunt vera & necessaria materia siue obiectum contritionis, quia contritio cũ sit pars sacramentalis pęnitentiæ, quæ proprie peccatũ actuale respicit, quia secunda tabula post naufragiũ, proprie & per se & de necessitate conformationis cũ suo toto peccatũ actuale in quo fuit actualis delectatio respicit: Dixi peccata propria; quia de alienis licet sit dolẽdũ, tñ non est nobis pęnitendum. quia aliena peccata non auertunt nos a Deo. Dicit. n. D. Paulus ad Rom. 14. Vnusquisque nostrum pro se rationem reddit Deo. Debemus tñ aliena peccata odisse, quia malum peccati vbicumq. sit est odio dignum secũdum rectam rationẽ. Atq adeo eadem virtus, quæ illud odio habet in proprio subiecto etiã odit illud vbicũq. sit. Et confirmatur; quia sicut charitas amat honestatẽ, & dignitatẽ diuini amoris vbicumq. illi proponatur. ita pari ratione vnaquæque virtus detestatur malum suæ honestati contrarium, vbicũq. illud proponatur. nam eiusdẽ virtutis est odisse malũ, & diligere bonũ; ergo proportionali ratione virtus pęnitentiæ odio habet turpitudinẽ peccati, vbicumq. illi proponatur, non quidẽ per modũ retractationis, sed per modũ simplicis odij & abominationis. Et si dicas Profeta Regius postulat veniam alienorum dicens, ab alienis parce seruo tuo. Respondetur, q aliena peccata imputantur illi, qui per omissionem aut commissionem fuit illorum causa: quia tũc fiũt illius propria. & de his loquitur Profeta. *Peccata mortalia iã cõmissa sunt vera, & necessaria materia contritionis.*

Dixi ẽt iam commissa, quia peccati futuri non tenemur habere pęnitentiam. q probatur ab Alex. de Ales. 4. p. q. 17. m. 3. ar. 9. §. 1. quia contritio quæ concernit in suo esse gratiã gratum facientem, excludit certitudinẽ imò præsumptionẽ peccandi in posterum, imo contritus præsumendo de adiutorio gratiæ quamdam confidentiam assumit de non peccãdo in posterum, nec aliter est contritio vera: si quis. n. proponeret, vel etiam præsumeret; se labi in mortale non esset vere contritus vere n. contritus ex confidentia gratiæ diuinæ, quadam certitudine quasi inhęsitabili debet præsumere se non recidiuaturum, licet. n. contritus non immerito timeat de casu, tamen ex confidentia diuini adiutorij debet pręsumere de contrario. *Alex de Ales.*

Alia ratio potissima est, quia pęnitentia est de commissis vel omissis, quæ solummodo præteritum respiciunt, sicut patet ex diffinitione pęnitentiæ: est. n. pęnitentia præterita mala plangere, & iterum plangenda non committere ex qua definitione colligitur, q contritio est solummodo de præteritis licet quodammodo respiciat etiam futurum, vt docet idem Alex. vbi sup. §. 2. quatenus de ratione virtutis est inseparabiliter subiecto inhærere, at virtus qua habet ad hoc quod vere insit, importat propositum certum perseuerãdi, nec secũdum Theologos castus diceretur, qui non proponeret continere in perpetuum, & similiter de alijs.

Inde est quod non est vere penitens, qui non habet propositum nunquam recidiuãdi, atque ita inhærentia pęnitentiæ quatenus est virtus bene respicit futurum cauendum, quia virtus non potest esse cum proposito contrario, sicut vitium potest esse.

Quinta Conclusio. De peccatis scienter commissis, sed oblitis tenetur homo conteri non quidem in speciale, sed solum in generali, & præcipue si omnino sit oblitus, hæc cõclusio est Alex. & Bonau Locis supracitatis nẽpe Alex. ar. 8. §. 1 & 2. & D. Bonau. ar. 2. q. 2. quæ hac diuisione declaratur, nam peccatum oblitum vel est oblitum omnino, ita q non recordatur nec in generali nec in speciali; aut est oblitum in speciali, sed in generali recordatur cñ est oblitus in speciali, tñ recordatur in generali, dico quod tenetur pęnitere, & conteri in generali de negligentia sua pp q venit in illã obliuionẽ, & tenetur facere quod in se est vt recordetur in speciali, vel per recogitationẽ vel per orationẽ. si aũt sit omnino oblitus adhuc tenetur conteri in generali non sub conditione sed sub existimatione probabili, debet enim homo probabiliter credere, quod in multis offendit, quorum non recordatur. & si hac existimatione doleat sicut si certus esset, contritus est & pęnitens. Hæc Diuus Bonau. *Contritio de oblitis est necessaria. Alex. de Ales. D. Bonau. Peccatũ oblitum pòt esse duplex.*

Sexta

Contritio necessaria est de peccatis ignoranter commissis. Alex. de Ales. D. Bonau. Conteri de peccato bifariã contingit.

Sexta Conclusio. De peccatis ignoranter commissis pœnitendum est, & si non in speciali saltem in generali. Hæc conclusio est Alex. vbi supra art. 7. & D. Bonau. art 2. q. 1. quæ ita explicatur conteri de peccato contingit dupliciter scilicet in generali, & in speciali. In generali quando homo dolet in generali de offensa Dei, quam fecit. In speciali de hac vel illa; De peccatis ergo commissis per ignorantiam debet homo pœnitere in generali & dicere cum Propheta Psal. 34 Delicta iuuentutis meæ & ignorantiæ meæ &c. In speciali vero non tenetur pœnitere, sed facere quod in se est, vt sciat & peccata recognoscat. Committuntur enim peccata per ignorantiam iuris, & tunc cognito iure scit se peccasse, vt puta, qui fornicatus est, ignorans illud esse peccatum. Committuntur etiam per ignorantiam facti, diligentia debita non adhibita, & tunc cognoscuntur Domino reuelante & tenetur orare, vt Dominus parcat ei vel reuelet.

ARTICVLVS VII.

Vtrum de singulis mortalibus culpis requiratur singularis contritio.

Contritio esse debet de omnibus peccatis.

SEnsus tituli est. An ad veram contritionem sufficiat generaliter de peccatis dolere, nulla illorum praeuia recogitatione, vel an prius sint omnia in memoriam reuocanda & de singulis habenda singularis contritio. Pro cuius explicatione obseruandum est primo contritionem esse debere de omnibus peccatis, hoc certum est apud omnes, & ex eo cõstat, quod & scriptura requirit de omnibus peccatis dolorem Ezechiel 18. & 33. atque etiam Patres, quorum testimonia legi possunt in decreto de pœnitentia. d. 1. cap. Non potest. & d. 3. c. Quem pœnitet. & d. 5. cap. sunt plures, & cap. consideret, & d. 6. cap. Qui vult. Et specialiter videri potest D. Augustinus de vera & falsa pœnitentia cap. 9. & ratio esse potest, Quia contritio est vltima dispositio ad gratiam, quæ obtineri non potest sine conuersione in Deum, & auersione ab omnibus peccatis mortalibus, de quibus est sermo.

D. August.

Contritionẽ habere de singulis peccatis dupliciter intelligi potest.

Secundo obseruandum est, quod habere dolorem seu detestationem de singulis peccatis potest intelligi dupliciter. Primo quod cuilibet peccato secundum numerum, vel speciem correspondet singularis dolor aut detestatio, ita vt tot sint detestationis actus quot sunt peccata mortalia secundum numerum, aut saltem secundum speciem, & hoc modo certum est non requiri singulas contritiones singulorum peccatorum, non enim perfecta contritio coalescit ex pluribus actibus, neque est illorum simul collectio; sed est simplex voluntatis motus omnia peccata respiciens, atque illa detestans, & in hoc conueniunt omnes Theologi. Secundo modo potest intelligi, quod facta examinatione conscientiæ, & omnibus peccatis in memoria reductis, de illis omnibus habeatur vnica detestatio, & quidem hic motus simplex voluntatis sufficit, & aliud esset intolerabile onus, & sine fundamento; nam scriptura non requirit pœnitentias peccatorum, sed pœnitentiam; hæc autem vniuersalis contritio, quamuis simplici motu perficiatur est perfecta pœnitentia omnium peccatorum.

Tertio obseruandum est, quod quando peccator non habet tempus recogitandi peccata, conuenit inter Doctores, quod sufficit illi dolere de omnibus in confuso, seu in generali; dolere autem de peccatis in confuso est, quando nullo examine conscientiæ præmisso, & nullius peccati recordatus peccator habet hunc actum; pœnitet me offendisse Deũ quocunque modo, cum proposito de cætero non peccandi. Quod vero sufficiat ita dolere in hoc casu ex eo patet, quod alias ille, qui non haberet tempus recogitandi peccata necessario damnaretur; licet tamen postea si tempus habuerit tenetur examinare conscientiam, & omnia peccata confiteri legitimo Sacerdoti, aut si copiam non habuerit cõfessoris, tenebitur talis secundum quosdam Doctores habere contritionem de singulis peccatis secundo modo supra notato.

Contritio duobus modis considerari potest.

Quarto obseruandum est, quod contritio duobus modis considerari potest vno modo secundum se, altero modo in ordine ad Confessionem. Est ergo difficultas. An quando peccator habet tempus recogitandi peccata possit iustificari absque recogitatione peccatorum detestando in generali, vel confuse omnia peccata sua, De qua re duplex est opinio

Alex. de Ales. D Thomas. D Bonau. Ricardus. Gabriel. Medina. Cano. Sotus.

Prima Alex. de Ales. p. 4. q. 17. m. 3. art. 2 §. 2. D. Thom p. 2. q. 114. art. 5. ad tertium & 3. p. q. 87. art. 1. D. Bon. d. 16. p. 2. art. 2. q. 1. ad secundum. Riccar. ead. d. art. 4 q. 2. Gab. eadem. d. q. 1. art. 3. dubio 2. quos sequuti sunt Medina, Cano, Sotus, & alij; hi asserunt necessarium esse, vt homo recogitet distincte peccata omnia tam quo ad species singulas, quam quoad numerum eorum, atque ita de illis doleat, nec iustificabitur homo absque recogitatione peccatorum, & nisi de singulis peccatis doleat secundo modo prænotato.

Probatur hæc sententia. Primo ex illo Isaiæ 38. recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ, sed si sufficeret generalis pœnitentia, superflua esset huiusmodi recogitatio peccatorum, ergo requiritur specialis; nam sic recogitare nihil aliud est, quam examine conscientiæ præmisso peccata detestari propter Deum.

D. August.

Secundo Probatur ex illo Psal. 76. meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meũ, vbi D. Augustinus legit scrutabar spiritum meum, & in seipsum interrogabat, seipsum examinabat, & in se iudex erat; ex quo colligitur manifeste examinationem conscientiæ necessariam esse ad iustificationem.

Tertio Probatur ratione; quia pœnitentia est motus cõuersionis auersioni contrarius, sed per quodlibet mortale peccatum fit auersio à Deo, ergo quodlibet peccatum requirit suam contritionem, saltem secundo modo supra exposito, per quam auersio deleatur. Præterea pœnitentia exterior scilicet confessio est facienda de singulis peccatis, vt constat; ergo Pœnitentia interior scilicet contritio debet esse singulorum peccatorum; patet consequentia, quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis; sed confessio exterior fit propter dolorem interiorem acquirẽdum; ideo enim confitemur exterius peccata, vt illorum nos pœniteat interius ergo interior pœnitentia similiter debet esse singulorum, & per consequens prius sunt ad memoriam reuocanda: non enim possumus singulorum pœnitere, nisi illorum recordemur.

Præterea Contritio est actus iustitiæ, per quam satisfacimus Deo pro peccatis, sed peccatum non est vnum, sed multiplex; ergo similiter contritio non debet esse vnus actus sed multiplex, patet consequentia, quia est actus iustitiæ, de cuius ratione est, vt seruetur æqualitas, Deinde homo dum pœnitentiam agit, debet esse & Medicus, & iudex sui ipsius: quia & castigare & emendare debet delicta, nec eorum munus commode exercere potest nisi distincte sua peccata recognoscat, alioqui nec proportionatam medicinam, neque condignam pœnam applicare poterit.

Scotus.

Secundam opinionem huic contrariam docet Doctor noster infra d. 15. q. 1. lit. G. vbi ait satisfactionem interiorem, per quam contritionem intelligit, non esse necessario habendam singulorum peccatorum secundum numerum, neque secundum speciem; sed satis esse, vt omnibus peccatis vnica satisfactio idest vnica contritio respondeat nihil vero dicit de recogitione peccatorum, eamdem sententiã tenet Maior d. 17. q. 5. Caiet. 1. 2. q. 113. art. 5. 3. p. q. 87. art. 1. & in additionibus ad 3. p. q. 2. de contritione, & in summa verbo contritio. Catherinus lib. 5. contra Caiet. cap. de contritione, Victoria in summa num. 116. Vega lib. 13 in conc. c. 25. propositione 7. & Nauar in Manua cap. 1. num 22. & Suarez tom. 4. super. 3. p. D. Thom. disput. 4. sect. 6. assert. prima, & alij dicentes, quod sufficit detestari omnia peccata in confuso, non præmisso examine conscientiæ licet habeatur tempus excogitandi peccata. Pro resolutione sit.

Maior. Caietanus. Catharinus Victoria. Vega Nauar. Suarez.

Prima conclusio. licet peccator suscepturus sacramentum pœnitentiæ teneatur recogitare peccata, quia aliter ex culpa sua non faceret integram confessionem, tamen non tenetur tunc ante ipsam confessionem habere contritionem illorum quæ cogitauit; sed sufficit illam habere inter confitendum, hæc est contra Sotum in 4. d. 17. q. 2. art. 3. conc. 3. & probatur. non tenetur homo habere duplicem contritionem, quia Deus non punit bis in idipsum, sed tenetur in ipsa confessione hoc est inter confitendum habere contritionem, ergo non ante confessionem. Probatur minor, quia si aliquis confiteatur sua peccata absque actuali nolitione eorum, esset confessio ficta vt constat. ergo &c. & confirmatur minor, quia formalis actus pœnitentiæ est per se necessarius ad remissionem peccati mortalis, vt supra ostensum est, quæ necessitas maxime occurrit, quando quis iustificari vult de peccatis; quæ actu recogitat, hoc autem fit inter cõfiten-

fitendum, quia confessio non fit sine recogitatione peccatorum, & in ordine ad eorum remissionem, ergo merito ita est institutum, vt formaliter aliquam pœnitentiam essentialiter requirat, maxime cum vera accusatio de peccato apud Deum sine pio animi dolore fieri non possit. Non intelligo tamen quod huiusmodi dolor non possit antecedere ipsam confessionem, sed dico hoc non esse necessarium, & si antecedat non erit inter confitendum necessarius. patet quia iuxta communem vsum confessionem antecedit recogitatio peccatorum, quæ optime fit si cum vero animi dolore fiat, postea vero fit confessio in virtute talis recogitationis, & doloris, contingere autem potest vt in actuali confessione ita homo attendat ad peccatorum explicationem, vt nullum internum dolorem tunc actu exerceat. Item potest accidere vt dum absolutio conceditur nullus iteretur dolor ob naturalem distractionem, vel ob aliam causam, & tamen sacramentum illud sine dubio validum est, & confessio sufficiens; quia moraliter illi coniungitur dolor, qui præcessit & virtute sua illam confessionem informat; potest ergo dolor interdum antecedere confessionem, & maxime si internus huiusmodi dolor ex intentione formali vel virtuali ad confessionem referatur, sicut quando qui peccata recogitat, & de eis dolet, vt ea confiteatur.

Secunda Conclusio. Non est necesse, quod pœnitens recogitans, confitensque sua peccata de vnoquoque peccato mortifero specialem, & singularem eius pœnitudinem concipiat; sed satis est, vt concipiat generalem eiusmodi pœnitudinem, quæ virtute se extendat ad omnia mortifera, siue id faciat ab initio, cum incipit reuocare in memoria peccata confitenda, siue inter reuocandum, siue inter confitendũ.

Angles.

Vnde mihi non placet sententia Iosephi Angles q. de sacramento pœnitentiæ vel de contritione art. 2 diff. 6. affirmantis, quod inter confitendum tenetur pœnitens tot habere contritiones & dolores, quot sunt confessionis actus v.g. si vno actu confiteatur decem blasphemias, & alio decem fornicationes, singulis actibus, & non singulis peccatis singulæ contritiones respondere debent, & quod si confiteatur peccata singulatim, vt singula peccata eiusdem speciei, quod teneatur habere singulas singulorum peccatorum contritiones, hoc inquam mihi non placet, quia licet in ordine ad confessionem necessaria sit contritio, vel attritio, quæ formaliter terminetur ad omnia peccata, de quibus fit confessio: quia huiusmodi formalis pœnitentia est per se necessaria de peccatis commissis, & ad eorum veram accusatiõnẽ; tamen non oportet, vt ad singula peccata specialiter terminetur per repetitionem plurium actuum: quia hoc nec ad veram pœnitentiam, neque ad veram accusationem necessarium est; sed sufficit dolor vniuersalis de omnibus peccatis confuse conceptis, qui virtute extendatur ad singula prout de illis accusatio fit in virtute talis doloris, & huiusmodi penitudo sufficit ne pœnitens ficte confiteatur, non enim absque dolore peccata confitetur.

Tertia Conclusio. Loquendo de contritione illius, qui non est suscepturus sacramentum confessionis, non tenetur ante contritionem recogitare peccata, sed sufficit detestari omnia peccata in confuso non præmisso examine conscientiæ, licet habeat tempus recogitandi peccata, sed sufficit habere vnam contritionem generalem sic dicendo Nollem vnquam offendisse Deum, ob cuius amorem propono deinceps vitare omnia peccata, Probatur hæc conclusio ex illo Ezec. 33. Impietas impij non nocebit ei, in quocumque die conuersus fuerit ab impietate sua. Vbi secundum Doctores dies accipitur pro momento, sicut supra explicuimus; ergo in quocumque momento potest peccator iustificari, & consequenter sufficit ad iustificationem de omnibus peccatis in confuso dolere, idque vel ex eo patet, nam si præmittendum esset examen conscientiæ, necessarium esset certum tempus ad tale examen, ex quo sequeretur quod peccator non posset iustificari in quocumque momento. Secundo probatur ratione, quia vel tunc peccata sunt recogitanda vt singulorum habeantur singulæ contritiones, & hoc non: quia superfluit, siquidem neutra remittit suum peccatum, cum vnum non possit remitti sine alio, vel requiritur prævia recogitatio, vt postea habeatur vnus generalis dolor, & neque vt sic est necessaria, quia sine ea potest haberi talis generalis dolor, qui cadat super omnia peccata commissa, & Confirmatur: quia etsi quod aliquando illa recogitatio præcedat, tamen non est necesse, vt simul cum illa toto illo tempore duret contritio, quia neque est necessarium paulatim, & per particulares actus singula peccata detestari, neque etiam in vno & eodem actu aliquam moram temporis consumere; sufficit ergo, finita recogitatione statim vno motu detestari omnia peccata, quod etiam concedunt fere omnes, qui hanc recogitationem requirunt, sed tunc pro eo instanti, quo habetur contritio iam non manet in intellectu nisi quædam confusa representatio, & memoria peccatorum omnium; ergo si hæc eadem præcessisset ante recogitationem ad contritionem habendam satisfecisset, ergo non est necesse, quod recogitatio illa in re semper præcedat.

Tertio Arguitur. Pronior est Deus ad miserendum quã ad puniendum iuxta illud Psal. Miserationes eius super omnia opera eius, sed in quocumque momento potest iustus amittere gratiam, ergo etiam in quocumque momento potest peccator illam recuperare, atque adeo non est necessaria examinatio conscientiæ ante contritionem, vt homo iustificetur. Et Confirmatur quia si aliquis peccator per longum tempus extitit in peccato mortali, manifestum est, quod talis non poterit sufficienter examinare conscientiam in exiguo temporis spatio, Durum autem est dicere & cõtra diuinam misericordiam, quod iste talis, quamuis legitimam habeat contritionem, non possit iustificari nisi præmisso conscientiæ examine. Quarto denique probatur, quoniam si verum esset, quod nullus posset iustificari nisi præhabito conscientiæ examine & dolore de singulis peccatis, sequeretur quod esset dare tempus in quo peccator necessario esset in peccato mortali; sed consequens est absurdum, ergo & antecedẽs, probatur sequela: quia in toto illo spatio temporis, quo examen conscientiæ fieret non posset peccator iustificari. Hanc eandem conclusionem probant omnia illa argumenta, quibus Thomistæ probant non requiri certum temporis durationem ad peccatorum remissionem.

Contritio generalis vt sufficiat ad iustificationem quid requirat.

Pro hac tamen conclusione obseruandum est, quod ad hoc quod generalis contritio sufficiat ad iustificationem, debet virtute extendi ad omnia peccata cõmissa in hunc sensum, quod nullum sit peccatum, cuius non pœniteret si tunc recordaretur, & merito quidem hoc exigitur, quia in infidelibus, & in hæreticis, & in laborantibus aliqua ignorantia vincibili, sæpe sunt generales dolores de peccatis, neque tamen sufficiunt ad iustificationem; quia non retrahunt animum eorum ab infidelitate, hæresi, vel ignorantia, sed cum illis perseuerat actu, vel virtute complacentia in eis.

Quarta Conclusio. Licet ad iustificationem citra confessionem non sit necessaria recogitatio peccatorum, est tamẽ necessaria aliquando ad satisfactionem, & restitutionem; sunt enim aliqua peccata, ad quorum remissionem est necessarium restituere in re vel in voto, vt peccatum furti vel infamiæ; ideo erit necessarium saltem post contritionem recogitare peccata pro quibus est satisfaciendum.

Ad argumenta prioris sententiæ Respondetur & ad primum dicitur quod in illis locis Isaiæ & Psalmistæ commendatur nobis pœnitentia perfectissima, non tamen præscribitur; quod tanta sit necessaria ad iustificationem, vel ad culpæ remissionem, quamuis sit necessaria ad plenam remissionem culpæ & pœnæ, Intelligendæ itaque sunt illæ auctoritates de perfectissima discussione peccatorum, & de consilio habenda, non autem de contritione necessaria ex præcepto.

Ad primum argumentum ex ratione sumptum. Respõdetur, quod si aliquid probaret etiam cõcluderet, tot actus contritionis esse necessarios, quot essent peccata, atque adeo quod auersiones peccatorum sint plures parum refert, quia vna perfecta, & vniuersalis conuersio omnes delet, alioqui non solum in intellectu, sed etiam in voluntate tot essent multiplicandæ contritiones, quot fuerunt peccata mortalia, quod rediculum est, negatur ergo consequentia, quoniam vt diximus per vnam conuersionem generalem conuertitur sufficienter peccator ab omnibus auersionibus peccatorum quæ commisit.

Ad secundum concedo totum, quia vt in prima conclusione diximus suscepturus sacramentum pœnitentiæ tenetur ante confessionem habere præuiam recogitationem peccatorum, & nihil aliud probat argumentum.

Satisfactio est duplex.

Ad tertium dicitur, quod satisfactio est duplex vna pro culpa, altera pro pœna, & de ratione satisfactionis pro pœna est, vt extendatur iuxta extensionem peccatorum, iuxta illud Apoc. 8. Quantum glorificauit se in delitijs, tantum da-

te ei

te ei tormenta &c. de ratione vero satisfactionis pro culpa non est necessaria extensio, hoc est multiplicatio iuxta extensionem peccatorum, vnico enim actu satisfacimus pro pluribus culpis, & ratio discriminis est, quia satisfactio pro culpa non solum est actus iustitiæ, sed etiam amicitiæ & reconciliationis, & nihil vetat vnico actu placare amicum multis iniurijs offensum, vt probatum est conclusione tertia ideo ad argumentum distinguendum est consequens.

Ad vltimum dico, quod quantum spectat ad officium iudicis, & potest in se peccator punire peccata sua quantum voluerit, quamuis ille illis distincte non cogitet, & forsan etiam potest satisfactionem pro pœna in purgatorium remittere, & in vtroque differt multum hoc iudicium internum à iudicio sacramentalis confessionis. Quod vero pertinet ad officium Medici pro ratione necessitatis poterit esse recogitatio hæc necessaria in ordine ad futurum effectũ, hæc tamen necessitas nec semper occurrit, & respectu omnium peccatorum ferè numquam, vt supra ostensum est.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum ad perfectam contritionem requiratur actuale propositum non peccandi de cætero & confitendi, atque satisfaciendi tempore debito.

D. Ambros. Conci. Florent. Conc. Trid.

CIrca hanc quæstionem certum est apud omnes, ad cõtritionem necessarium esse propositum non peccandi de cætero, quia sine eo non sufficit vt docet D. Ambro. in c. pœnitentia idest de pœnitentia d. 4. & Concilium Florent. in decreto Eugenij, quod expresse diffiniuit Trid. sess. 14. c. 4. vbi definiens contritionem dicit, quod est dolor, & detestatio peccati cum proposito non peccandi de cætero, & ratio esse potest, quia licet pœnitentia non se extendat ad peccata nondum perpetrata, tamen non fiet contritio nisi eam comitetur propositum vitandi in posterum omnia & singula peccata mortifera tam præterita, quam præsentia quoad effectum, quam futura quoad affectum non committendi ea denuo; stare enim non potest, vt alicui displiceant præterita delicta, quia offensæ sunt Dei, si propositum sit offendendi Deum grauiter, aut continuandi offensam aliquam ipsius lethalem. Nam sicut nullus perfecte resipiscit ab erratis præteritis, aut vult mutare vitam priorem, quin habeat aliquam illius displicentiam, ita nemo habet perfectam vitæ prioris displicentiam, quin eam mutare intendat, Vix enim aliquis cõmuniter a peccatis vere resipiscit, nisi & detesteiur illa, & ea proponat in posterum vitare: aptissime quidem quisquis ille fuit, pœnitentiam depinxit, ipsi duas ei facies sicut Iano antiquitus tribuit, Alteram, qua in præteritum respicit, vt doleat de vita male ante acta, Alteram, qua in futurum prospicit proponendo vitare, immo vitando etiam omnem Dei offensam, quapropter communis omnium Doctorum consensus est, ad veram contritionem requiri propositum non peccandi de cætero. Cæterum controuersia est inter scholasticos. An hoc propositum non peccandi de cætero debeat esse formaliter expressum, & explicitum, an vero sufficiat virtuale, & implicitum.

Alex. de Ales. D Thomas. Albertus Magnus. Scotus.

De qua re Scholastici Doctores varie sentiunt, quidam enim dicunt propositum formale esse necessarium; alij vero dicunt sufficere virtuale & implicitum. Primam sententiã docent Doctores antiqui, item pe Alex. de Ales p 4. q. 12. m. 1. articul. 2. §. 2. in examine definitionis pœnitentiæ tradit à D. Augustino & clarius. q. 17. m. 3. art. q. §. 2. D. Thom. 3. p. q. 85. & 3 contra gentes cap. 58. Albertus Magnus d. 14. art. 12. ad 6. & Doctor hac distinctione q. 4. ad secundum. Verũ isti doctores non explicant, an huiusmodi propositum debeat esse formale & explicitum, an virtuale sufficiat & implicitum, sed moderni distinctius explicarunt hoc propositum debere esse formale & expressum vt Caiet. Tom. 1. opusc. tract. 4. q. 1. licet in sum. verbo Confess. conditione 12. & verbo confessionis iteratio sententiam mutauerit & Cano in prima p. relectionis de pœnitentia. Et Soto in 4. d. 15. q. 1. art. 1. & d. 17. q. 2. art. 1. fundamenta huius sententiæ sunt primo loquutiones scripturæ, in quibus ad veram pœnitentiam noua vita postulatur. Ezechiel 18. & 35. si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, & custodierit præcepta mea omnium iniquitatum eius non recordabor, ex qua auctoritate, sic arguitur, Ad iustificationem obtinendam non est necesse seruare omnia præcepta in re, quia hæc præcepta cum sint multa progressu temporis adimplentur in effectu, ergo intelligi debet de proposito adimplendi præcepta, quod potest esse in instanti, sicut ipsa iustificatio. Item D. Paulus ad Ephesios 4. inquit Deponite veterem hominem, & induite nouum: ergo necessarium est præter detestationem peccati, per quam deponitur vetus homo induere nouum hominem per propositũ non peccandi de cętero.

Caietanus. Cano Sotus.

Præterea ex illo Gen. 6. vbi dicitur pœnituisse Deum, quod fecisset hominem, & præcauisse in futurum præscribitur nobis pœnitendi modus, docemurque non solum esse necessarium detestari peccata, sed etiam præcauere in futurum habendo propositum vlterius non peccandi.

Conc. Trid.

Deinde in Conc. Trid. supracitato habetur necessarium esse ad contritionem propositum non peccandi de cætero; sed hoc non potest esse de proposito virtuali, alias necessarium esset ad contritionem propositum ieiunandi in quadragesima, quia in eo in quo virtualiter includitur propositum non peccandi, includitur etiam propositum seruandi omnia mandata, atque ita includitur propositum seruandi ieiunium quadragesimale.

Concilium Florent.

Subinde idem probatur ex Conc. Florent. & Trid. quæ ita exigunt ad contritionem propositum non peccandi sicut detestationem peccati; sed non sufficit ad contritionem detestatio virtualis, sed requiritur formalis; ergo similiter requiritur propositum formale non peccandi de cætero, & denique necessarium est ad contritionem diligere Deum super omnia, sed hoc fieri nequit sine proposito formali vitandi omnia mortalia; ergo &c. Vnde Sotus his rationibus motus lib. 2. de natura & gratia cap. 14. adeo certam existimat hanc sententiam, vt non dubitet contrariæ sententiæ defensores esse damnandos tamquam defensores erroris non cuiuslibet; sed perniciosi.

D. Bonau. Maior. Almayn. Vega Medina. Petrus Sotus. Adrianus. Nauar.

Nihilhominus tamen multi, & graues doctores existimant ad contritionem sufficere virtuale propositum, quod in efficaci, & perfecta detestatione includi putant. Nam D. Bon. d. 14. circa lit. Mag. dubitatione 4. Maior, & Almayn. d. 14. q. 1. Vega lib. 13. in Conc. Trid. cap. 21. Medina cod. de pęnitentia tract. 1. q. 3. Petrus Sotus lectione 13. de pœnitentia. Adrianus in 4. q. 1. de pœnitentia, vbi hoc sensu ait necessarium esse propositum saltem implicitum, exponens quod absolute dixerat quol. 5. art. 3. ad contritionem requiri propositum, & Nauar. in Man. cap. 1. à num. 11. vsque ad 14. Pro explicatione huius quæstionis tria videnda sunt, primo definire oportet hominem teneri, tempore quò pœnitet, habere propositum cauendi in posterum peccata. secũdo explicandum est, quomodo & quando teneatur habere propositum actuale & dicitur quãdo excusetur à proposito actuali, & sufficiat virtuale, quod fiet tribus cõclusionibus.

Pœnitentia requirit propositum vitandi peccatum.

Prima conclusio de ratione pœnitentiæ est habere propositum cauendi in posterum peccata, adeo quod formale propositum per se loquendo necessarium est ad consequendam gratiam, & remissionem peccatorum, & testimonia adducta in confirmationem prioris sententiæ, satis hanc cõclusionem confirmant, & maxime definitiones Cõciliorũ Florent. & Trid. nec ante hæc concilia, hæc conclusio sub iudice fuit, immo ab omnibus recepta post D. Ambrosium, & Augustinum sic pœnitentiam definientes. Pęnitentia est commissa peccata plangere, & plangenda iterũ, non committere, idest habere propositum iterum non committendi prout eã explicat Magister d. 14. & 15. & post ipsum Alex. de Ales & D. Bonauentura locis supracitatis & recentiores Theologi.

Magister sent.

Hæc tamen conclusio locum habet, atque intelligenda est, quando ipse amor Dei non ita exercetur, vt satis formaliter contineat hoc propositum; nam Amor Dei super omnia in hac vita, vt supra diximus, esse debet obedientialis, qui habet adiunctam voluntatem placendi Deo in omnibus, eiusque voluntatem adimplendi in omnia, quæ voluntas est sufficiens propositum non peccandi de cætero.

Intelligenda est etiam hæc conclusio regulariter, quandoque reliquum est aliquod tempus præsentis vitæ, nam si homo in ipso mortis articulo pęnitentiam agat, non est quod de proposito vitæ futuræ sollicitus sit, vt magis patebit sequenti conclusione.

Secũda Cõclusio. Quando tempore pęnitentiæ homo recordatur vitæ futuræ tenetur habere actuale propositum cauendi omnia peccata, & eorum occasiones, alioqui pęnitentia erit infructuosa, patet quia pęnitentia est actus per-

fectæ

ctæ amicitiæ, perfecta autem amicitia, vtrumque complectitur, velle scilicet amico placuisse, & propositum placendi semper in futurum.

Tertia Conclusio. Aliquando excusatur homo tempore pœnitentiæ à proposito actuali cauendi in posterum peccata, & tunc sufficit solum virtuale. v.g. Est casus quod pœnitens pro nimio dolore, non recordatur, quando pœnitet, vitæ futuræ, ita quod si recordaretur proponeret efficacissime cauere futurum; Talis dolor est propositum virtuale, & pœnitens excusatur ab actuali.

Probatur exemplo Dauid, qui mox iustificatus est, vt ex corde dixit, Peccaui. Statim enim audiuit, transtulit quoque Dominus peccatum tuum. Quantum valent tres syllabæ? Pulcherrime ait Augustinus hom. 41. tres syllabæ sunt, peccaui, sed in his tribus syllabis flamma sacrificij coram Domino ascendit in cœlum. In hac Dauid Pœnitentia nulla facta est mentio futuræ vitæ, & quantum colligi potest ex circumstantijs, quæ ibi referuntur, pro tunc solum vehementem habuit detestationem diuinæ offensæ à se commissæ, vt Chrisost. declarat tom. 5. hom. 6. de pœnitentia, igitur indicat scriptura hoc satis esse posse ad gratiam consequendam. Præterea. Dolor de admissis peccatis propter offensam Dei virtualiter includit propositum cauendi posteriori tempore peccata; quia odium quoddam est, & abominatio in genere omnium peccatorum, & cum illa non stat complacentia, aut voluntas alicuius peccati; quamuis igitur requisitum videretur scriptura propositum vitandi peccata ad obtinendum gratiam, tamen non deberet existimari ille dolor ad hoc insufficiens, licet non distincte feratur in futura, quia posset qui sic dolet de suis peccatis tam perfecte vnire & coniungi Deo, vt ille, qui actu haberet eiusmodi propositum, maxime si nullius peccati lethalis haberet conscientiam. Quare licet ad adulti iustificationem, necessarius sit baptismus, vel saltem illius propositum, tamen ex sententia eorum sæpe absque eo, & absque proposito formali illius iustificantur adulti, siue quia illius præceptum inculpabiliter ignorant, siue quia illius non recordatur, aut denique quia copia aquæ, vel eius, qui possit baptizare.

D. August.

D. Chrisost.

Præterea posset contingere, subita sic morte aliquos Peccatores præueniri, vt meminisse quidem peccatorum possent, quæ admiserint, & de eis dolentes, & clamantes, Domine miserere morirantur, antequam quicquam de futuris vel cogitare vel statuere potuerint, Numquid igitur & isti veniam carebunt? quid rigidius? quid durius? quid inclementius dici potest? Equidem Deus omnes confugientes ad se obuijs manibus excipit, Neminem facientem quid in se est despicit, sub ipso mortis articulo conctis ad se conuersis veniam impartitur. Deinde absolui possunt & debent peccatores, qui articulo mortis præuenti confiteri nequeunt sua peccata, si explicauerint saltem in specie aliquod peccatum, & signis exterioribus dolorem suum interiorem indicent, etiam si nullo signo declarent, quid in futurum proponãt, neque differenda est aliquo modo pro hoc absolutio. Et confirmatur quia Iugum Dei suaue est, & minime obligãs ad impossibile; ergo si præ nimia tristitia non recordatur homo vitæ futuræ, quod non est in sua potestate, non obligabitur ad tale propositum actuale. Et confirmatur secundo, Quod aliquis tempore mortis habeat vehemẽtissimũ suorum peccatorum dolorem, at quia intelligit finire vitã, vel non sperat se amplius victurum, non curat præcauere in futurum: iste absque dubio veniam assequetur, vt bonus latro est assequutus, ergo in tali euentu excusabitur ab actuali proposito cauendi in posterum.

Propositum non peccandi de cætero quomodo sit necessarium ad iustificationem.

Ex his ergo patet, quomodo sit necessarium propositum non peccandi de cætero ad iustificationem; est enim necessarium formale, quando per tempus licet illud habere, & similiter quamdiu memoria inest vitæ futuræ; quando tamẽ aliquis breuitate temporis intercipitur, vel obliuionem habet humanam vitæ futuræ talis iustificabitur per detestationem legitimam peccati præteriti, in qua detestatione includitur virtualiter propositum non peccandi de cætero, in quam sententiam tandem resolute veniunt Vega & Nauar. locis supracitatis.

Et si quæras an propositum actuale confitendi tempore debito & satisfaciendi requiratur ad sufficientem contritionem. Respondet quod sufficit virtuale propositum obseruandi omnia diuina mandata, in quo proposito includitur voluntas confitendi sicut particulare includitur in suo vniuersali, & Probatur quia confessio aut satisfactio cum sint actus exteriores, non sunt de qualitate contritionis, qui est actus interior. Et si arguas ex Conc. Florentino determinãte contritionem esse materiam cum proposito confitendi & satisfaciendi, & ex Conc. Complutensi idem determinante contra Petrum Oxonensem. Respõdeo Concilium Florẽt. loqui de proposito actuali vel virtuali, & Conc. Complut. damnare hæresim illius Petri affirmantis non esse necessariam confessionem, aut satisfactionem, contra quem ait. Damnamus illam propositionem, quod peccata remittuntur per solam contritionem sine ordine ad Claues.

Cõc. Florẽti.
Concilium Complut.

Ad argumenta prioris opinionis iam responsum est scilicet habere locum in casu primæ atque secundæ conclusionis; loquutiones enim scripturæ, & Patrum requirunt quidem propositum non peccandi de cætero in genere, & non in specie formale, nisi in casu secundæ conclusionis, atque ita omnibus auctoritatibus satisfit per virtuale propositum, quod est vna species propositi generaliter concepti. Per idẽ respondetur ad Concilium Florentinum & Trid. Auctoritas enim Concilij non est necessario interpretanda de proposito formali, sed satis bene intelligitur de proposito formali vel virtuali, idque probatur ex simili auctoritate Concilij Trid. vbi sess. 6. c. 4. dicitur baptismum ad iustificationem esse necessarium, vel baptismi votum, quod tamen nõ intelligitur de voto explicito præcise, sed de explicito & implicito voto, quod patet ex D. Thom. 3. p. q. 69 art. 4. ad secundum, vbi dicit remissionem peccatorum aliquis consequitur ante baptismum, secundum quod habet baptismũ in voto explicite vel implicite, & idem docet Soto in 4. d. 5. q. vnica art. 2. & lib. 2. de natura & gratia cap. 12. & est communis sententia, quamuis igitur Concilium Trid. dicat esse necessarium propositum non peccandi de cætero, optime intelligitur de proposito formali vel virtuali, explicito vel implicito, Et cum infertur quod non potest intelligi de proposito virtuali, tum quia necessarium esset ad contritionem propositum ieiunandi in quadragesima, tum quia ita dicit concilium esse necessarium propositum non peccandi de cetero, sicut actum detestandi peccatum, quod non sufficit virtualis, sed debet esse formalis.

D. Thomas.

Sotus.

Ad primum dico, quod propositum ieiunandi in quadragesima includitur in proposito obseruandi omnia diuina mandata; nam qui perfecta detestatione peccata detestatur habet virtuale propositum non peccandi de cætero, & obseruandi omnia diuina mandata, in quo propositum obseruandi singula præcepta includitur, sicut particulare includitur in suo vniuersali, vt diximus supra. Ad secundum dico quod falsum est actum formalem detestandi peccata esse simpliciter necessarium ad remissionem peccatorum, nã sufficit virtualis, vt ostensum est supra: potest enim aliquãdo remissio peccati mortalis obtineri sine formali actu pœnitentiæ. Ad vltimum similiter dico falsum esse ad veram contritionem requiri formalem actum amoris, nam perfici potest simplici actu detestationis, qui virtualiter, & in voto amorem includat. Et esto quod requireretur necessario ad contritionem dilectio Dei super omnia, adeo quod esse non posset sine illa vera peccatorum detestatio, ex hoc tamen non sequitur formale propositum cauendi peccata de cætero, vt supra ostensum est.

ARTICVLVS IX.

Vtrum ad contritionem sit necessarius summus conatus.

HAec quæstio ab alijs mouetur sub hoc titulo; an contritio dolor debeat esse maximus, qui esse, potest per naturam, & nos in vtroque sensu illam determinabimus.

Circa quam triplex est opinio, Prima est Adriani q. 2. de pœnitentia & quol 5. art. 3. & solet tribui Alex. de Ales, p. 4. q. 17. m. 1. art. 1. §. 5. D. Bonau. d. 16. art. 1. q. 1. & Richar. d. 17. art. 1. q. 3. 4. & 5. quia in verbis ita loquuntur, sed in alio sensu, vt statim declarabo; Qui tenet necessarium esse ad contritionem talem conatum, vt voluntas omnes suas vires apponat in detestatione peccatorum, Alioqui non esse contritio licet sit detestatio peccatorum propter Deum. Idque probat ex illo Deut. 4. si quæsieris Dominum Deum tuum inuenies illum, si tamen quæsieris ex toto corde, & ex tota tribulatione animæ tuæ; & Deut. 30. si ductus pœnitudine cordis reuersus fueris ad Dominum in toto corde tuo, & tota

Adrianus.
Alex. de Ales.
D. Bonau.
Richardus.

tota anima tua miserebitur tui 3. Regum 8. Si peccauerint tibi, & reuersi fuerint ad te in vniuerso corde suo, & tota anima sua propitiaberis populo tuo. Secundo Paralip. 30. Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt eum: Hieremi. 29. Quæretis & inuenietis me, cũ quæsieritis me in toto corde vestro. Et Ioelis. 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro &c. sed non conuertitur ex toto corde, qui summum voluntatis conatum non apponit ergo &c.

Secundo. Ad perfectam Dei dilectionẽ requiritur summus conatus iuxta illud Deut 6. Diliges Dominum Deum tuum ex tota fortitudine tua &c. sed ad contritionem est necessaria perfecta dilectio vt constat ex dictis, ergo &c.

Tertio. Deus non promittit suam gratiam, nisi facienti quod in se est, sed promittit suam gratiam habenti contritionem; ergo habens contritionem facit quod in se est, & per consequens facit totum quod potest, si enim non facit totũ quod potest, id quod deficit, facit minus ex illo quod in se est, ergo ad contritionem requiritur totus conatus.

Quarto denique idem colligitur ex multis sanctorum au ctoritatibus, quæ totum conatum tamquam necessarium requirunt ad contritionem; nam Cyprianus serm. 5. de lapsis inquit. Deus quantum Patris pietate indulgens semper & bonus est, tantum iudicis maiestate metuendus est, quam magna deliquimus, tam granditer defleamus, alto vulneri longa & diligens medicina non desit, pœnitentia crimine minor nõ sit, & subdit, putasne tu Dominum cito posse placari, quem verbis perfidis abnuisti? Putas eum facile misereri tui, qui tuum non esse dixisti? Et D. Ambrosius in epistola ad quamdã corruptam. 2. de pœnitentia cap 6. inquit, secundum conscientiæ molem exibenda est pęnitentiæ Magnitudo, grandi Plagæ, alta & prolixa est Medicina &c. & D. August. in lib. de pœnitentia relatus à Gratiano de pœnitẽtia d. 3. sunt plures. ita scribit. Recte pęnitens, quicquid sordium post purificationem contraxit oportet, vt abluat lachrymis menti; & ad fratres in Eremo ser. 1 1. inquit. grauia peccata grauissimis lamentis indigent, & Diuus Gregorius in Reg. cap. 8. in illa verba, si forte releuet manum suam à vobis, ita scribit, Qui dicunt si forte releuet manum suam à vobis, quid aliud in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorũ: quia ergo dicitur si forte releuet manum suam commouerit ad pęnitentiæ lachrymas cum magna fortitudine debemus, quia & si ij, qui pęnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inueniunt, negligentes salui fieri quando possunt? Demum Isidorus lib. de summo bono. c. 12. ita scribit; sunt qui pęnitentibus securitatem cito pollicentur quibus bene per prophetam dicitur: curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes; Pax & non erat pax, cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccati, & non legitime promittit securitatem, & subdit proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est.

Cyprianus. D. Ambros. D. August. D. Gregor. Isidorus.

Secunda Opinio est Scoti. d. 15. q. 1. art 4. sub littera G. dicentis requiri certam intensionem scilicet quando pęnitentia habetur de multis peccatis simul, non sufficit contritionem esse remissam, sed debet esse certæ & determinatæ intensionis, ita quod vnus gradus intensionis correspõdeat vni peccato, & alius alij, quamuis non sit maximus vt dicebat Adrianus, & hæc sunt verba Doctoris. Contritio de pluribus simul in generali potest vna correspondere pluribus peccatis, sed tunc oportet ad hoc quod sit satisfactio totalis non diminuta, quod aliquid eius sufficiat pro vno peccato, & aliquid pro alio aliquid inquam & aliquid non de partibus integralibus in actu, sed de gradibus intensionis, ita scilicet quod sit in tanto gradu intensionis, quod in longe minori sufficeret pro vno, & in gradu quem superaddit vltra, sufficeret pro alio; hactenus Scotus & hæc sententia est vera, & in sensu infra dicendo.

[Sc]otus.

Tertia sententia est negatiua affirmantium ad rationem contritionis nullam definitam intensionem requiri, sed sufficere substantiam actus in quocumque gradu fiat, hanc sententiam docent Gab. in 4. d. 14. q. 1. Medina cod. de pęnitentia tract. primo q. 5. Sotus. d. 17. q. 2. art. 4. Vega lib. 13. in conc cap. 24. & 25. Cano. 3. p. relectionis de Pęnit. & Nauar. in Manua. cap. 1. num. 8. 17. & 31. Pro cuius explicatione obseruandum est primo, quod [illegible] odij, quam amoris magnitudo dupliciter considerari potest, Primo quantum ad gradualem intensionem, vt quando res amata causat maximã delectationem, quia sicut tristitia est passio, quæ causatur ex euentu nolito, ita delectatio & gaudiũ causatur ex euentu volito, siue amato. Secundo modo consideratur gaudium, & tristitia quantum ad intensionem ex pretio rei amatæ, & est quando anteponimus rem amatam ceteris rebus, quãuis ex eius amore non consequamur maximam delectationem; primus amor vocatur intensiuus, secundus appreciatiuus, ita summus dolor est duplex scilicet intensiuus & appreciatiuus; summus dolor intensiue dicitur quando voluntas summo conatu detestatur aliquid; summus autem appreciatiue, quando voluntas pluris æstimat detestationem alicuius mali, quam cuiuscumque boni detestationẽ, aut alterius mali euitationem, itaque magnitudo doloris intensiue attenditur ex parte subiecti, vt docet D. Bonauentura loco supracitato art. 4. q 1. Magnitudo vero appreciatiue ex parte obiecti, & sæpe accidit, vt de re aliqua magis doleamus intensiue, de qua minus doleamus appreciatiue, & è contra. Nam viri etiam boni magis tristantur interdũ, & dolent ob mortem filiorum, quam ob peccata: quia tamen si daretur optio, mallent filios amisisse, quam Deum offendisse.

[Chr]ist[ian]us. [So]tus. [Ve]ga. [Ca]no. [Na]uar.

Odij & amoris magnitudo bifaria considerari potest.

D. Bonau.

De sancta Paula Romana scribit sanctus Hieron. in eius vita. In mortibus filiorum se illam grauiter affici solitam, vt semper de vita periclitaretur, qualem dolorem ob crimina in Deum admissa numquam sensisse legitur, nec tamen dubitari potest, quin, femina illa sanctissima & optima maluerit filios omnes perire, quam vel leuiter Deum offendere.

D Hieron.

Secundo Obseruandum est, quod aliquando virtute contritionis fit tantum remissio culpæ & commutatur pœna externa in temporalem. Aliquando autem remittitur non solum culpa, sed etiam pœna, atque adeo aliud est loqui de remissione culpæ, & aliud de remissione pœnæ; Ad culpæ enim remissionem eadem dispositio sufficit, siue culpa sit vna, siue plures, graues aut leues intra latitudinem peccati mortalis, quia illa remissio est quasi indiuisibilis, & eadem forma gratiæ ad eam necessaria est, & sufficit, licet quò feruentior fuerit eo melior sit, atque ideo scriptura illam interdum proponit consulendo non præcipiendo. Petit enim scriptura interdum pœnitentiæ quantitatem, vt etiam pœna integre remittatur. His obseruatis sit.

Contritionis virtute interdum, & culpa & pœna remittitur.

Prima conclusio. Non est necessarium ad contritionem siue iustificationem vt homo apponat totum conatum, quẽ potest; patet, quia voluntas non apponit totum conatum, quem potest sine ingenti diligentia & difficultate: nam in summo conatu includitur id quod facile, difficilius, & difficillime voluntas potest ergo nullum est Dei præceptum obligans ad summum conatum, patet consequentia, quia præcepta Dei suauia sunt, & onus eius leue; & confirmatur quia non potest homini constare probabiliter, an summum conatum apponat ergo de tali re nullum præceptum est, patet consequentia, quia præcepta diuina talia esse debent, vt de illorum adimpletione possit homo probabilitatem habere. Secundo confirmatur, quia alia præcepta non obligant ad summum conatum; homo enim præceptum restitutionis adimplet, reddendo quod debet, etiam sine summo conatu; similiter & præceptum orationis &c. ergo idem dicẽdum est de præcepto contritionis.

Ad contritionem non est necesse, vt homo apponat totum conatum.

Secundo probatur conclusio. Ad hoc vt homo auertat se à Deo non est necessarius summus conatus, immo si de liberate velit occidere, seu adulterari auertit se à Deo licet ille actus non producatur summo conatu, & hoc est de fide tenendum; ergo vt se homo conuertat ad Deum non est necessarius summus conatus, quia pronior est Deus ad misericordiam, quam ad vltionem.

Tertio, Deus non permittit Ecclesiam versari in ignorantia illorum, quæ necessaria sunt ad salutem, iuxta illud Ioan. 14. Cum venerit ille spiritus veritatis docebit vos omnia sed ecclesia ignorat, an sit necessarius summus conatus ad salutem: quia a nullo pœnitente summum conatum requirit, neque monet confessarios, vt requirant; immo contenta est si videat pœnitentem detestari peccatum propter Deum, & proponere in futurum non peccare. ergo euidens argumentum est, summum conatum non esse necessarium.

Secunda conclusio. Non est necessarius aliquis certus conatus ad contritionem; immo vero potest homo iustificari

Ad cõtritionẽ nõ est necessarius aliquis certus conatus.

conatu

conatu parum intenso & remisso, legitimo tamen; patet ex Diuo Chrisostomo ex libro de reparatione lapsi vbi ait, Deus non spernit pœnitentiam, si sincere & simpliciter offeratur quamlibet breui tempore gestam suscipit, & non patitur quamuis exigue conuersionis pœnæ mercedem; & habetur transumptiue de pœnitentia d.3.c.talis; ex quo colligitur nullam certam intensionem, nullumque certum conarum necessarium esse ad pœnitentiam, & Leo Papa Epistola 91. inquit. Nec misericordiæ mensuras possumus ponere, nec tempus definire, apud quem nullas patitur moras vera conuersio. Secunda Probatur conclusio. Non est dignū misericordia diuina neque prouidentia, vt nobis ea præcipiat, quæ nobis constare nullo modo possunt, sed nullo modo nobis constare potest, quanta certa esse debeat illa certa intensio & conatus ad contritionem, ergo Deus talem intensionem & conatum non præcipit, Ex quo sequitur contra Adrianum, quod si certa intensio non est in præcepto, ipsa non est necessaria ad iustificationem, Præcepta enim vt constat ex dictis potissimum dantur de rebus ad salutem necessarijs, & in nostra positis potestate, & denique nulla auctoritas, nullaque ratio probat necessariam esse ad iustificationem certam intensionem, neque esse in præcepto, præterim cum odia sint restringenda; & fauores ampliandi secundum Regulam iuris. Ergo neque dicendum est talem intensionem esse necessariam, vel esse in præcepto. Vnde resolutorie dicendum est, quod quamuis ad remissionem peccatorum sit necessaria detestatio peccati propter Deum cum proposito non peccandi de cætero; sufficit tamen hæc detestatio quoad culpæ remissionem quamuis sit minima atque remissa. Et si dicas Apoc 3. dicitur, Vtinam frigidus esses aut calidus, sed quia tepidus es incipiã te euomere ex ore meo, sed qui remisse detestatur peccata tepidus est, ergo iste potius euometur à Deo, quam iustificabitur Dico quod per calidum intelligitur existens in charitate, qui amore feruet, per frigidum vero intelligitur timidus, qui timore constringitur. Vnde sensus illorum est. Vtinam ex charitate præcepta mea seruares, vel saltem ex timore peccata fugeres, & deuitares; sed quia tepidus es, hoc est neque amore calidus, neque timore frigidus, sed omnino tepidus ad præcepta mea seruanda, incipiam te euomere idest à me proijcere, quibus in verbis nulla fit mentio de intensione conatus. Vel tepidus appellatur vt docet D. Thomas q.3. de malo art.13. ad primum. Non qui remisse operatur sed qui mala opera bonis admiscet, & præsertim qui cum fidem habeat charitate caret.

Tertia Conclusio; Odium, detestatio, seu nolitio peccatorum vt sit ad eorum remissionem sufficiens quoad culpã tantum, non requiritur quod sit maxima quantum ad intensionem, bene tamen appretiatiue idest comparatiue ad alias creaturas. Prima pars conclusionis probata est in secunda Conclusione; secunda vero pars, qua definitur requiri dolorem maximum appretiatiue ad hunc sensum, quod homo potius eligat quoduis malum corporis, fortunæ, aut honoris, quam offendisse Deum; ita vt odium habeat malum culpæ plusquam cætera mala odio digna probatur quia actus perfectus charitatis est diligere Deum super omnia, & cum contritio sit actus perfectus charitatis, requiritur quod sit maximus appretiatiue, ita quod si daretur peccatori optio, potius deberet eligere mortem quantumcumque acerbam, & ignominiosam quam velle peccasse, alias non diligeret Deum super omnia, immo plus diligeret hanc temporalem vitam, alque adeo amitteret æternam, iuxta illud Matth.10. Qui amat animam suam in hoc mundo perdet eam; cauendum est autem, vt bene docent Alex. de Ales. D. Thomas, & D. Bonau. locis supracitatis ne huiusmodi comparationes hominibus parum in virtute exercitatis proponantur quoniam esset illis certissima causa ruinæ, solũ enim tenentur homines habere firmissimum animum & propositum, quod Deus non patietur illos tentare, vltra quam possit, & etiam faciet cum tentationibus prouentum; ita quod si quando contingeret, illos constitui in aliquo maximo discrimine eligendi mortem, vel peccatum; Deus tunc præstabit auxilium ad eligendam mortem; debet ergo homo maiori detestatione detestari peccata appretiatiue, quã quæcumque alia mala, ita quod homo pluris æstimet Dei offensam illam detestando, quam omnia alia mala; & eadẽ ratione maior debet esse detestatio maioris peccati, quam minoris appretiatiue, ita vt pluris existimet homo non peccasse maius peccatum, quam minus, essetque paratus potius eligere minus, si aliquid illorum esset eligendum, quæ comparationes non sunt necessario faciendæ formaliter; satis enim est detestari peccata quatenus sunt offensæ Dei, in quo includitur virtualiter maior detestatio peccati, quã aliorum malorum, & maioris offensæ, quam minoris appretiatiue. Legite Vegam loco supracitato cap.25. prop.3. & in sensu huius conclusionis loquuti sunt Alex. de Ales. D. Bonau. & cæteri Antiqui Doctores requirentes maximum dolorem ad contritionem.

D Chrisost. — *Leo Papa.* — *D Thomas.* — *Dolor vt sit sufficiens ad culpæ remissionem, non oportet sit maximus intensiue, sed maximus appretiatiue.* — *Alex. de Ales. D Thomas. D. Bonau.* — *Vega. Alex. de Ales. D. Bonau.*

Quarta Conclusio. Vt remittatur culpa, & omnis pœna requiritur contritio intensior pro qualitate & quantitate peccatorum, probatur quia huiusmodi contritio quanto intensior, eo est magis satisfactoria, non solum pro culpa, sed etiam pro pœna purgatorij, & in hoc sensu loquutus est Scotus, qui huiusmodi contritionem vocat totalem idest remittentem peccatum quoad culpam & pœnam cuiusmodi fuit contritio Magdalenæ, & latronis.

Ad remissionem culpæ & pœnæ requiritur contritio intensior pro quantitate, & quantitate peccatorum.

Ad Argumenta Adriani respondetur. Ad primum necessariam esse auersionem à peccato & conuersionem ad Deũ ex toto corde vt homo iustificetur, quando vero inde colligitur, ergo necessarius est summus conatus, & summa auersio negatur consequentia, solum enim vere colligitur quod conuersio ad Deum ex toto corde includit amotionem cordis ab amore omnis rei contrario Dei dilectioni, & detestationem omnium peccatorum propter Deum, cum proposito non peccandi de cætero, & talis conuersio fit toto corde, licet per actum remissum id fiat; fit enim integro corde, nulla cordis parte remanente in affectu peccati, Adeo quod diligere Deum toto corde nihil aliud est, quam diligere eum plus omnibus finitis; tunc enim integrum cor Deo damus, quando nihil præ illo diligimus, pœnitere autem tota anima tribulatione est displicere de peccatis, & de nullo complacere, atque ita sunt interpretanda omnia illa testimonia.

Ad secundum Negatur quod ad dilectionem Dei perfectam requiratur summus conatus, & ad probationem dico, quod sensus horum verborum est, Deum esse diligendum ex omnibus potentijs, & viribus, non quidem actualiter; hoc enim competit perfectioni pœnæ cælestis, sed habitualiter, ita vt scilicet in istis potentijs nihil admittatur Dei amori contrarium, ad hoc autem non est necessarius summus conatus, de quo legite D. Tho. 2.2. q.44. art.4. & 5.

Ad tertium Conceditur quod Deus non dat gratiam necessario, nisi facienti quod in se est; facere autem quod in se est, non est facere totum, quod homo potest, nam fere nullus est, qui totum hoc faciat. Vnde sensus illius axiomatis Theologici est, homini facienti quod ex parte sua sunt necessaria ad gratiam, Deus semper facit ea quæ ex parte sua sunt necessaria, atque ita semper Deus confert gratiam illi, qui facit ea, quæ ex parte sua requiruntur, at vero summus conatus non est necessarius ad iustificationem, vt constat ex dictis. Vel dicendum quod ille agit quod in se est, qui plus diligit Deum quam omnes creaturas, quamuis intensiue non diligat secundum totum conatum. Et si dicas de grauioribus peccatis est dolendum, vt homo assequatur veniam, concedo totum in sensu tertiæ, & quartæ conclusionis scilicet appretiatiue, vt dictum est, ac etiam, quia ad remissionem culpæ, & omnis pœnæ virtute contritionis maior dolor requiritur ad remittenda peccata grauiora, quam minus graua, non autem sic ad remissionem culpæ, sufficit enim parua contritio, si contritio est.

D Thomas. — *Quid sit facere quod in se est.*

Ad auctoritates sanctorum dico primo, quod sancti non postulant magnos seruores, quasi necessarios ad iustificationem, sed quasi decentes, & valde conuenientes; atque etiam ob eam causam, qua magni feruores atque conatus necessarij sunt ad perfectam peccatorũ remissionem, quoad culpam & pœnam temporalem. Quantum vero ad remissionem culpæ illi maximi feruores, atque conatus, non sunt necessarij. Ex dictis omnibus constat expositio definitionis contritionis cuius vltima verba scilicet cum spe veniæ nulla indigent expositione; constat enim contritionem cum circumstantijs positis esse actum spei, & hæc dicta sufficiant de contritione; seu de pœnitentia virtute.

QVAE-

QVAESTIO IIII.

Vtrum per sacramentum Pœnitentiæ deleatur culpa.

IN hac quæstione tractat Doctor de pœnitentia prout est sacramentum; De pœnitentia enim quatenus est virtus dictum est in superioribus, & iure quidem optimo, prius determinatum est de pœnitentia virtute, quam de pœnitentia sacramento, quia pœnitentia erat virtus, antequam esset sacramentum, tum etiam quia pœnitentia virtus est actus mentis interior, & Pœnitentia sacramētum est actus quidam exterior actus autem interior exteriorem præcedit, atque adeo placuit Doctori à pœnitentia, prout est virtus incipere, & deinde prout est sacramentum, de qua in communi quærit vnam quæstionem. An scilicet per sacramentum pœnitentiæ deleatur culpa.

Supponit hæc quæstio primo pœnitentiam esse vnum ex septem sacramentis Ecclesiæ, quod fide Catholica est amplectendum, vt definitum est in Conc. Florent. & Trid. post cap. ad abolendam de hæreticis, & patet insuper a definitione sacramenti: est enim teste Augustino inuisibilis gratiæ visibilis forma, sed talis est pœnitentia, vt patet, ergo &c.

ex Florēt. Conc. Trid. D. August.

Secundo supponit hæc quæstio, quod in hoc distinguitur sacramentum pœnitentiæ à baptismo; quia cum hæc duo sacramenta pœnitentiæ, & baptismus sint instituta in remedium contra peccatum, baptismus ipse principaliter, & directe est institutus contra originale peccatum, licet ad actualis baptismus præcedentis remissionem valeat. Pœnitentiæ autem sacramentum institutum est dumtaxat in remedium contra actuale peccatum; atque ideo Diuus Hieron. secundam post naufragium tabulam illud appellat. Duplex est enim tabula sicut duplex est naufragium; primum naufragium est cuiuslibet originale peccatum, in quo naufragio concipitur & a quo per baptismum tamquam per primam tabulam ad liberandum a tali naufragio institutam eripitur, atque adeo baptismus ipse potest congrue prima tabula post naufragium appellari, qua mediante quilibet potest a tali naufragio liberari. Secundum & periculosius naufragium est omne actuale mortale peccatum; nam omne illud naufragium appellari potest, per quod quilibet est iodigenus portu salutis æternæ, & submergendus est in mare inferni, hoc autem est omne mortale peccatum propter quod ipsum naufragium est periculosius quam sit primum: quoniam propter primum nullus punitur aliqua pœna sensus, sed pœna damni dumtaxat; at propter secundum nempe propter mortale peccatum punitur non tantum pœna damni; sed etiam pœna sensus æterna; ab huiusmodi naufragio liberantur per pœnitentiæ sacramentum, & hinc est, quod pœnitentiæ sacramentum secunda tabula post naufragium appellatur: huius autem veritatem quærit Doctor in hac quæst. quam diuidit in tres articulos. In primo ponit definitionem sacramenti pœnitentiæ. In secundo possibilem esse rem cui prædicta definitio conueniat, congruumque esse, quod talis res sit. & denique ostendit rem talem esse de facto, v. g. sacramentum pœnitentiæ cui definitio seu descriptio assignata competit in tertio autem articulo resoluit quæsitum principale quæstionis.

D. Hieron. Tabula est duplex sed duplex est naufragiū.

Primus Art. Vtrum pœnitentia sit sacramentum.
Secundus Art. Vtrum aliquid subsit rationi pœnitentiæ.
Tertius Art. Vtrum per illud sacramentum pœnitentiæ. Ego absolno te, remittatur peccatum.
Quartus Art. Vtrum pœnitentia sacramentum supponat pro absolutione facta à sacerdote, an pro actibus pœnitentis scilicet pro contritione, confessione, satisfactione.
Quintus Art. Vtrum hæc sit sufficiens forma pœnitentiæ. Ego te absolue.
Sextus Art. Vtrum ad valorem huius sacramenti sufficiat voluntas confitendi, absque alio dolore peccatorum.
Septimus Art. Vtrum contritio sit necessaria ad effectum huius sacramenti, vel sufficiat attritio existimata, vel cognita.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Pœnitentia sit Sacramentum.

Pœnitentia multis modis vsurpatur.

POenitentia quandoque sumitur pro actu, interdum pro habitu, & aliquando pro signo exteriori. Pro actu bifariā sumitur aliquando pro actu interiori, & interdum pro actu exteriori. Pro actu interiori accepta, idē est pœnitentia quod actus detestandi peccatū vel actus displicentiæ de peccato commisso, & de peccato omissionis, & pertinet iste actus ad voluntatē, & pœnitētia isto modo nihil aliud est, quā actualis renentia pœnæ in scipso pro peccato, vel tenentia interioris tristitiæ in ipsa voluntate, & fit quatuor modis prout vidimus in prima quæstione huius distinctionis, vindicando commissum, detestando commissum, acceptando pœnam inflictam, & patienter pœnam ipsam sustinendo.

Pro habitu sumitur pœnitentia secundū corrēspondentiā ad quadruplicem actum supradicti habitus generatiuum, qui habitus potest dici pœnitentia, & vnusquisque secundū suū modū, & sunt isti quatuor habitus alterius, & alterius rationis, sicut & illi actus generatiui ipsorum. Tertio sumitur pœnitentia pro signo exteriori pœnitētiæ non quocūque, quia quilibet actus exterior pœnitentiæ significans displicētiā vel tristitiam potest esse signum eius; sed pro signo exhibito a pœnitente, & confitente exterius peccatum suum tāquam sibi displicens, & pro quo subdit se absolutioni, & similiter pro signo absolutionis vocalis, & sensibilis exhibito a ministrante, quod est signum absolutionis interioris, & pœnitentiæ ipsius pœnitentis, signum inquam non naturale, sed ad placitum magis institutum.

Secundo obseruandū est, quod pœnitentia pro signo exteriori ad placitū exhibito ad significandū absolutionē animæ a peccato, & pœnitentiā interiorē, ita definitur ab Doctore. Pœnitentia est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cū debita intentione prolatis a sacerdote iurisdictionē habente ex institutione Diuina efficaciter significans absolutionē animæ a peccato, hanc Doctoris definitionē explico de verbo ad verbū, dicitur primo quod pœnitentia est absolutio idest quædam sententia absolutionē significās, itaque sumitur hic absolutio pro sententia prolata a iudice significante absolutionē, vt est ista oratio. Ego te absoluo a peccatis tuis &c. Dicitur hominis pœnitentis, supple & cōfessi, est enim sacramentū homini, vel mulieri exhibendū non autē alicui alteri creaturæ: Vnde si aliquis malus Angelus in assumpto corpore veniret ad sacerdotē & confiteretur peccata sua, & sacerdos eum absolueret ibi non esset sacramentū pœnitentiæ: quia ibi non esset absolutio hominis dicitur pœnitētis, quia necessario oportet, quod homini displiceat peccatum suū, ad hoc quod sacramentū habeat efficaciam. Dicitur etiā confessi, quia necesse est hominē peccatum suum confiteri voce vel signo ad hoc quod absoluatur sacramentaliter: non enim potest homo iudex rite de causa pronuntiare sententiam, nisi prius eam cognouerit.

Pœnitentia sacramentū quid sit.

Explicatur definitio pœnitentiæ.

Dicitur facta certis verbis ex quo sequitur primo, quod hæc sententia absolutionis debet esse vocalis seu verbalis, & per consequens sensibilis, quia in sacramento debet esse aliquod sensibile; sacramentū. n. nouæ legis est sensibile signū, sicut diximus in prima, d. huius 4. Secundo sequitur quod mutus sacerdos licet intentionē habeat absoluendi, & intētionaliter aliquē absoluat, non est ibi sacramentū, quia illa absolutio non esset facta certis verbis. Tertia sequitur quod huiusmodi absolutio debet fieri sub certa verborū forma: quia cū hoc sacramentū sit a Christo Dño institutū, non potest fieri nisi cū illis verbis, quibus Christus illud instituit: Christus. n. solus sacramenta instituit, nā pura creatura, nec tota cōmunitas omniū creaturarū habet in sua potestate effectū sacramenti scilicet gratiam sed solus Deus, atque adeo non potest dare efficaciam illis signis.

Dicitur vltra cū debita intentione prolatis: quia ad substantiā sacramēti requiritur intentio Ministri, nā licet pœnitentiæ sacramentū nō includat intentionē tāquā partē, quia illa intentio non est sensibilis, tamen cōnotat intentionē, ac proinde si sacerdos a casu proferret illa verba sine quacūque intentione nō magis sunt sacramentū quā si psitacus, vel pica illa proferret. Subditur a sacerdote nullus. n. post hoc sacramentū ministrare, nec de iure, nec de facto sit quod aliquid fiat, nisi sit in sacerdotē ordinatus atque adeo nec Angelus nec quicūque nō sacerdos potest sacramētaliter absoluere; quia minister huius sacramēti est solus sacerdos, vnde ab alio quā a sacerdote ministrari hoc sacramētū nō potest, vt infra d. 17. dicetur additur iurisdictionē habēte; quia non quilibet sacerdos indifferenter potest hoc sacramentū ministrare; est. n. pœnitentia sacramentū iudiciale, & sacerdos absoluēdo vt iudex profert sententiā ligātē, vel soluētē, sententia aūt a nō suo iudice lata est nulla, oportet ergo sacerdotē absoluētē esse iudicē absoluētis, atq; ita i eū habere iurisdictionē, & iurisdictio hæc est de necessitate sacri, ita qd si ab aliquo iurisdi-

iurisdictionem non habente ministraretur non solum peccat minister sed irritum est sacramentum, de quo nos infra d. 17. ex quo sequitur; quod talia verba prolata a laico non sunt sacramentum. Secundo sequitur quod si sacerdos non habens iurisdictionem illa verba proferat, non sunt sacramentum, & si proferantur a sacerdote iurisdictionem habente & non intendente, non sunt sacramentum. Dicitur ex institutione diuina efficaciter significantibus absolutionem animæ a peccato, vbi duo tanguntur; primum huius sacramenti institutio: nam sicut aliorum sacramentorum institutio fieri non potuit nisi a Christo Domino, sicut dictũ est d. 1. q. 3. ita & hoc sacramentum solum à Christo Domino institui potuit. Secundũ quod tangitur est effectus principalis huius sacramenti pęnitentiæ, nempe esse quantũ est ex sua parte signum efficax collationis gratię, & remissionis actualis culpæ in anima pęnitentis, si talem culpam inueniat, quando suscipit sacramẽtum, & non ponitur ibi obex. cum enim pęnitentia sit sacramentum; ergo erit signum efficax, & per consequens ex Christi institutione respõdebit ei aliquid significatum, & illud non est aliud nisi gratiæ collatio, & remissio culpæ. Nam licet interdum sacramentum non deleat culpam, sed tantum infundat, seu augeat gratiã, quando culpa iam prius est deleta, & quandoque nec deleat culpam, nec gratiam infundat, vt pote quando ponitur sibi obex ex parte pęnitentis; hæc tamen sunt per accidens respectu sacramenti sicut patet; ex his ergo patet, quid sit pęnitentiæ sacramentũ, & quod realiter nihil aliud est, quã absolutio hominis pęnitentis &c. Ex his ad quæstionẽ respondetur quod accipiendo pœnitentiam pro actu siue generatiuo pœnitentiæ virtutis, siue elicito a virtute, loquendo de illo actu quadruplici supradicto, de quo loquuti sumus in duabus primis quæstionibus, scilicet pro actuali pęnitentia secundum quamcumque illarum significationem, vel etiam pro habituali pœnitentia, quæ est virtus quædã specialis cuius actus est pœnitentia actualis secundum primã significationẽ, non est pęnitentia sacramentum, quia sacramẽtum est signũ sensibile gratiam Dei, vel eius effectum gratuitum ex institutione diuina efficaciter significans effectũ tanquam ordinatum ad salutem hominis viatoris, sed pęnitentia quocumque illorum modorum accepta, non est signũ sensibile cum sint vel actus interiores animæ, vel habitus in anima existentes.

Constructio est duplex transitiua et intransitiua.

Dicit tamen Doctor in calce huius quæstionis, quod pęnitentia istis modis sumpta potest dici sacramentum pœnitentiæ intelligendo constructionem transitiuam, non autẽ intransitiuam, sicut hæc creatura salis, nisi hic æquiuocetur nomen pœnitentiæ. Pro huius dicti intelligentia obseruandum est, quod apud grãmaticos duplex est constructio scilicet intransitiua, quæ est quando constructibilia pertinent ad idem, vt lumen intellectus idest lumen quod est intellectus, creatura salis; idest creatura, quæ est sal, forma partis idest forma, quæ est pars &c. Alia transitiua & est quando constructibilia pertinent ad diuersa vt Pallium Ioannis idest pallium quod possidetur a Ioãne, Petrus Francisci idest filius; hoc supposito dicit Doc. quod pœnitentia secundum istas quatuor acceptiones potest dici sacramentum pęnitentiæ secundum constructionem transitiuam; quia sunt aliquid sacramenti pęnitentiæ, contritio enim est pars sacramenti pęnitentiæ, sed non secundum constructionem intransitiuam; quia non sunt ipsa pœnitentia sacramentum, pœnitentia ergo pro actu exteriori, & signo sensibili accepta est sacramentum, prout patet ex eius definitione superius explicata.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquid subsit rationi Pęnitentiæ.

Sensus tituli est, an a parte rei sit aliqua res realis, de qua verum sit dicere, hoc est pœnitentiæ sacramentum, hoc est, an huiusmodi ratio, seu definitio pœnitentiæ in superiori articulo assignata, dicat aliquid in se falsum, vel aliquid impossibile, sicut huic nomini chymera, cui nihil entres; ondet in re; nam aliqui termini habent definitionem quid nominis, sed illi nihil subest vt chymera, & vacuum; vel a parte rei sit aliquid, quod vere & realiter sit pœnitentiæ sacramentum. Procutius explicatione ostendit Doc. non solum possibilem esse reperiri rem aliquam cui prædicta definitio conueniat; sed etiam congruum esse, quod talis res sit, ac demum ostendit rem talem esse de facto v. g. pœnitentiæ sacramentum cui definitio, seu assignata descriptio competit. Primum nempe possibile esse rem aliquam a parte rei esse pœnitentiæ sacramentum ex eo ostendit Doc. quod possibile est Deo animam absoluere a peccato, iuxta illud symboli Apostolorum, Credo peccatorum remissionem, ac proinde possibile est Deo instituere aliquod signum efficax illius absolutionis, quale signum sunt verba absolutionis sacramentalis: Certum est enim quod Deus potest circa creaturam suam aliquem effectum inuisibilem causare. Secundo. Certum est, quod illum effectum inuisibilẽ, potest Deus significare aliquo sensibili signo, quia hoc etiam efficere possunt homines, vt patet de Rege Assuero, qui signũ amoris sui, qui erat effectus inuisibilis significabat per virgæ extensionem, qua erat signum sensibile, & ad hunc modum potest producere effectum inuisibilem in pœnitente, nempe gratiam gratum facientem mediante signo sensibili, nimirum mediante hoc. Ego te absoluo &c. atque adeo patet quod isti rationi nominis subest aliquod possibile, nec est ratio ficta, sicut ratio impossibilis vel figmẽti; sunt enim omnia quæ ponuntur in ea in se possibilia, & ad inuicem comparata, nullam repugnantiam, nullamque contradictionem inuoluunt.

Secundum Nempe quod congruum fuit tale sacramentum instituere, probatur his rationibus, quibus probatum est in prima D. huius libri, congruum fuisse sacramenta institui a Deo, atque ita in proposito congruum fuit hoc signum absolutionis interioris institui a Deo in verbis significantibus absolutionem talem, vt per tale signum repræsentetur signatum, magis enim mouet & intellectum inducit in certitudine talis absolutionis, magisque inclinat effectum hominis ad prompte suscipiendum hoc sacramentum, nam sciens homo hoc signum a solo Deo institutum esse, atque ab ipso solo possibile esse institui, quippe qui solus potest ponere signatum nempe gratiam, & spiritualem absolutionem a peccatis magis certificatur, & magis inclinatur promptiorque efficitur ad suscipiendum illud signũ.

Et hoc est, quod fuit positum in definitione sacramenti pęnitentiæ, quia scilicet pęnitentia est absolutio idest quædam sententia diffinitiua absoluens reum pœnitentem, nõ quidem sententia iudicis principalis, sed iudicis commissarij, seu ministerialis, sicut aliquis potest ex commissione cognoscere in aliqua causa, atque ita ex commissione proferre sententiam, vel damnantem reum, vel absoluentem, prout ipse reus dignus est tali absolutione, vel damnatione.

Est etiam congruum quod talis absolutio fiat a sacerdote, quoniam iuxta D. Dionysium capite 7. cœlestis hyerarchiæ, sicut in cœlesti hyerarchia congruit extrema, seu infima per medium reduci in extremum, siue in supremum; ita in ecclesiastica hyerarchia fuit cõgruum extremos idest infimos peccatores reduci in Deum supremum per hyerarcham idest per sacerdotem, qui medius, & sequester est inter Deum & peccatores; Congruum insuper fuit, quod talis reductio fiat non per quemlibet sacerdotem, sed per habentem iurisdictionem: quia sententia a non suo iudice lata nulla est secundum iura vt habetur in 6 Decretalium titulo de Regulis iuris. *Dionysius.*

Ex quo infert Doc. quod Doctrina de sacramento pęnitentiæ subalternatur doctrinæ de iudicijs & de sententijs, cum enim in Ecclesia sit duplex forus publicus scilicet qui fit coram Episcopo, & priuatus qui est coram sacerdote, est etiam duplex iudicium priuatum videlicet, & publicum; atque ita quoad aliquas iustitiæ regulas oportet esse conuenientiam in vtroque foro, sicut vtrobique definitio litis, & ibi est actus iustitiæ; atque ideo sacramentum pœnitentiæ potest dici sacramentum iudiciale, vel iudicium sacramentale. Nam in foro conscientiæ absoluens iudicat, & sententiat de facto pœnitentis, & ex hoc quod iudicium est sacramẽtale; est firmius quia rationabilius; quam sit aliud iudicium publicum. Et ex hoc sequitur inquit Doc. quod non est necesse in forma absolutionis esse ita præcisa verba, vel limitata, sicut in baptismo, & Eucharistia: quia sufficit quod exprimatur actus sententiæ absoluentis, sicut & in iudicijs publicis non sunt verba limitata, vel determinata; sed frequenter iudicantes vtuntur varijs verbis, ait enim vnus de Theodoto Martyre iubeo ignibus tradi, *Doctrina de sacramento pœnitentiæ subalternatur doctrinæ de iudicijs.*

alter

alter de Cypriano sancte, gladio animaduerti placet, communiter tamen ista verba sunt apta, ego te absoluo, quæcumque alia præmittantur vel consequantur secundum diuersam consuetudinem in diuersis Ecclesijs.

Congruit etiam, quod requiratur intentio debita, vt supra expositum est in alijs sacramentis, ac demum ex parte suscipientis congruit, quod sit pęnitens, scilicet habens aliquam displicentiam de peccato commisso, hoc enim videmus etiam in iudicibus temporalibus, quod proteruum sententialiter condemnant, pœnitentem vero suo modo absoluunt idest tamquam non reum, vel puniendum sententiant.

Tertium scilicet hoc sacramentum de facto esse institutum à Deo ostendit Doc. ex illo Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & ex Matt. 16. Quodcumque

Co. Tridēt. ligaueritis super terram &c. Idque definitum est in Concil. Trid. sess. 7. can. primo de sacramentis in genere, vbi habetur si quis dixerit sacramēta omnia nouæ legis non esse à Christo instituta, aut esse plura, aut pauciora quam septem. v.g. Baptismum, Pęnitentiam &c. Anathema sit; idem etiam ha-

Co. Florēt. betur sess. 14. cap. 1. eiusdem Concilij, atque in Concilio Florentino sub Eugenio IV. vbi inter septem sacramenta nouæ legis cōnumeratur pęnitentia. Idque probatur ratione. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, Pęnitentia autem est huiusmodi ergo &c. consequentia patet cum maiori, & minor probatur, quia absolutio sacerdotis est quoddam signum sensibile, per quod peccator à peccatis absoluitur fuitque hoc sacramentum institutum à Christo Domi-

Conc. Trid. no post resurrectionem suā, vt docet Conc. Trid. sess. 14. c. 1. quia vt dicitur Ioan. 20. insufflauit in discipulos, & dixit illis. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. Idemque docet Doc. in hac quæst. & supra d. 2. q. 1.; quod vero hoc sacramentum à solo sacerdote possit dispensari habetur in c. firmiter extra de summa trinitate & fide catholica, idque congrue vt inquit Scotus, vt idē sacerdos habeat potestatem super corpus verum & mysticum; ex quo infertur quod nihil pertinens ad sacramentum pęnitentiæ potest à laico dispensari, sicut neque Eucharistiæ confectio, atque adeo confessio, quæ est dispositio pręuia ad sacramentum pęnitentiæ, vt dicetur postea scilicet d. 17. facta laico nihil valet virtute operis operati, immo dubitat Doctor, an talis confessio sit in detrimētum salutis, quia illa reuelatio peccatorum non potest esse sacramentalis.

ARTICVLVS III.

Vtrum per illud sacramentum Pęnitentiæ, scilicet ego absoluo te, remittatur peccatum.

Magister sent. DE hac re fuit Magistri sent. opinio d. 18. 4. sent. dicentis quod in absoluendis culpis, & retinendis, ita operatur sacerdos Euangelicus & iudicat sicut olim sacerdos legalis in illis, qui erant contaminati lepra, quæ peccatum signifi-

D. Hieron. cat; idque videtur probari ex D. Hieronymo in cap. 17. D. Matt. super illa Domini verba. Tibi dabo claues regni cælorum &c. ita dicente, hunc locum non intelligentes Episcopi & Præsbyteri non intelligentes aliquid sibi de Pharisæorū assumunt supercilio, vt vel damnent innocentes, vel soluere se noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur; & huiusmodi probationem inducit subdēs, legimus in Leuitico de leprosis, vbi iubentur vt ostendāt se sacerdotibus, & si lepram habuerint, tunc a sacerdote mundi fiant, non quod sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quod habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere, qui mundus, quiue immūdus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat, vel soluit Episcopus, vel Præsbiter non eos, qui insontes sunt vel noxij, sed pro officio suo cum peccatorum audierit varietates scit qui ligandus sit, quiue soluendus: hactenus D. Hieron.

Cassiodorus Secundo idem probatur ex Cassiodoro in illud Psalmi 31. Dixi confitebor iniustitiam meam Domino, & tu remisisti &c. ita dicente magna pietas Dei, qui ad solam promissionem peccata dimittit, votum enim pro operatione iudi-

D. August. catur. Idem patet ex D. Augustino in eundem locum; Nōdum pronuntiat, sed promittit se pronunciaturum, & Deus dimittit, sed sine pronunciatione non est pęnitentiæ sacramentum, quod requirit peccati confessionem; ergo per sacramentum pęnitentiæ non deletur culpa; Et confirmatur ex eodē D. Augustino super illud Ioannis 11. de suscitatione Lazari ita dicente. Nemo potest confiteri, nisi suscitatus, quod tripliciter probat; primo per suscitationem Lazari, qui prius suscitatus est, quam eductus de monumento & solutus. Secundo per illud Ecclesiastici 17. a mortuo velut, qui non est perit confessio. Tertio per illud Psal. Numquid Medici suscitabunt & confitebuntur tibi? ergo sacerdos per sacramentum Pęnitentiæ non delet culpam.

Cœterum hæc sententia Magistri, vt recte dicit Doc. nimis derogare videtur sacramento Pœnitentiæ; nam secun- *Refellitur sententia Magistri.* dum illam per sacramentum pęnitentiæ numquam deleretur culpa, sed necessarium esset illam prius deleri per cōtritionem ad hoc quod digne susciperetur sacramentum pęnitentiæ, cum nullus possit ostendi mundus a peccato, nisi prius sit immunis ab illo, & præterea sequeretur hoc inconueniens, quod numquam sacramentū pęnitentiæ posset esse secunda tabula post naufragium; idque ex eo patet, quia numquam liberaret peccatorem naufragum a periculo submersionis maris inferni. Quapropter hæc sententia Magistri ab omnibus Theologis reijcitur tamquam falsa, & iam hoc tempore est erronea, de qua dixit Ricard. de *Ricardus à Sancto Victore.* santo Victore libro de potestate ligandi & soluendi cap. 12. Extat quorūdam sententia tam friuola, vt ridenda potius, quam refellenda videatur. putant enim sacerdotes non habere potestatem soluendi, sed ostendendi solutos; sed numquam Dominus dixit, Quod solutum ostenderitis erit solutum, Dicunt sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata, cum Dominus hoc dicat. & dicunt habere potestatem ostendendi remissa, cum Dominus hoc non dicat. Similibus verbis refellit eamdem sententiam Hugo Vict. *Hugo Victorinus.* libro 2. de sacramentis p. 14. c. 8. & demum fere expresse dānata est opinio Magistri in Cōcilio Trid. sess. 14. c. 6 & can. *Conc. Trid.* 9. nam cap. 6. sic legitur. Quamuis autem absolutio sacerdotis alieni beneficij sit dispensatio, tamen non est solum nudum ministerium, vel annunciandi Euangelium, vel declarandi remissa esse peccata, sed ad instar actus iudicialis quo ab ipso velut a iudice sententia pronunciatur &c. & can. 9. ita legimus. Si quis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti &c. anathema sit. Vnde pro solutione huius quæst. Conclusio nostri Doctoris est. Per sacramentum pęnitentia potest deleri & aliquando deletur culpa. Probatur ex illo Matt. 16. Quodcumque solueris super terram erit solutum & in cælis, quæ verba non possunt exponi de sola ostēsione vel declaratione, alias eneruatur tota ecclesiastica potestas: sic enim nihil posset Papa dispensare, sed solum declarare non obligare, nec posset censuris ligare, sed declarare esse ligatum, quæ omnia & similia erronea sunt; ergo æque falsum est exponere verba illa Ioannis 20. quorum remiseritis peccata idest declaraueritis dimissa, nam eadem est ratio vtriusque verbi; & eodem modo illa intellexit Ecclesia de potestate faciendi non declarandi, ergo sacerdotes per sacramentum pęnitentiæ possunt remittere peccata, & culpas delere, & non solum ostendere peccata esse remissa. Præterea secundo maioris est misericordiæ, quod peccator possit duplici via iustificari, verbi gratia per contritionem sine sacramento in re, & per attritionem cum sacramento, quam quod sola via contritionis possit iustificari; ergo sicut adultus habet ex diuina misericordia duplicem viam, qua possit iustificari & consequi gratiam diuinam, vel per contritionem, vel per susceptionem baptismi cum attritione; similiter debuit post baptismum habere duplicem viam gratiæ obtinendæ per contritionem scilicet sine sacramento in re, & per attritionem cum sacramento pęnitentiæ.

Pro explicatione huius rationis obseruandum est quod Deus de lege requirit dispositionem de congruo ad hoc, quod peccatori conferat gratiam per sacramentum; quam dispositionem quatenus est prior tempore, quam gratia appella Scotus dispositionem remotam, & meritum de congruo ipsius gratiæ, eamdem vero attritionem, quatenus est in eodem instanti temporis cum gratia, appellat dispositionem immediatam ad gratiam, quæ non est necesse quod sit prius tempore quam gratia, quia vltima dispositio. Vnde secundum Doc. per hanc attritionem quatenus est prior tempore, quam gratia remittitur peccatum tamquam per dispositionem remotam, & meritum de congruo, ac vero

per eamdem vt permanentem cum gratia remittitur peccatum solum tamquam per dispositionem proximam & immediatam. Requirit itaque Deus hanc dispositionem de congruo ad hoc vt conferat gratiam peccatori per sacramentum pœnitentiæ, non quod sine illa præuia dispositione non posset gratiam conferre etiam per sacramentum; quia non alligauit potentiam suam sacramentis. Non solum ergo attritus per aliquod tempus vsque ad certum instans in vltimo instanti recipit gratiam delentem peccatum tamquam per virtutem meriti de congruo, vt declaratum est supra; sed etiam non habens talem actum, nempe perfectam contritionem, quæ sufficit ad meritum de congruo, sed tamen habens voluntatem suscipiendi sacramentum ecclesiæ, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto vel in voluntate inhærentis, recipit non ex merito, sed ex pacto diuino effectum huius sacramenti; ita vt parum attritus attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccatorum, volens tamen recipere sacramentum pœnitentiæ sicut dispensatur in ecclesia, & sine obice peccati mortalis in actu; in vltimo instanti prolationis verborum, in quo scilicet est vis sacramenti istius, recipiat effectum sacramenti, scilicet gratiam pœnitentialem nõ quidem ex merito; quia dispositio interior non erat sufficiens per modum meriti, sed ex pacto Dei assistentis sacramento suo ad effectum illum ad quem institutum est; alioqui non appareret quomodo sacramentum pœnitentiæ esset secunda tabula, si numquam per ipsum, vt sacramentum est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per attritionem tamquam per præuiam dispositionem & per contritionem tamquam per dispositionem completiuam.

Sententia ergo Doctoris est, quod peccator attritus volens recipere sacramentum pœnitentiæ sicut dispensatur in Ecclesia, & sine obice peccati mortalis in vltimo instanti absolutionis recipit effectum sacramenti, gratiam scilicet pœnitentialem, non quidem propter attritionem tamquam propter dispositionem sufficientem ad gratiam, sed ex pacto Dei assistentis sacramento suo ad talem effectum præstandum, ad quem tale sacramentum instituit, aliter enim non apparet quomodo sacramentum pœnitentiæ sit secunda tabula post naufragium, si numquam per ipsum vt est sacramentum possit recuperari gratia per peccatum amissa, sed solum per contritionem.

Vnde ad Magistrum respondet Doctor, quod Sacerdos Euangelicus ita demittit peccatum in pœnitentia, sicut in baptismo & ita absoluit sicut baptizat, quia vtrobique simpliciter est verum, quod ministrat sacramentum, & effectũ sacramenti ministerialiter causat: aliquid enim causat. v.g. ministerium sacramenti ad quod ex Diuina dispositione regulariter sequitur effectus sacramenti qui est peccatorum remissio. Ad auctoritatem vero D. Hierony. respondet, quod illa affirmatiua est vera scilicet quod sicut sacerdos legalis ostendebat leprosos mundatos, ita sacerdos Euãgelicus ostendit peccatores iustificatos, Cæterum illa negatiua scilicet quod non aliter se habeat sacerdos Euangelicus ad peccatores, quam sacerdos legalis ad leprosos ostendendo solam munditiam, vel immunditiam illorum falsa est, & ratio est, quia Deus in veteri lege non dedit aliquam ceremoniam, cui ministratæ a sacerdote regulariter Deus assisteret ad emundationem lepræ corporalis; dedit autem in lege noua pœnitentiæ sacramentum, cui ex pacto regulariter assistit ad culpam delendam in peccatore idonee suscipiente tale sacramentum, idest nisi impediat, obex contrariæ voluntatis.

Confessio est duplex. Ad aliud argumentum desumptum ex D. Augustino & Cassiodoro concedit Doctor, quod frequenter dimittitur peccatum per contritionem ante susceptionem sacramenti pœnitentiæ, non tamen inde sequitur quod per sacramentum pœnitentia culpa non deleatur; quia si non est deleta per contritionem, potest deleri per attritionem cum sacramento pœnitentiæ.

Ad Confirmationem respondet Doct. quod duplex est Confessio scilicet laudis & fraudis. Confessione laudis nullus nisi [illegible] nisi prius suscitatus, quia secundum Diuum Hieron. in illa epistola cogitis me. Non est speciosa laus in ore peccatoris, sed confessio fraudis accepta est Deo in ore peccatoris, hoc est eius, qui adhuc est peccator eo modo, quo expositum est in prima quæstione illius distinctionis peccatum manere post actum, dum tamen non sit peccator in voto, seu actu interiore vel exteriore. Concedo ergo inquit Doctor quod ante perceptionem dignam sacramenti Pœnitentiæ oportet peccatorem suscitari vel simpliciter nempe per contritionem, & tunc per sacramentum pœnitentiæ non deletur peccatum, sed gratia præexistens augetur; vel secundum quid, vt videlicet pœnitens habeat displicentiam de peccatis, seu attritionem & propositum cauendi de cætero, vt suscipiat sacramentum pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio & tunc suscitatur simpliciter per sacramentum pœnitentiæ: quia per illud recipit primam gratiam.

Ad Illud autem de Lazaro, qui prius fuit suscitatus, quã solutus à vinculis. Respondet Doct. quod pœnitens obligatur debito pœnæ æternæ propter peccatum mortale ante commissum, quo vinculo soluto per contritionem obligatus est adhuc ad pœnam temporalem, & hoc modo ad sacerdotes pertinet soluere pro parte pœnæ, quam possunt relaxare virtute clauium de quo infra d. 18. & 19. agendum est; atque ita Lazarus viuificatus à Christo, idest peccator à morte culpæ per gratiam suscitatus, & solutus à carcere sepulchri idest à debito pœnæ inferni relinquitur discipulis soluendus à pœnis temporalibus, in quas commutatur pœna æterna, quas pœnas temporales potest sacerdos relaxare claue non errante, & quia de ista quæstione iterum habendus est sermo infra d. 18. & 19. sufficiant hæc quæ dicta nobis sunt à nostro Doctore. Cæterum quoniam in hac quæstione non nulla dicit doctor quæ reprehenduntur à multis ideo vindicandus est doctor à calumnijs, & eius sententia dilucide explicanda est per sequentes articulos.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum Pœnitentiæ sacramentum supponat pro absolutione facta a sacerdote an pro actibus ipsius Pœnitentis scilicet pro contritione confessione & satisfactione.

HAec quæstio vnum supponit, & aliud quærit, nam supponit quod omnia sacramenta sunt nomina connotatiua, & nomen connotatiuum duas habet conditiones, prima est, quod habet duplex significatum scilicet materiale, & formale, principalius tamen significat formale connotando materiale, vt docet Doctor in primo d. 4. q. 1. ad vltimum, & q. 8. prædicamentorum: nam album solam qualitatem significat, idem enim significant abstractum & concretum, licet differant in modo significandi: abstractũ enim significat formam absolute sine concernentia ad subiectũ; concretum autem eamdem significat formam cum abstracto, sed cum concernentia ad subiectum; album enim & albedo idem significant nempe eamdem formam scilicet albedinem, sed album eam significat connotando subiectum, albedo autem absolute & sine aliqua connotatione, nomen ergo connotatiuum primo, alius significat significatum formale, & connotat materiale.

Secunda conditio est, quod nomen connotatiuum numquam supponit pro formali, sed pro materiali significato, nam si dicatur album currit, album non supponit pro albedine, quam primo significat, sed pro re habente albedinẽ, quam connotat, albedo enim non currit, sed res habens albedinem. Modo ad propositum sacramentum pœnitentiæ est nomen connotatiuum; connotat enim materiale scilicet confessionem peccatoris, & significat formale absolutionẽ scilicet confessoris, sicut statua ærea connotat æs, & significat figuram.

Hoc supposito sensus tituli est an sicut in ista album currit subiectum supponit pro materiali, & non pro formali, ita similiter in ista sacramentum pœnitentiæ confert gratiam, vel est signum gratiæ, illud subiectum sacramentum supponit pro materiali scilicet pro actibus pœnitentis, vel aliquo illorum, ita quod ipse actus vt contritio aut confessio sit signum gratiæ an pro absolutione facta à sacerdote.

Circa hanc quæstionem tres sunt opiniones. Prima est Thomistarum, quam tribuit D. Thom. 3. p. q. 84. art. 1. Caiet. ibidem & Soto in 4. d. 14. q. 1. artic. primo hi asserunt sacramentum pœnitentiæ non supponere pro absolutione, sed pro actibus pœnitentis connotando sacerdotis absolutionem. Sententia hæc probatur primo prænotando hoc sacramentum habere partes essentiales sine quibus

D. Thomas. Caietanus. Sotus

Sacramentũ pœnitentiæ, habet partes essentiales.

quibus nequit consistere, & istæ sunt cordis contritio, & oris cõfessio, at vero satisfactio tantũ est pars integralis, sine qua potest esse vere sacramentum pœnitentiæ, Analogia est in homine, cuius partes essentiales, sine quibus homo nequit esse, sunt corpus & anima, manus vero vel pes est pars integralis, siue qua verus existit homo essentialis, non autem integer, ita in proposito. Hoc supposito est primum argumentum, quo probatur sacramentum pœnitentiæ supponere pro confessione & contritione, connotando absolutionem.

Concilium Florent. D. August. Sacramentum constat ex materia & forma, vt docet Florentina synodus iuxta illud Diui Augustini. Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, sed teste ipsa synodo actus pœnitentis sunt materia, ergo pro illis supponit, sicut baptismus supponit pro ablutione passiua connotando verba: cum enim terminus connotatiuus sit, debet pro materiali supponere connotando formale. Confirmatur à simili, quia in omnibus alijs sacramentis forma non est sacramentum, sed vsus materia, veluti in baptismo vsus aquæ scilicet ablutio passiua, sed confessio & contritio sunt materia huius sacramẽti absolutio vero est forma ergo &c.

Secundo Arguitur Sacramentum est causa gratiæ, sed actus pœnitentis est huiusmodi ergo &c. Præterea sacramẽtum pœnitentiæ est constructio intransitiua, sicut ista creatura salis, vel sacramentum baptismi ergo ipsa pœnitentia & non absolutio est sacramentum, ex hoc inferunt Sotus vbi *Sotus. Bellar.* supra & Bellar. lib. primo de pœnitentia. c. 15. verba Scoti vel secum pugnare dum ait. Pœnitentia est absolutio pœnitentis, nam pœnitentia actus est pœnitentis, etenim pœnitere est pœnam tenere, vnde cum absolutio non sit actus nisi sacerdotis, repugnantia est inquit Sotus, quod pœnitentia sit absolutio, vel Scotus non satis aptè loquutus est inquit Bellar. Pœnitentia enim est actus pœnitentis non sacerdotis, absolutio autem non pœnitentis, sed sacerdotis. Quis enim ita loquitur, vt dicat hominem agere pœnitentiam dum absoluitur, & non potius dum plorat, confitetur ieiunat? &c.

Conc. Trid. Postremo hæc verba, Ego te absoluo sunt forma sacramenti, vt patet ex Concilio Trid. sess. 14. c. 3. sed hæc verba non sunt forma sui ipsorum, quia idem non est forma sui ipsius, ergo verba absolutionis non sunt totum sacramentum pœnitentiæ. Ex his argumentis colligit Sotus & alij Scotũ affirmantem pœnitentiæ sacramentum supponere pro absolutione connotando actus pœnitentis dissonare à canonico loquendi more; immo & contra sacras Synodus Florent. & Trid. negare actus pœnitentis esse materiam, vel quasi materiam, ex qua huius sacramenti, ac insuper contradicere Augustino & priscorum omnium doctorum communi sententiæ, Hæc & alia à Caietano desumpta in Scotum dicit, & satis imperite vt videbimus.

Durandus. Secunda Opinio est Durandi, d. 14. q. 3. vbi habet sacramentum pœnitentiæ non supponere pro sola absolutione, vel pro solis actibus pœnitentis; sed pro aggregato pro vtroque, quam opinionem sequutus est Suarez tom. 4. disp. 18. *Suarez.* sect. 2. col. 1. & probatur hæc sententia vnico argumẽto. Omne sacramentum constat ex materia & forma, materia autem huius sacramenti sunt actus pœnitentis, & forma absolutio, ergo vtrumque simul est sacramentum pœnitentiæ, & non alterum tantum.

Tertia Opinio est Doct. in hac q. & infra d. 16. q. 1. in corpore quæstionis affirmantis sacramentum pœnitentiæ supponere pro absolutione sacerdotis connotando actus pœnitentiæ, quem sequuti sunt Bassolus d. 14. q. 2. Ocham in 4. q. 8. & 9. Maior d. 14. q. 2, Gab. eadem d. q. 2. art. 1. Dionysius Cistercien. d. 23. q. 2. art. 1. & Almayn. d. 14. q. 4. *Bassolus. Ocham. Maior. Gabriel. Dionysius Cister. Almayn.*

Sacramentũ non est totũ id, quod cõcurrit ad eius confectionem. Pro explicatione huius quæst. obseruandum est primo, quod licet ad confectionem alicuius sacramenti plura concurrant, tamen non omnia sunt sacramentum, vt patet in Eucharistia; concurrunt enim verba consecrationis cum materia, & tamen species consecratæ sunt sacramentum; similiter in baptismo ablutio passiua tantum est sacramentum, atque ita de reliquis, ratio autem quare cum de ratione sacramenti sint verba, & res, & vtrumque non est sacramentum, sed alterum, tantum prouenit ex natura ipsius sacramenti; efficit enim quod significat, & eius similitudinem gerit, cuius causa existit, & quia alterum illorum solum gerit similitudinem gratiæ, cuius causa existit, ideo alterum tantum & non vtrumque est sacramentum, verbi gratia in sacramento baptismi sola ablutio abluens corporis sordes gerit similitudinem gratiæ abluentis animam, & non verba; ideo solum ablutio passiua facta sub præscriptis verbis est sacramentum baptismi.

Secundo Obseruandum est, quod non est de ratione suscipientis conficere aliquod sacramentum, sed de ratione ministri, vt patet ex Concilio Florentino affirmante ad sacramentum requiri personam Ministri conferentis sacramentum, ergo ipse Minister debet conficere sacramentum, & non suscipiens; alias non esset necessarius Minister. *Cõc. Florẽt.*

Secundo probatur, quia conficere sacramentum est illud efficere; efficientia autem spectat ad Ministrum & non ad suscipientem. ergo per eius actionem conficitur sacramentum, & non per actionem suscipientis, qui se habet passiue respectu sacramenti & non actiue, aliter idem esset suscipiens & minister, quod quidem constat verissimum in omnibus sacramentis habentibus esse in fieri. In sacramento enim Eucharistiæ, cum sit permanens, idem potest esse Minister, & suscipiens, & circa sacramentum Matrimonij est grandis difficultas, quæ suo loco est disputanda.

Tertio Obseruandum est, quod de ratione causæ instrumẽtalis est, quod simul sit cum suo effectu, patet ex 2. Phy. vbi dicitur; quod causa efficiens in actu simul est, & non est cum suo effectu; sunt enim correlatiua, sed causa instrumentalis reducitur ad genus causæ efficientis. ergo &c. *De ratione causæ instrumẽtalis est, quod sit cũ suo effectu.* Probatur per discrimen inter causam moralem, & efficientem: illa enim non requiritur quod sit simul cum suo effectu, sat est quod moueat efficientem, modo præcedat tempore ipsum effectum, modo sequatur; hęc autem scilicet instrumentalis debet concurrere simul tempore cum suo effectu, aliter non esset efficiens, sed potius moralis.

Quarto obseruandum est, quod sacramentorum materiæ sunt in duplici differentia, quædam enim sunt ex quibus sacramenta fiunt, & simul manent cum ipsis sacramentis, vt in Baptismo, aqua est ex qua fit ablutio, quæ est verum sacramentum Baptismi, similiter de confirmatione, extrema vnctione, ordine, & matrimonio; quædam vero materiæ sunt, ex quibus sacramenta fiunt, & tamen non manent cum ipso sacramento vt in sacramento Eucharistiæ, quod fit ex pane triticeo, & tamen non manet cum ipso sacramẽto; similiter actus pœnitentis sunt materia sacramenti pœnitentiæ: potest enim contingere quod hodie homo confiteatur & post decem dies absoluatur. veluti contingit in naturalibus, quod materia propriè dicta est materia prima, quæ manet cum ipso genito, materia autem impropriè dicta, vel quasi materia est terminus á quo, sicut lignum respectu ignis. His suppositis absoluenda est quæstio geminis conclusionibus. *Materia sacramentorũ est in duplici differẽtia.*

Prima conclusio. absolute fatendum est hoc sacramentum pœnitentiæ sicut cætera sacramenta constare materia & forma; materia enim sunt actus pœnitentis; forma autem absolutio sacerdotis; hæc conclusio patet ex Concilio Florentino, cuius hæc sunt verba. *Cõc. Florẽt.*

Quartum sacramentum est pœnitentia, cuius quasi materia sunt actus pœnitentis forma autem absolutio sacerdotis, quæ referuntur etiam in Concilio Trident. sess. 14. ca. 3. & Canone 4. & si quæras quare concilium vocat actus pœnitentis, quasi materiam, & non materiam absolute. Respondet Soto vbi supra, ideo asserere concilium actum pœnitentis esse quasi materiam non vere materiam absolute: quia non sunt materia extrinsecus apposita, vt aqua in baptismo, sed hæc interpretatio parum valet, quia materia prima est proprijssime materia, & tamen non apponitur extrinsece. Ideo dicendum est, concilia actus pœnitentis appellare quasi materiam, quia materia propriè dicta est ex qua fit aliquid cum insit, hoc est quæ manet & inest toti composito, Cæterum quia confessio non manet quando inest sacramentum scilicet absolutio sacerdotis; ideo non vocatur absolute materia, sed quasi materia; quia quasi materia est illud ex quo fit aliquid dummodo non insit, hoc est non manet. Vnde caute Concilium in cæteris sacramentis habentibus esse in fieri assignauit absolute materiam: quia in illis materia cum sacramento manet; in hoc autem assignauit quasi materiam; & hæc omnia bene fatetur Scotus, licet contrarium existiment Caietanus & Sotus locis supracitatis, fortasse decepti quibusdam verbis ipsius Scoti dicentis in. d. 16. q. 1. prope finem. De pœnitentiæ sacramento dico, quod *Conc. Trid. Sotus. Scotus. Caietanus. Sotus.*

ista tria nullo modo sunt partes eius &c. hinc colligunt Thomistæ Scotum aduersari Concilio Florentino, & per consequens eius sententia iudicatur ab eis erronea, sed immerito & temerarie. Immo Scotus loquitur secundum formam Concilij, dicentis ista tria non esse materiam, sed quasi materiam huius sacramenti eodem modo inquit Scotus quod ista non sunt absolute partes, sed quasi partes, quia non manent cum ipso sacramento quod est absolutio, requiruntur tamen & præsupponuntur ad ipsum sacramentum, sed de hoc prolixior erit sermo infra d.16.q.1. cũ ergo hoc sacramentum constet materia, & forma sicut reliqua sacramenta superest modo videre, quodnam istorum habeat veram rationem sacramenti.

Sacramentũ pœnitentiæ supponit pro absolutione sacerdotis. Scotus. Vega.

Secunda Conclusio sacramentum pœnitentiæ supponit pro absolutione sacerdotis, & nullo modo pro actibus pœnitentis, quamuis consignificet illis; hæc Conclusio est Doc. in hac quæst. & Vegæ lib.13. in Concil. Trident. cap.15. & probatur primo a definitione sacramenti, est enim signum gratiæ non prognosticum, hoc gratiæ futuræ, neque rememoratiuum, hoc est gratiæ præteritæ, sed demonstratiuum hoc est gratiæ, quæ tunc datur quando ponitur signum. Confessio autem aut contritio non est signum demonstratiuum gratiæ, sed ipsa absolutio, ergo ipsa absolutio est verum sacramentum pœnitentiæ. Patet minor, quia gratia sacramentalis non datur tempore confessionis, sed absolutionis, tunc enim remittuntur peccata, & confirmatur, quia si confessio esset sacramentum pœnitentiæ, hoc sacramentum non esset signum demonstratiuum gratiæ sacramentalis, sed prognosticum, & per consequens pœnitentia non esset sacramentum, quia de ratione sacramenti est, vt sit signum demonstratiuum gratiæ, prout omnes Doctores fatentur supra d.1.q.2. Huic argumento respondet Soto vbi supra ad primum, concedendo illud esse sacramentum, quod est signum gratiæ, atque illam causat, sed negat quod sola forma sit tale signum vel causa, immo materia est signum ratione formæ, ac proinde causa quare actus pœnitentis clauibus Ecclesiæ subiecti causa sunt sacramentalis gratiæ, sed hæc euasio nullius est frugis, congruentius enim dicitur formam signare, & causare gratiam, quam ei e causam, vt materia sit signum, & causa ipsius gratiæ, cum nullum in ea appareat remissionis signum.

Secundo probatur conclusio Sacramentum pœnitentiæ efficit quod significat, sicut & cætera sacramenta, sed confessio non significat remissionem peccatorum; immo accusationem pœnitentis, absolutio autem significat remissionem, quæ est effectus huius sacramenti; ergo ipsa absolutio, & non confessio erit verum sacramentum; siquidem efficit quod significat scilicet remissionem peccatorum.

Tertio arguitur. Sacramentum pœnitentiæ sicut cætera sacramenta non conficitur per actionem suscipientis; sed ministrantis, aliter non esset necessarius Minister, vt dictũ est in secundo notabili, sed absolutio est actio ministri, confessio autem est actio suscipientis; ergo per absolutionem & non per confessionem ministratur pœnitentiæ sacramentum. Et confirmatur, hoc sacramentum remittit peccata virtute clauium, hoc est potestate sacerdotali, sed claues non sunt in pœnitente, sed in sacerdote, ergo actio sacerdotis remittit peccatum, non actio pœnitentis; ac proinde actio sacerdotis erit sacramentum, & non actio pœnitentis.

Quarto arguitur. Sacramentum pœnitentiæ est causa instrumentalis gratiæ sacramentalis, sola autem absolutio est huiusmodi, ergo &c. patet minor ex tertio notabili, quia causa instrumentalis simul est cum suo effectu; sed gratia sacramentalis non datur tempore confessionis, sed absolutionis, tũc enim remittuntur peccata virtute clauium. Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata &c. ergo sola absolutio, & nullo modo confessio est causa instrumentalis gratiæ; confessio enim præcedit tempore ipsam gratiã. & absolutio est simul tempore cum illa; ante enim absolutionem perfectã hoc sacramentum nullum habet effectum ex opere operato: quia nondum est sacramentum, licet fiat; atque adeo confessio sit prius absoluta, quam perficiatur, immo que inchoetur, absolutio non potest esse causa remissionis peccatorum.

Quinto arguitur. Sacramentum pœnitentiæ est nomen connotatiuum, quod non supponit pro vtroque simul; sed pro altero tantum vt constat ex Logicis, ergo quamuis consignificet actus pœnitentis præuios, vel subsequentes supponit tamen pro absolutione idque docere videtur Conciliũ Trid. sess.14. c.3. in principio vbi sic legimus Docet Sãcta synodus sacramenti pœnitentiæ formam, in quauis præcipue ipsius sita est, in illis Ministri verbis positã esse, scilicet. Ego te absoluo &c. Tunc sic vis sacramenti pœnitentiæ potius est in absolutione quam in actibus pœnitentis posita, ergo præcipue absolutio saltem erit magis sacramentum quam actus pœnitentis; atque adeo magis aspicienda est absolutio, ad descriptionem huius sacramenti in qua magis dicitur esse ratio huius sacramenti quam in actibus pœnitentis. Restat modo satisfacere argumentis primæ, & secundæ opinionis.

Cõc Trident.

Termini cõnotatiui sũt in triplici differentia.

Ad primum prioris opinionis Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam: termini enim connotatiui sunt in triplici differentia, aliqui significant res naturales vt album, aliqui artificiales vt statua, aliqui vero significant res supernaturales vt baptismus, qui supponit pro ablutione, non quia materiale sit vel formale; sed quia est signum gratiæ, similiter sacramentum pœnitentiæ est terminus connotatiuus, & supponit pro signo gratiæ, & quia hoc signum sunt verba sacerdotis, & non actus pœnitentis; ideo supponit pro forma, & non pro materia, & hæc est natura connotatiuorũ supponentiũ pro rebus supernaturalibus, scilicet, supponere pro signo gratiæ, atque adeo Doctor deffiniens hoc sacramentum ponit formam in recto dicens, quod est absolutio hominis &c. cum in sacramento baptismi ponat ablutionem, & in confirmatione ponat vnctionem, quæ non sunt verba & forma, sed materia; quia posuit illud, quod erat signum sensibile efficax gratiæ, & in sacramento Pœnitentiæ non est tale signum nisi absolutio, vt apertissime docet Doctor in reportat. d.14. q.4. In alijs autem materiale est magis sensibile.

Ad Confirmationem similiter negatur consequentia, & ratio discriminis est, quia in alijs sacramentis vbi materia est signum demonstratiuum gratiæ, ideo est sacramentum, in hoc vero actus pœnitentis non sunt signum gratiæ, sed absolutio, ideo ipsa est sacramentum.

Ad secundum concedo quod actus pœnitentis sunt aliquo modo causa gratiæ, quia sunt causa dispositiua, at non sunt causa instrumentalis, atque ita non sunt sacramentum sicut absolutio.

Ad tertium nego antecedens immo est constructio trãsitiua, & resoluitur in hanc sacramentum, quod fit ex pœnitentia, & si vocatur pœnitentia in recto, non est quia actus pœnitentis non sint sacramentum, nec quod ipsa absolutio sit pœnitentia; sed quia fit ex pœnitentia peccatoris, quemadmodum Eucharistia vocatur panis primo Corint. 11. Panis quem frangimus &c. similiter in proposito, vel dicendum est quod æquiuocatur de pœnitentia virtute, & de pœnitentia sacramentum, nam si sit sermo de pœnitentia virtute est constructio intransitiua vt dictum est, si autem sit sermo de pœnitentia sacramentum est constructio vtique transitiua & tunc pœnitentia supponit pro signo sensibili gratiam Dei ex institutione Diuina efficaciter significante, quod in proposito est tantum absolutio, & sic patet quomodo allucinati sunt Sotus & Bellarminus, non enim definit hic Doctor pœnitentiam virtutem, sed pœnitentiam sacramentum: nam pœnitentia quæ est actus pœnitentis, nempe ipsa tenetur pœna, est pœnitentia virtus, vel est actus pœnitentiæ virtutis, qui est actus pœnitentis, seu huiusmodi pœnitentia non est sacramentum; quia non est signum sensibile.

Ad vltimum dico. Quod verba absolutionis sunt forma sacramenti pœnitentiæ, per loquutionem intransitiuam, idest sunt forma quæ est sacramentum pœnitentiæ, sicut secũdum sententiam Doctoris, Baptismus est ablutio quæ tamẽ ablutio est materia Baptismi, idest materia quæ est baptismus.

Ad Vnicum argumentum secundæ sententiæ Respondetur quod terminus connotatiuus, quamuis componatur ex vtraque parte, tamen non est vtrumque, nec supponit pro vtraque copulatiue: album enim componitur ex subiecto & albedine; non est tamen subiectum & albedo copulatiue, quia non resoluitur per verbum substantiuum; sed per verbum adiectiuum scilicet per istam, Album est subiectum habens albedinem, similiter in proposito quamuis sacramentum Pœnitentiæ, vel baptismi componatur ex materia & forma pro illo tantum supponit, quod causat gratiam, & eius similitudinem gerit, cuiusque causa existit, vt est ablutio passiua in baptismo, vt probatum est de absolutione in sacramento pœnitentiæ.

ARTI-

ARTICVLVS V.

Vtrum hac sit sufficiens forma Pœnitentiæ, Ego te absoluo.

Qvatuor occurrunt circa hanc quæstionem declarãda. Primum vtrum ad formam huius sacramenti requiratur vox humana & verba propriæ dicta secundum. An illa verba sint apta & conuenientia. tertium. An sint sufficientia, & quartum. An sint necessaria.

Paludanus. Adrianus. Medina. Petrus Soto. Circa primum. Paludanus. d. 17. q. 2. art. 1. nu. 7. Adrianus in 4. de Confessi. q. 1. Medina cod. de confess. q. de modo cõfitendi. Petrus Soto Lect. 13. de pœnitentia d. 1. nu. 4. & in c. fratres d. 5. num. 85. Sentire videntur verba propriæ dicta non esse necessaria, hoc est de essentia huius formæ, sed sufficere aliud signum quo intentio sacerdotis de absoluẽte pœnitente sufficienter exprimatur; quatenus aiunt valere formam scripto missam. Cæterum certum existimo de essentia huius sacramẽti esse, vt forma eius & proprio verbo voceq. humana proferatur, vt docent fere omnes alii Theologi & colligi euidenter potest ex doctrina Cõcilij Florent. in Decreto Eugenij, vbi & generaliter docet sacramenta nouę legis constare verbis, & in particulari de hoc sacramento ait. Concil. Florent. forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quę sacerdos profert cum dicit &c. vbi exponendo nomen verba, & verbum profert & dicit, patet φ omnes isti termini indicãt proprietatem verborum, & loquutionis humanæ, quibus verbis sane docet verba esse simpliciter necessaria in forma huius sacramenti, quod confirmauit Cõcilium Trid. sess. 14. Conc. Trid. c. 3. his verbis doc. t præterea sancta Synodus sacramenti pœnitentiæ formam in illis ministri verbis positam esse. Ego te absoluo &c.

Quantum ad secundum hoc est de conuenientia illorum verborum, omissis hæreticorum deliramentis, ex catholicis quidam non probant hæc verba; quia per modum indicatiui proferuntur: putãt. n. potius esse proferenda per modũ deprecationis, nempe absoluat te Deus, quam ego te absoluo, vt refert D. Thom. 3. 2c. 1. & probant a simili, quia Christus Dominus Mat. & Luc. 9. sic loquutur Apostolis. Euntes prędicate dicentes φ appropinquauit regnum cælorũ, Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mũdate, & ex hoc loco tale colligunt argumentum. Quamuis Christus Dominus dedit Apostolis potestatem sanandi infirmos &c tamẽ non sanabant aliquem auctoritatiue, sic dicendo ego te sano; sed Deus sanet te, ergo similiter quum dederit Apostolis eisdem potestatem remittendi peccata, vt patet Ioan. 20. Nõ debent dicere auctoritatiue. Ego te absoluo, sed deprecatiuè absoluat te Deus: Et confirmari potest hæc sententia auctoritate D. Leonis Epistol. 89. alias 91. vbi ait peccata remitti supplicationibus sacerdotum, Videntur q. huic sententiæ fauere Alex. de Ales. & D. Bona, quatenus aiunt clauem sacerdotis non se extendere ad remissionem culpæ, nisi per modum deprecationis.

D Thom. D Leo. Alex. de Ales. D Bona.

Abulensis. Abulensis vero 1. p. Defen. orti c. 6. nõ in modo, sed in materiali verbo absoluo offensionem accepit, atq. adeo dicit, φ forma huius sacramenti non debet esse, Ego te absoluo, sed remitto tibi peccata, cuius potissimum fundamentũ est, quia absoluere aliquem est liberare eũ a vinculo, quo ille astringitur, sed trans. unte actu peccati culpa est pura priuatio gratiæ, vel rectitudinis, ergo peccator non absoluitur ab illa priuatione cum sit nihil: non. n. astringimur nisi aliquo positiuo, si non astringimur non absoluimur. Præterea peccata nõ sunt aliqua vincula, quæ solui possint, sed sunt iniuriæ & offensæ, quæ possunt remitti, & ideo non dixit Christus. Quorum solueritis peccata, sed quorũ remiseritis, improprie ergo, & præter Christi institutionem vsurpatur hoc verbũ absoluo. Et si dicatur peccatorem absolui a pœna. Contra. Absoluere aliquem a pœna est liberare illum a pęna, quã patitur, vel quã patietur, φ quo liberatur: sed quando sacerdos impartitur absolutionem pœnitenti, nullã tunc patitur pęnam pro peccatis, nec æternam nec temporalem, ergo non absoluitur a pœna: igitur prædicta verba sunt falsa, & per cõsequens nequeunt esse forma.

Scotus. D Thom. His tamen non obstantibus, Dicendum est prædicta verba esse optima & conuenientissima ad hanc formã significandam, vt optime docet hic Doctor noster & D. Thom. loco supracitato & reliqui Theologi in 4. d. 14. & est res omnino certa, tũ ex 14. & traditione ipsius Ecclesiæ, tũ ex definitionibus Conc. Florent. & Trid. quibus addi potest diffinitio Leonis x. in condemnatione art. 13. & 12. Lutheri: Et qu' dẽ prior opinio erronea est, & aliena a verbis Christi, qui non dixit quibus post ulaueritis remissionem peccatorũ impetrabitis, sed quorum remiseritis remittuntur; non datur ergo ibi potestas impetrandi, sed absoluendi: atq. adeo actus illius potestatis qui per hanc formam significatur non debet exprimi per modum petendi, sed faciendi, vt est modus indicatiuus, & confirmatur, quia sacramentum hoc (vt supra diximus) institutum est per modum iudicij, in quo iudex nõ recte profert sententiam deprecando, sed soluendo vel ligando, ergo merito profert sacerdos sententiam per modũ indicatiui ad instar actus iudicialis, vt Conc. Trid. dixit.

Nec inde sequitur, φ sacerdos profiteatur se absoluere tãquam auctor principalis: nam verbum de se est indifferens: determinatur aũt per intentionem proferentis: Christus. n. absolute dixit. Quorum remiseritis &c. quibus verbis tribuit sacerdotibus tantum potestatem ministerialem, atque adeo sacerdos dicens, ego te absoluo, non vsurpat sibi diuinam auctoritatem, quia non intendit hoc facere vt principale agens, sed vt Minister Christi: viuit tamen illo loquendi modo, quia vere iudex est, & quia eius sententia ex institutione Christi ex se infallibilis est, & simul cum ipso & per ipsum Deus iudicat. Ad exemplum de modo operandi miracula, vel conferendo sanitates impetrando. Dico Apostolos quidem accepisse virtutem operandi miracula efficienter, modum autem operandi non fuisse illis specialiter præscriptum, sicut est in ritu sacramentorum, atq. adeo interdũ deprecando, interdum imperando (vt patet Actorum 3. vbi D. Petrus dixit, quod autem habeo tibi do in nomine Iesu Christi Nazareni surge & ambula) operatos fuisse prout a spiritu sancto mouebantur: vel prout ad fidei ædificationem expedire cernebant.

D. autem Leo non est loquutus de substantiali forma huius sacramenti, sed de illis verbis deprecatoriis, quæ iuxta communem vsum præmitti solent, ita D. Tho. nam quia sacerdos non exercet munus suum sine aliqua deprecatione, totum hoc ministerium nomine orationis, vel deprecationis Patres appellarunt; nam interdum sacramentum nomẽ accipit ab aliquo accidentali ritu, vt patet de ordine a manuum impositione, vel hoc dixerunt Patres, vt indicarent sacerdotes esse mediatores, & intercessores inter Deum, & homines: φ est proprium munus sacerdotis, teste D. Paulo, sed per hoc non excludunt quin sint etiam Iudices, qui imperando vel indicando sententiam proferre possint, & debeant. Adde quod sacramentalis absolutio potest late dici impetratio quædam, quatenus per eam a Deo obtinet sacerdos, id φ intendit, ob quam rationem Valdensis Tom. 2. de sacramentis. c. 147. exponendo quemdam locum D. Chrisostomi, absolutionem vocat orationem sacramentalem. Thom. Val.

Abulensis autem cum in re non dissentiat a vero sensu, & significatione huius formæ, non debuit etiam in verbo discrepare, quod communi sensu, & traditione ecclesiæ probatum est, & præsertim propter fundamentum adeo leue, nam peccata moraliter dici possunt vincula, & iuxta scripturæ phrasim ita interdum appellantur. Isa. 58. Dissolue colligationes impietatis: Psal. 118. funes peccatorum circũplexi sunt me, & Prouer. 5. iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur. Deniq. Isa. 52. expresse dicitur solue vincula colli tui captiua filia Sion, quæ methaphora non solum de reatu pęnæ, sed maxime de peccato ipso ratione culpæ, & maculæ, quæ manet intelligenda est: tum quia ipsa scriptura de peccatis loquitur, tum quia licet pœna sit actus ad quem homo ligatur: tamen funes quibus ipse ligatur sunt ipsa peccata, quæ homines impediunt a beneficiendo, & præsertim a bene merendo coră Deo: ergo verbum absoluendi optime cadit in peccata, ĉt quoad eorum culpas, nec Christus Dominus solum est vsus verbum remittendi: sed etiam soluendi quãdo claues promisit Mat. 16. Tibi dabo claues regni cęlorũ, & quodcumq. solueris super terrã, erit &c. ex quo loco videtur ecclesiam hanc formã sumpsisse, vt apertius constaret absolutionem hanc esse potissimum actum clauium. Adde φ potius hoc verbo absoluo, quam remitti vtitur Ecclesia: quia remissio in rigore nõ est actus iudicialis, sed latius patet, nam creditor etiam seu pars offensa dicitur remittere debitum, aut iniuriam, verbũ autem absoluo iuxta communem vsum magis significat actum iudicialem.

Vnde

Vnde ad argumentum Abulens. respondetur, ꝙ absolutio fit a vinculo, quo aliquis perstringitur, & etiam ab obligatione, qua aliquis tenetur pati aliquam pœnam, quia huiusmodi obligatio est quoddã spirituale vinculum: si n. aliquis esset damnatus ad triremes posset antequam ibi manciparetur absolui ab illa obligatione, similiter peccator absoluitur ab obligatione pœnæ perpetuæ in inferno luendæ, vel temporalis in purgatorio, & similiter absoluitur a culpa hoc est ab inimicitia Dei, qua tenetur ligatus iuxta illud Isa. 58. Dissolue colligationes impietatis &c.

Conci. Trid. Conci. Flor.

Quo ad tertium, s. de istorum verborum sufficiẽtia: notanda sunt verba Conciliorum Trid. & Florent. dicentiũ formam huius sacramenti esse verba sacerdotis. Ego te absoluo ex quo haberi potest primo omnia verba quæ præmittũtur a sacerdote, priusquam ad hæc perueniat, non esse substãtia vel essentia huius formæ, vt etiã indicauit Doct. in hac q. sub lit. B. Secundo videtur colligi ex dictis Cõciliis, illud pronomen Ego esse de substantia formæ, atq. adeo alia duo verba non sufficere. Ceterum dicendum est illud pronomen Ego sin re nihil addere præter verbum absoluo, nã in illo intrinsece includitur atq. sufficienter intelligitur etiam si formaliter non exprimatur, & de hoc dicendum est sicut diximus supra explicando formam baptismi.

Tertio videtur colligi ex prædictis Cõciliis post illa duo, verba necessarium esse aliqua alia addere, quamuis hæc ibi expresse non declarentur, indicantur tamen in illa particula &c. non. n. frustra posita est. Tres aũt particulæ solẽt post illa verba addi, s. ab omnibus peccatis tuis, Inuocatio trinitatis, In nomine Patris & filij & spiritus sancti Amen, est quædam deprecatio, vt passio Domini nostri Iesu Christi &c. Quapropter oritur difficultas, An huiusmodi particulę sint de essentia formæ, & quidem quoad tertiã constat apud omnes non esse necessariam nec præceptam, licet laudabiliter adiungatur, vt Cõcilium Trid. dixit, Quare licet omittatur, non erit peccatum graue, vel etiam ullum, si ex quacũque rationabili causa fiat, & idem est iudicium de orationibus deprecatoriis, quæ præmitti solent, nempe misereatur tui, & Indulgentiam, vt indicauit Doctor dicens, communiter tamen ista verba sunt apta, Ego te absoluo, quæcunque alia præmittantur, vel consequantur secundum diuersam consuetudinem in diuersis Ecclesiis.

Durand. Maior. Gabriel. Petrus Soto.

De secunda, s. de Inuocatione Trinitatis, Durandus in 4. d. 22. vult esse de necessitate huius formæ, quem sequi vidẽtur Maior, Gab. d. 14. d. 2. & Petrus Soto. quorũ fundamentum est, quia per illam inuocationem significat sacerdos se operari vt Ministrum Trinitatis, non vt causam præcipuã, cum quia in forma baptismi inuocatio Trinitatis est de essẽtia formæ; Verum non est de necessitate sacramenti vt Minister exterius profiteatur se operari vt Minister, quia hoc non pertinet ad effectum vel actionem sacramenti, quam debẽt significare verba formæ, sed ad potestatem Ministri; quam non oportet significare in actu signato, vt sic dicam; sed ipso exercitio talis formæ, atq. adeo hoc titulo non est necessaria inuocatio Trinitatis, Alioqui in omnibus formis sacramentorum esset necessaria, ꝙ falsum est, nec vrget exemplũ baptismi: qm̃ in his, quæ pendent ex institutione, nihil valent exempla, nam ritus sacramentorum diuersus est: Christus enim dixit in baptismo expresse baptizantes eos in Nomine Patris & filij & Spiritus Sancti, In institutione aũt huius sacramenti Christus simpliciter dixit. Quorũ remiseritis peccata &c. sine additione inuocationis Trinitatis Quapropter certum est hanc particulam non esse de necessitate huius sacramenti, ꝙ docuit D. Thom. 3. p. q. 84. ar. 3. ad tertium, imo significat D. Thom. nullum esse de hac re præceptum: quia dicit hoc relinqui arbitrio Sacerdotis, D. Thomam sequuti sunt cæteri Theologi & aperte hoc docuit Bassolus hac d. q. 1. art. 2.

D. Thom. Bassolus. Gab.

De prima vero particula est maior controuersia, nã Gab. d. 14. q. 2. art. 1. refert Altesanum dicentem, ꝙ forma absolutionis est hæc. Absoluo te ab omnibus peccatis tuis, adeoque hæc particula ab omnibus peccatis tuis sit de necessitate formæ, quam sententiam ipse Gabriel non sequitur. Quicquid dicat Suarez Disp. 19. sect. 1. nu. 20. nam infra inquit hæc verba. Ego te absoluo a peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti sufficere, & congrua esse, & distributionem illam omnibus non esse necessariam, quia inquit cum dicitur. Absoluo te a peccatis, omnia peccata includuntur, & ab omnibus absoluitur si non ponit obicem: vnum. n. peccatũ

Suarez.

saltem mortale sine alio non remittitur quam sententiã docuit primũ Palud. d. 22. q. 3. & Maior d. 14. q. 2. quos sequutus est Petrus Soto lectione 4. de confessione, Conueniunt itaq. Palud. Maior Gab. & Petrus Soto in hoc, necessarium esse addere illam determinationem a peccatis tuis, quia sine illa non est satis completus sensus loquutionis, nec satis determinata significatio illius verbi absoluo, ꝙ indifferens est ad significandam absolutionem a censura, pœna vel culpa, Nihilominus ꝙ illa verba non sint de necessitate huius formæ, aperte docuit Doc. noster Scotus, qui vt inquit Gabriel solum illa verba, ego te absoluo necessaria esse dixit, ꝙ etiam docuit in reportatis d. 14. q. 4. Quem sequuti sunt D. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 21. §. 1. Caiet. in sum. verbo Absol. Sylu. verbo Absol. q. 4. Nauar in Manua. c. 26. nu. 13. & de penit. d. 6. n. 9. Sotus, & alii, & ratio potissima esse videtur quoniam illa verba. Ego te absoluo supposita confessione super quam cadunt habent satis determinatam significationem, solet. n. materia determinare formam, & forma materiam; cum ergo hæc forma sit veluti sententia prolata super hanc accusationem, satis determinate significat absolutionem in tali causa & materia; ergo significat absolutionem a peccatis, etiam si illud certum in forma non addatur Vnde ita sentiendum est de illa particula a peccatis tuis, sicut diximus de pronomine ego nam implicite in ipso verbo absoluo super hanc confessionem prolato continentur, & hoc modo necessaria est non vero formaliter, & explicite prolata: quia vero facile id fieri potest, existimo numquam rationabiliter omitti, & ad fugiendum illam vitatur qualecunq. periculum: quia opposita sententia improbabilis non est. Et fortasse pp hanc causam addiderunt concilia illam particulam &c. vel forte vt ab opinionibus Theo. abstinerent.

Paludan. Maior. Petrus Soto.

D. Antoninus. Caiet. Syluester. Nauar. Sotus.

Circa quartum nempe de necessitate horum verborũ obseruandum est, ꝙ sicut Ecclesia non potest condere sacramẽta ita nec potest præfinire formas sacramentorum, quæ sũt signa gratiæ: qui. n. nequit dare gratiam, nequit etiam præscribere certum gratiæ signum, ex quo sequitur, ꝙ forma huius sacramenti debet colligi ex Euangelio, vbi Christus Dominus hoc sacramentum instituit videlicet Ioa. 20. Quorũ remiseritis peccata &c. Vnde optime colligit Doctor noster quem immerito reprehendit hic Soto, ꝙ forma huius sacramenti non est pręcisa sicut forma baptismi, aut Eucharistię, patet, quia forma præcisa alicuius sacramenti est illa quam Christus Dominus præscripsit, vt patet in baptismo, & Eucharistia: sed Christus Dominus nullam huic sacramento præscripsit formam ergo &c. Min. patet Ioan. 20. Mat. 6. & 18. vbi fit memoria huius sacramenti, & solum dicitur quęcumque remiseritis vel solueritis super terram, ergo non est præscripta forma aliqua peculiaris. Ex hoc infertur primo, ꝙ illa verba Ego te absoluo sunt sufficiens forma huius sacramenti patet ex definitione Conc. Florent. & Trid. locis supracitatis. Et si dicatur. Contingit interdum ꝙ pęnitẽs accedit ad hoc sacramentum contritus, tunc non absoluitur a sacerdote: quia iam est absolutus a Deo: ergo tũc hæc forma est falsa, & per consequens non est sufficiens neq. apta. Respondetur prenotando quod sicut in baptismo est duplex ablutio exterior quæ fit aqua, & interior quæ consistit in ablutione omnium culparum, & pœnarum quam exterior ablutio significat, & vtramque ablutionẽ significat forma, ego te baptizo &c. quamuis diuerso modo: quia exteriorem ablutionem significat semper, & absolute fieri, quia sine tali ablutione, nullum esset sacramentum, interiorem tamen ablutionem non significat semper absolute, sed significat semper interiorem fieri ablutionem, quantum est ex parte formæ, & passionis Christi licet ille qui baptizatur impedimẽtum aliquod præstet tali ablutioni, ita in sacramento pęnitẽtiæ duplex est absolutio, altera exterior, quæ nihil aliud est, quã sententia iuridica, & legitima, & sacramentalis, quam fert sacerdos in fauorem pęnitentis, vnde sensus istorum verborum, Ego te absoluo secundum D. Thom. 3. p. q. 84. ar. 3. hic est. Ego tibi impendo sacramentum absolutionis, i. ego fero sententiam legitimam & sacramentalem in tuũ fauorẽ; Altera vero est absolutio interior, quæ consistit in absolutione peccatorum, quæ vincula sunt animæ & vtramq. absolutionem significant ista verba. Ego te absoluo, exteriorem quidẽ significant semper, & absolute fieri, quia sine tali absolutione nullum esset sacramentum pęnitentiæ: secundam vero absolutionem interiorem non significat semper absolute fieri, sed significat semper fieri quantum est ex parte formę. &

In sacramento Baptismi duplex est ablutio.

In sacramento pœnitentiæ duplex absolutio.

D. Thom.

sacra-

sacramenti quamuis tali absolutioni pœnitens aliquando præstet impedimentum, & per hoc patet quomodo forma sit semper vera, & similiter dicendum est quando pęnitens ad confessionem accedit contritus. Vel dici potest quod si pęnitens est contritus, & absolutus quoad Deum, rursus absoluitur quoad iudicium ecclesiæ, & nihil obstat iam absolutum iterum absolui, cum iterum accusatur; vnde quia pęnitens iterum se accusat, & illud est iudicium, necessarium est quod iterum absoluatur.

Secundo infertur, quod quacumque forma in qua explicatur auctoritatiue remissio peccatorum, erit sufficiens forma huius sacramenti patet, quia vt dictum est, nulla est pręcisa forma huius sacramenti, & Minister huius sacramenti est Iudex, de ratione autem Iudicis est auctoritatiue sententiam proferre, & non deprecatiue. Vnde si aliquis vtatur hac forma, absoluo te, non dicendo, Ego, neq. addendo a peccatis tuis, vel remitto tibi peccata, vel impendo tibi beneficiũ absolutionis, vel aliis huiusmodi, quibus auctoritatiue absoluendi potestatem exprimeret sacerdos vere absolueret, nec Minister aliquod committeret peccatum, etiam veniale, dummodo nullus interueniat contemptus, posset autem cõtingere peccatum mortale propter scandalum, vt loquit Sotus, quia vulgo non credit aliam esse formam veram ab illa Ego te absoluo &c. Adde quod eadem verba possunt proferri in sensu imperandi, in quo sensu erunt æquipollentia, & consequenter sufficientia, quia practice significant efficiẽdo talem effectum, quo sensu valebit illa forma; absoluatur Petrus, sicut valet illa Baptizetur seruus Christi, & sic patet verum esse id quod docet Doct. s. quod ad substantiam huius sacramenti satis est vti verbis æquiualentibus, adeoq. in hoc sacramento non est necesse vti verbis tam præcisis, sed sufficit quod exprimatur actus sententiæ absoluentis, cum hoc sacramentum sit sacramẽtum iudiciale, vel iudicium sacramentale, & in iudicio publico non sunt necessaria limitata verba in ferendis sententiis. licet præsumptuosum esset, & valde illicitum forma consueta relicta, aliis formis licet ęquiualentibus vti, & hæc permutatio non careret culpa saltem veniali.

Sotus.

1

ARTICVLVS VI.

Vtrum ad valorem huius sacramenti sufficiat voluntas Confitendi absq. alio dolore peccatorum.

HAEc quæstio duo quærit, Primum, An ad valorem huius sacramenti sufficiat voluntas confitendi, secundũ esto, quod non sufficiat an aliquis internus dolor sit de essentia huius sacramenti.

Quo ad primum statuendum est de necessitate huius sacramenti esse voluntatem confitendi peccata in hoc sacramento & obtinendi absolutionem eorum, In quo conueniunt fere omnes Doctores, & ratio est, quia hoc sacramentum recipi non potest nisi ab homine adulto in omni autem suscipiente sacramẽtum, si vsum rationis habeat, requiritur voluntas seu intentio recipiendi sacramentum, & in hoc sacramento est ratio peculiaris, quia cum sit voluntarium iudicium, requirit voluntariam subiectionem rei ad Iudicem per quam veluti completur actualis iurisdictio confessoris ad pęnitentem, vel potius materiæ applicatio, hæc autem voluntaria subiectio non fit nisi per voluntatem subiiciendi peccata clauibus media confessione.

Secundo supponitur tamquam certum, hanc voluntatem debere esse honestam, hoc est, vt voluntas illa non sit peccatum mortale quod vtique contingere potest, si hæc volũtas confitendi esset præcise propter humanum motiuum, finalem gloriam, vel commodum temporale, nam huiusmodi voluntas non sufficeret ad valorem sacramenti vt docet Syluest. Confes. 1. q. 7. Ang. Conf. 1 §. 4. & verbo Vanagloria. §. 1. Armil. verbo confess. n. 4 & non nulli alij Summistę, quia peccatum actu commissum in susceptione huius sacramenti repugnat valori eius, quod est speciale in illo. Dixi notanter si voluntas illa sit peccatum mortale, quia contingere potest illam voluntatem ex illo fine, non esse semper peccatũ mortale, sed interdum veniale vt docent Sotus d. 18. q. 5. ar. 3. circa finem, & Nauar. in manuali c. 21. nu. 40. & tunc non repugnaret valori huius sacramenti quoniam si voluntas illa sit tantum veniale peccatum, & non excludat attritionem peccatorum mortalium, non repugnabit valori sacramẽti, quia nihil essentiale tollit, quomodo autem talis voluntas sit mortalis & quando non, dicerem, quod tunc est peccatũ mortale, quando cõstituit vltimum finem in ea vanagloria, vel temporali commodo, aut ea de causa omittit aliquid, quod est de substantia actus, si autem moueatur aliquis ex motiuo humano, & tamẽ supposita illa applicatione vult omnia necessaria ad sacramentum adhibere, quia non vult in eo actu peccare mortaliter, tunc non mouebitur ex illo motiuo humano tantum, sed etiam aliunde, atque ita motiuum illud non erit totale in huiusmodi actu quoad specificationẽ eius, quamuis sit primum mouẽs in illo genere, quoad exercitiom & vsum, tũc inquam voluntas illa erit venialis, quia ille finis non est per se obiectum graue, quod ad peccatum mortale sufficiat, nec est vnde tantam malitiam actioni conferat.

Syluester. Angelus. Armilla.

Sotus. Nauar.

His suppositis de hac voluntate difficultas est, an per se sufficiat ad hunc effectum: nam quorumdam sententia fuit, nullam formalem pęnitentiam requiri ad hunc effectum, sed sufficere voluntatem confitendi, & recipiendi absolutionem dummodo pœnitens nullum actum habeat, quo formaliter vel virtualiter peccato adhęreat: nam ipsa voluntas confitendi est quędam virtualis pęnitentia: quia est voluntas abiiciendi peccatum, & recuperandi primam gratiam; ita sentit Syluest. verbo confes. 1. q. 21 & quidam vt Gabriel in 4. d. 14. q. 2. & Almayn. q. 4. illam tribuũt Doctori nostro Subtili, ex eo quod in hac quæstione sub litera. E. dixit, quod non habens actum qui sufficiat ad meritum de congruo, sed tantum habens voluntatem suscipiendi sacramentum Ecclesiæ, & sine obice peccati mortalis actualiter sibi facto, vel in voluntate inhęrentis recipit non ex merito, sed ex pacto diuino effectum huius sacramenti, & patum infra inquit quod non appareret, quomodo sacramentum pęnitentiæ esset secunda tabula, si numquam per ipsum vt sacramentũ est, posset recuperari secunda gratia amissa, sed tantum per attritionem tamquam per præuiam dispositionem, & per contritionem tamquam per dispositionem complectiuam. Ex his verbis imponunt Doctori, quod eius mens fuerit ad effectum huius sacramenti non requiri attritionem, sed sufficere voluntatem suscipiendi hoc sacramentum, sicut in Ecclesia ministratur, & sine obice peccati mortalis, sed immerito quidem, & falso, nam post verba supra adducta statim subdit Doctor, vt si, parum attritus etiam attritione, quæ non habet rationem meriti ad remissionem peccati, volens tamen recipere sacramentum pęnitentiæ &c. in vltimo instanti prolationis verborum in quo scilicet est vis sacramenti illius recipit effectum sacramenti, scilicet gratiam pœnitentialem, vbi aperte ponit requiri dispositionem aliquam ad effectum huius sacramenti præter voluntatem recipiendi illud, & eademmet verba refert d. 18. q. 1. sub littera. E. vbi ita legimus sacramentum pęnitentiæ potest digne recipi ab attrito, & hoc tanta attritione, quæ non sufficeret per modum meriti ad iustificationem suscipiendam in termino attritionis, & si hoc non ficte recipiatur, in termino recipitur gratia prima, quia a Deo confertur, & absolutio est signum efficax illius absolutionis sequentis in vltimo instanti ipsius sicut prolatio verborum est signum confectionis corporis Christi & d. 14. q. 4. in responsione ad secundum sub littera. H. ait, concedo quod ante perceptionem dignam pęnitentię, oportet suscitari vel simpliciter, & tunc per pęnitentiæ sacramentum non deletur peccatum, sed gratia quę infuit augetur, vel suscitari secundum quid, scilicet vt habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cauendi de cętero, & velit suscipere sacramentum pęnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc suscitatur simpliciter per sacramẽtum, & quidem est necessarium vt dicetur d. 17. sicut etiam dictum est supra, quod iustificato per baptismum flaminis necessarius est baptismus fluminis hæc Scot. & d. 17. q. 1. sub littera. E. loquens de contritione, confessione & satisfactione inquit, hæc tria ad sacramentum pęnitentiæ vt digne recipiatur requiruntur, vel præuia vel sequentia, simpliciter enim requiritur confessio, quia sacerdos non absoluit reum arbitrarie, nisi prius reus sibi fuerit accusatus in foro illo, nõ est etiam vtilis illa absolutio nisi præcedat in confitente aliqua contritio vel attritio; Partes istius distinctionis patent ex dictis supra, sufficit enim, quod aliqua displicentia licet informis succedat, & tunc ille capax est absolutionis sacramentalis, & per illam fit contritio. Quid Clarius?

Syluest.

Dicendum est ergo solam voluntatem suscipiendi sacramen-

mentum pœnitentiæ non esse sufficientem ad effectum huius sacramenti, sed necessarium esse aliquem dolorem hæc conclusio est fere communis consensus omnium Theologorum
Alex. de Ales. Alex. de Ales. p. 4. q. 21. m. 1. D. Bon. d. 18. ar. 2. q. 1. & 2.
D Bonau. D Thom. Scotus. D. Thom. 3. p. q. 84. art. 1. ad primum & 86. art. 6. & q. 90. ar. 2. Scoti locis supracitatis & omnium Neotericorum.

Et opposita sententia improbabilis est, & hoc tempore est temeraria, nam præterquam quod repugnat fere omnibus
Conc. Trid. Theologis, aperte videtur damnata in Concilio Trid. nam sess. 6. c. 7. & 14. c. 4. requirit ad remissionem peccati propriũ dolorem pœnitentis, etiam cum sacramento & sess. 14. concludit Ecclesiam numquam docuisse aut sensisse sacramentum hoc dare gratiam, nisi proprio motu pœnitentis & fundamentum sumendum est ex his, quæ supra dixi de necessitate interioris pœnitentiæ, nam illa necessitas non est ablata in lege noua, cum in illa etiam prædicata sit, & ad baptismum etiam requisita, vt supra ostendimus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum contritio sit necessaria ad effectum huius sacramenti, vel sufficiat attritio existimata, vel cognita.

CVm in superiori articulo probatum sit aliquem actum formalis pœnitentiæ esse necessarium ad effectum huius sacramenti grauis difficultas est qualis, & quanta esse debeat hæc pœnitentia, An videlicet requiratur contritio, vel secundum sufficiat attritio, & si attritio sufficit, quæ attritio sit necessaria, quæue sufficiens an attritio cognita vel existimata, & hæc omnia sunt a nobis in præsenti articulo explicanda.

Quoad primum plures sunt Theologorum sententiæ, prima requirit verum & perfectum motum contritionis, docetque hunc motum ita esse necessarium, vt si in re ipsa nõ habeatur, etiam si pœnitens bona fide accedat putans se esse contritum, nihilominus non iustificetur, quamuis in eius susceptione non peccet. Hanc opinionem tenent Magister sen-
Magist. sēt. Hugo & Ricardus de sācto Victore. Alex. de Ales. D Bonau. Gabriel. Maior. Adrian. tẽtiarum, Hugo & Ric. de Sãcto Victore Alen. & D. Bona. locis in superiori articulo citatis, maxime vero defendit hãc sententiam Gab. in 4. d. 14. q. 2. not. 2. & ar. 2. & d. 18. d. 1. art. 2. Maior eisdem locis. Supplementum Gab. d. 23. q. 2. art. 2. Adrianus q. 1. de Conf. licet quolib. 5. dubius sit. Fundamẽtum est, quia non obstante institutione huius sacramenti: pœnitentia interior est necessaria ad remissionem peccati, vt ex scriptura colligitur; quæ necessitatem pœnitentiæ prædicat; sed pœnitentia interior, quam scriptura postulat, est vera contritio, tum quia attritio numquam per se fuit necessaria, tum etiam quia scriptura, cum necessitatem pœnitentiæ prædicat, loquitur independenter ab hoc sacramento. Deniq. requirit perfectam cordis contritionem, ergo necessitas talis pœnitentiæ perfectæ manet etiam per institutum hoc sacramentum.

Secunda sententia est. Contritionem quidem esse per se necessariam vt licite recipiatur hoc sacramentum, & consequenter etiam ad effectum eius, nihilominus tamen aliquando posse sufficere ad effectum huius sacramenti solam attritionem præcisam ex parte pœnitentis accedentis ad confessionem, non quia hoc sacramentum iustificet huiusmodi hominem manentem in sola attritione; quia homo in peccato mortali existens numquam iustificatur sine vera contritione; sed perficiendo in illo ipsum interiorem motum pœnitentiæ excitando, & faciendo vt ex attritione transeat in contritionem; hoc sacramentum enim potest efficere hominem de attrito contritum, quod aliter fieri nequit, quam immutando attritionem in contritionem, cum homo non iustificetur absq. vera contritione: nam hoc modo hoc sacramentum facit ex attrito contritum, s. per immutationem ipsius actus attritionis. Hanc sententiam docuit Henricus quol. 1.
Henricus. Caiet. Victoria. q. 32. Caiet. 3. p. q. 89. art. 3. & Ferrar. 3. contra gent. c. 72.

Eamdem sententiam ferre docuit Vict. in relectione de potestate Ecclesiæ p. 2. Soto lib. 2. de natura, & gratia c. 15. &
Sotus. Vega Corduba. in 4. d. 18. q. 3. ar. 2. Vega lib. 13. in Trid. c. 34. ad tertiam obiectionem, & Corduba lib. 1. Theolog. q. q. 2. opi. 3. in secundo puncto illius opinionis, & opinione 4. Nisi quod isti dicunt necessariam esse contritionem per se loquendo; sufficere tamen quandoq. attritionem contritionem existimatã, ideoq. esse necessarium, vt homo bona fide accedat putans se esse contritum ad hoc saltem, vt excusetur ab actuali peccato, quod committeret, si sciens, & videns se esse in peccato mortali ad recipiendum sacramentum accederet, existente autem bona fide accidere posse, vt homo cũ sola attritione in re ipsa existente, & durante iustificetur atq. ita fiat ex attrito contritus non per mutationem ipsius actus, sed per solam gratiæ infusionem. Idem fere docet Nauar. in Manua. c. 1. num. 37. vbi *Nauar.*
quoad hoc sequitur opinionem Son. statim vero nu. 42. ita eam explicat, vt dicat attritionem solam non sufficere cum sacramento ad iustificationem, nisi vel putetur esse contritio, vel saltem futura talis munita valore absolutionis sacramentalis.

Tertia principalis sententia est, vt hoc sacramentum conferat effectum suum sufficere veram, & integram attritionẽ peccatorum, siue illa cognita sit, siue non, ita docet D. Tho- *D. Thom.*
mas in 4. d. 17. q. 3. art. 5. q. 1. & d. 18. q. 1. ar. 1. q. 1. & expresse in 3. p. q. 80. ar. 4. ad secundum. Idem sentit Doct. noster Sub. *Scotus.*
locis supracitatis in præcedenti articulo, atq. hanc sententiã veram esse censeo, iuxtaquam.

Dico primo sacramentum hoc habere virtutem ad iustificandum peccatorem, per solam veram supernaturalem integram attritionem dispositum, & in hoc sensu efficaciam habet ad efficiendum hominem de attrito contritum, hanc conclusionem existimo hoc tempore adeo esse certam, loquendo vt loquimur absolute de efficacia, & abstrahendo a modo, quo id fit; vt non possit absq. errore negari. Nã Con- *Conc. Trid.*
cilium Tridentinum sess. 14. c. 4. loquens de contritione imperfecta, quæ attritio dicitur ita scribit. Et quamuis sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationẽ perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in sacramẽto pœnitentiæ impetrandam disponit, & loquitur ibi conciliũ de dispositione vltima per se sufficiente cum sacramento, quod ex eo patet, quia simili modo dixerat idem concilium paulo superius in eodem capite, contritionem fuisse omni tempore necessariam ad impetrandam veniam peccatorum, cũ tamen constat fuisse necessariam, vt dispositionem vltimã. Tum quia si esset sermo de dispositione remota, etiam extra sacramentum disponit attritio ad impetrandã Dei gratiam, Concilium autem dicit aliter disponere intra sacramẽtum, quam extra, ergo intelligit respectu sacramenti non esse solum remotam, sed proximam seu immediatam dispositionem; Imo cum concilium ait attritionem per se ad iustificationem non sufficere, & subdit in sacramento disponere ad impetrandam gratiam, plane intelligit per se in ratione dispositionis sufficere respectu sacramenti, ergo ẽ contrario docet etiam concilium habere hoc sacramentum efficaciam ad dandam gratiam sanctificantem, atq. adeo ad iustificandum peccatorem per solam attritionem dispositum.

Dixi in conclusione per veram attritionem, quoniam attritio existimata non sufficit, sed ad consequendum remissionem peccati mortalis per hoc sacramentum necessaria est vera attritio in seipsa existens, quod ex eo probari potest, quia Cõ-
Concil. Flor. Conc. Trid. cilium Florent. & Trid. quando dicunt simpliciter dolorem, seu contritionem, vel attritionem esse partem, & a fortiori dispositionem necessariam in hoc sacramento loquũtur de vera contritione vel attritione; tum quia attritio tantũ existimata non est simpliciter attritio, sicut homo pictus nõ est homo; tum etiam quia attritio tantum existimata nõ est donum Spiritus sancti, nec est cõcepta ex gehennæ metu, vel turpitudine peccati, nec habet alias perfectiones, & proprietates, quas Concilium Trid. tribuit huic attritioni, tũ deniq. quia alias, quando Concilium Trid. dixit, Contritionẽ fuisse omni tempore necessariam ad remissionem peccati, posset exponi de contritione vera vel existimata, & consequenter dici potest iustificari hominem etiam extra sacramentũ per contritionem existimatam, quamuis re vera non esset, quod est dictu absurdissimum.

Dixi supernaturalem, hoc est ex speciali Dei auxilio elicitam, cuius præcipuum fundamentum est, quia Cõcilium Trid. sess. 14. c. 4. imperfectam contritionem, quæ attritio dicitur, & disponit hominem ad gratiam in hoc sacramento impetrandam, dicit esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum, & sess. 6. can. 3. concludit neminem sine gratia posse pœnitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, quod non potest exponi de sola iustificatione extra sacramẽtum, cum in tota illa sessione loquatur de iustificatione, quæ etiam fit per sacramentum, vt patet ex doctrina tradita c. 6. & 7. illius sessionis, quod confirmari potest ex Concilio
Concilium Araus. Araus. 2. definiente voluntatem efficacem, qua volumus

purgari

purgari a peccato esse in nobis ex Spiritus sācti īspiratione. Dixi etiam integram, quia esse debet de omnibus peccatis mortalibus non remissis saltem per se loquendo: quia vnum peccatum non potest sine alio remitti, & per se loquēdo nullum peccatū remitti potest sine attritione illius, quia pœnitentia omnium peccatorum mortalium est per se medium necessarium ad remissionem eorum. Ex his ergo patet quomodo ad hoc quod sacramentum conferat effectū suū sufficiat vera & integra attritio peccatorum, & quod contritio cum hoc sacramento non est simpliciter necessaria. Vnde ad fundamentum Gab. dico primo, falsum esse Deum non posse peccatum remittere sine proprio motu peccatoris, & est hoc magis improbabile intellectum de perfecta conuersione peccatoris, & de potentia absoluta vt ostendimus supra. Dico secundo, quod licet de potentia ordinaria id verum sit extra sacramentum, non tamen est verum cum illo; atq. adeo talis conuersio per veram contritionē non est medium simpliciter necessarium ad salutem, sed tunc solum, quando non potest hoc sacramentum applicari, vel quoties de facto non applicatur, vt remissio peccati mortalis statim conferatur, neq. hoc est contra legem naturæ, sed est quædā maior gratia, quæ propter Christi meritum iam exhibitum nobis fit, quam antea facta fuisset, de qua gratia sufficienter nobis constat, ex verbis Christi dantis sacerdotibus specialē potestatem ad remittenda peccata. Dices non obstante hac potestate est necessaria aliqua pœnitentia interior ad obtinēdam remissionem peccatorum per illam potestatem. Respōdetur pœnitentiam aliquam necessariam esse, & propter tollendum obicem, & propter veram accusationem faciendam, ad hos tamen fines sufficit attritio, & ideo non est exigenda contritio contra vim, & efficaciam talis potestatis.

Dico secundo, ꝙ vera & integra attritio est sufficiens dispositio ad effectum istius sacramenti, quamuis sit cognita, neq. oportet illam reputari contritionem, vt effectus conferatur; probatur conclusio, quia post institutionem huius sacramenti nullum extat præceptum negatiuum non accedendi ad hoc sacramentum cum conscientia peccati mortalis, nisi post veram contritionem, nam secluso hoc præcepto euidens est existimationem contritionis necessariam non esse, nec per se quidquam conferre ad effectum huius sacramenti, quia existimatio contritionis, quæ vera non est, per se nihil boni affert homini; nam potius est quoddam malum, cū sit error quidam, vnde per se non auget dispositionem pœnitentis, cum nec sit in voluntate, nec perficiat dolorē eius, solum ergo posset deseruire ad excusandū hominem a culpa omittendi contritionem, vel accedendi sine illa, secluso autē tali præcepto non indiget homo tali excusatione, quia iam non erit contra præceptum omittere contritionem, seu accedere ad hoc sacramentum sine illa, ergo non erit peccatum etiam si ex certa scientia id fiat; atque adeo propter excusationem a peccato non est necessaria hæc existimatio, & proinde sine illa obtinebitur effectus sacramenti, quia si illa nec per se disponit, nec tollit impedimentum, non est cur sit necessaria.

Quod autem tale præceptum negatiuum non accedendi sine contritione cum conscientia mortalis non detur, ex eo patet, quia vel illud præceptum ex natura rei sequitur ex institutione huius sacramenti, vel specialiter est additū a Christo Domino. Ecclesia enim per se id addere non potuisset, cum sit de actu merè interno: neutrum autem illorum dici potest. Prior pars probatur. Nam potius ex institutione huius sacramenti sequitur non esse necessariam contritionē, vt digne & laudabiliter ad hoc sacramentum accedatur, nam hoc sacramentum institutum est ad suscitandos mortuos; ergo hoc ipso ex se nō requirit talem dispositionem, quæ mortem expulerit, sed talem, quæ sufficiat vt sacramentum ipsū mortem expellat, atq. adeo optime dicebat Doc. noster in hac quæst. in responsione ad secundum, ꝙ ad hoc sacramētū accedens non est necesse, ꝙ sit suscitatus simpliciter, sed tantum secundum quid, idest vt habeat aliqualem displicentiā de peccatis, nempe attritionē cum proposito cauendi de cætero, & velit suscipere sacramentum pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc suscitatur simpliciter per sacramentum. Quapropter non potest dici aliquem indigne accedere ad hoc sacramentum, eo ꝙ in peccato accedat, si tamen ita venit dispositus vt in gratia consumetur: sic. n. non indigne, sed sanctè tractat, quæ sunt sancta. Posterior pars probatur ex eo, ꝙ neq. ex scriptura, neq. traditione, neq. aliquo Ecclesiastico decreto ostendi potest tale Christi præceptum: nā ex his omnibus principiis solum habemus pœnitentiā interiorem esse necessariam ad consequendam veniam etiam per sacramentum; Concilium aūt Trid. satis declarauit nomine pœnitentiæ non solum contritionem, sed attritionē comprehendi, quare &c. & si contra concilium dicatur, quod data eius veritate, tunc ex certa scientia, & voluntarie homo accedit indispositus ad sacramentum, ergo &c.

Respondeo, ꝙ si quis ita voluntarie pœnitet propter pœnas inferni, & accedit ad confessionem hanc habens reflexā, si non essent pœnæ non pœniterem, nec ad sacramentū accederem, tunc non iustificabitur. est. n. actus non propter Dei Amorem, sed contra ipsum Dei Amorem, cæterum si attritus cognita sua attritione ad sacramentum accedit cupiens p ipsum suppleri, ꝙ dolori deficit explicite vt Theologus, vel implicite vt Rusticus iustificabitur virtute sacramēti, Alias Theologi essent deterioris conditionis, quam Rustici, qui non tam facile agnoscunt attritionē a contritione differētē. Si iterum dicatur sola attritio non est vera detestatio offensæ diuinæ, ergo nō potest esse sufficiens dispositio si cognita sit. Item, quia actuale peccatum, ad quod delendum hoc sacramentum institutum est, est voluntaria auersio a Deo, ergo per se requirit perfectam conuersionem in ipsum Dēū, quæ fit per solam contritionem; ergo non potest digne accedere, qui illam conuersionem voluntarie omittit. Dico primo, ꝙ si duo hæc argumenta valida essent, probarent attritionē nūquam esse sufficientem dispositionem, etiam si intercedat existimatio contritionis: quia vt dixi hæc existimatio non reddit ipsam dispositionem meliorem. Ideo ad primū dico attritionem, quāuis non sit formalis detestatio peccati, quatenus offensa Dei est, esse tamen veram detestationē ipsiusmet offensæ diuinæ sub aliqua ratione honesta, & supernaturali, atq. adeo, & si non sit sufficiens, habet tamen sufficiētem proportionem, vt ab ea procedat vera accusatio peccati: nam in confessionem exteriorē non cadit propriè illa formalitas, seu reduplicatio, ꝙ sit de offensa Dei, quatenus offensa Dei est, nam confessio exterior non respicit hoc motiuum, neq. hoc spectat ad externos actus, sed ad internos: est ergo confessio de ipsa Dei offensione, quam homo recognoscit, & fatetur: atq. adeo sufficienter procedit ab attritione.

Ad secundum dico, perfectam cōuersionem in Deū per proprium actum peccatoris necessariam esse salua institutione, vel vsu huius sacramenti, quando vero illud applicatur per eius efficaciam suppleri, quia Deus per illud infundit suam iustitiam, quæ hominem interius rectificat, & habitualiter conuertit in Deum.

Et si demum dicas, ꝙ homo stante veritate conclusionis posset esse tam certus de remissione peccatorum in hoc sacramento, quam est certus de sua attritione, at potest esse de sua attritione certissimus, quia manifesto experimento illā nouit, ergo & de sua iustificatione, quod est absurdū. Dico ꝙ veritas sacramenti a qua iustificatio pendet ex multis aliis capitibus potest esse incerta, nempe ex intentione ministri, ex iurisdictione, ex vera ordinatione, ex veritate baptismi, quæ ex parte vtriusq. s. pœnitentis, & absoluentis necessario supponi debent, ac deniq. ex debita diligentia ad integrā cōfessionem faciendam, quæ si hæc omnia supponantur certa, nullum est inconueniens, ꝙ pœnitens sit tam certus de sua iustificatione, quam est certus de sua attritione, Hæc. n. certitudo numquam est tāta, ꝙ remittat formidinem, quia homo non intuetur suam attritionem, nec euidenter discernit qualitatem, aut motiuum sui doloris, sed est quædam certitudo, quæ ad pacem conscientiæ possit sufficere, & ad prudenter deponendos scrupulos, & tollendam conscientiæ anxitatē, hic etiam certitudinis modus etiā de ipsa iustificatione per sacramentum haberi potest, nam sicut non obstante efficacia sacramentorum, vnusquisq. potest de sua dispositione formidare, vt Concilium Trid. dixit sess. 6. c. 9. Ita ex huius sacramenti efficacitate si pœnitens moralē diligentiā adhibeat, consequi solet pax, & serenitas conscientiæ, vt idem cōcliū dixit sess. 14. c. 3. sub his verbis. Sane vero res, & effectus huius sacramenti quantum ad eius vim, & efficaciam pertinet, reconciliatio est cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum deuotione hoc sacramentum percipientibus conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet. *Conci. Trid.*

DI-

DISTINCTIO. XV.

ET sic ex prædictis auctoritatibus illorũ error conuincitur &c. Hæc est d. 15. in qua Magister post quam superius egit de penitentia, quantum ad sui qualitatem agit de eadem quoad eius integritatẽ, et diuiditur in tres partes, in quarum prima quidã errores tanguntur in secunda quid prosint elemosynæ in peccato mortali factæ ostenditur, & in tertia penitentiam factam de vno peccato, & nõ de omnibus haud validam esse demonstratur. Quoad primum, quidam male intelligentes sacræ scripturæ auctoritates in hunc deuenerunt errorẽ, ut dicerent penitentiã nõ esse iterandã. Insuper de vno fieri posse peccato sine alijs penitentiã, quorũ motiuũ ex verbis Naum male intellectis originẽ duxit: habet. n. iste Propheta. c. 1. hæc verba. Nõ iudicabit Deus bis in idipsum, ex quibus verbis ita illi arguebant, si quis vnum peccatũ Sacerdoti confiteatur alijs tacitis, siue prætermissis, & penitentiã sibi a sacerdote iniũctam satisfactionem persoluat, vlterius pro illo nõ debet satisfacere, nec penitentiã agere, alioqui Deus bis in id ipsum iudicaret, & consurget duplex tribulatio, dum sacerdos, qui Christi vicem in ecclesia gerit, bis pro eodem peccato penitentiam imponeret.

Huic rationi respondens Magister inquit, quod auctoritas Naum intelligi debet de his solum qui per flagella præsentia corriguntur, & de malo in bonũ cõmutantur, talem equidẽ iterum non iudicantur, ac secus est de illis, qui in præsenti vita per flagella nõ corriguntur, vt Pharao Exod. 7. talibus. n. iudiciũ in præsenti videtur incipi & in futuro terminari, iuxta D. Aug. in illa uerba, Ignis succensus est &c. i. vindicta hic incipiet & ardebit usq. ad extremã damnationẽ, quare peccatores nolentes hic a Deo puniri, & in futurum, retrahant pedẽ a malo iuxta illud propheticũ. Declina malo, & fac bonũ, alioquin in malo perseuerãtes, & hic & in futuro flagellabũtur. Vnde hac occasione perutilẽ addit de flagellis distinctionem dicens quod quinque modis flagella cõtingũt nobis; nam aliquando infliguntur ad meritorum augmentũ, ut Iob. vel ad custodiam virtutum, vt fuit in Paulo, cui datus est stimulus carnis ne superbia tentet. 1. Corint. 12. vel ad corrigenda peccata, vt Mariæ sorori Mosis; Nu. 12. inflicta est lepra, vel ad Dei gloriam, vt patet de cæco nato Ioan. 9. vel ad initium pœnæ futuræ, vt patet in Herode, qui saturinit vermibus Actorum 12. Quatenus hic videatur quid in inferno sequatur iuxta illud, duplici contritione cõtere eos Domine. Illa ergo auctoritas Naũ non cogit nos sentire omnia, quæ temporaliter puniũtur non vlterius a Deo punienda, nam & si super eumdẽ locum Hieronymus dicat Ægyptios & Israelitas a Deo temporaliter punitos, ne in æternum punirentur, non est tamen de omnibus generaliter intelligendum: ait. n. sit, quod genus humanum diluuio, Sodomitas igne, AEgytios mari. & Israelitas in Eremo perdidit, scito te ideo temporaliter pro peccatis puniisse, ne in æternũ puniret: quia non iudicabit Deus bis in idipsum. Qui ergo puniti sunt, postea non punientur, alioquin mentitur scriptura, quod nefas est dicere, Hæc. n. verba D. Hieron. non sunt generaliter intelligenda, sed de illis tantum, qui inter flagella penituerunt: qui enim per flagella temporalia puniũtur nec corriguntur, cum hoc postea æternaliter puniuntur, quod confirmat eiusdem D. Hieron. auctoritate, qui eodem loco nempe Nahum. i. agens de fideli deprehenso in adulterio, qui decollatur, ostendit leuia peccata breui, & temporali supplicio purgari, magna vero diuturnis, & æternis supplicijs reseruari, Ita inquiens quærit hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiet, aut. n. punietur, & falsum est, quod dicitur. Non iudicabit Dominus bis in idipsum, aut non punietur, & optandum est adulteris, vt hic breui pęna puniantur, vt frustrentur cruciatus æternos; cui difficultati respondens Hieron. dicit, leuia peccata leui, & tẽporali supplicio puniri; pro leuibus enim nõ punitur, quis æternaliter; grauia vero & hic purgari graui supplicio, et in futuro æternaliter punienda. s. de quibus penitentiam inter flagella non egerunt. Sed iterum supradictus error roborari videtur sanctorum auctoritatibus, nã D. Greg. hom. x. super Ezechielem. Pluit Dominus super vnam Ciuitatem, & super alteram non pluit, & ex parte compulit & ex parte aridam reliquit, cum ille qui proximũ odit ab alijs vitijs se corrigit, vna eademque ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida remanet; quia sunt quidam, qui cum quædam vitia resecent in alijs grauiter perdurant. Item Ambrosius serm. 18. super psal. 118. Prima cõsolatio est, quia nõ obliuiscitur misereri Deus: secunda per punitionem, vt & si fides desit pœna satisfacit, & releuat. His auctoritatibus respondens Magister dicit illas esse intelligendas quoad criminis desitionem, quomodo vna Ciuitas compluі dicitur, & non alia, idest homo cessare potest ab actu vnius peccati, licet ab alio non desistat, ob id tamen non sequitur, quod de vno sine alijs veniam obtineat. Fides autem in Auctoritate D. Ambrosii sumitur non pro habitu fidei, sed pro cõscientia peccati, aliquando enim peccatum est, cuius conscientiam homo non habet, & tunc quod nõ recollit per flagelli pęnam purgatur, dum tamen homo flagella patienter acceptat. Et si dicatur pro erroris confirmatione, Siquis de vno peccato satisfacit, & ipsi m pęnitet, alijs peccatis tacitis, de quibus postea si confessus fuerit, non videtur rationabile, nec secundum consuetudinem Ecclesiæ pro eodem peccato nisi reiteretur, vt ei bis pęnitentia imponatur, non erit ergo iteranda penitentia. Respondet Magister. quia prior satisfactio non fuit digna, & vera satisfactio, quia secundum D. Aug. lib. 1. de Eccles. dogmat. c. 53. satisfactio est penitentiæ peccatorum causas excidere, nec suggestionibus earum aditum indulgere, quæ duo non facit, qui in alijs peccatis remanet, ideo iterũ satisfactio est imponenda, cum prior nec digna fuerit satisfactio; cum ille dignus fructus pęnitentiæ non fuerit, & hæc quoad primum.

Quoad secũdum in 2. p. huius distinctionis inquit Magister, quod Eleemosynæ quas faciunt in peccato mortali existentes, nec sunt meritoriæ, nec Deo placent. Pro cuius intellectu obseruandum est triplicem eleemosynã dari, Vna quarũ in contritione consistit, quando quis se Deo offert sacrificium, iuxta illud psal. Sacrificium Deo spiritus contribulatus &c. & de huiusmodi Eleemosyna sapiens dixit. Miserere animæ tuæ placens Deo, quo modo eleemosyna capta, satisfactionis pars nequaquam dicẽda est; sed pars integralis sacramenti pęnitẽtiæ. Datur alia Eleemosyna, quæ cõsistit in proximi compassione, V. G. cũ quis cõpatitur alicuis miserijs, de qua Iob Ab infantia mea creuit mecũ miseratio, et ab vtero matris egressa est mecũ. Tertia Eleemosyna ĩ elargitione manuali cõsistere dicitur, de qua Saluator Lucæ ij. Date Eleemosynã & ecce omnia munda sunt vobis, & Ambros. dicebat, pasce fame morientẽ; si non pauisti occidisti; sub hac eleemosyna sẽptẽ misericordiæ opera cõtineri, nullus est qui de hoc dubitet. His ita positis inquit Magister, quod eleemosynæ,

quas

D. August.

Flagella qui[nque] modis [no]bis contin[g]unt.

D. Ambr.

Eleemosyna triplicite[r] d[a]tur.

D. Ambro.

quas faciunt in peccato mortali existentes, nec sunt meritoriæ nec Deo placentes. Vnde Beat. Aug. in Encherid. c. 75. inquit. Quidem in peccato permanentes putant per eleemosynas, quas faciunt mereri aliquam peccati purgationem propter quod Dominus dicit. Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, quia non bene intelligunt, sunt enim eleemosynarum genera multa, nam eleemosynam facit qui necessaria administrat, qui peccanti in se indulget, qui subditum sibi corripit, qui pro proximo orat, vt peccatum sibi remittatur. Inter omnes autẽ has eleemosynas, maior est dilectio inimici, et præter hac illa maior, quam quis sibi facere debet, vnde qui vult per aliquam eleemosynarum peccata sua mundare prius sibi eleemosynam debet facere, & animæ suæ misereri: quod non faciunt illi, qui in peccatis permanent, etsi multas eleemosynas faciant. Primo ergo ordinate vt procedamus nobis ipsis interius eleemosynas facimus, illas non omittentes exterius, tunc omnia nobis munda erunt, si a nobis eleemosyna incipiet, & ad alios se deinde extendet, peccatores itaque in malo quotidie perseuerantes si volunt hic in præsenti gratiam, & in futuro gloriam consequi animas interius a vitiis purgari quærant. Date ergo eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, aliter non. Quantum ad tertium concludit Magister quod de vno peccato sine aliis penitentia agi minime potest: & primo elidit errorem quorundam, qui opinati sunt, quod illa satisfactio de vno sine aliis fuerit insufficiens tempore illo, quo fiebat, at quando postea de aliis peccatis doleat, tunc effectum habere suum, sicut baptismus recedente fictione, & hanc suam opinionem confirmant.

D. August. Primo per authoritatem Diui Augustini lib. de vera & falsa penitentia c. 14. dicentis. Pium est credere, & nostra fides expostulat, vt cum gratia Christi in homine destruxerit mala priora, etiam remuneret bona, & cum destruxerit quod suum non inuenit, diligit bonum quod in peccante plantauit, ex quibus verbis videtur quod Deus approbet satisfactionem factam in statu peccati.

D. Hieron. Secundo inducitur ad idem probandum authoritas D. Hieron. super illud Aggæi. 1. seminastis multum &c. dicentis si quando videris inter multa peccata, quẽquam facere iuxta opera non est tam iniustus Deus, vt propter multa mala obliuiscatorum paucorum bonorum, sed faciet ea metere, et in horrea congregare, quæ bona in terra seminauit. Ceterum huiusmodi authoritates (inquit Magister) intelligendæ sunt de bonis factis in statu gratiæ quæ per peccata sequentia mortificantur, nam huiusmodi bona per penitentiam dicuntur reuiuiscere & talia Deus diligit & remunerat, illaque metere facit; non autem illa, quæ fuerunt facta in statu peccati. Posset etiam aliter dici, quod prædictæ authoritates sunt de operibus factis etiam in statu peccati; quæ Deus remunerat, non tamen remuneratione gloriæ æternæ, sed temporali aliqua remuneratione, vel etiam æternum diminuendo supplicium, vt docet D. Aug. lib. de penitentia cap. 26. Quapropter concludit Magister cum Diuo August. quod sine charitate vera penitentia esse nequit, & quod bona, quæ cum charitate facta sunt, & per peccata mortificata nec per penitentiam viuificata ad æternam remuneratione minime valent, licet ad supplicij diminutionem. Demum improbat supradictum errorem huic veritati contrariũ authoritate D. Augustini libro de vera & falsa penitentia cap. 9. dicentis, quod Dominus nunquam aliquem sanauit, quem totaliter non sanauerit, in quo nos docuit, quod de vno peccato sine alio fieri penitentia non potest, alias sequeretur, quod criminoso cui inimicus esset veniã daret, & quod peccator absque Dei timore veniam consequeretur, nec non dimidiam veniam a Deo, vel etiam integram sine vera pœnitentia, quæ omnia sunt absurda; ex his infert primo, quod illa vera pœnitentia dici debet, quæ ad baptismi puritatem ducit, & quæ veræ vitæ mutationem facit, quæ peccatum abhorret & scelus corrigit. propter quod permanens in opere peccati, veram pœnitentiam habere non potest. Secundo infert quod etiam in fine vera penitentia agi potest, absque restitutione, quando. s. non adest facultas emendandi, vel restituendi, si vero adsit facultas nullo modo vera penitentia potest agi, nisi restituatur ablatum, & hæc sunt quæ breuiter habet Magister in hac 15. D. Circa quam Doct. subtilis mouet quatuor quæstiones & primo quærit.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Cuilibet peccato mortali actuali correspondeat satisfactio propria.

Disputatum est in præcedenti distinctione de penitentia tam virtute, quam Sacramento & de vtraque quomodo sit necessaria, aut sufficiens ad delendum peccatum, consequenter in hac distinctione, in qua Magister agit de satisfactione; nam quærit an Homo possit satisfacere de vno peccato & non de alio, primo mouet Doctor quæstionem de satisfactione, & quia satisfactio aliquando sumitur, vt se extendit ad restitutionem; postea de illa mouet Doct. tres quęstiones, adeoque in hac distinctione agit Doctor de satisfactione proprie & late accepta.

Satisfactio late accepta quid significet. Hoc namque satisfactionis nomen late sumptum omnem actionem significare potest, per quam aliquis debitum suum implet, atque adeo accommodata est hæc vox ad significandam actionem quamdam iustitiæ, cuius propriam est ęqualitatem constituere, atque ita interdum idem significare videtur quod restitutio, Cæterum proprie & rigorose sumpta versatur in recompensandis illis iniurijs, quæ in actionibus potius, quam in rebus consistunt, & in hoc sensu a restitutione differt, restitutio enim significat actionem, per quam res aliena vero Domino redditur, satisfactio vero actionem indicat, per quam iniuriam compensatur, quæ in personam aliquam redundauit, & ob hanc rationem apud Theologos satisfactio veluti per antonomasiam actionem significat, per quam Deo pro peccatis satisfacimus. *Satisfactio quomodo à restitutione differat.*

Circa quam satisfactionem hæretici præsertim huius temporis tam necessitatem, quam vtilitatem negant, quorum fundamentum est, vel quia Christus satis pro omnibus fecit, vel (quod ex eodem errore procedit) quia dimissa culpa nullus manet reatus pœnæ, contra quos acerrime disputant Alphonsus de Castro libro 12. aduersus Hæres. titulo de pœnitentia hæresi prima, Andreas a Vega libro decimo tertio, in Concilium Tridentinum, cap. 36. & sequentibus. Ruardus artic. 6. Bellarminus libro quarto de pœnitentia, Hosius, Rophensis, & alij multi, & nos etiam infra hoc fundamentum destruemus, nam euidentissime monstrabimus post remissam culpam, & pœnam æternam manere in iusto, & Dei amico pœnæ temporalis reatum. *Alphonsus de Castro. Andr Vega. Ruardus Bellarmin. Hosius Rophensis.*

Peccatũ mortale duo includit. Pro nunc tamen breuiter obseruandum est, quod in lethali peccato duo inueniuntur, culpa, s. & pęna, quæ interdum manet ablata culpa, & proinde temporalis est, nam æterna numquam manet sine culpa, & ideo quoad remissionẽ, vel satisfactionem naturam illius imitatur.

Satisfactio est duplex. Vnde fit, duplicem posse intelligi satisfactionem apud Deum, alteram pro culpa, & alteram pro pœna temporali: de priori nihil hic dicendum est, quoad eius essentiam, tum quia nullo modo pertinet ad hanc tertiam partem pœnitentiæ, de qua hic agimus, tum etiam, quia si aliqua satisfactio pro culpa ab homine exhiberi potest, neque est à contritione distincta, neque alias conditiones requirit, & de illa in superioribus satis dictum est, est tamen hic de ea aliquid dicendum quatenus per eam culpæ fit satis, & de satisfactione pęnæ temporalis potissime agendum est.

Caietanus

Hæc autē pęna vt recte explicat Cardinalis Caiet. in tract. de contrit. qu. 4. est illa pœna sensus, quam in gehenna pati debuisset peccator remota solum æternitate, tria enim complectitur pęna gehennæ, pęnam damni, pęnam sensus, & vtriusque pęnæ æternitatem. Quorum primum correspondet auersioni a Deo. Secundum conuersioni inordinate ad creaturas. Tertium inimicitiæ cum sempiterno & infinito Rege, ex his autē trib. malis, quæ sunt in gehenna, a primo & tertio liberantur continuo, qui ad amicitiam Dei & eius gratiam redeunt; solum autem remanet malum illud secundum debitum, videlicet pęnæ sensus ad tempus luendæ, & de satisfactione huius pęnæ est nobis modo sermo, quæ duplex esse potest, altera extra sacramentum ex opere operantis, altera sacramentalis ex opere operato, & de vtraq; agit Doctor noster Sub. in hac quæst. prius tamen agit de satisfactione generali, & late sumpta. Vnde hæc quæstio in duas secatur partes, in quarum prima agit de satisfactione generali, & in secunda de satisfactione speciali. Satisfactio generaliter accepta se extēdit ad omne opus pęnale, per quod remittitur peccatum quantum ad culpam, & etiam ad opus pęnale, per quod post culpę remissionem pęna illa, quæ adhuc restat soluenda remittitur, & hoc modo satisfactio generaliter capta se extendit ad duo. s. ad opus per quod fit remissio peccati, atq; ita contritio confessio, & absolutio, satisfactio late appellari possunt. Secunda ad pęnam quæ restat soluenda post remissionem culpæ, & illud opus vocatur satisfactio specialis proprie dicta, de satisfactione generaliter sumpta quinque videnda sunt, quæ sequentibus articulis explicabitur.

Pęna gehenna tria complectitur.

Satisfactio duplex est.

Primus Artic. Vtrum satisfactio sit redditio æquiualentis.

Secundus Art. Vtrum satisfacere Deo pro peccato contra eum commissum sit possibile.

Tertius Art. Vtrum opus, per quod satisfactio fit, debeat esse pœnale.

Quartus Art. Vtrum quodlibet peccatum requirat propriam satisfactionem.

Quintus Art. Vtrum habens plura peccata possit satisfacere pro vno & non pro alio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum satisfactio sit redditio æquiualentis.

Cicero.

Aristot.

IVxta Ciceronianum præceptum libr. 1. de officijs, omnis quæ de aliqua re suscipitur institutio debet a definitione proficisci, & secundum Phil. ante omnem quæstionē debet præsupponi quid est, nam definitio indicat quid est esse rei, seu rei diffinitæ essentiam, hac de causa Doctor de satisfactione disputans ab eius definitione sumpsit initium dicens, satisfactio est, redditio voluntaria æquiualentis alias indebiti. Hæc definitio desumpta est ex libro primo Diui Anselmi Cur Deus homo, in qua quatuor particulæ ponuntur nempe redditio voluntaria, æquiualentis, alias indebiti.

Satisfactionis definitio explicatur.

D. Anselm.

Primum, s. quod sit redditio, patet, quia satisfactio nō est datio absoluta, nam hoc quod est satis dicit comensurationē ad aliquod præcedens correspondentem, atque adeo quod simpliciter & libere datur, nullo respectu habito ad aliquod præcedens acceptum vel commissum, non sortitur satisfactionis nomen: quia satisfactio importat relationem ad aliquod pręcedens acceptum, vel commissum. Secundū, s. quod sit voluntaria, ex eo patet, quia si esset inuoluntaria non esset satisfactio, sed satispassio. Vnde & damnati a quibus exigitur pęna debita culpæ commissæ in Inferno, non satisfaciūt, sed inuoluntarie soluunt, & satis patiuntur, atque adeo licet pęna Infernalis maxima sit, tamen peccatum non tollit, quā uis ipsum ordinet sub iustitia diuina.

Dicitur æquiualēns, quia satisfactio ad iustitiam commutatiuam pertinet, quæ exigit æqualitatem rei ad rem, tamen prout sapiens determinabit, sapiens scilicet per essentiā qui est Deus peccato offensus, & hoc importat nomē satisfactio, nam illud aduerbium satis importat æquam correspondentiam eius, quod redditur ad illud, pro quo redditur siue in beneficijs siue in pęnis: ex quo sequitur quod minus reddēs pro peccato, quam iustitia diuina exigit, licet iniunctum a confessore impleat, non satisfacit, quamuis aliquam pęnam peccato suo debitam soluit, soluturus in futuro, quod minus iniunctum est, & solutum in præsenti.

Aequiualentia multipliciter sumitur.

Est tamen obseruandum, quod æquiualentia aliquorum ad se inuicem multipliciter sumitur, quando enim attenditur pęnes valorem rerum naturalem consequentem earum molis quantitatem, vel virtutis, & per consequens nolla inter eas potest esse æquiualentia; Implicat. n. contradictionē, quod aliqua differentia specie sint æqualis valoris, quia implicat contradictionem, quod sint eiusdem speciei, ex quo sequitur, quod omne aurum, & omne frumentum mundi nō sunt æqualis valoris cum vna musca, vel Cinise, quia omne viuens a toto genere est præstantius non viuente.

Alio modo attenditur pœnes valorem rerum relatum ad vsum; & commodum humanum, & ad subleuandam humanam indigentiam, quomodo attenditur, æquiualentia precij ad appreciatum in commutationibus. V. g. Petrus caret frumento, & abundat vino, quamuis vnum istorum plus valeat altero secundum valorem naturalem, tamen inter illa duo potest reperiri æqualitas quoad vsum, & commodum humanum, vt ille qui indiget vino, & abundat frumēto succurrat indigentiæ alterius, & suæ, dando alteri frumentum pro vino, similiter tantum mihi succurritur, per pecuniam mihi concessam, quantum per frumentum &c. His duobus modis non est æquiualentia cuiuscumque actionis vel passionis assumptæ pro expiatione peccati ad ipsum peccatum, quoniam non sunt eiusdem speciei in specie moris, neq. peccatum potest referri ad commodum humanum, nam inter culpam, & inter quamcumque satisfactionem non est æqualitas ex natura rei, neque æquiualentia quantum ad vsum humanum.

Tertio modo potest attendi valor aliquorum secundū dictamen iustitiæ distributiuæ, dictantis pręmia & pęnas pręcedentib. meritis condignas, ita videlicet quod sit æqualitas pęnæ ad culpā, & præmij ad meritū, hoc est quod patiatur tantam pęnā, quantum meruit per culpam, & tanto pręmio afficiatur, quantum affici meruit, & hoc modo potest dupliciter contingi, vno modo æstimando valorem secundū dictamen strictæ iustitiæ, ita quod excessus alterius non staret cum iustitia, sic quod lex iusta non posset maius determinare in pęnis, vel minus in præmiis. V. g. Pęnis meruit centum non æquiualent nonaginta in pręmio, & homicidio voluntario non æquiualet mutilatio vnius membri, quia posset iuste puniri homicida pęna talionis, alio modo æstimando valorem secundum voluntariam acceptationem vnius pro altero illius, cui debet fieri recompensa, vt si quis teneretur centū, & is cui debet liberaliter remittit decem, tunc nonaginta æquiualent debito, & reddendo nonaginta satisfacit. Exemplum, ego debeo Petro centum aureos, & habeo aliquid, quod tantum valet nonaginta, Petrus tamen acceptat illud pro illis centum, tunc liberatus sum a debito, & reddo æquiualens non ex natura rei neque ex vtilitate & commodo ipsius Petri, sed in acceptione creditoris, qui voluit acceptare nonaginta pro centum. His duobus modis potest attendi æquiualentia operis vel passionis assumptæ ad peccatum pro cuius satisfactione assumitur.

Gerson.

In definitione itaq. satisfactionis non debet accipi ęquiualentia iuxta primū modum nunc expressum, quoniam sic attendendo valorem, nulla actio vel passio præsentis vitæ voluntarie assumpta ęquiualeret peccato, vt per eam posset homo satisfacere, tum quia secundum strictum iustitiæ rigorē nulla temporalis actio, vel passio condigna est peccato, & offensæ diuinæ: Posset enim Deus pro quolibet peccato quo offenditur summum & infinitum bonum, iuste exigere pęnā æternam duratione infinitam. Vnde Gerson Cancell. Paris. tract. de vita animæ lectione prima, ita ad propositum ait, Omne peccatum pro quanto est offensa Dei, & contra legem eius æternam, & de sua conditione & indignitate mortiferū secundum rigorem iustitiæ, & à vita gloriæ separatiuum, & hanc conclusionem principalē illius lectionis declarat, quoniam omnis offensa in Deū potest iuste ab ipso puniri pęna mortis, tam æternæ, quam temporalis: immo pęna annihilationis, cuius ratio est, quia nulla pęna est ita mala, quantum malum est ipsa offensa. Tū quia potius tolleranda foret omnis mors pęnalis, & annihilationis, quam committēda esset quantalibet parua offensa in Deum: Da oppositum iam offensa Dei licet fieri posset in casu, & multa alia subdit ibi Gerson pro illius conclusionis probatione.

Debet ergo æquiualentia æstimari secundum acceptationem diuinam, nam Deus ex sua misericordiosissima liberalitate determinauit tantam pęnam, seu acceptare tale opus,

pro

pro satisfactione talis peccati, sicut ex sua misericordia & benignitate statuit pro momentaneo merito temporali reddere præmium æternum, & secũdum hunc modum potest homo satisfacere pro peccato faciendo illud, vel voluntarie patiendo, quod Dominus statuit acceptare pro plena remissione peccati.

Conc. Trid. Hæc doctrina confirmatur, ex his quæ docet Conc. Trid. sess. 14. c. 8. vbi ita legimus Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exoluimus, vt non sit per Christum Iesum, nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, qui nos confortat omnia possumus, ita non habet homo vnde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre, quibus verbis docet concilium necessariam esse Dei acceptationem per Christum ad nostram satisfactionem, atque idem replicat in c. 9. Vbi dicit esse maximum amoris diuini argumentum, quod nostras satisfactiones acceptat.

Postremo dicitur, alias indebiti, seu non aliunde obligati, quia si esset alias debitum seu per aliam rationem obligatũ ipsum æquiualens quod redditur, iam non esset satisfactio ex natura rei, vel redditi, quia secundum iustitiam non esset correspondens isti, sed alij pro quo alias deberetur, nam si id quod redditur sit debitum ob aliam causam, cum eo fit satis tali causæ propter quam debetur & non alteri, & proinde cum eo non potest fieri satisfactio pro re alia debita, atque ita cum culpa faciat delinquentem debitorem ei, in quem peccat, vt ei satisfaciat, delinquens debet ei reddere æquiualens illi bono, quod ei abstulit per peccatum, & non debitũ propter aliam causam.

Et ista ratio satisfactionis inquit Doctor est cõmunis ad contractus, & obligationes quascumque, & ad multa alia in quibus satisfieri consueuit; hoc enim modo recipiens beneficium potest benefacienti satisfacere, vt Petrus cui benefecit Ioannes ratione beneficij debetur Ioanni, ita quod alias nõ esset obligatus, atque adeo rependens Ioanni beneficiũ, seu beneuolentiam, dicitur illi satis facere, & hoc modo dilectus diligenti recompensando dilectionem æqualem, seu æquiualentem satisfacere dicitur, atque ita tam in actibus liberalibus voluntatis, quam in actibus quodammodo necessarijs. s. in contractibus, vbi est quædam obligatio quasi necessitatis ad reddẽdum, locum habet satisfactio. V. g. Petrus vendidit Francisco aliquid, solutio illius vocatur illo modo satisfactio, consimiliter cum culpa faciat delinquentem debitorẽ ei, in quem peccat, potest ibi ista ratio satisfactionis inueniri vt. s. reddat sibi æquiualens, & alias indebitum, quantum sibi abstulit per peccatum, aduerbium igitur satis importat proprie æquam correspondentiam eius quod redditur ad illud pro quo redditur siue in beneficijs siue in pœnis, si vero redditum non sit æquiualens in re, vel alias debitum non perfecte inuenitur ibi ratio satisfactionis ex parte satisfaciẽtis, sed magis ex parte illius, cui fit satisfactio, acceptantis aliquid minus valens vel alias debitum pro satisfactione, satisfactio igitur importat relationem ad aliquod præcedens acceptum, vel commissum, acceptum in beneficijs vel commutationibus, commissum in culpis & offensis.

ARTICVLVS II.

Vtrum satisfacere Deo pro peccato contra eum commisso sit possibile.

Sensus tituli. PRo tituli intelligentia obseruãdum est primo, quod hic non quærimus vtrum de rigore iustitiæ siue ad æqualitatem possit satisfacere Deo pro peccato, quemadmodũ quæritur de satisfactione Christi, patet. n. satisfactionem puri hominis innixi gratiæ Dei excitantis ad actum contritionis, vel dilectionis Dei & esse vel ex alias debitis, vel quæ iure potuerunt exigi a Deo alijs nominibus, sed vtrum posito auxilio speciali actu sufficienti homo cum gratia, & supernaturalibus donis possit satisfacere Deo condigna satisfactione.

Satisfactio est duplex perfecta, & imperfecta. Secunda obseruandum est satisfactionem esse duplicem. s. perfectam & imperfectam, satisfactio perfecta est de proprio, & alias indebito, & est illa quam definiuimus in superiori articulo, quę dicitur satisfactio ad æqualitatem, & de rigore iustitiæ, & est voluntaria condigna, & perfecta compensatio pro iniurijs illatis ad reficiendam amicitiam. Dicitur voluntaria, quia si sit contra voluntatem diceretur satispassio, & non satisfactio, vt dictum est supra, dicitur compẽsatio pro iniurijs, vt excludatur gratiarum actio, quæ exhibetur pro beneficijs acceptis, quę aliquando dicitur satisfactio, dicitur etiam condigna & perfecta; quia vt quis satisfaciat ex iustitia, necesse est quod opus per quod satisfacit æquiualeat iniuriæ illatæ, aliter non erit satisfactio ex iustitia: exigit. n. iustitia æqualitatem dati, vel recepti. Ex his sequitur quod ad perfectam satisfactionem tria requiruntur. Primũ est quod illud opus, per quod aliquis satisfacit, æquiualeat iniuriæ illatæ offenso, & quod iste valor sit ab eo qui satisfacit, & non sit ab illo cui satisfacit, nam si talis valor operis nõ sit ex natura rei, sed solum, quia sic acceptatur ab eo qui iniuriam passus est, ipse videtur tunc sibi satisfecisse, & non qui iniuriam fecit. *Satisfactio perfecta tria requirit.*

Secundo requiritur, quod offendens satisfaciat ex proprijs: quia si ex alienis satisfacit iam alij satisfacerent, & nõ ille. & maxime si satisfaciat ex proprijs illius, quem offendit, & cui satisfacere intendit.

Tertio requiritur, quod satisfaciat ex alias indebitis, vnde si quis deberet alicui equum, & inferret illi iniuriam, non satisfaceret illi per equum alias debitum, hæc enim satisfactio perfecta est rigorosa, vel de rigore iustitiæ, vt supra diximus.

Satisfactio imperfecta est, cui aliqua ex his tribus conditionibus deest, & dicitur imperfecta non quia animus offensi non sit perfecte placatus; sed quia non est secundũ omnem rigorem iustitiæ, sed aliqua ex parte nititur liberalitati offensi, quia sic voluit placari, & hæc satisfactio imperfecta dici potest ad æqualitatem & ex iustitia; quia dum quis satisfaciendo æquiualet per opus iniuriæ illatæ, siue sit alias debitum siue non, & siue valor operis sit ex natura rei siue ex acceptatione offensi, satisfacit ex iustitia & ad æqualitatem.

Cum ergo quæritur. An homo possit satisfacere Deo pro peccato cõtra eum commisso. sensus esse potest, an homo absolute satisfacere possit &c. & in hoc sensu videtur hic loqui Doct. Sub. An homo condigne possit Deo satisfacere. i. ad æqualitatem & de iustitia, & in hoc secundo sensu non ita aperte loquitur. Doct. licet ex eius dictis quid ipse sentiat possumus deducere; Nos autem quæstionem in vtroque sensu determinabimus.

Et quoad primum intellectum, fuit opinio Diui Anselmi lib. 1. Cur Deus homo, dicẽtis hominem posse Deo pro peccato in eum commisso satisfacere, posse duobus modis intelligi, priori modo ex se absque aliquo speciali auxilio, atq; ita dicit quod homo peccator non potest de peccato satisfacere Deo, quem offendit, altero modo adiuuante Christi passione, atque ita homo satisfacere potest, virtute nempe passionis Christi, quam Deus sic habet acceptam, vt propter eam quoque accepret opera nostra, quæ alioquin non essent sufficientia ad satisfactionem. *D. Anselm.*

Primum dictum probat Anselmus tribus rationibus. Prima quarum est talis. Propter peccatum aufertur Deo debitus honor, sed homo nihil æquiualens honori diuino potest Deo reddere, ergo non potest satisfacere pro peccato, consequentia patet cum maiori, & minor probatur, quia nihil habet homo quod Dei honori possit æquiualere. Secundo probatur: quia peccatum contra Deum commissum est malum infinitũ, quia est auersio a Deo infinito bono, sed homo nullum bonum potest efficere, quod sit infinitum, cum sit ipse finitus, ergo non potest Deo satisfacere pro peccato, & hæc duo argumenta concludunt, quia in operibus hominis non reperitur secunda particula posita in definitione satisfactionis, nempe æquiualentis, nihil enim habet, nec potest efficere, seu pati homo honori diuino ablato per culpam, & ipsi culpæ æquiualens. *D. Anselm.*

Tertio arguitur satisfactio est redditio eius quod non debetur per aliam causam, sed quicquid potest homo facere in Dei obsequium, & honorem debet ob aliam causam, videlicet ob beneficia creationis, gubernationis, & redẽptionis, ergo si homo contrahit peccando aliud debitum, non poterit tali debito satisfacere: quia quicquid facere potest ob causas assignatas Deo debet. Secundum dictum probat Anselmus vnica ratione, quia magis accepta fuit Deo passio Christi q̃ peccatum inacceptum vel omnium peccatorum, vel quam omnia peccata possibilia si essent simul, & numero infinita ergo peccator virtute passionis Christi adiutus potest satisfacere, & reddere Deo æquiualens pro peccato suo.

Homo de potentia Dei absoluta potuisset Deo satisfacere pro peccato absque passione Christi.

Doct. autẽ respondet ad quæstionem quoad primum intellectum gemina conclusione, quarum prima est, de potentia Dei absoluta. Secunda de lege seu de potentia Dei ordinata. Prima conclusio homo de potentia Dei absoluta potuisset Deo satisfacere pro peccato in eum commisso absque passione Christi. Probatur conclusio, quia licet Verbum Diuinum non assumpsisset carnem, potuisset tamen Deus peccatores redimere atque etiam posset homo agere pœnitentiam suorum peccatorum, & pro illis Deo satisfacere, nam possibile fuit filium Dei non fuisse incarnatum, nec per consequens passum, & cum hoc possibile fuisset Deum perduxisse prædestinatum ad Beatitudinem, & iuste, non tamen excludendo misericordiam, ergo possibile fuisset tunc pœnitentem sibi satisfecisse, quia non potest peccatorem iuste sine satisfactione beatificare. Fundamentum huius rationis est, quod omnis prædestinatus saluabitur nec aliter euenire potest propter diuinæ voluntatis immutabilitatem, talis autem prædestinatus, supposito quod verbum non fuisset incarnatum, peccare potuisset cum haberet liberum arbitriũ, & esto quod peccaret, potuisset Deus de potentia absoluta post attritionem tamquam dispositionem congruam, & meritum de congruo dedisse illi gratiam, per quam motus eius fieret contritio, atque ita per satisfactionem deleuisse peccatum, quia per actum reddentem æquiualens illi bono, quod abstulit peccatum, & per consequens potuisset satisfacere, atque satisfecisset, quia iuste beatificari non posset sine satisfactione, & confirmatur ratio per illud D. August. 13. de Trinitate c. 1. dicentis. fuit quidem, & alius modus nostræ redemptionis possibilis, videlicet absque verbi incarnatione, & passione, sed nullus nostræ miseriæ sanandæ conuenientior, ergo alia via quam per incarnationem Christi & passionem posset Deus peccatores redimere.

D. August.

Passio Christi non delet culpam nisi vt causa meritoria.

Secũdo probatur. Conclusio passio Christi non delet culpam nostram nisi vt causa meritoria, & per consequens vt causa secunda, quæ non est de essentia rei, immo reducitur ad genus causę efficientis, sed quicquid potest Deus per causam secundam efficientem potest immediate, ergo sine illa potest iuste & ordinate remittere culpam.

Respondetur ad hæc duo argumenta, quod Deus posset quidem sine Christo mediatore delere culpam viatoris, atque ita perduxisse eum ad beatitudinem iuxta primum argumentum, & immediate iustificasse iuxta secundum argumentum. Cęterum non per viam satisfactionis, quia tunc non fuisset redditum aliquod æquiualens, nunc autem est totum æquiualens propter meritum passionis Christi: nam meritum passionis Christi cum illa tali, quali satisfactione peccatoris reddit illam condignam seu æquiualentem.

Contra satisfactio est redditio æquiualentis pro æquiualente, sed homo sine Christi passione potuisset reddere pro æquiualenti æquiualens, ergo potuisset satisfacere, maior patet, & minor probatur, quia homo sine Christi passione potuisset conuerti ad Deum accepta ab illo gratia, & talis conuersio esset æquiualens auersioni, quæ fuit in peccato, nam quantum malum est peccatum auertens a Deo, tantum bonum est conuersio ad Deum ex charitate, quantum etiam bonum inesset actui meo, tantum bonum, & non plus abstulit peccatum meum, & tantum bonum potest inesse actui meo, nam peccatum non est nisi difformitas, vel carentia rectitudinis debitæ inesse actui, ergo potest inesse actui tanta rectitudo, quanta est difformitas, quia difformitas non est maior, quam fuisset rectitudo, & similis rectitudo potuisset inesse actui sequenti, quia difformitas est carentia rectitudinis debitæ inesse: si debitæ, ergo possibile est quod insit actui, & si est possibile quod actui insit, ergo est possibile quod tanta & æqualis rectitudo insit alteri actui, atque adeo potest homo exibere Deo tam bonum actum, quam malus fuit actus per quem offendit, & per consequens absque Christi passione potuisset homo satisfacere. Et si dicatur quod actus meus non sit æquiualens in bono illi malo in despicientia, nisi ille actus eliciatur ex gratia, sed talis gratia, nempe prima gratia, non daretur peccatori nisi ex merito passionis Christi, ergo &c. Maior probatur. Impossibile est sine gratia habere actum tam bonum, quantum fuit mala difformitas peccati, sed sine passione Christi impossibile est, & fuit habere gratiam, ergo &c. Maior probatur, quia actus peccati fuit malus demeritorie; ergo actus bonus debet esse meritorius, sed hoc non potest esse sine gratia, ergo impossibile est habere actum tam bonum, sicut fuit actus peccati malus, Minor patet, quia Christus meruit nobis primã gratiam de condigno; sit autem prima gratia, gratia baptismalis, & gratia pœnitentialis, idest, quæ datur per pœnitentiam, & dicitur gratia baptismalis prima gratia, quia ante illam nulla est, gratia autem pœnitentialis, dicitur prima gratia: quia in iustificatione peccatoris primo datur, & aliam non præsupponit, non autem primo eo quod sit ante omnẽ gratiam receptam quemadmodum gratia baptismalis.

Respondet Doctor, quod hæc ratio procedit de potentia ordinaria, & de lege, nos autem loquimur de potentia absoluta, secundum quam posset dari prima gratia sine merito passionis Christi, sicut animæ Christi data est summa gratia absque omni merito: nullo enim modo passio eius nec exhibita nec præuisa erat meritum respectu sibi gratiæ conferendæ, immo prius præuidebatur gratiam habiturus, quã eius passio acceptanda.

Contra adhuc conuersio satisfacientis, quæ est finita, non est æquiualens auersioni peccantis, quæ est infinita. Respondetur quod eadem ratione sequeretur hominem non posse satisfacere virtute passionis Christi, quoniam ipsa fuit finita, non enim fuit bonum increatum, sed bonum creatum, & creatura: si enim passio Christi fuisset infinita, sequeretur, quod Deus ita esset beatus amando Christi passionem, sicut amando essentiam diuinam, quod non est verum, si ergo infinitas in peccato prohiberet satisfactionem possibilem, etiam prohiberet eam posita passione Christi. Et præterea respondetur, quod si auersio in peccato est infinita ex parte Dei, a quo fuit auersio, multo melius conuersio ad Deum erit infinita ex parte ipsius Dei, in quem fit cõuersio: multo enim præstantius conuersio habet Deum pro obiecto, quam auersio: quia conuersio habet Deum pro obiecto vt prosequutio, auersio vero vt fuga.

Ad fundamenta Diui Anselmi quatenus sunt contra primam conclusionem respondetur, & ad primum dicitur, quod peccator tantum honorem Deo exhibet per conuersionem, quantum abstulit per auersionem, & ad secundũ respondetur, quod sicut conuersio ad Deum non est bonum infinitum simpliciter, ita neque auersio est malum infinitum, vna enim auersio peior est altera, sicut vnum peccatum peius est altero, cum tamen infinito nihil sit maius. Et sicut auersio est infinita secundum quid, quia auertit a Deo infinito, ita etiam conuersio est infinita secundum quid: quia conuertit ad Deum infinitum.

Ricardus. Scotus.

Ad tertium negatur, quod omnia bona nostra sint debita de lege pro beneficio creationis, gubernationis, & redẽptionis; quamuis enim Deus posset nos obligare, vt quicquid sumus, & possumus illi reddere teneremur pro istis beneficiis, ex maxima tamen misericordia, vt dicit Ric. hac d. art. 1. q. 1. ad secundum, & Doct. noster hic, nostram inspiciens fragilitatem, & bonum per difficultatem, noluit nos obligare ad tale debitum, sed dumtaxat ad obseruationem mandatorũ suorum, atque ita multa bona opera reliquit ab obligatione soluta, vt sunt opera supererogationis, pro quibus ipsi Deo possumus satisfacere pro alijs debitis contractis, quę opera, & si debeamus debito congruitatis, non vult tamen tanquã nobis parcens, vt sibi debeantur debito necessitatis nisi ratione voti, vel satisfactionis iniunctæ pro peccatis.

Homo non potest Deo satisfacere pro peccatis nisi in virtute passionis Christi.

Secunda conclusio Doct. de potentia Dei ordinata est ista. Homo non potest Deo satisfacere pro peccato nisi in virtute passionis Christi. Pro intelligentia huius conclusionis obseruãdum est, quod satisfacere virtute passionis Christi non est vt hæretici arbitrantur Christum redemptorem per suam passionem liberasse nos ab omni obligatione satisfaciendi nostris proprijs operibus, sed satisfacere merito passionis Christi est, quod opera nostra, quæ alias nullius erant valoris ex se ad satisfaciendum pro offensa in Deum commissa, modo mediante Christi passione acceptantur a Deo ad satisfaciendum pro peccatis: nec dicimus nos satisfacere merito passionis Christi, eo quod ad præsentiam nostrorum operum applicetur nobis Christi satisfactio, ita vt opera nostra sint veluti necessariæ conditiones ad consequendam remissionem pęnæ & culpæ, & nõ sint propriæ solutiones pro culpa & pœna, vt sentit quidam Michael Bayus libro de Indulgentijs capite vltimo. Homo enim per sua opera absolute & simpliciter satisfacit pro peccatis suis, sed dicimus satisfacere virtute passionis Christi, quia tota nostra satisfactio, vt docent Concilia Florent. & Tridentin. sess. 14. capitulo 8. & 9. fundatur in merito passionis Christi,

Michael.

Conc. Flor. Conc. Trid.

&

& nostra satisfactio eius satisfactioni innititur non solum, quia per illum habemus virtutem satisfaciendi, sed etiam quia nostra satisfactio propter ipsum acceptatur, & vt rationem iustitiæ participet in eius satisfactione funditur. Hoc supposito probatur conclusio, opera nostra secundum se sine Dei acceptatione non sufficiunt ad satisfaciẽdum Deo, Deus autem non acceptat opera nostra nisi per gratiam nobis infusam ex merito passionis Christi magis gratæ Deo, quam sint ingrata nostra peccata, ergo de potentia ordinata homo nequit satisfacere nisi virtute passionis Christi.

Nam Deus de potentia ordinata non disposuit alicui dare primam gratiam nisi in virtute meriti illius, qui erat sine peccato, s. Christi, quia non disposuit sibi reconciliare inimicum, nisi propter obsequium magis gratum, quam offensa eius erat sibi displicens, & tale obsequium est passio Christi, vel meritum eius, & sicut disposuit non dare gratiam peccatori sine Christi passione, sine qua gratia nulla potest esse satisfactio omnino, quia nec æquivalens aliquo modo, quia nec simpliciter. i. ex natura rei, vt patet, nec in diuina acceptatione, quia opera nostra non sunt Deo accepta sine gratia, ita sequitur, quod de potentia ordinata non est possibile satisfieri Deo de peccato nisi in virtute passionis Christi.

Homo an supposito gratia possit ad æqualitatem, & de iustitia Deo satisfacere

Quo ad secundum, an. s. supposita gratia, quæ peccatori ex merito passionis Christi confertur homo possit Deo satisfacere ad æqualitatẽ, & de iustitia. Pro solutione dico primo, quod secundum strictum rigorem iustitiæ nullus peccator neque in virtute sua, neque passionis Christi potest satisfacere pro peccato, primo patet ex dictis. s. quod non possit satisfacere virtute propria, secundũ probat Durandus in 4. d. 15. q. 1. quia quicquid erat in Christo secũdum humanam naturam erat obligatum Deo, & ei debitum, ideo non potuit esse satisfactio de condigno secũdum strictum rigorem iustitiæ, (ita n. meo iudicio loquitur Durandus) pro quocunque peccato, considerando naturam operis, vel rei, sed solum secundum gratuitam Dei acceptationẽ, tum ẽt quia passio Christi non fuit tãta, quãta est pęna infernalis, quæ tñ debetur peccato mortali secundum rigorem strictæ iustitiæ, atque adeo non fuit satisfactio præcise ex natura operis.

Durandus.

Dico secundo, quod opera quibus Deo satisfacimus pro peccatis, quatenus à gratia procedunt & gratia informãtur proportionem habent, & condignitatem aliquam ad satisfaciẽdum, vt tamẽ sint infallibiliter satisfactoria, & remissiua pęnarũ alterius vitæ habent ex lege & promissione Dei de condonanda tali pœna sub conditione talis operis atque adeo, vt docet Concil. Trid. sess. 14. c. 8. necessaria est Dei acceptatio ad nostram satisfactionem.

Con. Trid.

Dico tertio opera nostra esse satisfactoria de iustitia, & de condigno pro illa pęna purgatorij, quæ per se respõdet peccato non plene remisso, patet ex Concil. Trid. vbi supra definiente nos eodem modo satisfacere apud Deum sicut mereri, ergo sicut meremur de condigno, etiam satisfacimus, ad meritum autem de condigno nihil aliud requiri potest, quã dignitas operantis, proportio operis, & promissio Dei sub conditione talis operis, ex hac. n. promissione si opus exhibeatur, oritur debitum seu obligatio iustitiæ, vt 18. & 19. d. 3. ostendimus, sed hæc omnia concurrunt in satisfactione nostra, concurrit. n. dignitas personæ per gratiam, & proportio operis, atq; promissio Dei, ergo nihil deest huic satisfactioni, quo minus de condigno sit. Et confirmatur, nam qui subijt pęnam lege statutam eo modo, quo ex legislatoris volũtate posita est, condigne satisfacit tali legi, sed nũc ex lege diuina non est absolute imposita peccatis nostris pęna purgatorij, sed quasi sub disiunctione. i. vel illa in vita futura, vel aliqua moraliter proportionalis in hac via, ergo qui alterum illorum facit, satisfacit legi Dei, ergo de iustitia, & de condigno, sed de hac materia diffusius disputatum est a nobis in 3. d. 20. Vide ibi.

ARTICVLVS III.

Vtrum Opus per quod satisfactio fit debeat esse pœnale.

Sotus.

De hac re est duplex opinio. Prima est Soti, qui d. 19. q. 2. art. 1. existimat quodcũq; opus meritorium quantũuis delectabile vt comedere, bibere &c. esse satisfactorium, cuius fundamentum est. Quia multa opera delectabilia sunt meritoria gratiæ, & gloriæ si referantur in Deum, vt esus & potus, 1. Corint. 10. siue comedatis, siue bibatis omnia in gloriam Dei facite, ergo huiusmodi opera erunt satisfactoria pro pœna purgatorij, patet consequẽtia a maiori ad minus, plus. n. est gratiam augere quam pęnam minuere. Præterea actus dilectionis Dei super omnia non est pęnalis, & tñ est satisfactorius, vt patet Lucæ 7. de Magdalena, Dimissa sunt ei peccata multa quoniam dilexit multum. Item si secundũ opus pęnale esset satisfactorium, sequeretur, quod opus magis pęnale, esset magis satisfactorium, quod est falsum, quia intemperato magis pęnale est ieiunium, quam temperato, & illiberali seu auaro est magis penale dare eleemosynam, quam liberali, & tñ non est magis satisfactorium, alias temperatus consequeretur detrimentum ex virtute. Deinde quãto opus præcedit ex maiori charitate, tanto est magis satisfactorium, charitas. n. non extenuat, sed auget satisfactionem, & tamen est minus pęnale, quia libentius fit &c.

Alex. de Ales. D. Bonau. Ricardus. Scotus. Durandus. Gabriel. Adrianus. Almaym.

Secunda Opinio est Alex. de Ales. 4. p. q. 34. m. 2. art. 2. D. Bonau. d. 15. q. 3. Ric. eadem. d. art. 1. q. 3. Scoti hac q. artic. 3. Durand. q. 5. Gab. d. 16. q. 1. Adrian. de satisfactione art. vlt. & Almayn. hac. d. q. 1. hi omnes affirmant satisfactionem fieri per opus pęnale. Pro veritate tamen elucidanda obseruandum est primo, quod sicut datur duplex pęnitentia. s. interior, quæ est displicentia de peccato commisso, & exterior q consistit in multis operibus pęnalibus, ita duplex est satisfactio. s. interior & exterior, interior est contritio, & dolor vel displicentia de peccato, & exterior quæ respicit actum confitendi, & quasdam castigationes penales.

Pænitentia duplex, ita & satisfactio.

Malum pęnæ quod sit. Bonum est triplex.

Secundo obseruandum est, quod malum pęnæ est priuatio boni delectabilis, aut vtilis, malũ. n. est priuatio alicuius boni, iuxta illud Dion. malum est ex defectu. s. boni. bonũ autem est triplex. s. honestum, vtile, & delectabile, sed malũ est duplex. s. culpæ & pęnæ. Malum culpæ est priuatio boni honesti. s. virtutis, malum autem pęnæ est priuatio aut boni delectabilis vt ieiunium, aut boni vtilis vt eleemosyna, & huiusmodi malum contingit quod sit actus virtutis, ex quo sequitur quod non dicitur pęnale quia causat pęnam, aut tristitiam, sed quia ex natura sua est priuatio boni vtilis, aut delectabilis.

Opus pęnale dupliciter dici potest.

Tertio obseruandum est, quod opus pęnale dupliciter potest intelligi, aut ratione generis operis, aut ratione operantis, loquendo de opere pœnali primo modo dicto, satisfaciẽdum est pro peccato per opera pęnalia, & propter emendationem culpæ pęnitentię & præseruationem a futura; culpæ enim debetur pęna, Pęnæ etiam secundum Philo. 2. Ethic. c. 3. medicinæ sunt. s. non tantum curatiuæ, sed etiam præseruatiuæ, loquendo autem de opere pęnali secundo modo non oportet, quod satisfactio fiat per opus pęnale, quia frequenter opera quantumuis ex suo genere pęnalia ratione feruentis charitatis in operante, sunt ei delectabilia.

Aristot.

Quarto obseruandum est, quod opus aliquod potest iterum dici pęnale dupliciter, vno modo formaliter. s. quod infert afflictionem, vel pęnam agenti interiorem. s. animæ tristitiam, vel dolorem exteriorem corpori, vt contritio, ieiunium, castigatio, labor corporalis &c. Alio modo virtualiter scilicet quando eminenter includit perfectionem operis pęnalis, & reddit hominem paratum ad subeundum passionẽ, aut laborem pęnalem, si facultas vel opportunitas occurreret, sic actus intensus charitatis Dei, licet delectet habentẽ illam, tum, quod etiam opus naturaliter pęnale erit dulce & delectabile, sicut de B. B. Stephano, Petro, Andrea, &c. scribit D. Aug. in soliloq. c. 22. quibus dulcedo & feruor charitatis, lapides torrentis & Cruces fuerunt dulces, eosq; paratissimos reddidit ad tormenta sęuissima tolleranda, attamen talis actus dilectionis Dei includit virtualiter contritionem peccatorum, non enim simul stant Deum super omnia diligere, & tamen peccatum quod contra Deum est, non odisse si in cogitatione occurrat.

D. August.

Quinto obseruandum est, quod omne peccatum consistit in hoc, quod peccans plus diligit aliquod bonum vtile & delectabile, quam Deum, & satisfactio est recompensatio pro iniuria, quæ debet fieri per actum contrarium, estq. pars pęnitentię de cuius ratione est pęnam tenere.

Satisfactio debet fieri p actum pęnalem.

His obseruatis sit prima conclusio, de ratione satisfactionis est quod fiat per aliquem actum pęnalem, consistit enim satisfactio in operationibus pęnalibus, vel passionibus voluntarijs. probatur primo ratione Scot. quia, culpa ordinatur per pęnam, & non per aliquod aliud magis bonum, quã sit culpa, ergo satisfactio late sumpta, de qua est sermo, consistit in actionibus, vel passionibus habentibus rationem

pęnæ, satisfactio. n. fit ad corrigendam culpam, quæ non corrigitur, nisi per pęnam, & confirmatur: quia satisfactio est actus iustitię, quo penitens vindicat, & punit in se diuinā iniuriam, sed vindicta proprie fit per pęnam, vnde in purgatorio licet optimos actus habeant, purgantur tamen & puniuntur pęna. Secundo probatur auctoritate D. Aug. libro de vera & falsa penitentia, (& refertur d. 6. c. t. a Magistro) dicētis sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pęnitentibus. Penitentia. n. grauiores fructus postulat vt dolore, & gemitibus mortuus impetret vitā, ex quibus verbis infert Magister, ex his ostenditur qui sint digni fructus pœnitentia, quibus vera satisfactio expletur, & qui non, nō enim omnes digni fructus, sunt digni fructus pęnitentiæ.

D. August.

Satisfactio ad triarreducitur.

Secunda concl. Opera pęnalia seu passiones voluntarię, in quib. potissimū consistit satisfactio in genere reduuntur ad triplicem actum, vel passionem, s. primo ad actum interiorē displicentiæ, qui est contritio, vel passionem tristitiæ consequentem. Secūdo ad actum exteriorem confitendi peccatū, quod est valde pęnale, vel passionem concomitātem. i. verecundiam, & tertio ad actum simpliciter exteriorem, vel passionem. i. macerationem carnis, & omnis talis maceratio continetur, vel reducitur ad ieiunium, vel ad eleuationem mentis ad Deum, quæ fit per orationem, vel ad temporalium erogationem, & hæc fit per eleemosynam.

Tertia concl. Quamuis regulariter ita sit, quod satisfactio debeat fieri per opus pœnale, aliquando tñ satisfacimus per actum feruentissimū dilectionis Dei super omnia. Probatur quia huiusmodi actus est pęnitētia virtualis, vel quia ex eo pullulat actualis pęnitentia, vel quia vt dicit *Doctor* in acceptatione Diuina æquiualet pęnitentiæ actuali, nā pōt Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita vni culpæ, nam licet non sit propria punitio, i. actualis vel formalis pęnitentia, est tamen maius bonum, & magis Deo reddens honorem, quam esset propria illius punitio vel pœna peccato correspondens.

Ad primum argumentum pro opinione Soti negatur cōsequentia & ratio discriminis est: quia satisfactio est actus recompensationis iniuriæ, quæ debet fieri per cōtrarium, ideo requirit vt qui offendit Deum delectabilius, satisfaciat priuando se aliquo delectabili, quæ priuatio est malum pœnæ, meritum autem nō est actus recompēsationis, sed obsequij, ideo non requiritur quod sit pęnalis.

Ad secundum concedo totum in sensu, 3. conclusionis, & si dicatur satisfactio non est nisi redditio honoris, sed maior honor redditur Deo, & magis honoratur per dilectionem sui, quam per alia opera pęnalia, ergo erit maior satisfactio per dilectionem Dei, quam per opera pœnalia.

Alex. de Ales.
D. Bonauen.

Respondent Alex. & D. Bonau. vbi supra, quod multipliciter sumus Deo debitores, s. ratione beneficij suscepti, aliquādo ratione præcepti, interdum ratione Dominij, & demū ratione culpæ, qua offendimus ipsum Deum. Primum debitum quod prouenit ex beneficio, soluitur per gratiarum actionem, debitum præcepti soluitur per obedientiam, debitum prouenient ratione Dominij per latriam, sed debitum proueniens ratione offensæ numquam soluitur nisi per pœnam, regulariter loquendo; licet quandoque contingat per aliquem actum egregium non pœnalem satisfieri, vt docet Doct. de actu feruentissimi Amoris in Deum.

Ad tertium respondeo, quod opera magis pœnalia considerantur dupliciter vel ex natura rei veluti flagella sunt magis laboriosa, quam ieiunium, vel ex vitio & deprauatione operantis, hoc modo est magis laboriosum ieiunium intemperato, quam temperato. Primo modo concedo quod magis pęnale est magis satisfactorium, non autem secundo modo.

Ad quartum concedo, quod opus factum ex maiori charitate est magis satisfactorium, vt dictum est in tertia conclusione, quamuis ex hac parte videatur minus pœnale, at quia est priuatio boni temporalis vtilis aut delectabilis, ideo est etiam pęnale, immo magis pœnale ad sensum supra explicatum, licet libentius fiat, quia quanto magis quis diligit Deū, tanto magis priuat se bono vtili, & delectabili separante cū ab hoc amore, nā vt dicebamus in tertio notabili, solum exigitur quod satisfactio fiat per opus ex suo genere, vel ex natura sua pœnale, sed non requiritur, quod sit actus ingerēs nobis pœnam, & tristitiam, Vnde liberalis, & ditissimus satisfacit per eleemosynam, & tēperatissimus per ieiunium, & tamen neuter his actibus contristatur.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quodlibet peccatum requirat propriam satisfactionem.

SVppositis his, quæ diximus supra de duplici satisfactione scilicet interiori & exteriori pro intelligentia huius quæstionis obseruandum est primo, quod si loquamur de satisfactione interiori impossibile est aliquod peccatum dimitti regulariter sine ista satisfactione, quoniam sine pœnitentia, displicentia & contritione peccati in qua principaliter consistit principalis pars satisfactionis nō remittitur aliquod peccatum mortale, nec sine ista dimissum est omne peccatum adultera, & omne genus peccati Magdalenæ quibus non remisit dominus peccatum sine virtute pœnitentiæ, vt ostēdimus supra & docet D. Thomas 3. p. q. 86. art. 2.

D. Thomas.

Secundo obseruandum est, quod ista pœnitentia interior vel contritio potest adeo intendi, vt sit totalis satisfactio, & quoad culpam & quoad pœnā, vt docet hic Doctor Sub. atque adeo per illam intensam aufertur totaliter reatus omnis pœnæ, quando videlicet, quis contritionem habet adeo intensam, vt sufficiat ad delendam culpam, & soluendam pœnam, nec debet esse alicui mirū de hac assertione, quia Deus plus acceptat cordis affectum, quam exteriorem actū. Respexit enim Deus ad Abel, seu ad cor eius, & deinde ad munera eius, Genes. 4. sed per exteriores actus absoluitur homo à tota pęna, ergo & similiter per cordis affectum, qui est contritio & displicentia, poterit plenarie liberari à tota pęna: quoniam vt dictum est in ea consistit principaliter nostra satisfactio.

Tertio obseruandum est, quod aliquando contritio est tā remissa, vt non sufficiat ad soluēdam pęnam temporalē correspondentem illi pęnæ æternæ, quæ per contritionem commutata fuit in temporalem, vt videtur nunc communiter cōtingere: quamuis enim contritio remissa sufficiat ad delendam culpam, & commutandam pęnam æternam in temporalem, hominemque reponendum in gratiam, tamen nō sufficit ad delendam pœnam temporalem, in quam fuit æterna commutata. Vnde si ad delendam pęnam debitā pro peccato fornicationis esset necessaria contritio intēsa, vt octo gradus, si pęnitens habeat contritionem remissam vt quatuor ad plenam pęnæ solutionem oportet illum haberi vel aliam cōtritionem, vt quatuor, vel supplere defectum contritionis, vel per alias pœnas nempe Confessionis, Orationis, Ieiunij, vel eleemosynæ, &c.

Quarto obseruādum est, quod satisfactio potest dici propria tripliciter, vno modo determinata secundum species, quæ est illa quæ correspondet aliquibus peccatis, quæ sunt eiusdem speciei, vt satisfactio quæ est pro peccatis carnis, videlicet, pro pluribus fornicationibus. Alio modo determinata secundum numerum, quia correspondet tantum vni peccato. Tertio modo dicitur determinata siue propria, ita quod ista satisfactio conuenit vni peccato, & non alteri.

Satisfactio tribus modis dicitur propria.

Quinto considerandum est, quod peccatum potest dupliciter respui, vno modo vt Dei, offensiuū, & eius Gratiæ ablatiuum, alio modo vt tale speciale peccatum, nempe superbię auaritiæ, luxuriæ, &c. si respuatur peccatum sub primo titulo, s. vt est offensiuum Dei; omnes respuitiones, vel omnes contritiones sunt eiusdem speciei, quamuis peccata differant specie, quia omnes contritiones feruntur super peccata etiā differentia specie secundum eandem rationem formalem, nempe quatenus sunt Dei offensiua, si autem respuatur peccatum, secundo modo, non omnes contritiones sunt eiusdē speciei; quia actus contritionis habitæ de peccato vt tale peccatum est, est determinatæ virtutis nimirum illius, quæ opponitur peccato, de quo habetur contritio, atque adeo vt sic diuersorum peccatorum specie, sunt contritiones diuersæ distinctæ specie, nam bene sequitur ista obiecta differunt specie, ergo actus eorum differunt specie, sed non contra. His suppositis sit.

Peccatum dupliciter respui potest.

Prima concl. Diuersa peccata secundū speciē nō requirūt diuersam satisfactionem secundum speciem. Probatur quoniam diuersorum peccatorum potest esse eadem satisfactio in specie, immo vna satisfactio. i. vna contritio sufficit ad deletionē multorū peccatorum eiusdem speciei, atque adeo falsū est, quod cuilibet peccato sit vna satisfactio propria. i. determinata, ita quod illa aut in numero, aut in specie non sit alterius

Diuersa peccata secundum speciē nō requirūt diuersam satisfactionē secundum speciem.

rius peccati satisfactoria formetur sic ratio. Eadem contritio secundam eamdem speciem, quæ est de isto peccato põt haberi de quocunq; alio maxime eiusdẽ speciei cũ ipso, ergo nulli peccato correspõdet propria cõtritio secundũ speciem.

Sed contra hanc conclusionem arguitur. Actus contritionis est actus respuitionis, seu detestationis peccati commissi, quem sequitur tristitia ipsius peccati præteriti commissi punitiua, vel actus detestationis peccati cuiuslibet est actus specialis virtutis, videtur contrariæ illi peccato, sicut actus detestandi peccatum superbiæ est actus humilitatis, & actus detestandi peccatum auaritiæ est actus paupertatis, & sic de alijs, ergo cum quodlibet peccatum sit alicuius determinatæ speciei sequitur, quod cuilibet peccato vni in numero, sed specie correspondet actus contritionis proprius, & determinatæ virtutis.

Respondetur Primo, quod ratio verum concludit, sed non contra conclusionem, quoniam conclusio non intendit negare, quin diuersorum peccatorum specie sint contritiones diuersæ specie, & per consequens, quod omnibus peccatis eiusdem speciei correspondeant contritiones eiusdem speciei, sed quod nulli peccato vni secundum numerum, correspondeat actus contritionis vnus numero.

Secundo Respondetur. Quod licet actus contritionis habitæ de peccato, vt tale peccatum est, sit determinatæ virtutis nempe illius, quæ opponitur peccato, de quo habetur contritio, & per consequens, vt sic diuersorum peccatorum specie sint contritiones diuersæ distinctæ specie, non tamen actus cõtritionis habitæ de peccato vnius speciei, vt Dei offensiuo est alterius speciei ab actu contritionis habitæ de peccato alterius cuiuscumq; speciei, similiter vt Dei offensiuo, hoc enim modo eiusdem virtutis secundum speciem sunt contritiones omnium peccatorum quantumq; specie distinctorũ, nempe charitatis, eadem enim virtus quæ inclinat ad obligandum, inclinat etiam ad abstinendum omne sibi ingratũ, charitas autem est virtus inclinans ad diligendum Deum, ergo & ad respuendum omne peccatum, quod est sibi ingratum, atque ita actus diligendi, & respuẽdi quodcumq. peccatum vt Dei offensiuum eiusdem virtutis esse videntur, scilicet charitatis.

Peccata diuersa secundum species, vel numero non requirunt diuersas satisfactiones secundum numerum.

Secunda Conclusio. *Diuersa* peccata secundum species, vel secundum numerum non requirunt diuersas satisfactiones numero, id est, quodlibet peccatum numero ab alio distinctum non requirit propriam detestationem seu contritionem ab alia numero distinctam, quia vnica detestatio potest sufficere pro omnibus peccatis: nam si quis habeat vnã satisfactionem numero de omnibus peccatis in generali ea satisfacit pro diuersis peccatis. hæc cõclusio patet ex his quæ diximus supra in materia contritionis.

Tertia conclusio. Ad hoc ꝙ satisfactio sit plena atq. sufficiens ad remittendũ culpam, & omnem pœnã illi culpæ debitã, dẽt cõtritio habere tot gradus ita ut illi gradus separatim sufficerent ad satisfaciẽdũ pro illis peccatis licet essent separata. v.g. ad satisfaciendum pro fornicatione supponatur, quod sit necessaria contritio intensa vt quatuor, & pro adulterio contritio vt sex, si penitus fornicator, & adulter habeat contritionem, vt decẽ, plene satisfacit pro vtroq. crimine simul, si vero minorem habeat contritionem tantum deerit ad satisfactionem quantum defuit ad decem gradus, atque adeo satisfactio non erit plena, sed semiplena, & notanter dixi in conclusione ad remittendum culpam & pœnam, quia licet omnis gradus contritionis, qui sufficit ad remissionem culpæ sufficiat ad remissionem culparum quarumq; simul iunctarum, non tamen sufficit ad tollendam omnem pœnam, atque adeo ad hoc quod satisfactio interior sit sufficiens ad remittendum omnem culpam, & pœnam, oportet quod sit intensior, quam ad remittendum solam culpam.

Peccati eiusdem possunt esse diuersæ satisfactiones secundũ speciem.

Quarta Conclusio. Eiusdem peccati possunt esse diuersæ satisfactiones differentes specie, vel totales, vel partiales, ꝙ totales patet, quia non est peccatum, quod non possit remitti per solam contritionem, & tunc illa sola est totalis satisfactio. v.g. Petrus, habens vnum peccatum potest habere vnã contritionem adeo intensam, quod erit satisfactio plena illius culpæ, ita ut remittetur culpa, & soluetur omne debitũ pœnæ illius culpæ. Quod plures non totales pateat, quia potest esse aliqua contritio remissa, quæ non sit sufficiens ad remittendum omnem pœnam, sed solum culpam. Tunc residuum, id est, remissio pœnæ supplebitur per opera pœnalia, quæ suppleant imperfectionem cõtritionis, vt quando quis habet displicentiam remissam de peccatis, & flagellatur pro illis, & cum hoc dicit Psal. Miserere mei Deus, Ex his tribus erit forte vna totalis satisfactio.

Ex his arguitur sic. Illa prima contritio plena, & aggregatum ex secunda contritione semiplena, & ex operibus pœnalibus supplentibus eius defectum differunt specie ad inuicem, & sunt ambæ satisfactoriæ eiusdem peccati, vel possunt esse, licet sint æquiualẽtes in acceptatione diuina, ergo eiusdem peccati sunt diuersæ satisfactiones differentes specie, ꝙ differant specie notum est, quia habent diuersa obiecta.

Cuilibet peccato correspondet propria satisfactio.

Quinta conclusio. Cuilibet peccato correspondet propria satisfactio, non tamen ita propria, vt huic peccato non possit alia satisfactio correspondere, sed ita propria, vt de facto pro tunc hoc peccatum, non habeat aliam satisfactionem.

Ex hoc infert Doctor, quod cuilibet peccato mortali correspondet satisfactio propria determinata vel ut in se distincta, vel ut aliquid virtualiter inclusum in satisfactione. Exẽplum primi, vt quando actu detestatur peccatum. Exemplũ secundi, quando aliquis habet vnam detestationẽ pro multis peccatis cum intentione, quod si occurreret memoria illorum tunc applicaret satisfactionem pro illis.

ARTICVLVS V.

Vtrum habens plura peccata possit satisfacere pro vno & non pro alio &c.

Sensus quæstionis.

PRo titulo huius quæstionis obseruandum est primo, ꝙ hæc quæstio dupliciter intelligi potest, primo modo, vtrũ mortali iam dimisso quoad culpam, possit quis satisfacere pro pœna debita vni peccato, non satisfaciendo pro pœna alteri peccato debita, & in hoc sensu non mouetur præsens quæstio, sed de ea vt sic erit sermo in secundo articulo principali huius quæstionis. Alio modo, vtrum possit peccator satisfacere pro vno peccato plene, id est, quantum ad culpam, & pœnam, non satisfaciẽdo pro altero, & iste est intellectus huius quæstionis.

Secundo obseruandum est, quod quæstio intelligi debet de satisfactione interiori, nempe de contritione per quam remittitur peccatum: nam loquendo generaliter de actu detestationis peccati, non est dubium, quin possit aliquis habere displicentiam de vno commisso peccato, & complacentiã habere de alio, atq. ita dolere de vno, & non dolere immo gaudere de alio, quærimus ergo, vtrum dolens de vno peccato, & non de alio, possit consequi remissionem illius peccati, de quo dolet, absque remissione peccati, quod adhuc complacet.

Peccatum quoad culpam non remittitur sine gratia.

Tertio obseruandum est, quod vt ex superioribus patet, peccatum quantum ad culpam non remittitur sine gratia, & charitate, gratia autem vel charitas & mortale peccatum stante lege sunt immediate opposita, ita ut omnis homo aut est in gratia, aut est in mortali peccato, & nullus est simul in peccato mortali & in gratia, etiam secundum quemcumque gradum remissum.

Gratia minima sufficit ad remissionem omnium peccatorum mortalium.

Quarto obseruandum est, quod minima gratia sufficit ad remissionem omnium peccatorum mortalium, patet quia omnis gratia gratificat, id est, facit hominem Deo gratum, & per consequens dignum vita æterna, hac enim de causa appellatur gratia gratum faciẽs, omne etiam peccatum mortale priuat peccatorem vita æterna, & reddit eum dignum æterna morte, impossibile est autem eumdẽ hominem pro eodem tempore acceptari ad vitam & ad mortem æternam, siue esse dignum, & indignum morte seu vita, quia dignus & indignus sunt prædicata contradictorie, vel saltem priuatiue opposita, quæ de eodem simul affirmari non possunt.

Homo per satisfactionem redit in gratiã Dei.

Quinto obseruandum est, quod homo recõciliatur Deo, in eiusq. gratiam redit per satisfactionem, cum enim Deus misericors sit placari potest a pœnitente, nulla vero alia via ad id commodior est, quam pro iniuria illata satisfaciendo. His obseruatis patet titulus quæstionis.

Circa quam fuit quorundam opinio vt dicit Magister in litera, qui dixerunt, quod potest homo pro vno peccato satisfacere, & non pro alio, quorum motiuum erat, quia quãdo homo habet duo debita potest satisfacere pro vno, & nõ pro altero, ergo quamuis Petrus. v.g. incurrerit duo debita ratione duarum culparum, potest pro vno satisfacere licet pro alio non satisfaciat, & potest confirmari dupliciter.

Primo, nam potest quis pœnitere de omnibus peccatis de quibus

quibus habet memoriam, & adhuc teneri aliquo peccato mortali oblito, de quo non pœnitet, non enim potest quis pęnitere, & detestari peccatum, cuius nullam habet notitiam, cum omnis actus voluntatis præsupponat actum intellectus, & tamen talis absoluitur a peccatis de quibus pœnitet, & non de alijs oblitis, ergo &c.

Confirmatur secundo. Nam esto quod Petro occurrant sua peccata successiue, & quamprimum occurrit vnum detestetur illud, quia offensiuum Dei ante quam occurrat aliud, illa detestatio primi peccati occurrentis est meritum de congruo sufficiens ad remissionem illius peccati primo occurrētis, ergo illud remittitur sed illa detestatio non est sufficiens ad remissionem aliorum, quia non occurrunt, ergo Petro remittitur per illam primum occurrens, quia per illam secundam detestationem, non remittitur peccatum primo occurrens, quia per illam secundam detestationem nō detestatur primam occurrens, ergo illa sola de congruo est sufficiens ad remittendum peccatum primo occurrens, & per consequēs vnum peccatum prius remittitur, quam aliud, atque ita vnū potest sine alio remitti.

His tamen non obstantibus dicunt omnes Doctores oppositum, nempe, quod non potest quis satisfacere, quo ad culpam de vno peccato sine alio, hoc est non potest alicui vnum peccatum mortale remitti sine alio, & maxime loquendo de potentia Dei ordinata, sit ergo pro resolutione huius difficultatis.

Prima conclusio. Homo perseuerans in proposito alicuius peccati mortalis non potest pro aliquo peccato satisfacere, patet, quia si perseuerat in proposito peccati mortalis, est Dei inimicus, si autem Deo satisfacit, est Dei amicus, quia illi reconciliatur. ergo simul est Dei amicus & inimicus, quod inuoluit contradictionem, & confirmatur. Non potest vnum peccatum mortale remitti sine alio in habente plura, ergo non potest talis vere pęnitere, de vno, & per consequens satisfacere & non de alio, consequentia patet, quia vera pœnitentia est per quam remittitur peccatum, vt dictum est in secundo notabili, antecedens probatur, quia implicat contradictionem vnum peccatum dimitti sine alio secundum legem statutam, ergo &c. Antecedens probatur, quia sequitur Petro dimittitur peccatum, ergo Petrus habet gratiam, & similiter sequitur Petrus habet mortale, ergo nō habet gratiam, atq; ita Petrus habet gratiam, & non gratiā. Prima consequentia probatur, quia sine gratia non remittitur peccatum. Secundo probatur quia gratia opponitur peccato. Secundo Probatur ex Diuo Augustino ex libro de vera & falsa pęnitentia c.9. dicente, Scio Dominū inimicū omni criminoso, quomodo ergo qui crimen restruat recipiet veniam? sine amore Dei consequetur veniam, sine quo nemo vnquam inuenit gratiam, hostis enim Dei est dum offendit perseueranter. Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus, & iustitia est, dimidiam sperare veniam, iam enim sine vera pęnitentia inueniret gratiam. Ergo impossibile est satisfacere Deo pro vno peccato remanente homine actualiter impenitente de alio peccato mortali.

D. August.

Secunda conclusio. Si homo non perseuerat in proposito peccati mortalis potest satisfacere pro vno peccato, absque eo quod satisfaciat actu, vel expresse pro alio, patet, quia sicut potest considerare vnum peccatum non considerando aliud, ita potest conteri de vno absque eo, quod expresse conteratur de alio.

Tertia conclusio. Quando homo expresse satisfacit pro vno peccato habitualiter, vel virtualiter satisfacit pro alio, patet quia si illud peccatum memoriæ occurret, de illo quoq; expresse contereretur. Secundo idem patet, quia qui conteritur de vno peccato de illo quatenus est Dei offensa, & ex consequenti virtualiter dolet de omni offensa quæ est contra Deum a se commissa, atque ita dicit Doctor, quod voa satisfactio pro vno peccato potest separari a satisfactione pro alio quoad effectum non tamen quoad affectum saltem in habitu seu virtute: dum enim pœnitens considerat vnum peccatum, & de illo pęnitet satisfacit etiam pro alio saltem habitualiter, hoc est animo promptus est, si aliud peccatum memoriæ occurreret ad pęnitendum de illo, & pro illo satisfaciendum. Ex his patet ad argumenta alterius sententię.

Ad primum dicitur, quod non potest homo satisfacere satisfactione reconciliatiua de vno peccato sine alio, & ratio assignata est in probatione primæ conclusionis.

Ad secundum dicitur, quod vel talis facit diligentiam debitam ad recogitandum peccata sua, aut non, si primum tūc absoluitur ab omnibus peccatis, quorum memoriam habet, & etiam ab oblitis, & quando dicitur respectu oblitorū nullam habet pęnitentiam, & sine pœnitentia peccatum non dimittitur, dicitur quod respectu oblitorum habet pœnitentiā in genere, licet non in specie, & in particulari. Ad hoc autem quod pęnitentia sit sufficiens dispositio ad remissionem peccatorum requiritur, quod sit in particulari respectu omnīū peccatorum mortalium in particulari cognitorum, & vltra, quod habeatur in genere displicentia omnium peccatorum oblitorum, si vero pœnitens non fecit diligentiam sufficientem ad rememorandum, & subterfugiunt memoriam aliqua peccata commissa propter sui negligentiam, tunc nullū peccatum dimittitur neque cognitum neque oblitum, & hoc secundum vnam opinionem, quam supra in materia de contritione ar. 7. retulimus, & refellimus, quoad hoc quod dicit quod necessaria est omnium peccatorum recogitatio ad contritionem, nam diximus ibi, quod non tenetur homo ante contritionem recogitare singula peccata, nec in particulari nec in specie, sed sufficit detestari omnia peccata in confuso, atque ita dicimus, quod de oblitis habetur displicentia antecedenter, nam in hoc quod peccata cognita displicent, quia contra Deum commissa sunt, etiam peccata quęcumque cōtra Deum displicent antecedenter, quia bene sequitur hoc peccatum displicet, quia contra Deum, ergo omne peccatū, contra Deum displicet, quia causalis infert vniuersalem, vt Ioannes est risibilis quia rationalis. ergo omne rationale est risibile.

Ad tertium respondetur. Quod Petrus qui detestatur primum peccatum occurrens cum detestetur illud, quia Dei offensiuum illa detestatione remittitur ei omne peccatum, quod non detestatur etiam actualiter, & ratio est, quia detestatio actualis peccati primo occurrentis continet virtualiter detestationem cuiuscumque alterius peccati, quia posita detestatione peccati, quia est Dei offensiuum, sequitur detestatio cuiuscumque peccati, quatenus est Dei offensiuum. Nam si Petrus detestatur peccatum hoc, quia est Dei offensiuum, ergo detestatur omne illud, quod cognoscit, esse Dei offensiuum, quamcito ergo occurrit Petro primum peccatum, si Petrus detestatur illud, quia est Dei offensiuum talis detestatio licet sit actualis, & particularis peccati primo occurrentis, virtualiter tamen includit detestationem cuiuscūque peccati, quod est offensiuum Dei eo quod superueniente cognitione cuiuscūq; mortalis virtute prioris detestationis sequitur alterius peccati detestatio, quia sub eadem ratione sub qua detestabatur peccatum primo occurrēs, id est, quia est offensiuum Dei, & hæc de prima parte huius quæstionis Doctoris.

SECVNDA PARS QVAESTIONIS.

IN secunda parte tractat Scotus de satisfactione proprie, & stricte sumpta de qua quatuor consideranda sunt. Primum quid sit satisfactio proprie, & stricte sumpta. Secundum per quæ opera fiat huiusmodi satisfactio. Tertium Vtrum vnicuique peccato correspondeat propria satisfactio. Quartum Vtrum satisfactio vnius peccati sit separabilis a satisfactione alterius, quæ explicabuntur sequentibus articulis.

Primus Art. Vtrum Definitio satisfactionis stricte accepta sit bene assignata.

Secundus Art. Vtrum Satisfactio proprie accepta sufficienter consistat in oratione, ieiunio & eleemosyna.

Tertius Art. Vtrum Diuersa peccata habeant diuersas satisfactiones secundum speciem.

Quartus Art. Vtrum Satisfactiones exteriores pro diuersis peccatis separatim fieri possint.

Quintus Art. Vtrum Remissa culpa per absolutionem sacramentalem remaneat pœna exoluenda per satisfactionem.

Sextus Art. Vtrum Satisfactio sit necessario facienda de alias indebito.

Septimus Art. Vtrum Per opera facta extra charitatem satisfaciamus Deo pro peccatis.

Octauus Art. Vtrum Opera satisfactoria, quæ procedunt ex meliori actu, & feruentiori sint magis satisfactoria.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum definitio satisfactionis stricte accepta sit bene assignata.

ET videtur quod non, quia vnius rei vnica debet esse definitio, definitio enim indicat rei essentiam, eadem autem res non potest habere diuersas essentias, ergo neque diuersas definitiones, sed satisfactio est vnica res, ergo non potest habere nisi vnam definitionem, definitio autem satisfactionis congrua est ea, quæ definitur a Diuo Augustino lib. de pœnitentia dicente, quod satisfactio pœnitentiæ est peccatorum causas excidere, nec suggestionibus eorum aditum indulgere, ergo definitio, quæ hic assignatur a Doctore erit superflua, & incongrua.

D. Augusti.

Pro solutione obseruandum est, quod Doctor ita definit satisfactionem proprie & stricte sumptam. satisfactio est operatio exterior laboriosa, vel pœnalis voluntarie assumpta ad puniendum peccatum commissum a se, & hoc ad placandum diuinam offensam, vel est passio seu pœna voluntarie tollerata in ordine prædicto, quod autem hæc descriptio sit conueniens, & congrua patebit explicando singulas particulas.

Satisfactionis definitio

Primo dicitur, quod satisfactio est operatio exterior, per quod excluditur actio laboriosa interior, & passio eam concomitans, vt est contritio, & tristitia eam consequens. & per actum exteriorem intelligo actum, qui fit corporalibus membris positiue vel priuatiue inferentibus pœnam corpori, & fatigationem, vt dicitur, orinue, vt peregrinatio, corporis disciplinatio, & eleemosynarum distributio. Dicitur priuatiue propter ieiunium, & abstinentiam, vbi nihil agitur sed ab actione cessatur, & per hoc etiam excluditur confessio, quæ licet organo corporali fiat, tamen breuis est, & non fatigat, oratio vero, quia perseuerantem oportet esse, laboriosa est, & attenuat vires corporales, & ideo includitur in satisfactione stricte accepta.

Secundo dicitur pœnalis, quia operationes exteriores delectabiles non habent rationem satisfactionis, vt operatio ludi (quamuis fiat secundum eutrapeliam virtutem) nõ habet rationem satisfactionis.

Tertio dicitur voluntarie assumpta, tum quia pœna inuoluntaria dicitur satispassio, & non satisfactio, tum quia si nõ esset voluntaria, non esset proprie Deo accepta, dicitur ad vindicandum peccatum, & ad placandum Deum, quoniam hæc punitio proprie accepta præsupponit remissionem culpæ, & commutationem pœnæ æternæ: nam satisfactio proprie, de qua hic loquimur, non tollit culpam, sed remissionẽ illius præsupponit, ad solam enim contritionem dispositiue, aut ad sacramentalem absolutionem (vt ex superioribus patet) reatus culpæ, & offensa Dei remittitur, & opera punitionis, vel satisfactionis, quæ sequuntur ad remissionem pœnæ temporalis ordinantur, & notanter dicitur ad puniendum peccatum commissum a se, quoniam in remissione peccatorum, quidam docent pœnam æternam in temporalem persoluendam commutari, & huius opinionis videtur esse Doctor noster Sub. sup. d. 14. q. 4 & infra d. 22. q. vnica. Alij vero docent tria inueniri ad hoc propositum loquentes videtur offensam diuinæ Maiestatis, & pœnam æternam, & temporalem in peccatore, atque id declarantes dixisse, in peccato mortali duo contineri, videlicet auersionem ab incõmutabili bono, & conuersionem inordinatam ad bonum commutabile, ex parte auersionis nascitur offensa Dei, & sequitur peccatum mortale reatus pœnæ æternæ, vt qui contra æternum bonum peccauit in æternum etiã puniatur. Ex parte conuersionis ad bonum commutabile, inquantũ est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicuius pœnæ temporalis, quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem iustitiæ nisi per pœnam.

Scotus.

Quando igitur per gratiam remittitur culpa tollitur auersio animæ a Deo, inquantum per gratiam anima Deo coniungitur, & per consequens simul tollitur reatus pœnæ æternæ, potest tamen remanere reatus alicuius pœnæ temporalis. Hæc de mente D. Tho. dicta sunt, quæ colligi possunt ex dictis eiusdem in 4. sent. in quæstione de satisfactione, pœnitentia, & satisfactione, & specialiter in 3. p. q. 86. ar. 4. Ad illam vero pœnam temporalem, de qua modo factus est sermo persoluendam, cooperatur homo in virtute (vt Doctor Sub. sent. in hac d. & q.) passionis Christi, Hoc idem Anselmus ponit lib. 1. & 2. cur Deus Homo, & propter hoc in hac satisfactionis descriptione ponitur ad puniendum peccatũ supplet temporaliter, & ad satisfaciẽdam diuinam offensam, hæc autem punitio, vel pœnalitas a quibusdam vocatur satisfactio, ab alijs castigatio, vel purgatio, in sacris literis frequenter vocatur pœnitentia. Ezechiel 18. & 33. Aliquando purgatio quemadmodum de eleemosyna dixit Angelus ad Thobiam, Thobiæ 12. & Prouerb. 15. Interdum redemptio vt habetur Dan. 4. & Prouerb. 16. verum quando constat de re non est facienda difficultas in vocabulo.

D. Thomas.

Ex his patet primo sufficientia & conuenientia huius definitionis, secundo patet differentia inter satisfactionem generaliter, & stricte sumptam. Differunt enim tripliciter Primo in hoc quod satisfactio generaliter est, quodammodo totum, cuius pars est satisfactio stricte, atque ita satisfactio generaliter consistit in ieiunio, oratione, & eleemosyna, in quibus etiam consistit satisfactio stricte, consistit etiam satisfactio generaliter in contritione, & confessione, & in alijs actibus exterioribus laboriosis, in quibus non consistit satisfactio stricte.

Satisfactio generaliter, & presse sũpta differũt tripliciter.

Secundo differũt, quia satisfactione generali satisfacimus pro peccato & ratione culpæ, & ratione pœnæ etiam temporalis, at vero satisfactione stricta solum satisfacimus pro pœna temporali, in quam (culpa dimissa) fuit pœna æterna commutata, iuxta sententiam Doctoris, vel quæ luenda remansit culpa & æterna pœna remissis iuxta sententiam D. Thom.

Tertio differunt, quia satisfactio generalis non est pars pœnitentiæ. Sed omnes partes complectitur, videlicet contritionem, cõfessionem, & satisfactionem. Satisfactio vero stricta est tertia pars pœnitentiæ distincta a contritione, & satisfactione, de qua modo agimus.

Pro solutione rationis in initio articuli positæ obseruandum est, quod ad satisfactionem completam duo requiruntur, scilicet emenda præsens pro culpa præterita, & propositum firmum in vitando futura, & hæc duo tangit D. Augustinus in notificatione satisfactionis quantum ad emendam pro culpa præterita dicit peccatorum causas excidere, non enim potest pro culpa melius emenda fieri, quam ea est dolere, & pœna præcidendo remouere, quæ cum amore sequendo perpetrauit. Quantum ad firmum propositum de futuro dicit, & suggestionibus aditum non indulgere.

Satisfactio cõpleta duo postulat D. August.

Secundo obseruandum est, quod satisfactio dupliciter considerari potest, vno modo respectu culpæ præteritæ, & ad hunc sensum intelligitur definitio Doctoris. Altero modo quatenus præseruat a futuris culpis, & ad hunc sensum loquutus est Diuus Augustin. Nec est absurdum eamdem rem diuersimode definiri secundum diuersas considerationes, sicut est in casu de satisfactione, quæ est medicina curans peccata præterita, & præseruans a futuris.

Satisfactio bifariam cõsideratur pœ.

ARTICVLVS II.

Vtrum satisfactio proprie accepta sufficienter consistat in oratione, ieiunio, & eleemosyna.

DIximus in superiori articulo iuxta sententiam Doctoris satisfactionem esse laborem, & operationem externã pœnalem, ex quo infert Doctor, quod satisfactio prout est opus externus, vel passio, distinguitur contra actum interiorem mentis, scilicet detestationem, vel passionem, nempe tristitiam sequentem, & contra actum oris nempe confessionem, & passionem concomitantem, & non consistit nisi in illis tribus operibus difficilibus, scilicet oratione, ieiunio, & eleemosyna, & in passionibus voluntatis concomitantibus ista tria opera difficilia, quod ita potest ostendi, quia ad orationem reducitur, quicquid pertinet ad partem contemplatiuam, vt meditationes, scripturarum lectiones, prædicationes. Verbi Dei auditiones, studium Theologicũ, disputationes, errorum impugnationes in moribus, & fide, &c. quæ immediate versantur circa Deum tamquam obiectum.

Ad ieiunium reducuntur, omnia corporis maceratiua ordinata ad reprimendam carnis rebellionem, vt vigiliæ, peregrinationes, vestium asperitates, nuditates, corporis flagellationes, & generaliter quæcumque corporis afflictiones.

Ad Eleemosynam reducuntur opera misericordiæ corporalis propter Deum impensa, & quæcumque erogationes bono-

honorum temporalium in pias causas, ac subleuationes miseriæ corporalis fratrum. Vnde quodlibet istorum vt docet D. Bonauentura d. 15. p. 2. ar. 1. q. 4. & Alex. de Ales. p. 4. q. 25 m. 1 accipitur tripliciter, scilicet communissime communiter & proprie. Oratio proprie est ascensus mentis in Deum ad aliquid degustandum, impetrandum, vel exoluendum. Communiter oratio dicitur secundum quod comprehendit omnem actum contemplatiuæ ad Deum relatum. Communissime secundum quod comprehendit omnem bonũ actum, quomodo dicitur, quod non cessat orare, qui non cessat benefacere, vt dicit Glossa 1. Thim. 5.

D. Bonauẽ. A. e. de Al. Oratio, ieiunium, & eleemosyna, tribus modis sumuntur.

Similiter ieiunium proprie dicitur afflictio carnis secundum gustum, vel abstinentia ab escis, & potibus, communiter omnis carnis afflictio, quæ consistit in vigilijs, & flagellis, asperitatibus, & ieiunijs propriè dictis. Communissime dicitur abstinentia ab omni mortali peccato iuxta illud Isaiæ 58. Hoc est ieiunium, quod elegi, dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes.

Similiter eleemosyna dicitur propriè opus pietatis impẽsum proximo ad releuandam indigẽtiam corporalem, communiter omne opus pietatis proximo impensum ad releuãdum indigentiam siue spiritualem, siue corporalem, communissime omne opus misericordiæ siue corporale siue spirituale impensum proximo, vel sibi ipsi secundum quod dicit D. Augustinus, quod eleemosyna debet incipere a semetipso iuxta illud Ecclesiast. 30 miserere animæ tuæ placens Deo. Hæc autem tria prout partes sunt satisfactionis accipiũtur non communissime, sic enim coinciderent, nec propriè, quia tunc non sufficienter diuiderent, sed communiter.

D. Augusti.

Sufficientia autem istorum trium potest accipi primo in ordine ad radices peccati, & hoc secundum appropriationem, de quibus, 1. Ioan. 2. dicitur. Omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, atque ita concupiscentiæ carnis correspõdet in satisfactione ieiunium, concupiscentiæ oculorum eleemosyna, & superbiæ vitæ oratio. Dixi secundum appropriationem, quia quodlibet horum valet contra omnia tria genera peccatorum, potest enim eleemosyna imponi pro peccato carnali, & spirituali similiter & oratio, aut ieiunium, vnũ ex his, vel duo, aut omnia simul secundum qualitatem personæ, vt dicemus in sequenti articulo Ieiunium tamen appropriate correspondet peccato luxuriæ, Oratio peccato superbiæ, & eleemosyna peccato Auaritiæ.

Ordo non sa. Sufficientia satisfactionis

Secundo potest sumi sufficientia in ordine ad effectum, & hoc secundum proprietatem, quia omne opus pœnale satisfactorium, vel ordinat nos ad Deum, & sic est oratio, vel ad nos ipsos, & sic est ieiunium, per quod corpus nostrum maceramus, vel ad proximum, & sic eleemosyna iuxta illud ad Timm. 2. Sobriè & iuste, & pie viuamus in hoc seculo, sobriè ad nos ipsos, iuste ad proximos, & pie ad Deum.

Tertia potest accipi secundum reconciliationẽ, quia per orationem Deo reconciliamur, sed sicut dicit Augustinus enarratione in psal. 42. si vis orationem tuam volare in cęlũ fac duas alas. scilicet Ieiunium, & eleemosynam. Iob. 12. bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna.

D August.

Quarto accipitur sufficientia per respectum ad duplicem vitam, scilicet actiuam, & contemplatiuam, quantum ad contemplatiuam est oratio, quantum ad actiuam eleemosyna, vt autem homo sit ad vtramque dispositus, sic est ieiunium.

Quinto sumitur ex conuenientia satisfactionis: tunc enim satisfactum est conuenienter, quando delinquens reconciliatus est perfecte illi, in quem deliquit, & perfecte punitur ipse delinquens corã illo. Peccator autem delinquit in Deũ, in seipsum, & in proximum Deo perfecte reconciliatur per orationem, seu per orationis humilitatem, sibi per carnis maceratione m, & proximo per eleemosynam. Item tres sunt hominis appetitus quibus delinquit, scilicet vegetabilis, sensibilis, & rationabilis, contra appetitum vegetabilis est ieiunium, contra appetitum sensibilis eleemosyna, & contra appetitum rationalis oratio. Et hoc dico quantum ad partem inferiorem rationis. Appetitus vegetabilis refertur ad corpus, rationabilis ad animam, & sensibilis ad vtrumq. Vnde ieiunium ad corpus, oratio ad animam, & eleemosyna ad vtrumque refertur. his ergo tribus perfecte, & totaliter affligitur homo, atque adeo perfecta fit & vtilis reconciliatio, propter quod conuenientissime per ista tria distinguuntur tres partes satisfactionis.

Item, id quod proximum est ad vitam, est saluatio vitæ, atq; adeo vita manente, subtractio ab his quæ vitã saluant est ex parte carnis principalis, & prima pars satisfactionis, sed hoc est ieiunium, quare illud est principale satisfactorium ex parte carnis, cum ad eius oppositum inclinetur natura, similiter quoad proximum id, quod conducit immediate ad eius vitam, est vitam eius saluare, hoc autem principaliter fit per eleemosynam, ergo eleemosyna est principaliter satisfactoria quoad proximum, quia vero nihil magis placet Deo ex parte nostra ad satisfaciẽdum, quam recognitio peccati, & propriæ impotentiæ, & supplicatio veniæ, & hoc fit in oratione satisfactoria, ideo principaliter satisfactorium quoad Deum est oratio, atque adeo propter hoc ponuntur hæc tria principaliter satisfactoria.

Postremo potest sumi sufficientia istorum trium ex parte bonorum, per quæ satisfaciendum est: nam de bonis nostris debemus satisfacere, tria autem bona habemus secundum Philos. 1. Ethic. ca. 10. bona fortunæ, quæ vocat bona exterius, & bona corporis, & bona animæ. De bonis exterioribus satisfacimus per eleemosynam, qua comprehenditur totum id, quod expenditur in proximorum vtilitatem. De bonis corporis satisfacimus per ieiunium, sub quo comprehenditur, quicquid pertinet ad corporis afflictionem. De bonis animæ satisfacimus per orationem, sub qua comprehenditur quicquid Deo exhibetur per latriæ virtutem. Ex his patet conuenientia, & sufficientia partium satisfactionis strictè acceptæ, optime ergo dixit Doctor, quod satisfactio nõ consistit nisi in illis tribus operibus difficilibus, scilicet ieiunio, oratione, & eleemosyna.

ARTICVLVS III.

Vtrum diuersa peccata habeant diuersas satisfactiones secundum speciem.

SEnsus tituli est an cuilibet peccato actuali mortali correspondeat propria satisfactio. v. g. peccato carnis ieiuniũ. Auaritiæ eleemosyna, & superbiæ oratio. Respondet Doctor breuiter, quod licet de congruo, & per quamdam appropriationem singula satisfactionis exterioris genera correspondeant singulis generibus peccatorum, tamen de necessitate diuersa peccata nõ exigunt diuersas satisfactiones, quia potest per quamlibet specierum satisfactionis, vel per plures earum, aut omnes simul indifferenter satisfieri pro quolibet crimine.

Primum probat per illud sapientiæ 11. Per quæ quis peccat, per hæc & punietur. Cum autem sint tria genera peccatorum iuxta illud 1. Ioan. 2. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ, cuius explicationem videre potestis apud D. Tho. 1. 2. q. 77. ar. 5. & his peccatis in genere distinctis correspondent de congruo, & per appropriationem propriæ satisfactiones in genere, vt peccato carnis correspondet ieiunium, vel vniuersaliter qua cumq; maceratio carnis, magis ordinata ad reprimendum tale peccatum, quales sunt vigiliæ, peregrinationes, asperitates vestium, nuditas, & discalceatio, & generaliter quilibet labor fatigãs hominẽ, & hoc congruum est, vt qui in carne peccat, etiam in carne puniatur etiam ea satisfactio est congruentior, per quam non tantum abolentur præterita peccata, sed etiam adhibetur remedium futuris cauendis, & reprimendis, cum autem peccatum carnale oriatur ex petulantia carnis, congrue opponitur talis satisfactio, per quam non tantum punitur peccator pro commissis, sed etiam restringitur carnis petulantia, qua restricta facilius cauentur futura. Hæc autem satisfactio est ieiunium, per quod generaliter intelligitur omnis corporis castigatio, & maceratio.

D. Thomas.

Similiter peccato oculorum, quod est auaritia, respondet eleemosyna quæ animum pecuniæ tenacem, & auaritia cõstrictum dilatat ad bene faciẽdum, per eleemosynam enim dantur sua, vt restringatur appetitus posidẽdi aliena, superbiæ autem vitæ congrue respondet oratio, quæ detegit hominis infirmitatem, & naturæ humanæ imbecillitatẽ, Deiq; magnitudinem ostendens hominem superbia elatum deprimit, Deoq; reddit subiectum, hominisq; spiritũ roborat cõtra peccata spiritualia. Vnde congrue oratio correspondet superbiæ, quia oratio si vera fuerit humilitatem habet annexam, orans enim recognoscit se sibi ipsi non sufficere, atque adeo suffragia aliena mendicat orando, hoc autem recognoscere

ſcere humilitatis eſt,& repreſſiuum tumoris ſuperbiæ. Hęc autem attendant conſeſſores, vt ſecundum hoc pœnitentibus congruas ſatisfactiones iniungant, attentis confitentis circũſtantijs, vt ſtatim dicemus.

Documentũ pro confeſſoris.

Secundum patet, quia vt notat hic Doctor in aliquibus caſibus ſpecialibus non congruit prædicta correſpondentia ſatisfactionum: nam ſtat peccantem peccato auaritiæ nõ poſſe dare eleemoſynam propter ſui paupertatem, atque adeo male,& indiſcrete faceret ſacerdos imponendo pauperi eleemoſynam in ſatisfactionem pro peccato furti, quod pertinet ad auaritiam, quia pauper hanc pœnitentiam implere nequit, & tunc ſi contritio non ſufficiat pro pœnæ ſatisfactione, (nam poteſt interdum contritio eſſe adeo perfecta, atque intenſa, vt ſufficiat pro remiſſione culpæ, & omnis pœnæ,& tunc nulla aliarum requiritur) verum ſi non ſufficiat,non debet peccatum manere inultum,atq; adeo melius eſt aliam ſatisfactionem imponere, quam poſſit implere, quam omnino nullam. Et ſimiliter, ſi Pauper Agricola de ſuo labore viuens commiſit fornicationem,non eſt illi imponendum ieiunium in ſatisfactionem,quia vires eius debiles redderet,& non poterit laborare pro victu neceſſario continue acquirendo, nec poſſet eleemoſynam dare cum ſit pauper, nec etiam orare, quia oportet eum continue laborare pro victu ſuo neceſſario,at quoniam eſt ſibi labor continuus,cõſultius erit in ſatisfactionem imponere vt laborem ſuum quotidianum in Deum referat, & in remiſſionem ſuorum peccatorum ſubeat, intendens illum ad hunc finem referre, quo labore nõ minus,quam ieiunio caro domabitur, & hoc ſaltem quouſque occurrat illi opportunitas præſtandi aliquã aliam ſatisfactionem,vel alia pęnitentia moderata,vel diminuta, iuxta eius poſſibilitatem imponenda eſt illi. Conſimiliter diues qui lapſus eſt in peccatum carnis, ſi adeo delicatus eſt,vt non poſſit ieiunare , vel alias corporis macerationes, & caſtigationes propter corporis debilitatem, vel eius teneritudinem ſuſtinere non poſſit,vel nolit, non debet hæc illi imponi pro peccato carnis,quia periculum eſt,ne ob difficultatem mortaliter peccet non adimplendo pœnitentiã iniunctam, vnde melius tunc erit eleemoſynam illi imponere in ſatisfactionem , vel orationem ſi illam libentius acceptet,quam omnino nullam pœnitentiam. Vnde requiritur ait Doc.diſcretio ſacerdotis, vt non imponat alicui ſatisfactionem ſibi nimis diſconuenientem,ſed eã, quæ ſibi magis congruit,& quam forte melius adimplebit.

Ex his ergo patet , quod pro quolibet peccato, qualibet prædictarum ſatisfactionum, aut plures earum, aut omnes ſimul poſſunt rationabiliter imponi. Quod ſi plures ſimul hoc eſt ieiunium,eleemoſyna, & oratio iniungantur pro vno vel pluribus peccatis,illa integrant vnam ſatisfactionem totalem. Quod ſi vnum ex his tantum imponatur pro pluribus peccatis neceſſe eſt , ipſum tanto intenſius , vel maius eſſe, quanto pro maiori peccato,vel pluribus peccatis imponitur , vt ſit ſufficiens tollere omnem pœnam peccatis debitam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ſatisfactiones exteriores pro diuerſis peccatis ſeparatim fieri poſſent.

De hac re eſt duplex opinio,quidam enim dixerũt, quod ſi homo eſt abſolutus a peccatis , & eſt in gratia poteſt ſatisfacere prius pro vno peccato , & poſtea pro alio v. g. ſi alicui pro furto impoſita eſt eleemoſyna in pœnitentiam,& pro adulterio ieiunium, poteſt prius ſatisfacere dando eleemoſynam,& poſtea ieiunare . Diſtinguunt tamen quod ſatisfactiones, quæ fiunt in charitate pro peccatis poſſunt ab inuicem ſeparari dupliciter, vno modo actu, ita quod quãdo vnus orat non ieiunat, alio modo habitu, ita quod quãdocumque quis adimplet vnam , non habet in voto intentionem adimplendi aliam. Primo modo dicunt quod vna iſtarum poteſt ab alia ſeparari, vt exemplificatum eſt. Secundo modo dicunt, quod ſatisfactiones non poſſunt ab inuicẽ habitualiter ſeparari, quia tunc nihil valeret ſatisfactio , ex quo ſequitur ſecundum illos , quod oportet omnes ſatisfactiones debitas ad tollendam pœnam eſſe ſimul iunctas actualiter, vel habitualiter.

Secundo dicunt iſti , quod ſi pœnitens vere fuit abſolutus,& ante pœnitentiæ adimpletionem, incidit in peccatum mortale.v.g. Petro iniũctum fuit pro peccato carnis triplex ieiunium, ſed antequam triplex ieiunium adimpleuerit peccauit mortaliter , & poſtea in mortali exiſtens , tertio ieiunat, vt pœnitentiam ſibi impoſitam adimpleat,iſte talis hoc tertio ieiunio non ſatis facit idque ea probant , quod ſatisfactio quantum ad vim nominis diuinam importat acceptationem,atque cum Deo reconciliationem , at quoniam ſine gratia gratum faciente nemo poteſt placere Deo,neque eius opera acceptari , ideo nec ſatisfacere ſine gratia, & charitate. Item opera facta in peccato mortali ſunt mortua , ergo nullius ſunt valoris, atque adeo nec ſatisfactoria. Vnde conſequenter tenent , quod ſatisfactio facta extra charitatem ſcienter, repetenda eſt quaſi non facta , quia per illam nihil pœnæ peccatis debitæ tollitur , & dicitur ſcienter, quoniam ſi quis neſciret ſe eſſe in mortali, quia, ſcilicet non habet conſcientiam de mortali, & iniunctam ſatisfactionem proficeret,non tenetur ad eius reiterationem in ſoro Eccleſiæ, licet in ſoro Dei illa ſatisfactio non ſufficeret.

Cæterum hæc opinio nimis rigida, atque dura videtur. Doct. noſtro Subtili,& vt dicit Gabriel eſt plena ſcrupulis, quia vix poſſit homo ſcire probabiliter an ſatisfecerit an nõ, licet omnia ſibi claue non errante iniuncta expleuerit : imo inquit Doct. præſtat peccatoribus maioris obſtinationis occaſionem . Ille enim cui impoſitum eſt ieiuoium triũ dierum in ſatisfactionem , ſi ante impletionem ieiunij incidat in peccatum mortale , intelligat q. ſe non ſatisfacere poſtea ieiunando,occaſionem acciperet non adimplendi pœnitentiam, & ex conſequenti peccandi mortaliter , videtur enim eſſe peccatum mortale non adimplere confeſſionis pręceptum de ſatisfactione iniunctum,cum ſit tranſgreſſio præcepti eccleſiæ, & Vicarij Dei in illo actu , eſt enim ſacerdos Dei & Eccleſiæ Vicarius in adminiſtratione Sacramenti pœnitentiæ, Ideoq; dicit Scotus (ſine præiudicio tamen) quod adimplere pœnitentiam in gratia melius eſt, quia ſic non ſolum pro pœna ſatisfacimus, ſed etiam augmentum gratiæ, & reconciliationis meremur , ſi vero voluntarie adimpleamus pœnitentiam, in peccato mortali non quidem merebimur gratiam , poſſumus tamen taxatam ſoluere pœnam quantam debemus ad pœnitentiam implendam.

Scotus. Gabriel.

Dicit etiam, quod ſi in peccato mortali ſubſtineatur pœnitentia ab initio,licet illa ſit tanta quanta deberetur a ſubſtinente,non ſatisfacit, quia de ratione ſatisfactionis eſt, quod ſit voluntaria, ſoluitur tamen pęna debita , & eſt ſatispaſſio vltra quam non exigitur vlterior pęna , quod ex eo patet, quia ſi pro iniuria illata Regi eſſet ſtabilita pœna abſciſſionis manus, ſi illi,qui iniuriam intulit regi etiam inuito præſcindatur manus,ſoluitur pœna debita, vltra quam ſecundũ iuſtitiam legis vlterior pœna non debet exigi, ex quo ſequitur,quod ſi quis vere abſolutus ſit a peccatis, & ante pœnitentiam adimpletam recidat in peccatum mortale in eo quod moriatur quamuis in inferno numquam finiatur pœna illius peccati mortalis in quo mortuus eſt , quia illi peccato non dimiſſo debetur pęna æterna,illa tamen pęna quæ peccatis iam dimiſſis debebatur cum ſit temporalis finietur in inferno , quia in inferno tempore finito tanta pœna eſſe poteſt , & ſolui quanta eſt debita, & ſolueretur ſi peccator non eſſet in inferno.

Ad fundamentum antem opinionis contrariæ reſpondetur,quod duplex eſt ſatisfactio, vna quæ dicitur reconciliatiua ad amicitiam,altera quæ eſt acquietatiua pœnæ ſoluendæ.Prima ſatisfactio fieri non poteſt ſine gratia,gratum faciente,quia nullus reconciliatur,& ſit Deo amicus ſine gratia, & talis non eſt ſatisfactio, de qua hic loquimur.

Satisfactio eſt duplex.

Ad ſecundam ſufficit, quod ſit voluntaria ſolutio pœnæ debitæ pro peccato prius remiſſo licet non ſit reconciliatiua ad amicitiam, & quoad hoc deficit a perfecta ſatisfactione, quæ eſt ad placandam diuinam offenſam, vel ſaltem excludit in propoſito ſatisfacientis omnem offenſam actu vel habitu,& ex hoc ſequitur,quod de peccato nouo,in quo talem ſatisfactionem impleuit non eſt iterum ſibi imponenda talis ſatisfactio,ſed tantum debet imponi ſatisfactio pro nouo peccato,quod ſuit in cauſa quod illa ſatisfactio fuerit mortua. Et cum dicitur illa ſatisfactio eſt mortua ergo &c. Reſpondetur,quod illa ſatisfactio, quam adimplet homo exiſtens in peccato mortali licet ſit mortua nihilominus eſt ſatisfactio, quemadmodum exiſtens in peccato mortali licet habeat fidem mortuam, habet tamen veram fidem,ita , licet illa ſatisfactio ſit mortua,id eſt,non meritoria,eſt tamen vera ſa-

ra satisfactio: quia est redditio voluntaria æquiualentis alias indebiti; & quia Deus non exigit amplius, quam vt peccator soluat voluntarie pœnam debitam; sed de hac materia fusius erit sermo infra art. 7.

Ex his patet solutio quæstionis. Qua quæritur an satisfactio fieri possit de vno peccato absq; hoc quod fiat de alio. Respondetur enim secundum distinctionem satisfactionis præmissam, quoniam quędam est satisfactio reconcilians & placans Deum, & quædam tantum pœnam temporalem soluens, & nec placans, nec reconcilians, & vtraq; est duplex quædam totalis, quæ totam pęnam peccato remisso debitam tollit. Quædam partialis, quæ partem tollit vtpotè, quia non est commensurata pœnæ temporali, in quam commutata est pœna æterna.

Si fiat sermo de satisfactione reconciliante dico, quod satisfactio quantum ad reconciliationem non potest fieri de vno peccato, & non de alio: quia non potest peccator reconciliari Deo quantum ad vnum peccatum, & non quantū ad aliud, vt satis ostensum est supra, &c.

Si autem sit sermo, quo ad pœnæ solutionem potest fieri satisfactio de vno peccato & non de alio, quia pęna est diuisibilis tam intensiue, quam extensiue, tum etiam quia diuersæ pœnæ diuersis peccatis determinantur etiam ab inuicem separabiles, vt maior maioribus, & plurib. peccans, & minor minoribus, & paucioribus atq; ita satisfactio diuisibilis est. Vnde remissis peccatis per contritionem, aut per sacramentum pęnitentiæ quo ad culpam, & pœnam æternam, manet reatus vel debitum pœnæ temporalis cuius pœnæ sicut pars soluitur post partem, ita per partem satisfactionis potest illi pars pœnæ. Etsi alicui auaro, libidinoso, & superbo sed pœnitenti, iniungantur ieiunium pro peccato carnis, eleemosyna pro peccato auaritiæ, & pro peccato superbiæ oratio. Ieiunium satisfacit pro peccato carnis, & non auaritiæ, & eleemosyna pro peccato auaritiæ, & nō superbiæ, & posito quod satisfactiones iniunctæ pro distinctis peccatis sint præcisè commensuratæ pœnis distinctis peccatis debitis, si moriatur completa parte satisfactionis, si ieiunio, & oratione, sed non eleemosyna satisfecit pro peccato carnis, & superbiæ, ita qd de illis non oportet pati in Purgatorio, & non satisfecit pro peccato auaritiæ pro quo oportet soluere pœnam in purgatorio, sicut si satisfactionē vni peccato debitam partim soluisset non totam, partem non solutam soluere oportet in purga-

Scotus. Richardus. torio. Hæc est sententia Doct. nostri Sub. & Ric. hac d. art. 1. quæst. 5.

Demum si sit sermo de satisfactione nō reconciliante, dico conformiter ad Doctorem, quod potest fieri satisfactio pro vno peccato, & non pro alio, vt patet in recidiuante, qui implendo iniunctam pęnitentiam post recidiuam satisfacit pro peccato prius commisso absq; satisfactione pro peccato recidiuæ, loquendo etiā de partiali satisfactione siue insufficiente quo ad pœnam manifestum est, quod sicut per eam pars pœnę, & non tota soluitur: ita etiam pœna vni peccato debita solui potest absq; solutione pœnæ alteri peccato debitæ, & hæc de litera huius quæst. circa quam sunt aliqua dubia quæ explicabuntur sequentibus articulis.

ARTICVLVS V.

Vtrum Remissa culpa per absolutionem sacramentalem remaneat pœna exoluenda per satisfactionem, &c.

DE hac re fuit hæresis Lutheri asserentis, quod dimissa culpa per absolutionem nulla remaneat soluenda pœna per satisfactionem; an enim inter alia quod Christus in sua passione abunde satisfecit pro nobis, ergo illi facit iniuriam, qui aliam satisfactionem dicit esse necessariam; hoc enim est dicere passionem Christi fuisse insufficientem, & tamen nos indigere nostrarum satisfactionum, ex qua hæresi nata est altera, Purgatorium de medio tollens: animæ enim egressæ de corporibus in peccato mortali, descendunt ad inferos, quæ vero culpa remissa egrediuntur in gratia, cum nihil pœnæ restet soluendum, recta via conscendunt in cœ-

Alphonsus de Castro. Vega. Corduba. Sotus. Bellarmin. lum, de quibus legite Castrum contra hæreses verbo pœnitentiam, Vegam in Concilium Triden. lib. 13. cap. 36. 37. & deinceps, Cordubam de indulgentijs, quæst. 1 & 2. Sotum. d. 19. q. 1. artic. 1. & 3 & Bellarm. lib. 4. de pœnitentia capite 2. Vnde pro huius quæst. explicatione duo enucleanda sunt; Primum culpam à pœna necessario distingui; Alterum quomodo remissa culpa communiter remaneat pœna diluenda, & non semper cum culpa tota dimittatur pœna.

Quo ad primum ex Sacris scripturis non obscure colligimus culpam distinguendam esse à pœna, & econuerso, nam apud Hierem. Tren. cap. 5. Legimus Patres nostri peccauerunt, & non sunt, & nos iniquitates eorum portauimus, hoc loco iniquitas facienda à filijs non pro culpa, sed pro pœna accipienda est, testante Domino per os Ezechielis. c. 18. filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij super eum, horum verborum veritas referenda est ad culpam, nec alium sensum habere possunt verba. Ezech. sicut videre licet per testimonium Hierem. iam adductum.

Item num. 14. legitur, quod filij puniuntur 40. anni pro peccato patrum, & sermo formaliter est iste, filij vestri erunt vagi in deserto 40. annis, & portabunt fornicationem vestram, hic de pœna fornicationis; non autem de culpa scriptura est intelligenda iuxta vaticinium Ezechielis paulo ante recensitum; huc pertinet illud Leuit. 10. Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco Sancto, quæ Sancta Sanctorum est, & data vobis, vt portetis iniquitates multitudinis, & oretis pro ea, Nota verba, vt portetis iniquitatem multitudinis.

His accedit & illud Exodi 24. Portabitq. Aron iniquitates eorum, qui obtulerunt, & sacrificauerunt filijs Israel, sed ad hoc negotium explicandum clarum est exemplum 2. Reg. 12. Vbi legitur Dauid peccasse, quia fecerat inimicos blasphemare nomen Domini; Idcirco filius paruulus ob id mortuus est, quemadmodum ibidem testatur scriptura, & c. vltimo eiusdē libri, Peccante Dauid numeratione populi multi perierunt plaga pestilentiæ, & in eodem lib. c. 21. Saul occiderat Gabaonitas, & populus tamen propter eam famis penuriam passus est. Nonne Amalechitæ restiterunt populo ascendenti de Ægypto Exod. 17. & tamen posteri post longum tempus puniuntur iussu Domini, sicut patet 1. Reg 15. imò punitus est Saul; quia pepercit Regi eorum. Postremo facit ad hoc, quod Dominus dixit Exod. 20. Ego Dominus sum, & Zelotes visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, & in manet incōcussum, & verum Ezechielis Vaticinium, filius non portabit iniquitatē Patris, &c. atq; adeo vt contradictio omnino deleatur in Sacris scripturis necesse est illa distinctione vti nam supra dicti luerunt pœnas, non autem peccantium culpas, ergo illa duo ab inuicem distingui, & separari perspicuum est.

Quo ad secundum. Non erit difficile ostendere testimonijs veteris, & noui testamenti post remissionem culpæ remanere quidpiam pęnarum ad purgationem; & primo notissimum de hoc est exemplum de Propheta Dauid, cuius Dominus transtulerat peccatum ad testimonium Prophetæ Nathan, & tamen punitus est in filio paruulo, sicut euidentissime ostendit Scriptura. 2 Reg. c. 12. Immo cætera eidem comminata per dictum Prophetam in pœnam peccatorum contingerunt. c. 13. describitur pœna inflicta domoi Dauid, ratione homicidij commissi in Vriam, & 14. narratur pœna ratione adulterij perpetrati in Bersabe.

Aliud exemplum de ipso Dauid ad propositum declarandum habetur. 2. Reg. vltimo, seu 24. Vbi commemoratur peccatum eius, & quomodo eum pęnituit peccati sui dicens ad Dominum, peccaui, valde in hoc facto, sed precor Domine vt transferas iniquitatem serui tui, quia stulte egi nimis; sic enim sic dicendo vere dimissa est culpa delicti, teste eodem in Psal. 31. Dixi confitebor aduersus me iniquitatem meam, & tu remisisti impietatem peccati mei, post igitur dimissionem culpæ accessit ad eum Gad. Propheta in sermone Domini, & dixit de tribus datur tibi optio, &c. & Dauid magis elegit pestilentiam, ecce pœnam assignatam post remissionē culpæ, & quia hæc pœna fuerit illata pro pœna peccati Dauidici, Verba ipsius Dauid aperte ostendunt dicentis. Ego sum, qui peccaui, & ego inique egi, isti qui oues sunt, quid fecerunt, &c.

Præterea Dauid post dimissam culpam Psalm. 50. clamat miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, & secūdum multitudinē miserationum tuarum dele iniquitatem meam, Amplius laua me, &c. petit igitur, vt amplius mūdetur à peccato, & deleatur iniquitas, idq; facit postquam dictum est ei per Prophetam, Dominus trāstulit peccatum tuum. Ad eundem sensum interpretanda sunt verba Psal. 24. Vide humilitatem meam, & laborem meum & di-

mitte

mitte vniuersa delicta mea, eãdẽ expositionẽ petunt ea Verba ps.28. Ab oib. iniquitatib. meis eripe,& 29. cõprehẽderũt me iniquitates meæ,& 34. Nõ est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ,nõ est pax ossib. meis a facie peccatorũ meorũ. Qm̃ iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: in his.n. & hmõi sermo est intelligendus de pęna peccatis debita,& nõ de culpa. Innumeraq; alia ex veteri testõ adduci possent testimonia hanc veritatẽ luculenter cõprobantia, vt de peccato Moysi,& Aarõ,n 20.& de pęna imposita ne introducerẽt filios Israel in terrã promissam,& de peccato fratrũ Ioseph, q venũdauerũt eũ Ismaelitis,& de pęna, quã passi sunt in Ægypto corã Ioseph ab ipsismet cognitã, dicentib. Merito hæc patimur quia peccauimus in fratrẽ nostrũ, de peccato Marię Sororis Aaron, quæ peccato murmurationis plaga lepræ pcussa est,repẽte quoq; curata est a Dño orante Moyse,& vere de peccato murmuris ingemuisse credendũ est, & in iussu Dñi extra castra eiecta moratur septẽ dieb. N.12. Prætereo ẽt breuitatis causa exemplũ Heli sũmi sacerdotis, cui Dñs denũciauerat exterminiũ imminere pp negligentiã,qua neglexerat corrigere filios suos,cui respõdit Heli Dñs est, ꝙ bonũ est in oculis suis faciat, q̃ verba designant contriti cordis cõpunctionẽ, & tñ q̃ prædicta sunt in pęnã negligentiæ venerunt super domũ eius,& super ipsũ. Pertranseo exemplũ Iob,qui cũ esset iustus ac timens Deũ,ac recedens a malo,vt testatur principiũ vitę suæ,et multa pateretur totũ retulit ad pęnã exigendã debitã peccatis adolescentię,sicut ipse dixit c. 13. Scribis contra me amaritudines,& consumere me vis peccatis adolescentię meæ,et c. 14. Tu quidẽ gressus meos dinumerasti,sed parce peccatis meis, & ca. 9. Verebar oĩa opera mea,sciens quia nõ parceres delinquẽti. Vbi glossa, & si pęnitens ad pniam vocatur tñ peccatũ sine vltione nõ præterit Deus. Et vnũ vel alterũ testimonii adducã ex nouo testamento,& in primis extat exemplũ Zachariæ Patris Ioannis Baptistæ,de quo legitur Lucæ primo,quod propter incredulitatẽ mutus effectus est,vsq; ad circumcisionem filij, quem credimus resipuisse statim aut paulo post miraculosum ligamentum linguæ,& tamen incredulitatis pœna in eodẽ perseuerauit per nouẽ menses vsq; ad tẽpus circumcisionis filij. Secundo est exemplũ de Magdalena de qua loquens Christus Lucæ 7. dixit. Remittuntur ei peccata multa,quoniã dilexit multũ,hoc in loco secundum aliquos non loquitur de remissione culpę,quia gratis iustificatur homo Ro.3.& Gal. 2.& sicut dixit Ioan. in sua Canon. c.4. Non quasi nos dilexerimus eum,sed quia prior dilexit nos &c. Intelligenda est ergo sentẽtia Saluatoris de remissione pœnæ post dimissionem culpæ. Præterea de corinthio incestuoso,& reconciliato inquit Apostolus 2. Cor. 2. Nam & ego, quod donaui, si quid donaui propter vos in persona Christi,non.n. Apostolus donauerat culpã, quia hoc proprium est Deo effectiue, ergo intelligit de pęna,essent ẽt quãplurima alia testimonia huc conferenda,quæ breuitatis studio relinquimus, quia illa videre poterit curiosus lector apud auctores supracitatos.

His positis & explicatis. Cõclusio ergo de fide & catholica est,per absolutionem sacramentalem non semper remittitur tota pęna,sed plerumq; manet soluenda tẽporalis pęna per satisfactionem. Probatur,quia auctoritate Cõcilij Tri. sess. 6. c.14. vbi statuitur differentia inter baptismũ,& Sacramentũ pñię, ꝙ in baptismo semper cũ culpa remittitur tota pęna, at per Sacramentũ pñiæ non semper,ideoq; imponitur satisfactio,quę tertia pars est pęnitentiæ,idẽ docetur in eodẽ Cõc. ses. 14. c.8.& 4.& 12. vbi anathemate fulminat Conciliũ contrarium asserentes, idemq; definitũ est in Conc. Flor. vbi tertia pars pñię ponitur satisfactio sacerdotis arbitrio iniũcta. Legite Vegam loco citato de hac re elegantissime disserentem.

Conc. Trid.
Conc. Flor.
Vega.

Ad fundamentum Lutheri respondetur nullã iniuriã nos inferre passioni Christi Domini docentes necessitatẽ satisfactionis,quasi sacra illius passio fuerit insufficiens, docemus.n. ꝙ ab illa nostræ satisfactiones habent virtutẽ, vt dictũ fuit in 1. p. huius q. ar. 2. Voluit.n. Deus virtutem satisfactionis Christi determinari a satisfactionib. nostris, veluti quamuis post Christi passionem paruulis sit necessarius baptismus, quod hactenus etiam nobiscum fatetur, non tamen propterea Christi Domini passio probatur insufficiens, qui noluit eam aliter paruulis prodesse, quam per baptismũ applicatã.

ARTICVLVS VI.

Vtrum satisfactio sit necessario facienda de alias indebito.

Scotus.

DE hac re sunt duæ opiniones, prima est Doc. qui vt visũ est in litera huius q̃stionis adeo existimauit esse necessariũ,vt satisfactio fiat de alias ĩdebitis, vt nõ dubitauerit illud ponere ĩ definitione satisfactionis,sequũtur Doc. Dur. d.15. q.1. ad 1. Gab. d.16. q.2. notab. 1. Pal. d.15. ar. 2. Maior q.2. du. 1. Almay. q.1. Capr. d.15. q.1. ar.3. presertim ad 4 cõtra quartã conclusionẽ,& fauet D. Th. 9 ar. 2. ad 3. cũ inquit, quadã mẽsura est hõi adhibita, quæ ab eo requiritur. s. adimpletio mãdatorũ,& super ea põt homo aliquid erogare, vt satisfaciat. Fundamentũ est, ꝙ nõ põt quis satisfacere duplici debito eadẽ solutione, q2 iã nõ esset æqualitas iuxta doctrinã Anselmi li. 1. cur Deus homo c.14. vbi ait, nos non posse satisfacere Deo ad æqualitatẽ, quia oĩa, q̃ illi offerre possumus ei debemus, ergo si opus est debitũ ex pcepto, nõ põt eodẽ solui debitũ pro peccato. Oppositã sñiam tenet Caiet. to. 1. opusculorũ tra. 6. q.1.& Sotus d.19. q.2. ar.1. & Naua. d.6. de pęnitẽtia c.1. n.40. vsq. ad 45. Probatque quia eodẽ martyrio satisfacit Martyr præcepto de subeũdo martyrio in casu vrgẽtis necessitatis,& oĩbus ẽt pęnis debitis propter innumera peccata a quibus per martyrium liberatur. Secundo quia ieiunio satisfacit homo pro pœnis debitis,& si tale ieiunium alioqui ex præcepto debeatur aliter.n. male faceret Papa præcipiendo ieiunium, quia redderet illud minus vtile. Et confirmatur, quia multo melius satisfacimus pro pœnis debitis per ieiunium impositum a confessore, quam ieiunijs liberis, ergo per ieiunium alioqui ex præcepto debitum impositum a cõfessore in pęnitentiam possumus satisfacere. Tertio quia vno ieiunio satisfacimus pluribus debitis, vt patet in ieiunio feriæ 6. quatuor temporum quadragesimæ, quod debemus ex voto nostræ Regulæ, & Ecclesiæ præcepto, ergo satisfactio ex alioqui debitis fieri potest. Eamdem sententiam tenet Vega li. 13. c. vltimo circa finẽ & Medina C. de satisfactione. q.4

Durand.
Gabriel.
Paludanus.
Maior.
Almayn.
Capreolus.
D. Thomas.
D. Anselm.
Caietanus.
Sotus.
Nauar.
Vega.
Medina.

Pro huius difficultatis discussione sit prima conclusio. Opera alias debita ratione præcepti si efficiantur in gratia sunt satisfactoria, patet quia martyrium tolleratum etiam quando est sub præcepto remissionem obtinet omnis pęnæ. Iniuriam siquidem facit Martyri (inquit D. Augu.) qui orat pro martyre,& de his operibus debitis ratione præcepti vera est opinio Caiet. & Sot. & aliorũ, neq; dissentit ab alijs Doctor, cum dixerit in ista quæstione, quod per contritionem Deo satisfacimus,& supra d.14. q.1.& 3. docuerit, contritionẽ,& confessionem ex præcepto diuino deberi,& in ista quæstione dicit etiam Scotus, quod Pauper est consulendus quod laborem, quẽ substinet quotidianum pro victu acquirendo, referat in Deum pro remissione,& satisfactione peccatorũ, ex quo colligitur, quod secundum Scoti sententiam satisfactio fieri potest per opera quæ alia ratione debentur contritio.n.& confessio ex præcepto debentur, quæ docet Doctor in ista quæstione satisfactoria esse,& laborem quotidianum pauper debet substinere pro denario & mercede diurna, & tamen dicit Doctor inducendus est pauper vt laborem illũ referat in Deum pro satisfactione peccatorum,& infra d.27 q.1. in responsione ad vltimum habet hæc verba. mors voluntarie accepta est pęna sufficiens pro pœna cuiuscumque peccati venialis,& forte pro magna parte pęnæ debitę ꝓ mortalib. dimissis, nec obstat ꝙ est pęna necessaria, q2 aliquis põt necessariũ volũtarie acceptare, hæc ille; quapropter si generur homo, q dẽt pro delictis capitalib. subire sñiam iudicis, hic tenetur sm̃ sñiam in eũ iuste latã, subire mortẽ, & iñ hic est alias debitor mortis ꝓ originali peccato, cũ hoc tñ satisfacit ꝓ peccato illo, pro quo plectẽdus est, ac ẽt pro magna parte pęnæ debitæ pro alijs peccatis dimissis, vt dicit Doc. ergo sm̃ ipsũ põt quis satisfacere ex alias debitis. Vnde Cõci. Tri. sess. 14. c.9. declarauit tantã esse diuinę munificentiæ largitatẽ, vt non solũ pęnis sponte a nobis pro vendicando peccato susceptis, aut sacerdotis arbitrio impositis, sed ẽt temporalibus flagellis a Deo inflictis,& a nobis patiẽter tolleratis apud Deũ Patrem per Christum Iesum satisfacere valeamus.

D. August.
Conc. Trid.

Secunda concl. Nõ possumus satisfacere ꝓ vno peccato p opus alias debitũ ꝓ alio peccato. v.g. si iposita esset alicui peregrinatio ad S. M. Laur. pro adulterio, & iterũ imponeretur illi alia peregrinatio nẽpe ad S. Iacobũ pro Apostasia a fide, talis nequiret satisfacere p vnã peregrinationem tm̃ pro illis duob. peccatis, q̃ in pñiam duorũ peccatorũ illi imposita fuere, vna.n. peregrinatio est debita ꝓ adulterio, & altera ꝓ Apostasia a fide, patet quia satisfactio est actus iustitiæ, cum sit redditio debiti, ergo nõ possumus vnico actu satisfacere duplici obligationi iustitię,& ĩ hoc sẽsu vera esse opinio D. et sic ipse intelligendus, vt apertissime eius verba ostendunt.

Tertia conclusio. Quando sacerdos imponit pęnitentiam

est adimplenda ex alias indebitis non solum ratione præcepti,sed ex alias indebitis rõne obedientiæ.v.g.si imponitur ie iunium, non est intelligendum de ieiunio quadragesimali; & si imponitur eleemosyna non est intelligendū de eleemosyna,quę sit pauperi existenti in extrema necessitate.cū sit a-
Palud. Sotus. lias debita rõne præcepti,hæc conclusio est Palu.communiter recepta,quę sequitur Soto, quãuis inficietur Christū de eleemosyna facta existenti in extrema necessitate. Dicit.n. quod per talem eleemosynā pôt adimpleri pęnitentia iniūcta dummodo obligatio elargiendi eleemosynā superueniat post confessionem,ꝗ licet apparenter dicatur,tamen non vt deo ꝗ referat an obligatio superueniat, an præcedat confessionem dummodo sit opus alias debitum. Probatur conclusio,quia pęnitentia obligat secundū mentē sacerdotis, sed ipse semper intendit ex alias indebitis, nisi contrariū explicet: nā verba confessionis quando aliud specialiter nō exprimit iuxta communem sensum, & vsum interpretanda sunt, sensus aūt cōis,& vsus est Sacerdotē imponere pęnitentiā aliōqui liberā,& indebitā,q̄n contrariū non exprimit, ergo &c.

Quarta conclusio, quæ sequitur ex dictis. Sacerdos pôt imponere pro satisfactione peccatorū opera alioqui debita rõne præcepti,vt si imponat ieiuniū quadragesimale, vel eleemosynā &c. Patet quia vnico actu bene possumus satisfacere duplici obligationi, quando vtraq; obligatio non est rõne iustitiæ,sed vna tñ,& altera ratione præcepti,vt per ieiuniū quadragesimale a confessore impositum,pęnitēs pręcepto Ecclesiæ rõne obedientiæ, & præcepto sacerdotis ratione iustitiæ satisfacit. Vnde bene faciūt sacerdotes,qui post peculiarem pœnitentiam imponunt omnia opera facienda
Adrianus. ex præcepto. Ex quo colligit Adrianus & bene,ꝗ adimplēs pęnitentiā inter audiendā Missam de præcepto, nempe recitans septem psalmos de pęnitentia,vel coronā seu rosarium, & cætera huiusmodi satisfacit, vt qui recitat horas Canonicas,quia quemadmodum pôt alias effundere preces, potest etiam debita soluere,quod intellige dummodo ad vtrumq; attentionem habeat,& ab altero omnino non diuertatur.

Ad fundamentum cōtra primam conclusionem,dico primo,quod ad summum probat hanc satisfactionem non esse de rigore iustitię,non aūt quod non sit satisfactio simpliciter eo modo,quo in puro homine esse pôt. Dico secundo quod quando vtrumq; debitum est propriæ iustitiæ, & respectu eiusdē non pôt expleri eadē solutione eum perfecta æqualitate, at vero debitū præcepti solum est debitum obedientiæ,& satisfacere huic debito nihil aliud est, quā facere id, ꝗ iussum est, at si opus præceptū pęnale sit, ēt satisfactoriū, esse pôt & ratione iustitiæ pro pœna peccato debita satisfacere pôt.Nam præcepto satisfit per actionem bonam vt talis est,pęna vero,quæ coniuncta est actioni accidentaria est pręcepto.Præceptum.n.per se ad actum virtutis obligat, quod vero exercendo illum actum homo pęnam patiatur per se non exigebatur ex debito præcepti, atq; adeo per illam pœnam solui potest illa,qua peccato debetur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum per opera facta extra charitatem satisfaciamus Deo pro peccatis.

IN hac difficultate illud est certum,quod qui faciūt in peccato mortali pęnitentiā a confessore impositam adimplēt sacerdotis præceptum, estq; coram satisfactio sufficiēs quoad forum Ecclesiæ militantis,ita ut non teneantur eam iterare, neque amplius sacerdotis præcepto tenentur.Idq. post Do-
Nauar. ctorem nostrum Sub. probat Nauar. de pęni.d.5.c.1.n.45. quia satisfactio huiusmodi sacramentalis est,quippe que tertia pars est Sacramenti,ac per hoc satisfacit Ecclesiæ,si est in formis sicut confessio informis per quam satisfit præcepto Ecclesiæ,tum quia non solum ieiunia, & eleemosynas verū neq. orationes est solita Ecclesia iterum imponere pęnitentibus,qui eas semel soluerunt. Tum quia præceptum confessoris non obligat strictius quam Dei præceptum, sed præceptum Dei adimpletur in peccato mortali, qui.n. honorat patentes,vel sabbata sanctificat, vel reddit debitum proximo in peccato mortali præceptum adimplet,ergo præceptū confessoris adimpleri in peccato mortali valet. Tum quia sacerdotes intelligentes pęnitentem adimpleuisse pœnitentiam solliciti non sunt de inquirendo,num in gratia, vel peccato mortali adimpleuerit illam.

Secundo etiam est,certum,quod si culpa non fuit remissa pœna debita tali culpæ non potest solui per pęnitentiam factam in peccato mortali,sed neq. minui,nam cū cuilibet peccato mortali pęna debeatur sempiterna,& sempiternum nequ ͨ transiri neque finiti possit,euidenter infertur,quod pœna debita pro peccato mortali non dimisso non potest exhauriri per quæcum q; opera nostra facta in peccato mortali,sed neque minui, quia peccato non dimisso homo semper manet reus æternæ pœnæ.

Controuersia est autem,An pœnitentia impleta in peccato mortali sufficiat ad soluendam pœnā pro peccatis dimissis debitam. Ale.de Ales.p.4.q.23.m.4.ar.1.existimat per o- Ale. de Ale.
pera facta in peccato mortali nullam pęnam exolui. Eum sequitur D.Bonau.d.15.p.1.ar.1.q.3.D.Tho.eadem d.q.2.ar.2. D. Bonau.
Rich.eadem d.art.1.q.5.Henr.de Gandauo quol.8.q.18.D. D. Thomas.
Anton.3.p.tit.14.c.20.§.2.Caiet.q.2.de satisfactione, & Sotus d.19.q.1.ar.4.Probaturq. ista sententia,opera facta in peccato mortali sunt mortua,ergo non deseruiunt ad satisfactio- Richard Henric. de Gand.
dum alioqui quoad hoc essent viua. Secundo opertibus no- D. Anton.
stris neque meremur neque satisfacimus nisi virtute passio- Caietanus. Sotus.
nis Christi,sed passio non prodest existentib.in peccato mortali, ergo opera facta in peccato mortali non prosunt ad satisfactionē. Tertio Deus odio habet peccatores, iuxta illud psal.odisti oēs qui operatur iniquitatē, quod intelligi habet quoad bona illa,quæ ad gratiam,& gloriam pertinent,nam quoad temporalia bona et peccatores diligit Deus,cum multa bona illis largiatur,cū ergo remissio pęnæ debitæ pro peccatis pertineant ad bonum gloriæ,sequitur,quod non satisfaciat homo existens in peccato mortali pro tali pœna, neque Deus illā remittit. Quarto inter nos,& Deum non est iustitia vera nisi ex eius acceptatione, sed opera facta in peccato mortali non sunt Deo accepta,ergo per illa nō satisfacit homo Deo de iustitia. Quinto ex gratia Dei pęna æterna debita pro peccato mortali fuit commutata in temporalem,ergo talis pęna temporalis in Dei gratia est exoluenda, & confirmatur ex illo Cor. 13. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam,charitatem autem non habuero nihil mihi prodest,ergo opera facta in peccato mortali non prosunt ad satisfaciendum,alioquin multum prodessent,quod est contra D. Paulum,& confirmatur. Secundo ex Conci. Trid.sess.14.c.8.&
canon.13.& 14. Vbi definit satisfactionem hanc non esse o- Conc. Trid.
pus nostratum virium, sed esse opus gratiæ datæ per Christum Iesum a quo omnia nostra sufficientia est. Nam qui ex nobis (inquit)tamquam ex nobis nihil possumus cooperante qui nos confortat, omnia possumus, vt omnis gloriatio nostra in ipso sit,in quo viuimus,in quo mouemur,in quo satisfacimus,facientes fructus dignos pœnitentiæ,qui ex illo vim habent,ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptā rura patre,ex qua definitione quidam dicunt hanc opinionem adeo esse certam,vt contrarium non possit probabiliter defendi. His tamen non obstantibus.

Oppositam sententiā tuetur Doc noster Sub.affirmās per Scotus.
pęnitentiā factam in peccato mortali posse exolui pęnā quæ debetur post peccatum dimissum,vt visum est sup.ar.4.neq. hanc Scoti sententiam solus Gabriel sequitur, vt dicit Sotus loco supracitato, neq. ab omnibus cōmuniter est explosa, vt falso dicit Valentia,dispu.7.q.14. de satisfactione puncto 3. Sotus.
nā præter Gabrielem d.16.q.2.& in Cano. Ecce.56.sequūtur Valentia. Gabriel.
Doctorem Ioan.Maior d.15.Adria. in 4. in materia de satis- Maior
factione q. illa An vnum peccatum possit sine alio remitti, Adrianus.
Almayn.d.15.q.1.Gerson in regulis moralibus titulo de pę- Almayn.
nitentia,& de oratione p.2.vbi de oratione pont plures modos,quibus oratio innititur, & satisfactoria compensatio, & Gerson.
quod procedit quandoque procedit ex fide informi & c. spe quadam. Sum. Angelica Verb. pęnitentia §. 14. & verbo sa- Angelus.
tisfactio.§.6. Vendelinus in supplemēto ad quartum Gab.d. Vendelinus
45.q.a.ar.2.conc.3.corol.4.Med.cod.de satisfact.q.2. Cord. Io Medina.
li.5.q.23.& Nau.de pęn.d.6.c.1.in principio n.46.& in eod. Cordub.
c.§.Sacerdos n.27.vsq.ad 29.Præterea Ioan.de Bassolis.d.15 Nauar.
q.1.Rubione eadē d.q.3.ar.2.conclu.4 & cæteros Parisienses Bassolis. Rubion.
nec nō Doctores Ticinēses quos refert Na.locis supracitatis.

Probatur autem hæc sententia, Qui soluit quantum debet plene satisfacit, siue id faciat amicus siue inimicus, sed post dimissum peccatum mortale solū debetur pœna temporalis pro eo,ergo potest homo illam pœnam soluere siue sit amicus siue inimicus,consequentia est nota cum minori, & maior probatur, nam si Petrus debet Ioanni centum argenteos, & eo tempore quo est illi inimicus reddit ei centum argenteos,pęnitus ei satisfacit, quia tantum dat quantum debet, nec valet responsio Soti dicentis,quod Deo nō soluitur sufficienter per opera nostra nisi ex acceptatione illius princi-

pium

pium autem acceptationis est charitas, & amicitia inter nos & Deum, ideoque opera extra charitatem facta, non sunt Deo accepta neque sufficiunt ad satisfaciendum, hæc inquā responsio non valet, nam solum procedit de satisfactione reconciliante, nulla enim satisfactio potest nos Deo reconciliare, & ad eius amicitiam perducere nisi gratia mediate, principium enim acceptationis ad amicitiam Dei est gratia, atq; adeo satisfactio non reconciliat nos Deo, nisi per gratiam, huiusmodi autem satisfactio reconcilians est contritio, seu peccati detestatio, sed non est verum de satisfactione simpliciter soluente pœnam, hæc enim satisfactio tantum requirit, quod satisfaciens soluat quantum debet, quod vtique etiam ab inimico fieri potest suppositâ promissione Dei de condonanda tali pœna sub conditione talis operis.

Secundo probatur, quod si Petrus post dimissam culpam mortalem ante solutionem pœnæ pro illa debitæ incidat in peccatum mortale, & in eo moriatur, vel iste puniendus erit tempore sempiterno pro peccato iam dimisso, vel tempore finito, si tempore infinito videtur Deus iniustus, quia ab eo qui debet temporalem pœnam exigit æternam, immo sequitur peccatum illud non esse dimissum, siquidem tam diutur na pœna exigitur pro illo, quanta pro non dimisso, si vero punitur pęnâ finita pro illo peccato dimisso, sequitur, quod aliqua pœna pro peccatis debita pôt exolui in peccato mortali. Huic rationi respondet Duran. quod dū remittitur culpa, mutatur pœna æterna in temporalem sub illa conditione, vt in gratia soluatur alioqui si perueniente peccato iterū mutatur in æternam, ita ut solui non possit, atque adeo punietur in inferno pœna infinita non propter commutationē pœnæ finitæ in infinitam, sed quia debitor est pœnæ infinitæ, ex quo non soluit pœnam finitam sub illa conditione, quam debuit, sed hoc est voluntarie dictum, & simpliciter falsum, nam vt ait Paul. ad Rom. 11. fine pœnitentia sunt dona Dei, mutatio autem pœnę æternæ in temporalem simpliciter fit, & non dependenter ex conditione aliqua futura.

Secundo respondet Sotus, quod pœna debita peccato commisso punietur in æternum, non est per se pœna temporalis numquam redeat in æternam, per accidens tamen ratione status, quia existens in inferno manet inimicus Dei, pœnā illam, quam v.g. pro homicidio debebat numquam persoluet, neque inde sequitur Deum esse iniustum, quia modus ille supplicij homicidio. v.g. debitus ex natura sua perpetuus erat, sed gratia Dei fuit, vt per remissionem culpæ fieret temporalis, atq; adeo si in charitate solueretur virtute charitatis efficaciam habebat ad soluendū, quapropter quando culpa sua homo fit hostis Dei nulla fit ei iniuria, si tamquā hostis perpetuo puniatur, numquam soluendo quod debet: nam illic nulla interuenit charitas quæ iustitiam temperet. Sed hæc responsio non tollit argumentum: nam vere, & sine aliqua conditione remissa culpa pœna æterna in temporalem commutatur, ergo temporalis pœna soluitur, & cum dona Dei sine pœnitentia sint, pęna illa peccato remisso debita, pro quocumque statu temporis erit, ergo inuitè pro ea pœna æterna exigitur, nam Deus qui semel acceptauit nō retractat, cum ergo Deus dimittendo culpam ex tunc acceptet pro satisfactione pœnam finitam, in quocumque statu pęna illa soluatur solutio erit ei accepta & satisfactoria propter præcedentem satisfactionem.

Tertio arguitur si per pœnitentiam extra gratiam impletā non solueretur pœna pro peccatis dimissa daretur occasio peccatorib. non implendi pœnitentias, & per consequens peccandi non obediendo præceptis confessorum. Respondet Sotus, quod non datur peccatorib. occasio obdurationis, immo datur occasio resurgendi quam citius, & in gratiā Dei redeundi ne iacturam faciant plurimū bonorum operum, sed non dicit Sotus, quod vt plurimum homines procliuiores sunt ad malū, & frequenter in peccatis recidiuant, vnde si crederēt pœnitentias iniunctas in peccato mortali solutas pœnis debitis peccatis dimissis non satisfacere eas, vnq; dimitterēt nec soluerent, secus autem si satisfactorias esse arbitrarentur.

Quapropter, quia opinio nostri Doctoris vē verior, & probabilior, maxime quia ex diuinis literis docemur, quod misericordia superexaltat iudiciū Iacobi 2. & quod miserationes eius sunt super omnia opera eius ps. 144. in corroborationē illius sic arguitur Deus circa homines humano modo se habet, qn id fieri pôt salua illius maiestate & gloria, sed homines admittunt solutiones debitorū factas ab inimicis, licet illos ad suā gratiam non admittant, ergo Deus cuius misericordiæ non est numerus solutionē etiam admittit pœnæ tēporalis debitæ pro peccatis iam dimissis, et ab illis, quos ad suam gratiam non admittit, cum talem solutionem possit Deus acceptare salua illius gloria, & maiestate, probabilissimum est eum tales acceptare solutiones.

Quod secūdo suadetur ex eo quod Deus admittit solutiones multorū debitorū factas ab inimicis, si quis. n. debet ex voto Religionis ingressum, vel ex iuramento ieiunium, si talis religionē ingrediatur, vel ieiunet, aut iurauit etiam in peccato mortali Deus talem solutionem voti vel iuramenti admittit, & similiter satisfacimus præceptis diuinis etiam in peccato mortali illa exequentes v.g. honorando parentes, dando eleemosynam, &c. ergo probabilissimū est, quod Deus admittit solutionē pœnæ temporalis, etiā in peccato mortali factā.

Tertio quia durū est admodum dicere eū, qui post culpā remissam, & ante solutionē pęnæ moritur in peccato mortali, ita puniri tpe æterno pro peccato dimisso, sicut pro nō dimisso, sed Sotus arguit contra. Si aliqua pęna finitur & soluitur in inferno sequitur aliquā redemptionē esse in inferno, contra id quod canit ecclesia, in inferno nulla est redēptio. Ad hoc posset dici non esse in inferno redemptionem eorū, quæ per se pertinent ad infernū qualia sunt peccata mortalia nō dimissa, & pęnę q̄ pro illis debentur: pôt tn̄ esse redēptio a pęna q̄ dētur pro peccato iā dimisso, q̄ per se nō ptinet ad infernū.

Ceterū ne admittamus esse aliquā redemptionem in inferno, Respondetur cū D. Thoma, qui hanc secundam opinionē tenet et p̄esse in 4. d. 22 q. 1. ad 5. vbi ait, & ideo aliq dicunt quod pęna cuius aliquis est debitor post dimissam culpā in inferno punietur tēporaliter: nec in sequitur quod in inferno sit redēptio, quia pęna q̄ soluitur non redimitur: hoc est, aliud est quod soluitur, & aliud est q̄ redimitur, soluitur quidē pęna redimitur aūt homo nec in redimitur qn soluitur aliqua pęna, quā dēt, sed quod omnino liberatur a captiuitate; Illud ergo quod canit Ecclesia, in inferno nulla est redemptio, non intelligitur, quod pęna non minuatur sed illius sensus est, quod semel in inferno inclusus nūquā ab illa captiuitate liberabitur.

Et si obijciatur esse inconueniens pęnā in inferno minui. Respondet D. Tho. quod pęna substantialis non minuitur nec crescit, in qua consistit damnatio. Ceterū pęna accidentalis, sicut non est inconueniens quod crescat, crescit. n. in multis, nam adhuc pęna Arrij crescit dicit D. Augu. (quod idem possumus dicere de pęna Lutheri, & Caluini) ita non est inconueniēs quod minuatur: est aūt pęna accidētalis ea, quę debetur pro peccato iam dimisso, quia per se non pertinet ad damnationem.

Et si iterū dicatur. Nulla pęna soluitur nisi virtute, & merito passionis Christi, sed passio Christi nihil prodest existētibus in inferno, ergo nullius pęnæ solutio fit in inferno, et illius, quæ debetur peccatis dimissis. Respondetur primo passionē Christi nihil prodesse illis, qui sunt in inferno quantū ad ea, quæ per se pertinent ad infernū, prodest tn̄ quantū ad pęnā temporalem quæ debetur peccato iam dimisso, quæ tamen pęna per se non pertinet ad infernū. Secundo Respondetur, quod passio Christi immediate non prodest his, qui sunt in inferno, prodest tamē mediate, quia prodesse mediate est cōmutatione pęnæ æternæ in pęnā tēporalem facta, qn peccatū mortale fuit dimissum, q̄ cōmutatio facta est virtute passionis Christi, atq; ita solutio pęnæ tpalis, quæ fit in inferno fit mediate virtute passionis Christi. Pro vtraq; aūt opinione citauimus D. Thomā, quoniā vt ait Caie. q. 2. de satisfactione, D. Tho. de hac difficultate diuersis in locis diuersam sententiam sequutus est, quod etiam affirmat Duran. loco supracitato quia vtramque opinionem defendit.

Ad argumentum pro prima opinione respondetur, & ad primum dicitur, quod opera facta in peccato mortali sunt mortua, ideoq; nihil prosunt ad beatitudinem, in qua vera vita consistit, prosunt tamen ad solutionē aliorum debitorū.

Ad secundū respondetur. Quod passio Christi nihil prodest his, qui sunt in peccato mortali ad gratiā, & gloriā, tamē falsissimū est passionē Christi nullo modo prodesse his, qui sunt in peccato mortali: nā excitationes peccatorū, & vocationes, & auxilia præuenientia ad gratiam, & conseruatio fidei, & spei ex virtute passionis Christi prouenit, quæ tamen in peccatoribus reperiuntur. Eademq; ratione dicimus Deum benefacere peccatoribus, dando illis dona ad beatitudinē remote ordinata, & per hoc patet et responsio ad tertiū.

Ad Quartum concedo inter nos, & Deum non esse verā iustitiam, nisi ex eius acceptatione, conceditur que opera facta in peccato mortali nō esse Deo accepta simpliciter, quia non

Durandus.

Sotus.

Sotus.

Sotus.

D. Thomas. Quomodo intelligitur in inferno nulla est redēptio.

D. August.

Caietanus.

Durandus.

non sunt accepta ad gratiam & gloriam, quæ sunt bona simpliciter, sunt tamen accepta secundum quid, scilicet ad solutionem pœnæ aliorum debitorum, vt dictum est, ad quam pœnam soluendam non est necessaria gratia præsens, sed est satis gratia, qua Deus vsus fuit eo tempore, quo pœnam æternam in temporalem commutauit, & eius gratiæ virtute solutionem postea factam acceptat: nam licet opera nostra extra charitatem facta nō sint meritoria vitæ æternæ, sunt tamen satisfactoria culpæ prius dimissæ: plus enim requiritur ad meritum quam ad satisfactionem, quia per meritum acquiritur vita æterna, atque adeo ad ipsum requiritur charitas actualiter ipsum informans, vt opus actu illud acceptetur tamquam remunerandum vita æterna, sed per satisfactionem solum soluitur pœna debita accepta a Deo cui debetur, quam pęnam ex quo Deus semel acceptauit videtur, quod liberatus sit, qui eam soluit, atque ita satisfactio non requirit charitatem principaliter dum fit, licet requirat præfuisse quando Deus culpam dimisit, & pœnam faciendam acceptauit, & per hoc patet etiam solutio ad quintum.

Plus requiritur ad meritum, quam ad satisfactionem.

Ad primam confirmationem respondetur, quod opera facta extra charitatem nihil prosunt, vt ait D. Paulus, debet tamen intelligi quantum ad gratiam & gloriam, id est, quantum ad amicitiam Dei, & bonorum æternorum participationem, sine quibus omnia alia bona pro nihilo reputantur, tamen non dicit Apostolus, quod opera facta extra charitatem non prosunt ad soluenda debita, atque ita D. Augustin. in libro de pęnitentia, & refertur de pœnitentia d. 3. c. vltimo dicit, quod si quis extra charitatem patiatur martyriū, tollerabilius in inferno punietur. Vnde dicit illud quod Apostolus ait. Si tradidero corpus meum ita ut ardeam &c. nihil prodesse intelligitur ad obtinendum regnum Cęlorū, non ad extremi iudicij supplicium tollerabilius subeundū: ex quo infertur, quod eadem ratione opera facta extra charitatem non prosunt ad obtinendum regnum cęlorum, prosunt tamen ad obtinenda alia bona temporalia, & ad soluendam temporalem pœnam debitā pro peccato iam dimisso.

D Augusti

Contra si propter opera facta extra charitatem, Martyr extra charitatem moriens, & alij damnati, qui bona fecerūt tollerabilius punientur in inferno, sequitur quod tot & tanta bona opera potest facere ille, qui in vno solo peccato lethali moritur, vt omnino tollatur pœna inferni, indeque sequeretur hominem, qui moritur in peccato mortali non inuari in infernum, quod est hæreticum.

Respondetur, quod ille, qui martyrium extra charitatem patitur quando vrget Martyrij præceptum tollerabilius in inferno punietur, quam si martyrium non subiret, nō quod diminuatur in illo pœna debita alijs peccatis mortalibus nō dimissis, sed eo quod martyrium sustinendo eximitur ea pęna æterna, quam in inferno sustineret propter peccatum, quod committeret si martyrium non subiret, eo tempore quo illud sustinere tenebatur, atque ita de alijs damnatis dicendum est.

Ad secundam confirmationem dico ex verbis Concilij recte vtique colligi gratiam aliquam auxiliantem ad satisfaciendum requiri, non vero sanctificantem gratiam, quæ cū peccato mortali repugnat, & lic dicas Concil. dicere, satisfactionem nullam esse propter Christum Iesum, in quo viuimus, mouemur, & sumus &c. ergo requirit spiritualem vitam. Dico quod vtique satisfactio nostra est propter Christum Iesum, quia eius merito remissa culpa pęna æterna in temporalem commutata fuit, atque adeo satisfactio nostra vitam spiritualem requirit, non quidem quando actualiter fit, sed quando Deus culpam dimisit, & pęnam soluendam acceptauit, id actum quod Deus semel acceptat nunquam retractat, cum ergo Deus per Christum Iesum dimittendo culpam ex tunc merito passionis Christi acceptet pro satisfactione pęnam finitam, sequitur quod in quocūque statu talis pęna soluatur quod sit et accepta, & satisfactoria propter præcedentem acceptationem, quæ acceptatio facta fuit per Iesum Christum & merito passionis eius, neque idē est iudicium de merito, & satisfactione, vt diximus supra. Potest etiam dici, quod cōsiliū de ea satisfactione loquitur, qua vellet omnes Deo satisfacere, nempe de perfecta satisfactione, quæ simul includit, & pro eodem tempore reconciliationem amicitiæ, & solutionem pęnæ debitæ, altera autem quæ tantum solutionem pęnæ debitæ pro offensa dimissa includit supponendo reconciliationem amicitiæ præcedentem, non refellit neque reprobat,

ARTICVLVS VIII.

Vtrum opera satisfactoria quæ procedunt ex meliori actu, & feruentiori sint magis satisfactoria.

Hanc quæstionem mouet Henr. de Gand. quol. 8. q. 18. quæ raro a doctoribus pertractatur ideo, vt de hac difficultate aliqua habeatur notitia, breuiter obseruandum est, quod in operibus satisfactorijs quadruplex est opus exterius, per quod satisfactio fieri potest, scilicet liberale, pęnitentiale, indulgentiale, & suffragale, opus liberale est quod agit quis ex propria voluntate sine quacumque iniunctione, vt ieiunium, quod quis pro satisfactione peccati libere assumit. Opus pęnitentiale est, quod iniunctum est a sacerdote, adeoq; non fit mere libere, sed ex confessarij iniunctione & præcepto. Indulgentiale opus est, quod suadetur a Pręlato, vel cui ex concessione Prælati annexa est aliqua indulgentia, sicut quibusdam diebus statutis dantur indulgentiæ visitantibus talem Ecclesiam, vel facientibus fabricæ Ecclesiæ eleemosynam; tale opus nempe peregrinatio ad Ecclesiam, & eleemosynarum elargitio est satisfactoriū de se, quia est pęnale, sed pp indulgentiam superadditam vocatur opus indulgentiale. opus vero suffragale est, q vnus facit pro alio.

Henricus.

In operibus satisfactorijs quadruplex est opus exterius.

Secundo obseruandum est, quod cęteris paribus vt docet idem Henricus opus pęnitentiale est magis meritorium quā liberale ratione clauium, & virtute Sacramenti. opus autem indulgentiale, id est, cui annexa est indulgētia potest esse interdum magis satisfactorium, & interdum minus quam pęnitentiale iuxta quantitatem indulgentiæ annexæ, posset enim indulgentia esse tanta, quod plus satisfaceret quā opus pęnitentiale, & posset esse tanta quod æqualiter, & forte tā modica quod minus, est autem opus indulgentiale magis satisfactorium, quam liberale ratione clauium.

Opus pęnitentiale est magis meritorium, quā liberale.

Tertio obseruandum est, quod opus suffragale prodest, et meritorium est tam facientibus illud, quam illis pro quibus fit, atque adeo potest fieri comparatio inter ipsos operantes. v.g. inter sacerdotes Missas celebrantes pro viuis, vel pro defunctis, vel inter ipsos orantes, vel ieiunantes, vel eleemosynas pro alijs erogantes, vel secundo inter ipsos pro quibus fiunt suffragia, vel tertio inter ipsos suffragatores, & illos pro quibus suffragia fiunt.

Opus suffragale quomodo sit meritorium.

Quarto obseruandum est, quod opus exterius procedit ex opere interiori, potest autem opus exterius esse æquale in diuersis, vel inæquale, v.g. idem opus secundum speciē procedit ex opere interiori æquali, vel inæquali, nempe ex maiore, vel minore feruore charitatis, vel ex æquali feruore charitatis in diuersis: nam opus ex virtute charitatis duplex esse habet, vnum interius, quod consistit in feruore, & deuotione operantis, & aliud exterius, quod consistit in substantia actus, quę ita se habent inter se, quod sicut opus simpliciter non placet nisi ex virtute charitatis, quia ex radice charitatis procedit, ita nec placet opus exterius plus vel minus nisi secundum feruorem maiorem, vel minorem operis interioris, ita quod nō mensuratur meritū operis exterioris tam ex substantia charitatis secundum se, quam ex feruore, & deuotione, quam elicit in opere interiori.

Opus exterius ex interiori procedit.

Postremo obseruandum est, quod aliud est loqui de merito aliud vero de satisfactione, nā pōt esse quæstio an opus procedens ex feruētiori motu charitatis, sit magis meritoriū quam sit idē opus in alio non procedens ex tā feruenti charitatis motu, vel quæri pōt, An opus procedens ex feruentiori motu charitatis sit magis satisfactorium &c. His obseruatis.

Meritum a satisfactione, differt.

Dico primo si opus interius sit in diuersis æquale, & opus exterius in singulis est liberale. i. libere assumptum, opus exterius est æqualiter meritoriū, & idē iudiciū est si opus exterius æquale in singulis est pęnitentiale, vel indulgentiale.

Dico secundo. Si opus interius sit in diuersis æquale, sed opus exterius in vno sit pęnitētiale, & in alio vel in alijs indulgentiale, tunc iudicandum est de hoc secundū quantitatē indulgentiæ, posset. n. esse tanta, quod plus mereretur quā opus pęnitentiale vel æqualiter, vel minus vt dictū est sup.

Dico tertio, Si opus interius sit æquale in plurib. & opus exterius in vno fuerit suffragale in altero vero fuerit pęnitentiale, vel indulgentiale, semper plus meretur indulgentiale vel pęnitentiale, sicut semper plus meretur quam liberale, sicut supra dictum est.

Dico quarto. Si opus interius sit inæquale in pluribus, & opus exterius in singulis erit liberale vel pęnitentiale, vel indulgentiale, seu suffragale semper plus meretur operans intensiori conatu, & charitatis feruore.

Dico quin-

Dico quinto si opus interius fuerit inæquale, & opus exterius fuerit in vno liberale, & in alio pœnitentiale, aut indulgentiale, si pœnitentiale & indulgentiale fiant ex maiori conatu, vel charitatis feruore semper plus meretur, si vero è conuerso liberale fiat ex opere interiore multo intensiore bene potest plus mereri, at si modice intensiore potest æqualiter, aut etiam minus mereri.

Dico sexto si opus interius fuerit inæquale in pluribus, & opus exterius fuerit in vno liberale & in alio suffragale, sic triplex facienda est comparatio, vt prius & in prima & secunda comparatione semper plus meretur qui ex feruentiori actu interiori operatur. In tertia vero comparatione si suffragale sit ex multo feruentiori actu in illis pro quibus fiunt, sic isti plus merentur, si in modico æqualiter, alias plus semper merentur agentes.

Dico septimo si opus interius fuerit in pluribus inæquale, & opus exterius in vno fuerit pœnitentiale in altero autem indulgentiale, & pœnitentiale fiat ex maiore feruore interius distinguendum est de opere indulgentiale vt prius, alias indulgentiale si fiat ex maiori feruore plus meretur. Si vero in vno fuerit suffragale, in alio vero pœnitentiale vel indulgentiale, tunc pœnitentiale vel indulgentiale, ex maiori feruore semper plus meretur, suffragale autem posset esse ex tanto maiore feruore, quod plus mereretur quam pœnitentiale, & tam modico maiore quod æquaretur & similiter quam indulgentiale, nisi abundãtes valde essent indulgentiæ, & vniuersaliter certum est, quod plus meretur cæteris paribus de præmio essentiali, qui ex meliori actu, & charitate operatur.

Sed dubiũ est, An plus satisfaciat, & videtur mihi quod non, & accipio opus indulgentiale, & suppono quod communiter supponitur ab omnibus scilicet quod Indulgentiæ tantum valent quantum sonant, quo supposito dico, quod opus satisfactorium indulgentiale factum ex feruentiori actu charitatis non plus prodest facienti quoad satisfactionem, quam si tale opus fuisset ex minori charitatis feruore, patet quia si plus prodesset iste quoad satisfactionem, quam si faceret tale opus ex minori conatu & feruore, vel quam alteri facienti ex minori conatu, sequeretur quod Indulgentiæ non tantum valerent quantum sonant, vel quod valerẽt plusquam sonant, quod est falsum, quia quando est remissio plenaria non possunt valere plusquam sonant.

Præterea. Illud opus non dicitur satisfactorium ex vi operis operantis, sed operis operati idest exterioris, hinc est quod volẽs dare eleemosynam æqualiter meretur cum alio qui dat actualiter cæteris paribus, sed non satisfacit, nam nõ attenditur valor satisfactionis nisi ex opere operato idest ex opere exteriori, ergo vbi est æquale opus exterius, ita quod in opere exteriori omnia sunt æqualia, huiusmodi opera sunt æqualiter satisfactoria, supposito quod fiant propter bonum finem, ergo esto quod opus in Petro & Ioãne sit æque pœnale comparando ad facientes, vel ex natura rei sunt æque satisfactoria, quamuis ille, qui ex maiori conatu, & ex feruentiori charitatis motu id facit plus mereatur de præmio essentiali, cæterum isti duo æqualiter satisfaciunt.

Quoniam vt dictum est totus valor satisfactionis prouenit ex parte operis operati idest exterioris, atque adeo satisfactio, quæ minori charitatis feruore procedit nõ est minus satisfactoria, licet sit minus meritoria, Et non loquor hic de omnimoda satisfactione, quia si capiamus satisfactionẽ large, vt se extendit ad contritionem, ille qui satisfacit ex maiori contritione siue ex maiori, & intensiori actu voluntatis plus satisfacit, quam ille, qui satisfacit ex minori contritione & remissioris voluntatis actu; sed loquor solum de satisfactione stricte accepta vt se extendit solum ad ieiunium, orationem, & eleemosynam.

Sed dubium est, An opus satisfactorium sit æque meritorium, ac si non esset satisfactorium, vt Petrus dat eleemosynam vel ieiunat, quia eleemosyna siue ieiunium sibi iniũctũ est a sacerdote pro satisfactione pœnæ debitæ peccatis remissis; Ioannes vero libere ieiunat seu dat eleemosynã nõ pro satisfactione sibi iniuncta. Quæritur. An Ioãnes (cæteris alijs paribus) plus mereatur de beatitudine essentiali, qui non est obnoxius tali pœnæ, quã Petrus. Dico quod non, immo æqualiter meretur Petrus de beatitudine æterna, sicut Ioannes, nã si Petrus minus meretur de beatitudine æterna propter hoc quod meretur remissionem pœnæ, & ille gradus gloriæ cũ sit æternus a parte post quãtumcũque paruus in intentione propter eius perpetuitatem esset præponendus cuicumque pœnæ temporali remissioni, sequeretur, quod Petrus cõsequeretur magnum incommodum, per hoc quod satisfacit pro pœna debita, atq; ita nulli consulendum esset, quod satisfaceret, sed solum quod faceret pro beatitudine, & indiscrete agerent sacerdotes imponendo alicui pœnam, quod nemo diceret. Ideo resolute dicendum est, quod cæteris parib. tantum meretur de præmio essentiali satisfaciens vltra satisfactionem pœnæ, quantum meretur si non esset obnoxius pœnæ, & non satisfaceret, & hæc est communis sententia omniũ Theologorum. Sed contra, ergo plus meretur, qui satisfacit quam alter, qui non satisfacit, & qui non habet obligationẽ ad pœnam, patet quia satisfaciens meretur augmentum gloriæ, & solutionem pœnæ, non satisfaciens autem tantum meretur augmentum gloriæ ergo &c. Nego consequentiam quod plus mereatur, quia meritum attenditur ex parte præmij essentialis, & non ex parte pœnæ, quæ soluitur & hæc de satisfactione cum Doctore nostro dicta sufficiant.

QVAESTIO II.

Vtrum quicumque iniuste abstulit vel detinet rem alienam teneatur illam restituere ita quod non possit vere pœnitere absque tali restitutione.

Determinatum est in prima quæst. de satisfactione, quæ respicit Deum, in ista autem secunda quæst. determinat Doctor de restitutione in ordine ad proximum, est autem restitutio de necessitate salutis, quia de præcepto diuino vt Exod. 2. Non furtum facies. Vnde sequitur primo, quod sicut est de necessitate salutis non auferre alienum, ita alienũ non detinere. Secundo sequitur, quod restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, qua quis in possessione rei suæ integratur nõ quidem quoad dominium, quia iniusta rei ablatione dominium non transfertur, sed bene aufertur vsus, quia aufertur detentio. v.g. Petrus furatus est ab aliquo vestem, non aufert ab eo dominium vestis, sed vsum dumtaxat, ex quo sequitur quod restituendo rem iniuste oblatam proprio domino, non constituitur ille Dominus sed iteratu reintegratur, non quidem quoad dominium, sed quoad rei possessionem.

Restitutio de iure diuino.

Restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ.

Hæc quæstio Doct. (inquit Almaym) est egregissima inter cæteras Scoti quæstiones estq; fecundissima & plurium doctrinarum refertissima, atq; adeo summa cum diligentia explicanda est: in qua principaliter duo tractat Scotus, nam primo agit de dominiorũ diuisione, & secundo prosequitur tractatum de restitutione, fuit autem necessarium, agere de dominiorum diuisione, quoniã ex ea ortum habet obligatio restituendi, ex eo enim quod tenemus rem aliquam cuius dominium non est apud nos, sed apud alterum, tenemur illam restituere. Diuisit autem Doctor hanc quæstionem in quatuor principales articulos, & in primo inquirit. Vnde ortum habuerit dominiorum distinctio, quia dici potest hoc est meum, & illud tuum: nam istud est fundamentum omnis iustitiæ in contractando rem alienam, & per consequens omnis iustitiæ in restituendo eam. In secundo quomodo dominia primo distincta iuste transferantur, & de diuersitate modorum, per quos dominium vnius potest in alterũ transferri. s. quomodo potest fieri de re mea, quod sit alterius. In tertio ex secundo infert, quænam sit iniusta & iusta rerũ alterius occupatio, & per consequens ostendit in 4. art. quomodo talis ad restitutionem teneatur.

ARTICVLVS PRIMVS PRINCIPALIS.

Vnde ortum est quod iste habeat Dominium in hac re, & non ille.

IN hoc art. Doctor solum loquitur de dominio ciuili, & non de originali, nec gratuito, seu Euangelico, & naturali, nec quid sit dominium explicat, sed tantum inquirit, Vnde dominia rerum sint distincta, vnde vt pleniorem de hac re habeamus notitiam. Videndum est primo quid sit Dominium, secundo quotuplex sit dominiũ. Tertio quid sit Dominij subiectum. Quarto quid sit Dominij materia, & postremo quod est principale in hoc primo art. Doct. de dominiorum diuisione, sed quia in definitione Dominij ponitur ius, ideo a Iuris definitione incipiendum est.

Primus Art. Vtrum Ius sit facultas, vel potestas proueniens alicui secundum dictamen rectæ rationis.

Secundus Art. Vtrum Diuisio iuris in naturale, & positiuum

Tertius Art. Vtrum Dominium sit idem quod ius.
Quartus Art. Vtrum tantum sit vnum dominium vel plura.
Quintus Ar. Vtrum Dominium soli creaturæ rationali competat.
Sextus Art. Vtrum rerum omnium, quæ sunt in mundo sit homo iure aliquo Dominus.
Septimus Art. Vtrum naturali aut diuino iure dominia fuerint olim diuisa.
Octauus Art. Vtrum licite ac iuste rerum dominia humano iure fuerint iam diuisa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ius sit facultas, vel potestas proueniens alicui secundum dictamen rectæ rationis.

PRo intelligentia huius articuli obseruandum est primo, quod nomē hoc ius diuersimode accipitur apud Doctores: nam primo accipitur pro arte, & peritia, qua homines cognoscunt leges regulas, & præceptiones iuris faciendi, & in hoc sensu intelligitur. Celsus quādo dixit, quod ius est ars boni & æqui.

Ius diuersimode sumitur.

Celsus.

Secundo accipitur pro auctoritate alicui concessa ex consensu reipublicæ, in qua significatione loquitur Cicero in oratione pro Archia quando dixit, Quare suo iure noster Ennius, sanctos appellat Poetas, hoc est ex sua auctoritate, & libertate sua.

Cicero.

Tertio accipitur ius, pro ipsa lege, in qua significatione loquitur Gratianus multis in locis.

Gratianus.

Quarto accipitur pro eo, quod alicui ex iudicis sententia tribuitur, in qua significatione communiter loquuntur homines, quando dicunt eos vti iure suo.

Quinto & vltimo accipitur ius pro eo ad quod terminatur actio Iustitiæ, hoc est id quod producitur per actionem iustitiæ, in qua significatione dixit Vulpianus Iustitiam esse constantem & perpetuam voluntatem ius suum vnicuique tribuendi. Breuiter tamen & vt ad propositum spectat ius capitur dupliciter, vno modo prout idem est quod lex, quomodo accipitur cum dicimus præcepta Dei esse ius diuinū, & constitutiones Ecclesiæ esse ius canonicum, & constitutiones Imperatorum esse ius ciuile. Alio modo accipitur ius vt idem est, quod potestas, quomodo accipitur cum dicimus Patrem habere ius in filium & Regem in subditos, & homines habere ius in rebus, & possessionibus suis, etiam in personis aliquando, nempe in seruis quomodo capitur in iure ciuili, vt Instit. de iure personarum. Quod ius personarum diuiditur in ius patriæ potestatis, & in ius Domini respectu seruorum, & hoc modo capitur ius in proposito.

Vulpianus.

Ius capitur dupliciter.

Secundo obseruandum est, quod istæ duæ acceptiones iuris differunt, quia ius secundo modo est relatio, scilicet habitudo fundata in illo, qui dicitur habere ius, & terminata ad rē, in qua habet ius tamquam ad terminum remotum, & ad actionem quā habet exercere in talem rem, vel circa eā tamquā ad terminū propinquū, sed primo modo accipiēdo ius, est oratio mentalis, scripta, vel vocalis, atq; ita cū oratio creata sit qualitas pro denominato, quia si est mentalis sunt conceptus adinuicem coniūcti pro rebus, quorum sunt conceptus, si est scripta sunt figuræ aliquæ adinuicem coniunctæ, si est vocalis est voces, quæ omnia sunt qualitates, sequitur ꝙ ius primo modo est res absoluta.

Tertio obseruādum est, quod definitio iuris de qua quærimus est Ioan. de Gerson in tractatu de vita spirituali animæ Lectione 3. in principio, cuius aliam assignat definitionem in tractatu de potestate Ecclesiastica consideratione 13. quæ consideratio alias intitulatur de origine iuris, & legum, vbi sic ait, ius est potestas seu facultas propinqua conueniens alicui secundum dictamen primæ iustitiæ, quæ definitio eadē fere est cum prima, quia licet in prima dicatur secundum dictamen rectæ rationis, & in secunda secundum dictamen primæ iustitiæ, atq; adeo vltima clausula secundum vocem videatur diuersa in prima & secunda definitione, tamen vere est eadem vtrobiq; nam recta ratio accipitur, vel pro ea recta ratione, quæ primo originaliter & essentialiter est recta, & tunc idem est, quod prima iustitia, atq; ita illæ clausulæ omnino æquiualent in prima, & secunda distinctionibus, aut recta ratio accipitur generaliter ad rationem rectam, siue illa sit recta ratio essentialiter, qualis est in solo Deo, siue participatiue qualis reperitur in creaturis rationalibus, & tunc illa clausula primæ descriptionis iterum redit in idem cum clausula secundæ. Secundo quia omne dictamen illius rationis rectæ, quæ est participatiue recta ratio, reducitur ad rationem rectam, quæ est essentialiter recta ratio, & per consequens reducitur ad primam iustitiam, quod autem huiusmodi definitio sit bona patet, explicando eam per singulas particulas, quæ sunt quatuor.

Gerson.

Definitio iuris.

Prima particula est, potestas vel facultas, & hæc ponitur pro genere, quoniā ius formaliter est potestas vel facultas, nam aliquem habere ius in aliqua re est ipsum posse aliquid in illam rem, ergo ius est potestas, tenet consequentia per locum a coniugatis, est tamen obseruandum, quod potestas in hac descriptione non accipitur pro aliqua absoluta entitate, vt dictum est, quamuis illa habitudo fundetur non nūquā in re absoluta. Secundo obseruandum est, quod Gerson lec. 3. de vita spirituali animæ dicit, ꝙ hoc nomen facultas prout a fas deriuatur congruentius ponitur loco generis, quā hoc nomen potestas cuius ratio esse pōt, quia hominem habere facultatē in aliqua re, est eum habere potestatem agendi aliquid in illam rem, agendi inquam non qualitercumque sed tantum licite, facultas autem vt a fas deriuatur connotat licere. Potestatem autem habere in aliquam rem denotat posse agere aliquid in illam rem, non præcise licite, sed siue licite siue illicite, saltem large accipiendo potestatem, quomodo dicimus, quod latro potest occidere, licet stricte accipiendo potestatem solū hoc dicamus posse quod de iure, seu quod licite possumus, sed in rei veritate hæc ratio non cogit vt terminum facultas præferamus, quoniā & si potestas ponatur loco generis satis restringitur per vltimā clausulam descriptionis ad standum pro potestate, qua quis aliquid licite pōt, quia vltima clausula dicit conueniens alicui secūdum dictamen rationis rectæ, vel primæ iustitiæ. Potestas autem conueniens alicui secundum dictamen rectæ rationis est potestas licite aliquid agendi.

Definitio iuris explicatur.

Secunda particula est propinqua, quæ ponitur loco differentiæ propter tria excludenda. Primo ad excludendum potestatem remotam, conuenientem alicui secūdū dictamen primæ iustitiæ, quæ quoniam propinqua non est, ius appellari non potest. Exempli gratia existens in peccato mortali, dum est in via habet potestatem merendi beatitudinem, & hoc sibi conuenit secundum dictamen rectæ rationis, quia secundum dictamen diuinum, seu voluntatem diuinam habet illam potestatē, sed illa non est propinqua potestas, quia non potest statim exire in actum merendi, manendo in illo statu, sed requiritur, vt transeat de statu peccati ad statū gratiæ, & charitatis, atque adeo illa eius potestas non meretur dici ius ad merendum. Secundo ponitur ad excludendum potestatem, quæ est tantum obedientialis, quæ licet conueniat alicui secundum dictamen primæ iustitiæ, vel rectæ rationis, tamen illa potestas non meretur dici ius. v.g. minima stella est in potestate, vel potentia obedientiali ad diffundendum de se tantum lumen quantum diffundit sol, & hæc potentia conuenit sibi secundum dictamen primæ iustitiæ, nā prima iustitia potest de rebus suis facere quicquid non implicat contradictionem, & recta ratio dictat, quod stella debeat obedire in tali actu diffusionis, si Deus cum sibi conferret, hæc eius potestas seu potentia non est propinqua. Ideo non potest dici stellam ius habere ad diffundendum de se tātum lumen, quantum a sole diffunditur. Tertio ponitur ad excludendum potentiam, seu potestatem logicalem, quæ est non repugnantia, & coincidit cum obedientiali, vt dæmones, & damnati habent potentiam logicalem ad beatitudinem, quia non repugnat eis, quod eripiantur a damnatione, & dotentur beatitudine, & hæc non repugnantia conuenit eis secundū dictamen rectæ rationis, sed quia non est propinqua potestas ad beatitudinē nō dicitur habere ius ad eā.

Certe posset forte, & quidem melius dici ꝙ potentia obedientialis, & logicalis excluduntur per genus definiti. ſ. per facultatē, seu potestatem si potestas proprie capiatur, nam facultas significat potentiā actiuam agendi circa aliquid, similiter & potestas si proprie capiatur. Potentia autem obedientialis, & logicalis nō sunt propriæ potentiæ, nam aliquē esse in potentia obedientiali ad aliquid, non est ipsum habere potētiam agendi circa aliquid, sed est potius se habere passiue ad hoc, vt illud sibi conferatur, vel insit, atque ita per idem genus definiti excluditur potentia, quā habent damnati ad pœnas suas nā hæc est potentia passiua, quæ non pōt potestas vel facultas appellari, atq. ita nō dr̄ hre ius ī illas pœnas.

Tertia

Tertia particula. s. conueniens alicui, ponitur ad denotandum subiectum ipsius definiti, quod definitum est accidens, accidēs aūt debet definiri per suū subiectū, & maxime si in concreto definiatur. Quarta particula est secundum dictamen primæ iustitiæ, seu rectę rationis, quæ ponitur ad excludendum potestatem propinquam conuenientem alicui, & mediante qua de propinquo potest aliquid agere in aliquā rem, & tamen non conuenit ei secundum dictamen rectæ rationis agere, vt latro habet potestatem qua de propinquo potest occidere hominem, sed illa vt talis non conuenit ei secundum dictamen rectæ rationis, & dixi vt talis, quia potestas illa, qua id potest, quamuis ei conueniat secundum dictamen rectæ rationis, non tamen in ordine ad illud obiectum, & cum talibus circumstantijs, ex his patet quomodo definitio iuris sit bene assignata, & consequēter quid sit ius.

ARTICVLVS II.

Vtrum diuisio iuris in naturale, & positiuum sit prima, & bona diuisio.

Aristot. D. August.

CIrca hanc dubitationem obseruandum est fuisse olim errorem antiquissimum, negantium esse aliquod naturale ius, ita refert Arist. lib. 1. Ethic. c. 3. & lib 5. c. 7. & D. August. lib. 3. de doctrina christiana. c. 14. Alius error fuit modernior negantium esse aliquod ius positiuum quem tenuit, & vniuersi Luterani, qui negant esse aliquam in legibus humanis obligantem in foro conscientiæ, atque ideo Lutherus ipse eo temeritatis peruenit vt igni traderet omnia Pontificum iura, & Bullas Pontificias, & Sanctorum Patrum decreta, peiora facturus iuri Ciuili, nisi magis timuisset sæcularem gladium, quam Pontificis excommunicationem, vt referunt Ioannes Clocheus in actibus, & scriptis Lutheri anno Domini 1520. & Carolus. V. Imperator in quodam publico edicto facto anno Domini 1521. de hoc errore videndus est Roffensis art. 27. & 37. contra Lutherum & Sotus lib. 1. de Iust. & iure q. 6. art. 4.

Ioannes Clocheus. Roffensis. Sotus.

Ius diuiditur in tria membra. Vulpianus. Gratianus.

Secundo obseruandum est, quod Iuristę diuidunt ius in tria membra, s. in ius naturale, positiuum, & ius gentium vt videri potest apud Vulp. lib. 1. ff. de Iust. & iur. & apud Gratianum in decretalibus. d. 1. c. Ius, sed immerito hoc faciunt, quia ius gentium ad ius positiuum pertinet.

Tertio obseruandum est, quod ius naturale non bene definitur à Vulpian. dicente, ius naturale esse quod natura omnia animantia docuit, vt maris & fęminæ coniunctio, & procreatio prolis, quoniam colere Deum, & honorare parentes sunt de iure naturæ & tamen hæc non docuit natura omnia animantia, bruta enim nec colunt Deum nec venerantur parentes præterquam quod vt docet D. Thom. 1. 2. q. 1. artic. 2. ad 3. In brutis non inuenitur lex nisi metaphorice. Quapropter recta definitio iuris naturalis est, quam tradit Cicero in libris de legibus & de inuentione dicens esse id quod non opinio aliqua, sed vis quædam innata nobis instruit, de quo loquitur. D. Paul. ad Rom. 2. cum dicit. Gentes, quæ legem non habent (nempe positiuam) naturaliter quæ legis sunt faciunt, habentes opus legis scriptum in frontibus suis, eamdē etiam definitionem ponit Arist. 5. Ethic. c. 4. dicens, Ius naturale esse, quod vbique eamdem vim habet, & consistit inuideri & non videri, id est non oritur ex aliqua opinione humana, sed ex natura.

D Thomas. Definitio iuris naturalis Cicero.

Arist.

Definitio iuris positiui.

Ius positiuum, quod etiam ius legale appellatur, est illud, vt inquit Arist. loco supra citato, quod à principio. s. ante positionem legis nihil differt, sic vel aliter agere itaque ius positiuum accipit vim ex lege posita, & tale non est idem apud omnes, quia per naturam non est determinatum, quod hoc sit bonum, vel malum, quod sit agendum vel fugiēdum, sed quando est lege positum & consuetudine firmatum differt multum, quoniam obseruare & obedire bonum est, præterire autem malum. V. g. Redimere captiuum pretio vnius minæ, sacrificare Deo capram, quam duas oues, & in singulis priuilegiis aliquarum personarum cum ipsa priuilegia ponuntur in lege, vt quod sacrificetur Brasidę mulieri, quia Ciuitati cōtulit maxima beneficia. Vnde obseruandū est, quod inter hæc exempla posita ab Aristot. de iure positiuo aliqua sunt continentia ius naturale, & ius legale. s. positiuum, nā omne ius positiuū statuitur, vt seruetur ius naturale. Vnūquodque enim præceptum iuris positiui præsupponit præceptum iuris naturalis, in quo fundatur, atque ideo in exemplis ab Arist. inductis tangitur aliquid de vtroque iure, v. g. redimere captiuum est de iure naturali, & dicitur pietas siue miseratio, sed quod hæc redemptio fiat per minā, quod est determinatum precium, est mere de iure positiuo, quia sic statutum est lege. Similiter quod sacrificetur Deo est de iure naturæ, & dicitur Religio, quod autem magis sacrificetur Capra, quam ouis, est de iure positiuo, Item quod Brasidę mulieri fiat honor, & remuneratio vt benefactrici est de iure naturali, & dicitur gratia, vel gratitudo erga benefactorem, sed quod Braxidæ mulieri exibeatur honor per sacrificium est de iure positiuo erroneo per humanam insipientiā posito, & in hoc casu ius positiuum non destruit naturale, sed contradicit ei, nam ius naturale prohibet honorem debitum Deo attribuere creaturæ, qualiter est honor sacrificij; Potest autem ius legale diuidi iuxta diuisionem condentiū leges, lex autem conditionaliter a Deo & ab homine, lex Dei facit ius diuinum, & lex hominis ius humanum.

Ius naturæ & positiuū quomodo differant.

Quarto obs. est, quod ius naturæ & positiuum in multis differunt, Primo ex parte causæ efficientis, nam causa efficiens iuris naturalis est Deus, sit Author naturæ; Causa vero efficiens iuris positiui humani est homo secundum triplicem modum, primo ex peculiari cōdicto seu beneplacito inter eos, qui ad inuicem contrahunt, & sic iustum pretium erit illud, de quo conueniunt emens, & vendens.

Secundo ex peculiari consensu populi, vt cum communiter consentit Populus, quod panis, vinum, & oleum, tāti vel tanti vendantur.

Tertio ex lege quæ aliquando determinat pretium, vt in tritico, & est differentia inter hæc tria, quia in primis duob. iustis, iustum non consistit in indiuisibili, sed parum plus minusue dicitur iustum, vt cum quis vendit domū, aut equū; At vero tertium iustum consistit in indiuisibili vnde si transiliatur erit iniustum, vt qui vendit triticum pluris, quam taxatum est, facit iniustum, & tenetur restituere totū id quod accipit sopra iustum, quod taxatum est.

Secundo differunt ex parte causæ formalis seu exemplaris, nam exemplar iuris naturalis est lumen naturalis rationis, exemplar vero & regula iuris humani est ipsum ius naturæ: in tantum enim ius humanum est rectum, inquantū consonat iuri naturæ.

Tertio differunt ex parte obligationis, quia ius naturæ obligat omnes, & semper sicut omnibus communis est rōnalis natura, estq. immutabile, at vero ius positiuum non obligat omnes, sed tm̄ subditos Principi legislatori, nec semper est mutabile. Cęterum quando dicimus ius naturale obligare omnes, & semper, & esse inuariabile intelligendum est quantum ad prima principia, nam de secundis præceptis docent Doctores esse variabilia ex peculiaribus circumstantijs, quamuis regulariter loquendo semper & omnes obligent.

Quarto differunt in eo quod vt aliquid sit ius naturæ necessum est quod per bonam & euidentem consequentiam deducatur ex primis principiis practicis, at vero ius positiuū non deducitur per bonam & euidentem consequentiā ex iure naturali, sed est consonum illi v. g. ius naturale dictat sceleratos esse puniendos, ex quo per bonam consequentiam deducitur quod latrones, & hæretici sunt puniendi, atque ita hæc sunt de iure naturæ, Cæterum quod hæretici comburātur, & latrones suspensantur, non sequitur per bonam consequentiam ex lege naturæ, sed sunt cōsona illi, atque ita pertinent ad ius humanum.

Ius gentiū an pertineat ad ius naturale, vel positiuum. D. Thom.

Sed hic oritur difficultas an ius gentium pertineat ad ius naturale, vel ad positiuum, in qua re non solum iuris prudētes varij sunt, confundentes ius gentiū cum iure naturali, & interdū distinguentes, sed nec ēt Theologi sibi satis constāt, nā D. Th. 2. 2. q. 57. art. 3. vr̄ significare ius gentium pertinere ad ius naturale, supposito. n. quod ius naturale est illud, quod ex natura sua est commēsuratum, & quod hoc potest contingere vel secundum absolutam considerationem, vel in ordine ad aliquem finem, Dicit ius gētium esse id, quod non absolute, sed in ordine ad aliquem finem ex natura sua est commensuratum, quibus verbis aperte significatur ius gentium pertinere ad ius naturæ, & tamen 1. 2. q. 95. artic. 4. ius positiuum diuidit in ius gentium & ciuile.

Ius gentium quid sit.

Vnde obs. est, quod ius gētium est lex, quæ consensu omnium populorum ideo est suscepta, & constituta: quia facili negocio deducitur ex principijs legis naturę, & ita ad omnes nationes pertinet. Secundo obseru. est, quod Iurisconsulti nomine iuris gētium includunt ius naturale, quod propriū

est

est rationalis naturæ, & ius gentiũ quod gentes stabilierunt, in quo & gentes conueniunt. Theologi vero nomine iuris gentium in cõi vsu loquendi excludunt ius naturale, non solum quod est commune nobis cum brutis iuxta Vulpianũ, sed ẽt quod est proprium rõnalis creaturæ, similiter est æquiuocatio in hoc noĩe ius Ciuile: põt.n. denominari ex eo qđ ius illius iuris, cõis est Ciuitatibus, vel ex eo quod à Ciuibus, vel eorũ Principe institutum est, & in hac secunda significatione vtuntur hoc noĩe Iurisconsulti, eadem æquiuocatio põt esse in hoc noĩe ius humanum, vt dr̃, vel quod homines habent in vsu, vel ꝙ hoĩes instituerunt. Ex his dico primo. Qđ ius gentium, & ius humanũ, & ius Ciuile, si priori modo accipiantur commune est ad ius naturale proprium rationalis naturæ, & ad ius positiuum. Probatur quoad ius gentium, quia ex doctrina Iurisconsultorum diuinus cultus, & veneratio parentum spectant ad ius gentium, cum tñ sit res certissima, quod hæc præcepta sunt maxime naturalia rationalis creaturæ, similiter ijdem Iurisconsulti, vt patet in l. manumissiones. ff. de iustitia & iure, aiunt seruitutes esse de iure gẽtiũ, & tñ ẽt cõstat seruitutẽ introductã fuisse iure positiuo.

Isydorus. Probatur secundo de iure humano, quod vtroque modo conueniat, nam secundum Isydor. li. 2. Eth. c. 2. differt ius ab eo, quod dr̃ fas, Qm̃ ius est inter hoĩes ipsos, fas autem erga Deũ, cum ergo ius humanũ, qđ est inter hoĩes versetur circa æqualitatem ex natura rei, & circa æqualitatẽ ex lege positiua, consequens est, quod ius humanũ possit ẽt esse positiuum. *Aristot.* Probatur postremo de iure Ciuili, qm̃ Arist. lib. 3. Eth. c. 4. vel 7. diuidit ius politicũ, quod constat esse idẽ, atq; Ciuile, in naturale, & positiuũ, quod appellat legale, i. lege positũ, ergo ius naturale, & positiuum continetur sub iure ciuili. Probatur postremo in simili tota conclusio, quoniã ius gentiũ, & ius humanum & Ciuile in priori illa significatione nihil aliud important, quam ius illud, quo vtuntur gentes vel ciues, sed gentes & homines & ciues vtuntur iure naturę, & positiuo ergo &c.

Dico secundo. Quod ius humanũ in secunda acceptione cõuertitur cũ iure positiuo, atq; ita diuiditur in ius gentiũ, & Ciuile, probatur, quia ius humanũ in secunda significatione nihil est aliud quã ius ab homine constitutũ, sed hoc ipsum dr̃ ius positiuũ, quod hoĩes posuerunt, ergo &c. Vnde aduertendũ est, quod nulla est difficultas in eo quod asseritur ius Ciuile contineri sub iure positiuo; Est.n. ius Ciuile, quod Populus, seu Ciuitas, seu Princeps Ciuitatum sibi propriũ constituit, vt docet Isydorus lib. 5. Ethic. c. 5. *Isidorus.* sed tota difficultas est, quomodo Ius gentiũ sit pars iuris positiui quapropter.

Ius gentium non pertinet ad ius naturæ. Cicero.

Dico tertio. Ius gentium non pertinet ad ius naturæ, sed ad positiuum humanum, cuius est pars, patet ex Cicerone lib. 2. de inuentione c. 5. dicente diuisionẽ dominiorũ, & rerũ turi positiuo esse ascribendam, sunt aũt seruitus, & diuisio rerum de iure gentium, vt oẽs Doctores fatentur, sed probatur conclusio; ea quæ pertinent ad ius naturale sunt intrinsece mala, ẽt antequam per leges prohibeantur, vt est cõis consensus omnium Theologorũ, sed quæ sunt de iure gentium non sunt intrinsece bona, ergo ius gentium non pertinet ad ius naturæ. Probatur minor, nam diuisio rerum atq; proprietas non est adeo bona, vt oppositum eius. s. communitas rerũ non sit ẽt bona, quin potius in primitiua Ecclesia, omnia erant communia, & etiam nunc sunt in religionibus approbatis, & confirmatur. Nam in extrema necessitate oĩa sunt communia, ergo rerum proprietas non est intrinsece bona. Item Ius gentium habetur ex consensu & beneplacito hominũ, & non absoluto ex dictamine naturæ, ergo non est ius naturale. Præterea Ius gentium potest aboleri per legem positiuam, immo de facto est abolita rerum diuisio apud religiosos & seruitus apud christianos: nam seruitus eorum qui capiuntur in bello iusto Iure gentium introducta est, sed in hoc iure mutationem fecit Ecclesia vt christiani quantumlibet in bello iusto caperentur nõ fiñt serui, sed ius naturę nõ potest aboleri, ergo Ius gẽtium distinguitur a iure naturali.

Ius gentium habet cum iure naturali propinquitatem.

Dico quarto. Quod Ius gentium & si distinguatur a iure naturali, vt dictũ est, habet tamen cum iure naturali propinquitatem, atq; similitudinem: nam sicut Ius naturale est cõe omnibus hominibus, ita & Ius gentium. Secundo sicut Ius naturale non habetur in scriptis, nec inuenitur, Vbi vel quando fuerit institutum, ita Ius gentium nescitur, quando aut vbi ceperit. Tertio sicut ius naturæ ad sui promulgationem non indiget, vt homines conuocentur ita ẽt in iure gentiũ, non est necessarium vt fiant hominum conuẽtus. Postremo sicut Ius naturæ, vel est primum principium Iuris naturalis, vel conclusio, quæ necessario per viam illationis deducitur ex primis principijs, ita etiam Ius gentium est velut conclusio ex primis principijs deducta, quamuis consequentia absolute loquendo non sit necessaria.

Ius gentium est quasi mixtum ex naturali, & ciuili.

Ex his infertur, primo quod Ius gentium est quasi mixtũ ex naturali & ciuili, habetq; cum vtroq; propinquitatẽ multam, & similitudinem, ratione cuius in institutis aliquãdo appellatur ius naturale, aliquando ius ciuile, licet proprie spectet ad ius positiuum, vt probatum est.

Ius gentium in quo proprie differat a naturali.

Secundo infertur, quod potissima differentia inter Ius gẽtium, & ius naturæ in hoc consistit, quod quæ sunt de iure naturæ absolute sequũtur ex primis principijs naturæ at vero q̃ sunt de iure gentium non sequuntur absolute, sed facta quadam suppositione, ea necessario absolute deducũtur, ex principijs naturæ, quæ simpliciter sunt necessaria ad comparandam rectitudinem naturalem, considerata absolute hominis natura. V. g. considerata hominis natura absolute, necessaria est generatio ad conseruandum speciem, & ad generationem est necessaria maris & fœminæ coniunctio, quæ in hominibus fit per matrimonium perpetuum, & indissolubile, vt proles & suscipi & recte educari possit. Hæc omnia proprie pertinet ad legem naturæ, deducuntur enim ex principijs illius hominis natura absolute considerata. Illa vero deducuntur ex principijs naturæ facta suppositione, quæ quidem necessaria sunt ad comparandam rectitudinem naturalem non considerata hominis natura absolute, sed supposita tali, aut tali hominis conditione, Exempli gratia solemnitas matrimonij, vt videlicet matrimonium contrahatur adhibitis testibus, & debita cum solemnitate, introductum est supposita ex maiori parte perfidia hominum, qui bonis matrimonij abuti solent, atque adeo hac conditione supposita iure gentiũ introducta est lex de matrimonijs contrahendis adhibitis testibus & cũ debita solemnitate. Quare lex quæ præcipit matrimonia solemniter contrahi proprie pertinet ad ius gentium, *Deducitur*.n. ex principijs naturæ non quidem absolute consideratæ, sed facta aliqua suppositione. Item natura hominis absolute considerata necessarium est ꝙ pecora alantur, & agri colantur, vt sic hominibus suppetat cibus, & hoc pertinet ad ius naturæ. Cęterum quia post primi parentis peccatũ natura hominis corrupta mansit, & ex consequenti inclinata magis ad bonũ propriũ, quam ad cõe; idcirco necessariũ fuit, ꝙ agri atq. possessiones diuiderentur, quare iure gentium id factũ fuit, & quia rebus inter homines diuisis necessaria erat earum commutatio, ad quam nummus est necessarius, idcirco iure gentium similiter pecuniæ introductæ sunt.

Ius gentiũ est medium inter naturale, & ciuile.

Tertio infertur ius gentium esse medium inter naturale & Ciuile, & quia medium participat rationem vtriusq. extremi, fit vt ius gentium partim cum naturali partim cũ ciuili conueniat, & partim differat ab vtroque conuenit cum naturali in his quæ supra retulimus, & differt ab eodem in eo, quod non deducitur, ex principijs naturæ absolute consideratæ, sicut ius naturale, conuenit autem cum iure ciuili in eo, quod consensu vel voluntate hominum statutũ est, quatenus omnium consensu tacito vel expresso est approbatum, & differt ab eodem in eo, quod ius ciuile proprium est alicuius gentis, ius vero gentium pertinet ad omnes.

Ius gentium ad ius positiuum spectat.

Quarto infertur quod simpliter loquendo Ius gentium non ad ius naturale, sed ad ius positiuum spectat, cũ vt statim dicebam non tam natura, quam hominum beneplacito fuerit statutum, non quod omnes homines in vnum conuenerint ad illius compositionem, sed quod omnium consensu tacito vel expresso est approbatum, vt dictum est.

Respub. potest ius gentium abrogare.

Quinto infertur, quod cum ius gẽtium hominum beneplacito sit institutum, Respublica quæ perfecta est bene potetit illud abrogare, quod & factum est a Republica christiana, quæ est omnium perfectissima, nam vt statim dicebã rerum diuisio est de iure gentium, & tamen in principio nascentis ecclesiæ tota multitudo possidebat omnia in communi, vt legitur. Actorum quarto. Item de iure gentium est, quod victi seruiant victoribus, vt habetur ex D. Isidoro. d. 1. c. Ius ciuile & c. Ius gentium, & ex instituta de iure personarum. §. serui autem, & tamen seruitus hæc inter christianos abrogata est, Christianus capiens christianum etiam in bello iusto nõ potest illum habere pro seruo, quod tract. optime Bartolus in titulo de captiuis, & postliminio reuersis. l. hostes. *Isidorus.* *Bartolus.*

Sexto

Ius gentium non potest naturali iuri derogare.

Sexto infertur. Ius gentium cum ad positiuum pertineat, in nullo posse naturali iuri derogare ex quo sequitur in casu extremæ necessitatis, quo iure naturali quisque tenetur pro priam vitam conseruare omnia debere esse communia, non obstante iure gentium, quo rerum diuisio facta est.

Postremo infertur diuisionem hanc, qua ius diuiditur in ius naturale & positiuum, primam atq; optimam esse, cum non sit alia prior, & sub ea oĩa membra iuris contineantur. diuiditur itaque ius prima diuisione in naturale & positiuũ, positiuũ in diuinũ & humanũ, humanũ in ius gentiũ & ciuile, de quibus vlterior inquisitio non spectat ad nunc locum.

ARTICVLVS III.

Vtrum dominium sit idem quod ius.

Dominium est dictio latina.

PRo huius difficultatis solutione obseruandum ex primo quod dictio Dominium latina est, quamuis non sit vocabulum Ciceronianum, Cicero.n.pro Dominio vtitur hoc vocabulo mãcipium, & hoc vocabulo nexus, vt patet.7. Epistolarum Attici vbi ait, Attice scribis te esse proprium mancipio & nexu; meũ aũt est vsu & fructu. Quib. verbis statuit Cicero idem esse dominium, & nexus, nam mancipium significat aliquando comparatio dominij, possidendique ius, vnde Cicero 3. officiorũ inquit, hoc in mancipio Marius nõ dixerat, sicut materfamilias dr̃ esse in mãcipio mariti, hoc est in eius ptãte, & sui mãcipij esse, est nullius ptã subiectũ esse.

Cicero.

Dominij vocabulum bifariam.

Secundo obseruandũ est dominij vocabulum dupliciter vsurpari, vno mõ in ampla quadã significatione quatenus dicit ordinẽ, & respectum ad rem quõcumque possessam vel habitã, siue superiorẽ siue inferiorem, siue illa res sit pars naturalis nobis, siue pars possessionis, & hæreditatis, siue sit aliquod bonũ cõe siue priuatũ, & in hac ampla significatione dicuntur reges dominari rebus publicis, & ciues dicuntur dominari vijs publicis, & fluminib. & montibus patres ẽt isto modo dicuntur dominari filijs, ẽt seruus hac ratione habet quoddã dominium circa herum suum.s. ius vt sustẽtetur ab illo. & filij habent hoc ius erga parentes, & ciues habent ius incedendi per viam publicam.

Secundo modo accipitur dominium magis stricte, & proprie prout dicit ordinem, & rationem iuris ad rem inferiorem, q̃ ordinatur ad cõmodum illius, qui dr̃ Dominus. Hoc modo Arist. lib.5. Eth. distinxit ius dominatiuum siue herile ab omnibus alijs specieb. iuris, & dixit quod solum ius, quod habet herus respectu serui est dominatiuum. In hac acceptione Reges non sunt domini regnorum, neq. patres filiorum, Reges.n. gubernare debent rempublicam propter bonum ipsius Reipublicæ, & patres educare filios propter filiorum commodum, at herus habet ius ordinandi seruum ad proprium commodum ipsius heri.

Aristot.

Dominii definitio secundum Gersonem.

Tertio obs. est, quod Dominium ita definitur à Gersone lib. de potestate ecclesiastica consideratione 13. Dominiũ est potestas propinqua assumendi res alienas, vel vt alias in sui facultatem, vel vsum licitum secundum iura, vel leges rationabiliter institutas. In qua definitione ponitur loco generis facultas, quæ idem est quod potestas iuridica, & legitima secundum leges & iura habita, quæ latius patet quam dominiũ, additur res alienas vel vt alias. Dicitur res alienas vel vt alias, quia aliqñdo aliquis habet Dominiũ vel ius in aliquã rem, quæ tñ non est alia ab ipso domino. v.g. habet anima dominium super suas potentias inferiores, quæ sunt ipsa anima, & sic anima super se ipsam vr̃ habere dominium, attamẽ anima habet illud in se quasi, & quodam modo vt in rẽ aliã, quia anima secundum quod voluntas est habet dominiũ in se secundum aliam potentiam, similiter libertas, est quędam species iuris, & illud ius hẽt liber in se ipsum.s. agendi quodlibet, atq; ita liber habet ius super suam personam, quamuis non sit dñs membrorum suorũ ad abscindẽdũ, aut ad alium abusum, similiter dicimus quod peccator pęnitendo exercet actum iustitiæ in seipsum, hoc est tamen sub alia rõne, nempe quatenus est Dei minister, nam vt sic habet ius in se tamquam in reum eiusdem. Dicitur notanter res ad differentiã vsus, vel vsusfructus in vsu.n. & vsufructu non est potestas vtendi substantia rei si proprie loquamur de vsu, atque ita qui solum habet vsum, vel vsumfructum, non potest alienare rem secundum substantiam nec per donationem, nec per venditionem, sed salua substantia rei solũ potest eius fructu vti & frui. Dicitur in vsum licitum secundum iura & leges &c. ad explicandum, quod pupillus ante legitimam ætatem vere est dominus suarum rerum, quamuis eis potiundi liberam facultatem nõ habeat, eas vendẽndo vel donando: quoniam in lege humana id prohibetur. Similis etiam ratio est de illo, cuius bona vinculo primogenituræ obligata sunt, qui quamuis sit eorum dominus, illa tamen non potest aliqua ratione alienare: quia id sibi ciuili lege est prohibitum.

Conradus. Ius potest bifariã sumi. Dominium sumi potest tribus modis.

His obseruatis ad propositam difficultatem respondet Cõradus in libro de Cõtract. tract. 1. q. 1. in suppositione prima, & secunda, & dicit primo quod ius potest bifariam sumi, vno modo pro lege vtra præscribente, alio modo pro potestate aliquid agendi, qua ratione dicimus Reges habere ius in subditos, hoc est potestatem. Secunda dicit quod dominiũ accipi potest tripliciter, vno modo stricte pro iure superioris in inferiorem, secũdo pro iure proprietatis, quæ versatur circa substantiam rei possessæ, vt distinguitur contra vsum, & vsumfructum. Tertio modo accipitur large pro iure cuiuscumque rei faciendæ, ex his dicit primo, quod si dominium accipiatur stricte pro potestate non quacumque, sed superioris in inferiorem, quomodo Doctores sæpe sæpius loquuntur de dominio tunc ius, & dominium non sunt idem, sed ius est ad dominium superius, hoc est dictum, accipiẽdo dominium stricte omne dominium est ius, non tñ est econtra, & quidẽ quod omne dominium sic ius est res manifesta, nã habere dominium est esse dominum, omnis autem dominus habet ius rei, cuius est dominus, atque ita omne dominium est ius, quod autem non omne ius sic dominium probatur, nam vxor habet ius in virum dicente Pau. 1. Cor. 7. Vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier, & filij habent ius in parentes, qui curam eorum habere tenentur, & serui habent ius in dominos, a quibus substentari debẽt, & tamen nulli eorum habent dominium, nec vxor in virũ, nec filij in parentes, nec seruus in dominum.

Quarto dicitur, quod dominium accipiatur stricte, pro iure proprietatis & potestate, quæ versatur circa substantiam rei possessæ, vt distinguitur contra vsum & vsumfructũ, ius & dominium non sunt idem, sed ius est quid superius ad dominium, nã vsuarius, & vsufructuarius dicũtur habere ius, & tamen neutrum illorum habet dominium loquendo de dominio pro proprietate quæ versatur circa substantiã rei.

Quinto dicit quod accipiendo dominium large pro iure cuiuscumque rei faciendę, seu pro potestate legitima aliquid faciendi, sic dominium & ius sunt idem. Probatur, quia quicumque habet ius in re aliqua potest dici dominus eius, ergo & habere dominium illius, atque adeo ius & dominiũ sunt idem, & confirmatur quoniam qui talem rem ab inuito auferret proculdubio diceretur furtum commisisse, ergo qui illam habebat erat dominus illius, & per consequens habebat dominium. Probatur consequentia ex definitione furti qua dicitur, furtum esse contrectationem rei alienæ inuito domino, ergo ille, qui habuit ius in ea re, poterat aliquo modo dici dominus illius rei. Ex his infertur primo, quod non omne ius, quod habent superiores in inferiores est proprie dominium accipiendo stricte dominium, nam ius quod habetur in personas est ius superioris in inferiorem, & diuiditur in ius patriæ potestatis, quod dicitur ius paternum, & in ius dominij, quod habet Dominus in seruos, ergo sequitur quod ius patris, quod est superioris in inferiorẽ, non est proprie dominium. Item Prælati Ecclesiastici habent ius in sibi subditos, & tamen nõ sunt domini illorum, iuxta illud Mat. 20. Principes gentium dominantur eorum, vos autem nõ sic. Tum quia dominium stricte sumptum, vt diximus supra dicit ordinem & rationem iuris ad rem inferiorem, quæ ordinatur ad cõmodum illius, qui dicitur dominus, sed patres, Ecclesiastici Prælati atq; Reges debent educare filios, gubernare subditos propter filiorum atque subditorum commodum, atque adeo ius quod patres habent in filios & Prælati, siue Ecclesiastici, siue ciuiles & ius quod reges habent in rempublicam dominium in stricta significatione appellari non potest.

Dominium & titulus dominij an sint vna & eadem res Gerson.

Secundo infertur solutio illius difficultatis, qua quæritur an Dominium & titulus Dominij sint vna & eadem res, nã Gerson affirmat titulum dominij & dominium esse prorsus idem, & idem dicunt aliqui de vsu & titulo, & de vsufructu & titulo, sed dicendum est, quod titulus dominij distinguitur a dominio, sicut fundamentum a relatione. Dominium enim est quædam habitudo inter dominium, & rem possessam, fundamentum autem ratione cuius in dominio existit

talis

talis habitudo, seu relatio est titulus dominij, & iste est vel electio in Episcopatu, vel emptio, aut donatio, aut natiua hæreditas, vel præscriptio in alijs rebus, ex his constat, titulum esse quid distinctum à dominio, & causa, & fundamentum illius, & idem dicẽdum de titulo vsus, vel vsus fructus, itaq. electio est titulus Episcopatus, vel principatus &c. Emptio vero est titulus dominij rei emptæ.

ARTICVLVS IV.

Vtrum tantum sit vnum Dominium vel plura &c.

Dominiũ est sextuplex. Gerson.

PRo solutione huius difficultatis, obseruãdum est primo, quod sextuplex est dominium secundum Ioannem de Gerson lib. de potestate Ecclesiastica consid. 13. videlicet beatificum, originale, gratificum, Euangelicum Canonicum, & politicum. Quorum sufficientia sic haberi potest; Dominiorum quoddam cõuenit comprehensori, & sic est beatificũ, quoddã viatori, & illud est duplex; quoddam pro statu innocẽtiæ, & illud est originale, quoddam pro statu naturę lapsæ, & illud est duplex, quia vel fundatur in charitate, & sic est gratificum, vel non fundatur in charitate, & hoc est duplex, quia vel ei cui conuenit, competit ex lege diuina, & sic est Euangelicum, vel ex conuersatione legis humanæ, & hoc dupliciter, vel ex concessione legis humanæ Canonicæ & sic est Canonicum, vel legis humanæ ciuilis, & sic est ciuiles.

Dominium beatificum quid sit.

Secundo obseruandum est, quod Dominium beatificum, est dominium conueniens beato secundum leges gloriæ, & est inabdicabile seruata beatitudine, vt beatus hẽt ius, quod suum corpus gloriosum potest penetrare quodcũq; corpus non gloriosum sine resistentia illius alterius, licet naturale sit cuilibet corpori resistere alteri volenti se penetrare, similiter habet ius, quo suo corpore glorioso potest esse in eodẽ loco cum quocumq; non glorioso, non obstante quod naturale sit cuilibet corpori non admittere aliud corpus ad locũ suum, & hoc dominium fundatur in beatitudine, ita quod beatitudo est titulus illius dominij. Dominium originale est dominium seu ius assumendi alias res in suum vsum iuxta leges iustitiæ originalis, & inabdicabile seruata originali iustitia, vt primi parentes habuerunt originalem iustitiam, ratione cuius conueniebat eis ius edendi de omni ligno Paradisi, dempto ligno scientię boni & mali, & ibidem habitandi & alia ibi agendi, & hoc dominium fuit concessum primo homini, quando dixit ei dominus, Gen. 2. De omni ligno paradisi comede &c. Item fuit dictum Adæ, Dominamini piscibus maris & volatilibus cœli, & animantibus terræ; vnde secundum leges iustitiæ originalis concedebatur eis hoc ius, & quibuscumq; alijs posteris eorum, qui habuissent originalem iustitiam, quamdiu illam retinerent, ipsa vero perdita spoliarentur illo dominio, sicut ex eis contingit, quia primi parentes amissa originali iustitia perdiderunt ius habitandi in Paradiso, & commedendi de lignis eius, vnde & inde expulsi sunt, perdiderunt q. ius quod habebant super animalia nempe illa congregandi pro eorum voluntate, Vnde originalis iustitia erat titulus, in quo hoc originale dominium fundabatur.

Dominium gratificum quid sit.

Dominium gratificum est potestas vtendi rebus, quibuscumq; secundum leges charitatis, seu ratione charitatis inabdicabile seruata charitate, atq; ita dominium gratificum est illud, quod alias vocatur dominium fundatum in titulo gratiæ gratum facientis, seu in titulo charitatis id est, quod pro titulo seu fundamento habeo charitatẽ. v.g. Eo ipso, quo quis est in charitate Dei, quæ eum facit gratum, & amicum Deo, habet ius assumendi omnes res creatas ad sui vsum secundum leges charitatis, id est quamcumq; rem potest amare, si est amabilis, vel odisse si est odibilis amore vel odio, quo merebitur vitam æternam; quia lex charitatis concedit habẽti eam certo modo vsum omnium rerum, vt eis ad Dei gloriam, & sui salutem vtatur, quantum sibi congruit secundum charitatem; iuxta illud Roman. 8. Diligentibus Deum, atq; ita in charitate existentibus, omnia cooperantur in bonum, atq. adeo etiam peccata eis prouenitit in bonum: quia fortiores, & cautiores resurgunt, itaq. hoc dominium nõ est aliud, quam potestas data existenti in charitate, qua potest vnam quamquam rem assumere in facultatem volitionis ad consequutionem fœlicitatis æternæ: quia in ita assumendo id est amando, vel odiendo merebitur æternam gloriam, & cum fundatum sit in charitate inabdicabile est, charitate seruata: nam sicut non habetur charitate non habita, ita non perditur nisi charitate amissa: Ex quo sequitur: quod sicut charitas non potest perdi ab inuito, ita nec illud dominium non potest tolli ab inuito, & in hoc differt à Dominio ciuili vel iure, quod ab inuito auferri potest, vt ius possessionis tollitur interdum inuito, quapropter perdens gratificum dominium, fit proditor, & reus læsæ Maiestatis, & infamis coram Deo, & Angelis eius, & tota Curia Beatorum, &c.

Dominium Euangeliũ quid sit.

Dominium Euangelicum prout distinguitur à dominio gratifico nihil aliud est, quam potestas Ecclesiastica, quod sic potest describi. Dominium Euangelium est potestas, seu facultas conueniens alicui secundum legem pure & proprie Euangelicam, & secundum solam illam ratione characteris sibi immediate à solo Deo auctoritatiue impressi & inabdicabile seruato charactere; Dicitur potestas vel facultas conueniẽs alicui supple immediate à Deo, quia huiusmodi potestas est à solo Christo instituta ab eo ipso solo confertur immediate ei, cui confertur, sicut & eius fundamentum, scilicet character à solo Deo confertur, loquendo de collatione auctoritatiua, licet conferens ordinem conferat etiam ministerialiter, characterem & dominium in eo fundatum. dicitur secundum legem Euangelicam, & in hoc distinguitur ab alijs dominijs superius explicatis. Dicitur proprie Euangelicum ad excludendum dominia quæ conueniunt alicui secũdum legem Euangelicam, non tamen proprie Euangelicã, quæ proprie non habent dici Euangelica, vt ius & dominiũ quod Apostoli prædicantes habuerunt accipiendi stipendia temporalia ab his, quibus prædicabant; Non est proprie Euangelicum dicendum: quia illud ius competit eis secundum legem naturalem, quæ hoc ius concedit seminantibus spiritualia. Dicitur, & secundum solam illam, & redit in idem scilicet ad excludendum illa dominia, quæ licet conueniant alicui secundum legem Euangelicam, sed non secundum solam illam, sed etiam secundum aliam, vt iam exemplificatum est de iure accipiendi stipendia temporalia, quod ius concedebat etiam lex Moysi, iuxta illud Deuter. 25. Non ligabis os bouis triturantis, quam legem refert D. Paulus 1. Corint. 9. tamquam dictam de seminantibus spiritualia. Dicitur ratione characteris ad tangendum titulum seu fundamentum huius dominij; Dicitur demum inabdicabile: quia quamdiu ordinatus retinet characterem tamdiu retinet prędictam potestatem in subditos, adeo quod per depositionẽ, & degradationem non aufertur sibi illa potestas in essentia, licet aliquando non retineat eam, quo ad licitum vsum, vt cum sibi interdictus est vsus illius potestatis à superiori per excommunicationem, suspensionem, depositionem, vel degradationem, tũc enim si exequitur potestatem suam habet vsum illius; sed illicitum & hoc dupliciter; Aliquando enim ille vsus vltra hoc, quod est illicitus, non sortitur effectum suum, vt cum alicui interdicitur vsus potestatis absoluendi in foro confessionali à peccatis, aut priuatur plebe subiecta, talis absoluendo non vtitur sua potestate licite, & cum hoc nullum effectum habet illa absolutio; Interdum vero ille vsus habet effectum suum vt cum habenti potestatem conficiendi Eucharistiam interdicitur exequutio eius, tũc enim si consecrat peccat quidem, sed effectus consecrationis & transubstantiationis sequitur.

Cæterum circa hanc descriptionem dominij Euangelici sunt aliqua dubia, quę non hic, sed in materia de clauibus d. 18. explicari hñt, atq, in materia de Sacramẽto ordinis d. 24.

Dominium canonicum quid sit. Hostiensis. Ius patronatus quid sit.

Dominium canonicũ est potestas seu facultas conueniens alicui secundum leges canonicas humanas, vt ius quod habet patronus alicuius beneficij, est dominium canonicum: nam lex canonica ei, qui est patronus alicuius beneficij cõcedit ius patronatus; est autem ius patronatus secundum Hostiensem potestas præsentandi instituendum ad beneficium Ecclesiasticum simplex & vacans, fundamentum autem, seu titulus, in quo fundatur ius patronatus est aliquod illorũ trium (sin Arist. Goff. & Ioan.) s. fundatio Ecclesiæ, donatio cuiusdam, & collatio soli, vt 16. q. 7. c. filius, & c. Quicumque & 18. q. 2. Abbatem.

Item ius instituendi Episcopus, & Archiepiscopos, Immo & eligendi Põtifices, & ordinandi Sedem Apostolicam, quã habuerunt olim Imperatores quidam, fuit dominium canonicum, quia eis conueniebat tantummodo ex canonica concessione Ecclesiæ, quæ eis illud ob eorum fauorem, quẽ erga Ecclesiam habebant, & Zelum concessit, vt patet d. 63. c. 22.

Adrianus,

Adrianus,& c.23.in synodo,sed ius instituendi ecclesiasticas personas ad officia ecclesiastica conuenit Episcopis etiam ex Euangelica concessione.

Item ius quod habet plebanus accipiendi quartam partē funeralium, quæ pars alias dicitur portio Canonica,& ius & dominium Canonicum,conuenit. n. ei iure positiuo id sibi concedente in Clementina dudum de sepulturis.

Item ius accipiendi decimas a populo suo,quod Plebanus habet est Canonicum dominium,conuenit.n. et iure positiuo,vt patet.16.q.7.cap.omnes decimæ.

Item ius lucrādi temporalia determinata, quod ius alio nomine vocatur beneficium Ecclesiasticum annexum alicui officio Ecclesiastico conuenit ei, qui est ad illud beneficium præsentatus per patronum,si est patronatum beneficiū, vel electus si est beneficium electiuum.i.quod per electionem confertur postquam fuerit ad idem legitime constitutus, vel in eo cōfirmatus, hoc est Canonicū ius vel dominiū: quia conuenit ei tunc secundū leges Canonicas,quia lex Canonica ei,qui sic est institutus vel cōfirmatus concessit tale ius, & fundamentū talis iuris est eius institutio , vel confirmatio præcedenti præsentatione,vel electione, quæ pōt titulus eius appellari, Dominium ciuile a diuersis diuersimode definitur,nam Armachanus in 4.de paupertate Episcopi dicit,quod est creaturæ rationalis mortalis authoritas, seu potestas,siue ius ciuiliter acquisita vtendi aliqua re plene legi positiuæ subiecta conformiter ad rectam rationem. Dicitur primo authoritas seu potestas,quod idem est,quia omne dominium qualecumq; sit est potestas, dicitur notanter creaturæ rationalis mortalis, nam irrationales creaturæ nō habēt dominium,nec ēt naturale, vt aliqui volunt, de quo infra. dicitur creaturæ rationalis mortalis: quia omne tale dominium ciuile est ad vsum rerum, & conseruationem vitæ & pacis,quæ nī creaturæ rationali mortali cōueniūt,cū creaturæ immortales non indigeant aliqua re ad vitæ conseruationē. Dicitur ciuiliter acquisita ad differentiam Dominij naturalis,& originalis,& aliorum dominiorum, de quibus supra:quia illa non sunt ciuiliter acquisita,i.ex populi consensu,vtendi aliqua re plene,dicit plene quantum ad omnē modum vsus licite illius rei,i.ad locandum,donandum , transferendum,vel impignorandū, & sic de alijs generib. vsuum. Dicitur legi positiuæ subiecta,quia stando præcise in lege naturali quacumque re ciuiliter erat licitum vti,quia omnia erant communia ; facta vero rerum distinctione factum est ēt quod quibusdam certis rebus,alicui certæ personæ ad vsum concessis eisdem vti alijs fuerit prohibitum nisi ex consensu possidentis,atque ad eo ex illa prohibitione,qua prohibitum est aliquibus personis certis rebus vti,& ex concessione,qua concessum est huic personæ vti hac re, ista authoritas ciuiliter acquisita plene vtendi his rebus vocata est dominium ciuile.

Dominium ciuile quid sit Armachanus.

Gerson vero ita dominium ciuile definit. Dominiū ciuile est dominium ratione peccati introductum , non competēs pluribus ex æquo,retinibile,& abdicabile seruata,& non seruata charitate,fundatum in lege ciuili seu politica . Dicitur primo notāter peccati occasione introductum,nam si homines mansissent in statu innocentiæ,hoc dominium introductum non fuisset:quoniam tunc fuissent omnia communia, hoc autem dominium est cum rerum appropriatione. Dicitur secundo non competens pluribus ex æquo : quia quod concessum est certæ personæ,vti alijs est prohibitum nisi ex consensu illius personæ,dicitur retinibile, & abdicabile seruata vel non seruata charitate:quia dominus rei seruata charitate potest retinere dominium : quia simul stant in aliquo quod sit in charitate,& quod habeat proprietatem, & ciuile dominium rerum,lex.n.Christi seruati potest & per consequens aliquis potest esse in charitate sine abdicatione proprietatis,& dominij,hoc ēt dominium est abdicabile seruata charitate;quia potest quis renunciare illi dominio seruata charitate,quam habet immo merendo in eius abdicatione,Potest etiam hoc ciuile dominium retinere perdita charitate,nam ex hoc quod quis labitur in mortale non perdit ciuile dominium rerum,& possessionum suarū,& sicut non perditur perdita charitate,ita non acquiritur charitate acquisita;dicitur postremo fundatū in lege ciuili vel politica, quia lex ciuilis est fundamentum huius dominij siue titulus: immo lex ciuilis est illa secundum quam conceditur tale dominiū,& fundamentum illius dominij est illud,quod lex ciuilis disposuit esse titulum vel fundamentum,gratia cuius alicui concedi debet tale dominium, quemadmodum est emptio,permutatio &c.leges.n.ciuiles disponunt,quod qui dono acceperit rem,vel emerit,vel præscripsent eam legitime, debeat habere dominium,vel ius ciuile illius, fundamentū tamen illud non potest vno vocabulo designari.

Gerson.

His omnibus dominijs optime adiungendum est naturale dominium quod nihil aliud est quam facultas assumendi rem simpliciter necessariam ad conseruationem sui,& ad vsum sui necessarium secundum regulas iuris naturalis , pro cuius explicatione supponitur primo,quod de lege naturæ, quilibet quantum sibi possibile est tenetur corpus suum, & se conseruare in esse,& hoc est naturale omnibus rebus. Secundo supponitur iuxta doctrinam Diui Thomæ 2.2. q. 66. art.7.quod ius positiuum non potest derogare iuri naturali , aut diuino,quia nunquam ius inferius derogare potest iuri superiori,immo nullum ius positiuum est licitum nisi propter conformitatem ad diuinum,vel naturale. Tertio supponitur,quod quælibet rerum appropriatio est de iure positiuo ciuili,vt patuit supra. Ex his infertur quod si quis necessitatem patiatur,ita quod ad prolongandā, vel conseruandā vitam sit ei necessarium illud,quod est alteri appropriatum iure positiuo,talis res est illius quantum ad dominium naturale,pater,quia secluso quacunque lege pure positiua ,illud fuisset suum,& sub pœna peccati mortalis tenetur capere, & vti illo,quia obligatur sub pœna peccati mortalis ad conseruādam vitam propriam,& cum ius positiuum non possit naturali derogare , adhuc est obligatus ad sumendum illud, quamuis alter illud possideat iure positiuo,quia habet facultatem vtendi secundum rectam rationem. Secundo infertur quod dominium naturale fundatur in necessitate, adeo qd titulus dominij naturalis est ipsa necessitas,ex quo patet defectus Armachani dicentis in dialogo,qui intitulatur defensorum pacis. Dominium naturale fundari in charitate,quod est plusquam falsum,quia alias sequeretur quod peccator in mortale existens in extrema necessitate quocumque cibo vteretur peccaret mortaliter:quia vteretur re aliena, & nullo modo sua,amissa.n. charitate etiam dominium amitteret.

Dominium naturale qd sit.

D Thom.

Tertio infertur,quod nullus potest absolute & vniuersaliter abdicare a se hoc dominium,nec quantum ad certam speciem cibi,& potus,primum patet,quia si simpliciter abdicaret per votum aut alio modo quemcumque vsum cuiuscum que creaturæ non obstante necessario vsu illius ad vitam, esset homicida illius,patet quia si non pasco fame morientem sū homicida illius,ergo a fortiori & mei,si non pascam me, secundum probatur nempe quod non potest aliquis alicuius cibi certæ speciei,aut potus hoc dominium simpliciter abdicare,hoc est non potest fieri votum de non comedendi carnibus,aut de non potando vino in quocumq. casu & euentu,nam potest accidere casus in quo vsus illorum erit necessarius ad vitam conseruandā,vt si non reperiatur aliud comestibile,nec aliud potabile nisi carnes & vinum , & si quis in tali casu non commederet carnes ,vel vinum non biberet, esset sui ipsius homicida, ergo non potest aliquis quocumq. voto simpliciter abdicare a se istius cibi,& potus naturale dominium.

Quarto infertur quod iudex sęcularis nō potest homines condemnare vt sibi ipsi inferat mortem,sed bene vt patiatur illatam ab alio,nec etiam potest reum condemnare , ita vt teneatur illi obedire,vt aliquid faciat ad qd sequatur mors, bene potest aliquid præcipere,vt alius faciat aliquid ad quod sequatur mors illius,Hinc si iudex sæcularis condemnet aliquem vt fame pereat,& submittetur ei occulte cibus potest comedere,: quia si non comederet seipsum occideret, & peccaret secundum D.Th 2.2.q.69.art.4.ad secundū ergo tenetur tunc sumere non obstante tali condemnatione Iudicis:quia est illi facultas secundum legem naturalem , & tectam rationem vtendi tali cibo,ergo non obstante tali condemnatione perseuerat in eo dominiū naturale,quia quodcumque ius positiuum non potest derogare iuri naturali, atque adeo Iudex per quācunque sententiam non potest me priuare hoc dominio naturali.

D.Thom.

Quinto infertur,quod Deus potest priuare hominem dominio naturali,tum quia tale dominium non competit alicui nisi ex dono Dei liberali,atque adeo si dat liberaliter, potest etiam illud auferre,tum quia Deus est dominus vitæ & mortis,& potest alicui præcipere,quod se occidat , ergo potest ab eo dominium naturale auferre . Dico tamen quod si dederit alicui præceptum de non comedendo de certa spe-

cie cibi,& in præcepto non incluserit casum necessitatis, superueniente necessitate crederem, quod posset comedere illum cibum, & ratio mea est, quia quando sunt duo præcepta, & vnum est pure positiuum, quamuis diuinum, aliud vero non est pure positiuum, sed aliquo modo naturale, si occurrat casus incompossibilis obseruationis vtriusque præcepti, ita quod non possint ambo simul obseruari, neglecto, quod est pure positiuum, obseruandum est illud, quod non est pure positiuum, sed aliquo modo naturale,quia magis obligat; in proposito autem præceptum de seruanda vita propria non est pure positiuum, præceptum autem de abstinentia ab hoc cibo est pure positiuum, & nullo modo naturale, atque adeo quando illa duo simul occurrunt, & sunt incompossibilis obseruationis, tunc obseruandum est præceptum, quod participat de iure naturali; Hoc patet exemplo Dauid, qui positus in necessitate non repetit nisi panes propositionis, de quibus præcepto diuino non erat ei licitum comedere, quapropter in eo casu oportebat vel transgredi diuinum præceptum de non comedendo panes sanctos, vel præceptum de conseruanda vita, & tamen neglecto diuino præcepto comedit panes propositionis obseruans præceptum de conseruanda vita, & excusatur tum est, quod non peccauit iuxta sententiam Saluatoris. Matt.10.quia in præcepto de non comedendis panibus propositionis non includebatur quicumque casus particularis, ac proinde potuit existimare Dauid, quod casus necessitatis erat exceptus. Cæterum si Deus daret præceptum cum ista clausula,etiam in casu necessitatis, esset priuatus à Deo hoc dominio naturali.

ARTICVLVS V.

Vtrum Dominium soli creaturæ rationali competat.

Deus est verus, & legitimus Dominus omnium rerum. Circa hanc difficultatem tam explicato, quid & quotuplex sit dominium, vt de illius subiecto agamus, vt incerta ab inuertis separemus, Obseruandum est quod omnium rerum verus & legitimus Dominus est Deus iuxta illud Psalm. 23. Domini est terra, & plenitudo eius, propter quod Iudith Dominum cum appellat dicens, Dominus nomen tibi est, & infra, Deus cęlorum, creator aquarum, & dominus totius creaturæ exaudi me miseram deprecantem, vt de tua misericordia præsumentem &c. Iudith. 9. & Salamon confitetur de Deo. Dominus vniuersorum tu es, fuit quidem Deus ab æterno omnium rerum potestate Dominus, at vero ab orbe condito fuit vsu atque, actu, cum nullæ res antea essent, quæ illi parere possent.

Secundo obseruandum est, quod ius atque dominium in iustitiosibus existens deriuatur a Deo tanquam a primo fonte & tanquam ab vno & summo omnium rerum domino, iuxta illud Sapientiæ 10. Per me Reges regnant & legum conditores iuxta decernunt; sed dubium est. *Deus ad dederit aliquid dominium rebus ratione carentib.* Vtrum Deus dederit aliquod dominium brutis, vel aliis rebus ratione carentibus. De qua re Contradus in libro de contractibus tractat. I. quæst. 3. reprehendens diuisionem dominij Gersonis dicit, non solum Deum & creaturas rationales, *Contradus.* sed etiam bruta & alias res insensibiles habere aliquarum rerum dominium, ita enim scribit, hac diuisione non omnes species dominij conuenientes creaturis enumerat; nam aliquod est dominium conueniens creaturis irrationalibus, quale dominium habent corpora cęlestia super hæc inferiora ad exercendas multas operationes circa ea, item aliquod est dominium conueniens brutis secundum quod dicimus aliquod animal habere dominium super alia,vt aliquem esse Regem in Apibus; eamdem sententiam docuit Ioan. de *Ioan. Maior.* Maioris in 4. dist. 15. quæst. 2. Et quidem quod bruta habeat dominium probari potest ex illo Genes. I. Ecce dedi vobis omnem herbam, vt sit vobis in escam,& cunctis animantibus terræ item inter apes est vnus Princeps, & inter Grues est vnus Dux, quem cæteræ sequuntur, vt docet Diuus Hieronymus in Epistola ad Rusticum Monachum, cuius verba habentur 7. q. 1. c. In apibus, & inter Apes est Herodius Dux, atque Rex iuxta illud Psal. 103. Herodij domi dux est eorum; ergo vnum brutū habet dominium super alterum, & cuncta super illas res quibus vescuntur.

Quod autem aliæ res insensibiles etiam habeant aliquod dominium, probatur similiter ex illo Genes. c. I. vbi dicitur Deum creasse duo magna luminaria, vnum præesset diei, alterum vt præesset nocti. Item cęli atque astra huic sublunari mundo dominari videntur, vt pote qui calorem atque virtutem influit, quibus foueatur atque vegetetur propter quod dicebat Arist. I. Metheoro. necesse est mundum hunc inferiorem subiectum esse lationibus superioribus, vt eius inde virtus gubernetur. *Arist. 1.*

Oppositam tamen sententiam docet Sotus lib 4. de Iust. & iure q. 1. art. 2. Vnde pro huius difficultatis solutione obseruandum est primo, quod subiectum est duplex, aliud inhæsionis, aliud vero denominationis. v. g. Crespitudo solis capillis inhæret, at vero denominat totum hominem. *Sotus.* *Subiectū est duplex.*

Item obseruandum est, quod subiectum est duplex, s. quod & quo: subiectū quod est totum compositum seu suppositum, subiectū quo est forma seu principium. Tertio obseruandum est quod dominium tria importat primo potentiam coerciuam subditorum. Secundo ordinem ipsius domini ad sibi subditos, qui ordo consequitur ad prædictam potentiam. Tertio connotat rationem termini ipsorum subiectorum ad Dominium, quatenus relatiue consistunt in respiciendo se inuicem. *Dominium tria importat.*

Quarto obs. est, quod creaturæ intellectuales sunt in duplici differentia, quædam. n. sunt puræ intellectuales, vt Angeli, aliquæ non pure intellectuales vt homines. Ex his dico primo quod Deus nulli creaturæ ex irrationabilibus vel insensibilibus aliquod dominium dedit. Probatur conclusio, quia si bruta haberēt dominia pabulorum sequeretur, quod qui ea ab eis auferret faceret iniuriā, & ex consequenti peccaret, consequens est falsum, & absurdum, ergo & antecedens, consequentia probatur. Nam propter nullam aliam rationem auferens ab alio rem aliquam est iniurius illi, nisi quia tollit ab eo rem cuius habet dominium. Præterea ius & iustum solum reperiuntur in Brutis metaphorice, & nō proprie, ergo dominium verum & proprium non est in eis, patet consequentia, quia dominium nihil aliud est, quam ius & facultas vtendi aliquare. *Creaturæ intellectuales sunt in duplici differentia.*

Dico secūdo subiectum, quo aut ratio subiecti ipsius Dominij est intellectus simul & voluntas libera. Probatur, nam facultas vtendi re in quoscumque vsus lege permissos radicatur simul in intellectu, & voluntate libera, ergo & c. Antecedens probatur, quia homo non dicitur sui compos, neque vtens aliqua re, nisi quatenus est intelligens, & libere volēs, & si quæras in qua istarum potentiarum potissime radicatur dominium, dico quod in voluntate, tum quia præstatior est intellectu, tum quia in ipsa completur facultas vtendi rebus nobis subiectis. Vnde Damascenus hominis dominium reducit in liberum arbitrium præterquam quod actiones intellectus præuenientes voluntatē, licet sint hominis secundum quod homo, non tamen sunt hominis, secundum quod dominus suarum actionum. *D. Damasc.*

Dico tertio. Angeli sunt domini suarum operationum naturalium, s. cogitationum, & volitionum, nam cum operentur per intellectum & voluntatem, ex quibus propriatum operationum dominium prouenit, nulla ratione potest negari, eos esse suarum operationum dominos.

Dico quarto. Angeli habent aliquo modo dominium super hæc inferiora, & non tantū supra res inanimes, sed et supra homines. Probatur, Deus cuncta ista inferiora gubernat, & ad proprios fines perducit mediante ministerio Angelorum, quorum quosdam fecit præfectos cęlorum, alios animantium brutorum, alios hominū, iuxta illud Pauli ad Heb. I. omnes sunt administratorij spiritus in ministerium missi &c. & ad has res ministrandas quilibet Angelorum in sua commendatione habet ius nil minus, quam præfectus alicuius oppidi, ita vt non possit ab illo munere impediri sine graui iniuria, ergo dicendum est, quod Angeli aliquo modo habent dominium in hæc inferiora, & confirmatur ex Dan. c. 10. Vbi vnus Angelus dr̄ profectus Medorum, alter nationis Persarum. Alter. s. Michael dr̄ Princeps Ecclesiæ & Synagogæ, & similis loquutio inuenitur sæpe sæpius in Apoc. ergo isti Angeli habēt ius in istas Prouincias, & ex consequenti dicendi aliquo modo domini illarum. *Angeli habent aliquo modo dominium super hæc inferiora.*

Contra hanc conclusionem arguit Soto. Res istæ inferiores nō sunt conditæ propter Angelos, sed tm̄ propter homines, quos Deus instituit finē immediatum omnium, rerum creatarum, vt constat ex Gen. c. I. & 2. Angeli. n. cum sint spirituales nullo corpore egere possunt, & res quæ est propter finem, subordinatur fini eius subiecta, vnde manifeste conuincitur tantum homines, & non Angelos harum rerum sublunarium habere dominium.

Respon-

Respondetur quod quamuis hæc inferiora non sint cõ- ta propter Angelos, tamquam propter eos, qui eis indigebant, Angeli enim nihil horum possunt indigere, tamen postquam a Deo habent potestatem illa regendi, atque gubernandi, vnusquisque secundum peculiarem commissionem sibi a Deo factam, singuli habent ius in partes sibi cõcessas, adeo vt peculiari quadam ratione possint appellari Domini illarum.

Homo quicunque est dominij capax.

Dico quinto. Inter homines nullus est qui non sit capax dominij proprie in quacumque sit ætate, statu, & conditione. Probatur quia dominium competit homini eo quod rationalis est, hoc autem omni homini conuenit, ergo omnis homo est subiectum capax dominij; Ex hoc sequitur primo, quod pueri nondum vtentes ratione possunt habere verum dominium, quod non solum constat ex legibus ciuilibus, sed etiam ex diuo Paulo ad Gal. 4. Quanto tempore heres paruulus est nihil differt a seruo cum sit Dominus omnium. Secundo sequitur quod amentes etiam possont habere verum dominium, quod patet, quia iure hereditario succedunt parentibus, verum est tamen, quod amẽtes quibusdam Dominijs iuste priuantur, quia illa instituta sunt in bonum reipublicæ, cui non possont consulere carentes ratione. Tertio sequitur quod amentia superueniens iuri in re & dominio acquisito non priuat ipso facto tali dominio amentem, etiam si amentia fuerit perpetua. v.g. si quis electus Rex, aut institutus Episcopus postmodum incidat in amentiam Rex, & Episcopus manet, verum est tamen quod illa amentia est sufficiens ratio vt deponatur amens. Vnde Caiet. opusc. de potest. Papæ c. vltimo inter causas depositionis pontificis vltimam refert si incidat in amentiam, tunc inquit deponendus est. Quarto sequitur quod dominium non consistit in vsu rationis, aut liber talis actuali vel habituali, sed in natura rationali cui tribuitur, vnde ex his quæ diximus de subiecto dominij satis clare conuincitur ex omnibus creaturis solos Angelos & homines posse habere dominium.

Caietanus.

Ad argumentum contra primam conclusionem respondetur & ad primum desumptum ex Gen. dico illud testimonium potius esse pro nobis, quam contra nos, Dominium enim herbarum de quo ibi fit mentio magis significatur datum hominibus, cum quibus loquitur Deus, quã brutis; atque ita cum dicit. Ecce dedi vobis omnem herbã &c. Idem est ac si dixisset ecce dedi vobis herbas ad pascendum armenta, & pecudes vestras.

Ad illud de apibus, & gruibus. Respondetur quod aliqua animalia habent excellentiam super alia, id non ex dominio, sed ex naturali instinctu prouenit, vnde non proprie, sed metaphorice dicitur vnum alteri dominari propter excellentiam, quam vnum habet supra aliud. Ad aliud de Astris & de Cœlis quæ dicuntur dominari his inferioribus similiter respondetur talem loquutionem esse metaphoricam: si enim sol, aut luna, aut Cœlum influit in hæc inferiora & propterea dicitur habere superioritatem super illa, id non ex dominio, sed ex instinctu naturæ prouenit, atque ita nullum in eis potest esse dominium.

ARTICVLVS VI.

Vtrum rerum omnium, quæ sunt in mundo sit homo vere aliquo modo Dominus &c.

Sensus tituli est, quænam sint illa bona, quorum homo potest esse dominus, quod est agere de obiecto seu materia dominij quarto loco a nobis proposito; quæ res grauiorem, & difficiliorem continet disputationem; loquimur autem in hoc articulo peculiariter de homine; quoniam de Angelis ex his quæ diximus præcedenti articulo satis clare colligitur, quænam sint illa, quorũ possunt esse Domini.

Bona sunt in multiplici genere.

Pro huius autem rei intelligentia obseruandum est multa esse bonorum genera de quibus in præsenti possumus dubitare. An homo illorum sit dominus. Quædam sunt in nobis, & alia sunt extra nos. Rursus ea quæ sunt in nobis sunt in duplici differentia, quædam enim pertinent ad corpus, vt vita, salus, membra, & vsus membrorum; alia pertinent ad animam vt ingenium, virtutes tam intellectuales quã morales, & denique omnes dotes animæ. Bona autem quæ sunt extra nos reducuntur ad tria, famam, honorem, & diuitias, Per diuitias intelligo quæcumque bona temporalia, quæ dicuntur bona fortunæ; Inter famam autem & honorẽ, hoc est discriminis, quod fama est bona existimatio habita de homine, honor vero est reuerentia exterior alicui exhibita propter aliquam excellentiam, ex quo fit, quod fama sit velut quædã pars honoris, & si quis obijciat, quod aliquando honoramus eum de quo habemus sinistram opinionem. Respondetur illum non esse verum honorem, est enim honor præmiũ virtutis, vt multis in locis docet Arist.

Honor & fama quomodo differãt.

Arist.

De his ergo omnibus bonis est a nobis in præsenti dilcetendum, An homo illorum habeat dominium, vt ex hoc colligere liceat, an possit illis pro libito vti, & an circa illa possit alicui fieri iniuria, quæ sunt res grauissimæ, & valde difficiles; nos autem solitæ breuitati atque claritati studentes propositum explicabimus sequentibus conclusionibus.

Homo iure naturali habet dominiũ omnium rerum inferiorum.

Prima conclusio; homo iure naturali habet dominium omnium rerum inferiorum: Probatur ex illo Psalm. 8. omnia subiecisti sub pedibus eius oues, & boues vniuersas &c. quamuis enim illud testimonium possit referri ad Christum quatenus homo est; verum tamen conuenientissime adaptatur reliquis hominibus, maxime cum illud quod antecedit. Quid est homo quod memor es eius &c. non possit ita conuenienter Christo tribui sicut alijs. Secundo probatur ex illo Gen. c. primo. faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram vt præsit piscibus maris, & volatilibus Cœli &c. paulo inferius, Crescite & multiplicamini, & replete terram & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram, quæ verba explicans D. Chrisostomus hom. 7. ad populum Antiochenum arbitratur hominem esse conditum ad imaginem Dei propter præminentiam dominij, quod in res inferiores habet, sicut enim Deus dominatur in cœlestibus, ita etiam homo dominatur in terrestribus. Et confirmatur quia ad hoc vt quis dicatur habere alicuius rei dominium sufficit, vt illa ordinetur ad vtilitatem illius, & quod ille possit vti illa pro suo arbitratu, sed ita se habet homo ex iure naturali respectu omnium rerum inferiorum; ergo homo ex iure naturali est dominus illarum.

D. Chrisost.

Deus est Dominus rerum superiorum.

Secunda conclusio. Rerum superiorum quales sunt Angeli, & cælestia corpora homo non dicitur habere proprie dominium. Probatur ex illo Psal. Cœlum Cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum, & ex alijs testimonijs Gen. quibus dicitur traditum dominium hominibus, in quibus non fit mentio rerum superiorum; sed tantum inferiorum & probatur ratione. Angeli sunt superiores hominibus præsuntque illis, & corpora cælestia sunt similiter superiora corporibus humanis, ergo homo non habet dominium illorum; probo consequentiam. Nam Dominus semper est superior eo, cuius est dominus, & confirmatur, Homo non potest vti Angelis & corporibus cælestibus pro suo arbitratu, ergo non potest dici illorum dominus: non enim sat est vt aliquis dicatur habere dominium alicuius rei, quod illa ordinetur in illum tamquam in finem, neque est satis ordinata sit ad eius vtilitatem, sed ad dominium alicuius rei, vltra hoc quod illa debet ordinari in dominum tamquam in finem, opus est vt subsit eius facultati, & potestati, & quia nec Angeli, nec cælestia corpora subduntur facultati & potestati hominis, idcirco homo non potest dici habere dominium illorum.

Seruitus siue naturalis siue legalis pot esse iusta.

Seruitus est duplex.

Tertia Conclusio. Seruitus vnius hominis siue naturalis, siue legalis potest esse iusta & sancta, atque adeo homo potest alterius hominis habere dominium. Pro cuius conclusionis intelligentia obseruandum est primo, quod seruitus est duplex; Altera naturalis altera legalis, naturalis est cum vnus homo propter inopiam, & defectum rationis seipsum gubernare non potest; is enim naturæ lege subiectus est alteri homini, qui consilio valeat ad eum gubernandum, sicut pars sensitiua in homine subiecta est lege naturæ rationi.

Secundo obseruandum est, quod inter huiusmodi homines rationis inopes sunt gradus, nam quidam sunt amentes omnino, & rationis expertes, qualis natio forte non est inuenta, sed falso a nonnullis existimatum est Indorum esse huiusmodi nationem. Quidam vero sunt rationis inopes, vt quamuis non sint amentes, habent tamen mores ferinos, vt qui vescantur humanis carnibus, impune innocentes interficiunt, eiusmodi sunt apud Indos quidam qui dicuntur Canibales, vt refert Genesius Sepulueda in libro de Iure, quo Hispani dominẽtur Indis, & ij iuxta istius sentẽtiã iuxte debellari possunt, & in seruitutẽ redigi, cũ Barbari

Genesius.

quales sunt illi, qui sine aliquo cultu more ferarum viuunt, naturaliter sunt serui eorum, qui viuunt politice. Cæterum vt inquit Ioannes 2.2.q.10.art.10.dub.4. non possunt in perpetuam seruitutem more mancipiorum redigi.

Ioannes.

Alij demum sunt, qui habent secũdas prudentiæ partes, vt v.g. qui apti sunt vt regantur ab alijs, quamuis non habeant primas partes prudentiæ scilicet vt per se sapiant, & per se ipsos gubernent, omnes igitur hi seruire poterunt seruitute naturali.

Tertio obseruandum est, quod ista seruitus naturalis in rigore & proprietate appellanda non est seruitus, quia seruitus proprie significat carentiam libertatis, qui autem seruiunt ista seruitute, sunt omnino liberi, tum etiam quia seruitus proprie significat malum, & incommodum eius, qui seruit, bonum autem & commodum eius qui dominatur siquidem seruus, quicquid est, domini est, qui autem seruiunt istam seruitutem naturalem non propter dominorũ commodum, sed propter suorum commodum seruiunt, & eadem ratione dominium naturale, quod respondet isti seruituti, non est proprie dicendum dominium, nisi in generali quadam significatione, & ampla acceptione.

Seruitus legalis est duplex.

Quarto obseruandum est, quod seruitus legalis idest quę per legem introducta est duplicem requirit titulum, vnum quidem emptionis & venditionis; nam potest vnus homo seipsum alteri vendere, immo quandoque Pater filiũ emere potest, alterum captionis iure belli, nam qui bello capiuntur iure gentium fiunt serui eorum, qui eos ceperunt, immo inde serui appellãtur quia cum iuste potuissent interfici, seruantur tamen.

D. Thomas. Dominium prout refertur ad homines bifariam sumitur.

Quinto obseruandũ est ex D. Thom. prima p.q.69.art.4. quod dominium secundum quod refertur ad homines potest accipi dupliciter, vno modo vt opponitur seruituti, alio modo vt opponitur subiectioni; Primum dominium est verum, & proprium dominiũ, respicitque verã & propriam seruitutem; qualis est legalis. At vero secundum dominiũ, nec respicit veram nec propriam seruitutem, sed impropriã tantum, qualis est illa, qua subditi subijciuntur Prælatis, & vassalli Dominis siue principibus, quam supra naturalem appellauimus, quæ consistit in eo, quod vnus alterius regimini & gubernationi subdatur.

Sexto obseruandum est, quod inter dominium quod opponitur seruituti, & dominium quod opponitur subiectioni, hoc est discriminis inter alia, quod habens dominiũ primo modo potest vti seruis ad propriam vtilitatẽ, sic & alijs rebus, quarum habet dominium, vnde potest illos vendere, & alienare. At vero habens dominium secundo modo debet ordinare illud non ad propriam vtilitatem, sed ad commodum illorum quibus præest.

Arist.

Ex his patet prima pars conclusionis nempe de seruitute naturali & de dominio opposito subiectioni, nam vnus homo iure naturæ potest dici alterius dñs vt patet ex Arist. lib.1. Politicorum cap.3.& 4. patet etiam ex sacris literis in quibus commendatur Melchisedech, qui erat Rex Salẽ, Commendatur Ioseph, qui erat præfectus toti Aegypto & in Deut. summus sacerdos constituitus est a Deo Iudex vitæ, & mortis, & præcipitur filijs Israel vt si velint aliquando eligere regem, non eligant alienigenam &c. & D. Paul. 1. ad Thimot. 2. ad Titum 3. & Diuus Petrus. 1. Cano. 2. dominium regium approbant. Secunda pars probatur primo ex sacris literis Exod. 21. Leuit. 25. quibus in locis approbatur seruitus legalis. Idem D. Paul. 1. Corint. 7. ad Ephes. 6. ad Colos. 3. 1. ad Thim. 6. ad Titum. 3. & D. Petrus vbi supra eamdem seruitutem approbant: Secundo probatur ex multorum Conciliorum & Pontificum decisionibus, quibus eadem seruitus approbatur, quas Gratianus refert. 12.q.2.& d.1.cap. Ius gentium. Probatur tertio eadem conclusio multorum Regum, & Cæsarum constitutionibus, quæ habẽtur in titulo de statu personarum, & titulo de Iust. & Iure. ff. de Instit. de Iure naturali, & Gentium, & Ciuili. Hæc tamen seruitus inter Christianos numquam superuenire potest Euangelio, & ita videtur quasi receptum iure gentium inter ipsos christianos, excipiuntur tamen Apostatæ desertores totius christianæ Religionis: hi enim iure belli serui fiũt capientium, quamuis Euangelium & Baptismum antea susceperunt; & similiter excipiuntur iure communi, quod habetur in cap. Ita quorumdam & in cap. ad liberandam terram sanctam, de Iudæis, Illi qui merces prohibitas saracenis deferunt, & qui in Piratarum Saracenorum nauibus cupiditatis gratia versantur etiam si Christiani sint.

Gratianus.

Homo non est dominus suæ vitæ, & membrorũ.

Quarta conclusio, Homo non est dominus suæ vitæ, nec membrorum, ita vt possit se ipsum interimere, quin agat contra charitatem, & iustitiam, aget quidem contra charitatem; quia præcepto non occides, non solum alios, verum & nos ipsos occidere prohibemur, & contra iustitiam quoque, quia occidens se ipsum aufert alienum nempe vitam inuito Deo, qui est vitæ & mortis Dominus: nam in Deut. dicitur ego occidam, & ego viuere faciam; ex hoc sequitur quod nec membra, nec vitam corporalem, potest homo pretio vendere, aut illa pro pecunijs commutare.

Homo habet dominiũ bonorum corporaliũ, quę ex natura sua non ordinantur ad vitæ conseruationem.

Quinta conclusio, Bonorum corporalium, quæ ex natura sua non ordinantur ad vitæ conseruationem, vt sunt pulchritudo &c. huiusmodi homo habet dominium, ita vt potest illa dispensare, sicut dispensat de pecunijs, & alijs bonis temporalibus, patet quia certum est, quod homo habet dominium proprij corporis quantum ad aliquos ipsius vsus, quod patet ex D. Paulo. 1. ad Corint. 7. vbi dicit. Mulier sui corporis potestatẽ non habet, sed vir; ex quo sequitur quod ipsa prius habebat potestatem in proprium corpus quantũ ad actum matrimonialem, alioqui non potuisset illam trãsferre in virum cum nemo possit in alterum trãsferre, quod ipse non habet, & eadem ratio est de alijs actibus corporalibus, vt ambulatio &c. ex quo infertur, quod si quis impediat hominem ab ambulando, vel operando, ligando eius pedes, aut manus faceret ei iniuriam; quia auferret ab eo vsus membrorum, quorum plene atque perfecte est dominus.

Princeps nõ habet dominium vitæ suorum subditorum.

Sexta Conclusio, Respublica aut Princeps non habet dominium vitæ suorum subditorum. Probatur efficacissima ratione. Si Respublica, aut Princeps haberet dominium vitæ suorum Ciuium, sequeretur quod etiam si illos absque aliqua prorsus causa interficeret, non teneretur ad restitutionem, sicut nec ille, qui prodige consumit bona temporalia, tenetur aliquid restituere, quia est illorum bonorum dominus; consequens autem est absurdum, & contra communem Doctorum sententiam. ergo &c. Nec obstat quod Princeps interficit nocentes, aut etiam in bello exponit manifesto periculo mortis vitam suorum. Nam ex primo solum sequitur quod est Iudex, & sic potest pro delicto punire. Ex secundo autem conuincitur quod est Republicæ custos, & sic potest pro conseruatione totius vitam eorum, qui sunt partes exponere. Quando autem Arist. lib. 5. Eth. c.11. affirmat, quod qui se, aut alterum interficit, facit iniuriam Republicæ, non ideo dicit, quod vitæ dominium sit pęnes Rempublicam; sed quia cum Respublica sit, cui custodia, aut tutela vitæ Ciuium est commissa, ipsa sola est quæ iure potest homines vita priuare.

Arist.

Homo est dominus propria famæ, & honoris. D. Thomas.

Septima conclusio, Homo est dominus propriæ famæ & honoris, sicut est dominus pecuniarum, & aliorum bonorum temporalium; hæc conclusio est. D. Thom. 2.2.q.73.artic.4. ad primum & q.129. art. primo vbi inter alias res humano vsui subiectas famam, & honorem commemorat, quem sequuntur D. Anton. 2. p. tit. 2. c. primo §.3. Adrianus in materia de restitutione. q. penultima; Sotus lib.4. de Iust. & Iure. q.2. art.3. & in relectione de ratione tegendi & detegendi secretum. m.1.q.3. Nauar. in Manuali. c.18. nu.46. & in cap. inter verba. 11.q.3. conclu. 6. corrol. 44. & Couar. libro variarum resolutio. c.2. num.8. Est tamen contra Caiet. 2.2.q.73. art.2. & in summa verbo detractio. Probatur fama & honor proprio labore, propriaque industria acquiruntur & augentur ergo sumus illorum domini. Probatur consequentia nam propterea sumus domini bonorum tẽporalium, quia illa proprio labore, & industria acquirimus, nec videtur alius titulus conuenientior ad habendum alicuius rei dominium, quam quod fuerit proprio labore acquisita: & cõfirmatur quia homo est eorum dominus, quæ per arbitrij facultatem regit & gubernat; sed famam & honorem homo gubernat per arbitrij facultatem, vt docet. D. Thomas loco supracitato ergo &c. Ex hoc sequitur quod homo imponens sibi falsum crimen agit solum contra charitatem, sed de hac relatius infra.

D. Anton. Adrianus. Sotus. Nauarrus. Couarruuias. Caietanus.

Homo est spiritualiũ bonorum Dominus.

Octaua conclusio. Homo est spiritualium bonorum Dominus; sunt autem bona spiritualia in duplici differentia, nam quædam sunt externa, quæ non faciunt ipsum habentem bonũ, cuiusmodi sunt iurisdictiones Ecclesiasticæ ad determinatas causas spirituales, & similiter beneficia spiritualia; iura. s. ad percipiendas decimas ꝓ officijs Ecclesiasticis,

siasticis, vt Parochia, Episcopatus, decanatus, &c. Alia vero sunt bona interna, quæ faciunt subiectum bonum, vt gratia & virtutes infusæ; hoc supposito probatur Conclusio de bonis primi generis; Episcopus, & Parochus, potest abalienare a se iurisdictionem ecclesiasticam omnem, quam habet, & iura ad percipiendas decimas, si non vendendo, certe resignando in fauorem alicuius, & donando. ergo est dominus &c.

De secundi generis bonis probatur conclusio tripliciter; Primo sic homo per facultatem liberi arbitrij Deo auxiliante per particulare quoddam auxilium comparat sibi a Deo gratiam, & reliquas virtutes infusas, ergo est dominus illarum. Probatur secūdo. Si homo non esset dominus gratiæ, & charitatis sequeretur, quod cum peccat peccatū furti, aut quodlibet aliud peccatum committeret duplex peccatum, vnum furti contra proximum, alterum iniustitiæ contra propriam animam & contra Deum, quia aufert vitam spiritualem, & infert mortem, sicut si seipsum occideret, quod est falsum, & contra omnium sententiam. Tertio probatur, quia sequeretur ex opposita sententia, quod qui peccaret mortaliter, teneretur continuo ad pœnitendū sub præcepto, quod est falsum vt ostendimus supra. Probatur sequela, Præceptum restituendi aliena obligat statim, vt dicemus infra, ergo si gratia, & reliquæ virtutes infusæ sunt alienæ continuo tenebimur postquam eas per iniuriam læserimus restituere &c.

ARTICVLVS VII.

Vtrum naturaliter aut diuino Iure fuerint Dominia olim diuisa &c.

EXplicatis iā quatuor ex quinque quæ proposuimus agere de dominio, nempe quid sit dominiū, & quotuplex, quid sit eius subiectum, & quid eius obiectum, seu materia consequens est vt dicamus de distinctione dominij, quando scilicet dominiorum distinctio inceperit, & qua lege fuerit introducta, quod est id, quod principaliter Doct. noster Sub. in primo articulo huius quæstionis ostendit.

Pro explicatione huius difficultatis obseruandum est primo, quod titulu quæstionis potest intelligi dupliciter; vno modo quod dominia fuerint prius intrinsece, indistincta hoc enim supponit quæstio, nempe quod dominia fuerint quandoque indistincta, & hoc modo ea fuisse indistincta, esset ea sic se habuisse, quod illud dominium, quod vnus habuisset fuisset illud idem dominium, quod alij habuissent, & hoc modo numquam dominia rerum fuerunt indistincta, quia numquam accidens existens in vno subiecto est idem cum accidente quod est in alio subiecto. Dominiū autem quod v.g. Adā habuit est accidens saltem respectiuū, ergo illud non erit idem cum dominio quod v.g. habuit Abel & Eua; sed illa dominia distinguebantur numero sicut & subiecta. Alio modo potest intelligi quod fuerint indistincta extrinsece, & hoc modo dominia fuisse aliquando indistincta, est ea sic se habuisse, quod illius eiusdē rei vnus habebat dominium, etiam reliqui omnes dominium habebant. Sensus ergo quæstionis est vtrum dominia rerū, quarum homines habebant dominium, distincta fuerint naturali ac diuino iure.

Secundo obseruandum est, quod cum multiplex sit dominium, vt patuit supra hic tamen non loquimur nisi solū de dominio ciuili. Est ergo sensus quæstionis, Cum res quarum homines habent dominia, primum fuerint communes omnibus hominibus, sic quod nulli erant appropriatæ, ipsæ licite & rationabiliter, appropriatæ fuerunt iure naturali aut diuino.

Tertio obseruandum est, quod titulus quæstionis intellectus de dominijs ciuilibus potest adhuc dupliciter intelligi, vno modo per constructionem transitiuā, ita vt sit sensus; vtrum aliquo tēpore dominia ciuilia fuerint, pro quo non fuerunt distincta, & postea distingui ceperint, & hoc modo nō intelligitur quæstio, quia supponeret falsum; quia numquam dominia ciuilia fuerunt indistincta, sed quā primum fuerunt orta, fuerunt orta cū distinctione. Alio modo per constructionem intransitiuam, vt sit sensus. Vtrum dominia ciuilia, quæ sunt dominia non indistincta fuerint recta, & orta per legem naturalem, aut diuinam; & hoc modo titulus quæstionis est intelligendus. His obseruatis respondet Doctor ad quæstionem duabus conclusionibus.

In statu in- Prima conclusio in statu innocentiæ & in pura lege naturali erant omnia communia, ita quod in eo statu non erāt *nocentiæ & in pura lege naturali erant omnia communia.* rerū dominia distincta lege naturæ, vel diuina, & hoc quidem conueniens erat pro illo statu. Probatur nempe quod pro statu innocentiæ non erant dominia rerum distincta, neque lege naturæ, neque diuina. & primo quod non fuerint distincta lege diuina probatur per illud decretorum. d.8. c.1. vbi dicitur quod iure naturæ sunt omnia cōmunia omnibus, ad quod probandum adducitur illud Augustini super Ioannem tract.6 ad primū Capitulum dicentis, quo *D. August.* iure defendis villas ecclesiæ diuino an humano? Diuinum ius in scripturis habemus, humanum autem in legibus Regum. Vnde quisque possidet quod possidet? nonne iure humano? nam iure diuino. Domini est terra & plenitudo eius. Pauperes & diuites Deus de vno limo fecit, & pauperes & diuites vna terra supportat, Iure tamen humano dicitur hæc villa mea est, hæc domus mea est, hic seruus meus est, & infra in eodē capite, Tolle iura Imperatorū, & quis audet dicere mea est hæc villa, aut meus est ille seruus, aut domus hæc mea est, & infra quasi in fine cap. Per iura possidentur possessiones: & 12 q.1.c. Dilectissimis, referuntur ex Epistola tertia Diui Clementis hæc verba, Communis vsus *D. Clemēs.* omnium, quæ sunt in hoc mundo omnibus esse hominibus debuit; sed per iniquitatem alius hoc suū esse dixit, & alius aliud; & sic inter mortales facta diuisio est: ea his ergo patet, quod rerū dominia non sunt diuisa per legem diuinam positiuam, & dico per legem diuinam positiuā ad differentiam legis naturalis, quia quamuis lex naturalis sit diuina; quia solum Deū habet auctorē, tamen non est positiua; nā positiua est, quæ non ex naturali ratione vim habet obligādi sed solum ex beneplacito ferentis legem, cuius generis est lex, quæ præcipit omnes homines baptizari: non enim vim habet obligādi nisi ex beneplacito Dei, sic instituentis legē.

Sed videtur quod hæc auctoritas diui Augustini non cōcludat propositum: nā in illis verbis non habetur hæc negatiua distinctio rerum, vel dominiorū non est facta lege diuina, sed tantum habetur illa affirmatiua, quod talis distinctio facta sit iure humano; sed hæc affirmatiua non infert prædictā negatiuā; non enim sequitur dominia sunt distincta iure humano, ergo non sunt distincta iure diuino, eo qd vnū & idē dominiū potest alicui cōpetere vtroq; iure.

Præterea, Populus Israel habebat dominium distinctum, & proprietatē in terra promissionis a Deo, ita vt vere poterat dicere ille populus hæc terra est mea, sic quod nullius alterius hominis, & tamen illud dominium fuit eis datum, & concessum a Deo & nō per legem Ciuilem, igitur aliqua dominia distincta fuerunt per legem diuinam.

Ad primum dicendū est, quod D. Augustinus supponit quod Deus habet dominium in terra, & in omnibus rebus terrenis, & quod sua lege, & concessione deriuauerit in homines, atque eis concesserit principatum, & dependens dominium terrenorum; sed illam legem suā ferendo, per quā eis concessit, nō distinxit eis ipsa terrena, vt hæc res sit illius, & ista alterius; sed indistincte ea tradidit eis, atque ita ea diuina concessione non habent distincta dominia. Assumptū autem scilicet quod Dominus ferendo legē per quam concessit eis terrena nō distinxerit illis ea, habetur Gen. primo pro statu innocentiæ & Gen.9. pro statu naturæ lapsæ, quibus in locis lex, qua dominus tradidit hominibus terrena non distinguit quid cui debeat esse proprium; nam Gen.1. indistincte ait. Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram & vniuersa ligna &c. vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ &c. & Gen.9. ait, omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt, & omne quod mouetur & viuit erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia &c. Præterquam quod illa negatiua habetur in secunda auctoritate in illis verbis tolle iura Imperatorum, & quis audet dicere hæc villa mea est &c. ergo vult quod distinctio dominiorum, & proprietas sit tantum modo ex iure humano, quia eo sublato tollitur proprietas, & distinctio non est igitur a iure diuino.

Ad secundū dico primo, quod conclusio non debet intelligi sine omni exceptione, fallit.n. in prædicto casu, qui singularis est; alias.n. regulariter loquendo nō diuisit Deus distincte dominia rerū appropriādo res huic vel illi; sed reliquit eas cōmunes humanis cōstitutionibus & ordinationibus diuidēdas. Secūdo dico & forte melius, quod cōclusio intelligitur de distinctione dominiorum personalium, quālia habent singulares Personæ, vt quod Ioannes habeat

proprietatem equi, Petrus Agri &c. Dominium autem populi Israel in terra promissionis non fuit personale, sed concessum toti populo, sic tamen quod nullus de illo populo habebat proprietatem alicuius partis illius terræ promissionis, vel partis eius ex diuina concessione, quamuis enim dominus sua ordinatione distinxerit tribubus mediātibus sortibus; nulli tamen singulari de populo eam, vel partem eius appropriauit, sed dimisit eā distinguendā humana actione singularibus personis, vt patet in lib. Iosuæ, Vnde quod Caleph, qui fuit singularis persona obtinuit dominium in Hebron fuit ex concessione humana scilicet Moysi, & Iosuæ, vt patet Iosuæ 14.

Dominia nō erant distincta lege naturæ. Quod autem non essent distincta lege naturæ patet, quia lex naturæ non potest præcipere contraria, sed omnes res esse communes contrarium est rerum diuisioni, ergo cum secundum legem naturæ res omnes sint omnibus communes, sequitur quod secundum legem non est facta rerū diuisio, nam sicut natura non inclinat ad opposita, ita lex naturalis non dictat opposita, sed lex naturalis dictat, & dispo nit vt omnia sint omnibus communia; igitur illa eademmet non dictat nec disponit, vt res approprientur & dominia distinguantur, cum ergo lex naturæ eadem sit pro statu tam innocentiæ, quam naturæ lapsæ, sequitur, quod sicut disposuit debere omnia esse communia pro statu innocentiæ, sic etiā disponit pro statu naturæ corruptæ, atque adeo distinctio dominiorum non est per legem naturalem facta.

In statu innocentia omnia fore cōmunia bifariam potest intelligi. Est tamen obseruandum, quod cum dicitur in statu innocentiæ omnia fuisse communia, hoc potest intelligi dupliciter, nam homo in quibusdam rebus habet dominium, quarum vsus est necessarius ad subsistentationem indiuidui; Aliæ vero sunt in quibus habet dominium, quarum vsus non est necessarius ad cōseruationem indiuidui, sed speciei, vt vsus feminæ, quando ergo dicitur quod in statu innocentiæ omnia fuissent communia, intelligendum est de illis rebus, quarum vsus est necessarius ad conseruationem indiuidui, non autem de illis rebus, quarum vsus necessarius est ad conseruationem speciei. Nā Adam habuisset dominium propriū in corpus Euæ, & quilibet vir in corpus propriæ vxoris, Adam enim fuisset vir Euæ, & nullus alius habuisset dominium in corpus Euę nisi Adam, & huiusmodi appropriatio fuisset in statu innocentiæ, patet ergo quod rerum diuisio non est perfecta per legem naturæ; nisi dicatur inquit Doctor, quod illa propositio instituta de rerum diuisione feræ bestiæ, quod nullius est, occupanti conceditur, sit de lege naturæ. Ceterū licet illa propositio, inquit Doctor, quasi statim post naturalem apprehensionē de hoc, quod est res esse diuidendas, occurrat illa tamquam probabilis & manifesta, tamen rationabilius est dicere, quod illa propositio nō sit de lege naturæ, sed de lege humana positiua, vel dicendū est, quod illa lex potest intelligi dupliciter, vno modo de concessione quoad proprietatem dominij, vt sit sensus per occupationem rei existētis in nullius dominio, quis acquirit proprietatem dominij, & hoc modo non est naturalis, quia vt sic non est nota ex terminis, nec sequitur ex alia euidenti. Secūdo modo potest intelligi de cōcessione ad vsum, vt sit sensus per occupationem rei existentis in nullius dominio, debet habere occupans vsum appropriatum sibi pro tempore occupationis, sic quod licitum est sibi velle vti illa re sine alterius consortio, quamdiu durat eius occupatio, & hoc modo potest esse lex naturalis saltem large capta.

Secundum principale conclusionis scilicet quod in statu innocentiæ erat valde conueniens, quod res in cōmuni possiderentur. Probatur. Illa rerum possessio conuenit esse in vsu, quæ maximæ conueniat cum pacifica, & congrua conuersatione hominum, & necessaria illorum substentatione, ergo in illo statu fuit valde conueniens, quod res in communi possiderentur consequentia est nota cum maiori, & minor probatur, quia si res, in communi concederentur essent omnes paratæ ad vsum necessarium, si vero concederentur in vsu particulari appropriato non essent ita obuiæ, & paratæ, ergo possessio rerum in communi in statu innocentiæ magis conueniret cum substentatione hominum congrua & necessaria; & si dicatur si res in communi concederentur essent expositæ furto, & rapinæ, & essent etiam contentionum materia. Respondet Scotus, quod si homines permansissent in statu innocentiæ sanctè & pacifice agerent vitam, ideoque nihil occuparent quod sibi non esset necessarium, neque alios a necessarijs prohiberent, atque ita sublata esset de medio omnis contentionum materia. Et confirmatur quia tunc nulla esset inter homines auiditas, ipsaque terra vel inculta sua sponte fructus tulisset, vel perpetua indiguisset cultura, quam refugisset nemo, ex quo fieret, quod nullum esset periculum, aut quod fructus terræ deficerent, aut quod vlla inter homines oriretur discordia.

In statu naturæ lapsæ non fuisse conueniens omnia omnibus esse communia. Secunda conclusio. In statu naturæ lapsæ, & post peccatum non fuisset conueniens omnia omnibus esse communia, atque adeo rationabiliter fuerunt dominia rerum distincta. Probatur dupliciter, Primo quod esset contra pacificam hominum conuersationem, quia cupidi & auari plus acciperent, quam ad eorum substentationem esset necessarium, indeque orirentur lites, & maximæ controuersiæ inter homines, & fortes atque robusti omnia per vim occuparent, sicut Gen. 10. legimus de Nembroth, quod erat robustus venator coram Domino, idest Tyrannus, & hominum oppressor.

Arist. Secundo probatur quod hoc esset cōtra necessariam substentationē propter illud, quod fortiores bellatores priuarent alios necessarijs. Vnde Arist. 2. polit. iure optimo reprehendit Socratem, qui dicebat eam rempublicā optime institutam esse, in qua omnia essent cōmunia, nam res ad substentationem necessaria, quā etiam vxores, ideoque inquit Doctor, Arist. politia ponentis quod nō sint omnia communia in eo statu, quem reperit in hominibus, præferenda est politiæ Socratis ponentis omnia debere esse communia apud Platonem.

Plato. Pro ampliori huius intelligentia obseruandum est, quod Plato in Timeo sub nomine Socratis enixe intendit probare conuenientissimum esse quod talis inter homines respublica institueretur vt omnia inter ciues, non solū possessiones verum vxores, atque filij essent communes. Præcipuū *Arist.* huius sententiæ fundamentum erat, vt Auctor est Arist. 2. polit. statim in principio, quia supponebat Plato pro certo optimum esse Ciuitati si sit maxime vnita, atque pacifica, sicut enim discordijs, & litibus dissipatur, sic vnitate & pace seruatur, & videmus quod inter Ciues ex parte lites atque discordiæ fiunt propter proprios filios, & vxores; atque possessiones, quæ cessarent istis communibus existentibus. Ceterum quod vxores in communi possiderentur in nullo statu fuit conueniens propter multa incommoda, quæ ex illa communitate sequerentur quæ referuntur, & explicantur a Iauello supra librum 2. Polit. tract. 1 c. 1. *Iauellus.*

Communitas possessionum tribus modis intelligi potest. Quod etiam possessiones non possideantur in communi rationabile fuisse ex eo constat: quoniam vt dicit Arist. loco citato, Vno ē tribus modis potest intelligi communitas possessionum. Primus est quod fundi sint proprij, fructus vero communes; Secūdo quod agri sint communes, & fructus diuisi. Et tertio quod tam agri, quam fructus sint cōmunes; nullus autem istorum modorum fuisset ergo &c. Patet minor quoad primum modū, quia sic daretur ansa discordijs, cum labores essent impares, qui enim plures possessiones haberet, plus laboraret, & tamen fructus vnicuique pro cuiusque necessitate obtineret, quod nullus æquo animo ferret, sed quisque tanto plus fructuum vellet percipere, quanto plus impendit laboris. Quod vero secundus modus esset rationabilis ex eo patet, quia sic daretur hominibus occasio ignauiæ, atque secordiæ singulis ad propria ardentissimis existentibus, ad communia autem desides & languentibus, & idem sequeretur incommodum si fundi & fructus essent communes.

Contra hanc conclusionem arguitur si post quā res fuerunt communes nempe pro statu Innocentiæ, appropriatio postea facta fuisset rationabilis, hoc maxime fuisset ad præcauendum mala, & incommoda, quæ emersissent si res māsissent communes, sed propter rerum diuisiones non fuerunt incommoda sublata, quin adhuc fiant. Ergo &c. Probatur minor, nam adhuc stante appropriatione rerum hi qui robustiores sunt occupant plura, quam iustum est, & debiliores carent necessarijs sibi debitis.

Item adhuc est magna inæqualitas inter homines in rebus temporalibus, ad quam etiā sequuntur litigia ergo &c.

Respondetur quod factū propter aliquem finē, nō debet propter hoc dici non rationabiliter factū, si non attingat homines finē illū omnino perfectè, & absque omni imperfectione: sufficit n. quod illū finem homines attingant meliori modo per illud factū, quā per eius oppositum. Ita est in proposito, per hoc n. quod res primum communes, postea fuerunt appro-

appropriatæ, homines attinguent vitationem prædictorum malorum perfectiori modo, quam si mansissent cõmunes: nam neque tot inæqualitates, neque tot litigia sunt nata oriri, nec tam lata est via fraudibus, sicut si res mansissent communes; nam rebus communibus existentibus, terræ mansissent incultæ, & redactæ fuissent in solitudinem: nam videmus quod de communibus nullus curat, vel modicum valde, adeo quod talia potius permittuntur perire, quam conseruentur iuxta Prouerbium, quod communitatis est negligitur.

Item fuisset aperta via fraudibus, & malitijs: quia fortiores atque potentiores occupassent de bonis communibus plusquam debuissent, nec eis debiliores resistere potuissent, quod etiam nunc fieri videmus, quantumcumque res sint appropriatæ, quod multo magis fieret manente rerum communitate: quia tunc dixissent se illud iustè facere posse, cum res essent non minus eorum quam aliorum; nec puniri potuissent astuti ac malitiosi; quia allegassent omnia esse communia. Tertio boni semper habuissent peius, & mali melius: quia boni sequentes rectum iudicium rationis noluissent plus debito accipere; sed tantum necessaria; mali autem ex malitia multa superflua & meliora ex omnibus accepissent, relinquentes deteriora bonis.

Quarto quia numquã fuisset pax habita inter homines, quia inæqualitas inter homines nata est inducere litigia, & turbare pacem, sicut hodie videmus, quod hi qui plus habent, odio habentur aminus habentibus & patiuntur violentias, at tunc fuisset inæqualitas, vt patet ex secundo & tertio incommodo, tum quia contingeret sæpe in eadem republica quod plures vellent vti vno equo, vel domo, & cum quilibet diceret si habere ius æquale iuri alterius, nullus vellet cedere vsui pro tunc, atque adeo sequerentur litigia.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum licite, ac iuste rerum Dominia humano iure fuerint diuisa.

Legis iustæ effectus est & iustus.

PRo huius difficultatis dissolutione obseruandum est primo ad hoc quod per legem positiuam distinctio dominiorum fuerit iustè facta, sufficit legem positiuam fuisse iustam, quia effectus iustæ legis est iustus, atque adeo cum distinctio dominiorum facta per legem positiuam sit effectus legis positiuæ, ad hoc quod sit iustus requiritur, quod lex positiua iusta fuerit.

Lex ut sit iusta duas conditiones requirit.

Secundo obseruandum est, quod ad hoc quod aliqua lex positiua sit iusta, duæ conditiones requirũtur. Prima quod ille a quo lex est lata regulariter habuerit prudẽtiam, vel in se vel in suis, adeo quod dictet secundum rationem practicam, quid faciendum pro communitate. Probatur quia ad legem iustam requiritur quod nihil in ea sit dispositum cõtra dictamen rectæ rationis, vel æquitatem, ad euitandum autem hoc incommodum requiritur regulariter prudẽtia, quæ est recta ratio rerum agibilium idest habitus practicus intellectualis inclinans ad dictandum recte in agibilibus. Dixi notanter regulariter, quia posset contingere, quod ille a quo lex iuste lata est, non haberet prudentiam, & tamen lex per eum lata nihil contineret iniquitatis; sed omnem æquitatem, sed hoc est casuale & non regulare; nam carens prudentia, potest a casu dictare aliquid, quod omnem contineat æquitatem; Dictum est etiam in se vel in suis; quia non oportet, quod ad rationem efficacis legis iustæ, quod semper, qui tulit legem habeat in semetipso prudentiam, quia oppositum patet in aliquibus Principibus parum vel nihil habentibus prudentiæ, qui tamen habent consiliarios prudentia pollentes, quorum consilio & auxilio leges iustæ conduntur.

Secunda conditio est, quod ille a quo lex fuit lata habuerit potestatem eam ferendi, nam sine illa potestate illud, quod per ipsum esset dictatum nõ haberet rationem legis, nec etiam iustæ legis. Primum probatur, quia lex dicitur a ligando; dictamen autem per eum qui non habet potestatem in me, non potest me ligare secundum quod per eum est dictatum. Secundum probatur, quia lex quæ imponitur iniuste alicui non est iusta, sed si qui nõ habeat potestatem in aliquos, ferat tamen legem in illos, illa iniuste imponitur; illis ergo non est iusta. Hæc autem duæ conditiones differunt in hoc; quia prima requiritur tantum ad hoc quod lex sit iusta; Secunda autem requiritur ad vtrumque scilicet tam ad hoc quod sit lex, quã ad hoc quod sit iusta. Propter defectum primæ conditionis, illa lex non est iusta, quæ non consulit bono publico. Propter defectum secundæ Consilia virorum prudentium, qui non habent in republica auctoritatem, aut dignitatem, non habent rationem legis, quamuis bono publico sint conuenientia.

Auctoritas est duplex.

Tertio obseruandum est, vt videamus quæ sit auctoritas ad hoc requisita, quod duplex est auctoritas, altera a Patre in filio, quæ non solum in iure positiuo, sed potissime in iure naturali fundatur; & hæc vocatur paterna, & est ea qua pater vtitur in eos, qui ab ipso descenderunt vbicumque illi habitent, & quamuis sit de diuersis politijs; Altera vero in totam Ciuitatem, aut Regnum, & hæc appellatur politica, quæ fundatur præcise in iure positiuo; quia conuenit ei, cui conuenit, ex communi consensu eorum super quos auctoritatem habet, ex hoc enim quod aliqui consentiunt, quod vnus habeat super eos potestatem, ille potestatem habet, & hæc potestas extenditur, nedum ad eos qui ab illo descendunt; sed etiam ad extraneos dummodo sint ex eadem politia, & simul cohabitatores.

Potestas politica est duplex.

Quarto obseruandum est, quod potestas politica est duplex, Altera quæ residet in vna persona sola, & vocatur Regalis potestas. Altera quæ residet in pluribus, quæ aliquãdo residet in paucis & vocatur Aristocratica. Aliquãdo in multis & vocatur Thimocratica. Vnde vt inquit Arist. primo Politicorum, Tres sunt communitates, quædam vocatur domus, quædam vicus, & quædam Ciuitas. *Arist.* *Communitas est triplex.* Communitas domus est imperfecta, & in ea sunt tres combinationes scilicet Domini ad seruos; Vxoris ad virum, & Patris ad filios. In prima combinatione dominus dominatur seruo dominio dispotico, idest habet plenam vtendi illo potestatem ad propriam vtilitatem, & non ad vtilitatem eius quo vtitur. In secunda combinatione vir non habet dominium dispoticum super vxorem, sed maritale, In aliquibus enim mulier habet tantam potestatẽ, sicut vir, immo sunt pares, vt in actibus matrimonialibus quoad coitum, circa quem est in vtroque æqualis potestas. In tertia autem combinatione pater non dominatur filijs dominio dispotico, sed vt dicit Ochã, *Ocham.* illud dominium magis assimilatur dominio Regali; nam in domo perfecta idest quæ nõ est pars communitatis perfectæ, hoc est Ciuitatis vel vici, vt quando Adam erat solus cum filijs, vel Noè cum suis post diluuium, tunc pater habebat potestatem super filios sicut Rex in regno, nempe coercendi si deliquissent.

Secunda communitas est vicus, & est congregatio pluriũ domorum, sed non est Ciuitas, si talis vicus non sit pars perfectioris communitatis, nempe Regni, & forte quando fuerunt centum domus ex filijs Adam post expulsionem de paradiso, vel ex filijs Noe statim post diluuium. Conueniẽs est inquit Ocham, quod omnes domus facientes Vicum descenderint in vnum, qui regerit eos dominio paterno; sed si non consenserint in vnum ex eo quod non ab eodem, sed a diuersis descenderint, Tunc conueniens fuit quod ex consensu omnium, vel maioris partis aliquis regeret eos dominio regali, quamuis ob paucitatem non deberet appellari Rex.

Tertia communitas est Ciuitas, quæ est congregatio perfecta, quæ debet regi dominio politico, vel Regali, vel Aristocratico, vel Thimocratico; Auctoritas enim politica respicit eos, qui simul politice viuunt, quæ aliquando, vt diximus, residet in vno vt potestas regalis. Aliquando in aliquibus simul vinctis, ita quod nullus seorsum habet illam, sed simul vincti habent, & nullus seorsum potest aliquid illius potestatis exequi sine commissione aliorum, ita quod si aliquid attentaret tamquam ordinarius nihil valeret sua sententia, Vnde si illi in quibus est ista potestas, sint in pauco numero nempe, quatuor, vel quinque, vel sex, vocatur Aristocratica; sed si sint valde multi nempe centum vel supra, vocatur Thimocratica. Assignare autem certum, determinatum, aut punctualem numerum, in quo debeant esse difficile est. Cæterum siue illa potestas consistat in vno, siue in pluribus introducta est iure humano idest a libero populi consensu; nullus enim naturaliter nascitur Rex, & tenendo quod Deus dederit Sauli & Dauidi Regnum, hoc tamen nõ fit regulariter, sed tenendo quod nõ dederit, habuerunt illud ex consensu populi, ex eo quod populus illis dederit, & se illis subiecerit, & ex tali libero consensu

consequitur aliquis potestatem, quæ dicitur Regia, & hoc dupliciter contingit, quia aliquando illa potestas conuenit sibi pro se, & suis hæredibus eo quod hi, qui primo in eo consenserunt pro se & suis consenserunt, & tam in eum, quam in eius posteros; atque ita facta fuit institutio regis. Aliquando vero tantum conuenit sibi adeo, quod eo sublato libere possunt se alteri submittere, quẽ elegerint, vt fit hodie in Rege Polonorum, atque in Imperatorum Romanorum, atque etiam in summo Pontifice.

Potestas paterna iusta est. ex lege naturæ.

Ex hoc infertur primo, quod prima potestas scilicet paterna iusta est ex lege naturæ, qua omnes filij tenentur parentibus obedire, fundaturque in generatione naturali, atque adeo hæc potestas non oritur ex consilio filiorum; sed respicit eorum descensum, seu propagationem naturalem, licet descendentes non simul cohabitent, quia licet filij sint in diuersis locis nõ perditur auctoritas paterna super illos, quia tenentur obedire Patri scilicet lege naturali, & diuino iure, & hæc auctoritas paterna non est reuocata per legem aliquam Mosaycã vel Euangelicam, sed magis confirmata.

Authoritas politica non est de iure naturæ.

Secundo infertur quod auctoritas politica non est de iure naturæ, quia nullus homo de iure naturæ habet super alium potestatem, & fundamentum eius non est vinculum consanguinitatis, sed respicit cohabitantes, quantumcumque nulla consanguinitate vel propinquitate coniunctos, & huiusmodi auctoritas habet ortum ex consensu subditorũ: cum enim homines socialiter viuere debeant, quia homo natura sua est animal sociabile, ideo Ciuitates condiderũt, in quibus socialiter viuerent, neque vero omnes simul poterant incumbere curæ Reipublicæ; esset enim magna perturbatio, & ingens confusio, atque adeo ex semetipsis vnum vel plures elegerunt, in quem vel quos auctoritatem publicæ administrationis transtulerunt. Hæc autem auctoritas legitima est, atque iusta; quia iuste potest quis se submittere vni personæ, vel communitati in his, quæ non sunt contra legem Dei, in quibus melius potest dirigi per illum cui se submittit, quam per seipsum; legitima etiam est hæc auctoritas: quoniam plurium expedit & ad vitiorum extirpationem, & virtutum incrementum, & etiam ad confirmandã & retinendam publicam pacem. His obseruatis respondet Doctor ad quæstionem vnica conclusione, quæ est talis.

Prima dominiorum diuisio potuit fieri a lege iusta lata in filios a Patre vel a Communitate hominũ vel ab aliquo vicem gerente communitatis, & hoc modo probabile est factum fuisse, adeo quod modus, quo per legem positiuam est facta dominiorum distinctio, potuit esse triplex.

Dominiorũ diuisio tribus modis fieri potuit.

Probatur nam illa distinctio potuit esse facta per aliquam legem dictatã, aut ab habente paternã potestatẽ aut ab habente potestatẽ politicã, aut per legẽ latã ex cõmuni consensu hominũ sine dictatione alicuius alterius habẽtis potestatẽ super illos, quælibet autẽ lex talis potest dici lex positiua. ergo &c. Maior declaratur exemplariter inductiue; Nam potuit esse, quod Adam cum haberet filios post lapsum diuiserit filijs suis terram dicens & volens, quod hæc esset istius, & alia alterius cum prohibitione, ne alter illam occuparet sine consensu prioris. Similiter idem potuit Noe post diluuium facere, cum terra esset tota sua; & suorum filiorum, & talis lex fuisset iusta, quia lata ab habente potestatem super illos, quibus dedit talẽ legem, & similiter ab habente prudentiã.

Secundo potuit esse quod si non esset filijs vlla diuisio facta per patres, illis crescẽtibus & multiplicatis submisissent se homines alteri a patre suo, tamquam Rectori ac defensori suo; & Principi vel communitati principanti, & tunc ille dictasset, quod hæc pars deberet fore illius, & alia alterius, & illud complexum dictatum fuisset lex iusta, vt patet ex dictis. Quod si diuisio esset facta per Patres, vel principantem politiæ, & tamen non per aliquam legem dictantem prædicto modo scilicet quod hæc pars deberet esse istius, & alia alterius; potuit tamen esse facta per aliquam aliam legem statuentem, quod quicumque occupauerit prius aliquam rem, quæ in nullius est dominio habeat eamdem in proprietatem, secundum quam legem fuit communiter distinctio facta, & lex huiusmodi potest dici lex positiua, vt diximus supra, qua lege lata postea diuiserunt se super faciem orbis terrarum, & vnus occupauit vnam plagam, & alius aliam.

Tertio si nec per paternam, nec per habentem politicam potestatem facta est dominiorum distinctio, potuit tamen esse facta per communem consensum hominum, ita vt simul conuenerint & diuiserint terram dicentes, ego vtar ista re, & tu illa, & nemo poterit vti illa nisi auctoritate, & communi consensu omnium se ad hoc obligantium. sicut dixit Abraham Loth, fratri suo Gen. 13. Ecce vniuersa terra coram te est, elige quamuis partem, si tu ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam, & tunc ex consensu duorum factum est, quod vna pars esset vnius & altera alterius, & ex mutuo consensu se obligauerunt ad hoc. Resolutio ergo est, quod dominiorum diuisio facta fuit iure humano positiuo lato, vel auctoritate paterna, vel Regia, vel Aristocratica vel Thimocratica, vel ex consensu ipsiusmet populi.

Dominiorũ diuisio facta fuit iure humano positiuo.

Contra hanc conclusionem arguitur, & primo probatur, quod dominiorum diuisio non fuerit iuste facta. Quod fuit factum contra legem naturalem non potuit licite nec rationabiliter fieri, sed appropriatio rerum facta est contra legem naturalem, ergo non potuit licite nec rationabiliter fieri; Maior est nota, quia lex naturæ in omni statu ligat, & tantum ad rationabilia, & licita seu iusta, & per consequens contradictoria eorum ad quam ligat sunt iniusta & irrationabilia. Minor probatur quia lex naturæ disponit omnia esse communia omnibus, vt dictũ est in superiori articulo.

Præterea B. Clemens in quadam Epistola, quæ refertur 12. q. 1. c. dilectissimis ait. Communis vsus omnium, quæ sunt in hoc mundo omnibus hominibus esse debet, sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud, & sic inter mortales facta est diuisio, sed quod per iniquitatem factum est, non est iuste, nec rationabiliter factum, ergo distinctio dominiorum non est licite facta.

Item lapso humano genere adhuc natura omnes homines æquales generat, & per consequens nullus habet in alio potestatem; sed nullo habente potestatem super alios non potest iuste fieri appropriatio lege alicuius hominis, cum illa lex non potuerit iuste super illos ferri per non habentem potestatem, ergo quando fuit appropriatio facta, & aliqui fuerunt priuati illis rebus, quarum prius habuerunt dominium, non potuit id iuste fieri.

Secundo probatur quod dominiorum diuisio non sit facta iure humano, sed naturali. Quod recta ratio naturalis in suo lumine naturali dictat, hoc est lex naturalis, sed recta ratio dictat hoc complexũ scilicet hominibus pro statu naturæ corruptæ sunt res appropriandæ, & non relinquendæ omnibus communes; ergo illud complexum est lex naturalis, sed illud complexum disponit distinctionem dominiorum igitur distinctio dominiorum est a lege naturali, Maior est nota, & minor probatur quia supra articulo præcedenti determinatum est fuisse rationabile, cum res fuissent a principio communes, omnibus postea appropriarentur visa corruptione hominum, sed quod est rationabile hoc dictatum est a ratione recta ergo &c.

Præterea illud complexum scilicet res quæ donatur a domino suo fit illius, cui donator concedit dominium distinctum, & proprietatem donatario; sed hæc lex est naturalis ergo lex naturalis concedit donatario dominium Ciuile, quod tamen est distinctum; Min. probatur quia illud complexum est dictatum secundum rectam rationem.

Postremo. Omnis lex ciuilis est dictata a ratione, igitur omnis talis est naturalis lex, & per consequens cũ dominiorum distinctio sit a lege ciuili, est etiam a lege naturali.

Ad primum respondet *Doctor*, quod maior intelligitur de lege naturali non reuocata, modo lex naturæ disponens pro statu innocentiæ omnia esse communia omnibus, reuocata fuit post lapsum; atque ita appropriatio rerum contra nullam legem naturalem est quæ nunc existat.

Conradus. Arragona.

Sed contra hanc responsionem instant multipliciter Cõradus de contract. tract. 1. q. 9. & Arragona de Iust. & Iure q. 62. in tractatu de dominio, sed omnia eorum argumenta procedunt ex æquiuocatione huius quod est esse de Iure naturæ; nam ea quæ sunt de iure naturæ sunt in triplici differentia, quædam sunt prohibitiones, quædam præcepta, quædam vero demonstrationes, nam in libro legis naturæ scilicet in intellectu, qui est liber legis naturalis reperiuntur triplices sanctiones legis naturalis; quædam enim sunt sanctiones præceptiuæ, vt illa quæcumque vultis vt faciant vobis homines, hoc illis facite. Quædam sunt prohibitiuæ, vt illa, quod tibi non vis fieri alteri non facias. Quædã sunt demõstratiuæ, quæ neq; præcipiunt, neq; prohibẽt, sed demõstrant quid agendũ, vel nõ agendũ sit, iuxta diuersitatẽ

Quæ sũt de iure naturæ sunt in triplici differentia.

statuum,

statuum, vel casuũ emergentium, vt est illa, vim vi repellere licet, quæ etiam appellari possunt cõcessiue, quia aliquid concedũt, & illæ sunt duplices, quædam enim concedunt aliquid tamquam vtile, & talis fuit illa sanctio, quæ concessit pro statu innocentiæ rerum communitatem, vt omnia omnibus essent communia, eo quod illa communitas conferebat pro statu illo ad finem fęlicitatis humanæ; quędam autem concedunt aliquid tamquam expediens, vt sanctio illa, quæ concedit, quod res pro statu naturæ corruptæ approprientur. Lex naturalis primo, & secundo modo, nẽpe quo ad præcepta, & prohibitiones vniformiter obligat, atq. immutabilis est, & de ea non loquitur Doct. quia omnia esse communia non cadit sub præcepto naturæ, nec sub prohibitione, sed tantum sub demonstratione, vel concessione, quę non obligauit tunc, nec obligat pro statu peccati. Vnde ad argumentum concedo maiorem, quando tale quod fit contra legem præceptiuam, vel prohibitiuam; sed in hoc sensu nego minorem. quia lex naturalis concedens communitatem in rebus non est præceptiua, præcipiens, scilicet communicationem, nisi in casu necessitatis: sed tantum concessiua seu demonstratiua; modo contra illius sanctionem concessiuã tantum, potest aliquid licite fieri iure positiuo id disponente. Vnde licitum est transire per agrum alienum, quia illud est de sanctione legis naturalis, sed non nisi concessiua, & tamen iure positiuo factum est illud illicitum. Vnde Isidorus intelligendo per fas ius naturale, & per ius intelligendo positiuum ius, inquit transire per alienũ agrum fas est, quia est licitum: fas enim est quod licitum est, sed non est ius, scilicet positiuum; immo vetitum est iure positiuo, & sanctio huiusmodi concessiua intelligitur reuocata; quando non permanet status, cui concessio facta fuerat, vt est in proposito de concessione communitatis dominiorum, non permanente innocentiæ statu, cui facta erat talis concessio: atque adeo sublato vel amisso innocentiæ statu vis sanctionis illius cessauit, atque ita dicitur reuocata a Doct. Sub.

Isidorus.

Ad secundum dico, quod D. Clemens non dicit dominiorum distinctionem inique fuisse factam: sed quod lapsus hominis in peccatum, & iniquitatem fuit occasio introducendi dominiorum diuisionem, Iniquitas igitur, idest peccatum per quod lapsum fuit genus humanum, fuit occasio introducendi dominiorum distinctionem, sed diuisio non fuit illicite facta vel inique. Ad tertium dico quod antecedens maioris est falsum, si æqualitas illa excludat omnem potestatem vnius super alium: natura enim generat filium inæqualem Patri in potestate, quia generat eum naturaliter subiectum Patri, sed esto quod natura generet omnes homines æquales; prout æqualitas excludit potestatem politicam, & subiectionem politicam; quia illa potestas, & subiectio nõ est a natura: nihilominus tamen ex volũtaria subiectione, qua homines se subdiderunt alterius potestati, facta est inæqualitas, vt vnus habeat potestatem super alios, & demum concesso, quod nullus habuisset potestatem super alium, adhuc potuissent res humana voluntate hinc inde fecisse distinctæ, & appropriatæ, & tunc nulla iniustitia, nec iniuria, nec præiudicium alicui factum fuisset, quia volenti non fit iniuria.

Ad primum quo probatur, quod distinctio dominiorũ facta fuerit iure naturæ.

Dominiorũ appropriatio nem esse a lege natura bifaria intelligi potest.

Respondetur, distinctionem, vel appropriationem dominiorum esse a lege naturali potest intelligi dupliciter, Vno modo quod sit ab ea dictatiue sit quod lex naturalis dictet, vel disponat saltem in generali, quod distinctio dominiorũ debeat fieri, & in hoc sensu conceditur totũ argumentum. Alio modo quod sit effectualiter & executiue ab ea, sic ꝙ illa effectualis appropriatio, & distinctio processerit a lege naturali, & hoc negatur, nam licet verum sit, quod istæ duæ propositiones, debet esse communitas rerum pro statu naturæ integræ, & debet esse appropriatio rerum pro statu naturæ lapsæ sic determinatæ ad huiusmodi status, sint de lege naturæ cum tñ hoc sat ꝙ lex naturę non appropriet aliquid alicui, nam quamuis ista propositio, debeat esse appropriatio rerum pro statu naturæ lapsæ sit de lege naturæ, ita modificata. Ex hoc tamen non sequitur, quod lex naturæ appropriet aliquid alicui. Quemadmodum licet ista propositio, debeat esse superioritas inter homines pro statu naturæ lapsæ ad coercendum malos, & præmiandum bonos, sit de lege naturæ, tamen quod talis superioritas resideat in illo, vel in illo non est de lege naturę, sed solum de lege positiua. Ita similiter hæc propositio est de lege naturæ, debet esse appropriatio inter homines pro statu naturæ lapsæ, sed quod hæc res appropríetur isti, & illa alteri, est de lege positiua humana.

Ad secundum potest concedi maior, etiam in sensu tali, ꝙ ab illa lege est effectualiter, vel appropriatio: quia illa lex est volitio Principis, vel signum volitionis Principis in quẽ consenserunt hi qui volebant res per eum hinc inde esse appropriandas. Sed minor est falsa prout lex naturalis capitur proprie & stricte, nempe vt lex naturalis est propositio euidens ex terminis, vel euidenter educibilis, ex alia propositione ex terminis euidente, sed talis non est illa lex, non. n. ex terminis illius cogitur intellectus ei assentire, alias si in statu innocentiæ aliquis dedisset alteri rem aliquam, nihil pro ea expectando & volenda, nihil proprium in ea habere ille alius debuisset nec habere proprietatem collatæ sibi rei quod est falsum & ex hoc etiam patet, quod non est euidenter deducibilis ex altera euidenti.

Ad tertium concesso antecedente, nego consequentiã, quia non sufficit ad hoc quod aliquod complexum sit lex naturalis, quod sit dictatum a recta ratione, alias nulla esset lex pure positiua; sed requiritur ad legem naturalem, ꝙ sit dictata a recta ratione, & cum hoc quod sit euidens ex terminis, vel euidẽter deducibilis ex tali; Ad hoc autem quod aliqua lex dicatur naturalis large, non requiritur, quod sit nota ex terminis, neque quod sit euidenter deducibilis ex taliter nota, sed sufficit, quod sit valde consona propositioni ex terminis euidenti, vel ex tali taliter euidente deducibili, quomodo D. noster Sub. in 3. d. 37. ponit præcepta secũdæ tabulæ esse de lege naturæ.

ARTICVLVS SECVNDVS PRINCIPALIS

POstquam visum est in primo articulo principali de appropriatione dominij. Consequenter Doct. in isto secũdo articulo principali inquirit, quomodo iuste possit fieri translatio dominij in alterum. Est autem translatio dominij nihil aliud, quam transmissio rei ab eo, qui legitime possidet in alterum, qui incipit de nouo esse dominus eius. Sed antequam ad explicationem sententię Doctoris accedamus non nulla annotanda sunt de dominio, de titulo, de iure, de vsu, vsufructu, proprietate, atq. possessione.

Dominij trãslatio quid sit.

Quantum ad Dominium vltra ea, quæ diximus supra. Obseruandum est primo dominium diuidi posse in dominium iurisdictionis & dominium proprietatis, quam diuisionem innuit Seneca. 7. de beneficiis. Rursus Dominium iurisdictionis diuidi posse in Ecclesiasticũ & sęculare. Dominium proprietatis in dominium vniuersitatis locorum, & in dominium particulare, & in dominium plenum, & non plenum. Dominium Iurisdictionis si temporale vel seculare sit ad eos solum spectat, quibus iurisdictio in subditos, protectioque eorum ita incumbit, vt subditi vasalli eorum dicantur. Positumque est tale dominium dumtaxat in iure eos gubernandi iudicandi, protegendi, ac defendendi, nec non in iure accipiendi ab eis emolumenta, quæ ea de causa ipsis debentur.

Dominiũ duplex Seneca.

Dominiũ iurisdictionis ad quẽ spectat.

Secundo obseruandum est, quod dominium vniuersitatis locorum non est dominium iurisdictionis, sed proprietatis comparatione eorum locorum, ac rerum quæ ita sunt vniuersitatis propriæ, vt ad singulorum vsum sint deputatę, eiusmodi sunt prata, oppidi, aut Ciuitatis alicuius deputata ad pastum pecorum eorum, qui illius sunt loci. Item syluę ad ligna scindenda similiter deputatæ, & alia huiusmodi. Dominium vero particulare quod vnusquisq. in res suas habet, est similiter dominium non iurisdictionis, sed proprietatis.

Dominiũ vniuersitatis locorũ et dominiũ iurisdictionis nõ sunt idem.

Tertio obseruandũ est quod duplici ex capite potest euenire, quod aliquod dominium non sit plenum, vno ex parte obiecti, seu rei, cuius quis dicitur esse dominus, circa quam licet habeat dominium integrum, quia est cum iure ad omnem vsum, & dispositionem de illa re, habet tamen cõparticipem in toto eo iure, & dominio, vt quando aliqui adierunt hæreditatem inter eos diuidendam ipsis relictam, aut emerunt, & acceperunt aliquid, vt inter eos ipsos diuideretur, & non dum facta est diuisio. Altero potest euenire ex parte obiecti, quia scilicet qui dominus est rei alicuius non habet integrum ius in illam, sed pars vna illius pertinet ad vnum, & alia ad alium, vt quando ad vnum pertinet proprietas,

Dominium quod non sit plenum ex duobus prouenire põt.

prietas,

prietas, & ad alium vsusfructus vnius & eiusdem rei. Hoc autem dominium non plenum subdiuidiiur a iuris peritis in dominium rectum, & vtile. Dominium proprietatis sine vsufructu appellant dominium directum, vsumfructũ vero, idest ius vtendi, & fruendi re aliena salua illius substãtia, appellant dominium vtile, quale est in nudo vsufructuario, vt emphyteuta & feudatario.

Quarto obseruandum est, quod quando dominium non est plenum res est vtriusque nempe proprietarii & vsufructuarij. Vsufructuarii quidem quoad ius vtendi & fruẽdi; proprietarij vero quoad ius tam alienandi, & quoad alia iura, nempe, vt certo tempore vsus fructus ad proprietatem redeat, & vt emphytheuta soluat illi canonem, & quoad quædam alia, quæ dum de contractu emphyteutico erit sermo explicabuntur.

Quid nomine tituli intelligatur.

Quoad secundum nempe de titulo, obseruandum est primo quod nomine tituli intelligitur radix, seu origo, Vnde dominium, aut ius quodvis oritur. Quod si metaphysice loqui volumus, ea ratio fundandi relationem dominii, aut iuris, quæ illius est velut radix & origo appellatur titulus dominij & iuris. V. g. titulus dominij aut iuris in aliquod regnum est quempiam esse legitime electũ in Regem, aut carnali propagatione tamquam primogenitum originem trahere a legitimo Rege, aut iure belli Regnum occupasse, vel aliquid simile, quod sufficiens ratio sit fundandi ius regni. Emptio item, permutatio, donatio, esset aliquid relictũ in testamento, aut legitime succedere defuncto ab intestato, est titulus dominij aut iuris rerum, quæ his viis comparantur, atq. ita de similibus.

Dixi titulum esse eam rationem fundandi, quæ est velut radix & origo, quoniam ad comparandum dominium, aut ius in re præter titulum necessaria est etiam regulariter traditio, & applicatio rei, vt explicabimus statim, & tamen illa non est radix, & origo dominij, aut iuris in re; sed solum est conditio, sine qua regulariter a radice, & origine nec dominium, nec ius in re emanat.

Secundo obseruandum est quando interdum titulus est verus quando, scilicet est vera radix, & origo dominij aut iuris. Interdum vero est solum præsumptus, quando scilicet præsumitur vera radix, & causa, & tamen re ipsa non est; vt quando quis bona fide emit rem aliquam, aut illam dono accipit ab eo, cuius illa non est, credens illum esse verum dominum rei illius, aut procuratorem domini rei illius, talis namque emptio, aut donatio licet non sit radix, & causa sufficiens ad transferendum dominium, esto traditio accedat, præsumitur tamen talis interim dum bona fides adest, atque adeo qui rem bona fide ita possidet, dicitur possidere eam cum titulo, non quidem vero, sed præsumpto, qui autem rem possidet sine radice & causa vera, aut præsumpta, quæ sufficiens sit ad transferendum dominium, & ius vere dicitur sine titulo possidere, atque hæc inseruiunt quâ maxime ad præsumptionis negotium, vt inferius suo loco patebit.

Ius quid sit

Quoad tertium, scilicet de iure vltra ea quæ diximus supra, obseruandum est primo, ꝙ facultas quam ex natura rei habet vnusquisque ad vtendum rebus suis, vt ad comedendum proprium cibum ad induendam propriam vestẽ, ad decerpenda ex arboribus suis poma, ad deambulandum in propria domo, aut in via publica, est ius, de quo loquimur: quoniam est facultas horum vnumquidque efficiendi, cui si contrauenitur, cum cuius est absque legitima causa ab executione cuiusuis eorum prohibendo, fit illi iniuria.

Ius est duplex.

Secundo obseruandum est quod ius est duplex nempe in re, & ad rem. Ius in re est ius circa rem aliquam, ad quod res ipsa deuincta est: ius vero ad rem est ius circa rem aliquam, ad quam res ipsa non dum deuincta est. Ad comparandum autem dominium, atque adeo ad ius in re, non sufficit rem cuius dominium sumus comparaturi existere nec sufficit habere titulum aptum ad transferendum dominium, qualis est legitima emptio, donatio, aut alius similis, sed vlterius requiritur eamdem rem esse nobis traditã genere aliquo traditionum, de quibus erit sermo quando loquemur de possessione, hinc est, quod si quis rem aliquam alicui vendat nec tamen ei tradat, emptor solum comparat ius ad illam rem esto pretium soluerit, sed non ius in re & dominium, quoniam hæc ante traditionem rei emptæ non comparantur, si vero idem venditor eamdem rem simul vendat, & tradat alicui alteri, secundus emptor nihil priore venditione impediente, comparat dominium illius, nec eam tenetur primo emptori, & ratio est, quoniam res illa per solum titulum emptionis deuincta non est priori emptori; quia non dum ius in illam comparauerat, sed solum habebat ius ad illam, vt scilicet venditor eam sibi traderet, traditioneque efficeret eam illius, quia itaque obligatio nõ erat rei, sed venditoris & per venditionem secundam subsequuta traditione facta est secundi emptoris, non conceditur primo emptori actio realis in re, quæ alterius est effecta, sed personalis in venditorem, vt ipsi persolnat quantũ ei intererat, venditionem firmam esse, perduciq. ad vltimum effectum.

Ad dominium cõparandum necessaria est traditio.

Tertio obseruandum est, quod ad comparandum dominium de re aliqua siue illud plenum sit, siue non plenum præter titulum regulariter necessaria est traditio, seu apprehensio, excipiuntur tamen sequentes casus.

Primus est quando Ecclesijs, Monasteriis, hospitalibus, & aliis quibusdam piis locis hereditas aliqua, legatum, vel fidei commissum est relictum, vel donationis titulo aliquid eis datum, aut etiam venditum est; tunc enim statim absq. vlla traditione transit in eis dominium, ita habetur. l. vt inter dominum. C. de sacrosanctis Ecclesijs, quare si idem vendatur, & tradatur secundo emptori inualida est talis venditio.

Secundus est in hærede, siue is ex testamento, siue ab intestato succedat in bonis defuncti, continuo autem ac hæreditatem adit comparat dominium illius absque vlla talium bonorum traditione, vel apprehensione; Obseruandum est tamen quod de iure communi hæres non prius comparat possessionem hæreditatis, quam illam apprehendat, & si in quibusdam Italiæ prouinciis possessio bonorum defuncti peculiari lege earum Regionum transeat ad hæredem vna cum Dominio absque alia apprehensione, eo ipso quo hæreditatem. Dicitur autem hæreditas adiri cum hæres eam acceptat, profiteturq. se velle esse hæredem.

Tertius casus est, quando aliquid designatum in singulari, vt talis fundus, aut talis seruus, aut aliqua alia res certa, & determinata in singulari legatur alicui, tunc enim legatarius idest is, cui legatum relinquitur comparat dominium illius absque aliqua traditione, eo ipso, quod hæres hæreditatem adit, esto legatarius ignoret, & hæreditatem esse aditam, & sibi esse relictum tale legatum; Immo iuris fictione eo ipso quod hæres hæreditatem adit censetur dominium rei legatæ transisse in legatarium a puncto mortis testatoris.

Quartus est quando quis donauit alteri rem aliquam ea lege, seu sub eo modo, & conditione vt donatarius alimenta illi tribueret, si namque donatarius modum non seruet præbendo donatori alimenta continuo absq. alia traditione dominium rei donatæ regreditur in donantem.

Quintus est quando aliquis donauit aliquid alicui eo pacto, vt finito certo tempore res illa deueniret ad quemdam tertium, transacto namque eo tempore isto ille tertius absens esset, & id ignoraret transit dominium illius rei in illum tertium.

Vsus quid sit.

Quoad quartum. Vsus est ius dumtaxat vtendi aliqua re salua illius substantia, vtendi inquam præcise quatenus in re explicatum est fas esse ei, cui vsus rei alicuius est concessus ea vti. Vsus autem duobus modis accipi consueuit,

Vsus duobus modis sumitur.

Vno modo pro actu vtendi, quo pacto equitatio dicitur vsus equi, & habitatio vsus domi. Altero modo pro iure ad eo modo vtendum; Vsus in priori acceptione appellatur a Iuristis vsus facti, idest vsus, qui est factum & eum distinguunt ab vsu in posteriori acceptione, qui est ius ad factum atque permanet cessante actu vtendi. In proposito autem sumitur vsus in posteriori acceptione pro iure ad vtendum, & quia definitur per habitudinem ad actum ad quem est ius dum in definitione dicitur vtendi, sumitur illud vtendi in priori significatione pro actu, scilicet vtendi, seu pro actu facti.

Per illam particulam vtendi reiiciuntur iura, quæ non sunt ad vtendum, vt ius depositarij comparatione depositi, & creditoris comparatione pignoris; quæ tantum abest ꝙ sint ad vtendum, Deposito, aut pignore, vt si creditor & depositarius inuito Domino illis vtantur non solum peccant, sed etiam restituere tenentur valorem vsus; per particulam dumtaxat, reiicitur vsus fructus, qui licet sit ad vtendum re aliena, non tamen est ad vtendum dumtaxat, sed

etiam

etiam ad fruendum, additur aliena re, quoniam ius, quod Dominus rei habet ad eam vtendum, quodque cum dominio est coniunctum, & ab eo derivatur non est vsus hoc loco definitus. Nam duplicem vsum distinguunt Iurisperiti, & duplicem vsumfructum quemdam causalem appellant, quoniam a dominio rei, cuius in re est dominus, alium, quem vocant formalem, illum nempe qui subiecto est separatus a dominio rei, atque hic est vsus, de quo hic est sermo. Additur præterea salua illius substantia, quoniam ins ad vsum per quem res omnino consumitur aut alienatur, vt ius a dalienandum pecuniam, aut quamuis aliam rem, vt comedēduos panem, ac bibendum vinum &c. nec dicitur propriè vsus, nec est de quo hic agimus.

Vsus est duplex.

Secundo obseruandum est, quod in vsu parum est iuris, nam qui ius habet vtendi fundo aliquo, solum habet ius sumendi poma, olera, flores, fœnum, & ligna ad vsum quotidianum, poterit etiam in eo ambulare, & commorari, ita dumtaxat vt domino fundi molestus non sit, nec impediat eos pro quo opera rustica exercentur; non tamen potest donare, aut vendere, aut donare, quando que horum alteri, nec locare, aut concedere alteri ius ad ea emolumenta percipiēda, quod tamen potest vsusfructuarius Item qui vsum habet domus potest ipse solus in ipsa habitare cum vxore, liberis, seruis, ac famulis, potest etiam hospites recipere, at non potest vsum illum vllo pacto in alium transferre, facultatem illi vt in ea habitet tribuendo, qui vsus habet serui, aut iumenti potest ipse solus opera, aut ministerio eorum vti, non tamen id alteri concedere; si autem quis habeat pecorum vsum, neque lacte neque lana, neque fœtibus vti potest nisi forte modico lacte, eo quod hæc ad fructus pertineat, quæ in vsu pecoris non computantur, poterit tamen vti pecoribus ad stercorandum suos agros, non autem alienos.

Ius habitationis.

Postremo obseruandum est, quod quando vsus alicuius domus alicui est concessus solum censetur illi concessum, quod paulo ante exposuimus, at vero si habitatio alicuius domus testamento alicui relicta sit, vel aliqua alia ratione sit concessa, nomine habitationis censetur illi cōcessum, quoddam ius medium inter vsum, & vsumfructum, vt habetur in §. sed si cui I. Institutis de vsu & habitatione: differt enim habitatio a nudo vsu domus, quia vsuarius, cui vsus domus concessus est, non potest eam locare; is vero cui habitatio domus concessa est, potest eam locare, & acquirere sibi pretium locationis; Differt vero habitatio ab vsufructu quoniam vsusfructus multis aliis modis finitur, vt statim videbimus, habitatio vero solū finitur morte eius, cui cōcessa est.

Quod quintum nempe de vsufructu obseruandū est primo, quod vsusfructus est ius fruendi, & vtendi aliena re salua illius substantia, in hac definitione ponitur ius loco generis, ius enim est genus ad vsum, vsumfructum, & proprietatē, & hic sermo est de vsufructu pro iure ad vtendū & fruendum qui autem habet huiusmodi ius appellatur tum vsufructuarius, tum etiam fructuarius, In hoc quod vltra vtēdi ponitur etiam fruendi distinguitur vsusfructus a nudo vsu, qui non est ad fruendum, quia vsus ex sui ratione non habet, quod sit tam ius vtendi quam fruendi, sed vsusfructus ex sui ratione habet, quod sit tam ius vtendi, quam fruendi rebus, quarum quis habet vsumfructum. Nam vsufructuarius non solum habet ius ad integre vtendū rebus omnibus, in quibus vsusfructus est constitutus, in quo multum excedit nudum vsuarium, sed etiam ad percipiendum omnes eorum fructus, ita vt eo ipso, quo illos recipit, dominium eorum acquirit: atque hoc est quod in re proposita appellamus frui, eo enim dicitur vsufructuarius re aliqua frui, quia non solum actum naturalem circa aliquam eē exercere potest in sui vtilitatem, sed etiam potest vtilitates eiusdem in alterum conuertere. Nomine autem fructuum in pecoribus, & aliis animalibus intelliguntur non solum lana, & lac; sed etiam fœtus omnes & partus. Tunc vero vsufructuarius efficitur dominus fructuum rei, cuius habet vsumfructum, quando illos percipit: antequam enim illos percipiat, cum sint vnum per colligationem, & vnionem cum re cuius habet vsumfructum, quandiu illos non percipit, dominium eorum pertinet ad dominum cuius est res, quæ fructus illos in se habet, ipse vero ius habet ad illos percipiendos, perceptioneque ipsa efficiendos suos, interim dum perseuerat tempus vsusfructus. Quare si fructuarius è vita decedat pertinent non ad heredes fructuarij, sed ad proprietarium.

Vsusfructus quid sit

Additur in definitione aliena re, quia nullus habet vsufructum rei propriæ, nam hoc loco definitur solus vsusfructus formalis, hoc est qui subiecto est separatus a dominio directo, Postremo additur salua rei substantia: quoniam vsusfructus proprie solum est circa res, quæ vsu non consumuntur, vt sunt ager, domus, pecora &c. Circa res vero quæ vsu consumuntur, vt panis, oleum, vinum, &c. esse nequit vsusfructus proprie loquendo, nec debet hæc clausula, idest salua rerum substantia, sic intelligi, hoc est præstita cautione de saluanda substantia; quasi cautio sit de ratione vsusfructus, quia non est de ratione, vel quidditate vsusfructus, quod præstetur cautio, sed sic debet intelligi secundum Host. idest dummodo non pereat substantia q.d. ita debet vti, & frui quod non consumat substantiam rei, vel si hoc non placet exponatur sic, salua &c. idest vsusfructus consistit in rebus, quarum vsus non est earum consumptio.

Hostiensis.

Secundo obseruandum est, quod vsusfructus duobus modis in genere constituitur, nempe lege, & priuata hominis dispositione, ille appellatur vsusfructus legalis, quia lege constitutus, hic vero dici potest conuentionalis, tametsi non semper conuentione, hoc est pacto, sed interdum vltima voluntate, aut donatione constituatur.

Vsusfructus duobus modis constituitur.

Tertio obseruandum est quod vsusfructus multis modis finitur. Primo si vsufructuarius cedat vsumfructum proprietario, vel vsufructuarius acquirat proprietatem, atque hoc secundum consolidatio appellatur. Secundo finitur elapso tempore, quo lege conceditur, aut quo vltima voluntate, donatione, aut contractu fuit constitutus, si ad tempus fuit constitutus. Tertio si vsufructuarius eo non vtatur tempore ad præscribendum proprietate in rei immobilis necessario, iuxta ea, quæ dum erit sermo de præscriptione dicemus. Quarto si destruatur res in qua habetur vsusfructus, vt si ædes incendio consumentur aut corruant, tunc enim ita finitur vsusfructus, vt neque areæ vsusfructus maneant.

Vsusfructus multis modis finitur.

Quinto morte naturali vsufructuarij, si namque ad heredes trāsiret inutilis esset proprietas, si autem vsusfructus ita constituatur, vt ad hæredes fructuarij transeat, id sane intelligendum est de hæredibus proximis non vero de remotis; si autem vsusfructus aliquis Ciuitati, Communitati, Ecclesiæ, vel alicui pio loco sine temporis præfinitione relinquatur censetur ei relictum per spatium centum annorum, quia is finis est vitæ longeuæ hominis. Postremo finitur vsusfructus maxima, & media capitis diminutione vsufructuarij: Est autem maxima capitis diminutio, quando aliquis simul & ciuitatem, & libertatem amittit, quia seruus penæ effici dicitur, vt quando aliquis ob atrocitatem delicti damnatur ad metallum, aut bestiis subiicitur Media capitis diminutio est quando ciuitas amittitur sed libertas retinetur, vt accidit tum ei, cui aqua, & igni est interdictum tum etiam ei, qui in insula deportatur.

Quoad sextum, scilicet de proprietate obseruandum est, quod proprietas est dominium rei iustis modis quæsitum: in qua definitione accipitur dominium stricte pro eo dominio, atque iure, quod est simpliciter ius in re, nam nullus habet simpliciter ius in re, nisi habeat proprietatem in ea, atque ita excluditur vsus, & vsusfructus quia neutrum est ius simpliciter in re, sed solum est ius secundum quid sad vtendum, vel fruēdum re. Vnde vsuarius & vsufructuarius non dicuntur domini rei, in quem habent vsum vel vsumfructum stricte loquendo. Dicitur in definitione iustis modis quæsitum, quod est intelligendum vt dominium sit acquisitum acceptione, quæ non sic iniusta, vel cui lex nō resistit. Quod dico, quod licet meretrix acquisierit proprietatem pretij per actum iniustum, s. per fornicationem, nō tamen per acceptionem iniustam, hoc est accipiendo pretium non peccauit, licet id pro quo acceperit fuerit iniustum, nam tali acceptione non resistit lex diuina, nec humana, licet fornicationi pro qua accepit, lex diuina resistat. Secus est autē in vsurario nam actui pro quo accipit. s. actui mutuandi nō resistit lex: quia non prohibetur aliquis mutuare proximo, immo consulitur, atque in certo casu præcipitur, sed acceptioni incrementi pro eodem actu resistit lex diuina prohibens receptionem, atque adeo non acquirit vsurarius proprietatem, in incremento Meretrix autem in prauo meretricij proprietatem acquirit: quia non requiritur ad proprietatem, quod omnes actus præuij sint iusti, sed satis est, quod rei acceptio

Proprietas quid sit.

ceptio sit iusta: nam alias sequeretur, quod mercatores vendentes diebus prohibitis merces non acquirerent proprietatem in pretio earumdem, etiam quantumcumque moderatum acciperet, eo quod mediante peccato acquirunt illud. Idem sequeretur de eisdem quando eum mendaciis, & periuriis venderent, etiam pro moderato, & iusto pretio.

Possessio quid sit. Quo ad vltimum nempe de possessione obseruandum est primo, quod possessio est corporalis rei detentio corporis & animi iuris adminiculo interueniente, procuius definitionis explicatione obseruandum est secundo, quod possessio bifariam sumitur vno modo materialiter pro materia circa quam versatur possessio, scilicet pro re possessa, & hoc modo prædia appellantur possessiones, & sic non accipitur hic; altero modo formaliter pro quodam iure, quod quis habet circa prædia, vel alias res corporales, & sic accipitur in proposito.

Possessio bifariam sumitur.

Definitio duplex. Tertio obseruandum est, quod duplex est definitio, scilicet causalis, & formalis, in definitione formali debet poni genus pro prima parte definitionis, sed in causali non oportet, hæc autem definitio causalis est, seu prædicatio causalis, cum dicitur est detentio, & resolui debet in formalem hoc modo, possessio est ius quoddam quod acquiritur per detentionem, quod ius derelinquitur in detinente etiam cessante corporali detentione, quod autem non sit formalis prædicatio, ex eo patet, quia tunc cessante detentione fienda corpore & animo, cessaret possessio, sicut cessante animali cessat homo, quod est falsum quia postquam accepi possessionem domus per corporalem actum etiam animo factum circa domum, si postea corporaliter eodem non istam, non ideo perdidi possessionem; immo adhuc dicor habere possessionem, vel esse in possessione domus, alias quis infinities perderet, & reacquireret eiusdem rei possessionem.

Res quarum acquiritur possessio sunt duplices. Quarto obseruandum est, quod res quarum quis acquirit possessionem sunt duplices, quædam sic se habent, quod antequam earum dominium, aut possessio acquiratur in nullius dominio sunt, nec exigitur ad earum possessionem vel dominium acquirendum voluntas tradentis, vt sunt gemmæ in litore maris, & aues in aere, & earum possessio non acquiritur sine corporali apprehensione earumdem; Vnde ad hoc, quod acquirerem possessionem talis gemmæ, vel auium non sufficeret, quod eam vidissem, vel alium actum circa eam exercuissem, si eam corporaliter non apprehenderem. Similiter si existerem in turri, & viderem rem aliquam quæ est pro derelicto habita, non acquiro per aspectum oculorum, eius possessionem. Aliæ sunt, quæ sic se habent, quod antequam earum dominium vel possessio acquiratur sunt in alicuius dominio, & exigitur voluntas tradentis, vt cum mihi vendis domum, vel agrum, & illarum rerum possessio potest interdum acquiri sine corporali apprehensione, non tamen sine corporali actu, vt si claues cellæ vinariæ, vel horreorum mihi tradideris coram cella vel horreo, vendendi vini vel mercis quæ sunt ibi, tradita videtur possessio per clauium traditionem, licet non accipiam res illas corporaliter, & ratio est quia clauium receptio, licet non sit corporalis apprehensio rei venditæ in cella vel horreo, est tamen actus corporalis; atque ad eo in definitione possessionis detentio corporalis accipitur prout extenditur ad actum corporalem, etiam si non sit corporalis apprehensio manibus vel pedibus.

Ex his patet intellectus definitionis, dicitur primo quod est detentio, quæ ponitur loco generis, licet non sit genus vt dictum est, & hoc congrue, quia secundum iura possessio dicitur quasi pedum sessio vel positio, eo quod potissimus actus quo possessio rerum immobilium, quæ præcipue sunt, comparatur, sit pedum in eum positio, licet possessio rerum mobilium acquiri consueuerit per manum apprehensionem. Secundo dicitur rei corporalis, quoniam rerum incorporearum, vt iurium, & seruitutum non est proprie possessio, eo quod non per se, sed per aliquod reale & corporeum apprehenduntur. Tertio dicitur corpore & animo: quia vtrumque requiritur, vt possessio resultet, apprehensio videlicet corporalis, & animus ea apprehensione possidendi, hoc est habendi talem rem, vt suam: nam si solum corporaliter rem aliquam apprehenderem absque animo eam possidendi, non esset illa detentio dicenda possessio, vnde animalia irrationalia, eo quod animum possidendi non habent, non acquirunt possessionem rei quam pedibus apprehendunt, & è contra si rem aliquam solo animo apprehenderem, i. quantum in me esset, vellem eam tenere, nec tamen corporali actu eam contingerem nec per me, nec per alium, eo modo quo nata est acquiri possessio, non dicerem illam rem possidere, vel acquisiuisse possessionem. Dicitur vltimo iuris adminiculo interueniente, quia quamuis insisteret alicui rei animo & corpore, si tamen non habet iuris adminiculum, sic quod habeat ius ei sic insistendi, non dicitur possidere, Vnde si ius ei obiicet, vel non adsit, non dicitur possidere, & hoc aliquando est propter rem ipsam, vt si res ipsa sit sacra, hæc enim nec ab ignorante, nec a sciente possidetur. His breuiter prænotatis accedendum est modo ad Doctoris sententiam explicandam, quæ sequentibus articulis elucidabitur.

Primus Art. Vtrum dominia rerum ab initio iure distincta possint in alios a primis dominis transferri, & quot modis id fieri contingat.

Secundus Art. Vtrum translatio dominij ab eo, contra quem præscribitur, vel vsucapitur in præscribentem, & vsucapientem iuste fiat.

Tertius Art. Vtrum leges quæ existunt de præscriptione transferant in conscientia rerum dominium in possidentes, post transactum tempus a legibus statutum.

Quartus Art. Vtrum bona fides necessaria ad præscribendum patiatur secum hæsitationem, & dubium.

Quintus Art. Vtrum res possessa dominium possit a possidente sine priuata auctoritate in alterum transferri.

Sextus Art. Vtrum donatio facta solo interiori voluntatis actu sit in conscientia valida.

Septimus Art. Vtrum donatio, quæ fit per metum, aut ignorantiam realiter transferat dominium rei in alterum &c.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum dominia rerum ab initio iuste distincta possint in alios, a primis dominis transferri & quot modis id fieri contingat &c.

HAEc quæstio vnum supponit, & duo quærit, supponit enim quod dominia rerum fuerunt ab initio, idest post lapsum humani generis iuste distincta, quod ostendimus in præcedenti articulo, quo supposito quærit primo, An si quis habeat dominium alicuius rei distinctum, hoc est per appropriationem, sic quod res sit eius solius, possit iuste fieri, quod alius incipiat habere dominium distinctum illius rei, & prior dominus desinat esse dominus. Secundo quærit, dato quod iuste fieri possit, quot modis id fieri contingat.

Quoad primum quæsitum. Respondetur, quod dominia rerum distincta possunt iuste a primis dominis transferri in alios. Probatur, quia si non possent iuste transferri ex eo proueniret, quod eorum translatio non posset fieri sine iniusta cessatione eorumdem propterea, quod qui habent distincta dominia aliquarum rerum, iuste dominantur illis rebus, atque adeo cessare nequeunt ab illa iusta dominatione nisi iniuste, quia iustum non tollitur nisi per suum contrarium, scilicet per iniustum, sed hoc non obstat, ergo distincta rerum dominia iuste possunt a primis dominis in alios transferri. Probatur minor quia a iusta dominatione potest quis cessare volendo amplius non dominari tali rei, sed voluntas nulla sit iniuria, igitur quod alius dominetur illi rei, cui prius alius iuste dominabatur fieri potest absque iniustitia, & cum dicitur quod iustum non tollitur nisi per contrarium, scilicet per iniustum. Respondetur dupliciter & primo dicitur, quod aliquid esse iustum potest intelligi dupliciter, Vno modo quod sit debitum, sic quod quis teneatur ad illud, & hoc modo si aliqui a dominetur alicui iuste, idest quod teneretur ei dominari, non cessaret a dominio nisi iniuste, atque ita iustum non tollitur nisi per contrarium. Altero modo aliquid esse iustum idem est, quod esse licitum, sic quod illud est iustum me facere, quod mihi est licitum facere, & hoc modo quod mihi est iustum, potest cessare mihi esse iustum sine iniustitia, vt pote si est tale iustum, cui renunciare possum, & huius generis est hoc, quod est me dominari aliquibus rebus, quia est mihi licitum eis dominari,

Aliquid esse iustum bifariam intelligi potest.

nati, atque etiam est mihi licitum eidem dominio renunciare, & sic cessat illud iustum sine iniustitia, quæ sit in ipsa cessatione, vel abdicatione dominij. Secundo responderi potest, quod etiam in cessando dominari rei cuius iuste dominabar non cessat tale iustum dominium nisi per iniustũ; non quidem iniustitia, quæ sit in cessatione, quasi me cessare dominari sit iniustum, sed iniustitia, quæ est in dominari, vt si post cessationem adhuc eidem rei dominari vellem, illud dominari esset iniustum, atq. ita ad iustum dominari succedit iniustum dominari, sicut ad vnum contrarium succedit reliquum &c.

Translatio rerum bifariã fieri põt.

Quoad secundum obseruandum est primo, quod translatio rerum dupliciter fieri potest, vno modo quantum ad dominium, vt si res a dominio vnius transeat ad dominiũ alterius, ita quod res ista non sit amplius illius, cuius erat; sed sit alterius, cuius non erat prius. Alio modo quantum ad vsum, siue ius vtendi manente tamen dominio apud eumdẽ ita quod prior remaneat dominus illius rei, sed dat alteri facultatem vtendi tali re, quam prius non habuit, & talis facultas vtendi non est principalis, sed subdelegata. atq. adeo non transfertur res quantum ad dominium, sed solũ quantum ad vsum: & iustitia vel iniustitia in translatione vsus habet (inquit Doc.) regulas vniformes iustæ translationi dominij.

Translatio quoad dominiũ bifariã fieri potest.

Secundo obseruandum est, quod translatio quantum ad dominium dupliciter fieri potest, vno modo auctoritate legis, alio modo auctoritate priuata ipsius domini immediate possidentis: primo modo (per auctoritatem legis intelligendo auctoritatem publicæ personæ vel Regis, vel Iudicis) potest fieri translatio auctoritate legis, absolutè loquendo de legis auctoritate in se, vel de auctoritate determinatæ legis, vt in vsucapione, & præscriptione; de quibus erit sermo in sequenti articulo de primo modo translationis dominij, quæ fit auctoritate legis ponitur sequens conclusio.

Translatio dominij quæ fit auctoritate legis est iusta.

Translatio dominij quæ fit auctoritate legis iustæ, est iusta. antequam probetur conclusio obseruandum est primo certum esse quod leges, & iura principum, sicut in initio res singulas singulis addixerunt, ita etiam nunc diuisione facta possunt easdem res ab vno in alterum transferre, præcipereque dominis, vt non pro suo libito, sed secundum leges talium rerum faciant alienationes. Secundo obseruandum est etiam certum esse, quod leges non solum possunt impedire alienationem, seu translationem dominij, præcipiendo ne fiat, idest inducendo culpam, & adhibendo pęnam; verum etiam faciendo, vt contractus sit nullus, & translatio irrita: & item non solum possunt mihi præcipere, vt bona mea alteri resignem; verum etiam me inuito, illorum dominium in alterum transferre; & ratio est, nam cum Respub. ex natura rei sit domina bonorum suorum ciuium, fit, vt pro communi vtilitate possit de illis disponere nihil minus, quam si sui iuris essent; atque adeo duobus modis dominia transferri possunt, secundum legis dispositionem, scilicet vel quia me inuito bonorum meorum dominium in alterum transfert: vel quia lex impedit translationem dominij, vt contingit in pupillis, monachis, amentibus, & alijs contractibus, qui fiunt sine iuris solemnitate. In hac conclusione loquimur in communi de translatione dominij facta auctoritate legis iustæ, non autem de hoc, vel altero modo transferendi: de quibus erit sermo in sequentibus: his obseruatis, probatur sic conclusio a principio antequam essent distincta dominia rerum, ita quod nullus habebat adhuc aliquam rem sibi propriam, sed quælibet res erat omnibus communis, iuste potuit auctoritate publica, scilicet legis, vel legislatoris concedi distinctum dominium alicuius rei vni homini, ita quod talis cępit esse primus dominus illius rei, & hoc per appropriationem, quia, alijs exclusis, sibi soli applicata fuit res illa, & hoc iuste, non obstante, quod illa res prius fuisset omnium aliorum hominum; nec obstante quod ille homo prius numquam fuit dominus illius rei per appropriationem; igitur & postea potuit, & potest iustè fieri auctoritate legislatoris Principis, vel legis, quod prædictus primus dominus rei cadat a dominio sibi concesso per legem; & quod alius auctoritate eadem incipiat esse dominus: assumptum satis patuit supra in ar. 6. primi principalis: & consequentia probatur: quia eadem est ratio ad iustificandum vtrumque quod enim primum fuit tamquam licitum iustificatum; ex eo fuit quod omnes homines (quibus omnes res erant communes) sponte se subiecerunt, vel iuxta legem naturalem fuerunt subiecti alicui principanti legislatori; in quem, atque in eius legem consenserunt, vel consentire tenebantur; qua lege ipse aliquas ex illis rebus appropriauit aliquibus, alijs exclusis ab earũdem vsu: & è contra alijs alias. Igitur eadem ratione, si nunc idem legislator ex causa rationabili, & iusta auferat eas a primis, & concedat eas alijs, poterit id iustè fieri; non. n. minor est auctoritas legis, vel principis, (quod habeo hic pro eodem) post diuisionem dominiorum, quam ante: ergo propter eamdem causam, & eumdem finem, potest iustè transferri dominium, postquam fuerat alicui appropriatum. stat enim quod habeat iustam legem iustè auferentem illud a primis, & idem alijs concedentem.

ARTICVLVS II.

Vtrum translatio dominij ab eo, contra quem præscribitur, vel vsucapitur in præscribentem, & vsucapientem iustè fiat.

Præscriptio bifariã sumi potest.

PRo huius tituli intelligentia obseruandum est primo, quod præscriptio potest accipi dupliciter, vno modo communiter, vt comprehendit etiam vsucapionem; atque ita est acquisitio dominij per continuationem possessionis per spatium temporis a lege definiti; alio modo propriè, vt distinguitur contra vsucapionem: & sic est acquisitio dominij circa rem immobilem certo temporis spatio a lege definiti: ex quo infertur, quod præscriptio propriè accepta hoc solo differt ab vsucapione, vt etiam hic notat Doc. quod præscriptio est de rebus immobilibus, vsucapio vero de rebus mobilibus: & differunt præterea in eo, quod breuiori tempore vsucapitur res, quam præscribatur: vsucapitur enim res tribus annis, & non præscribitur tam facilè, vt habetur in Inst. de vsucapione. C. de sacrosanctis Eccles. in authen. Quas actiones. Cæterum quantum attinet ad præsentem disputationem, eadem est ratio præscriptionis, & vsucapionis.

Præscriptio, et vsucaptio quõ differant.

Præscriptio est duplex.

Secũdo obseruandũ est quod præscriptio est duplex, vna longi temporis, altera longissimi: præscriptio longi temporis ea est, quæ per decennium inter præsentes, & per viginti annos fit inter absentes, vt patet in Instit. loco supracitato: dicuntur autem præsentes existentes in eadem prouincia, vel melius hodie existentes in eadem ciuitate secundũ Accur. præscriptio aũt longissimi temporis est, quæ per spatiũ triginta annorum inter præsentes, & per quadraginta inter absentes fit. qualis in rebus ecclesiasticis est necessaria. Vsucapio vero triennio inter præsentes, & quadriennio inter absentes.

Accursius.

Præscriptio nõ datur cõtra Romanã Ecclesiã nisi post cẽtũ annos.

Tertio obseruandum est, quod contra Romanam ecclesiã numquam præscribitur aliquid nisi centum annis, vt in c. Nemo, 16.4.3. dicitur: & licet secundum antiquas imperatorum leges omnibus ecclesijs fuerit hoc tempus centũ annorum concessum, ita vt minus non sufficeret ad præscribẽdum contra aliquã, hodie tamen sola Romana Ecclesia habet hoc priuilegium de iure, & summi Pontifices interdum communicant illud alicui alteri per indultum particulare: ratio autem propter quam longius tempus requiritur ad præscribendum inter absentes, quam inter præsentes est, quia ratio postulat, vt præsentium negligentia, nempe qui in eadem prouincia, vel in eadem vrbe commorantur breuiori tempore puniatur, quam absentium; ad quos nec ita cito, nec ita facile rerum notitia potuit peruenire.

Præscriptio duplex bona, & mala fidei.

Quarto obseruandum est quod præscriptio iterum est duplex, vna bonæ fidei, altera malæ. Præscriptio bonæ fidei est, cum quis per totum tempus a lege cõstitutum in rei possessione manet, sine conscientia, aut dubio, quod sit alterius: sed putãs semper sine aliqua hæsitatione quod sit sua, vel quia in illa successit patri, vel quia alio iusto titulo eam possidet. Præscriptio autem malæ fidei opposito modo describitur, quod est, quando quis possidet fundum aliquem cum conscientia, aut dubio, quod est alterius.

Præscriptio iusta quinq requirit.

Quinto obseruandum est quod ad iustam præscriptionẽ quinque requiruntur, nempe persona præscribens: res quæ præscribitur, tempus in quo præscribitur talis res, titulus possidentis, & persona contra quam præscribitur: primo requiritur persona præscribens, in qua ad hoc, quod præscribat, requiritur bona fides: vnde nec qui precario possidet, idest ad preces veri domini, nec debitor præscribere possunt, neque emphyteuta, idest qui emit agrum ad tempus per suã,

aut

aut filiorum vitam, neque censuarius, qui per aliquod tempus pensionem non soluit, quia hi omnes non habent bonã fidem, cum sint rei alienæ conscij. est autem bona fides credulitas, qua quis credit rem esse suam, seu illum a quo illam accepit habuisse potestatem transferendi in ipsum; Vnde tria requiruntur ad bonam fidem, primo requiritur possessio: nam vt habet regula iuris, sine possessione non præscribitur, nec vsucapit res, ff. de vsucapio. l. sine possessione. Secũdo requiritur titulus, vel naturalis, vel iure legitimus, vel præsumptus: fur. n. & vsurarius, & alij id genus, res, quas furto, aut per vsuras acquirunt, nũquã præscribũt. Tertio requiritur ꝙ prædicta bona fides toto tempore absq. interruptione continuetur, vt expresse habetur in C. fi. de præscrip. nã si interrupta fuerit, vel quia dñs petit, vel alia via, tunc tẽpora illa interrupta nõ cõstituũt vnũ legitimũ tẽpus præscriptionis. Secũdo requiritur res, quæ talis sit naturæ, vt a iure præscribi non prohibeatur: Vnde subditus præscribere non potest contra Prælati obedientiam, vt in aliquo casu obedire non teneatur, nec etiam vt stipendium visitanti Episcopatũ aliquis soluere non teneatur, vt constat ex c. Cum ex officio de censibus. Item quis præscribere non potest, ne Ecclesiasticum interdictum seruare teneatur, vt definitum est in c. Alma Mater de sent. excom. in 6 Neque laicus ius patronatus, aut ius exigendi decimas præscribere potest, vt habetur in c. ante de præscrip. neque limites vnius diœcesis ab alia præscribi possunt, vt in c. super eo, de parrochijs est definitũ. neque homo liber præscribi potest, quia prohibetur 16. q. 3. c. placuit. Neque publicæ res, vt viæ, plateæ &c. quia prohibentur l. præscrip. c. de opere publico. Neque pensiones, vel tributa, quæ principi Reipublicæ, aut ciuitati soluuntur; ita definitur dicto cap. Placuit: neque res dotalis, aut pupillorum durante pupillari ætate, quæ est vsque ad 14. annũ, aut bona minorum sine iuris solemnitate vendita, nec bona ecclesiæ absque consensu capituli alienata; quia eorum alienatio a lege, & a iure præscribi prohibetur: neque res quæ a testatore alienari prohibetur, quia hoc ius vetat per tex. & glos. in l. 1. c. de vsucapionibus pro emptore; neq. res possessa alieno nomine, vt commodata, quia quod alieno nomine retinetur, non vere possidetur; neque res empta ab eo, cui est interdicta suorum bonorum administratio, nam vt res minorum præscribi non possunt, ita neque aliorum, quibus dantur curatores propter fuatum rerum abusum.

Bona fides tria postulat.

Res quæ sint, quæ possint præscribi.

Tertio requiritur tempus in quo præscribitur talis res: nam ad legitimam præscriptionem continua possessio rei præscribendæ per totum tempus a lege decretum necessaria est, vt si lex decennium statuat, illam continuis decem annis possidere debet sine interruptione possessionis.

Quarto requiritur titulus possidentis, idest actus quo dominium transferri solet: nam contingit rem possidere duplici titulo, vno modo titulo falso, & nullus talis potest esse sufficiens ad transferendum in alterum, vt est titulus furti, rapinæ &c. hinc possidens rem inuentam non præscribit, quia detentio rei inuentæ numquam transfert dominium: similiter neque fur, aut latro præscribere potest propter eamdem rationem, vt notat Glos. in c. si diligenti de præscription. Alio modo possidere potest titulo, qui potest esse causa legitima, & sufficiens transferendi rem in dominium alterius, vt est donatio, emptio, & hæreditaria successio, si donatio, vel emptio fiat a domino, alias si ab eo, quem accipiens credebat dominum: obseruandum est tamen quod ad præscribendum non est necessarius verus titulus, is namq. qui vero titulo aliquid possidet, re vera dominium, vel quasi dominium, vel ius in re habet, ac proinde comparatione eius, quod ita possidet præscriptione non indiget, sed requiritur titulus, qui sit præsumptus verus, quod re vera quantum est ex se erat verus titulus, sed propter circunstantiam, quã habet adiunctam, & quæ ignorantia facti probabiliter ignoratur desinit esse titulus verus, cum tamen verus ab eo credatur, & præsumatur, qui rem eo titulo possidet: & hic est titulus de quo loquimur in præsentiarum.

Ad præscribendũ nõ est necessarius verus titulus.

Quinto requiritur persona contra quam fit præscriptio: nam præscriptio non currit contra pupillum vel furiosum. Item nec contra ignorantem: nam qui ignorat rem ab alio possessam esse suam, non est in culpa, neque contra impeditum, vt contra excommunicatum, cui non datur actio in iudicio, nisi fuerit in mora petendi absolutionem.

Præscriptio contra quẽ fieri nequit.

His obseruatis, sensus quæstionis est, an esto quod Petrus sit alicuius rei immobilis dominus, & ego eamdem rem præscribo seruatis singulis cõditionibus ad præscriptionem requisitis Petrus iuste cadat a dominio eiusdem rei, & ego incipiam eiusdem esse dominus; vel si Ioannes est dominus alicuius rei mobilis, & Petrus eamdem (seruatis conditionibus seruandis) vsucapit, an Ioannes iuste cadat a dominio illius rei, & Petrus incipiat esse dominus eiusdem. Resolutio stat in gemina conclusione.

Prima conclusio. Translatio dominij rei ab eo, contra quẽ præscribitur, vel vsucapitur in præscribentem, & vsucapientem legitime, idest seruatis conditionibus seruandis, est iusta, probatur quia illa translatio fit authoritate legis: legislator enim statuit, quòd præscribens, & vsucapiens rem seruatis singulis conditionibus ad præscriptionem, & vsucapionẽ legitimam, sit completa præscriptione, & vsucapione dominus illius rei, & alius præcedens cecidisse debeat a dominio, & si legislator potuit talem legem ferre, tunc translatio erit iusta: sed legislator potuit talem legem condere, vt patebit in probatione sequentis conclusionis, igitur talis translatio erit iusta. Secũdo probatur quia si nõ esset iusta ex eo maximè proueniret: quia nõ fieret cũ cõsensu primi domini, cõtra quem præscribitur, vel vsucapitur, sed hoc non obstat: tum quia talis translatio fit cum cõsensu eius pro tanto: quia ex quo consentit in Principem legislatorem, in hoc quod potuit sibi statuere leges iustas, consentit etiam virtualiter in legem prædictam priuantem eum dominio, & concedentẽ illud alteri; tum quia, & si non fiat cum consensu saltem formali, & specifico de illa translatione, propter hoc tamen nõ fit sibi iniuria: alias nec iustè quis propter delicta sua posset priuari aliquo temporali, nisi eo consentiente formaliter, & specificè de illa pęna, quod est falsum, cum pęna sit de nolitis: sequela tamen probatur, quia in proposito, quod is contra quem præscribitur priuetur dominio rei suæ per legem prædictam, est quia deliquit per negligentiam, & in pœnam illius delicti priuatur re sua; ergo &c.

Secunda conclusio. Legislator potuit licitè talem legem statuere, scilicet præscribens rem immobilem, vel vsucapiẽs aliquam rem mobilem debitis seruatis conditionibus incipiat esse dominus eiusdem rei, completa præscriptione, vel vsucapione: atq. is, cuius res prius fuit desinat esse dominus. Probatur cõclusio a Doc. nostro Sub. tripliciter, & primo sic. Illud potest iustè statui a principe, vel legislatore, quod est necessarium ad pacificam subditorum conuersationem, sed lex, quæ statuit dominium rei neglectæ, sicut negligitur in præscriptione, & vsucapione, transferri in occupantẽ, statuit id, quod est necessarium ad pacificam subditorum conuersationem: ergo lex illa iuste potuit a legislatore statui: consequentia est nota cum maiori, & minor probatur: quia nisi seruaretur prædicta lex, nempe quod is, contra quem quis præscribit, non caderet a dominio rei præscriptæ, & non transferretur dominium in occupantẽ, sed remaneret apud primum, adeoque primus dominus quantumcumque longo tempore eam neglexerit, & eam demiserit in manum alterius perpetuo seruaretur dominus, fierent lites immortales, vel odia plurima: nam primus dominus, vel hæres eius posset talem rem post quodcumque tempus repetere, & cum valde difficile, immo quasi impossibile esset probationes sufficientes adducere, etiam esset valde difficile, vel impossibile primo domino iustitiam ministrari: nec res sibi debita posset sibi reddi, nec iniustus possessor, vel detentor eijci: atq. ita non solum generarentur odia inter primum, atque secundum dominum, sed etiam periclitaretur iustitia, & iniustitia impurgata remaneret, ac proinde pax in Repub. turbaretur.

Legislator iuste potest statuere legem præscriptionis, & vsucapionis.

Secundo patet, Princeps legislator potest iuste per legem punire transgredientem, cuius transgressio vergit in detrimentum Reipub. etiam pœna capitali, ergo multo magis pecuniaria, & hoc applicando eam fisco: ergo pari ratione potest, & potuit Princeps legislator priuare aliquem dominio rerum suorum: si talis commisit, vel committit delictũ, quod est damnosum Reipub. atq. illud idem dominiũ applicare potest alteri homini, qui in hoc est minister legis: sed ille contra quem quis præscribit, vel vsucapit rem alienã, cõmittit illud quod est damnosum Reipub. ergo Princeps legislator iustè potuit per legem priuare talem dominio rei, & illud idem dominium applicare fisco, vel ad maiorẽ pacẽ transferre illud in illum, qui tanto tempore occupauit tamquam in ministrũ legis: maior est nota, & minor patet, quia is, contra quem quis præscribit, est negligens circa res suas

immo-

do eas, & is, contra quem quis vsucapit, est negligens circa res suas mobiles, non capiendo fructus, vtilitates per se, vel alium, quantum est in ipso ex eis, sed damnosum est Reipub. non coli res immobiles, cum ex earum cultura prouenire debeant ea, quæ humano vsui sunt necessaria, & accomoda: similiter etiam damnosum est Reipub. quod quis non vtatur rebus suis mobilibus, ex quarum vsu posset, (si ipse vel alius vteretur) prouenire multa humana vtilitas; & confirmatur, quia is contra quem præscribitur, & vsucapitur, negligendo res suas, est causa quod crescit materia litigiorum turbantium Reipub. pacem, quia ex sua negligentia alius, qui præscribit, vel vsucapit rem, credit rem non esse alterius, sed suam; atque ita contendit illam retinere, è contra alius licet neglexerit rem suam, non vult perdidisse eam, & sic erit lis contraria paci; ergo committit delictum damnosum Reipub. iustè itaque puniri potest pœna amissionis bonorum, quorum negligens fuit conseruare, & ex hoc patet, inquit Doc. quomodo debet intelligi illa præsumptio iuris, & de iure: contra quam non admittitur probatio, scilicet sic negligens rem suam habuit eam pro derelicta: & si enim hoc non sit verũ in re, tamen legislator punit istum ac si habuisset eam pro derelicta: quia in aliquo assimilatur habenti pro derelicta, & illud in quo assimilatur derelinquenti iustè requirit similem pœnam.

Præsumptio quid sit & vnde oriatur.

Pro huius corrolarij intelligẽtia obseruandum est, quod præsumptio est sententia præassumpta præueniens veram cognitionem antequam de ea liquido constet; oritur autem suspicio, seu præsumptio ex multis capitibus, sed vt ad propositum spectat, oritur interdum a lege, seu a iure, & est duplex, vna est iuris tantum, altera vero iuris, & a iure; præsumptio iuris dicitur, quæ æquitatem quamdam habet, ius enim est ars æqui, & boni: iuris verò, & de iure, quæ æquitatem etiam habet, sed vltra in corpore iuris præscripti continetur, & faciunt ambæ fidem. Felinus tradit præsumptionem iuris, & de iure esse, quando ius in aliquo facto, certum aliquid præsumit, & vltra præsumptionem illud firmat, & de ea statuit, vbi autem ius aliquid præsumit, sed pro præsumptione non affirmat, aut non statuit pro ea; est præsumptio iuris tantum. Notant insuper Iurisconsulti regulariter non admitti probationem contra præsumptionem iuris, & de iure, nisi veritas contra præsumptionem appareat: nam contra omnes præsumptiones, & in quacumque parte litis obiici potest veritas, atque illa præcipua manet; contra autem præsumptionem iuris tantum admittitur probatio, vtriusque exempla patent de Iuuene cognoscente sponsam, & de Clerico cognoscente ancillam: Nam si quis per verba de præsenti habeat sponsam, & deinde die sequenti furtiuè cognoscat eam, & dicat deinde quod non vult illam, quia non cognouit eam affectu maritali, est præsumptio iuris, & de iure contra eum, quod eam cognouerit maritali affectu: atque adeo non admittitur probatio in oppositum: quia super hoc lex instituta est. Secus est de Clerico, quia licet præsumatur de illo quod ancillam secum cohabitantem cognouerit, tamen potest adducere testes in oppositum, & probatio admittitur: quia præsumptio & si sit iuris, non est tamen de iure, cum de ea lex non affirmet, neque statuat. In proposito autem contra negligentem res suas, est præsumptio iuris, & de iure, quod habeat eas pro derelictis; atque adeo legislator potest punire eum simili pœna, qua puniretur res suas derelinquens, transferendo dominium in occupantem.

Felinus.

Tertio patet conclusio, si persona priuata iustè potest trãsferre dominium rei suæ in dominium alterius, ergo auctoritate publica poterit fieri translatio iusta, rei, quæ habetur pro derelicta: consequentia patet, quia auctoritas publica est de consensu omnium priuatorum; ergo Communitas habens istum consensum, quasi iam oblatum in hoc, quòd quilibet consensit in leges iustas condendas à communitate, vel principe, potest per legem iustam cuiuslibet dominium transferre in quemlibet; in facto enim communitatis supponitur includi consensus cuiuslibet, & per consequens translatio facta auctoritate talis legis, scilicet Præscriptionis, vel vsucapionis est iusta.

Sed contra hanc conclusionem arguitur; Princeps auctoritate cuius condita est lex præscriptionis; non est dominus rei meæ, sed tutor, & defensor, ratione cuius accipit, & debentur ei stipendia; ergo inuito vero domino non potest in alterum transferre dominium, immo videtur committere furtum; hæc est Henr. de Gand. quol. 6. q. 22. qua probat, ꝙ præscribens non efficitur dominus præscribendo, sed solum acquirit exceptionem.

Henricus.

Secundo arguitur, præscriptio non est a lege introducta tamquam quid bonum, sed ad vitandum maius malum, sicut permittentur Lupanaria non tamquam bona, sed ad vitanda maiora mala, idest adulteria: ergo qui præscribit non facit rem suam, sed tantum acquirit exceptionem.

Tertio arguitur, nullus debet ditari cum iactura alterius, & fortè sine culpa illius, vt si inuincibiliter ignorabat illam rem esse suam, vel illam non poterat inuenire, scit bene se perdidisse, sed nescit vbi sit.

Ad primum dico, quod Princeps non habet dominiũ proprietatis suorum vassallorum, itaque pro libito suo, & ad vtilitatem propriam non potest illis vti, vendendo, vel donando, &c. sed habet dominium iurisdictionis, & habet dominium proprietatis pro bono cõmuni. Facit ff. de euict. l. Lucius. & de quadr. Præscrip. l. benè a Zenone: quia potest inuito domino capere, si exigat vtilitas cõis, puta pro defensione Reip. sed non habet dominiũ proprietatis, vt dictũ ẽ.

Secundo dico, quod rem transferri in potestatẽ alterius, non solum est potestas competens illi, qui habet dominium proprietatis: sed etiam est potestas competens illi, qui habet dominium iurisdictionis pro culpa primi possessoris: Nam priuare aliquem re sua culpa exigente est vnus de actibus iurisdictionis, & ex hac ratione lex præscriptionis priuat illum, qui realiter erat dominus dominio suo, & proprietate.

Ad argumentum fateor ꝙ potestas concessa domino proprietatis est potestas transferendi in dominium alterius, sed eadem potestas sequitur etiam dominium iurisdictionis pro diuersis causis: nam dominium proprietatis consequitur potestas transferendi rem in alterũ pro vtilitate propria illius, qui transfert. Sed dominium iurisdictionis consequitur etiam potestas transferendi rem in alterum pro vtilitate communitatis, aut pro punitione delicti illius, qui erat primus dominus.

Ad secundum dico, quod præscriptio non solum est introducta ad euitandum maius malum, sed etiam tamquã quid bonum, & valdè condecens bono communi, ne dominia rerum remaneant diutius in incerto. l. de vsura ff.

Ad tertium dico, quod nullus debet ditari cum iactura alterius, nisi id postulet communis vtilitas, atque id ipse demeruerit. Sed dices, esto quod aliquis ditetur cum iactura alterius, qui non demeruit damnificari. V. g. Petrus furatus est rem Ioan. qui mihi illam vendidit, vel dono dedit, & ego credebam Petrum esse verum dominum, & possideo illam toto tempore præscripto a lege bona fide, & Ioannes in non recipiendo illam, non est negligens, quia inuincibiliter ignorat vbi sit, & quis illam possideat: quo stante, ego efficior verus dominus, & ditor cum iactura alterius absq. negligentia, & peccato illius. quid iuris? Respondet de Viterbio, quod si Ioannes probauerit suam ignorantiam, & ostenderit se esse inculpabilem, ego teneor illam restituere: nam lex non punit, neque intendit aliquem sine culpa, aut causa punire: atque adeo in tali casu debeo reddere rem cuius est.

ARTICVLVS III.

Vtrum leges, quæ existunt de præscriptione transferant in conscientia rerum dominium in possidentes post confectum tempus legibus statutum.

PRo tituli intelligentia obseruandum est, ꝙ qui possidet rem alienam duobus modis eam possidere potest, vel enim possidet eam bona fide, credens nempè indubitanter illam esse suam, vel eam possidet mala fide, quia nempe scit rem illam esse alterius, vel non suam, siue eam iusto titulo non possidere: est autem bona fide possidere, quando quis habet conscientiam, hoc est mentis existimationem animo correspondentem, ita scilicet, quod sicut animus rem apprehensam habet actualiter, aut quasi habitualiter vt suam, sic etiam existimatio, & conscientia credit illam esse suam; hæc enim dicitur bona fides ex parte mentis; atque is, qui ita possidet, dicitur bona fide possidere. Quando vero animus, idest voluntas habet rem vt suam, & conscientia, mentisque existimatio credit esse alienam, dicitur esse mala fides, & is, qui eo modo possidet

Possidens rẽ alienã duobus modis eã possidere potest.

dicitur mala fide possidere, vt colligitur ex D. August. cap. si Virgo. 24. q. 2 & ex alijs pluribus

D. Aug. *Fides dupliciter pot appellari mala*

Secundo obseruandum est, fidẽ (quod ad præscriptionẽ attinet) duobus modis dici malam: vno modo quia est cum peccato, & hoc vel quia adest scientia rei alienæ, vel dubiũ in principio possessionis, iuxta ea, quæ dicemus in sequenti articulo, vel certè negligentia sciendi, an res sit aliena, quæ proinde vincibilem, atq. culpabilem facit ignorantiam, atq. huiusmodi fides dicitur mala eo quod cum peccato, & vera culpa theologica sit coniuncta. Altero modo dicitur mala, quæ est reprobata a iure, & insufficiens, ac proinde vitiosa ad præscriptionis effectum, vt poté carens conditionibus a iure ad præscribendum requisitis.

Possessor bonæ fidei quis dicatur.

Tertio obseruandum est, vt quis bonæ fidei possessor dicatur, atque adeo præscribere possit, non satis esse si credat rem, quam possidet suam esse, nisi merito id sibi persuadeat: si namq. vel ex ignorantia affectata, vel quacunque alia ratione crassa eam suam esse sibi persuadeat, non dicitur possidere bona fide: quin potius peccabit lethaliter, si res eius valoris sit, qui ad culpam lethalem sufficiat, tenebiturque eam restituere, non solum ex parte rei acceptæ, sed etiam ex parte iniustæ acceptionis.

His obseruatis, titulus quæstionis intelligi potest, vel de possidente rem mala fide, aut bona fide, cui tamen peracto præscriptionis tempore constat rem alienam fuisse, & in vtroq. sensu examinanda est.

Quo ad primum Legistæ communiter dicũt, quòd cum mala fide potest quis præscribere: nam leges ciuiles possessoribus etiam malæ fidei rem possessam adiudicant, vt Gratianus adnotauit in c. dilectio §. potest. 16. q. 3. & habetur expresse in c. vigilanti. de præscript. & in C. de præscriptione triginta, vel quadraginta annorum. l. cum notissimi: & Gl. in c. finali de præscriptionibus, quæ dicit semper esse iudicandum secundum leges de præscriptione, etiam si possessor malæ fidei rem obtineat.

Gratianus

Glossa.

Cæterum hæc sententia falsa est: nam huiusmodi leges ciuiles abrogantur iure Canonico in c. vlt. de præscrip. & in c. possessor. de Reg. iuris in 6. vbi dicitur, Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit.

Conc. Later.

Quæ verba habentur in Concil. Lateran. sub Innoc. III. vbi ita legitur. Quoniam quod non est ex fide peccatũ est, Synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absq; bona fide præscriptio, cum generaliter sit omni constitutioni, atq; cõsuetudini derogandum, quę absq; mortali peccato non põt obseruari, vt oportet, vt qui præscribit in nulla tẽporis parte rei habeat conscientiam alienæ. Glossa dicit Summũ Pontificem non potuisse leges illas reuocare, & sic ꝙ adhuc manent in suo vigore; sed hoc est falsum: nam quamuis potestas Imperialis distincta sit à Pontificia, nec illa huic sit per omnia subiecta, tamen quia quantum ad regimen animarũ spiritualis potestas temporali ex diuino iure est prælata, fit, vt leges ciuiles delictorum fautrices, qualis est illa, quæ possessoribus malæ fidei fauet, possit de medio tollere.

Glossa.

Quidam vero affirmarunt huiusmodi leges Pontificię solum habere locum in terris temporalis dominij ecclesiæ, eo quod, vt inquiunt, Potestas summi Pontificis ad leges Principum secularium non se extendat. Contrarium tamen constat apertè: quoniam omnes Theologi affirmant in summo Pontifice esse plenissimam potestatem super omnes Principes Christianos, & eorum leges, & statuta, quatenus animarum saluti, & fini supernaturali fuerit necessariũ. Quare quæ iure canonico hac de re constituta sunt, vim habent in quocumq. foro seculari cuiuscũq. Principis Ecclesiæ subiecti, vt communis Doctorum opinio affirmat, immo Panor. c. vlt. de pręscrip. & Medina de rebus restituendis q. 17 contendunt, eas leges etiam ante definitiones canonicas fuisse ex ipsa natura rei nullas, idque solũ summos Pontifices suis definitionibus declarasse. Hostien. in summa tit. de præscri. §. quæ res præscribi possunt & Bart. in l. sequitur §. si viã. ff. de vsucap. & Adrian. in 4. de restit. §. hoc supposito inquirendum, & alij, quos citat Couar. in Regul. possessor. p. 2. §. 11. & lib. 1. variarum resolut. c. 9. nu. 5. Putauerunt leges ciuiles non in totum per ius canonicum esse sublatas, & præscriptionem in certis casibus, etiam cum mala fide iure canonico, & tuta conscientia valere. Sed verior est opinio Ioan. And. Anton. Abb. Felini in c. vlt. de præscriptionibus. & Couar. loco citato, asserentium leges ciuiles ex toto per ius canonicum esse in hac parte correctas, & sublatas, & præscriptionem cum mala fide in vniuersum iure canonico damnatam, nec vllam vim, & locum habere in foro conscientiæ.

Panor. *Medina.* *Hostiensis.* *Bartolus.* *Adrianus.* *Couar.*

Ioan Andr. *Antonius Abbat.* *Felinus.* *Couar.*

Dicendum est ergo, quod nemo tutus in conscientia præscribit beneficio legis humanæ nisi toto præscriptionis tempore rem, quam habet alterius, bona fide possideat: hoc enim expresse determinatur in illa regula iuris, Possessor malæ fidei vllo tempore non præscribit. extra de Reg. iuris in 6. regula secunda, & ratio est, quia cum ille dicatur possessor malæ fidei, qui conscius est, aut dubius rem, quã possidet non esse suam & qui facit contra propriam conscientiam peccet, peccatum autem illi non debeat patrocinari: manifestè sequitur contra rationem naturalem esse, ꝙ possessori malę fidei ius ciuile patrocinetur, atq. ita dominium rei alienæ ei non conferat. Præterea tota æquitas legis desumitur ex bono publico, & communi ad quod lex ordinatur sed illæ constitutiones erant in magnam perniciem boni publici, etenim quisq. præsumeret occupare res alienas, si posset, & post aliquod tempus haberet dominium illarum, & a iudice defenderetur contra verum dominum: deinde cõtra ius naturæ est, quod fur eo quod est in mora restituendi, comparet sibi dominium circa rem furtiuam, aut quod ea de causa defendatur a iudice in possessione, sed hæ leges seculares concedebant furibus dominia ob istam causam, & defendebant eos in possessione; ergo iniquæ erant; merito ergo summi Pontifices abrogauerunt leges illas, quæ concedebant dominiũ possessori malæ fidei, tamquam iniquas, & contra ius naturæ.

Quoad secundum an scilicet qui toto tempore ad pręscribendum ex lege assignato rem possidet bona fide, si postea sciat non esse suam, sed alterius, tuto possit illam retinere, vel teneatur in conscientia eam priori domino restituere. De hac re variæ sunt Doctorum sententiæ, quas refert Glossa. c. vigilanti. de præscrip. Hugo, & ex Ioan. And. refert ibidem, Panormitanus, Summa Rosella, & alij asseruerunt, quod quamuis bona fide quis rem possideat toto tempore legis, tamen quotiescumq. sciuerit eam esse alienam, etiam si in foro exteriori fuerit sibi adiudicata, tenetur in conscientia eam vero domino restituere. Fundamentum est, quoniã vt habetur de Reg. iuris in 6. Reg. 48. locupletari. Locupletari non debet aliquis cum alterius iniuria, vel iactura: si autem qui bona fide rem præscripsit, sciens postea alienam fuisse, eam non restitueret, locupletaretur cum aliena iactura; ergo tenetur in foro conscientiæ eam restituere. Pręterea fundamentum præscriptionis est bona fides; ergo quocumque tempore ex eo cessat, quod cognoscitur fuisse alterius, tenetur qui eam præscripsit restituere.

Glossa. *Hugo.* *Panormit.* *Summa Rosella.*

Alij dixerunt rem legitimè præscriptam si titulo oneroso fuit comparata, vt quia fuit empta, aut permutatione acquisita restituendam non esse, esto post præscriptionem constet fuisse alienam; quoniam cum ille, qui præscripsit iuris auctoritate, præscriptionis lege adiuuetur, potius indẽnitati propriæ, quam eius, cuius res illa ante præscriptionem erat, debet consulere. Si vero titulo gratioso acquisita fuit, vt donationis, legati, aut successionis abintestato, seu ex testamento, restituendam esse, eo quod qui eam præscripsit, non debeat tunc cum aliena iactura locupletari.

Adrianus in 4. de restitutione, in propria quæstione de præscriptione, & post eum Medina de rebus restituendis q. 16. & 18. distinguunt: quia vel is, aduersus quem præscribitur negligens fuit in re sua inquirenda, & recuperanda, vel non fuit negligens ex eo quod inuincibiliter ignorabat rem illam esse suam, vel alia de causa: si priori modo dicunt præscriptione ipsa amittere dominium lege intendente punire negligentiam illam ea pœna; atque adeo tunc qui legitimè eam præscripsit, esto postea sciat fuisse alienam, non teneri eam restituere, eo quod legis auctoritate comparauit dominium illius. Si autem posteriori modo res se habeat, dicunt neque præscriptione amisisse dominium, neque alterum illud comparasse, eo quod vbi non est culpa, locum non habet pœna, ac proinde si in eo euentu post tempus præscriptionis sciat fuisse alienam, teneri eam restituere, modo non fuerit consumpta, tunc enim cum obligatio restituendi non consurgat ex parte iniustæ acceptionis, quippe cum bona fide esset consumpta, sed solum ex parte rei acceptæ, vtique solum teneretur restituere quantum ex illa factus esset locupletior.

Adrianus. *Medina.*

His

His tamen non obstantibus dicendum est, quòd possessor bonæ fidei legitimo præscriptionis tempore elapso, etsi nulla adsit negligentia ex parte eius aduersus quem præscribitur, quocumque titulo eam possideat siue oneroso, siue gratioso, tuta conscientia, rem tamquam propriam possideat, ita vt quamuis postea sciat non fuisse suam, non teneatur eam priori domino restituere. Hæc est expressa sententia D. Tho. n. quol. 12. art. 15. quam etiam sequitur Doc. noster S. ib. hac. 1. & quæst. art. 2. Palud. in 4. d. 15. quæst. 2. concl. 4. Gabr. ibidem & Coradus de contract. tract. 1. q. 15. & patet, quoniam in Principe est plena potestas tam in subditos, quam in eorum bona, quatenus commune bonum, & vtilitas publica postulat, sed hæc postulant vt bonæ fidei possessor, interuenientibus quibusdam conditionibus, transactoque certo quodam tempore, rem quam possidet præscribat, & illius dominium consequatur, & quòd antiquus dominus etsi nulla interuenerit ipsius negligentia, amittat; ergo iustè Principes possunt legem statuere, quæ vim etiam in consciētiæ foro habeat, & eius virtute dominium rei præscriptæ in præscribentem transferatur: cum ergo Principes re ipsa illam statuerint, vt instit. C. & ff. de vsucapionibus, ac alibi est manifestum; & ius canonicum extra de præscriptionibus etiam approbauerit, & 16 q. 3. per multa capita; & in c. si Virgo. 34. q. vnica, sine aliqua limitatione loquantur, & dent dominium rei possidenti eam bona fide toto tempore in lege assignato, manifestè sequitur, quòd intendunt dare illud & in foro conscientię; quod ex eo maximè patet, quia in cap. vigilanti, & in ca. finali de præscrip. Pontifices solùm irritant præscriptionem malæ fidei, ergo à contrario sensu colligere licebit, quòd approbauerunt præscriptionem bonæ fidei: maximè dum dedita opera de hoc tractarent, an præscriptio à legibus ciuilibus concessa esset licita in conscientia, vel non.

D. Thom.
Scotus
Palud.
Gabriel.
Coradus.

Maior receptissima est, & ex eo maximè constat, quòd eo ipso quòd Respubl. aliquem in Principem sibi delegit potestatem ei tribuit condendi eas leges, quas in commune bonum, publicamque vtilitatem expedire iudicaret: neque populus contrauenire potest ijs legibus, quas tales esse constat: huic autem, de qua loquimur, non solum non contrauenit, sed etiam longo iam tempore illam recepit. Minor verò patet, quoniam nisi ea lex esset in Republ. dominia rerum incerta essent in magnum Respubl. detrimentum; orirentur namque quamplurimæ, & difficiles lites, & vna cum litibus odia: & cum post longa tempora difficile probari posset ius cuiusque periclitaretur iustitia, item laqueis multis hominum conscientiæ essent expositæ: quæ omnia parent ex ijs, quæ in superioribus disputauimus: atque hæc omnia quę de dominiorum incertitudine, litium multiplicitate, & difficultate, conscientiarum, & iustitiæ periculo dicta sunt, ęquè vim habent, siue interueniat negligentia ex parte eius, aduersus quem præscribitur, siue non: quandoquidem qui præscriptam rem aliquam haberet, iudicare non posset, an is aduersus quem ipse præscripsisset culpabilem negligentiam in ea acquirenda, & obtinenda habuerit, atque adeo ea omnia incommoda euenirent.

Est ergo expediens bono communi, vt lex præscriptionis constituatur: quæ etiam quando nulla est negligentia in illo aduersus quem præscribitur, dominium in eum transferat, qui alioqui legitimè præscribit, quæque vim in foro conscientiæ habeat, sicut & de facto habent: in iure enim nulla talis legitur exceptio, quam tamen Summi Pontifices conscientiarum consultores non prætermisissent; si esset intelligenda.

Ad fundamentum prioris sententiæ dicit Glossa, quòd illa regula non habet locum in præscriptionibus, & vsucapionibus, ne dominia rerum manerent incerta. Secundo dico regulam illam intelligendam esse, nisi iusta de causa auctoritate publica constitutum sit, vt in commune bonum iacturam aliquam in aliquo euentu patiatur aliquis, quæ in alterius commodum cedat, vt in re proposita cernitur.

Ad secundum dico, bonam fidem toto tempore ad præscribendum dato, antequam dominium via præscriptionis acquiratur esse fundamentum præscriptionis; cognitionem verò peruenientem post rem præscriptam, & dominium illius comparatum, quòd res illa ante præscriptionem fuerit alterius nihil impedire præscriptioni iam peractæ, neque illam reuocare, qui præscribens iuste est effectus dominus rei illius, ea lege sibi assistente, quæ rerum dominia habet transferre: quòd si quis post rem aliquam legitimè præscriptam arbitretur se teneri eam restituere, eo quòd comperiat eam fuisse alterius, tunc talis conscientia est erronea, teneturque is, qui eam habet, vel conscientiam deponere, vel rem restituere, non quidem quòd ea res alteri sit re ipsa debita, sed solum, vt ipse ob suam erroneam conscientiam peccatum euitet, eo quòd vt ad Rom. 14. habetur, quòd non est ex fide, id est, quòd credulitati, & existimationi aduersatur, qua quis credit se ad aliquid in conscientia teneri, peccatum est.

ARTICVLVS IV.

Vtrum bona fides necessaria ad præscribendum, patiatur secum hæsitationem, & dubium.

HVius quæstionis solutio ex altera quæstione pendet, nempè, an comparatione eius, qui possidet, detur medium inter bona, & mala fide possidere: pro cuius solutione obseruandum est breuiter, quòd illa quæstio potest tractari speculatiuè, id est, vtrum res illa sit sua, aut practicè, hoc est de dictamine conscientię circa agenda; si priori modo consideretur quæstio, dicendum est cum Couar. in Regul. possessor. inter possidere bona, & mala fide dari medium, atque adeo eum qui dubius est, an res quam possidet, sua sit, nec ne, neque esse possessorem bonæ fidei, neque malæ, sed esse in media quadam dispositione: nam si bona fide possidere non aliud sit, quàm possidere credendo rem esse suam, & mala fide possidere non aliud sit, quàm possidere credendo rem esse alienam, negari non potest eum, qui dubitat an res, quam possidet sit sua, nec ne, mediam quamdam dispositionem inter bonæ, ac malæ fidei possessorem tenere.

Bona & mala fides cōparare possunt ad quæst. speculatiuam, uel practicā.
Couar.

Si autem sit sermo per comparationem ad quæstionem practicam, dicendum est non dari medium inter bonæ, & malæ fidei possessorem, vt censet Dinus in Regula possessor: Nam in principio possessionis solus is bona fide possidet, qui credit rem esse suam, eo quòd is solùm possit habere dictamen practicum, quo iudicet se iustè possidere; is verò qui vel alienam esse credit, vel dubitat an sua sit, possidet mala fide: quia vterque iudicat nefas sibi esse eam, vt suam possidere. at vero post inchoatam bona fide possessionem, tam is qui credit rem esse suam, quàm qui dubitat, an sua sit possidet bona fide, solus vero qui credit esse alienam, idque sibi persuadet, possidet mala fide. Ex quo infertur, quod sumpta bona, & mala fide per comparationem ad quæstionem practicam, quo pacto in re proposita simpliciter est sumenda toto tempore requisito ad præscribendū necessaria est bona fides.

Dinus.

Secundo obseruandum est, quòd si velimus bonam, & malā fidem per comparationem ad quæstionem speculatiuā explicare, & quodammodo illam metiri; sic cum sola credulitas, quòd res sit sua, habeat semper adiunctam bonam fidem, tam in principio, quàm in medio possessionis, & sola credulitas, quòd res non sit illius, qui illam possidet, habeat semper adiunctam malam fidem, tam in principio, quam in medio: dubitatio vero an res sua sit, indifferens sit ad bonam, & malam fidem, eo quòd in principio possessionis habeat adiunctam malam fidem, & in medio bonam; inde est, quòd iura ad inchoandam præscriptionem exigant bonam fidem, credulitatemq; quòd res sit eius, qui illam possidendam aggreditur, & ad præscriptionem continuandam exigant, vt non interrumpatur credulitas rei alienæ, atque simul meritò dicant, quòd mala fides interrumpit præscriptionem.

Tertio obseruandum est, quòd ad possessionem apprehensio rei vera, vel ficta est regulariter necessaria cum animo possidendi hoc est, habendi illam vt suam: hic autem animus actualiter, vel quasi habitualiter, postea perseuerans, vt in dormiente, aut nihil de re quam possidet cogitante, sufficit ad possessionem ciuilem continuandam, postquam semel actu apprehensionis vero vel ficto inchoata est, vt diximus supra de possessione loquentes.

His obseruatis quæstio resoluitur gemina conclusione. Prima cōcl. Ad inchoandā præscriptionē nō satis est, si quis possidere incipiat cū dubio an sua sit, sed necessaria est bona fides, qua absq; dubio existimet rē suā esse: in hac qōst cōsēntiūt oēs DD. cōiter, colligiturq. apertè ex l. bonæ fidei, in princ.

quæ est 48. ff. de acquirendo rerum dominio, eamque innuunt l. 1. C. de vsucapione transformanda, & alia iura: & confirmari potest primo quoniã qui in dubio, an res aliqua sua sit incipit eam sibi omnino assurpare peccat, cõ. cum immediatè antea bona fide eã non possiderit, non est melior cõditio ipsius possidẽtis, eũ ergo ea præscriptio, quę pp conscientiã, & existimatione esse nequit fine peccato, interdicta, & reuocata omnino sit. c. vltimo de præscriptionibus, & alibi sequens profecto est, vt possessio cum dubio an aliquid suum ipsios, videlicet possidentis sit, nequaquam ad inchoãdam præscriptionem sufficiat.

Secundo quoniam ad præscriptionem bona fides requiritur, is vero, de quo loquimur, neq. per cõparationẽ ad quæstionem speculatiuam vtrum res illa sit sua, habet bonam fidem, neq. per comparationem ad quæstionem practicã, videlicet, an existente eo dubio fit ne res illa sua nec ne, fas sit eam vsurpare: quin potius per cõparationem ad hanc quæstionem practicam habet malam fidem, eo quod cõsciẽtia tunc dictet nefas esse eam vsurpare; cum ergo in moralibus habenda sit ratio de fide per comparationem ad quæstionẽ practicam, hoc est de dictamine conscientiæ circa agẽda: de quo intelligendum illud D. Pauli, quod non est ex fide peccatum est; & non de fide, & existimatione per comparationem ad quæstionem speculatiuam; nisi quatenus ex ea pendet fides, & dictamen circa quæstionem practicam manifeste sequitur possessionem cum dubio an res sit possidentis: quæ in mala fide per comparationem ad quæstionem practicam constituit possidentem non esse ad præscriptionem inchoandam sufficientem.

Secunda conclusio. Si post legitime inchoatam præscriptionem superueniat dubium an res sit possidentis, tale dubium præscriptionem non interrumpit; quin potius possidens continuare, perficereq. potest cum eo dubio præscriptionem; modo tamen interim dum dubitat, moralem efficiat diligentiam, vt sciat, an res sit aliena. Hæc conclusio est contra Maiorem in 4. d. 15. q. 11. Adrianum de restit quæst. de præscript. & Sotum 4. de iust. & iure q. 5. ar. 4. eam tamen affirmant glos. in c. fi. de præscrip. & ibidem Panor. Felin. & multi alij, & Bart. l. naturaliter. ff. de vsucap. Medina de rebus rest. q. 17. Couar. Reg. Possessor p. 2. §. 7. a nu. 3. & multi alij. Et patet, primo ex Concil. Lateran. c. vltimo de præscr. vbi ad continuandam præscriptionem solum exigitur, vt is, qui possidet in nulla temporis parte ad præscribendum cõstituti conscientiam habeat rei alienæ. Idem exigitur cap. si Virgo. 34. qu. 2. Idemque apertius innuit l. 1. C. de Vsucap. transfor.

Maior. Adrianus. Sotus. Glossa. Panor. Felinus. Bartolus. Medina. Couar. Conc. Later.

Secundo enim in dubio melior sit conditio possidentis, sanè qui rem aliquam bona fide cępit possidere, eto superueniat probabile dubium pro vtraque parte an res illa sua sit, licitè continuare potest possessionem, eamque sibi retinere, modo moralem adhibeat diligentiam, vt sciat, an aliena sit. Cum ergo ius Canonicum solum abrogauerit leges præscriptionis cum mala fide, idemq. ea ratione, quod res illo modo præscribi non poterant fine peccato, proculdubio mens eorum qui ius canonicum condidere, nõ fuit impedire quo minus cum dubio de quo loquimur continuari, perficique possit præscriptio.

Tertio arguitur, is qui modo prædicto possidet, possidet bona fide per comparationem ad quæstionem practicã, cuius in rebus moralibus, & in conscientiæ foro potissimũ est habenda ratio, etenim proposita quæstioue, vtrum qui dubitat an ea res sua sit necne, quam vsque ad hoc tempus bona fide possedit cõtinuare licitè possit possessionem, sanè ratio, & conscientia absque vllo dubio dictant id licitè posse, eo q̃ in dubio melior sit conditio possidentis: atque adeo is bona fide continuat possessionem: cum ergo possessio bona fide sufficiat ad continuandam, & perficiendam possessionẽ, consequens est, vt post legitimam inchoatam possessionem, dubium superueniens nihil omnino impediat, quo minus pręscriptio continuetur, ac perficiatur.

Patet quarto de facto in foro exteriori pronuntiaretur sententia pro eo possessore, qui bona fide incępisset præscriptionem, quamuis postea dubitaret, sed sententia in foro exteriori pronontiata, quæ non innitur falsæ præsumptioni confert ius in conscientia, ergo præscribit, maior patet quia omnes Iurisperiti sunt in ea sententia, vt ille præscribat, Iurisperiti autem sunt Iudices pronunciantes sententiam in foro exteriori ergo &c. & confirmatur, sententia, quæ in foro exteriori iuxta omnium Iurisperitorum placitum pronunciatur non est iniusta, alioquin semper tribunal exterius erraret, sententiam pronunciando in huiusmodi casu; ergo talis sententia confert ius. Confirmatur secundo ex c. Inquisitioni. & ex c. d minus. de secundis nuptiis, vbi femina, quæ nupsit secundo viro, bona fide priore viuo, iubetur reddere debitum secundo viro, etiam si dubium postea superuenerit: ergo multo magis in nostro casu qui sic dubitat potest continuare præscriptionem, si adhibet sufficientem diligentiam.

Sed contra hanc conclusionem arguitur, ad præscriptionem est necessaria bona fides toto tempore ad præscribendum statuto, sed dubium bonam fidem interrumpit: quippe cum is, qui dubitat an res quam possidet sua sit, non dicitur bona fide retinere eam, ergo consequens est, vt tale dubium interrumpat, ac impediat præscriptionem.

Præterea sicut qui agit contra conscientiam ad alteram contradictionis partem determinatæ peccat, ita qui agit contra conscientiam dubiam; & vtrunque comprehenditur verbo illo Pauli ad Rom. 14. Quod non est ex fide peccatum est, ergo qui rem aliquam possidet cum dubio an sua sit, non secus se habet ad præscribendum, ac is, qui eam mala fide possidet, præsertim cum, vt ex cap. vltimo de præscript. retulimus, mala fides propter peccatum impediat præscriptionem, ergo sequitur, vt is, qui dubitat, an res quam possidet sua sit, continuare non possit præscriptionem, & multo minus eam perficere.

Deinde per litis contestationem in exteriori foro interrumpitur præscriptio bona fide inchoata, sed litis contestatio solum facit conscientiam dubiam, ergo dubium solum sufficit ad interrumpendam præscriptionem.

Ad primum nego minorem, dubium enim post inchoatam præscriptionem superueniens non interrumpit bonam fidem, vt explicatum est.

Ad secundum concedo antecedens per comparationem ad quæstionem practicam, sed falsum est per comparationem ad quæstionem speculatiuam, an res sua sit nec ne.

Ad tertium dico, quod in illo casu non interrumpitur præscriptio propter solum dubium, quod oritur ex litis contestatione; hoc est ex petitione veri domini; sed quia iura solum volunt fauere possessori pacifico: cæterum, quando dubium aliunde oritur possessor est pacificus, atque adeo præscribit.

ARTICVLVS V.

Vtrum rei possessæ dominium possit a possidente iuste priuata auctoritate in alterum transferri.

Dictum est in primo articulo huius secundi principalis, quod translatio dominij fieri potest dupliciter, scilicet auctoritate legis, seu auctoritate publica Principis, vel auctoritate priuata ipsius domini immediatè possidentis. Vnde postquam in superioribus egimus de translatione dominij, quæ fit auctoritate legis, consequenter in hoc articulo, & sequentibus agendum est de translatione dominij quæ fit auctoritate priuata ipsius possidentis: atque hæc duobus modis fieri potest, vno modo per actum mere liberalem, vt quando transferens nullam expectat redditionem, prout contingit in donatione, in qua transfertur rei datæ dominium; & in accõmodatione in qua retento dominio transfertur rei accomodatæ vsus: Altero modo per actum secundum quid liberalem, vt quando pro eo quod transfertur, expectatur a transferente aliquid sibi reddi, sicut contingit in locatione, venditione &c. Et primo agendum est de donatione.

Translatio dominij priuata auctoritate multis modis fieri potest.

Circa quam obseruandum est primo, quod donatio dicitur a dono, vt notat Paul. Iurisconsul. l. senatus. ff. mortis causa donatio, quasi doni datio, quo fit, vt solum habeat locum, quando datio ex liberalitate procedit, tunc enim solum datum habet rationem doni, donatio autem, vt colligitur ex Arist. 4. Ethi. cap. 2. potest in hunc modum definiri, est datio liberalis, siue vt Aristoteles ait irredebilis, id est non in commutationem pro alia re, quæ retribuatur: intellige, Quasi vna ex iustitia sit debita in recompensatione pro alia, vt comprehendamus remuneratoriam dona-

Donatio vnde dicatur & quid sit. Paulus iurisconsul. Arist.

donat innem, quæ verè est donatin ex liberalitate procedēs; atq. id, ꝙ ea datur, vere ē donū, tametsi ꝓcedat simul ex gratitudine, ꝙ rationem donationis nō impedit, porois cui donatio fit donatanus nuncupatur: differt autem donatio hoc modo accepta a promissione acceptata, atque obligante ad impletionem; eo ꝙ donatione transfertur dominium in donatarium, quia interuenit traditio, promissio vero acceptata non item; sed solum comparat donatarius ius ad rem sibi promissam, quo fit, quod si is, qui promisit, rem promissam alteri tradat, siue gratuito, siue onoroso titulo cōparet is dominium illius cui tradita est, ille vero alius cui erat promissa, solum personali actione agere potest ad interesse aduersus eum, qui sibi illam promisit, eo ꝙ non haberet ius in re, sed ad rem, iuxta ea quæ diximus supra.

Donationi tria requirit. Secundo obseruandum est, ꝙ ad donationem, vt hic dicit Doc. tria requiruntur, primo, ꝙ sit liberalis, & voluntaria donatio ex parte donantis. Secundo, ꝙ sit voluntas recipiendi ex parte illius, cui fit donatio, & tertio, quod nulla lege superiori prohibeatur ille donare, & iste recipere, nec pactū alterius a quo dependeat ille, vel iste in hac translatione: pp defectum primi non dicitur donare qui deceptus, vel quasi necessitate coactus donat, quia ignorantia, seu deceptio, & coactio excludunt voluntarium, vt patet. 3. Ethi. Similiter deceptus de eo cui donat, quantum ad rationem propter q̄ donat, non simpliciter donat: atq. adeo si alicui donat tamquam propinquo, qui tamen non est propinquus, non simpliciter donat: similiter si alicui vt egeno, qui nō est egenus, & qui arctatus in aliqua necessitate, vt in viuris, vel debitis remittendis, non est donatio mere liberalis, & per consequens deficit iustitia in hac specie donationis, sine translatione dominij. Propter defectum, secūdi non potest quis donare pecuniam fratri Minori, quia ille non vult esse dominus; & non solum pecuniam, sed nec aliquam rem donatione, quæ transfert dominium in donatarium, quia fratres Minores nolunt alicuius rei accipere dominium, sed simplicem vsum dūtaxat. Vide D. Tho. cōtra Mag. innominatū. *D.Thom.*

Paludanus. Gabriel. Propter defectum tertij, vxor non potest donare sine licentia viri, nisi habeat bona paraphrenalia; de his. n. vt docēt Palud. in 4. d. 15. q. 3. ar. 6. concl. 2. & Gab. ibidem d. 16. q. 4. cōcl. 4. & Doctores communiter, potest vxor de iure communi, etiam inuito marito eleemosynas facere, & alias donationes, quas voluerit, eo quod dominium, & administratio eorū ad ipsam spectat, neq. ea in parte viro subiicitur. Similiter dicendū est si vxor sit laboriosa, & industriosa, & nihil subtrahat de his, quæ ad suæ familiæ debitam administrationē spectant si aliquid insuper lucretur acu, aut quocumq. alio labore, & industria posse de huiusmodi lucro facere eleemosynas, & donationes, etiam inuito viro: quoniam tale lucrū suum est, quod dominium, & administrationem: ita docent Palud. & Gab. locis tatis. Sylu. & Angelus verbo eleemos. Ric. in 4. d. 15. art. 2. q. 6. & D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 6. ad secundum loquuntur tamen hic Doctores de iure communi nam si consuetudo, & statuta prouinciæ aliter decernerent, secus esset, vt colligitur ex Nauar. cap. 17. num. 154. *Paludanus. Gabriel. Syluest. Angelus. Ricard. D. Thom. Nauar.* Item monacus, siue Religiosus, qui in monasterio viuit, non potest donare, nec eleemosynas facere, nisi ex beneplacito superioris saltem præsumpto: dixi in Monasterio manens, quia professus a monasterio eiectus, licet re vera religiosus sit, nulliusque rei dominium habeat, nihilominus tacitè videtur illi eo ipso concessum, tum vt sub religionis obedientia, ac regula non viuat, tum etiam commoditas, & vsus rerū omniū, quas comparauerit, potest interim dum viuit facere eleemosynas, & donationes, non malas, quas voluerit; quoniam bonorum eorum vsus, & dispositio interim dum viuit, perinde ad ipsum spectat, ac si religiosus non esset, neq. habet iam tunc cui ea in parte pareat, & cuius voluntatem ea in parte sequi teneatur, sed perinde quoad administrationem, acquisitionem, & alienationem bonorum se habet, ac si dominium illorum haberet, suiq. iuris omnino esset, vt docet Lud. Molina de Contract. tract. 2. disp. 176. *Ludouicus Molina.* Religiosus etiam in Conuentu, aut extra conuentum licite viuens, qui beneficium habet ecclesiasticum, aut cui commoditas, & liber vsus, ac dispositio aliquorum bonorum concessa est, vt stipendij cathedræ, aut alterius muneris quod administrat, vel cui certa portio bonorum conuentus quotannis in suam sustentationem concessa est, vt illa contentus nihil aliud petat, vel cui certi annui reditus, siue de bonis conuentus tamquā benemerito, siue a parentibus, & consanguineis, aut ab alio alio ad sumptus suos, atq. vsum consentiente conuentu, aut dispensante summo Pontifice, concessi sunt, aut denique cui ad suum vsum, & dispositionem bona alia annuēte Prælato concessa sunt; dummodo si qua ei restrictio in [illegible] rum vsu, & dispensatione facta sit, videlicet, vt in his rebus, & non in aliis ea insumat, vel vt recurrat ad superiorem pro facultate, aut certiorem eum faciat, quibus in rebus velit ea expendere, & non nisi illo approbante ea insumat, dummodo inquam si quæ facta illi sit restrictio, illam seruet, potest de eisdem bonis eleemosynas facere, ac donare ad ea, quæ illicita non sunt. Reliqui vero Religiosi in Monasterio viuentes nihil possunt vel in eleemosynam, vel quouis alio modo donare, nisi ex beneplacito saltē indubitate præsumpto sui superioris, vt habetur. c. non dicatis. 12. q. 1. & c. Cū ad Monasterium de statu Monacorum. Item filius familias si pubessis, & non habeat bona castrensia, aut quasi castrensia donare non potest sine voluntate patris: Minores etiam, qui filij familias non sunt, donare non possunt; nisi quantum a Curatoribus fuerit illis permissum; si tamen habeant bona castrensia, vel quasi castrensia, de illis donare possunt, quod voluerint, absque Curatoris permissu, eo quod libera eorum administratio ad ipsos independenter a curatore spectet, vt de filiosfamilias dictum est. Prodigus si curatorē habeat, non alias donationes potest facere, quam a curatore fuerit permissum. Illi etiam, qui vsu rationis carent, donare non possunt, sed solum curatores, & tutores loco eorum id præstare possunt. Mancipium verò si quæ habeat bona, vt quod pactum iniuit cum domino, vt tantum quotidie, aut certis temporibus de laboribus suis illi soluat, & reliquum reseruet sibi, vel aliunde, vel dominus aliqua bona illi permittat, liberamque illorum dispositionem, inter quæ computa si dominus certam portionem quotidie ad suam sustentationem illi tribuat, liberumque illi relinquat aliquid, inde sibi subtrahere, ac vēdere, sibique reseruare; si, inquam, aliquo horum modorum mancipium habeat bona, potest de illis facere eleemosynas, eaque aliis modis donare, & alienare: de bonis autem domini sine illius beneplacito expresso, aut probabiliter præsumpto, nihil etiam in eleemosynam potest donare.

Postremo visitatus nō potest donare visitatori: quia prohibitum est, quod visitantes a visitatis vlla recipiant munuscula, & si receperint, teneantur duplum restituere, vel non absoluantur a maledictione, quam ipso facto incurrunt, vt habetur in c. exigit de Censibus in 6. vbi Greg. Decimus cōfirmat constitutionem Innocentij iiij. eamque pœnis aggrauant contra recipientes in visitationibus munera: decreuerat namque Innoc. iiij. vt habetur vbi supra cap. Romana ecclesia §. procurationes autem; quod visitator, nec familia sua aliquid possit recipere, etiam prætextu officij, & quod nec ipse, nec sui aliquod munus etiam oblatum reciperent, his verbis. Caueat insuper ne ipse, nec quisquam suorum aliquod munus quodcumque sit, & qualitercumque offeratur præsumat recipere, vt non quæ sua sunt, videatur quærere, sed quæ Iesu Christi. Quod si fuerit contra præsumptum, recipiens maledictionem incurrat, a qua nunquam (nisi duplum restituat) liberetur: volumus enim in his fraudem quamlibet euitari, at quia Innocentij decretū non benè seruabatur. Greg. x. in generali Concilio Lugdunensi illud cōfirmat pœnas adiiciens, vt patet in dicto cap. exigit. *Gratianus.* Credit tamen Gratianus, quod si modicum esculentum, vel poculentum recipiat, quod non sit verisimile, quod aliquem moueat, vel donantem pauperiorem faciat, non habet locū pena: quia talia non trahuntur ad munera: Et Glossa dicit dictum Gratiani intelligendum esse de esculentis, & poculētis asportandis, non autem tunc edendis, vel bibendis: quia non esset dubitatio, nam tunc procurator, puta si porret aliquos capones, caseos, vel flascos vini, bene facit, si etiam ab his abstinet bene facit. Hæc glossa vbi supra c. exigit. *Glossa.*

Donatio est quadruplex. Tertio obseruandum est, quod donatio est quadruplex, vna absoluta, quando absolutè dicitur hanc rem tibi dono. Secunda conditionalis, quando conditio, si, apponitur. Tertia modalis, quando dictio, vt, apponitur. Quarta causalis, in qua dictio, quia, proponitur, vt si quis dicat: quia mihi egenti adiumento fuisti, tibi 100. dono, quæ donatio remuneratoria est.

Donationi quadruplex conditio adiungi potest. Quarto obs. ē, ꝙ quadruplex cōditio pt̄ donationi adiūgi, nēpe cōditio ĩpossibilis, vt si testator dixerit, lego Pet. 100. si digito Cælum tetigerit. Secūdo cōditio turpis, vt si fecerit

tale peccatum. Tertio matrimonium impediens, vt si non nupserit; & quarto alterius maioris boni impeditiua, vt si dixerit, lego centum, si Religionem non ingrediatur. Vnde si aliqua istarum conditionum non fuerit a donatario adimpleta, valida erit donatio, præsertim in testamento facta secundum ius ciuile: & ratio est, quia huiusmodi conditiones in iure pro non appositis habentur. Ex quo sequitur primo, quod in foro exteriori donatio facta sub conditione aliqua ex his quatuor per testamentum, etiam non existente cōditione, valet; ita definitum est in c. finali, & in c. Verū de conditionibus appositis. In foro tñ cōscientiæ donatio facta sub conditione aliqua ex his quatuor conditione non existente, non valet, qñ colligitur voluntatem testatoris fuisse, vt conditio adimpleretur; ratio est, quia deficiente conditione, deficit donantis voluntas: quod maximè verum est, nisi ille qui donauit, voluerit quod eius donatio secundum ius ciuile intelligeretur. Cognosceretur autem non fuisse testatoris voluntatem, si fuerit literatus, nouit enim ipse testamentū secundum prædictas leges esse interpretandum. Sequitur secundo, quod iudex in foro exteriori iniquè faceret proferendo sententiam contra donantem, non impleta conditione vna ex quatuor positis, si insinuauerit testator se noluisse valere donationem nisi conditione adimpleta: ratio est, quia iam esset præsumptio legis. Cæterum si donans est benè iuris ciuilis conscius, etiam conditione vna ex quatuor illis posita non existente, donatio valebit, quia visus est secundum iuris formam donare.

Donatio causalis est inter viuos causa nō sub secuta an te neat.

Quinto obseruandum est, quod quando donatio causalis, est inter viuos, causa non subsecuta, intentio donantis omnino est consulenda, & idem dicendum est de modali, modo non subsecuto, vt si quis dicat dono tibi hanc rem: quia rectè mea negotia gessisti, si non ita factum fuerit, ad hoc ꝙ donatio sit valida, donantis intētio erit consulenda: ratio est quia tunc tolletur omnis scrupulus, alioqui nunquam retinens donum bona fide possidebit, nam aget contra conscientiam, cum sit dubius; a qua liberatione liberare non poterit, nisi per consultationem. Si aūt causa, vel modus donantis nō fuerit expressus, sed præsūptus, tenetur donatarius, vel reddere acceptum, vel donantis intentionem consulere: ratio ē, quia aliter mala fide retinebit. Hinc puella, quæ accepit munuscula, vt alliceretur, si non consenserit turpitudini donantis, ad restitutionem tenetur: quia deficiet voluntas donātis. Similiter quando res ob causam præsentem donatur, & causa non existente accipitur, accipiens tenetur ad restitutionē quia deficit donantis volūtas, quæ est donationis radix. hinc accipiens eleemosynam ficta paupertate est restitutioni obnoxius. Si aūt donatio huiusmodi facta fuerit in testamēto, dispositioni iuris standum est, nisi aliunde testatoris volūtas constet: quia leges disponentes legata conditionalia, causa, siue modo, siue conditione non subsequuta, quando contrarium testator nō expresserit, fundatur in præsūptione: quia præsumitur, ꝙ si aliud testator voluisset, expressisset.

Quādo opus est gratis debitū peccat mortaliter, qui munera accipit pro munere prestando, & ad restitutionē tenetur.

Sexto obseruandum est, ꝙ quando opus est gratis debitū peccat mortaliter, qui munera, siue pecuniā accipit pro opere præstando, & ad restitutionem tenetur: quia donans non gratis est volens, sed inuitus, & ad redimēdā vexationē dat. Hinc consiliarij Principum, iustitiæ Ministri stipendiarij, si quid vltra stipendium accipiāt pro administratione iustitię, ad restitutionem tenentur. Ideo est de reliquis Ministris inferioribus iudicum. Hinc sacerdotes quando gratis tenentur sacramenta administrare, & pro administratione quidquam recipiunt ad illius restitutionem tenentur. constat ex c. non sana 14. q. 5. datur. n. eleemosyna plus solita ad redimēdam vexationem. Ideo caueant sacerdotes libentius confessiones offerentium pecunias, quam non offerentium audiētes. Hinc recipiens donum, vt ab opere illicito. v. g. ab homicidio &c. abstineat, ad restitutionem tenetur.

Pro opere aūt debito ex pręcepto rectè pecunia exigitur, quæ operanti a lege statuitur, dignus. n. est operarius mercede sua: Hinc sacerdos pro administratione sacramentorum decimas, & Medicus pro curandis infirmis: quos ex præcepto (si non adesset alius Medicus) curare tenetur, aliquid exigere poterit, atq; ēt testis non pro testimonio dicendo, sed quia aliquid eius causa consumpsit, & lucrari poterat. Itē pro opere siue ex iustitia, aut charitate, vel ex præcepto debito, aut ꝑ opere supererogationis licebit pecuniā dare, & recipere, nō animo vēdendi, aut emendi illud opus, sed ad inducēdū alium ad tale opus exercendum vt colligitur expressè ex c. quam pio 2. q. 2. & ex c. & si quæstiones. de Symonia. Hinc Episcopus, cui datur aliquid, vt libentius digniori faueat, & iudex, cui munus tribuitur, non ad redimendā vexationē: quia vir bonus censetur, sed vt facilius, & libentius bene iudicet: & testis cui eadē ratione aliquid datur ad restitutionē minime tenetur: quia dans non inuitus dat, neq. symonia aliqua committitur.

Qui accipit donū ob turpē causam quando cōtractū rescindere tenetur. Isidor.

Postremo obseruandum est, ꝙ qui accipit donū ob turpē causam, si conditio nundum est completa promittens, cōtractū rescindere tenetur: ait. n. Isidorus, In malis rescinde fidē in turpi voto muta decretum: tenetur. n. impedire flagitiū cōmittendum, ꝙ nisi rescindendo contractum, impediri nō potest. Si aūt flagitiū fuerit iā cōmissum, promittēs pecuniā pro illo perpetrādo, promissum soluere tenetur, vt cōstat ex c. debitores de iureiurādo. Qui vero accepit pecuniā pro flagitio cōmisso, illā restituere minime tenet: quia dās spōte dedit. His obseruatis, respōdetur ad q̄stionē vnica cōclusione.

Possessæ rei dominium potest iustè ab immediato domino priuata auctoritate in aliū transferri per liberā donationem patet ideo, quia si immediatus dñs priuata auctoritate non posset transferre iustè dominiū rei a se possessæ in alterū, hoc esset propter aliquod istorū quatuor, nēpe aut quia fieret iniuria primo domino cedenti dominium, aut secundo domino recipienti dominium, aut ipsi rei transferendę, aut legi superioris prohibentis primo domino cessionē, & translationē dominij, & prohibentis secūdo dño receptionē. Sed contingere potest, ꝙ nullū illorū quatuor habeat locū; ergo iustè poterit fieri translatio dominiorū a primis in alios auctoritate priuata. Maior patet; quia non videtur alia via, vel ratio, ob quam non possit auctoritate priuata immediati domini fieri iusta translatio dominiorū. Minor patet inductiuè in omnibus quatuor, nā stat, ꝙ immediatus dñs rei, nolit esse amplius dñs illius rei, sed aliū: nā ex quo per actū volūtatis suæ fuit dñs, ita pro voluntate potest cessare esse dñs. Similiter stat, ꝙ non fiat iniuria rei transferendæ: tunc. n. fit alicui iniuria, cum illud sibi fit, ꝙ sibi iure fieri non potest, sed si dñs rei eamdem rem transferat in alium, nō fit illi rei, nisi ꝙ iure ei fieri potest: nā eo ipso ꝙ quis est dñs rei habet ius circa eam, & si est illius rei simpliciter dñs, habet ius circa eam, non solum illam vendendi, sed ēt eam transferendi in dominium alterius. Similiter stat, ꝙ secundus, in quē vult transferre dominium, velit illam rem recipere, atq. consentiat in hoc, ꝙ velit esse dñs eiusdē rei, sed volēti, & acceptāti nō fit iniuria, ergo &c. Postremo stat, ꝙ nulla lex superioris prohibeat primo dño, quin possit rē illā a se abdicare, & trāsferre in alterū, nec secundo dño receptionem: nam stat, ꝙ talis abdicatio, trāslatio, & receptio sit vtriq. & Reipub. vtilis; ergo ꝑ donationē pōt verè, & iustè fieri trāslatio dominij.

ARTICVLVS VI.

Vtrum donatio facta solo interiori voluntatis actu sit in conscientia valida.

Inter propositū voluntatē deliberatā & promissionē firmum est discrimen

Sensus tituli est, an ex eo ꝙ Petrus intra se dicit, dono Ioāni centum, eo ipso sit translatum dominiū, ita vt teneatur adimplere promissionem, vel potius vltra id requiratur aliquis actus exterior. Pro cuius clariori intelligentia, obseruandum est primo, longe diuersa esse, aliquem habere propositum, & deliberatam voluntatem, atq. firmam faciēdi aliquid in gratiam alicuius, idq. verbo futuri temporis, interea se tacitus exprimere dicendo faciam hoc, vel dabo tibi hoc, vel illud, & aliquem ex sua liberalitate se ipsum ex propria voluntate astringere ad quippiam faciendum, idq. verbo futuri temporis exprimere, dicendo promitto me facturū, vel daturum tibi hoc, aut tali die dabo tibi hoc, aut in gratiā tui faciam hoc, vel illud; primum autem non est promissio proprie loquendo, neq. vllam inducit obligationem id adimplendi, vt ex se est manifestum, & constat ex c. literarum de voto, & voti redemptione, & ex D. Thom. 22. q. 88. art. 1. & ex Nauar. in Manu. c. 12. nu. 26. Secundum vero est promissio, atq. si accepterur, adsintq. cæteræ circunstantiæ ad id necessariæ, semper inducit obligationem.

D. Thom. Nauar.

Promissio multiplex est.

Secundo obseruandū est promissionū quasdā esse quæ solū inducūt obligationē implendi ꝙ promissum est ex honestate quadā morali, nō tñ ex iustitia; quasdā vero quæ simul inducūt obligationē ex iustitia. Id vero vt melius intelligas, obserua: sicut moderate comedere est actus exterior virtutis

tis moralis tēperantiæ, ita proferre verba consona menti, est actus externus virtutis moralis, quæ veracitas appellari potest, cuius vitium oppositum est mentiri, & sicut proferre verba consona menti, est actus virtutis moralis, ita adęquare facta promissis, aut constitutis cum aliquo, actus est virtutis moralis; virtus autem quæ eiusmodi actum imperat,

Cicero.

auctore Cicerone 1. de off. fides nuncupatur, & (vt ait) dicitur a fio, & dico, quasi per eam fiat, quod dictum est. Subiungit Tullius fidem hanc esse iustitiæ fundamentum; quo loco obserua non dixisse esse iustitiam ipsam, sed esse iustitiæ basim, & fundamentum: obligatio namque ex fide latius patet, quàm obligatio ex iustitia: & quando iustitia ex eo euertitur, quòd fides non seruatur, pactaque & conuenta non implentur, duo vitia committuntur, vnum iniustitiæ ex suo genere lęthale, quatenus proximo non redditur, quod supposito pacto, & conuentione ei ex iustitia debetur. Alterum vero infidelitatis ex suo genere veniale, quatenus indecorè dictum, & conuentum opere non impletur, sed falsum efficitur. Sed de hoc alias.

Habens cursum internum donationis nulla lege ciuili cogi potest ad eius impletionem.

Tertio obseruandum est, quod qui huiusmodi actum internum habuit. v.g. de Petro, vel Hospitali centum aureos, nulla lege ciuili cogi potest ad talis actus interioris impletionem, quoad vsque foris fuerit explicatus; lex enim ciuilis, sicut nec Ecclesia non iudicat de occultis, hoc est de illis quæ ad forum exterius deduci non possunt, quales sunt actus animæ pure interiores. immò in commune Reipub. bonum iure Ciuili facta est potestas reuocandi promissiones, & donationes, antequam acceptentur, etiam si verbo, vel scripto factæ sint: atque adeò etiam si exterius sint manifestatæ.

Per actū donationis interiorem nō statim trāsfertur dominium.

Quarto obseruandum est, certum etiam esse, quod posito tali actu interiori, non statim transfertur dominium in alterum; sed semper manet in eo, qui talem actum habuit, vsque ad realem donationem: nam cum dare sit correlatiuum eius, quod est accipere, quamdiu non est qui accipiat, non est datio, nec translatio dominij; certum est autem quod quando donatio fit solo actu interiori, nullus est qui accipiat. Item ego non possum transferre dominium in alterum ipso inuito; sed quandiu tacitus apud me habeo huiusmodi voluntatem interiorem, alter non consentit, ergo non transfertur dominium: & confirmatur ex communi consensu Iurisperitorum; qui dicunt ad translationem dominij semper esse necessariam actualem exhibitionem rei, quæ donatur; exhibitio autem nihil aliud est, quàm quòd vnus palā faciat se dare, & alter accipiat; atq; hæc certa sunt.

Sed dubium est, vtrum seclusa dispositione iuris ciuilis, & stando solum intra limites iuris naturalis, donatio mere interna, qua quis diceret secum, dono talem rem meam Petro, obliget in foro conscientiæ sic donantem ad manifestandum Petro donationem eo modo factam, atque ad tradendum illi eam rem, si velit eam accipere, & donationem acceptare; ita quod Petrus vi talis donationis internæ sibi factæ comparet ius ad illam rem; sicut hæres siue ex testamento, siue ab intestato comparat ad bona defuncti, eo ipso, quod ille è vita discedit: quamuis enim hæredi integrum maneat adire, idest acceptare, vel repudiare hæreditatem, interim tamen dum illam non repudiat, ius comparauit ad illam, estque illa manifestanda, atque offerenda, vt videat, an adire, vel potius repudiare illam velit, vel an possit reuocare suum actum interiorem, quoties voluerit, antequam fiat acceptatio.

Martinus Ledesma.

De hac re est duplex sententia, prima affirmans Martini de Ledisma in 2.2.q.18.art.1.dubio 10. Nempè quod datio facta solo actu interiori, sicut & promissio tenet & obligat dantem in conscientia, vt satisfaciat; quam sententiam probat pluribus argumentis, primo sic, voces sunt signa conceptus, ergo si vox obligat, non est nisi ex vi conceptus, ac proinde magis obligat conceptus. Secundo acceptatio stando in solo iure naturæ, necessaria non est, vt promissio aut donatio valida sit, & irreuocabilis, sed iure positiuo in commune bonum introductum est, vt regulariter sit ad id requisita; ergo promissio, aut donatio mere interna, stando in solo iure naturali, valida, & irreuocabilis est, non solum si Deo, sed etiam si homini sit facta; antecedens patet, quia ius positiuum his promissionibus, & donationibus, quæ sine acceptatione validæ, & irreuocabiles sunt, id non tribuit super ipsarum naturam; nec fortè potuit, sed si externa signa necessaria sunt, vt promissio, aut donatio interna obliget, id solum est, qualiter non potuit acceptari ab eo, cui est facta, nisi ille sit Deus, qui intuetur cor: consequentia patet, quoniam acceptatio necessaria non est, stando in solo iure naturali, vt interna donatio, & promissio obliget, & signa externa necessaria nō sunt nisi propter acceptationem, ac proinde vtrumque est conditio iure humano introducta, vt interna donatio obliget.

Tertio si heri actu mere interno aliquid alicui promisisti, aut donasti, & hodie nulla de nouo facta promissione, aut donatione, neque item præterita confirmata, illi verbis significes heri tibi hoc promisi, aut donaui, vide num id velis, ratamque promissionem aut donationem habeas? certè illo acceptante manes obligatus, ergo interior promissio ex natura sua stando in solo iure naturali te obligat. consequētia patet, quoniam significatio illa verbis facta, nō fuit promissio, aut donatio, atque adeo neque obligauit; solum autem fuit instrumentum, quo promissio, aut donatio interior fuit manifestata, quod necessarium erat, vt posset a donatario acceptari: acceptatio autem solum est conditio iure ciuili introducta, vt donatio obliget, qua seclusa, donatio stādo in solo iure naturali obligat, vt ostensum est.

Oppositam sententiam tenent Almaynus in 4. d.15. q.2. *Almaynus.*
§. circa istum modum. & Thomas de Argentina in materia *Thomas ab*
de matrimonio. q.1. hi enim affirmant solo actu interiori *Argentina.*
non transferri dominium: atque adeo donatio atque promissio solo actu interiori homini facta nullam obligationem inducit in conscientia: sed potest, qui illam fecit, illam celare, aut reuocare, cum voluerit: hæc est expressa sententia D. Thom. 22.q.66.art.1. vbi ita scribit. Promissio quæ ab *D. Thomas.*
homine fit homini non potest fieri nisi per verba, vel quæcumque exteriora signa, & eadem est ratio de donatione; & in 4.d.36.q.1.artic.1. quæstiuncula 1. etiam dicit, quod homo per solam voluntatem nō potest obligari, nisi solum illi, qui voluntatis est cognitor. Et est etiam sententia Doc. *Scotus.*
nostri Subt. dicentis ad iustam donationem requiri liberalem ex parte donantis translationem, & recipiendi voluntatem ex parte illius cui fit donatio, quæ in interna tantum donatione reperiri non possunt.

Et probatur hæc sententia tali ratione. Quamdiu homo apud se retinet interiorem donationem, quam fecit, alter nō habet ius ad rem, ergo nullam facit illi iniuriam, aut tacendo, aut reuocando donationem. consequentia patet, quia vbi non est ius, iniuria esse non potest, & antecedens patet. Posito tali actu interiori non statim transfertur dominium in alterum, sed semper manet in eo, qui talem actum habuit, vsque ad actualem donationem: quoniam vt constat ex l. traditionibus. C. de pactis. & ex l. quoties. C. de rei vendit. atque ex alijs iuribus ad dominij translationem regulariter necessaria est traditio, atque inde prouenit, vt non solum donatione, aut contractu internus, sed neque externus transferatur regulariter dominium, nisi accedente traditione, ergo ea non existente nunquam alter habet ius ad rem.

Item si ex mea interiori donatione, aut promissione aliqua oriretur obligatio, ea ortum haberet ex lege, quam mea interiori, & priuata voluntate condidi; sed huiusmodi priuatæ leges eadem voluntate, qua constituuntur possunt & reuocari, quamdiu ab alio non fuerit facta acceptatio, ergo &c. & confirmatur, nam cum naturale sit hominibus verbis, aut signis suos conceptus significare, ratio postulare videtur, vt ante significatam promissionem nulla inter illos resultet obligatio: nam quamuis sit naturale homini propria voluntate rerum suarum transferre dominium in alterum, non tamen illud transfert, nisi verbis, aut signis exterioribus eius voluntatis indicium faciat, & acceptetur ab illo, cui res confertur.

Ad argumenta alterius opinionis in simul respondetur, quod quamuis in promissione externa ius obligandi proficiscatur à promissione interna, mere tamen internæ deest conditio sine qua ex ea non oritur obligatio, nempe manifestatio illius externa, defectu cuius conditionis non obligat: nam promissio, aut donatio, vt comparatione alicuius obliget, debet suapte natura posse cognosci ab eo, cui fit, quod non conuenit donationi mere internæ comparatione alterius hominis.

Vnde ad primum dico, quod licet verum sit, quod voces sunt signa conceptus, & obligent propter conceptus, tamen non licet inde inferre, quod solus conceptus potest inducere obligationem, sed quod actus interior requiritur ad

obliga-

obligationem, quod quidem verum est: nam & actus interior, & exterior necessarij sunt ad hoc, vt donans, vel promittens maneat in conscientia ligatus. Ad secundum dico falsum esse, quod stando in puro iure naturæ, non sit necessaria acceptatio, saltem vt conditio sine qua non, ad hoc vt promissio & donatio sit valida & irreuocabilis. Ad tertium dico, quòd in casu argumenti non nascitur obligatio præcise ex virtute prioris donationis, sed ex illa simul cum manifestatione, & acceptatione illius, cui fuit facta donatio: vtrumque enim est necessarium ad hoc, vt illa obliget in conscientia, vt modo dicebamus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum donatio quæ fit per metum, aut ignorantiam realiter transferat dominium rei in alterum.

Aristoteles. Nissenus Damascen. Anselmus. D. Thomas. Conradus. Almaynus. Hieron. Angest.

PRo huius difficultatis perspicua explicatione obs. est primo metum esse alicuius inuoluntarij causam, omnibus Philosophis indubitatū esse, sic enim docuit Arist. 3. Ethi. c. 1. Nissenus lib. 2. Philosophiæ & c. c. 1. Damascenus lib. 2. de fide. c. 24. & Anselmus in dialogo de lib. arb. c. 5. D. Thom. Conradus, & Recentiores Thomistæ. 1. 2. q. 6. art. 6. Almaynus tract. 1. moralium c. 3. Hierony. ab Angesto. c. 6. moralium, in vltima parte Textus. Porrò id quod ex metu fit, esse inuoluntarium, ex eo probatur; quia statim factum affert tristitiam, & dolorem: hoc enim esse euidens indicium inuoluntarij, vel eius quod ab inuito fit, docuit Arist. 3. Ethi. c. 1. his verbis. Et sane violentia inuitique agent ij, qui cum dolore agunt; & paucis interiectis, Ab inuito tamen id effectum est omne, pro quo dolet, qui agit, ipsiumque pœnitentia subit. Quod indicium probauit etiam Nissenus, & Damascenus locis allegatis; qui adserunt etiam aliud indiciū: quia pro ijs, quæ inuoluntariè fiunt, venia solet concedi, quæ sane etiam conceditur pro ijs, quæ ex metu fiunt.

Quæ fiunt metu mortis mixta sunt ex voluntario, & inuolūtario.

Secundo obseruandum est, quod ea, quæ fiunt metu mortis, vel aliorum malorum sunt mixta ex voluntario, & inuoluntario, sunt tamē simpliciter voluntaria, & secundū quid inuoluntaria: nam operatio quæ fit per metum est simpliciter a principio intrinseco scilicet a voluntate interiori imperata, ad quam non necessitatur: Vnde mercator quando metu mortis ingruente tempestate proicit merces, realiter habet voluntatem efficacem qua vult proicere, ac proinde projectio illa, est simpliciter, & absolute a principio intrinseco, & per consequens nullo modo est violenta; Item talis operatio est simpliciter, & absolute volita: quia numquam ex volitione sequitur operatio exterior, nisi illa sit efficax.

Dicitur autem inuoluntaria secundum quid, & de per accidens: quia est contra nolitionem non absolutam, sed cōditionatam. s. contra nolitionem, quæ inest cum metu, vel quam haberet secluso metu. Nam in mercatore est, vel potest esse duplex actus voluntatis; nempe volitio, qua vult efficaciter, & simpliciter proijcere, & prout facit conformiter ad illam volitionem efficacem, operatio illa est simpliciter voluntaria: Alius volūtatis actus est nolitio cōditionata, qua nollet proijcere si posset euadere, & pro quanto projectio est contra illam conditionatam nolitionem, & non absolutam, dici potest inuoluntaria secundū quid, atque adeò quæ per metum aguntur, magis sunt voluntaria, quam inuoluntaria; sed quoniam Arist. loco supracitato dicit, quòd talia, nempe quæ fiunt per metum, sunt simpliciter inuoluntaria; quia nullus eligeret aliquid talium secundum seipsum: ideo &c.

Dictio simpliciter tribus modis sumi potest.

Obs. est tertio quod illa dictio, simpliciter, vt ex primo de generatione elici potest, sumi potest tripliciter; vno modo, vt idē est quod vniuersaliter; atq; ita ens simpliciter sūptū est ens vniuersaliter sumptū. Secundo modo simpliciter tantū valet sicut per se, & solitarie, ita substātia quæ est ens per se stans, dicitur ens simpliciter. Tertio modo simpliciter idē est, quod actualiter, & sic ens simpliciter dicitur ens in actu; In proposito autē si simpliciter sumatur secūdo prout significat esse per se, & solitarie, ea quæ fiunt per metū sunt simpliciter inuoluntaria; quia nullus eligeret aliquid talū secundum se, & solitarie acceptum sine alio adiuncto, vt pote sine periculo mali magis inuoluntarij. Sed accipiendo, simpliciter, tertio modo. s. actualiter, talia sunt simpliciter voluntaria; projiciens enim merces simpliciter, & actualiter vult projicere: quia in nullo coactus, vtitur enim vi motiua, quæ ita est in eius potestate, in periculo sicut alias, quod patet etiam ex hoc, quia voluntas posset ita amare inordinate merces, quod nollet eas proijcere pro tali periculo euadendo.

Metus definitio.

Quarto obs. est, quod metus, vt habetur in l. 2. ff. de eo qđ metus causa gestū est. est instantis periculi, vel futuri causa mētis trepidatio, hoc est, metus est timor mali instantis, hoc est imminentis, vel verisimiliter mox futuri: nō enim periculi remotioris est iusta formido, & causatur ex nolitione, cū probabili existimatione futuri mali: sic ēt Phil. docuerūt metū esse animi perturbationē prouenientē ex cogitatione, seu præsentione mali, vel eminētis, vel probabiliter ventuti: nā pericula, aduersa, & mala, vel cū instant, vel cū ventura verisimiliter creduntur, animū commouent, perturbāt, atque deterrēt. Vnde metus nihil aliud est, quā quædā animi passio, ex nolitione futuri mali imminentis causata, quod malū futurū nolitū, per intellectū apprehensum præsentatur voluntati, vt imminens, propinquū, & probabiliter venturū. v. g. Intellectus apprehendit imminentis periculū mortis, iudicatque probabiliter e propinquo euenturū, idque voluntati præsentat; & voluntas dicit nolo mortē, & ex illa nolitione causatur passio, quæ vocatur metus, siue timor; patet in exēplo Arist. de illo cui proijcit merces vrgente tēpestate: talis. n. nō vult mortē, & habet probabilitatē, quod mors eueniet, sic intellectu dictante, atque etiā illi probabile est, quod euadet, saltē facilius si merces projciat, & tunc projicit, alias non proiecturus, patet quod talis operatio fit per metum, quæ alias non fieret, si metus non existeret.

Metus est multiplex.

Quinto obs. est, quòd metus in iure diuiditur multis modis. Primo alius metus dicitur iustus, alius nō iustus. Secūdo alius dicitur probabilis, alius nō probabilis. Tertio alius dicitur leuis, vel vanus, alius grauis. Quarto est alius cadens in constantē virū, alius nō cadens. Porrò metus iustus, probilis grauis, & cadens in constantē virū, est quidē re vnus, & idē, diuersis tū appellationibus dictus: dicitur. n. iustus, quia scripta, iura, & leges excusant, quāuis cōtra ea quidpiā agatur. Probabilis, quia eū eadē iura, & leges approbāt. Grauis, quia est alicuius magni periculi instantis, vel futuri formido; dicitur cadēs in cōstantē virū, quia est metus, quem etiā habere solent viri cōstantes, & fortes; licet scripta, iura, & leges nō seruēt, Perinde ac si diceres, per huiusmodi metū virū quēpiā scriptū ius omittentem, aut labefactantē, nō amittere suæ cōstantiæ, & fortitudinis meritū, & laudē: aut nō desinere aliquē esse virū cōstantē, & fortē, quāuis leges, & scripta iura perrūpat. & per oppositū dicatur de metu nō iusto, nō ꝓbabili, leui, vel vano, & nō cadēte in cōstātē virū.

Metus cadens in constantem virum est duplex.

Est itaque metus duplex, quidā est cadens in constantem virum, & est metus magni mali, quando scilicet est probabilitas moralis de imminentia illius mali, vt metus mortis, carceris perpetui, metus mutilationis membri principalis, & amissionis omnium bonorum temporalium; & requiritur, quod probabiliter sciamus malum illud nobis esse futurum idest quod ille, qui minatur, possit, & velit malum illud inferre; sed metus leuis, & non cadens in constantem virum est, quo perturbatur homo meticulosus, & inconstans, & est de paruo malo; vel quia nō est verisimile, quod minans possit, aut velit illud malum inferre. Item metus cadens in constantem virum est duplex, quidam humanus, & quidam diuinus, humanus est qui causatur ex minis humanis, & huiusmodi metus habet principium ab extrinseco, nempe ab homine, qui mortē, aut aliquod aliud graue malum inferre minatur; & est duplex, quidam in quem cadit homo ex culpa sua propria. v. g. Petrus tenetur Ioanni dare pecunias, & superior minatur sub pęna excōmunicationis, vt eas ei soluat. Alius est in quem non cadit ex culpa sua, vt pote, quia non peccauit antequā inferatur talis metus. v. g. Titius proficiscens Romam incidit in manus latronū, qui minantur ei mortem, nisi det eis pecuniam, atque ipse metu mortis dat eis, vel promittit se daturum, Titius non incidit in talem metum ex culpa sua. Metus diuinus est quem aliquis habet de morte a solo Deo inferēda. His obseruatis.

Donatio facta per metum quando valida, aut inualida.

Dico primo ea quæ fiunt per metū leuem non cadentem in constantem virum, tenent, hæc conclusio est de se clara, & est communis consensus omnium Doctorum.

Dico secundo ea quæ fiunt per metum diuinum cadentem in constantem virum valida sunt, patet, quia alias Petrus, qui daret eleemosynam præcise metu soluendæ acutis pœnæ in purgatorio, quam non daret, si talem pœnam soluere non deberet; tali datione eleemosynæ non se redimeret ab illa pœna, cuius metus cadit in constantissimum virum;

virum, eo quod talis translatio non esset vera donatio, quod est falsum. Præterea sequeretur, quod qui in infirmitate graui constitutus, vt mortem euitaret a solo Deo inferendam, aliquid voueret, non teneretur adimplere votum, quod similiter est falsum; ergo eodem modo si aliquis ex aliquo tali metu velit transferre rem aliquam in dominium alterius, est vera translatio, & valida.

Dico tertio quod translatio, quæ fit per metum humanũ cadentem in constantem virum, in quem tamen incidit homo ex culpa sua, est vera translatio, & valida est; patet ex. l. si mulier in principio. ff. quod metus causa; & suaderi etiã potest ex multis capitulis de sponsa. & matrim. in c. ex literis de quodam, qui iurauit quamdam accipere in vxorẽ. Iudex ecclesiasticus potest illum compellere metu excommunicationis, ad illã accipiendam, & talis translatio corporis sui in illã mulierem factã de facto tenet, quamuis sit ex metu cadente in constantem virum; nam metus censuræ ecclesiasticæ est cadens in constantissimum virum, quoniam est peius malũ, quàm mutilatio alicuius membri, vel amissio corporaliũ bonorũ: est enim excõmunicatio maior pęna, quæ sit in ecclesia. 24. q. 3. c. corripiamur. & Diabolus vtitur excõmunicato, vt Rusticus Asino. Barba. in c. si quis Præsbyterorũ, de rebus ecclesiæ non alien. talis, inquã, translatio, etiã per metũ facta, dummodo fiat propter culpam, tenet: nam postquã talis iurauit accipere vxorẽ, non accipiendo peccat; quia facit cõtra iuramentũ: atque adeo si propter illud peccatũ inferatur illi metus ab eo, qui potest illum tali metu, & pęna punire ordinarie ratione culpæ ab eo commissæ, illud quod transfert ratione talis metus tenet, validumque est.

Dico quarto quod donans ex metu humano cadente in constantem virũ non ex sua culpa, de facto nõ transfert dominiũ, sed remanet apud ipsum met donantẽ; patet. primo quia ex iure habetur, quod volũtas transferendi dominiũ, & potestatẽ sui corporis in mulierẽ, si hoc fiat metu cadente in constantẽ virum, non tenet talis translatio, & donatio illa est nulla; Ergo a simili, si Petrus velit transferre rẽ suam ex metu tali penes alterum, de facto non transfert dominiũ rei, magis quã dominium corporis penes alterũ. Sed huic rationi respondent Iurisconsulti, & bene, quod non est simile de donatione rei temporalis. & corporis; quia in donatione rei temporalis, competit actio, quod metus causa; sed in donatione corporis per metũ esset verum matrimoniũ; atque adeo non posset postea huiusmodi actio, quod metus causa; quia iudex non habet potestatem supra illa corpora: quos enim Deus coniunxit homo non separet; atque ita competit actio in vno, & non in alio.

Dicunt ergo Iuriscõsulti, & patet in c. Abbas. de his quæ vi, metusque causa fiunt, quod talia per talem metum tenent; sed datur exceptio, quod metus causa; v. g. Petrus ex metu cadente in constantẽ virum dedit Antonio rẽ aliquã, traditione sequuta, est vera donatio, & talis res efficitur Antonij: nihilominus a lege conceditur Petro exceptio, atque actio, quod causa metus hoc fecit, & probato metu restituitur per officiũ iudicis, quod dedit, vel tradidit, aut absoluetur, si promisit. Et Antonius peccauit in inferendo metum, atque etiã rem illam accipiens peccauit: atque adeo Petrus potest agere tã contra possidentem, quàm contra illum, qui metum intulit: nã interdum euenire potest, quod vnus metum incutiat, & alter rem possideat. Primũ ergo dictũ Iuristarum est, quod donans per talem metum transfert dominiũ. Secundum quod illi qui dedit per metum competit actio, quod metus causa, idest conuenit illi a iure, quod potest corã iudice probare, quod metus causa hoc fecerit; quo probato, iudex non iudicabit illã donationem nullam; sed irritabit illam, & priuabit Antonium dominio talis rei; atque iterum transfert in priorem dominum. patet per dictum. c. Abbas vbi dicitur quod ea quæ metu, & vi fiũt debent in irritum reuocari; atque adeo postquã factum debet in irritum reuocari, prius erat ratum, & per consequens, rei illius translatio valida fuit, & confirmatur ex. c. si vero. de Iureiurando. vbi agitur de eo, qui iurauit ex metu, an debeat obseruare? & dicitur quod non est tutum quemlibet contra iuramentum suum venire, nisi tale sit, quod seruatum vergat in interitum salutis æternæ. ex quibus verbis elicitur, quod iuramentum metu factum, nõ esse irritum, obseruarique debere, nisi obseruatum vergat in interitum salutis æternæ; sed sic est, quod etiam dare metus causa nõ vergit in interitum salutis æternæ; ergo sicut iuramentum per metum factum, debet obseruari, quia validum, ita rata est donatio per metum facta, atque adeo transfert verum dominium.

Cæterum hæc sententia Iuristarum reijcitur a Theologis, & satis efficaciter probatur oppositũ ex his quæ docet Doc. in hac quæst. nam antequam sit vera donatio requiritur, quod dans non sit prohibitus dare a lege superioris a quo in donando dependet, & similiter quod accipiens non prohibeatur accipere. Sed inferens metum prohibetur a lege superioris accipere, quia lex dicit, Quod metus causa fit, ratum non habeo: sicut aliquando prohibetur ne aliquis accipiat a prodigo, & post prohibitionem, si aliquis ab eo accipiat, tenetur restituere: quia est contra legem superioris, ergo cum sit prohibitum a lege superioris accipere per consensum extortum per metum, inferens metum accipere non potest; atque adeo donatione facta per metum non transfertur dominium in illum, qui accipit. Ad argumentum Glossæ dicis, quod illa verba, debet in irritum reuocari, habent hunc sensum idest debet declarari non esse rata, nec valida per iudicem; non quod Iudex faciat non esse rata, quæ prius erant rata, sed declarat quod non sunt rata. Et ad cap. de Iureiurando concedo, quod iuramentum ex metu debet obseruari, dummodo non vergat in interitum salutis æternæ: & cum infers, ergo datio ex tali metu est valida, nego consequentiam: quia qui dat ex metu non transfert dominium: & ex his patet prima conditio donationis scilicet quod debet esse libera, a coerctione, & metu; sed hoc nõ est satis; sed debet esse libera ab ignorantia: quoniam etiam ignorantia, vt docet Arist. 3. Ethi. c. 1. causat inuolũtarium. *Scotus cõtra Iuristas.*

Vnde quantum ad hoc dico quinto quod ignorantia vel est personæ, vel qualitatis personæ. Si est ignorantia personæ, vt credo dare Petro, quod volo dare Petro, & tamen nõ est Petrus sed Ioãnes, talis donatio inualida est, atque adeo dominium non transfert, sicut patet de matrimonio, in quo error personæ impedit donationem illam corporum; atque ita si error personæ inualidat donationẽ corporum, inualidat etiam donationem bonorum temporalium.

Si est ignorantia qualitatis personæ. v. g Scio hunc, cui do rem aliquam esse Petrum, sed credo illum esse pauperem, & intuitu paupertatis dono ei, alias non donaturus, adeo quod præcise do ei, quia credo pauperem, & tamen de facto non est pauper: similiter do isti, quia credo illum esse bonum, cui de facto est malus, & hypocrita. Quoad hoc est duplex opinio Prima est Alex. de Ales. p. 4. q. 14. m. 5. art. 3. §. 2. & 3. quem sequitur Gab. in 4. d. 15. q. 9. artic. 2. concl. 7. vbi docet illum, qui aliquid acquirit per hypocrisim, teneri ad restitutionem, & similiter qui mentiendo se esse pauperem aliquid acquirit, quia licet non sit penitus simile de errore personæ, & de errore fortunæ, vt patet in matrimonio, vbi simulatio alterius personæ impedit matrimonium, & simulatio alterius fortunæ non impedit; tamen in proposito inquit. quod diues, qui simulat se esse pauperem, tenetur ad restitutionem eius quod per simulationem acquisiuit, & ratio est, quia ille, qui dat alicui hypocritæ, quem existimat bonum, & religiosum, vel diuiti quem existimat esse pauperem, non dat (per se loquendo) hypocritæ, vel diuiti, sed interpretatiue viro religioso, vel pauperi, atque adeo non transfertur dominium rei datæ ad hypocritam, vel pauperem; ac proinde cum hypocrita, vel diues non sint rei datæ iusti possessores, sed vsurpatiue, & inuito domino, sunt rei alienæ contrectatores, & per consequens ad restitutionem tenentur. & addit Alex. quod diues simulans se pauperem non tenetur restituere acceptũ, ei a quo recepit: quia ille meritum habet apud Deum; quia dedit intuitu paupertatis, sed tenetur restituere pauperibus, quibus illam dedisset, si non errasset, si constet illi, qui sint; sin autem restituatur quibuscumque pauperibus. Consimilem quæstionem facit Henr. de Gand. quol. 4. q. 30. de illo qui acquirit beneficium per simulationem; vtpote qui simulat se esse bonum, vt beneficium ab Episcopo consequatur, & Episcopus illi dumtaxat beneficium confert, quia credit illum esse bonum, an talis habeat ius in beneficio, vel teneatur illud resignare, vide ipsum, & Alex. vbi supra. *Alex. de Ales. Gabriel.* *Henricus.*

Cæterum hæc opinio Alex. non placet Almayno: ideo arguit contra eam in 4. d. 15. q. 2. quia vel dono Francisco, quem credo pauperem realiter abdicando dominium rei a me vel non: si dono, & non realiter abdico, dominium *Almaynus.*

est apud

est apud me; & Franciscus tenet rem meam; atque adeo tenetur illam mihi restituere, & non pauperi. Si vero realiter a me dominium abdico, ita quod amplius apud me non remaneat, quæro ad quem transit, vel ad istum, nempe ad Franciscum, qui accipit, vel ad nullum; si ad nullum, ergo quilibet in rem illam habet dominium naturale, & nullus habet ciuile, & tunc indifferenter potest quilibet illam occupare, & per consequens erit prius occupantis, atque adeo erit illius qui simulatorie accepit illam: Nam quandocumque aliquis abdicat a se rei suæ dominium, & in nullum transfert, quilibet habet dominium naturale circa illam, & est primo occupantis, vt patet de feris, atque agris derelictis, quæ primo occupanti conceduntur. Si autem a se abdicauit, & in alium transtulit; iam non transtulit nisi per voluntatem: quia vult transferre, & non vult transferre nisi in istum, atque ita fit de facto; ergo talis non magis tenetur erogare pauperi, quam quilibet alius, cui eam accepisset.

Dicit ergo Almaynus, quod sicut error conditionis personæ non impedit matrimonium, similiter si Petrus vult transferre realiter dominium rei suæ in Franciscum, quem credit pauperem, qui tamen non indiget, Franciscus peccat ita fingendo, & accipiendo: quia accipit, quod non debebat dari sibi tamquam eleemosyna: nihilominus res illa, quam accepit, est eius, & realiter dans transfert dominium in Franciscum, atque adeo restituere non tenetur, & hæc opinio est valde probabilis: quia non est maior ratio de vno, quam de altero. Ad hunc etiam modum resoluit præpositam quæstionem Hen. de Gandauo. *Henricus.* Cæterum quid sentiam circa hanc difficultatem, videbimus infra in tertio articulo principali huius quæstionis.

De translatione dominij non mere liberali.

Dominium rei quot modis transferatur. Dictum est in principio huius secundi articuli principalis, quod in quibusdam permutationibus interdum transfertur rei dominium; interdum vero transfertur vsus, & non dominium: primo modo transfertur dominium duobus modis, priori modo mere liberaliter, vt in donatione, cui correspondet alius modus liberaliter transferendi solum vsum, qui appellatur liberalis accomodatio: Nam habens dominium in aliqua re potest illam alteri accomodare; atque ea tali accómodatione nullum fructum expectare, & talis non transfert dominium, sed solum vsum, atque adeo non est donatio simpliciter, sed libera accõmodatio; & ea, quæ requiruntur ad liberalem donationem, etiam ad liberalem accómodationem requiruntur, nempe quod sit liberalis, & voluntaria accómodatio ex parte accómodantis, quod ad sit voluntas recipiendi ex parte illius, cui fit accómodatio, & quod nulla lege superioris prohibeatur ille accõmodare, atque iste recipere; neque per alterius actum a quo dependeat iste, vel ille in hac translatione, sicut diximus de donatione. Posteriori modo transfertur rei dominium non mere liberaliter, & de hoc modo transferendi dominium agendum est in hac secunda parte huius secundi articuli principalis; & quoniam huiusmodi translatio non mere liberalis, in qua scilicet transferens expectat aliquod æquiualens ei quod transfert, dicitur propriæ contractus; ideo primo explicandum est, quid, & quotuplex sit contractus.

Pactũ quid sit. Quo ad primum, quia pactum, si propriæ vocabulum sumatur latius patet, quam contractus, ideo videndum est primum quid sit pactum; est autem pactum quo ad definitionem quid nominis a pace deductum; vt docet Isidorus *Isidorus.* lib. 5. Ethi. & refertur. c. pactum. de verborum significatione: a pacto vero, vt dicit Glossa l. 1. in princ ff. de pactis, de- *Glossa* riuatum est nomen pactionis, vel vt Vlpianus docet. l. citata. *Vlpianus.* Pactum a pactione dictum est, & a pactu nomen pacis fuit deriuatum, quasi effectus a causa traxerit nomen. Cæterum pactum quo ad quid rei, est duorum aut plurium in idem placitum, & consensus, vt Vlpian. l. 1. citata ait, vel vt idem met l. 3. ff. de pollicitationibus. Pactum est duorum consensu, atque conuentio. Hinc constat pollicitationem, seu promissionem interim dum acceptata non est, pactum non esse, eo quod non sit duorum in idem placitum, & conuentio, sed solum offerentis, vt eadem lege 3. Vlpianus subiunxit:

Quando autem acceptata iam est, tunc vero sortitur rationem pacti, eo quod sit iam duorum in idem placitum, & consensus, vt recte cum Bart. Panor. affirmat. c. 1. de pactis *Bartolus.* nu. 4. & eadem ratione donatio, qua res gratis alteri traditur, eo ipso quod acceptata est rationem habet pacti: quia *Panormitanus.* similiter est duorum in idem placitum, & consensus.

Est autem duplex pactum, scilicet, pactum nudum, & pactum vestitum. *Pactum est duplex.* Pactum nudum est, quod neque in contractum transit nominatum; neque vna cum eo interuenit factum, aut causa ex parte alterius paciscentium; adeo quod vltra pactum alter maneat obligatus; neque in continenti cum eiusmodi pacto, aut cum contracto nominato cohæret. v.g. Promisisti te mutuo dare Petro centum, illeque promissionem acceptauit, sed nondum illi pecuniam tradidisti, neque in ea promissione interuenit stipulatio, qua Petrus prior interogaret. Promittis te mihi mutuo daturum centum? & tu responderes, promitto. tale pactum est nudum: quoniam neque rationem sortitur stipulationis, neque mutui, eo quod facto, & traditione pecuniæ, aut alterius similis rei, contractus mutui consumetur, neque item sortitur rationem cuiuius alterius contractus nominati, vt patet. Et ex hoc patet, quid sit pactum vestitum; est namque pactum cui accedit stipulatio, vel traditio vt si conuenisset cum aliquo te traditurũ viginti oues pro vno boue, si huic promissioni superuenisset non quidem stipulatio, sed traditio ex altera parte, quia vel tu traderes alteri viginti oues, vel alter traderet tibi bouem, eo ipso pactum illud maneret vestitum illa traditione, & esset causa propter quam vltra pactum is, qui nondum ex sua parte contractum impleuit obligatus ciuiliter maneret ei, qui impleuit; ac proinde huic, qui impleuit conceditur actio, qua illum cogere potest, vt soluat, quod promisit, vel vt sibi restituat, quod accepit. Vestitur insuper pactum nudum cohærentia alterius contractus nominati, aut vestiti ex adimpletione alterius pacti. v.g. si dum quis domos suas vendidit, aut locauit alteri; simul cum eo iniuit pactum, quod commutabit Mulum cum Equo, vel Bouem cum Asino, aut quod pro boue colet agrum locationis, tale pactum vestitur cohærentia illius alterius contractus, venditionis, aut locationis, & ex illo consurgit eo ipso ciuilis obligatio.

Ex his patet, quædam esse pacta, quæ eo ipso, quod fiunt producuntur vestita, nempe contractus, qui solo consensu perficiuntur, vt venditio, locatio &c. statim namque huiusmodi pacta sortiuntur peculiare specificum nomen contractus, neque alio indigent vestimento: Alia vero esse, quæ adhibita quadam certa verborum forma vestiuntur, vt pacta alioqui nuda, quæ in stipulationem, aut acceptilationem transeunt, atque hæc eo ipso sunt etiam contractus nominati: Alia præterea esse, quæ in facto perficiuntur, ac vestiuntur, vt in contractus transeant nominatos, cuiusmodi sunt mutuum, commodatum, & depositum: Alia item esse, quæ ita vestiuntur facto aduentu ve causæ, vnde vltra pactum resultet obligatio, vt non transeant in contractus nominatos, eiusmodi sunt contractus innominati subsequuta adimpletione saltem ex altera parte; vt explicatum est. Alia denique esse, quæ sola cohærentia incontinenti cum aliquo ex alijs contractibus vestitis: ipsa quoque vestita censentur, vt paulo ante etiam explicatum fuit. Atque hos quinque modos quibus pacta vestiuntur, commemorant Glossa, Bart. & alij. l. Iuris gentium. §. quinimo. ff. de pact.

Ex his etiam patet discrimen inter pacta nuda, & pacta quouis modo vestita: ex pacto enim vestito oritur ciuilis obligatio, daturque proinde actio; ex pacto vero nudo nulla oritur ciuilis obligatio, nisi legis priuilegio alicui pacto nudo concedatur, vt ex eo ciuilis oriatur obligatio, ac detur actio, vt patet de nudo pacto promissæ dotis, cui in nuptiarum fauorem concessum est, vt ex illo ciuilis obligatio oriatur, & detur actio, vt patet. l. ad ea actionẽ. C. de dot. promiss. Atque hæc de pacto breuiter dicta sint.

Contractus tribus modis sumitur. Contractus trifariam sumitur, primo modo sumitur cõmuniter, & improprie pro quocumque pacto, siue ex eo oriatur obligatio, siue non; atque hoc modo donatio, siue a promissione, siue a traditione incipiat, eo ipso quod est acceptata appellatur contractus: quia licet ex ea donatione acceptata, quæ a traditione incipit, nulla obligatio oriatur, tam ex parte donantis, quam donatarij, quatenus tamen ex ea transfertur dominium concurrente consensu, tam donantis ad donandum, quam donatarij ad acceptandum, ve-

re est

te est pactum, atque contractus in latissima acceptione contractus, de qua modo loquimur; & in hac eadem acceptione, est contractus acceptilatio, qua interrogante debitore suum creditorem, acceptum ne, seu solutum habeat debitum, velit ne illud remittere, creditor respondeat, acceptum habeo, seu remitto, ea extinguitur debitum præcedens. Quamuis enim ex huiusmodi acceptilatione nulla oriatur obligatio, quin potius dissoluatur præterita, qua debitor creditori tenebatur: quia tamen fit concurrente consensu creditoris debitum condonantis, & debitoris condonationem postulantis, ac acceptantis sortitur rationem contractus.

Secundo modo accipitur contractus proprie pro omni pactu, ex quo oritur obligatio saltem ex altera parte, & hoc modo donatio, quando incipit a traditione rei, quæ donatur, non est contractus: quoniam eo ipso quod res traditur, neque ex parte donatarij, qui illam accipit, & acceptat, neque ex parte donantis, qui ad nihil aliud deinceps tenetur, vlla remanet iustitiæ obligatio; præsertim cum, qui ita donauit de euictione, non teneatur, nisi donatarius expensas fecerit in re sibi donata; & is, qui donauit conscius erat, quando donauit ad alium pertinere; qui erat proprius dominus, & ab eo euincitur: nam tunc tenetur ad expensas, & damna subsequuta, non vero ad valorem rei, quam donauit. Quando vero donatio a promissione incipit, est contractus in hac secunda acceptione: quoniam licet ex promissione acceptata nulla obligatio oriatur ex parte donatarij, procul dubio oritur ex parte donantis, vt docet Corradus loco infra citando; quicquid dicat Sotus. 6. de Iust. q. 2. art. 1. etenim quamuis promissio illa ex liberalitate donantis sit profecta, fueritque proinde actus liberalitatis promittentis, & non iustitiæ, ex ea tamen resultaut obligatio iustitiæ, qua promittens eo ipso ex iustitia astrictus mansit ad id implendum, quod sola liberalitate ductus promisit.

Corradus. Sotus.

Tertio modo sumitur contractus proprijssime, seu magis proprie, & est vltro citroque obligatio, idest est pactum ex quo vltro, citroque idest ex vtraque parte oritur obligatio; & hoc modo emptio, venditio, locatio, conductio, & societas sunt contractus. Est ergo emptio, & venditio contractus proprie: quoniam est pactum non quodcumque, sed ex quo tam ex parte ementis, quam vendentis oritur obligatio eo ipso, quod est celebratum. Emptor quippe eo ipso tenetur tradere pretium venditori, & venditor tenetur tradere emptori mercem, hoc est, rem illam venditam; vt si ego emo a te equum, obligatus sum ad dandum tibi pretium, & e contra, tu qui mihi vendidisti, obligatus es mihi ad tradendum equum, imo venditor post traditam mercem tenetur emptori de euictione, hoc est soluere illi quantum sua interest tem illam de sua potestate non esse extractam, si ab alio tamquam sua, aut tamquam ad se spectans euincatur.

Promissio, donatio mutuatio, & stipulatio non sunt contractus.

Similiter si conduxi a te domum, ego obligor ad dandum tibi mercedem, quæ locagium dicitur, etiam si non intrarem, nec inhabitarem eam: & e contra tu qui eam mihi locasti, teneris mihi ad patiendum me inhabitare, aut quod mea interest soluere, Similiter si contraxi tecum contractum, qui dicitur societas, & ego emi merces, tu vero pœnitentia ductus non vis communicare mecum in illis bonis; ego habeo actionem contra te ex contractu societatis, atque ita tu mihi obligatis; & e contra in casu quo tu velles communicare mecum, ego obligarer tibi: & hoc modo promissio, donatio, mutuatio, & stipulatio non sunt contractus; de promissione patet; quia licet ex parte promittentis oriatur iustitiæ obligatio ad tradendam rem promissam, & acceptatam; ex parte tamen eius, cui facta est promissio nulla ex iustitia oritur obligatio; de donatione etiam patet ex his, quæ dicta sunt. Similiter si ego mutuaui tibi centum, ego tibi non obligor, sed tu mihi; Idem paret de stipulatione, est autem stipulatio interrogatio præcedens, & responsio subsequens in continenti; vt si tu interrogas me dicens, promittis mihi dare centum? & ego incontinenti respondeam, promitto, iam ego feci tibi stipulationem, & sum tibi obligatus dare centum; tu vero mihi non obligaris: atque adeo non est vltro, citroque obligatio, & per consequens non est proprie contractus. Has tres contractus acceptiones tradunt Corradus de contract. q. 16. Syl. verbo contractus. q. 1. & Angel. eodem ver. bo in additione, & communiter Doctores consonant. Bart. tum alias, tum l. Lab. o. 2 ff. de verb. signif. vnde nõ est quod Sotus lib. 6 de Iust. q. 2. art. 1. & Aragona de iust. & iure. q. 67. aduersus iura, & Doctores, has tres contractus acceptiones reprehendant.

Corradus. Syluester Angelus. Bartolus. Sotus. Aragona.

Quoad secundum, contractus latissime sumptus diuiditur in nominatum, & in innominatum; contractus nominatus, (vt Vlpianus. l. iuris gent um ait) est qui in nomine generali pactionis aut contractus non stat, sed transit in proprium, & specificum nomen contractus; vt sunt locatio, venditio, & huiusmodi: quia habent propria nomina eis solum conuenientia, vel ex iure gentium, vt venditio, locatio, societas, commodatum, mutuum, & alij similes, vel iure ciuili; vt emphyteusis, feudum, stipulatio, & acceptilatio; qui de iure ciuili inuenti, & introducti sunt peculiari nomine, atque forma.

Contractus est duplex. Vlpianus.

Contractus vero innominati sunt, qui proprio, ac specifico contractus nomine carent, qui sunt quatuor, primus, do vt des, secundus, do vt facias, tertius, facio vt facias, & quartus, facio vt des; & ideo dicuntur innominati; quia nomina eorum possunt alijs nominatis contractibus conuenire; & isti si quuntur naturam contractuum nominatorum, quibus assimilantur, ac regulandi sunt iuxta res contractus, quibus magis similes sunt, vt contractus do, vt des, regulandus est iuxta emptionem, & venditionem; contractus vero do, vt facias, regulandus est iuxta conductionem; & sic de alijs. l. naturales; §. sed facio. ff. de præscriptione vt borum. Sufficientia vero istorum quatuor contractuum innominatorum ita haberi potest: si enim sint duæ res, quarum neutra est pretium, aut certe quarum vtraque est pretium, dentur, aut promittantur, vna pro alia; est contractus innominatus do, vt des. Item quando opera, aut factum alicuius est locabile, & pro eo datur, aut promittitur res, quæ non est pretium, est contractus innominatus, & ex parte eius, qui factum promittit, est contractus facio vt des; ex parte vero eius qui rem pro facto promittit, est contractus do, vt facias; quando vero factum pro facto promittitur, aut commutatur, est contractus facio, vt facias; vt, si vnus cum altero conueniat, reficiam domus tuas, & tu cole agrũ meum, & quoniam sub affirmatione comprehenditur negatio; & sub facto late sumpto comprehenditur non factum, si quis ita paciscatur, do tibi equum, vt desistas a lite cum Petro, vel vt tale quid aliud non facias, talis contractus comprehenditur sub illa specie do vt facias.

Contractus innominati qui sint.

Item contractuum, siue nominati sint, siue innominati; quidam sunt respectiui, nempe illi in quibus vnus obligatur, vt alter vicissim se obliget, ac proinde vtrinque pariunt obligationem, & sunt cõtractus proprijssime accepti; quales sunt venditio, locatio, societas, & similes. Alij sunt non respectiui, illi videlicet, qui non ex vtraque parte contrahentium pariunt obligationem, vt sunt ij, qui continentur in prima, & secunda acceptione; quales sunt promissio, stipulatio, quando adhibetur promissioni tantum ex vna parte effectæ; secus esset si adiungeretur mutua vtrinque promissioni; vt si dicatur, promitto me tibi daturum triticj modium, vt colam agrum tuum, & alius vicissim dicat, promitto colere agrum meum pro tritici modio, tunc vtroque promittente resultat contractus respectiuus; acceptilatio, & mutuum, necnon donatio, si a promissione incipiat. In præsenti autem articulo erit tantum nobis sermo de contractibus respectiuis.

Contractus alij sunt respectiui, alij vero non.

In enumeratione autem speciei contractus non vno modo loquuntur Doctores. Gerson in suo tractatu de contractibus consid. tertia, octo species constituit, scilicet, emptio, & venditio, mutuatio actiua, & passiua, donatio, cambium, locatio, & conductio, censualis pensio, seu emphyteusis, & impignoratio, quorum sufficientia (inquit ipse) ita haberi potest: quia per contractum, vel confertur dominium, vel solus vsus; si primo modo, hoc est dupliciter, vel pretio mediante, vel sine pretio; si primo modo, sic sunt duæ species correlatiuæ, scilicet emptio, & venditio; si secundo modo, sunt etiam duæ species correlatiuæ scilicet mutuatio actiua, & mutuatio passiua; potest addi inquit tertia species, quæ proprie non est contractus, sed liberalis datio, seu donatio, vel eleemosyna; & quarta species, quæ dicitur campsio, seu cambium, vel transmutatio, nempe vt in cum frumento, vel pecunia cum pecunia. Si autem per contractum non transfertur dominium, sed tantum vsus,

Gerson. Contractus sunt octo species.

tetento

retento dominio, hoc contingit dupliciter; quia vel hoc fit sine pretio, & sic sunt duæ species correlatiuæ, scilicet commodatio, & accommodatio; aut fit mediante pretio, & sic sunt duæ species correlatiuæ, locatio, & conductio, quibus potest addi tertia species, quæ dicitur censualis pensio, vel emphyteusis, ac etiam quarta, quæ est impignoratio; ita quòd secundum Gersonem species contractus sunt octo, prima emptio, & venditio, secunda mutuatio actiua, & passiua, tertia quæ est donatio, quarta cambium, quinta commodatio, & accommodatio, sexta locatio, & conductio, septima censualis pensio, vel emphyteusis, octaua impignoratio.

D. Antoninus Contractus sunt 12 species. Diuus Antoninus 2. part. summæ, titul. 8. capit. 2. enumerat 12. species contractuum, prima est donatio secunda permutatio, vel cambium, tertia emptio, quarta venditio, quinta mutuatio actiua, sexta mutuatio passiua, septima commodatio, octaua permutata commodatio, nona locatio, decima conductio, vndecima pignoratio actiua, duodecima pignoratio passiua. Et hic modus partim differt a modo Gersonis; conuenit, quia ferè omnes, & ferè easdem species, quas vnus enumerat, enumerat & alius; differt autem, quia Gerson vnam speciem ponit, nempe Emphyteusim, quam D. Antoninus non ponit; & è contra, vnam ponit D. Antoninus, quam non ponit Gerson, scilicet permutatam accommodationem.

Differunt etiam; quia Gerson illas species, quæ se habent correlatiuè, computat pro vna; D. Anton. verò eas ab inuicem distinguit: atque adeò non ponit D. Anton. in re, quam ponat Gerson. Conradus de contract. tract. 1. quæst. 17. diuisionem contractuum protrahit vsque ad uiginta species; sed rerum potius in quibus contractus confici possunt, quam illarum specierum diuisionem facit, atque enumerationem.

Contractus septem sunt species. Probabilior sententia est, quòd contractuum, qui fiunt circa res (de his enim tantum est sermo in præsenti, & non de contractibus, qui fiunt circa personas, quales sunt matrimonium, votum &c.) septem tantum sunt species, nempe emptio, permutatio, vel cambium, mutuatio, emphyteusis, commodatio, permutata commodatio, & locatio; & hic modus est Doctoris; nisi quòd non nominat

Scotus. Emphyteusim: quia non distinguit hic vsum ab vsufructu; continetur enim Emphyteusis sub eo genere contractus, in quo transfertur tantum dominium vtile; id est quo conceditur solum vsusfructus retento dominio directo.

Quarum specierum sufficientia hac ratione colligi potest: Nam per contractum vocalem, vel transfertur dominium rei, vel vsusfructus illius, vel tantum vsus; Si transfertur dominium rei; aut id fit gratis sine vlla redditionis obligatione, aut non gratis; si fit gratis, est nuda donatio, quæ ideirco à ratione contractus excluditur à Doctore: quia ex illa in vtraque parte obligatio non oritur: nam solum illum actum appellat contractum, per quem fit translatio illiberalis, vbi transferens expectat aliquid æquiualens ei, quod transfert: quia in solo tali propriè trahuntur in simul voluntates pactium, trahitur enim iste ad transferendam rem suam in illum propter aliquid, quod expectat transferendum in se per illum, & è contra.

Si autem fiat non gratis, hinc oriuntur tres contractuũ species, quæ sunt emptio, permutatio, seu cambium, & mutuatio: nam in contractu, quo transfertur rei dominium vel transfertur dominium rei vtilis pro numismate, & vocatur emptio, & venditio; vel transfertur dominium rei vtilis pro alia re vtili, & talis contractus dicitur permutatio; vel transfertur numisma pro numismate, & appellatur mutuum, seu mutuatio. Venditio, & permutatio in hoc solum differunt, quòd in permutatione transfertur dominium rei vtilis pro dominio alterius rei vtilis; sed in venditione transfertur dominium rei vtilis pro numismate. Accipitur autem hic res vtilis, quæ immediatè, & per se est ordinata ad subleuandam corporalem necessitatem, sicut cibus, potus, vestimentum, & huiusmodi.

Contingit autem vt quandoque regio vna indigeat rebus huius regionis, & ista regio indigeat vicissim rebus alterius regionis: nam de aliquo genere vtilium est in vna regione abundantia, & non in alia, & è conuerso; ita quod est necesse transferre res vnius regionis ad aliam pro alterius regionis rebus habendis; & tunc fit rerum vtilium permutatio. Aliquando vero contingit, vt vna regio indigeat rebus vnius regionis, sed illa non indigeat rebus illius saltem in tali specie; atque adeo non fit tunc permutatio, sed inuentum est aliud medium, nempe numisma, vel pecunia: nam in pluribus stat habere indigentiam rei vnius vtilium, & non habere res vtiles ad permutandum, sed pecuniam, & talis contractus rei vtilis cum pecunia appellatur venditio. Interdum etiam contingit aliquem pati indigentiam, & nihilominus in præsenti nec habet res vtiles ad permutandum, nec medium ad emendum, atque adeo fit alia species contractus, scilicet mutuum, vel mutuatio. Est autem venditio, quando dominium rei pro æstimato pretio transfertur; permutatio vero, seu cambium, quando vna res vtilis pro altera re vtili commutatur, vt panis pro vino, corium pro pane &c. Sed mutuatio est quando transfertur dominium rei, vt idem, vel tantumdem reddatur.

Quando autem saluo dominio rei eius vsusfructus transfertur pro pretio, vel pensione temporali, vel perpetua, *Emphyteusis quid sit.* quarta contractus species consurgit, quæ dicitur Emphyteusis. Est autem Emphyteusis nomen græcum, latine idem sonans quod melioratio: & quamuis per istum contractum antiquitus solum viles quædam terræ steriles concederentur, vt accipiens eas melioraret, & fertiles redderet, postea tamen permissum fuit, vt res etiam fertiles, & fertilissimæ emphyteuticari possent, vt ex. l. 1. C. de iure emphyt. constare potest. Diximus in emphyteusi non transferri dominium, sed tantum vsumfructum. v. g. si prædium, cuius habeo proprietatem, tibi tradam quoad vtile dominium mihi reseruata proprietate, non tamen recipiendo pretium pro huiusmodi translatione, sed tantum obligando te ad dandum mihi annuam pensionem modicam, nempe vnum denarium pro quolibet anno, quæ pensio dari debet in recognitionem directi dominij apud me permanentis: nam semper dominium manet apud priorem dominum; & emphyteuta solum habet dominium vtile: atque ita esto emphyteuta in incõmissum incidat, vel propter non solutionem per triennium, vel per biennium, si rationę Ecclesiæ debetur pensio: vel quia vendidit irrequisito domino; res vero domino deuoluitur cum omnibus quæ in prædio illo plantauit vel ædificauit, saltem si sunt affixa ei; alia enim possunt exportari.

Quando vero dumtaxat merus vsus transfertur, consurgunt alia tres species contractus: nam si vsum rei gratis indulgeas, vt ubi sola rei substantia restituatur, est commodatio, quæ non solum nomine, sed etiam re a mutuatione differt: In mutuatione enim transfertur dominium: quare satis erit si a mutuatario æquiualens restituatur, mutuanti enim aurum satisfit, si argentum reddatur; at vero in commodatione non transfertur dominium, atque ita accommodanti equum, aut vestem, non satisfit, nisi eadem numero restituatur. Si autem vsum concedas non gratis, sed pro vsu alterius rei, vt vsum equi pro vsu pallij, tunc est permutata commutatio: & si concedas vsum, non pro vsu alterius rei, sed pro pretio, tunc est locatio, cui tamquam correlatiuum correspondet conductio; sicut venditioni emptio, siue domum, siue equum, siue proprias operas loces. & ad has septem species contractuum reduci possunt omnes alij, siue nominati, siue innominati sint: nam contractus assecurationis, & societatis, quibus nec dominium rei, nec vsusfructus transfertur ad locationem reducuntur: quia est in illis veluti quædam locatio operarum; Impignoratio autem, aut fideiussio non pertinet ad aliquam speciem distinctam, sed sunt tantum veluti confirmationes aliorum contractuum, atque ita ad illum erunt reducendæ, cuius sunt confirmationes. Atque hæc sufficiant de contractibus in genere: agendum est modo de quolibet contractu in specie, & primo.

DE

DE PERMVTATIONE.

Primus Art. Vtrum habens dominium alicuius rei possit illam cum alia re iuste permutare.

Secundus Art. Vtrum æqualitas valoris rerum permutandarum consistat in indiuisibili.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum habens dominium alicuius rei, possit illam cum alia re iuste permutare.

Permutatio bifariam sumitur.

PRo solutione quæstionis obseruãdum est primo, quod permutatio capitur tripliciter, primò generaliter, prout accipitur tamquam synonymum cum commutatione, atque ita omnis contractus non gratuitus, scilicet, in quo aliquid datur pro alio dicitur permutatio, & sic emptio, venditio, locatio, societas, & sic de alijs dicuntur permutationes, & hoc modo non accipitur in proposito. Contractus autem gratuiti non dicerentur hoc modo permutationes: quia in talibus vnus contrahentium id, quòd dat, non commutat pro alio, quia sine pacto, & intentione redditionis alterius, vt contingit in donatione, & commodatione.

Secundo modo capitur permutatio specialiter, prout est contractus, quo datur aliquid pro aliquo fine, siue vtrumque hinc inde datum sit res, distinguendo rem contra numisma, siue vtrumque sit numisma, dummodo non detur pro vna parte numisma, & ex alia parte res, & hoc modo capitur in proposito, quamuis ea species in qua datur numisma pro numismate appelletur propriè cambium, de quo contractu non est modo sermo.

Tertio modo capitur specialius, prout est contractus, quo datur res pro re, distinguendo rem contra numisma, vt vinum pro blado, corium pro panno, equum pro Asino, & sic de alijs, & hoc modo cambium pecuniarum non est species permutationis.

Permutatio specialiter sumpta est duplex.

Secundo obseruandum est, quòd permutatio prout in proposito capitur, scilicet secundo modo, est duplex, quædam est rerum, distinguendo numisma contra rem, alia est numismatum, & illa appropriato vocabulo dicitur cambium: dixi appropriato vocabulo, quia hoc nomen, cambium, non est omnino proprium nomen numismatum permutationi, nam etiam commutatio rei pro re, vel rerum ad inuicem posset dici cambium de rigore vocabuli, licet non de appropriatione: prima autem species retinet sibi nomen commune permutationis per regulam topicam Aristot. 1. Topicorum. Quando pluribus est vnum nomen commune &c.

Arist.

Permutatio rerũ est duplex.

Tertio obseruandum est, quòd permutatio rerum est duplex, quædam est pura ab omni alio contractu, vt cum Petrus dat statim suum vinum pro frumento Ioanni, & Ioannes statim recipit a Petro, nec alter alteri aliquid superaddit de numismate. Quædam est mixta, quia ei admiscetur alius contractus, puta aliquando mutuatio, interdum venditio, vel emptio, & quandoque alius contractus. Exemplum primi. Si Petrus dat Ioanni suum vinum pro frumento, & tamen Ioannes non dat Petro mox frumentum, sed post aliquod tempus, iam Petrus censetur implicite frumentum mutuasse Ioanni: quia perinde est ac si Ioannes dedisset frumentum Petro, sicut & debuisset, & è contra Petrus mox ei illud reddidisset restituendum illi post tempus. Exemplum. Vt si meum vinum valens centum flor. do pro tuo frumento valente nonaginta floren. ita tamen, quod tu debes in supplementum superaddere decem floren. iam ego censeor partim commutasse tecum, & partim etiam meũ vinum vendidisse, & tu partim censeris permutasse mecum, & partim emisse a me vinum, potius tamen censetur permutatio, quam venditio, ex parte mei, quia pecunia per te mihi danda non venit in illa permutatione, nisi accessorie, & in supplementum defectus valoris rei, vt elici potest ex c. ad quæst. de rerum permut. Secus autem vbi plus de pecunia mihi pro vino redderes, quam de frumento, ita quod in defectum pecuniæ dares mihi frumentum, tunc enim, licet esset etiam contractus mixtus, ex permutatione, & venditione, tamen potius, & principalius esset venditio, quam permutatio ex mea parte, & similiter ex tua parte potius esset emptio, quam permutatio. Exemplum tertij, vt si meum vinum valens centum floren. do tibi pro frumento tuo valente tantum nonaginta floren. donando, seu liberaliter remittendo reliquam partem frumenti superaddendam, tunc permutationi, est permixta donatio. In præsenti autem quæstione agimus tantum de ea permutatione, quæ est pura ab emptione, & venditione: nam si quis nouit quid requiratur ad permutationem puram ab emptione, & venditione, etiam scit quid requiratur ad illam, cui est emptio, & venditio permixta.

Permutatio rerum alia est economica, alia lucratiua.

Quarto obseruandum est, quòd permutatio rerum adhuc est duplex, quædam est economica, quædam vero lucratiua; exemplum primæ. Permuto meum vinum pro tuo frumento, quatenus illo frumento vtar in domo mea pro cibis, non autem vt ipsum ad lucrum reuendam, vel aliter distraham: exemplum secundæ. Quando illa permutatio fit, vt res, pro qua fit permutatio, distrahatur ad lucrum, & non vt permutans domi ea vtatur.

Permutatio iusta quæ requirat.

Quinto obseruandum est, quod ad iustam permutationem (vt dicit Doct.) eædem requiruntur conditiones, quas supra requiri diximus ad iustam donationem, nempe quod sit libera translatio ex parte permutantium ex vtraque parte, adeo quod vi, & metu non permutent, atque etiam ex parte vtriusumque libertas, id est, quod nulla lege superioris, a quo in permutando dependent, permutare prohibeantur, vel quoad personam, quia nempe interdicitur tali personæ permutatio, adeo quod persona illa permutare non potest, vt si is, qui permutat, est per superiorem prohibitus permutare, & hoc vel respectu cuiuscumque permutationis, vt filiusfamilias a Patre, & Monachus ab Abbate permutare prohiberentur, vel respectu determinatæ permutationis, vt Clericus, qui etsi ab omni permutatione non sit prohibitus, est tamen ei prohibita permutatio negociatiua, vel lucratiua, aut secundo quo ad rem permutabilem, nam aliquarum rerum permutatio a lege prohibetur, non enim licet non spiritualem, vel spirituali annexam permutare, saltem capiendo permutationem, vt est contractus non gratuitus, qui scilicet, fit pro temporali, tamquam appretiatiua, nam hoc modo prohibitum est, res spirituales, vt officia ecclesiastica, vel eis annexa, vt beneficia permutare, quia præceptum est, vt illa gratis conferantur. Item sunt aliquæ res, quæ iure positiuo, vel etiam naturali permutari prohibentur. Et obseruandum est, quod etsi lex positiua non vtatur verbo permutationis, sed tantum verbo distractionis, adhuc tamen permutatio prohibita intelligitur: quoniam sub distractione etiam comprehenditur permutatio; si autem lex prohibens aliquarum rerum venditionem, non sit positiua, sed naturalis, ratio prohibens venditionem, æque habet locum in permutatione, sicut in venditione. Exemplum de his, quæ prohibentur permutari lege positiua, vt arma, ferrum, galeas, naues, ligantina pro nauibus, vel galeis ædificandis, equos, victualia, &c. hæc enim, & alia similia prohibita sunt vendi Saracenis. In tali autem prohibitione, aut ius positiuum vtitur vocabulo distractionis, aut si non vtitur, claro elici potest, quod mens legislatoris fuit, quod nullo contractu debeant eis tradi, vnde etiam adductio talium ad Saracenos est interdicta. Et eodem modo de quibusdam alijs rebus dicendum est, de quibus ius ciuile disposuit, vt non venderentur, vt patet. C. quæ res vendi non possunt. Exemplum de his rebus, quæ prohibentur vendi lege naturali, & charitatis, vt sunt quædam venena, quæ non possunt esse ad vsum humanum vtilia, quæ vendi prohibentur, vt patet in l. quod sæpe. ff. de contrahen. empt. vbi sic legitur. Veneni mali, quidam putant non contrahi emptionem: quia nec societas, nec mandatum flagitiosæ rei vllas vires habet, quæ sententia potest sana videri de his, quæ nullo modo per adiectionem alterius materiæ vsui nobis esse possunt. De his verò, quæ mixta alijs materijs adeo nocendi naturam deponunt, vt ex his antidota, & alia quædam salubria medicamenta efficiuntur, aliud dici potest, hæc ibi: atque adeo, huiusmodi res, quæ ex lege naturali, & diuina mutuæ charitatis, qua tenentur proximis non dare materiam, aut auxilium, vel occasionem peccandi, vendi prohibentur, eadem ratione permutari non possunt, atque ita illarum rerum permutatio est illicita.

Distractio continet permutationẽ.

Obseruandum est, sexto, quod ad iustitiam permutationis requiritur, quod fiat sine fraude, fraus autem contingere potest, vel in substantia, vel in quantitate, vel in qualitate. In substantia vt non commutetur auricalcum pro auro, aut electrum pro argento, vel alchimisticum pro vero, deficiunt enim ista in essentia, vel quidditate auri, vel argenti, similiter si res, quæ commutatur apparet gemma pretiosa, cum sit vitrum coloratum, atque hic defectus est in substantia etiam specifica, potest etiam esse defectus in substantia indiuidua, vt si intendis commutare cum equo meo tali, & ego trado tibi non eumdem, sed alium, quem nolebas; obseruandum est tamen hic, quod exemplum de auro, & argento alchimico non satisfacit Alchimistis, si vniuersaliter intelligatur: nam (vt inquiunt ipsi) non est vniuersaliter verum, quòd aurum, vel argentum alchimicum non sit substantialiter verum aurum, vel argentum, cum per huiusmodi artem possit fieri talis applicatio naturalium actiuorum, & passiuorum, quod generabitur verum aurum, sicut demones sua industria applicando certa actiua naturalia determinatis seminibus possunt efficere, quod inde nascantur veri serpentes, vel ranæ etiam eiusdem speciei cum alijs serpentibus, vel ranis, vt dicunt Doctores super Exod. & D. Augustinus 3. de Trinit. Sed quicquid sit de hoc, exemplum est ad propositum saltem particulariter intellectum: quia Alchimistæ, vt plurimum, vel forte numquam attingunt per suam artem quod volunt, sed tantum procurant generationem metalli similis auro, vel argento.

D. August.

Sed esto, quod verum aurum in substantia efficerent, attamen deficeret in qualitate, quia via vel numquam potest illa res talem facere applicationem actiuorum, & passiuorum, quod ita virtuosum aurum inde generetur, sicut natum est generari per eam applicationem, quæ fit per solam naturam: quia forte illo tempore, quo ars illam applicationem facit, non concurrit talis influentia cœlestis, quæ talem, ac tantam virtutem, & qualitatem conferre potest auro. Vnde aurum naturale quasdam habet proprietates, quas alchimicum non habet, vel non tantas, vt proprietatem lætificandi, & sanandi quasdam infirmitates, & etiam est purius, digestius, & operabilius, & magis diuturnum in sua puritate, & hoc pacto esset exemplum de tertio defectu, scilicet qualitatis.

Exemplum, quod pro defectu substantiæ assignat Diuus Thomas 2.2.quæst.77.art.2. de vino mixto aqua, quod tamen commutatur pro vino puro, non placet: quia vinum mixtum aqua est etiam substantialiter vinum, nisi tanta quantitas aquæ apponeretur, quòd vinum non in se conuerteret aquam, sed è contra: quia aqua modica addita non remanet aqua, sed conuertitur in naturam vini, atque adeo est ibi tantum defectus qualitatis: quia in tali mixtura relinquitur, vel oritur ratione aquæ adiectæ aliqua qualitas vilior, quam esset in vino puro.

D. Thomas

Secus si quis vendat aroma mixtum cum alio quasi sit purum, vt contingit in permutantibus aromata puluerizata: nam in tali mixtura non conuertitur vnum miscibile in alterum, sed quodlibet manet in sua specie, & substantia, atque ita est ibi defectus in substantia.

Secundo potest contingere defectus in quantitate, siue quantitas mensuretur per pondus, siue per aliam mensuram, scilicet virgam, vel huiusmodi, quantum ad longitudinem, vel mensuram aliam corporalem, vt modium, sextarium, vel huiusmodi; siue in liquidis, vt in vino, & oleo, siue in aridis, vt in frumento, hordeo, & alijs bladis, oportet enim in his omnibus seruare iustum pondus, iustamque mensuram. Vnde scribitur Deut. 25. Non habebis in sacculo diuersa pondera maius, & minus, nec erit in domo tua modius maior, & minor. Pondus habebis iustum, & verum, & modius æqualis, & verus erit tibi: abominatur enim, Dominus Deus tuus qui facit hæc, & auersatur omnem iniustitiam. Et Leuit. 19. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in mensura. Statera iusta, & æqua sint pondera, iustus modius, æquusque sextarius.

Tertio potest esse defectus in qualitate, vt si animal infirmum permutetur pro sano, & cum vinum permutatur vt purum, cum tamen sit lymphatum, aut alio liquore mixtum, propter quem deficiat in debita qualitate. Similiter si carnes vaccinæ, vel taurinæ de tauro non castrato vendantur pro carnibus castratinis: quia licet sint eiusdem speciei essentiales, tamen in qualitate deficiunt. Item si aromata antiquata permutentur quasi sint recentia, atque ita de similibus. Et hæc omnia esse iniusta probatur extra de iniurijs, & damno dato. ca. si culpam in l. 5. Qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur. Nam qui culpa, aut negligentia dat causam damni realiter iudicandus est, ac si damnum dederit, & tenetur restituere, ac si dedisset damnum, sed committens fraudem in substantia, quantitate, vel qualitate dat causam damni illi cum quo permutat, ergo iniuste facit, & tenetur ad restitutionem, minor patet, quia ille non permutaret, nisi crederet aliam substantiam, quantitatem, vel qualitatem recipere, ergo videtur non tantum fallacia de libro Elencorum, quæ videtur, & non est, sed præsumptione iuris, & secundum veritatem damnum dedisse.

Ex his respondetur ad quæstionem hac vnica conclusione. Domini rerum iuste permutant, si sine fraude seruent æqualitatem valoris in commutatis secundum rectam rationem, adeo quod contractus permutationis potest esse licitus ex genere, & etiam ex circumstantijs: prima pars probatur, tum quia permutatio potest cadere super obiectum congruum, id est, quod congrue, & licitè potest permutari: tum quia aliàs omnis permutatio esset simpliciter illicita, nec aliqua posset licitè, ac iustè fieri: nam actui cui non potest competere bonitas ex genere, non potest ei competere bonitas ex circumstantijs: quia bonitas generica est essentialiter prior, & est quasi materialis respectu alterius, vt docet Doctor Subt. pluribus in locis. Tum denique quia venditio potest esse licita ex genere, ergo & permutatio: patet consequentia, quia etsi permutatio distinguatur formaliter in venditione, æquiualenter tamen permutatio non est nisi venditio, ita quod permutans tacitè vendit, & transfert proprietatem rei suæ in alterum pro determinato pretio.

Scotus.

Secunda pars probatur: quia permutatio potest vestiri omnibus circumstantijs, quæ sunt, quis, quid, cur, quomodo, & quando. Nam stat, quod permutans sit talis, qui non sit prohibitus permutare, stat etiam quod ibi sit congruum quid, id est, congruum obiectum, nempe res, quæ non sit prohibita permutari, stat etiam, quod ille cui fit permutatio non sit prohibitus, quin sibi possit permutari, stat insuper, quod permutatio fiat ob debitum finem, scilicet, pro humana commoditate, & vtilitate, vtriusque permutantis. Stat etiam, quod fiat in loco, & tempore in quibus, & pro quibus non est prohibitum permutationem fieri, atque ita erunt ibi congruum vbi, & congruum quando. Stat denique, quod debitus modus seruetur in permutando, ita ut non intercedat fraus nec in substantia, nec in quantitate, neque in qualitate, & quod in commutatis seruetur valoris æqualitas, ea cuius defectu esset iniusta; quoniam, vt scribit Diuus Augustinus 13. de Trinit. cap. 3. Visi velle emere, & caro velle vendere teurra vitium est. Est tamen obseruandum, quòd valor rei non est æstimandus secundum ipsius rei naturalem perfectionem, sed quatenus in vsus humanos venit, & hic optime notat Doctor Sub. Quoniam cum mundus, & omnia quæ in mundo sunt propter homines facta sint, tanti ciuiliter æstimatione res valent, quantum hominibus inseruiunt: viuentia ex genere suo præstantiora sunt vitæ expertibus, & tamen, vt dicit Diuus Augustinus libro 11. de Ciuitate Dei cap. 16. Mallet homo frumentum domi habere, quam mures, & melior est in domo panis, quam mus, & sola domus plus venire, quam equus, & nonnunquam equus, quam seruus, etiam si natura hominis nihil cum corporalibus conferri ad æqualitatem valeat, & propter hoc dictum est in conclusione secundum rectam rationem attendentem, scilicet, naturam rei in comparationem ad vsum humanum propter quem fit commutatio ista, & non valorem consequentem gradum bonitatis essentialis ipsius rei.

D. August.

Scotus.

D. August.

ARTICVLVS II.

Vtrum æqualitas valoris rerum permutandarum consistat in indiuisibili.

De hac re duplex est opinio. Prima est Richard. de Mediauilla in 3. d. 33. art. 3. q. 4. & Henr. de Gand. quol. 1. q. 40. ad. *Richardus.* *Henricus.*

40. affirmantium, quod ista æqualitas valoris, seu medium in quo consistat iustitia permutatiua est indiuisibile, adeo quod si sit hic vnum modium frumenti commutandum cum alio modio vini, dicunt Richar. & Henr. quod datur certa quantitas frumenti, quæ æquipollet modio vini, ita quod, si frumentum detur vltra illam certam quantitatem, accipiens plus accipit, quam dedit, & dans minus accipiet, & sic erit iniustitia. Item si datur minus quantumcumque paruum, quam mensura frumenti, qui dat frumentum minus accipit, dicunt ergo isti Doctores, quod tale medium consistit in indiuisibili. Et si dicatur, quòd ex hoc sequetur omnes permutationes esse iniustas, cum valde difficile sit attingere illud indiuisibile. Respondent, quia permutantes excusantur per ignorantiam: quia non accipit aliquis voluntariè plusquam dat, atque adeo non committit iniustitiam. Resolutio ergo huius opinionis est, quod ista æqualitas valoris consistit in indiuisibili; quia, (vt dicunt) iustitia consistit in medio rei, & non in medio rationis, sicut cæteræ virtutes, quæ passiones respiciunt.

Scotus.

Altera opinio est Doct. in hac quæstione dicentis æqualitatem valoris non consistere in indiuisibili, aliàs esset quasi impossibile aliquem quantumcumque expertum attingere medium iustitiæ, & excusari ab iniustitia, nisi per ignorantiam, quod improbabile est, cum de iustitia sit certa scientia moralis, sicut de alijs virtutibus, atque adeo cognosci potest illius virtutis medium. Consistit ergo secundum Doctorem æqualitas valoris rerum permutabilium in certa quadam latitudine, ita quod, si quis accipiat supra talem latitudinem, peccat per excessum in nimis, si verò infra talem latitudinem, peccat per defectum in minus.

Aequalitas valoris rei tribus modis cognosci potest.
Arist.

Vnde pro huius difficultatis perspicua intelligentia, (vt certa ab incertis separemus) obseruandum est primo, quod æqualitas valoris rei, & pretij tribus modis cognosci potest, scilicet ex constitutione legis positiuæ, secundo ex currenti fori consuetudine, tertio ex permutantium voluntate. Cum enim quæcumque permutatio, vt dicit Arist. 1. Politi. pro communi vtriusque contrahentis vtilitate, introducta videatur, vt, scilicet, dum vnus indiget re alterius, aut è conuerso vterque habeat modum, quo sibi inuicem iustè illam possit communicare, ratio postulat, vt quod pro communi vtilitate est introductum in vnius grauamen magis quam alterius esse nõ debeat, esset autem si inter res permutabiles non esset valoris æqualitas: est ergo necessarium ad iustitiam istius contractus, vt præfata æqualitas seruetur, & ea prætermissa contractus remanebit iniustus, cum alter eorum plus debito reciperet, alter verò minus. Cæterum cum difficile sit medium illud adæquatiuum inuenire propter varias, & corruptas hominum affectiones, ideo medium illud primo accipere oportet, prout sapiens determinabit, sicut Philosophus loquitur de medio virtutis 2. Ethi. Nullus autem sapientior censeri debet legislatore, vnde ad eum spectat iustum rei valorem statuere, attenta indigentia humana, rerum paucitate, vel abundantia, ac indigentium multitudine, ac paucitate, rerumque commoditate, aut necessitate, comparandi res necessarias difficultate, pretiositate, & labore. Et ex his omnibus prudenter consideratis, potest legislator æstimare rei valorem, atque rerum pretia iusta statuere, & vbi hæc statuta sunt, & taxata, sufficientem certitudinem habent contrahentes de æqualitate valoris, & iustitia pretij, cui se conformare tenentur sine dolo, & fraude.

Scotus.
Henricus de Hass.
Gerson.

Secundo vbi statutum legis deficit, supplet currens fori consuetudo, quæ legum optima interpres dicitur, hæc enim experientiæ innititur, per quam conditiones supradictæ certius cognoscuntur, vt docent Doct. noster Sub. Henr. de Hass. & Gerson: crescente autem indigentia, crescit pretium, & valor rei. Indigentia vero crescit paucitate rerum, quibus indigent homines, & multitudine indigentium, ac difficultate acquirendi, propter quod res eadem secundum cursus temporum plus, vel minus valet, vt modius frumenti, ac vrna vini plus valent tempore sterili, & minus tempore fertili, plus dum multi indigent, minus dum pauci vtuntur, plus dum per longa spatia terræ transferuntur, minus in loco vbi crescunt, minus dum paucis expensis transferuntur, plus dum grauibus, & sumptuosis, atque ita de alijs circumstantijs, ita quod in mercibus quæ non habent publicam taxationem a lege, vel a Principe, seu a populi Rectoribus illud iustum pretium est habendum, quod ex communi æstimatione hominum prudentum desumitur, estque illud, quod secundum communem cursum, seu consuetudinem pro illis rebus tradi, & recipi solet, & sicut in mercibus in quibus est publica taxatio per superiores nulli licet illam excedere, etiamsi communiter ob aliquam circumstantiarum variationem pluris æstimentur, ita similiter in mercibus, quæ communem habent æstimationem, non licet pluris vendere, quam sit illa æstimatio, quamuis priuatus homo pluris faciat rem: eo enim modo, quo est iniquũ, quod hominum communis æstimatio non subsit æstimationi principum, ita etiam & quod vnius, & diuersorum hominum priuatorum æstimatio præualeat communi æstimationi, & est semper credendum potius priuatum hominem male iudicare, & falli in assignando vero, & iusto pretio, quam quod omnes communiter decipiantur.

Tertio, deficiente lege valorem rei determinante, ac regulari fori consuetudine, quemadmodum sunt res, quę parùm sunt in vsu, quales sunt gemmæ, & alia nouiter ex Indijs venientia multoque alia de nouo artificiata, quilibet potest rei suæ, & labori operis pretium iustum constituere, attendendo conditiones supradictas, nempe ex parte vendentis expensas, labores, curam, industriam, & pericula, quibus se, & merces exposuit, tam illas de vno loco ad alium transportando, quam illas conseruando, & ex parte ementium indigentiam, qua rebus illis indigent, paucitatem, aut multitudinẽ ementium appretiationem ipsarum rerum, & tandem vtilitatem, quæ ex eis ementibus est euentura, licet propter cõmodum ementis carius vendi nõ possit, vt infra videbimus. Ex parte verò ipsarum mercium consideranda sunt raritas, aut abundantia ipsarum, sterilitas, aut fertilitas earumdem, & deniq; earumdem melioratio, seu deterioratio, quibus omnibus rectè pensatis, in his rebus, quæ Reipub. haud sunt necessariæ: (nam quæ necessaria sunt, iam ex communi æstimatione habent taxationem) id habendum est pro iusto pretio, in quo emptor, atque venditor scientes conueniunt, ita quod tanti poterit quisque rem vendere, quantum emptor sciens, & prudens dare voluerit, & in hoc sensu existimo verum esse quod dicitur. Tantum res valet, quanti vendi potest, atque ita, si ego habeam rem, quæ plus valet, quam res Petri, & hoc certo scio, volo nihilominus permutare cum illo, nulla est in hac permutatione iniustitia: quia volenti, & consentienti non fit iniuria, quamuis nõ seruetur æqualitas secundum legem, aut secundum communem hominum æstimationem, seruatur tamen secundum æstimationem meam: quia nolo vltra aliquid habere pro re mea, atque ita in hac permutatione non committitur iniustitia, quia nemo patitur iniustum, nisi nolens, vel nolitione formali, & absoluta, vel conditionata, vt in ignorantia, & metu, dicit tamen Doc. quod talis permutatio non est pure, & simpliciter permutatio, sed participat aliquid de liberali donatione, quia ego dono Petro excessum valens rei meæ super suam rem, & non est simpliciter liberalis donatio, quia aliquid ab ipso Petro accipio, ideo in tali contractu licet non sit valoris æqualitas ex lege, vel communi hominum æstimatione, est tamen æqualitas ex libero consensu contrahentium.

Aequalitas valoris rerũ permutabilium non cõsistit in indiuisibile.

Ex his dico primo, quod absoluté loquendo æqualitas secundum rectam rationem valoris rerum permutabilium, aut rei venditæ, & pretij non consistit in indiuisibili, quamuis iustitia commutatiua ad quam pertinet hæc æqualitas, consistat in medio rei, & cæteræ virtutes in medio rationis, quoniam, vt dicit Doc. in illo medio, quod iustitia commutatiua respicit, est magna latitudo, & intra illam latitudinẽ, non attingendo indiuisibile punctum æquiualentiæ rei ad rem, quia hoc quasi impossibile est communicantes attingere in quocumq; gradu medij citra extrema medium attingatur, iuste fit.

Taxatio valoris rei tribus modis fieri potest.

Dico secundo, quod valor, seu pretium rei postquam lege, aut publica potestate est taxatum, ita consistit in indiuisibili quoad summum, ita ut supra id quod lege taxatur res vendi nequit, atque illud excedere est peccatum, aut mortale, si est in re notabili, aut veniale si est in re exigua, & ratio est, quia iustum legale, cum ex vnius tantum vel Principis, vel Rectoris iudicio dependeat punctum assignatur, & indiuisibiliter est obseruandum, obseruandum est tamen, quod huiusmodi taxatio potest fieri vno ex tribus modis, scilicet, vel penes terminum magnitudinis in fauorẽ empre-

tis, vel penes terminum paruitatis in fauorem vendentis, vel penes vtrumque terminum in fauorem vtriusque (loquitur Doctor in hoc articulo quandoque de permutatione, & interdum de venditione, & emptione, quoniam ea quæ dicuntur de permutatione, deseruiunt etiam venditioni, atque emptioni.) Exemplum primi, vt pragmatica frumentaria, vbi penes terminum magnitudinis ita pretium taxatur, vt maius illo iustum esse non possit, bene tamen minus, cum communis æstimatio tritici ex abundantia etiam dependeat. Exemplum secundi habetur in censibus temporalibus, in quibus ita taxatur pretium penes terminum paruitatis, vt minori pretio emi non possint, bene tamen pro maiori. Exemplum tertij est in omnibus alijs communibus taxationibus vini, aut vrnis, quibus determinatum pretium statuitur.

Pretium rei desumptum ex communi hominum æstimatione non consistit in indiuisibili.

Dico tertio, quòd valor, seu pretium rei desumptum ex communi hominum æstimatione non consistit in indiuisibili, sed latitudinem habet; patet, quia diuidi solet in pretium infimum, medium, & supremum, & omnia sunt iusta, ita quod eadem res iuste vendi potest, & sex, & octo, & decem iulijs, siue argenteis, si decem, dicitur pretium supremum, quod alij appellant rigorosum, vel rigidum, si sex, erit pretium infimum, quod alij appellant pium; si vero octo, pretium erit medium, quod alij nominant moderatum, & ratio huius est, quia cum hoc pretium iustum consurgat, ex multorum iudicio, & æstimatione, fieri nequit, vt punctum vnum, atque idem ab omnibus statuatur, sed quod vnus iudicat iustum, alius minus, plusuè iudicat, intra tamen latitudinem iusti pretij, obseruandum est tamen, quod per communem æstimationem intelligo appretiationem, & communem cursum rerum venalium, ac consuetudinem, quæ existit, quando merces communiter in aliqua Repub. vendi solent, & apud prudentes, & imprudentes diuites, & pauperes idem illarum pretium seruatur, supposita illarum rerum æqualitate in bonitate intrinseca, id enim semper pro iusto pretio est habendum, ex quo nunquam desunt in Repub. personæ prudentes, tam mercatores, quàm non mercatores, qui sciant omnia perpendere, quæ ad pretij iustitiam conducunt: ex quo sequitur primo, quod nec æstimatio, quam faciunt mercatores præcisè, nec illa quam faciunt non mercatores, est, quæ iustificat pretium, sed mos tales merces in Repub. vendendi pro tali pretio communiter seruatus, qui ex prudentium hominum iudicio ortum habuit, & ab eodem conseruatur, variaturque quando rationabiles causæ pretium mutandi concurrunt. Sequitur secundo, quod huiusmodi communi æstimatione existente, impertinens est venditores multas fecisse expensas, multa subijsse pericula, vilius que aut carius merces emisse: quare si iuste illas vendere volunt, aliquando lucrari, & aliquando perdere ipsos opportebit; talis enim est mercatorum conditio, vt sicut lucro, ita & damno sint expositi, & semper, & in omnibus velle se seruare indemnes, fieri non potest sine aperta iniustitia, vt magis in sequentibus explicabimus.

Dico quarto, quod frequenter (quando rei valor, seu pretium nec a lege, neque ab hominum communi æstimatione est statutum,) contractum permutationis, aut venditionis concomitatur, quantum ad aliquid libera donatio: quoniam, vt dicit Doct. ex consuetudine relinquitur commutantibus, vt penitus mutuo necessitate, reputentur mutuo sibi hinc inde dare, & recipere æquiualens, atque ita ex huiusmodi defensione dependet etiam valoris iustitia libera donatione concurrente: Durum enim videtur, (inquit Doct.) inter homines esse contractus, in quibus contrahentes non intendant, aliquid de illa iustitia æquiualentiæ remittere, & sibi mutuo relaxare, atque adeo etiam quando pretium constituitur ex permutantium voluntate, rei valor, seu pretium in indiuisibili consistit, ita ut contrahentes non possint de illa indiuisibili iustitia aliquid remittere sibi mutuo. Et si iste modus commutationum fundatur in lege naturæ, nempe in hoc principio, *Hoc facias alteri, quod tibi vis fieri*; satis probabile est, quod dum mutuo sunt contenti, mutuo volunt sibi remittere, si secundum aliquid deficiant ab ista iustitia secundum regulam requisita.

Ex his omnibus infertur, quod ad cognoscendum iustum pretium, & valorem rerum permutabilium, atque venalium, quæcunque sint illæ, triplici regula vti possumus; prima est auctoritas publica ex suo beneplacito certis rebus pretia decernens, secunda communis æstimatio fori, tertia conuentio inter emptorem, & venditorem, inter quas hoc est discrimina, quia pretium constitutum per primam regulam constat in indiuisibili, vt supra dicebam, pretium autem constitutum per alias regulas latitudinem habet, & variari potest in eodem loco, & tempore; differunt secundo, quod pretium taxatum per primam regulam ordinatur immediate ad bonum communitatis per iustitiam legalem, quæ principaliter in principe, & Reipub. rectoribus residet: pretium vero taxatum per alias regulas ordinatur immediate ad bonum ipsorum contrahentium, differunt tertio in eo quod materiæ, & secundæ regulæ sunt res necessariæ ad victum, & vestitum hominum, & sic exercetur circa frumentum, vinum, pannum &c. cum tamen materia propria tertiæ regulæ sint res magis ad fastum, & pulchritudinem Reipub. quam ad necessitatem pertinentes, quales sunt gemmæ, canes venatici, accipites, equi elegantes &c.

Pretium iustum rerum commutabilium quomodo cognoscatur.

Est etiam differentia inter secundam, & tertiam regulam quantum ad hoc, quod stante taxatione pretij per secundam regulam, tertia locum non habet: si enim pretium communi æstimatione fori est constitutum, non licet illud ex conuentione inter emptorem, & venditorem variare, sed standum erit communi æstimationi fori, quod intelligendum est manente contractu in ratione permutationis, aut emptionis, aut venditionis, nam si ex beneplacito suo permutator, aut venditor vult rem vilius vendere, aut pretiosam pro viliori permutare, non erit pura permutatio, aut venditio, sed mixta cum liberali donatione.

Itaque tertia regula tantum habet locum, quando pretium rei nullo modo est taxatum, vt contingit in mercibus nouiter ex India adductis, & in artificialibus industrium nouum aliquod artificium facientibus vtile Reipub. quamuis etiam in his vt recte conuentio fiat considerare oportebit expensas, labores, & industriam artificis ad modum iam explicatum. Et hæc omnia docet hic Doctor Subtilis si diligenter verba eius perpendantur, atque ponderentur.

De emptione, & venditione.

Genus emptionis & venditionis quid sit.

RAtio tum emptionis, tum venditionis, quemadmodum omnis rei definitio ex duabus constat partibus, nimirum ex genere proximo, & differentia, genus tum emptionis, tum venditionis est voluntaria commutatio, seu contractus, hoc est, actio per quam ex reciproco pacto, & obligatione inter aliquos, possit inter eos, vel constitui, vel firmari, & stabiliri æqualitas iustitiæ. Et congruit cum hac contractus ratione descriptio contractus in genere, quam supra assignauimus ex Vlpiano. Labeo. ff. de verb. ac rerum signific. vbi is inquit, contractus est vltro, citroque obligatio, quod vt communiter explicatur intelligendum est causaliter, id est, vt contractus sit actio, ex qua vtrinque nascatur obligatio ad faciendum quippiam, quo iustitiæ æqualitas inter contrahentes constituatur, vel stabiliatur. Differentia autem emptionis, qua differt a reliquis contractibus est, quod per eam potest constitui inter contrahentes iustitiæ æqualitas, dando pretium pecuniarum pro re. Venditionis autem differentia, qua similiter differt a contractibus alijs, est quod per eam potest constitui inter contrahentes iustitiæ æqualitas, dando rem pro pretio pecuniario. Dico autem potest constitui, & non constituitur actu, nam de propria ratione, & differentia emptionis, & venditionis, non est, vt actu per eam constituatur iustitiæ æqualitas inter contrahentes, sed vt possit constitui, quatenus est de ratione emptionis, & venditionis, alioqui enim sola emptio, & venditio iusta esset, & nominaretur vera emptio, & venditio, quod constat falsum esse.

Emptionis, & venditionis differentia.

Emptio quid sit.

Cum igitur genus, & differentia emptionis, & venditionis sic se habeant, potest ex sententia Doctorum omnium, (quod ad rem quidem attinet) emptio describi; emptio est contractus, quo pretium pecuniarum datur pro re, venditio autem sic.

Venditio est contractus, quo datur res pro pretio pecuniario, atque in idem redit descriptio, quã assignant alij per

verba

verba legis. C. de rescindenda venditione. l. 2. sic. Venditio est distractio rei pro pretio, emptio autem est rei pro pretio contractio: sunt enim hæc verba, distractio, atque, contractio, voces iuris, quibus generaliter translatio dominij illius rei, quæ non est reddibilis, significatur, & nomine pretij intelligitur pecunia, per quam valor omnium rerum venalium æstimari consueuit apud quascunque nationes rectè institutas; Quare Arist. libro primo, Polit. capit. sexto, Barbaras eas appellat, penes quas cambia tantum rerum absque numismatis vsu tunc durabant.

Aristoteles.

Quanta vero sit emptionis, & venditionis vtilitas, intelligi potest ex Phil. 5. Ethicorum, capit. secundo, & 1. Politicorum, capit. sexto, vbi docet necessitatem humanæ vitæ inuixisse numismatis vsum, quo fit emptio, & vẽditio. Nam vt necessitati hominum varijs rebus indigentium cõmode succurreretur, inuentum est à communitatum Rectoribus numisma; quod voluerunt æquiualere omnibus rebus secundum proportionem, qua iusserunt illud à subditis æstimari, vt ita hoc ipso, quod vnusquisque indiget varijs rebus, indigeat etiam numismatis, & pecunia, & consequenter nemo non facile pro pecunia, vel exuberet alteri per venditionem, vel ab altero acquireret per emptionem necessaria ad vsum vitæ; quod secus sæpe accidere necesse esset, si homines cambijs tantum, & permutationibus rerum vterentur: maxime postquam humanæ vitæ necessitates excreuerunt.

Res bifariã sumitur.

Pro ampliori tamen emptionis, & venditionis notitia, obseruandum est primo, quòd res dupliciter sumitur, vno modo pro re corporali, atque ita omnia, quæ tangi possunt res corporales; altero modo pro re spirituali, & sic omnia, quæ tangi non possunt sunt res spirituales. In diffinitione autem emptionis, & venditionis res non accipitur pro re spirituali, neque etiam pro omni re corporali: de re spirituali patet, quia spiritualia, vel spiritualibus annexa vendi non possunt, vt diximus supra de permutatione, eiusmodi sunt omnia, in quorum venditione symonia interuenit, qualia sunt beneficium ecclesiasticum, sacramentum, & alia, de quibus in materia de symonia erit sermo infra dist. 25. q. 2. eiusmodi etiam sunt ea, ad quæ quis tenetur, nullo postulato pretio. Item res sacræ, vt Ecclesia; & publicæ, vt platea, & via publica vendi nequeunt sine consensu supremi Principis. Obserua tamen, quòd licet res sacræ per se vendi non possint, vendi tamen possunt coniunctim cum loco, cuius sunt partes, & cui sunt annexæ, vt si locus vendatur cum omnibus, quæ illi sunt annexa, vt habetur. c. cum sæculum, & c. ex literis, de iure patron. Item obserua, quòd licet symonia non sit vendi vasa, & vestimenta sacra ratione materiæ, qua constant; vendi tamen non possunt, nisi vrgente necessitate, vel ad soluenda debita, vel vt fierent ex pretio meliora eidem ecclesiæ, & tunc si integra vendantur, debent vendi alteri ecclesiæ, hoc est ad eumdem vsum in altera ecclesia, vel capella, vel alteri; conflata vero, aut destructa; ita vt sacra iam non sint, vendi possunt laicis. Ita habetur l. sancimus. 1. C. de sacrosanctis ecclesijs. & 10. q. 2. c. 2. Item vendi non potest homo liber, res aliena; Item illa, quorum vsus est solum malus, vt sunt ventura quædam, de quibus diximus supra; & postremo res pupilli emi non possunt à tutore. Vide Angelum, verbo. emptio. nu. 6. & Syluest. eodem verbo. quæst. 4.

Vasa sacra emi, & vendi possint.

Secundo obseruandum est, quòd res est duplex, scilicet præsens, & futura: præsens, vt terra, fundum, domus, &c. futura, vt fructus terræ, & vtroque modo capitur in definitione: nam quamuis sine re, quæ vendatur, sit nulla venditio, nihilominus si res sit in spe, vendi potest antequam existat, & hac ratione ancillæ, & pecorum partus, atque agrorum fructus, dum in spe sunt, vendi possunt: itemque iactus retis, aut quod venatione aliqua die capietur, missilia, si quæ ad manus alicuius deuenerint, dum mittuntur, & his similia, est tamen hoc discrimen, quòd quando partus, aut fructus, dum adhuc in spe sunt, venduntur, venditio est conditionalis si nascantur, aut percipiantur. C. nec empt. ff. de contract. empt. Quando autem venditur iactus retis, aut quod venatione aliqua die capietur, aut aliquid simile, censetur vendi sola spes, eaque de causa, siue aliquid capiatur, siue non, debetur pretium constitutum. l. nec emptio. l. emptorem. §. vlt. ff. de ac. empt. Quòd si Piscator iacere noluerit rete, aut venator ea die venari noluerit, teneatur emptori quantum id æstimabitur, prout ita erat in spe, atque ad damna subsequuta. l. si iactum. ff. de ac. emptio. Discrimen hoc inter partus, & fructus ex vna parte, & iactum retis, & quod venatione capitur ex alia, intelligendum est, quando aliud non constat ex verbis contrahentium: Si enim quis significaret se emere spem partus pecorum, non esset venditio sub conditione, sed pura, atque adeo teneretur ad interesse, esto nihil ederetur in lucem, & è contra, si quis iacienti rete diceret pro vnaquaque libra piscium quos ceperis, tantum tibi dabo, aut venatori diceret, pro re, quam primo ceperis, tantum tibi dabo, perspicuum est conditionales esse has emptiones, si aliquid fuerit captum.

Res est duplex. s. præsens, & futura.

Tertio obseruandum est, quòd emptio, vel venditio dupliciter fieri potest, aut cum arrha, aut sine arrha: Arrha in contractu emptionis, & venditionis est, id quod datur in signum, & argumentum contractus celebrati, & quasi pignus quo stabilitur contractus; vnde si ante perfectam emptionem quidpiam arrhæ nomine datum sit, promittente emptore rem tanto pretio empturum, atque ad id arrham dante, aut suspendentibus emptore, & venditore contractum, vt scriptura perficiatur, emptoreque post mutuum consensum, & conuentionem circa rem, & pretium arrham dante, tunc arrha eam firmitatem efficit, quòd si emptor, vt potest, eo quòd contractus nondum sit perfectus, à contractu discedat, amittit arrham venditori traditam, si autem venditor discedat amittit duplum emptori, hoc est arrham, quam ab eo acceperat, & tantumdem de bonis suis, idque esto nihil horum sit dictum, dum arrha fuit tradita, ita habetur Instit. de empt. & vendit. §. primo, verb. ita tamen. & l. contractus. §. vltimo, C. de fide instrum. Si vero perfecto iam contractu emptionis, & venditionis, qui (cum de numero sit eorum, qui solo consensu inuicem expresso perficiuntur) absque scriptura eo ipso perficitur, quo contrahentes circa rem, & pretium consentiunt, nisi contrahentes conuenerint, quòd contractus scriptura fiat, ac perficiatur, tunc enim ante scripturam integre confectam non censetur perfectus contractus, esto mutuus consensus circa rem, & pretium verbis expressus præcesserit, vt habetur Instiut. de empt. & vendit §. primo, l. contractus. C. de fide instrumen. l. 2. ff. de contrahen. empt. Si (inquam) perfecto iam contractu arrha ab emptore data est venditori iuxta communiorem opinionem, stando in iure communi, neutri contrahentium fas est discedere à contractu, quibusdam asserentibus discedentem vltra arrham teneri ad totale interesse, Bartolo vero, & alijs multis affirmantibus arrham detrahendam esse à totali interesse, vt referunt glossæ duobus iuribus citatis.

Emptio, vel venditio dupliciter fieri potest.

Bartolus.

Quarto obseruandum est, ad hoc vt emptor rei emptæ dominium comparet non satis esse emptionem perfectam esse modo statim supra explicato, sed vlterius necessarium esse traditionem illius, neque id sufficere, sed requiri insuper, vt emptor pretium soluat, vel illud offerat, vel fideiussores, vel pignora pro illo soluendo exhibeat, vel certo, vt venditor pro soluto illud habeat, fidens illud de emptore, quòd si nihil horum fiat, esto res vendatur, & tradatur emptori pro certo pretio statim, vel tali, aut tali die soluendo, dominium rei ita emptæ non transit in emptorem, sed remanet apud venditorem, quo fit, vt esto emptor illam alteri vendat, ac tradat, accepto pro ea pretio, aut quouis titulo illam in alterum transferat, possit venditor primus tanquàm dominus illius eam vindicare, ac repetere vbicunque illa reperta fuerit, nisi pretium ipsi persoluatur, ita habetur expresse Instiut. de rerum diuis. §. venditæ. l. procuratoris. § planè. vers. sed & si. Imo vero si pretium non persoluatur intra terminum solutioni præfixum, poterit venditor, vel exigere pretium, vel si pretium noluerit exigere, potius rem suam esto ei pretium offerat, si res fisci sit, minoris, aut ecclesiæ, atque per ministrum vendita sit, non prius censetur translatum dominium in emptorem, quàm pretium sit solutum, ita colligitur ex. l. si Procurator. §. vltimo, consentiuntque Panorm. c. cùm olim. i. de officio deleg. & Angelus verbo emptio. num. 4.

Emptor vt rei emptæ dominium cõparet, quid requiratur.

Panormit.
Angelus.

Quinto obseruandum est, quòd triplex est emptionis, & venditionis genus: Quædam enim emptio, atque venditio est, qua ab vnoquoque ea emuntur, quæ ad suam, familiæque sustentationem necessaria sunt, superflua vero ven-

Emptionis, & venditionis triplex est genus.

venduntur: atque hæc quasi naturalis est, & de se bona, ac licita, vt docet D. Thom. 2. 2. quæst. 77. art. 4. & communiter Doctores cũ Arist. 1. Polit. affirmant; ordinatur quippe non ad lucrum, sed ad congruam sustentationem, atque ad economos, & politicos, non vero ad negotiatores præcise sũptos spectat. Alia est, qua emitur aliquid, vt per industriam commutatum vendatur; hæc autẽ, vt Chrisostomus. C. eijciens. 88. dist. ait, non est mera negotiatio, eo quòd res sic empta, vt per industriam, ac artem melior reddatur; Ad hoc emptionis, & venditionis genus pertinet non solum si quis lanam emat, vt inde pannum, quem vendat, conficiat, vel ferrum, vt gladios, quos ex illo efficiat vendat; sed etiam si aues, aut equos emat, vt postquam eos educauerit, & ad aliquid assuefecerit, illos vendat. Tertia denique emptio, & venditio est, qua emitur aliquid, vt immutatum carius ad lucrum cõparandum vendatur; atque hæc propriissimè dicitur negotiatio, de qua, & eius honestate sermo erit infra in hac quæstione.

D. Thomas. *Arist.* *Chrisost.*

Emptio, & venditio iusta tria requirunt. Postremò obseruandum est, quòd tria requiruntur ad iustam emptionem, & venditionem; primùm quòd seruetur æqualitas iustitiæ; secundum, quòd fiat secundum rectam rationem; & tertium, quòd fiat sine fraude; quibus seruatis, emptio atque vẽditio erit iusta; si verò aliqua defecerit istarum conditionum, erit iniusta, & restitutioni obnoxia; eadem enim est ratio de venditione, & emptione, sicut de permutatione: & in hoc tantum differunt, quod permutatio respicit valorem rei vtilis ad rem vtilem, venditio autem valorem rei ad numisma; addit tamen Doct. quod in his vtrisque contractibus licet permutantem, vel vendentem pensare damnum suum, non autem commodum ipsius ementis, siue cum quo permutat, vt carius vendat, vel permutet, quod etiam docuit D. Tho. 2. 2. q. 77. art. 1.

Scotus. *D. Thomas.*

Ex quo sequitur primò, quòd vendens rem potest respicere ad damnum, quod consequetur ex alienatione rei à se, v. g. Vendo rem, quæ in se non valet nisi decem, ipsaque valde indigeo, tamen per magnam instantiam inducor à Petro, vt eam illi vendam, aut permutem pro re alia, ex qua venditione, vel permutatione consequor damnum, quod æstimatur alia decem, quod damnum non consequerer seruando rem meam, cum licitum sit me conseruare indemnem, possum carius vendere, quàm valeat res in se vltra appretiationem communem: quia consequor damnum ratione illius alienationis: patet, quia nullus tenetur subuenire alteri cum iactura propria, nisi alter sit in extrema necessitate, sed vendendo rem præcisè decem subire damnum, quod aliàs non consequerer sine tali alienatione, ergo possum vendere tantum vltra appretiationem communem, quantum æstimatur damnum, quod consequor ex venditione, & in hoc casu licet res vendatur pluris, quàm valet secundum se, non tamen venditur pluris, quàm valeat habenti.

Sequitur secundò, quòd vendens rem non potest respicere ad commodum ementis, quod consequitur ex illius rei emptione, ad hoc vt eam carius vendat, v. g. Petrus vendit rem, quæ iustè non valet nisi decem, & ex alienatione non incurrit damnum; cæterùm Ioannes illa re maximè indiget, & ex illius assecutione lucrabitur fortè viginti, aut triginta; atque adeo non curat Ioannes, quo pretio illam emat, dummodo illam habeat: Dicit Doct. quòd non potest Petrus carius vendere propter commodum Ioannis, qui emit: patet, quia non potest Petrus licitè vendere rem plus, quam valeat in se vel sibi, sed Petrus vendendo Ioanni carius ratione commodi, quod Ioannes ex illa re consequitur, vendit rem plus, quàm valeat simpliciter in se, & quàm sibi valeat; quia propter maius commodum Ioannis, nec res Petri est illi melior, nec in se pretiosior, ergo propter commodum Ioannis emptoris non potest Petrus rem suam carius vendere: tum etiam quia vtilitas, quæ alteri accrescit, non est ex venditione sed ex conditione ementis: nullus autem debet vendere alteri, quod non est suum, licet possit ei vendere damnum, quod patitur. Concludit ergo Doct. quòd vendens potest considerare proprium damnum, sed non lucrum ementis, quod ex venditione consequitur. Hæc sunt, quæ breuiter dicit Doctor de contractu emptionis, & venditionis: circa quem nos breuiter explicabimus nonnullas difficultates vtiles, atque scitu dignissimas iuxta sequentes articulos.

Scotus.

Primus Art. Vtrum licitum sit vendere non vltra dimidium iusti pretij, siue licitum sit emere citra dimidium iusti pretij.

Secundus Art. Vtrum licitum sit vendere rem carius, quàm valeat, vel etiam emere vilius.

Tertius Art. Vtrum sint aliqua causa, ob quas licitum sit rem pluris vendere, vel vilius emere, quam valeat.

Quartus Art. Vtrum Mereatur, qui rem infimo pretio vendidit, & partem mercis non reddidit, quæ decrat vsque ad pretium rigorosum restituere illam teneatur.

Quintus Art. Vtrum emptio, & venditio valida sit, in qua dolus interuenit.

Sextus Art. Vtrum venditor teneatur dicere vitium mercis sub peccato, & restituendi reatu.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum licitum sit vendere rem vltra dimidium iusti pretij, siue licitum sit emere citra dimidium iusti pretij?

VT rectè, atque dilucide examinare possimus an vendi aliquid possit maiori pretio, vel emi minori, quàm valeat, à proposita quæstione exordiendum est, in qua forum exterius cum interiori conscientiæ conuenit. Vnde obseruandum est primò, quòd duobus modis intelligi potest, quòd res vendatur vltra dimidium iusti pretij, vel ematur citra dimidium iusti pretij: priori modo, quòd pretium, quo res venditur includat iustum pretium, & vltra medietatem iusti pretij, & adhuc vltra aliquid aliud, ita quòd pretium, quo res venditur contineat tria, scilicet pretium iustum rei, medietatem illius iusti pretij, & aliquid vltra, v. g. Si iustum pretium rei sit decem flor. prout communiter æstimatur, & venditor vendit pro 16. nam 16. continet 10. quòd est iustum pretium, & præter hoc quinque, quod est medium iusti pretij, & vltra hoc continet vnum, & secundum hoc emptio infra dimidium iusti pretij erit, si res iusto pretio valeat solùm decem, & ematur quatuor, aut quatuor cum dimidio, ista emptio esset infra dimidium iusti pretij, quia est infra quinque, qui sunt dimidium decem.

Res vendi vltra dimidiũ iusti pretij bifariam intelligi põt.

Posteriori modo dicitur res vendi vltra dimidium iusti pretij, quando aliquid venditur vltra duplum, vt si res pretio iusto rigoroso valeat decem, non esset venditio vltra dimidium iusti pretij, nisi vendatur plusquàm viginti; adeo quòd pretium, quo venditur res bis contineat iustum pretium, idest in duplo maius, quàm sit iustum pretium, & adhuc aliquid vltra, vt si res aliqua præcisè valeat decem, & vendatur 21. venderetur vltra dimidium iusti pretij in duplo. Sed iste secundus modus irrationabilis est: quia tunc similiter, & proportionabiliter posset intelligi illud, quod dicitur rem emi infra dimidium iusti pretij, ita quòd quando diceretur, Petrus emit equum infra dimidium iusti pretij, esset sensus, dedit pretium quod deficit semel à medietate iusti pretij, & iterum semel deficit ab ea; & vltra duos illos defectus, adhuc deficit in aliquo, atque ita emisset equum pro nihilo, & minus nihilo, vt si equus valeret 40. flor. & Petrus iuxta prædictum sensum emeret infra dimidium iusti pretij, oporteret, quòd daret pretium, quod bis esset minus, quàm viginti, atque ita sibi deficerent bis viginti floren. & ita in toto siue omnimodè, & per consequens nihil de 40. floren. maneret ibi: quia si aliquid maneret, non deficeret simpliciter, & omnimode in 40. floren.

In præsenti igitur quæstione, quando quæritur, vtrum sit licitum vendere vltra dimidium iusti pretij, vel emere infra dimidium iusti pretij, capitur in primo sensu, idest, vtrum contractus sit nullus, quando res venditur, aut emitur vltra, vel infra dimidium iusti pretij. In hac difficultate conueniunt omnes Doctores, quod si quis vltra dimidium iusti pretij vendat, vel infra dimidij iusti emat, peccare, & non solum in conscientiæ, sed etiam in exteriori foro teneri ad satisfactionem.

Tamen obseruandũ est primo, quòd si dolus in eo contractu nõ interuenerit, ersi quis sciens, & prudens emptionem infra dimidiũ iusti pretij esse, emerit, vel sciẽs esse vltra dimidiũ iusti pretij, vendiderit, datur parti læsæ in exteriori foro actio ad alterum duorum sub disiunctione, nempe ad cogẽdum alterum, vt pretium ad iustum reducat, vel rescindat

contra-

contractum; prout is, qui læsus maluerit. Itaque quãdo quis emit infra dimidium iusti pretij, cogitur vel augere pretiũ vsque ad iustum, vel rescindere contractum, reddendo mercem, & accipiendo pretium. Quando vero quis vendidit vltra dimidium iusti pretij, cogitur vel restituere excessum vltra pretium iustum, vel reddere integrum pretium, & accipere mercem, vt ipse maluerit, ita habetur l. 2. c. de rescind. vend. & c. cũ causa, de empt. & vendit. Quod vero ad hæc eadem obligatio sit in foro conscientiæ ex dicendis in sequenti articulo erit manifestum. Dixi, si dolus in eo contractu non interuenit: quoniam si dolus ex parte ledentis interuenisset, non esset tanta libertas ex parte illius, quo ad satisfactionis modum, vt ex dicendis in sequentibus articulis perspicuum fiet.

Secundo obseruandum est, quòd si res infra dimidium iusti pretij empta sit, emptorque illam quocumque titulo alienauit, datur venditori actio aduersus primum emptorem, vt si rem non restituat, quia non potest, aut quia non vult eam recuperare, aut restituere, saltem augeat pretium vsque ad latitudinem iusti, at non datur actio tunc aduersus tertium possessorem: ita Gloss. l. 2. C. de rescind. vend. arg. quorumdam iurium, quæ citat. Idem existimo habere locum, quando emptor sua sponte consumpsit, aut destruxit rem emptã: quoniam, vt in casu alienationis glos. prædicta recte ait, per ipsum stetit, quominus res non existeret penes se, vt redderet illam, rescinderetur contractus; atque adeo tenetur augere pretium vsque ad latitudinem iusti, & eadem ratio militat, quando sua sponte rem consumpsit, aut destruxit, & nedum datur actio aduersus primum emptorem, sed etiam ad uersus tertium possessorem, vt Couar. 2. var. resolut. c. 3. nu. 10. cum multis alijs affirmat: quando tertius ille titulo lucratiuo illam acquisiuit, vel rem restituat, vel vt pretiũ vsque ad latitudinem iusti augeat, vel si bona fide illam consumpsit, aut alienauit, ignorans venditorem esse defraudatum, reddat quantum ex illa factus est locupletior.

Glossa.

Couar.

Tertio obseruandum est, quod si res vltra dimidium iusti pretij fuerit vendita, si emptor ita illam alienauit, vt habere eam non possit, aut eam consumpsit, nõ conceditur ipsi in foro exteriori actio aduersus venditorem, ratio est: quia venditor non tenetur nisi, vel ad rescindendum contractum, vel ad restituendum pretij excessum, prout ipse maluerit, contractus autem rescindi non potest, eo quod emptor restituere non possit rem emptam: & hæc est communis Doctorum sententia. In foro tamen conscientiæ venditor restituere tenetur excessum pretij, vsque ad altitudinem tantum supremi, aut rigorosi.

Quarto obseruandum est, quod si casu fortuito res perijt, aut notabiliter deterior est reddita, siue empta fuerit infra dimidium iusti pretij, siue vendita vltra dimidium iusti, neq; emptori, neque venditori defraudato datur actio propter eam dem rationem: quia videlicet res absque aduersarij culpa perijt, & quia periente rescindi non potest contractus, qui eligere potest aduersarius; ita Gloss. l. 2. C. de rescind. vendit. & communis Doctorum sententia. Notat tamen Couar. loco citato, si emptor, qui infra iusti pretij dimidium emerat, iusto pretio illa vendidisset, tunc re peremptа dari actione aduersus primum emptorem, vt restituat incrementum pretij vsque ad infimum iustum, aut quantum ex eo pretio factus est locupletior; quoniam res ipsa manet apud primum emptorem quo ad pretium, quod pro illa accepit: quare excessu, quod pro illa accepit, cogetur iustum pretium complere, quod tantum existimo verum esse in foro conscientiæ, & maxime loquẽdo aduersus eum, qui rem vltra dimidiũ iusti pretij vendidit, contra quem affirmat idem Couar. dari actionem nihil impediente, quod res vendita perierit: quoniam (inquit) manet apud eum excessus pretij iniusti, quod pro ea accepit: dixi in foro conscientiæ: quoniam contrariũ sonant iura aperte, affirmatque communis Doctorum sententia: quare in exteriori foro non conceditur actio; in cõscientia tamen foro restituere tenebitur excessum pretij tam ipse, quam qui defraudauerit alium emendo infra dimidium iusti pretij nihil impediente, quod res perierit.

Glossa.
Couar.

Quinto obseruandum est, quod quando res infra, aut vltra dimidium iusti pretij empta, aut vendita restituenda est, non est simul cum fructibus ex ea perceptis restituenda, quicquid Couar. 2. var. resol. c. 3. num. 9. doceat; quoniã emptor dominium comparauit rei ita emptæ, & si ante contractum rescissionẽ perijsset, vtique ipsi perijsset; ergo interim dum contractus non est rescissus facit fructus suos: tum quoniam venditor toto eo tempore potitus est pretio, neque iã hodie cum vsuris tenetur restituere illud, vt Couar. ipse testatur: ergo æquitas in recompensationem postulat, vt emptor fructus ex re ita empta perceptos sibi retineat. Quod præsertim verum est, quando res vendita fuisset vltra dimidium iusti pretij, & contractus eligente id venditore esset rescindendus: nam æquitas non patitur, vt emptor potitus sit toto eo tempore pretio tam excessiuo, neque vsuris illius reddere teneatur, & nihilominus recipiat rem cum fructib. omnibus ex ea perceptis, aut ex pretio detrahere debeat æstimationem illorum. Et idem est iudicium, quando res empta fuit infra dimidium iusti pretij, con. ractusque rescindendus est eligente id emptore, saltem vt non omnes fructus restituere teneatur, sed summum pro rata iuxta quantitatem defectus pretij, vsque ad latitudinem iusti: Neque enim plus æquitas postulat, neque humanum ius quicquam in cõtrarium statuit. Accedit in confirmationem huius sententiæ, tum quod in praxi sit recepta, vt Couar. fatetur: neque vsuræ pretij sint hodie in recompensationem restituendæ: tum etiam quod in dubio melior sibi conditio eos fructus possidentis.

Sexto obseruandum est, pretium iustum rei venditæ attendendũ esse eo tempore, quo celebratus fuit contractus, nõ vero antea, aut post, ita probant l. si voluntate in fine. C. de rescindenda vendit. & cap. cum causa de empt. & vendit. at quia pretium iustum in indiuisibili non consistit, vt diximus supra, consequens profecto est, vt ad probandum aliquid emptum esse, vel venditum, infra, vel vltra dimidium iusti pretij, satis non sit testes affirmare pretium iustum tempore contractus fuisse aliquod, comparatione, cuius pretiũ datum sit infra dimidium, vel vltra, sed necesse est testificari, pretium illud fuisse iustum, vel supremum iustum rei illius tempore contractus; aut id ex eorum testimonio sufficienter colligi, neque enim emptor tenebatur emere pretio rigoroso, aut medio, neque venditor pretio pio, aut medio, sed satis erat, si emptor infimo iusto emeret, & si venditor supremo iusto, aut rigoroso venderet, de hac re videatur Couar. 2. var. resolut. c. 3. num 3.

Pretium iustum rei venditæ quo tempore attendendum sit.

Couar.

Postremo obseruandum est, quod actio de qua hactenus locuti sumus de iure communi iuxta Panor. c. cum causa, de empt. & vendit. & communem Doctorum sententiam, recte dicitur triginta annis à die contractus celebrati, pro quo lege etiam Couar. 2. var. resol. c. 3. num. 13. & lib. 4. cap. 5. §. vlt. & esto, quod quis renunciet beneficio agendi hactenus explicato, atque esto in contractu dicat se donare excessum, aut defectum iusti pretij, esto etiam dicat se scire rem plus, aut minus valere probarique et possit contractus tempore, merum rei valorem agnouisse, potest nihilominus agere perinde ac si nihil horum interuenisset; tum quoniam qua facilitate ad duceretur quis ad vendendum infra dimidium iusti pretij, aut ad emendum vltra dimidium iusti pretij, eadem adduceretur ad renunciandum beneficio legis. 2. C. de rescinden. vend. & ad dicendum se donasse incrementum vsque ad iustum, quare insufficienter esset prouisum l. 2. citata. Et confirmatur argumento a simili ex l. si mulier. 2. C. de Velleia. & ex l. doli. §. diuersarum. ff. de nouationibus. Deinde quoniã l. vlt. §. item quæsitum. ff. de condict. indebiti, sic ait Sceuola. Item quæsitum est, an pactum, quod in pactionibus scribi solet in hunc modum, ex contractu nullam inter se controuersiam amplius esse, impediat repetitionem. Respon. nihil proponitur impedire. Ex quibus verbis constat eiusmodi renunciationes nihil impedire, quo minus intentari possit actio, non secus ac si facta non essent: tamen in conscientiæ foro si de vero animo donandi excessum, aut defectum pretij iusti constet, locum non habet actio: cæterum in exteriori foro, quoniam præsumitur eiusmodi renunciationes, aut donationes non esse liberas, sed inuoluntarias, communis opinio tenet renunciationes esse nullas.

Panormit.

ARTICVLVS II.

Vtrum licitum sit vendere rem carius, quam valeat, vel etiam emere vilius.

SEnsus est, an licite possit aliquid vendi maiori pretio, quã valeat, aut emi minoris, quando non est vltra, aut infra dimidium iusti pretij. Circa quam difficultatem conueniunt commu-

communiter Doctores, quando dolus in contractu non interuenit, in exteriori foro tam sęculari, quam ecclesiastico non dari actionem iuxta iura Canonica, & ciuilia articulo præcedenti citata, quæ solum illam concedunt, quando læsio est vltra, aut infra dimidium iusti pretij. Controuertunt tamen, an nihilominus interueniat peccatum cum restituendi onere in foro conscientiæ vsque ad limites iusti pretij.

De hac re est triplex opinio; prima dicit, quod est licitum vendere vltra iustum pretium, dummodo non vendatur vltra dimidium iusti pretij, sed infra latitudinem dimidij iusti pretij siue hoc magno excessu, siue paruo fiat, hoc est dictu; quod si sit res, quæ valeat decem, semper est licitum vendere vltra decem, dummodo vendatur infra quindecim, & non vsque ad dimidietatem iusti pretij. Patronus huius opinionis, vt refert Conrad. de contract. tract. 3. q. 57. & D. Anton. 2. p. t. 1. c. 16. §. vlt. fuit quidam Durandus ordinis Minorum in sua summa. In eadem sententia fuere quidam Legisperiti, quos Couar. 2. var. resolut. c. 4 nu. 11. citat.

Conradus. D. Antonin. Durandus. Couar.

Fundamenta huius sententiæ sunt primo, quia tam iure ciuili, quam canonico id permittitur, vt constat. l. 2. & l. si voluntate. C. de rescind. vend. & c. cum dilecti, & c. cum causa de empt. & vend. atque vsque adeo permittitur, quod si ita defraudans conueniatur, in iudicio absoluatur, cum ergo quod authoritate legis fit, iuste, & licite fiat, consequens est, vt in eo nullum interueniat peccatum, neque inde nulla obligatio restituendi consurgat. Et cōfirmatur, quoniam lex humana potuit iuste in pœnam, atque ad vitandas lites, & pericula animarum statuere, vt qui eo modo quempiam defraudaret restituere non teneatur, quemadmodum statuit legē præscriptionis, quæ vim habet in foro conscientiæ.

Secundo quoniam l. in causæ § idem Pomponius. ff. de minoribus, & l. item si pretio §. quemadmodum, ff. locati, habetur licere naturaliter ementes, & vendentes se circumuenire, & quod pluris est, minoris emere, & quod minoris est, pluris vendere, ergo qui emendo, aut vendendo egreditur latitudinem iusti pretij, neque peccat, neque ad restitutionem tenetur.

Et confirmatur ex illo communi Iurisperitorum adagio, tantum valet res, quantum vendi potest; quod doctores notant ex l. pretia rerum ff. ad legem Falcidiam tum ibi, tum alibi sępe, itemque ex l. in re. C. mandati, quæ habet; In re sua vnusquisque est moderator, & arbiter; ergo pro re sua licite petere, & accipere poterit excessiuum pretium.

Secunda opinio dicit, quod quamuis non liceat excedere iustum pretium, quando excessus est notabilis, tamen licitū est vendere rem vltra iustum pretium, dummodo non vendatur per notabilem excessum. Fundamentum huius sententiæ est: quia accipere alienum (quod non est notabile bonum) non est furtum, neque malum; nam in definitione furti dicitur, quod est contrectatio rei alienæ notabilis inuito domino; ergo si Petrus vendat rem suam vltra iustum pretiū, & accipiat aliquid vltra, quod accipiendo non est furtum, nō accipit notabilem excessum, neque facit contra iustitiam: ergo sequitur, quod Petrus in tali casu non peccat.

Gerson.

Ioannes Gerson Cancellarius Parisiensis in regulis moralibus tract. de auaritia, & de contractibus par. 2. propolit. 11. asseruit ita ementem, aut vendentem peccare quidem, sed restituere non teneri, ita enim scribit in regulis moralibus. Cum deceptione vltra medium iusti pretij contractum initum leges irritant; in alijs vero casibus, etiam si peccent vendentes res suas enormiter, tamen restituere non tenentur ementibus, quantum regulariter occurrit iudicandum.

In tractatu vero de contractibus, ita inquit. Quamuis de restitutione varius apud Doctores sit sermo, dicentibus aliquibus, quod nisi sit defraudatio vltra medium iusti pretij, defraudans non tenetur ad restitutionem, & in hoc satis cōcordant omnes dicētes verum esse in foro exteriori propter irritationem legislatoris. Sed de foro conscientiæ nulli dubium est, quin fraudans tenetur confiteri. Vtrum autem obligetur restituere, non est ita clarum, & concordatum apud omnes, præsertim Theologos. Non enim videtur necessarium, quod vbi concurrunt mutuæ voluntates vendentis, & ementis, vt res suas commutent in alterutrum, quod furtum committant, vel rapinam, iuxta illud, scienti, & consentienti non fit iniuria, neque dolus, præcipue dum sciens, & volens est sui iuris in sua re, quod dicitur propter pupillos, & similes; Et dum consensus non est lege irritatus, sicut in deceptione vltra medium iusti pretij. Si præterea consensus sit absolutus non solum conditionalis, aut secundum quid, sicut Arist. loquitur de projicientæ merces in mare, & de consensu metu mortis extorto, aut per errorem fraudulentum inducto, quoniam ignorantia causat inuoluntarium, vel in toto, vel in parte. Hæc ille.

Aristot.

Hæc sententia Gersonis partim differt, partimque conuenit cum prima, & secunda opinione: differt in hoc, quod prima, & secunda opinio affirmant licitum esse, minimeque peccare ementes, aut vendentes si rem emant, aut vendant maiori pretio, quam valeat, quando non est vltra, aut infra dimidium iusti pretij. Gersun vero inquit, quod non est licitum vendere vltra iustum pretium, atque adeo ita ementē, aut vendentem peccare. Conuenit autem quoniam & ipse affirmat, ita ementes, aut vendentes ad restitutionem excessus non teneri.

Tertia opinio quæ est communis Theologorum, ac Iurisperitorum, sententia merito asseuerat contrarium, nempe egredientem limites iusti pretij, aut valoris rei, emendo, vendendo, locando, permutando, aut quemcunque alium contractum celebrando peccare, restituereque teneri vsque ad latitudinem iusti pretij, aut valoris rei: e illo egressus non sit infra, aut vltra dimidium iusti pretij, eritq; lethale, aut veniale peccatum pro quantitate egressus a iusto pretio; ita docet D. Tho. 2. 2. qu. 77. art. 1. Doct. noster Sub. hic Henric. de Gand. quol. 1. q. 40. quos omnes posteriores Theologi secuti sunt. Probatur autem hæc sententia primo sic, omnis cōtractus emptionis est illicitus, qui est actus iniustitiæ, sed in cōtractu venditionis, & emptionis, quo vendens vendit rem, vel emens emit eam, plus vel minus quam valeat, est actus iniustitiæ, ergo est illicitus, & peccatum, nisi vendens, aut emens excusentur per ignorantiam inuincibilem; nam vt dicit Henr. loco supra citato, ignorantia in talibus facit inuoluntarium, quæ omnino, & in toto excusat, quia est ignorantia non in electione propter malitiam obnubilantem rationem, neque in regulis vniuersalibus legis, sed in singularibus, circa quæ cadit operatio. In his enim per in uoluntariū est misericordia in parte, si forte non apponat diligentiam omnem quam debet, vt cognoscat valorem rei suę, vel est venia in toto, si videatur res illa sibi amplius valere, quam valeat, & in nullo est causa suæ ignorantiæ, hæc ille.

D. Thomas. Scotus. Henricus.

Maior rationis patet, & minor probatur, omnis recessus a medio iustitiæ est actus iniustitiæ, sed omnis talis venditio est recessus à medio iustitiæ, ergo omnis talis venditio est actus iniustitiæ, maior est nota ex philosophia, nam vitium oppositum iustitiæ est recedere a medio iustitiæ, vel per superabundantiam, vel per defectum, minor probatur, quia medium iustitiæ est æqualitas valoris, sed in tali venditione receditur ab illa æqualitate, quia res venditur plus, quam valeat, ergo omnis talis venditio est recessus a medio iustitiæ, atque adeo iniusta est, & illicita.

Secundo probatur ratione D. Thom. Quod pro communi vtilitate est introductum esse non debet in grauamen vnius, potius quam alterius, sed emptio, & venditio, cæteriq. contractus similes pro communi vtilitate sunt introducti, ergo non debent esse in grauamen vnius potius quam alterius, esset autem in grauamen vnius potius quam alterius, nisi æqualitas seruaretur inter rē & pretium, aut inter quascumque res alias, quæ commutarentur, quod vtique esset, contra iustitiam commutatiuam, cuius est constituere æqualitatem in commutationibus, quo fit, vt egressus quicumq. a latitudine tota iusti pretij sit peccatum contra iustitiā commutatiuam, atque adeo quod ita defraudatum est, restitutioni sit obnoxium. Maior rationis habet ferè fundamentum in lege naturali, nam ratio naturalis postulat, & præscribit, vt quod tibi naturaliter non uis fieri alteri non facias: Minor patet ex Arist. 1. polit. contractus enim emptionis, & venditionis introductus: quia vnus indiget re alterius, & è contrario.

D. Thomas.

Aristot.

Tertio probatur ratione Henric. de Gad. sit Petrus qui vendat Ioanni aliquid vltra iustum pretium, Petrus ita vendendo habet aliquid a Ioanne, & Ioannes nihil habet a Petro illi correspondens, atque ita cum ista acceptio non sit gratuita, sequitur, quod Petrus est detentor alieni inuito domino, & per consequens est iniustus, & restitutioni obnoxius.

Henricus.

Quarto probatur ex illo 1. ad Thessalon. 4. Ne quis supergrediatur, neq. circumueniat in negotio fratrē suum, quoniam vindex est dominus de his omnibus. Supergrediatur, ait Paulus, vendēdo scilicet rem plus quam valeat, aut quouis

uis

nis alio modo inæqualiter per excessum rem cum illo commutando. Et D. Aug. 13. de Trinit. c. 3. Minus (inquit) ille vel seipsum intuendo, vel alios quoscumque experiendo, viliter emere, & care vendere omnibus credit esse commune: sed quoniam re vera vitium est, potest quisq; adipisci eiusmodi iustitiam, qua ei resistat. Ecce Aug. tamquã vitium iustitiæ contrarium id condemnat. Subiungit autem se scire hominem, qui multo maius pretium dedit pro quodam codice, quam venditor pretij ignarus ab eo postulasset; Multi autẽ arbitrantur hominem hunc fuisse ipsummet Augustinum.

D. August.

Demum idem probatur: quoniam, vt auctores contrariæ sententiæ confitentur, habetque ciuilis, & Canonici Iuris dispositio, si quis id, quod pretio rigoroso ad summum valebat decem, vendat pro sexdecim, restituere tenetur latitudinem totam, quæ est vltra decem, eo quod vendiderit vltra dimidium iusti pretij, ergo quo ad totam eam latitudinem peccauit contra iustitiam, alioquin si non quo ad totam latitudinem peccasset contra iustitiam, sed solum quo ad excessum vltra dimidium iusti pretij, solum teneretur restituere vnum: quidquid ergo pro ea re recipitur vltra decem totum accipitur contra iustitiam, obnoxiumq; est restitutioni: mirum quippe esset, si quis pro re valente solum decem acciperet sexdecim, teneri eum restituere sex, si vero solum acciperet quindecim ad nullam restitutionem teneri.

Ex his ergo rationibus dicendum est, quod vendens rem vltra iustum pretium qualicumque excessu, iniuste agit, nisi excusetur per ignorantiam inuincibilem, nempe quia nõ credit vendere plusquam valeat, nec credere tenetur.

Et ex hac sententia corrolarie sequitur, quod dubitans, & existens in æquilibra, videlicet, quod pretium, quo vendit, excedat valorem rei, vel non, si eo pretio rem illam vẽdat de facto peccat: ita docent Conrad. de contract. tract. 3. q. 17. in corrolario 2. concl. & Almay. in 4. d. 15. q. 2. Et ratio est: qui exponens se periculo cuiuscumq; peccati peccat, ideo exponens se periculo iniustitiæ peccat peccato iniustitiæ; sed ita dubitans exponit se periculo peccati, ergo &c. Eodem modo sequitur, quod vendens rem, & probabiliter credens, quod illud pretium excedat iustum rei valorem peccat: nam si vẽdens, & dubitans peccat, a fortiori vendens & probabiliter dubitans peccat.

Conradus. Almayn.

Ad fundamentum primæ sententiæ respondetur, & ad primum dicitur, quod neque Canonicum, neque ciuile ius id permittit tamquam licitum, sed solum ad vitandas lites, & maiora mala, id non impedit, nec concedit actionem ad id resarciendum, eo modo quo lupanaria permittuntur, non tamquam licita, sed ad maiora mala vitanda: quo fit, vt affirmari non possit, id fieri legis authoritate: quippe cum lex id non approbet, sed solum iusta de causa, nec puniat, nec impediat. In eodem etiam sensu qui defraudauit, sed nõ vltra, aut infra dimidium iusti pretij absoluitur in iudicio: quia ad vitanda maiora mala, neque punitur, neque cogitur vel rescindere contractum, vel satisfacere vsque ad limites iusti pretij, cæterum factum illius in iudicio non approbatur neque vt iustum, aut licitum pronunciatur. Panormit. tamẽ in materia de vsuris. c. in ciuitate. nu. 6. (vt inquit Almay.) dicit, quod talis vẽditio solum a iure ciuili videtur probari ex eo, quod non puniat tales vendentes, vel ementes: a iure autem canonico non probatur, ita quod si Petrus in emendo sit deceptus, quamuis infra dimidium iusti pretij, non aufertur ab eo potestas agendi coram Iudice ecclesiastico, ita quod si vendẽs sit obstinatus, & nolit desistere a peccato, quod committit in retinendo pretium iniustum, non solum potest emptor agere coram Iudice ecclesiastico, immo tenetur denunciare iudici secundum processum Euangelicum, nam ita mihi vendendo, peccat in me, atque etiam in retinendo: ergo si decipit me infra dimidium iusti pretij, nõ aufertur a me potestas agendi in ipsum coram Iudice ecclesiastico, quamuis mihi auferatur potestas coram Iudice laico: & ecclesiasticus iudex tenetur venditorem compellere etiam censuris ecclesiasticis ad restituendum quod accepit vltra iustum, vide Nauar. c. nouit. de Iudic. notab. 6. nu. 60.

Panormit.

Nauar.

Ad confirmat. negatur antecedens, quando defraudatio est cum mala fide, tunc enim lex foueret peccata, & esset iniqua, sicut iniquæ iudicaræ sunt leges ciuiles, quæ cum mala fide præscriptionem concedebant, vt supra dicebamus, atque adeo iure canonico sunt abrogatæ.

Ad secundum respondet Couar. 2. var. resol. c. 3. num. 2. Iurisconsultus eis in iuribus loqui de circumuentione intra limites iusti pretij, quæ licita est, modo fraus & dolus non interueniant, quæ semper sunt peccatum; ita tamen impropriè appellatur circumuentio, vt de se liquet. Ideo dicunt alij, quod quando dicitur naturale esse contrahentibus se inuicẽ circumuenire, non est sensus, quod sit de iure naturæ, sed dicitur naturale, quia secundum naturam corruptam, ita natũ est euenire, sæpeque contingit, vt homines ob rerum cupiditatem, quæ est illis quodammodo naturalis se inuicem decipiant, & quod dicitur licere, intelligitur permissum, vel impune: quia saltem iure humano non puniuntur tales circumuentores, quamuis diuino, & naturali prohibeantur: quod si Iurisconsulti illi censuerunt id licitum esse iure naturali, pressè, ac propriè sumpto, sanè errauerunt turpiter, sicut etiam errauerunt admittentes præscriptionem cum mala fide tam quam licitam.

Couar.

Ad primam partem confirmationis respondeo primo cũ Nauar. in Manu. c. 23. nu. 80. illud proloquium intelligi de pretio, quo vendi potest supposito loco, tempore, & modo vendendi communi &c. secluso dolo, fraude, & metu, vt colligitur ex l. pretia rerum. ff. ad legem Falcid. & Alex. ibi, & Anton. 2. p. tit. 1. §. 2. c. 16. Secundo dicitur, quod intelligitur quantum res vendi potest intra latitudinem pretij iusti: solũ enim eo intendunt pretium iustum non consistere in indiuisibili. Et ad tertiam partem dico in ea lege solum haberi, dominum suæ propriæ rei in eo sensu esse moderatorem, & arbitrum, quod potest de illa disponere in suum præiudiciũ, prout voluerit: mandatarius vero non item, sed tenetur de culpa; inde vero perperam colligitur, dominum vendere posse licitè, ac iustè rem suam vltra pretium iustum.

Nauar.

Alexand. D. Anton.

Ad fundamentum secundæ opinionis dico, quod nũquã licet accipere alienum, siue sit notabilis valoris siue nõ, nisi in eo casu, in quo probabiliter creditur dominus cõsentire, vel in eo casu, in quo tenetur dominus consentire. In duob. enim casibus tantum licet capere alienum, primus quando verisimiliter creditur, quod si dominus sciret, consentiret, secundus, si dominus præsens esset, & cognosceret, teneretur consentire, nempe in casu necessitatis, his duobus casibus exceptis, siue capiatur paruum, siue magnũ, semper est peccatum, sed non est semper mortale: quia quando paruum accipitur non est nisi veniale; atque adeo si Petrus venderet vltra iustum pretium, sed non notabiliter venialiter peccaret.

Alienum in duobus casibus capere licet.

Ad motiua Gersonis, ad primum dico, quod licet volenti, & consentienti iniuria non fiat, quando vult omnino volũtarie, fit tamen quando vult voluntarie mixte, & agitur de excessu, quem eo modo inuolũtarie dat gratis, vt ex his, quæ in materia de vsuris dicenda sunt liquido patebit.

Ad secundum dico, quod neque contractus, in quo quis decipitur, vltra, aut infra dimidium iusti pretij irritus est iure, sed conceditur actio, vt qui læsit, vel illud rescindat, vel reducat ad æqualitatem. Præterea, quod contractus de se iniustus irritus sit, vel non impertinens est, vt restitutionis obligatio consurgat, aut non consurgat, maxime in conscientiæ foro.

ARTICVLVS III.

Vtrum sint aliquæ causæ ob quas licitum sit rem pluris vendere, vel vilius emere, quam valeat.

DE hac re certum est apud omnes, quod si res venditori vtilis non est, & necessaria emptori nõ liceat eam superuendere: hoc enim esset vendere illi suam necessitatem, & vtilitatem: cuius ratio est, vt D. Antoninus adnotauit par. 2. tit. 1. c. 16. §. 13. quia tunc non ex conditione vendentis, cum nullum interesse amittat, neque ex conditione rei, quia in se non valet tantum; ergo nulla ratione pluris vendi potest.

D. Antoninus.

Secundo fatentur omnes post D. Th. & Doct. Sub. quòd si venditori res vtilis est, & necessaria, vel eam magis æstimat, licet carius vendere, quia etsi res in se tantum non valeat, idest, ex communi æstimatione, valet tamen plus vendenti ex sua æstimatione, atque adeo a contrario colligunt, quod si emptori non esset vtilis emptio, & venditori esset vtilis venditio, posset emptor vilius emere ob eamdem rationem: quia licet in se magis valeat, tamen ementi non tantum valet, quod limita, vt explicauimus supra, scilicet quando ex emptione damnum venit emptori, vel aliquod lucrũ ei cessat, quod verisimiliter alias erat habiturus, vel certe quia ei placet, cumque delectat, tũc enim priuare se ea delectatione

D. Thom. Scotus.

ctatione est pecunia æstimabile. Et ratio horum est: quia tunc non ex vi venditionis, & ratione mercis venditæ illud super accipitur, sed vel ratione damni quod incurrit, vel interesse, quod amittit, vel complacentiæ, qua se priuat.

Ratione penuria mercium potest res pluris vendi.

Tertio docent omnes, quod ratione penuriæ mercium merito potest pluris vendi, sicut & ratione abundantiæ vilius emere: quod cum grano (vt aiunt) salis intelligendum est, scilicet in rebus non habentibus publicam taxationem; in his enim cum valor tantum sit naturalis, & arbitrarius, qui ex communi cursu, & æstimatione sumitur, & extante inopia, vel penuria mercium consequitur, quod pluris communiter æstimatur, ideo licet pluris vendetur: quia illud est suum iustum pretium; at vbi pretium est legitimum, non statim ob rerum penuriam augeri debet; quia quamdiu lex rationabiliter perseuerat, semper obligat, licet in particulari casu deficiat ratio legis. Ad hanc causam reducitur copia, & abundantia pecuniarum, & similiter emptorum, & venditorum, atq. etiam causa, quæ sumitur, ex tempore, & loco: quia re vera radix maioris pretij in vno, & alio loco est maior abundantia pecuniarum, & minor mercium, & maior emptorum, & minor venditorum: & similiter, quòd tempore belli. v.g. vel pestis, aut in principio, vel fine nundinarum causa est maior mercium copia, vel paucitas, &c.

Dubium ergo est, si venditor se offert sponte possit pluris vendere; an tantum possit, cum rogatur, & solum ad instantiam emptoris vendit, vt explicatum est supra. Dico primo quod ratione laboris, industriæ, periculorum, & expensarũ mercatoris, non posse rem carius vendi, quam in communi æstimatione valeat, & à fortiori, quod à lege taxatum sit: & ratio est, quia regula veri pretij non sunt dictæ circumstantiæ, nisi quando res non habet determinatum pretium ex communi æstimatione, vel publica taxatione, atque ita hanc metam transgredi non potest, cum tam lex, quam communis æstimatio ea omnia perpendant in valore assignandu. Quod si aliquando quis plures sumptus fecerit, non debet propterea excedere iustum pretium, vt se seruet indemnẽ: Hæc enim est mercatorum conditio, vt dicebamus supra, vt lucro & damno sint expositæ.

Rem carius vendi interdum licet.

Dico secũdo, quòd interdum licet rem carius vendi, atq; vilius emi ex vendendi modo, sed non semper; patet quia licet primo venditori rem vendere dilata solutione tanto plus addendo pretio iusto, postea soluendo quantum credit se in eo recuperando insumpturum; modo proponat id remittere debitori, si absque impensis statuto die soluerit, ita Nauar. c. 23. num. 83. & si dicatur, quod hoc non videtur tutũ, quia venditor potest mutare voluntatem, atque eius obliuisci, aut mori, itq; ita emptor cogeretur totum soluere, respõdet Nauar. quod omni periculo occurri potest tradente venditore schedulam subscriptam, qua promittat se tantum de pretio remissurum, si statuto die soluat, quantum iusto pretio adiecit, sine causæ remissionis expressione, ne in foro exteriori præsumatur vsurarius; Non potest tamen res carius vendi credito, quam præsenti pecunia: ex hoc solum, quòd venditor timet periculum perdendi capitale, & vilius emi ea anticipata; vt docent Sotus de iust. & iure lib. 6. q. 4. art. 1. & idem Nauar. vbi supra num. 81. quicquid dicat Medina. C. de rebus rest. q. 39 affirmans huiusmodi vendendi modum augere, vel minuere pretium propter periculum, quod contingere potest, eo quod debitor fieri potest inops, & impotens ad soluendum pretium, vel tradendam mercem, vel ingratus, & malignus, qui nolit id facere: Hoc enim Medinæ placitum, inquit Nauar. nouum est, & contra omnes Theologos, & Canonistas, imo contra ecclesiæ declarationem, quæ c. in ciuitate, de vsur. declarauit id esse illicitũ, & pericula illa non esse magis considerabilia ad augendum pretium, quam ad aliquid dandum vltra sortem mutuanti; & lege ipsa naturali, & diuina, qua vetantur vsuræ, concluditur illa non esse considerabilia in mutuo ad augendum pretium; sed quid sentiam circa hoc videbimus infra art. 3. de venditione ad tempus: Tenet tamen Sotus licitam esse emptionem lanarum anticipata solutione minoris iusto pretio, modo fiat ante annum: tenet etiam; quod mercator deferens per mare magnam mercium quantitatem potest credito vendere maiori iusto pretio, quam venderet pecunia præsenti. Quam tamen sententiam reprobat Nauar. vbi supra numero 82. tum quia noua est, & vt dicit rationes eius infirmæ, & æquè fere concludentes opinionem Medinæ, quam reprobat ac suam: tum quia tutius potuit concedere mercatoribus aliarum mercium facultatem carius vendendi propter verum interesse lucri cessantis (quam tamen eis præfatus Sotus negat) quam mercatoribus lanarum, & mercium nauticarum propter respectus, quos tangit. Nam quidquid ille dicat, certum est, vt infra magis explicabimus, licere in foro conscientiæ mercatori carius vendere propter verum interesse lucri cessantis, monito emptore, quod vere coram Deo cessat lucrari propter dilatam solutionem, tantum, quanti maioris iusto vendit ei merces ob dilationẽ, & quod si nolit emere ea conditione non emat. Qua sola ratione possent etiam defendi supradicti emptores lanarum, & venditores nauticarum mercium, si vere coram Deo interuenirent tantum de interesse lucri cessantis, quanti ob dilatam solutionem venditur: dixi in foro conscientiæ, quia in exteriori difficile excusaretur, attenta præsertim Extrau. Pij V. quam refert Nauar. c. 17. nu. 300.

Valentia.
Aragona.

Nota tamen circa id, quod diximus supra, quòd non licet ratione periculi, cui aliquãdo quis capitale exponit, aliquid vltra capitale exigere: quod oppositum docent apertè Valentia. tom. 3. disp. 5. qu. 20 de empt. & vendit. puncto 2. § de venditione cum expensis, & periculo: & Aragona de Iust. & Iure. q. 77. art. 4 diff. 2. Si tandem periculum sit morale, & peculiare, & non physicè, aut methaphysice excogitatũ. Quod etiam prius docuisse videtur Angelus in summa verbo Vsura, num. 37. & Gab. in 4. d. 15. q. 11. art. 1 §. ad idem etiam, & art. 3. dub. 4 & Ioan Maior eadem d. q. 13. in fine; quos videre poteris, & de his omnibus infra prolixior sermo.

Angelus.
Gabriel.
Maior.

Venditio in licitationib. quomodo licite fieri possit.

Tertio modus vendendi in licitationibus, seu in subhastatione, quod vulgo dicitur, All'incanto, aut proxenetis hoc est per sensales, variare potest iustum rerum pretium, ita quod emptor potest rem vilius emere iusto pretio, dummodo vendantur pretio quo in eo modo æstimari consueuerunt, vt communis vsus testatur: tum etiam quoniam dum eo modo venduntur, censetur esse defectus emptorum: quod non censetur, quando sunt in manu mercatorum, qui emptores expectant, pecuniamque suam habent in mercibus eisdem emptis, vt eis lucrẽtur: hac de causa dici consueuit, vltroneas merces, quales sunt quibus emptor quæritur, vilescere pro tertia pretij parte: quo fit, vt in his, & similibus euentibus, dum a consueto pretio in eo emendi, ac vendendi modo nõ receditur, esto recedatur a pretio, quo res communiter eodẽ tempore de manu mercatorum emuntur, & quo alio tempore, aut sub alio vendendi modo emerentur, pretium iudicandum non sit iniustum, vt rectè tradunt Caiet. 2. 2. qu. 77. art. 1. Medina de restit. q. 31. Sotus 6. de Iust. q. 2. art. 3. Nauar. in Manual. c. 23. nu. 76. & Couar. 2. var. resol. c. 3. num. 5. & alij. Hoc tamen esse limitandum putarem, vt procedat dumtaxat in rebus habentibus pretium naturale, nam si haberet legalem appretiationem, nil excusaret modus vendendi, vel pecunia emptorum, nisi forsan manifesta donatio esset: quia si lex rationabiliter perseuerat, semper obligat, etiamsi circunstantiæ sint aliquo modo mutatę, alias liceret censum instituere ad rationem vnius pro 12. si emptor rogaretur, quod est falsum.

Caietanus.
Medina.
Sotus.
Nauar.
Couar.

Dixi dummodo a consueto pretio emendi, aut vendendi, quo res vendi, aut emi consueuit eo vendendi modo: quoniam non est verum absolute id, quod dicit Medina, scilicet, quod in iis mercibus, quæ præcipue sunt in subhastatione, habet locum illud, tantum res valet, quantum vendi, aut emi potest, sed seruandus est modus vendendi consuetus, loco, tempore, &c. habet enim hoc forum suas leges, vt ipsemet Medina docet a legibus fori ciuitatis, & mercatorum differentes, atque ita quamuis vilius emere liceat in dictis licitationibus, & subhastationibus, quam currat communis æstimatio fori ciuitatis, tamen emere, quam vile quis emere potest, iniquum est: potest enim in his actionibus etiam excedi latitudo iusti pretij sicut in alijs foris, quod sanè contingere solet, vel ex ignorantia venditoris, aut emptoris, vel si plena scientia adsit ex æmulatione emptorum: sunt enim quidam ita tenacis iudicij, vt augeant, & addant pretium, ne alius rem ferat, ita vt aliquando res duplo maiori pretio, quam valeat res apud mercatorem ematur: tunc autem dubium non est, quin iniustitia committatur, & excedatur iustũ pretium, quod iudicaretur a prudentibus in hoc foro considerato modo vendendi, & copia ementium, & cupiditate emendi &c. Et in hoc casu, quando res æmulatione emptorum augetur, vltra iustum pretium non solum huius fori, sed etiam alterius communis in Ciuitate,

vendi-

venditor meo iudicio non tenetur restituere; quoniam, non quia quis rem minoris vendat, iusto pretio, vel emptor emat pluris iusto pretio ex leuitate, & imprudentia redditur iniusta venditio, aut emptio, cum in eo casu recte præsumatur donatio, cum nec ignorantia, nec necessitas, vel vlla uis, aut fraus adsit: tum etiam quia in hoc genere venditionis publicæ fere semper minoris venditur, quam valeat, sed fortuito casui subsfat, vt pluris, quam valeat, vendi possit propter contentionem, & æmulationem emptorum, & hoc auferre misero venditori, qui periculo fere communi aliquid amittendi se exponit, nimis durum videtur.

Dico tertio, translatio mercis de loco vbi est maior illius abundantia ad locum vbi est penuria, in causa est, vt pretium iustum illius accrescat. Item vendere res minutim, ac per partes eo modo, quo ij, quos propolas appellamus, idest Riuenditorij vendere consueuerunt, efficit accrescere pretium earum, vilius quippe regulariter venduntur res, quando ingens aliqua multitudo earum venditur simul, quam quando eædem res venduntur per partes.

Dico quarto, quod res carius vendi, & vilius emi potest ratione donationis admissæ, & hoc certum est apud omnes, cum scienti, & volenti non fiat iniuria: nam licet regulariter in emptionibus, & venditionibus præsumenda non sit donatio excessus, aut defectus a latitudine iusti pretij, nihilominus si contrahentes sciant valorem rerum, & neuter necessitate aliqua cum alio contrahat, neque interueniat metus, uis, fraus, aut aliud simile, præsumi tunc potest donatio; si aliquis defectus, aut excessus à latitudine iusti pretij interueniat: ita Nauar. c. nouit. de iud. notab. 6. numero 61. post Conrad. de contract. quæst. 57. & 58. & Medina de restit. quæst. 31. ad finem, quicquid aliqui dixerint, quos Nauar. citat. Secus autem esset, si quis necessitate pretius venderet, ettio alius emeret venditore ad id instigante; atque esto emens illi diceret rem plus valere, sed se nolle emere maiori pretio, nisi forte res sub illo vendendi modo non plus valeret pretio infimo, vel essent apertæ coniecturæ veri animi donandi, quod res plus valeret, quã pretium, quod pro ea datur. *Nauar. Conrad. Medina.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum Mercator, qui rem infimo pretio vendidit, & partem mercis non reddidit, quæ deerat vsque ad pretium rigorosum, restituere illam teneatur.

Petrus Nauar. PEtrus à Nauarra lib. 3. de restitut. cap. 2. dub. 4. in eam propendet sententiam in eo euentu non interuenire peccatum contra iustitiam, sed solum contra fidelitatem, neque consurgere obligationem restituendi, proponit autem casum in eo, qui cum vlnam panni pretio infimo vendere 24. argenteis, medio vero 25. & rigoroso 26. vendidissetque sex vlnas 24. argenteis; venditor vero non metitur fideliter, sed metitus est solum quinque cum dimidia, cuius pretium est 12. argentei, quos occulte accipit; aut esto, quod fideliter metiatur. 6. vlnas, aliunde tamen occultam compensationem facit duodecim argenteorum, quos accipit vltra cõuentionem, vt perueniat ad pretium rigorosum, vel ipsum parum excedat.

Ducitur autem in hanc sententiam primo, quoniam communiter Doctores dicunt licitum esse carius vendere intra latitudinem iusti pretij, siquidem seruatur æqualitas, & iustum pretium: quòd autem conuentio expressa vendendi minoris præcesserit, tantum probat, quod contra fidelitatem peccet ob dolum: non tamen contra iustitiam: neque emptor est rationabiliter læsus de excessu pretij: quia ex quo vult emere non fit ei iniuria, quòd illi vendatur pretio iusto.

Secundo, quoniam si quis iustum pretium ignorans daret 26. pro vlna, non teneretur venditor aliquid restituere: idque non alia de causa: nisi quia vendidisset pretio iusto, tametsi supremo.

Tertio, quoniam si quis coactus necessitate sciens daret, 26 pro vlna, tutus esset in conscientia venditor, at si iustum non esset pretium, non excusaretur venditor ex eo, quod alter sciens, & volens daret, eo quòd necessitate coactus daret. Si igitur in his casibus venditor est a restitutione immunis: quia non iniusto pretio vendit, ergo similiter quando pactum præcessit, siquidem tantumdem, & non plus accipit. Quod enim pactum expressum præcesserit non facit ad iustitiam dati, & accepti, sed solum ad fidelitatem, & veracitatem; qua ratione venditor peccat frangendo fidelitatem, & verba solida non faciendo.

Cæterum hæc sententia refellitur a Ludouico Molina de contract. tract. 2. disp. 351. quoniam falsa est, & peccatis, & iniustitijs viam sternit. Ne ergo Confessarios, & pœnitentes decipiat, obseruandum est primo, quòd hic Auctor non attendit emptionem, & venditionem mutuo consensu ementis, & vendentis perfici, neque tunc fieri, quando traditur merx, & recipitur pretium, sed antea mutuo consensu contractum illum fuisse consummatum: ea est autem contractus natura, vt postquam rite est consommatus ex iustitia; vtrumque contrahentium obligat, & hoc non solum conuenit onerosis contractibus, sed etiam lucratiuis. (Contractus onerosi illi appellantur, quibus onus vicissim imponitur, vt sunt emptio, venditio, permutatio, locatio, & alij similes: contractus veró lucratiui illi dicuntur, quibus absque vllo onere, vel recompensatione, ex mera liberalitate aliquid conceditur, aut promittitur, vt sunt donatio, siue à promissione, siue a traditione incipiat, acceptilatio, qua more liberaliter quippiam alicui remittitur, & commodatum, vel precarium, quo ad vsum rei, qui per eiusmodi contractus conceditur, res tamen a commodatario accipitur, cum onere, vt restituatur, & vt diligentissima custodia circa eam adhibeatur, vt suo loco dicemus.) eo enim ipso, quòd quis ex liberalitate obligare se intendens promisit, si donatarius acceptauit ex iustitia teneatur promittens implere contractũ. Quare eo ipso, quod vlnam panni viginti quatuor argenteis est vendita, quemadmodum emptor de iustitia tenetur stare contractui viginti quatuor argenteos pro vlna reddendo, ita de iustitia tenetur venditor stare contractui reddendo vlnam pro illis dumtaxat argenteis, esto infimum pretium iustum vlnæ sint. Quare si quid defraudet, vel de merce constituta, vel occulte de rebus ementis accipiendo contra iustitiam commutatiuam peccat, restituereque tenetur, neque vllus vnquam fuit, qui contrarium asseruerit, & vere affirmare potuerit. *Molina.* *Contractus onerosi, qui sint quiue lucratiui.*

Secundo obseruandum est, hunc Auctorem haud obseruasse, quod quando quis non stat pacto, seu contractui ex iustitia obligãti, qualis est emptio, vel venditio dupliciter peccare, contra iustitiam videlicet dum non implet cõtractum, vt ex iustitia tenetur, & illud transgreditur, quod ex suo genere est culpa lethalis, & contra fidem, seu fidelitatem datam, quæ fundamentum est iustitiæ, & latius quam iustitia patet. Immo Caietan. 2. 2. quæst. 113. arti. 1. arbitratus est, quando fides in tali contractu datur, distinctam non esse a iustitia: qua ex eo contractu quis tenetur, & infidelitatem distinctam similiter non esse ab iniustitia, qua eidem contractui non statur. *Qui non stat pacto dupliciter peccat.* *Caiet.*

Postremo obseruandum est, quod idem Auctor non aduertit, aliud esse, interim dum contractus celebratur, integrum esse vtrique contrahentium non velle cum altero conuenire nisi in quo pretio ipse maluerit intra latitudinem iusti; aliud vero postquam contractus est celebratus, & mutuo consensu in pretio certo intra latitudinem iusti conuenerũt, iustitiam non pati aliquid insuper pro merce occulte accipi, id enim procul dubio est iniustitia, quin est furtum est: si enim taxatio pretij per publicam potestatem tantam vim habet, vt acceptio maioris pretij pro merce iniustitia sit, cum restituendi onere, quanto magis id efficiet cõtractus emptionis, & venditionis mutuo vtriusque consensu in aliquo certo, & determinato pretio infra latitudinem iusti consumatus, atque perfectus?

Arguitur deinde contra hanc opinionem, quin potius errorem, tali pacto, vnusquisque habet ius nolendi emere a priuato, nisi quo pretio voluerit ipse intra latitudinem iusti; ergo qui illum cogeret emere pretio medio, aut rigoroso non efflagitante id foro communi, vtique iniuriam illi faceret, & contra iustitiam peccaret cum restituendi onere: quantũ sua interesat non ita emere: ergo multo magis iniuriam illi faceret, & contra iustitiam peccabit, atque ad restitutionem tenebitur, qui postquam emptor suo iure est vsus, mutuoque consensu pretio infimo emit occulto ab eo accepit vsque ad pretium rigorosum.

Præterea data ea opinione, concedẽdum esset, quòd qui

dontum,

domum, equum, aut quamuis aliam rem vendidit, si cōpetiat rigorosum pretium non accepisse, posset sine iusto salrem iniustitiæ, & restituendi onere occulte compensare vsque ad pretium rigorosum, hoc autem quam sit falsum, quis non videt? & quot malis in repub. atque Ecclesia ostium aperiat?

Ad primum ergo Petri Nauar. argumentum, dico maiorem inducere limitationem, & minorem esse falsam: vera est enim maior, si intelligatur interim dum celebratur contractus, sed esset falsa, si intelligeretur postquam mutuo consensu pro infimo pretio contractus iam celebratus est, & in hoc sensu falsa est absolute minor; nempe ex conuentione expressa præcedente vendeudt minori pretio, seu potius ex contractu venditionis minori pretio consumato mutuo consensu, solum concludi peccatum contra fidelitatem, & non contra iustitiam.

Id vero, quod subiungit emptorem scilicet rationabiliter non esse inuitum de excessu pretij &c. falsum proculdubio est, non solum si intelligatur post perfectum contractum minori pretio, sed etiam absq; ipsius consensu occulte efficeretur emere maiori pretio: non vero si venditor non aliter celebrare vellet cum eo contractum, nisi maiori pretio.

Ad secundum dicendum est, totum quod assumitur esse verum, dum contractus celebratur, consequentia autem est nulla, si inde inferatur idem esse, si occulte accipiatur maius pretium post contractum minori pretio celebratum.

Ad tertium similiter dicendum est, totum quod assumit esse verum: quia sermo est dum contractus celebratur; consequentia vero est nulla, qua infert idem esse, si post celebratum contractum occulte accipiatur maius pretium intra limites iusti: nam præcessisse contractum in causa est, vt iniustitia in eo committatur.

ARTICVLVS V.

Vtrum emptio, & venditio valida sit, in qua dolus interuenit.

PRo huius difficultatis perspicua solutione, obseruādum est primo cum Conrad. de contract. in summario totius operis in additione post summarium. quæst. 57. quod venditor decipiat emptorem, dupliciter euenire potest, priori modo in hoc, quod ei mercem vitiosam, vel morbidā vendit, de qua deceptione erit sermo in sequenti articulo, altero modo in hoc, quod inducit eum ad emendum id, quod alias non erat empturus, vel superuendidit sibi mercem, scilicet carius, quam re ipsa valeat, atque ita decipit eum in pretio.

Vēditor duobus modis potest emptorem decipere.

Secundo obseruandum est, quod deceptio fieri contigit bifariam, vno modo ignorantia decipientis, vt si quis existimans se vendere rem iusto pretio, illam vendat plus, quam valeat, & deceptio hæc dicitur re ipsa interuenire, & non à proposito; altero modo cum scientia, quòd alius decipiatur, quæ deceptio dicitur esse a proposito, vt si quis sciens rem minus valere, rem vendat plus, quam valet. Et hoc duobus modis euenire potest, aut dolo interueniente, aut sine dolo: non enim est intelligendum, quod eo ipso, quod Petrus scienter seu a proposito, vendet rem plus, quā valeat, dicatur, in præsenti materia loquendo, eam dolo superuendere, quamuis dici possit, quod res ipsa contineat in se dolum, etiam si non a proposito fieret, secundum Hostiensem. Vnde si Petrus tenendo forum rerum suarum non agit, aut dicit aliquid, quo Ioannem prouocet ad emendum eas: immo Ioannes nihilominus eas fuisset empturus, esto quod Petrus tale quid diceret, aut ageret, quo intereum prouocare Ioannem: sed quia Ioannes non illis, sed alijs ex causis promotus fuisset res illas emere, non diceretur Petrus decipere Ioannem dolo interueniente, quantumcumque sciret se rem illam vendere plus, quam valeat, vt si diceret, tanti vendo eas, emas si placet. Ex opposito autem dolus interuenit, si aliquibus falsis propositis, Ioannes ad aliquid emendum adducatur, aut adducatur ad emendum id plus, quam valeat; vel si aliquid fiat, vt emptor decipiatur, quale esset mittere argentum viuum in aures iumenti vendendi, vt ea ratione viuacius appareret; vel re aliqua contegere defectus illius, vt ab emente non agnoscantur; vel denique si facto, aut verbis deceptionis occasio ementi præbeatur, aut non detegatur ei aliquid, quod venditor quasi ex officio detegere ei teneatur, iuxta ea, quæ articulo sequenti dicenda sunt.

Deceptio potest bifariā fieri.

Hostiens.

Tertio obseruandum est, quod duobus modis potest dolus in contractu interuenire, vno modo, ita, vt det causam contractui, adeo quod dolus est in causa, quod fiat contractus. Altero modo, ita vt non det causam contractui, sed in contractu ipso incidat. Dicitur autem dolus dare causam contractui. Verbi gratia, emptionis, quando emens non erat rem empturus, nisi dolo ad illam emendam fuisset inductus, vt si rem aliquam emat, quia falso dictum ei fuit vtilem esse ad id, ad quod vtilis non erat, quam tamen non emisset, si id ei dictum non fuisset: vel si vinum emat, quia mentitum illi fuit esse plurium annorum, aut ex aliquo loco, quod tamen non emisset, si sciret non esse tot annorum, vel esse ex alio loco, in his enim & similibus euentibus dolus dat causam contractui; Tunc autem dolus incidere dicitur in contractu, quando emptor erat quidem empturus eamdem rem, sed non tanto pretio, nisi dolo fuisset ita inductus, vt si dum vult emere mercem, commendatur sibi a venditore plus, quam valeat, vel sibi dictum fuit, quòd prius etiam tanti eam vendidit, vel quod alius sibi tantumdem dare voluisset.

Dolus duobus modis in contractu interuenire potest.

Quarto obseruandum est, quod si dolus dat causam contractui, hoc potest fieri dupliciter: quia vel dolus committitur ab ipsomet venditore, vel ab aliquo tertio, tamquam a mediatore habente se per modum proxenetæ, & idem intelligendum est, quando dolus interuenire dicitur in ipso emptionis contractu: quia vel interuenit per ipsummet venditorem, vel per alium, participante tamen venditore in dolo, vel interuenit per tertium aliquem, vt per proxenetam, vel aliquem alium, venditore in illo non communicante.

Dolus duobus modis potest dare causam contractui.

His obseruatis, dico primo, quando dolus dat causam emptioni, aut venditioni, contractus neque in conscientiæ, neque in exteriori foro valet, sed in decepti fauorem, est ipso iure nullus, esto deceptus non sit vltra, aut infra dimidium iusti pretij, immo vero esto contractus alioquin sit vtrinque æqualis: quod si deceptus velit nihilominus stare contractui, decipiens dissoluere illum non potest, sed cogitur illi stare. Hæc conclusio est Angeli in verbo dolus numero nono. Conradi loco supra citato, & Medinæ de restit. quæst. 33. & intelligitur præcipue de omni contractu bonæ fidei, & probatur prima pars primo quoad forum conscientiæ: quoniam quando aliquis extractus est in foro conscientiæ validus, & tenet, tunc vltro, citroque oritur obligatio, vt patet ex definitione contractus habita supra, sed in præsenti casu, non oritur obligatio ex parte ementis in foro conscientiæ, igitur prædictus contractus est dicendus nullus, minor probatur: quia nemo incurrit obligationem priuatam nisi intendat, & velit se obligare, atque ita consentiat in obligationem iuxta ea, quæ docet Doct. Sub. in 3. dist. 39. de iuramento doloso; sed in prædicto casu emens non intendit se obligare: quoniam sic deceptus consensurus non erat in contractum, vt supponimus, & per errorem consensit, venditore cui consensit consensum extrahente per dolum, atque iniustitiam; atque adeo cum error inuoluntarium in re proposita causet: consequens est, vt non magis efficax sit ad obligandum stando in foro conscientiæ, ac iure naturali, quam consensus extortus per uim, & metum, de quo supra ostendimus non obligare.

Angelus.
Conradus.
Medina.

Scotus.

Et confirmatur, quia Ricardus in quarto distinctione trigesima octaua, articulo primo, quæstione prima, dicit, quod si quis fecit se ordinari ab illo, quem credidit ordinem posse conferre, vt pote quia credit eum Episcopum esse, & non est: si vouit castitatem, quia credit se recipere sacrum ordinem, quòd nisi crederet, castitatem non voueret, talis non consensit absolute in votum castitatis: vnde postquam sibi notum est, quod ille ipsum ordinare non potuit, non obligatur voto castitatis, sed posset licite matrimonium contrahere: quia error circa principale motiuum alicuius facti impedit consensum in ipsum factum; hæc ille: & idem tangitur in Gloss. in c. vnico de voto, & voti red. libro 6. in verbo approbatis; ergo eadem ratione ita erit in proposito, vbi emptor dolo vēditoris inductus credidit mercem eius valere ad talem effectum, atque ideo emit, nullatenus alias empturus, non tenetur in foro conscientiæ stare contractui, ex quo veritas illius causæ deficit: videtur enim

Ricardus.

Error circa principale motiuum alicuius facti impedit consensum. Glossa.

causa

cauſa illa tacitè, & virtualiter tranſiſſe in conditionem; atque ita illa non extante, non extat, quod ſub conditione actum eſt.

Probatur ſecundo, quòd nec etiam teneat in foro ſoli ex. l.ſi dolo. C.de reſcindenda vendi. lege 3.§.vlt.ff.pro ſocio.l. dolo, vel metu. C.de inutil. ſtipul.iunctis gloſſis eiſdem in iuribus: Idemque affirmat Bartol. cum Gloſ. in l.eleganter. ff.de dolo; & Auctores ſupra citati; atque Couar. regul.poſſeſſor.parte ſecunda, quæſtione ſexta,numer.6.

Bartolus. Gloſſa. Couar.

Dixi, quòd concluſio intelligitur præcipuè in contractibus bonæ fidei: quia in contractibus ſtricti iuris tenet contractus, ſed agens ex eo eliditur ope exceptionis. ff.de verborum obligationibus,l.ſi quis cum aliter. & C.de pactis,l. cum poſtea; Hæc Angelus vbi ſupra. Baldus tamen dixit in capitulo primo, in vltima columna, de plus peti, quòd iure canonico omnes contractus ſunt bonæ fidei, quantum ad effectum, cum ſemper de iure canonico dolus dans cauſam cuicumque contractui redditur ipſo iure nullus; quia non inuenit textum de iure canonico facientem ſubſtantialem differentiam inter contractus bonæ fidei, & ſtricti iuris; & iſte modo §.actionum. Inſtitut.de actionibus, non habeat effectum de iure canonico.

Angelus. Baldus.

Cæterum licet hoc dictum Baldi ſit pulcrum, tamen ego dubito: quia quando non tractatur de materia peccati, aut de materia ſpirituali, ius ciuile quod non reperitur immutatum per ius canonicum procedit etiam in foro canonico; ita notant Doctor. in capit.finalt. de ſolut. & in capitulo primo, & ſecundo de oper. nou. nunc. Intellige ergo dictum Baldi, quando non tractatur de materia peccati, aut materia ſpirituali.

Obſeruare etiam debet, quòd propoſita concluſio locum habet in contractibus bonæ fidei oneroſis; cæterum in matrimonio locum non habet;ſi enim quis per dolum,qui cauſam dat contractui, cum aliqua contrahat affirmans ſe habere diuitias, aut eſſe nobilem, vel habere alias qualitates, quas non habeat, ſanè interim dum dolus errorem non cauſet in perſonam,aut conditionem libertatis,validum eſt matrimonium propter naturam, indiſſolubilitatem, ac priuilegia illius contractus.

Dico ſecundò, quando dolus dat cauſam contractui, non ſolùm eſt ipſo iure nullus in fauorem decepti, ſed etiam decipiens tenetur decepto ad damna omnia tam lucri ceſſantis, quàm damni emergentis ex eo contractu decepto ſubſequuta, ita docet Conrad. loco ſupra citato, & Doctores communiter; & poteſt facile probari: quoniam decipiens cauſa eſt iniuſta omnium illorum damnorum ob ſuum dolum, ac culpam, ergo tenetur ad reſtitutionem illorum omnium iuxta, capitulo. ſi culpa. & de iniurijs, & damno dat.

Conradus.

Dico tertiò, quando dolus quidem dat cauſam contractui, ſed adhibetur à quodam tertio, non communicante altero contrahente in dolo, validus eſt contractus, datur tamen decepto actio aduerſus tertium, qui dolum adhibuit, vt habetur expreſſe. l.2. ff. de proxenetis. & in. l.eleganter. & in Gloſ. capitul.cum dilecti.de empt. & vendit. conueniunt in hac concluſione Angelus, Contadus, & Medin.locis ſupra citatis.

Angelus. Conradus. Medina.

An autem ſit validus tantum in foro exteriori, vel etiam in foro conſcientiæ, Contad. & Med.affirmant in foro conſcientiæ, & ſtando in ſolo iure naturali, contractum eſſe nullum; quoniam cum error tollat voluntarium, & deceptus te vera non præbuiſſet conſenſum,niſi dolo ad præbendum conſenſum fuiſſet adductus, vtique conſenſus ille non habet tantum voluntarij, quantum eſt neceſſarium ad obligandum contrahentem; dicunt tamen humanum ius potuiſſe propter commune bonum, vim illi contractui tribuere, vt eſſet validus, nihil impediente, quòd id voluntarij deeſſet.

An autem contractus ille re ipſa vim habeat in foro conſcientiæ, vt alter contrahentium, nempè venditor tuta conſcientia agere poſſit contra emptorem deceptum, vt ſtet contractui; nihil impediente, quòd de dolo tertij ipſi conſtet, dicunt hoc pendere ex mente humanæ legis. Si enim, inquiunt, mens Legiſlatoris fuit denegare ſolùm actionem vtrique contrahentium ad eum contractum diſſoluendum, atque permittere actionem aduerſus deceptum ad illi ſtandum eo modo, quo actio permittitur aduerſus deceptum, non vltra, nec infra dimidium iuſti pretij, tunc aiunt alterum contrahentium non poſſe tuta conſcientia agere, & cogere deceptum ſtare contractui, eo quod contractus ille ſit re ipſa nullus in foro cõſcientiæ. Si verò, inquiunt, mens Legiſlatoris fuit, tribuere vim contractui illi, vt validus eſſet omnino, tunc agere tuta conſcientia poſſe, & cogere deceptum ſtare contractui,quia validus re ipſa eſt in foro cõſcientiæ. Quæ autem fuerit mens iuris humani, hac de re Cõrad. definire non audet. Medina vero arbitratur mentem fuiſſe, tribuere illi vim, vt validus eſſet in foro conſcientiæ, atque adeo tuto poſſe cogi deceptum illi ſtare.

Dico quarto. Quando dolus fuit quidem a contrahente commiſſus,ſed ſolùm incidit in contractu,quia alter emptutus v.g. erat rem,ſed non tanto pretio,tunc tam in conſcientiæ, quam in exteriori foro validus eſt contractus, ſed datur actio decepto,etiãſi non vltra dimidiũ iuſti pretij ſit deceptus ad repetendum, quod ratione doli plus dedit, probatur concluſio ex Gloſſ.l.eleganter in principio ff.de dolo, & Gloſſ.cap.cum dilecti de emptione & venditione,iuxta textum in l.Iulianus.§.ſi venditor. ff. de actione emptione, & l.ſi quis affirmauerit.ff.de dolo,in eumque conueniunt Angelus,Conradus,Medina locis ſup.citatis,& Syluester verbo. culpa q.7.& DD.communiter. Ratio autem eſt, quare contractus validus in vtroq; foro ſit: quoniam dolus nõ fuit cauſa contractus: quippe cum contractus futurus erat, etſi dolus non interueniſſet, fuit tamen cauſa exceſſus pretij, & idcirco ſolũ eſt inualidus, quoad id,cuius dolus fuit cauſa, atq; adeo reſtituendum eſt non ſolum, quod vltra pretium rigoroſum acceptum eſt, ſed etiam quicquid per dolum acceptum eſt ſupra pretium, quod venditor re ipſa erat iuſte accepturus, totum quippe eiuſmodi incrementũ iniuſte per dolũ fuit extortum, imo dico cum Conrad. Med. & Coua.2. va.reſo.c.4.n.11.quod decipienti non datur actio, vt reſcindere poſſit contractum, vel reducere illum ad æqualitatem, vt ipſe maluerit, ſicut datur, quando aliquis ſine dolo alium defraudauit, aut vltra, aut infra dimidium iuſti pretij, licet Angelus & Syluest. locis ſupra citatis contrarium doceant quoniam iura nihil ſtatuunt in fauorem doloſi, id verò magnus eſſet fauor, quo non leue commodum ex ſuo dolo reportaret. Quare quando dolus incidit in contractu, ſicut deceptus reſcindere illum non poteſt non conſentiente decipiente, ita neque decipiens poteſt eum reſcindere decepto non conſentiente, ſed tenetur ad pretij exceſſum, quem dolo accepit.

Angelus. Conradus. Medina. Syluester.

Couar.

Dico quinto. Quando dolus cauſam dedit contractui ſtricti iuris, validus eſt contractus in foro exteriori, conceditur tamen decepto exceptio, quod dolus cauſam dederit contractui, vt vi talis exceptionis non cogatur implere, ſi quid contractus reſtat adhuc implendum. Item ſi poſt contractũ impletũ deceptus in aliquo ſit damno, conceditur ei actio de ſo lo aduerſus decipientem, vt damnum reſarciat, ita Gloſ. in l. eleganter. in princ. ff. de dolo. & Gloſ. c. cum dilecti. de emp. & vendit. Ange. Syluest. & Conrad. locis ſupra citatis, imo eiuſmodi contractus eſt ipſo iure in foro conſcientiæ nullus, & tenetur doloſus ad reſciſſionẽ illius, ſi deceptus ita velit, eo quod conſenſus per dolum, & iniuſtam extractus ſufficiens non eſt ad obligandum deceptum, atque expediens eſſet, vt idem in exteriori foro ſanciretur.

Gloſſa. Angelus. Syluester. Conradus.

Dico ſexto, quando dolus incidit in contractu ſtricti iuris, validus eſt in conſcientiæ, ac exteriori foro iuxta ea, quæ concluſione quarta de contracti bonæ fidei ſimiliter dicta ſunt. Cæterum quamuis in conſcientiæ foro teneatur doloſus reducere contractum ad æqualitatem, in foro tamen exteriori ad id non cogatur, ſed ſolum admittetur exceptio de dolo, ſi contractus ex parte decepti nondum ſit integre impletus, ſi verò impletus ſit, conceditur decepto aduerſus decipientem actio de dolo, vt reſarciat damnum allatum iuxta ea, quæ præcedente concluſione dicta ſunt, lege Conrad. loco citato, & iura, quæ citat.

Vt autem, quæ dicta ſunt ad praxim conſcientiæ reducamus, diſtinguendum eſt, quod aut quis decipitur ab ignorante altero contrahente, & tunc ſi nulla inæqualitas in contractu oriatur, quia nulla facta fuit trãſgreſſio iuſti valoris, contractus in vtroq; foro eſt validus, ac minus, in quo nullã mutationẽ fieri neceſſe eſt. Si vero inæqualitas oriatur, vel acceptum fuit vltra pretium rigoroſum, vel datum eſt infra piũ, ac infimum, & tunc reduci in foro conſcientiæ debet ad æ-

qualitatem solum circa limites iusti, atque etiam in exteriori, si transgressio fuit infra, aut vltra dimidium iusti pretij.

Si autem deceptio sit sciente quidem altero contrahente, sed sine dolo, nec subticente, quæ manifestare tenebatur, tunc eadem prorsus dicenda sunt, quæ proximè diximus, quando ignorante altero contrahente quis fuit deceptus.

Quod si mendacia, aut dolus interuenere, distinguēdum est: quoniam vel dolo, & mendaciis inductus alius ad contrahendum, aut ad augendum pretium, seu recompensationem: vel non, quia fidem non adhibuit sciens id esse consuetudinem celebrantium similes contractus, aut esto illa non adhiberentur, similiter contraxisset; & tunc idem prorsus dicendum est, quod in duobus superioribus casibus; eo quod dolus adhibitus, nec fuit causa contractus, neq. augendi recompensationem, aut minuendi de illa.

Atque hinc sæpe mercatores mentientes, aut iuramento affirmantes, vel rem plus valere, vel carius illā emisse, multaq. alia confingentes, tam vt vendant, aut carius vendant, quam vt emant, aut vilius emant, excusabuntur tum ab onere rescindendi eiusmodi contractus, tum etiam a restitutione partis eius, quod ita acceperint. Quando mendaciis, aut aliis dolis inductus quis ad contrahendum, aut ad augendum pretium, vel recompensationem dicitur dolus interuenire in contractu in sensu, in quo hactenus in hoc articulo sumus loquuti. Quod si dolus dedit causam contractui, inualidus in foro conscientiæ, si ita velit, atque etiam in foro exteriori, si contractus fuit bonæ fidei, esto nulla ex illo sit orta inæqualitas; vt conclusione prima dictum est.

Obseruandum est tamen, quod quando nulla est inæqualitas regulariter non est culpa lethalis eum contractum nō rescindere, neque obligatio regulariter consurgit aliquid restituendi sub culpa lethali; atque adeo a lethali culpa, & a restituendi onere sub culpa lethali excusabuntur, qui mentientes vinum esse plurium annorum, aut esse vnius loci, illud vendiderunt ei, qui si sciret non esse tot annorum, aut non esse illius loci, illud omnino non emisset, aut nō tanto pretio: quando vinum in se computatis omnibus circunstantiis erat æque bonum, & æqualis valoris, ac etiam quando non tanti illud emisset, & pretij incrementum non esset tantum, quantum ad lethalem culpam requiritur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum venditor teneatur dicere vitium mercis sub peccato, & restituendi reatu.

Vitiū quot modis cōtingat esse in re quæ venditur.

VItium, seu defectus rei, vt supra diximus, aliquando est in substantia, vt si auricalcum pro auro vendatur: aliquando in quantitate, vt si mensura, aut pondus imminuta sint: aliquando in qualitate, vt si equus morbo aliquo, aut vitio alio laboret, quo notabiliter inutile ad id reddatur, ad quod emitur. Item siue vitium sit in substantia, aut in quantitate, siue notabile in qualitate, cōparatione vsus ad quem res emitur, ita vt minus vtilis notabiliter res ad id sit, ad quod emitur: distinguendum est: quoniam vel vitium est patens, vt si equus sit monoculus, hoc est vnius oculi, & domus, quæ venditur diruta sit: vel est occultum.

D. Thom.

Secundo obseruandum est cum Diuus Thomas 22. q. 77. artic. 3. & 2. quol. q. x. quod defectus ille, aut potest vergere in damnum, & periculum emptoris, aut non: si in periculum, vt pote: quia per defectum huiusmodi vsus rei impediretur; vt quia equus est stricti pectoris, & deficiens in anhelitu. ita quod laborem, vel cursum continuare non potest; aut vsus eius redditur noxius, vt si Bos fuerit cornupeta; aut cibus vendendus fuerit corruptus, aut venenosus; vel si vergit in damnum emptoris: quia scilicet non nihil detraheret pretio propter huiusmodi defectum. Si vero defectus rei occultus non vergit in damnum, aut periculum emptoris, quia nempe vsus rei non impeditur simpliciter, & si non competit emptori, potest tamen aliis competere.

Angelus. Panorm.

Tertio obseruandum est cum Angelo in verbo, emptio. §. 8. post Panor. in cap. iniustum, de rc. permu. quod defectus aut est talis, quem, si sciret emptor, nullo modo emeret, vt quia equus habet talem defectum, quod emptor, si illum cognosceret, potius staret sine equo. Aut vero emptor sciens rei defectum, nihilominus illam emeret, licet libenter minus, sed nullum damnum, vel periculum imminet emptori, & emptor est industrius.

Venditor quādo teneatur vitium rei dicere emptori.

His obseruatis, dico primo, quod si vitium non est patens, vendens autem illud sciebat, emens vero nequaquam, & vitium illud potest vergere in damnum, & periculum emptoris, tenetur venditor vitium sibi notum dicere emptori; & non reuelans tenetur emptori ad omnia damna inde subsequuta; vt si vendiderit ouem morbidam, quæ alias infecit, aut mancipium, quod furem esse sciebat, tenetur ad furta, & alia damna sequuta etiam lucri cessantis; ita habetur expresse l. Iulianus. in principio. ff. de action. empt. l. si vina. 2. ver. plane. ff. de peri. & commod. rei vend. l. 1. C. de ædelitiis action. Idemque affirmant Diuus Thomas 2. 2. q. 77. art. 3. Gab. in quarto distinctione decimaquinta quæstione decima artic. 3. dub. 1. & Doctores communiter; & ratio est, tum quia venditor eo ipso, quo rem suam exponit vendendam, tenetur quasi ex officio vitia rei notabilia manifestare, ne emptor decipiatur, vt dicit Diuus Thomas tum quia dare proximo occasionem damni, aut periculi semper est illicitum; atque adeo si venditor vitium tale non detegat, venditio nedum est illicita, & dolosa, & venditor tenetur ad recompensationem damni; sed etiam in foro conscientiæ nulla, & in foro exteriori datur emptori actio redhibitoria, vt vocant, hoc est, ad rehabendum suum pretium, & restituendam rem. Ex hac conclusione infertur, quod qui scienter rem litigiosam vendit ignoranti tale vitium illius, tenetur restituere damna omnia, etiam lucri cessantis illi subsequuta.

D. Thom. Gabriel.

Dico secundo, quod si defectus est talis, quem non manifestat venditor, quem tamen si cognouisset emptor, nullo modo rem illam emeret; tenetur venditor ad omnia damna inde subsequuta; & contractus emptionis in foro conscientiæ est nullus: Si vero rem erat empturus, sed pretio minori, contractus in vtroque foro est validus, sed venditor restituere tenetur emptori quantum rem minus erat empturus; atque datur proinde in exteriori foro emptori actio, quam iura, quanto minoris vocant, ad repetendum a venditore, quantum minus rem illam erat empturus; prima pars probatur, nam qui sciens vendit rem vitiosam ignoranti vitium illius, censetur admittere dolum aduersus emptorem, & peccat contra iustitiam, vt ex dictis in superiori articulo patet: quare, si huiusmodi dolus causam dedit contractui; quia emptor non erat empturus rem, si vitium fuisset sibi detectum, contractus est nullus in conscientiæ, & in exteriori foro, vt ibi de conclusione prima ostensum est: neque ex eo quod ius ciuile concedat emptori redhibitoriam actionem rescindendumque iubeat contractum, colligi potest, contractum esse validum in foro exteriori, sed esse rescindendum: Rescissio enim (vt optimè notat Glossa lege eleganter) non semper est ad nullandum contractum, quasi de iure validus sit ante rescissionem; sed aliquando est ad reuocandum factum, hoc est, ad venditorem cogendum, vt restituat pretium, quod accepit reaccipiendo rem, quam pro eo dedit, eo quod contractus de iure esset nullus; quod bene nota. Secunda pars probatur; quoniam si emptor rem quidem erat empturus, sed minori pretio, censetur dolus incidere in contractu: atque adeo contractus in vtroque foro est validus, sed venditor restituere tenetur venditori tantum, quanto rem minus erat empturus: vt in præcedenti articulo conclusione quarta visum est.

Glossa

Dico tertio, quod si venditor rei vitium ignorabat non affectata, & crassa ignorantia, non peccat tunc vendendo eam, & non propalando eius defectum, etiam si pro tanto pretio, ac si esset non defectuosa venderet: quia probabilis ignorantia facti excusat: atque adeo si probabiliter ignorat illum defectum, non peccabit: quia si peccasset in tali venditione hoc maxime esset, quia rem defectuosam vendidit: dixi notanter non affectata, quia talis non excusaret eum. nam ignorantia affectata æquiparatur

scientiæ:

scientiæ: Dixi secundo non crassa, quia quando aliquis per vincibilem ignorantiam non manifestaret id vitium, quod manifestare tenebatur, vtique peccaret, vel etiam lethaliter, si inde notabile nocumentum proximo eueniret; præsertim si res, quæ venditur nociua esset, & teneretur venditor non solum ad restitutionem eius, quod ea res ob tale vitium minus valebat, aut ad contractus dissolutionem; sed etiam ad restitutionem damnorum inde subsequutorum, quandoquidem ipsius culpa subsequuta sunt, vincibili ignorantia minimè eum a culpa excusante: nam tenetur venditor eam facere diligentiam, vt defectus mercium cognoscat, quam quilibet suæ professionis in tali euentu faceret; atque adeo a peccato non excusatur, etiam si non pro excessiuo pretio vendiderit; quia sua interfuit defectus illos scire.

Dixi tandem tunc vendendo: quia si postea comperiat rem esse defectuosam, peccaret, si nollet alterum illorum facere, scilicet, aut recipere mercem, & restituere pretium, aut, si emptori placuerit, retinere mercem, & idem placeret venditori tantum restituere, quanto plus iusto accepit, secūdum quantitatem defectus, & hoc intelligas, si emptor rei defectum cognouisset, non fuisset empturus. Si autem nihilominus emisset, etiam si illum defectum cognouisset, quamuis non pro tanto pretio, sed solum pro pretio proportionabiliter secundum defectum diminuto; debet emptor mercem retinere, & venditor non tenetur recipere mercem, & restituere pretium, sed tenetur restituere emptori illam partem pretij, quam super accepit, & ratio est, in primis ex ipsa rei natura; quoniam nefas est pro re habente vitium occultum tantum accipere pretium, quantum si vitio careret, quandoquidem ex natura rei non tantum valet; tum etiam quia lex positiua merito id statuit. Si tamen res vendita esset ager ad pastum, qui herbas pecoribus nociuas haberet, tunc datur redhibitoria, etiam si vitium venditor ignoraret, vt habetur l. penultima C. de edili actio. & in l. Iulianus. §. 1. ff. de act. empt. Additur, si quis ignorans seruum suum fugitiuum, aut furem esse, illum vendidit licet in neutro euentu ad dāna sequuta teneatur: Quando tamen ille erat fugitiuus, tenetur reddere quantum minus valebat seruus ille cum illo vitio, quando vero erat fur ad nihil teneri.

Et reddit textus rationem: quia licet vtrumque vitium animi sit, & non corporis, nihilominus retinere apud nos possumus seruum furem, fugitiuum vero non item; eaq. de causa venditor in fugitiuo, quasi de euictione reddere tenetur, quod minus eo vitio valet.

Si tamen, inquit textus, ignorans quis seruum suum esse furem, illum vendidit asseuerans fidelem esse, tunc reddere tenetur quantum minus valet cum eo vitio: quoniam non debet ex leuitate affirmare, quod ignorabat, suaque affirmatione emptorem decipere.

Vitium animi a vitio corporis differt. Obseruandum est tamen hoc esse discriminis inter vitia animi, & corporis: quod venditor emptori tenetur de vitio corporis: de vitio vero animi non tenetur, nisi id in pactum deducatur, & venditor promittat, si iumentum, aut seruus tale, vel tale vitium animi habere comperiatur, rescindet vēditionem, aut restituet quantum minus ea de causa iudicatum fuerit valere. Vitia autem animi sunt, si equus sit timidus, si iumentum sit malitiosum, recalcitret, & his similia, & l. Iulianus explicatur, si venditor ea vitia sciebat, teneri eum non solum de illis, sed etiam de omnibus damnis inde subsequutis, non secus, ac si vitia essent corporis; si autem illa ignorabat, teneri actione, quanto minoris de vitio fugitiui; de vitio vero furis non teneri, nisi asseruerit illum fidelem esse.

Dico quarto; Si quis putans rem esse vitiosam eam vendat minori pretio, quam valeat: vt si vendat gemmam pretiosam arbitratus esse vitrum, vel aliud vile: tenetur emens siue sciens, siue id ignorans dum rem emerit, augere pretiū vsq. ad limites infimi iusti: ita D. Thom. 22. q. 77. ar. 2. Conrad. de contract. q. 54. Medina, Sotus, Syluest. Nauar. & Doctores communiter. Nec placet, quod Caiet. in Sūma, verbo empt. 2. ait, scilicet, quod si quis sciens valorem gemmæ, illā emat a rustico, qui valorem illius ignorat, rusticum monēdo se velle eam habere bona conscientia, ac sine scrupulo, ac proinde videat, ac sibi condonare velit, si quid amplius ea res valeat; tunc posse sana conscientia illam ab eo emere longe minori pretio, quam valeat, non explicando illi valorem illius, si rusticus respondeat se id condonare: hæc, inquam, Caiet. sententia non placet: quia procul dubio dicendum est emptorem illum teneri ad restitutionem iusti, eo, vsque ad integrum rei valorem infimum: ita namq. palliata obtentio donationis eius, quod res plus valet, non habet tantum voluntarij propter rustici ignorantiam, quantū est necessarium, vt donatio sit valida.

D. Thom. Conrad. Medina. Sotus Syluest. Nauar. Caiet.

Id tamen placet, quod Caiet. ibidem docet: nempe si tam emptor, quam venditor ignorent valorem rei, & quasi fortunæ se committentes, ita paciscantur de pretio; quod siue res plus, siue minus valeat, firma, validaque nihilominus sit venditio, validam tunc esse venditionem, neutrumq. eorū ad vllam restitutionem teneri; siue postea res comperiatur longe plus, siue longe minus valere; ratio est propter periculum cui se vterque exposuit; & hoc intelligas cæteris paribus, hoc est, si tam venditor, quam emptor sagax fuerit; & non emptor sagax, & venditor rudis: nam si emptor sagax rem emeret vilissimo pretio a venditore rudi, attendens prope nulli periculo amittendi se exponere, cum verisimilitudine ingentis lucri, tunc non est emptor tutus in conscientia: sed restituere teneretur, saltem quantum æstimaretur tanta illa lucrandi spes, quam adeo vili pretio emeret.

Ex hoc etiam patet, quod emens agrum in quo sciret esse thesaurum, aut venam metalli, vel lapidis pretiosi, vt Iaspidis, aut alterius similis; is neque id detegere teneretur venditori, neque plus pretij pro eo agro dare, quam valeret, si intus non haberet thesaurum &c. Ratio est, vel quoniam, vt dicit Sotus 6. de Iust. q. 3. artic. 2. solum æstimatur, & venditur superficies agri; vel quia, quamuis dominus agri prohibere possit in eo fodere, sicut & venari; nihilominus stando in solo iure gentium, thesaurus non est domini agri, sed inuentoris: tum etiam, quia emptor emit agrum pretio communi, quo æstimatur ad vsum, ad quem vendi communiter consueuit; huiusmodi enim valor est per se valor agri illius, valor autem ratione thesauri, aut venæ latentis, est valor per accidens eiusdem agri, quem detegere non tenetur, qui emere eum agrum vult ratione communis, ac per se valoris agrorum. *Sotus.*

Dico quinto, quod si vitium occultum tempore contractus fuit ab emente cognitum, vel quia venditor illud ei manifestauit, vel aliqua alia ratione ipse illud agnouit; tunc neque redhibitoria, neque aliqua alia actio ei conceditur in foro exteriori, nisi vltra dimidium iusti pretij sit deceptus; in quo casu conceditur illi remedium legis. 2. c. de rescind. vend. In foro item conscientiæ contractus est validus; sed si pretium æquale rei non sit, tenetur venditor reducere cōtractum ad æqualitatem restituendo excessum, quem vltra pretium rigorosum accepit: hæc conclusio est communis omnium Doctorum.

Dico sexto; si venditor in celebratione contractus dicat se nolle teneri de vitio occulto, sed emptorem suo periculo debere emere rem, & venditor re vera vitium ignorabat, tunc non tenetur de vitio occulto: immo si pretium tempore contractus æquale esset, spectatis circumstantiis, & apparentia rei, atque habita ratione, quod venditor periculum vitij occulti a se reijceret, tunc esto postea comperiretur habuisse vitium, cum quo pretium erat excessiuum, ad nihil tenetur venditor, tam in exteriori, quam in conscientiæ foro, quandoquidem emptor pretio iusto emit eam rem, attentis circunstantiis, quæ erant tempore contractus, atque in se suscepit periculum vitij occulti: Dixi, si venditor re vera vitium ignorabat: quoniam si aliquod vitium agnoscebat, esto in genere diceret se non velle teneri de vitiis occultis rei; nihilominus tam in conscientiæ, quam in exteriori foro non secus tenetur, quam si nihil tale dixisset, vt constat ex lege quarto. ff. de action. empt. vbi habetur. Si quis vendidit agrum, ac dixit vendo tibi hunc agrum, & si quas habet seruitutes, teneberis ad illas, tunc si venditor ignorabat agrum habere seruitutes, & postea aliquæ comperiantur, venditorem ad nihil teneri: si vero sciebat habere seruitutem aliquam in particulari, illamque non expressit, dari aduersus illum actionem ratione talis vitij occulti, quod non expressit; nihil impediente, quod in genere dixerit se nolle teneri de seruitutibus, si quas haberet. Eodem modo si quis dicat se vendere rem aliquam cum vitio aliquo in particulari, sed illud quasi occultat proferendo alia vitia, quæ

constat eam rem non habere, perinde est, ac si vitium non manifestaret, concediturque aduersus illum redhibitoria, aut quanto minoris; vt si quis habens equum occulte claudum, dicat, vendo tibi hunc equum pro claudo, cæco, surdo, manco, &c. & pro equo habente omnia alia vitia, eiusmodi manifestatio non valet; quia videns emptor quod non erat cæcus, &c. credidit nullum vitium habere, & emit, atque adeo comperto vitio potest agere redhibitoria, vel quanto minoris; quia insidiosè expressio talis facta est. l. ea, quæ §. finali. & idem tenet Abb. in c. iniustum. dicens hoc esse notabile: quia quotidie practicatur, concordant Bart. & Bald. in c. cum dilecti. de empt. & vend.

Abbas. *Bartolus.* *Baldus.*

Dico septimo si vitium sit patens, ac manifestum in foro exteriori, nulla datur actio aduersus venditorem, nisi emptor vltra dimidium iusti pretij sit defraudatus. In foro etiam conscientiæ contractus est validus, & si æqualis sit ad nihil tenetur venditor. Intelligitur tamen nisi tempore contractus apertè venditori constaret emptorem ignorare vitium notabile rei ex se patens: nam si emptor laboraret imperitia, & ignorantia inuincibili: (quicquid immerito dicat Sotus contra cæteros) tenetur venditor vitium propalare: si res cum eo vitio notabiliter inutilis esset ad id, ad quod illam emit: quia alias iniustè damnificaret proximū: cæterum si ignorantia esset vincibilis, non teneretur venditor vitium dicere, sed emptori imputabitur in curiæ admodum crassæ.

Sotus.

Dico octauo, quod venditor vitia occulta non dicens, si iusto pretio vendat, non peccat contra iustitiam: atque ita nihil restituere tenetur: Ratio clara est, quia cum non læserit in pretio, nulla est iniuria: quod si ille cognita veritate non emeret absolutè, contractus est nullus vt diximus; si vero emeret, sed non eo pretio nihil ad rem: quia ex quo vult emere non est rationabiliter læsus, si iusto ei pretio res vendatur: atque ita non fit ei iniuria, nec est aliquid restituendum: contractus enim est validus, quamuis Sotus in superiori casu dicat contractum valere, & ita nihil esse restituendum, sed longe fallitur, & a communi sententia immerito recedit, cum magni referat, an dolus det causam contractui, vt in primo casu, vel tantum incidat, vt in secundo.

Sotus.

Dico nono, quod quando vitia non reddunt notabiliter minus rem vtilem ad id, ad quod emitur, esto sint occulta, non tenetur venditor illa manifestare, nihil impediente, si præsumat, quod si emptor eam agnosceret, non fuisset talem rem empturus, tenetur tamen detrahere tantum de pretio, vt non excedat iustum rigorosum, spectatis omnibus circumstantiis concurrentibus. Si autem vitia notabiliter reddant rem minus vtilem ad id, ad quod vendi consueuit, tenetur illa manifestare, esto præsumat empturum quidem rem illam, sed non tanto pretio. v.g. Si vendat quis seruum, qui sanus est, & neque fugitiuus, neque fur, neque ebrius, neque alio notabili vitio affectus, non tenetur manifestare esse duræ conditionis, aut segnem ad laborem, aut vini amicum, aut habere aliud simile vitium.

Ex quo infero primo, quod si Calcolarius conficiat calceos ex parte debiliori corij, non tenetur ea de re admonere emptorem: tum quia vitium sit manifestum, tum etiam quia res suo modo vtilis est ad vsum pro corij qualitate: neque enim calcei omnes possunt esse ex corio firmo: satis ergo erit, si moderetur pretium pro calceorum qualitate. Si tamen corium esset aductum, atque ea de causa calcei citius essent rumpendi, & vitium lateret emptorem, cuius non est, adeo corij qualitatem agnoscere, teneretur non solum admetiri pretium, cum calceorum qualitate, sed etiam admonere emptorem calceos quidem alioquin plus valere, sed quod corium adustum sit aliquantulum, minusque durabile, se remittere ita de pretio: & ratio est, quia ea qualitas est in causa, quod calcei citius multo sunt rumpendi: atque adeo reddit illos minus vtiles notabiliter ad vsum ad quem emuntur, supra id quod calcei ex natura rei solent habere.

Infero secundo, quod artifices non tenentur quoscunque rerum defectus detegere, quas vendendas exponunt: quoniam id esset in notabile ipsorum detrimentum, quibus multum de pretio iusto detraheretur deterritis emptoribus vitiorum manifestatione, imo esset ad modum graue onus imponere commerciis hominum; quod neque timorati ferre possent, atque esset ipsis valde nociuum: quia detegendo vitia paucissimos haberent emptores, multumque de pretio illis detraheretur; cum tamen è contra parum timorati vitia silendo multos haberent emptores. Illud tamen obseruandum est tam in exteriori, quam in conscientiæ foro, non tam attendendum esse; an res inutilis illi sit ad vsum, qui illam emit: quantum in se vtilis, vel inutilis sit ad vsum, ad quem emi solet; vnde si equus subinancus Medico seni vendatur non detecto vitio, sanè, esto illi non multum sit inutilis ad vsum, ad quem eum emit: quia tamen in se minus vtilis est notabiliter ad equi vsum; actio redhibitoria, aut quanto minoris, illi concedetur in foro exteriori, & eadem est obligatio in foro conscientiæ, quicquid Sotus, & pauci alij in contrarium dicant.

Sotus.

Dico decimo, quod si emptor vitia rei interrogat, tenetur venditor illa detegere, esto non reddant eam minus vtilem notabiliter: quod si non detegantur, erit verus dolus venditoris; ac proinde si emptor cognitis illis empturus non fuisset, dat causam contractui; atque adeo in vtroque foro est nullus. Si autem esset empturus, sed minori pretio, incidit dolus in contractu, atque restituendum est in conscientiæ, & exteriori foro tantum, quanto minus ille erat empturus: quod si eodem pretio erat empturus, quia venditor minori non erat illam daturus; & emptor accessurus non erat ad alium, qui minori pretio eam venderet, ad nullam venditor restitutionem tenetur, vt supra etiam dictum est conclusione octaua.

Dico vndecimo, quod si vitium sit in quantitate, puta in pondere, aut mensura, & pretium auctoritate publica taxatum sit, vt panis certi ponderis, & vinum certæ mensuræ pro tanto, vel tanto pretio, tunc esto emens defectum agnoscat, nempe panem non esse iusti ponderis, nec vinum iustæ mensuræ, & esto consentiat: quia aliter ad emendum non inuenit, consurgit nihilominus obligatio vendenti in foro conscientiæ ad restituendum quantum deerat ponderis, aut mensuræ; atque etiam ad id datur actio in foro exteriori; & ratio est: quia quæ publica auctoritate sunt taxata pretium iustum comparatione rei, certi ponderis, & mensuræ consistit in indiuisibili; atque adeo quantum de substantia rei detrahitur quoad pondus, aut mensuram ab accipiente pro illa pretium integrum lege taxatum, tantum violatur iustitia; obnoxiumque est restitutioni. Neque hanc obligationem impedit, quod emptor defectum rei agnouerit, & nihilominus emerit: quoniam consensus ille tacitus in defraudatione partis mercis non fuit plenè voluntarius, sed mixtè inuoluntarius: ad hoc autem vt donatio illa partis mercis, aut excessus pretij valida esset, consensus voluntarius plene erat necessarius.

Dico duodecimo, quod si pretium auctoritate publica statutum pro pane certi ponderis. v.g. iniustum esset per defectum: quia re vera attento valore, quo triticum communiter ab iis emitur, qui eiusmodi panes conficiunt, ac vendunt, attentoque labore, & expensis appositis in panibus conficiendis, non remanet illis iustum moderatum stipendium sui laboris, ac pecuniarum, quibus ea in re negotiantur cum periculo amittendi, tunc neque peccant, neque ad restitutionem tenentur detrahendo de pondere in panibus, quantum necessarium sit, vt moderatum stipendium illis remaneat. Ratio est, quoniam non tenetur deserere eiusmodi officia Reipublicæ necessaria: & quoniam pretium auctoritate publica taxatum re ipsa comperitur iniustum, eaque de causa lex publica in conscientia non obligat, eo quod iniusta comperiatur, saltem materialiter. Quod in panibus est dictum simili modo est intelligendum in reliquis rebus, quorum pretia publica auctoritate taxata sunt.

Dico decimotertio, quod si pretium non sit a lege taxatum, & aliquid admiscetur rebus, quæ venduntur, vt vinum aqua, medicamentis aliqua inconsueta distinguendum est: quoniam si mixturæ nocumentum afferre possunt, tunc vendentes res mixtas eo modo tenentur ad damna omnia subsequuta, itemque ad restitutionem eius, quod res illæ minus ementi valent, quam sit id, quod pro eis dedit. Si vero nocumentum non afferant, res tamen minus vtiles ad id sint, ad quod emuntur, tunc

ven-

vendentes restituere tenentur, quod minus emptoribus ad id valent, ad quod emuntur; quare si nihil ad id conducant, restituere tenentur integrum pretium, vt si medicamētum propter mixturam inutile reddatur, ad quod emitur.

Quod si res eo modo mixtæ vtiles ad id sint, ad ꝙ emuntur, tantumq. de pretio detrahatur, quantum par sit propter mixturam, tunc venditores ad restitutionem non tenentur, eo quod pretium iustum nō excesserint; peccant tamen nisi necessitate compulsi id efficiunt; vt quia aliter extrahere nō possunt iustum pretium rei; vt. v.g. vini nisi parum aquæ illi admisceant, vel nisi res cum ea mixtura re vera valeat, ꝙ pro ea datur; nec emptor pro eo pretio empturus esset meliorem. Attendi sunt tamen venditores ab eiusmodi fallaciis, ac deceptionibus. In his conueniunt Conrad. de contract. q. 54. & 55. Ioan. Med. de rest. q. 34. §. penult. Syluest. verbo emptio. q. 19. & alij: atq. ad idem accedit Sotus. 6. de iust. q. 3. art. 2.

Conrad. Medina. Syluester. Sotus.

De commodato.

Dixerat supra Doctor noster subtilis, quod permutationi correspondet mutua, vel permutata accommodatio, venditioni locatio, atq. emptioni conductio; atque ideo breuiter hic agendum est de commodato seu de permutata accommodatione, necnon de locatione, atque conductione: & primo de commodato.

Cōmodatū quid sit. Glossa.

Est autem commodatum (vt instit. quib. mod. re contrahat. oblig. §. item is habetur: & secundum Glos. in c. vnico de commod.) rei alicuius quo ad solum vsum gratuita concessio: dicitur vero commodatum, quasi vtentis commodo datum, seu concessum, vt ait Glos. loco supra citato: is aūt, qui rem commodato accipit, commodatarius appellatur. Dicitur autem in definitione, quo ad solum vsum: quia qn̄ equus, vestis, aut aliquid aliud commodatur, non conceditur res quo ad dominium: immo neq. quo ad possessionem, sed commodans possidere dicitur etiam naturaliter per commodatariū vt habetur l. rei commodatæ, & l. sequenti. ff. de commod. Quia ergo solum conceditur ad vsum, dominiū verè remanet penes commodantem, eadem necessario est restituēda: atq. si absque vlla commodatarij culpa pereat, non ipsi, sed commodanti cuius est, perit: vt habetur Instit. quibus modis re cōtrahat. oblig. §. item is. & §. at is, & aliis iuribus. Additum est in definitione, gratuita concessio: quoniam si res concedatur ad vsum pro aliquo interesse, non erit commodatum, sed vel locatio, si interesse pro quo conceditur sit pecuniaria: vel contractus innominatus, si sit aliquid aliud.

Cōmodatū bifariā sumitur.

Vnde pro ampliori huius contractus intelligentia obseruandum est primo, quod commodatum interdum sumitur latè, vt comprehendit etiam precarium; interdum vero strictè, vt a precario distinguitur. Vnde quando aliquid cōmodatur ad certum tempus, aut ad certum vsum, ita vt tacitè ad certum tempus prudentis taxandum arbitrio, censeatur commodatum, dicitur strictè, ac propriè commodatū, velut si quis commodaret aliquid ad mensem, aut ad decem dies, vel ad aliud tempus determinatum: vel si commodaret librum, vt transcribatur, aut equum ad iter agendum ab Arcotio Cortonium; eo enim ipso cēsetur commodasse librū in tantum tempus, quantum iudicatum fuerit necessarium, vt transcribatur, nisi aliud in contractu fuerit expressum: & equum in tantum tempus, quantum fuerit necessarium ad eundum Cortonium, ac redeundum: nisi aliquid similiter fuerit expressum.

Quando vero aliquid commodatur vsq. ad beneplacitum commodantis: quia videlicet ita fuit expressum in cōtractu, vel quia neq. expressum fuit tempus, neq. talis vsus fuit expressus: vnde tacitè intelligatur ad certum tempus prudētis arbitrio iudicandum, fuisse commodatum, tunc dicitur precarium, nomine imposito, quia ad preces eius, qui id petit, solet concedi. Est enim precarium auctore Vlpiano l. 1. ff. de precario, quod precibus petendi vtendum conceditur, quādiu is, qui concessit patitur, hoc est, non reuocauerit: ita Angelus verbo, commodatum nu. 3.

Precarium quid sit. Vlpian. Angelus.

Secundo obseruandum est, ꝙ materia commodati sunt res tam mobiles, quam immobiles, illæ præsertim, quæ vsu non consumuntur: quæ namq. cōsumuntur vsu, vt pecunia, & aliæ similes commodari non possunt, nisi ad pompam, & ostentationem, vt scilicet ditior appareat: ex quo sequitur, ꝙ vinum, bladum, atque panis commodari non possunt, sed potius mutuo dantur, ex quo vsu ipso consumuntur: pecunia vero &c. ad pompam commodari possunt secundum Host. in summa, verbo commodatum. Nam quidam iuuenis hoc fecit, qui pecuniam multam acceptam commodato, reposuit in arcam, & eam ostendit amicis suis, & cuiusdā puellæ, & hoc vt haberet eam in vxorem, quam alias nō habuisset, vel etiam, vt dicit Glos. & Bart. in l. 4. vt sic videatur solutioni paratus, & ne a creditoribus vrgeatur. Syluest. verbo commod. q. 1. nomine pompæ omnē vsum intelligit, qui non est rei consumptio. Posset etiā dici, ꝙ qn̄ iura discrimen tradunt inter commodatum, & mutuum, quod mutui materia sunt res, quæ in pondere, numero, & mensura, consistūt, vt pecunia, triticum, vinum, oleū, &c. commodati vero res, quæ vsu non consumuntur, intelligendum id esse, quia regulariter, & vt plurimum ita euenit, atq. ad effectum, vt in dubio, an contractus aliquis sit commodati, aut mutui, si materia sit res, quæ vsu consumitur, iudicemus esse mutuū, alioquin censeamus esse commodatum.

Commodatum materia.

Hostiensis. Glossa. Barto. Syluester.

Tertio obseruandum est, ꝙ omnis, qui potest contrahere, potest etiam commodare; ex quo sequitur, ꝙ pupillus, si aliquid daret commodato sine tutoris auctoritate, non obligat eum contractus, sed potest reuocari. Si aūt pupillo aliquid commodato detur ad certum tempus, aut ad aliquem certū vsum, obligat contractus commodantem; ita vt ante id tempus, vel ante illum vsum completum reuocari ab eo nō possit; & ratio est, quia pupillus obligare sibi potest aliū sine tutoris auctoritate, licet ipse non possit sine eadē auctoritate alteri obligari; ita habetur l. Iulianus. §. antepenult. ff. de actio. empt. & aliis iuribus: Neq. tenetur pupillus, qn̄ ei aliquid commodatum est, nisi de dolo: ꝙ si dolus non interueniat, resq. commodata pereat: aut deterior facta sit, solū tenetur, quatenus ex illa factus est locupletior. l. 1. §. vlt. & l. 2. & 3. ff. commodati. Atq. omnia hæc similiter locum habēt in prodigo, & in eodem pupillo pubere iam facto, si minor sit 25. annis, & curatorem habeat; lege Molinam de iust. & iure, disp. 224. §. vt ad minorum causas.

Commodare quis possit.

Molina.

Quarto obseruandum est, ꝙ in commodato strictè sūpto repeti non potest, quod commodatum est ante completum tempus tacitum, vel expressum, pro quo fuit concessum; id namq. iniustitia esset; neq. commodatarius teneretur id restituere ante tale tempus elapsum, esto a commodante exigeretur: quin potius si a commodatario sine libero ipsius consensu auferretur, accipiens iam in conscientiæ, quā in exteriori foro teneretur ad interesse, & damnorū restitutionem; & ratio est, quia cum commodatum sit beneficiū, nō debet esse commodatario damnosum: nam beneficium est actio beniuola tribuens gaudium cupienti. c. 1. in qui. cau. fru. ami. Angelus tamen, & Sylu. locis supracitatis limitant hoc esse in conscientia verum, nisi commodans similiter erat passurus damnum, nisi reuocasset, & commodatarius alias verò prouidere non potuisset; quia potius ex re mea debeo mihi cōsulere. nec commodatarius ex quo alias sibi prouidere non potuisset. v.g. Petrus cōmudatarius non potuit sibi aliunde prouidere, nisi accipiendo rē illā a Ioanne cōmodante: vnde si Ioannes est passurus damnum, nisi reuocet cōmodatū, pōt in conscientiæ foro ipsum reuocare ante vsum, aut tēpus expletum: qm̄ commodans ex re sua sibi potius debet prouidere, quam commodatario, neq. in eo euentu commodatarius iustè de commodante potest queri; vel ꝙ damnum ex eius beneficio reportauerit, vel ꝙ fuerit ab eo deceptus; qn̄ quidē præter commodantis intentionem euenit, neq. qn̄ commodauit, intendit se obligare ad commodatum in eo euentu nō reuocandū: nam verisimile est, ꝙ si commodans præuideret suum detrimentum, non solū commodare non promitteret, sed ēt responderet non intendere obligare se ad commodandum in eo euentu; atq. adeo propter præsumptam volūtatē cōmodantis, qui nō intenderet se astringere ad nō reuocādū commodatum in eo casu ante vsum, & tempus expletum, vt de singulis esse præsumendū rei ipsius natura docet, & in cōtractibus gratuitis, quale est commodatum, non plus cōmodans astringitur non reuocare contractū, q̄ se obligare intēderit: sequitur ꝙ in eo euentu absq. cōmodatarij iniuria, cōmodatū reuocare pōt. Quicquid dicat in cōtrariū Nauar. in Man. c. 17. n. 182. nā ex his, quę diximus satis apertè cōstat cōmodātē infidelē nō esse, ex eo ꝙ ī eo euētu cōmodatū reuocet, qn̄ quidē ī eo euētu nō ītēdebat se obligare. Quod si qs aduersus Ang. sentētiā obiiciat. reg. mutare de reg. iur. in 6. quę est 33. s. Mutare cōsiliū quis nō pōt ī alterius detrimētū,

In commodato strictè sumpto repeti nō pōt.

Angelus. Syluest.

Nauar.

atque reg. 61. quæ habet, quod in gratiam alicuius conceditur, non est in eius dispendium retorquendum: dicimus intelligendas esse, sine rationabili causa, atque per se in alterius detrimentum, vel dispendium, illud scilicet intendendo: secus autem ex causa rationabili, & per accidens in alterius detrimentum, vel dispendium, illud non intendendo, sed solum per se intendendo vitare proprium detrimentũ, ex quo per accidens sequitur alterius detrimentum, quæ omnia in re proposita cernuntur.

Quintò obseruandum est, eum, qui sciens, & prudens cõmodauit rem inutilem, & nociuam ad vsum, ad quem petebatur, vnde detrimentum commodatario obuenit, teneri ad damna commodatario subsequuta, vt si vitiosa vasa ad vinum in eis fundendum commodauit: secus autem si ignorans id fecit; ita habetur. §. sicut. l. in rebus. §. item qui sciens. & l. penult. ff. de commod.

Res põt tribus modis cõmodari.

Sextò obseruandum est, quòd id quod commodatur, tribus modis commodari potest, primo modo in gratiam, seu commodum solius commodatarij, vt regulariter fieri solet; secundo tam in gratiam commodatarij, quam commodantis, vt si vasa, aut aliquid aliud commodatur ad hospitium recipiendum communem amicum, quem commodans simul in domo commodatarij hospitio recipit; tertio modo in gratiam solius commodantis. Si commodatum fiat primo modo, tunc si res pereat, aut deterior reddatur, tenetur commodatarius etiam de culpa leuissima; Si autem secundo modo, tunc commodatarius tenetur solum de leui culpa, & quacumque alia maiori, non autem de leuissima; Quòd si tertio modo fiat, tunc commodatarius tenetur solum de dolo. Est autem dolus calliditas, omnis fallacia, aut machinatio ad circumueniendum, fallendum, ac decipiendum alterum adhibita, vt patet ex Vlpiano vt cum labore. § 1. ff. de dolo. Culpa verò iuridica, de qua est modo sermo, & non de theologica, est deuiatio ab eo, quòd bonum est, quodq. per hominis potuit diligentiam prouideri; & est triplex, scilicet lata, leuis, & leuissima.

Dolus quid sit.

Vlpianus.

Culpa iuridica quid, & quotuplex sit.

Culpa lata est non intelligere, quod omnes intelligerent, vel maior pars. Textus est in l. latæ culpæ ff. de verb. signifi. vt si quis fecit, aut omisit, quod vt plurimum homines ea in parte non facerent, aut non omitterent dicitur culpa lata; vt si librum quem commodatum quis habebat reliquit in scamno extra domum, vbi patebat volentibus eum surripere, perijsse dicitur culpa lata talis commodatarij.

Si verò culpa sit quia fecit, aut omisit, quod diligentes ea in re non facerent, aut non omitterent appellatur culpa leuis; vt si eumdem librum reliquit commodatarius intra cubiculum, sed aperto ostio, vnde furari poterat; vel si fenerator non excussit res pignoratas à tineis tali tempore, quo diligens fecisset. Si denique culpa sit, quia fecit, aut omisit, quod soli diligentissimi non facerent, aut non omitterent; dicitur culpa leuissima.

Nauar.

Exemplificat Nauar. in Manu. cap. 17. num. 177. & 178. de eo, qui eumdem librum reliquit in cubiculo, clane quidem obserato; attamen non tentaui manu, aut digito num obseratum maneret; Quod verum existimo, quando fuerat expertum alias clauem fidelem non esse: secus autem non auderem condemnare leuissimæ culpæ eum, qui id digito, aut manu non tentaret, sed potius inter euentus fortuitos hunc computarem: non enim ad excessiuas, scrupulosasque diligentias astringendi sunt homines in humano commercio, moralibusq; rebus.

Exempla etiam culpæ latæ, leuis, & leuissimæ adhiberi possunt in artificibus, & in cæteris qui munus aliquod exercent: Si enim eorum aliquis in attinentibus ad suum munus omittat, quod vt plurimum alij omittere non solent, atque ea de causa erret, dicitur ex culpa lata errare. Si vero omittat, quod soli diligentes solent non omittere, dicetur errare ex culpa leui; Quod si omittat quod soli diligentissimi solẽt non omittere, dicetur errare ex culpa leuissima.

Cõmodatarius quãdo tenetur de casu fortuito.

Septimo obseruandum est, quòd commodatarius non tenetur de casu fortuito regulariter loquendo, dixi regulariter, quoniam si pactum interuenerit, tenetur de casu fortuito, atq; etiam si fuerit in mora restituendi, uel si commodatarius aliter, uel ad aliud usus est re cõmodata, quam ad id, ad quod fuit cõcessa, aut occasio fuit, ꝙ res periret, aut deterior redderetur. Exempla sunt, ut si tibi commodaui equũ in unum locum, & tu eum duxisti in alium, eaq. ratione in latrones incidisti, aut aliud infortunium tibi accidit; aut si tibi commodaui vasa, vt in domo tua faceres conuiuiũ, & tu ea longius asportasti, vel per mare, eaq. occasione furto, naufragio, aut alio infortunio perierunt, vel si quia in mora fuisti rem tibi commodatam restituendi illa periit. Dicit tamen Angelus ꝙ licet morosus teneatur si res periit, tamen in conscientia si eodem modo apud dominum fuisset peritura, tunc commodatarius non tenetur illam restituere, sed solum æstimationem vsus vltra id ad quod accommodata fuit, aut lucri cessantis, si fortè id lucrum plus æstimabitur, quam valor vsus illius, concordant Syluest. verbo, commodatum q. 9. & verbo. locatio ad finem q. 17. & Nauar. in Man. c. 17. nu. 179. & 183. Couar. Reg. peccatum p. 2. §. 6. nu. 1. & Ioan. Medina de rest. q. 6.

Angelus.

Syluester.
Nauar.
Couar.
Medina.

Octauo obseruandum est. Quando commodatarius re commodata vtitur contra commodãtis voluntatẽ ad aliud, quam ad quod fuit commodata; vel certi, & præscripti sibi vsus fines excedit, tunc dici committere furtum; & dari cõmodanti satisfactionem aduersus illum: verum quando certum non esset talem vsum credendũ esse contra domini voluntatem, commodatarium ea de causa damnandum nõ esse vt furem. Quando vero constaret contra domini esse voluntatem, ea de causa illum censendum non esse infamem, qui ita damnaretur, ita Couar. 3. var. resol. c. 15. nu. 8.

Si autem commodatarius putauit dominum illius rei cõtentum fore, vt ipse rem illam detineret, aut aliter, vel ad aliud ea vteretur, quã ad quod fuit petita, & re vera ita erat, tunc neq. peccasset illam retinendo, aut eo pacto ea vtendo, neq. ad vllam restitutionẽ in conscientiæ foro illi teneri, esto id occasio fuerit, quod res illa periret, imo neq. in exteriori si de tali commodantis animo in eo foro constaret. Ratio est quoniam re vera non est transgressus domini voluntatem. Si tamen constaret commodatarium fuisse deceptum, eãq. moram, atque vsum rei commodatæ fuisse contra domini voluntatem, tunc si id occasio fuit, vt res periret, licet non peccauerit excusante illum sua bona fide, in foro tamen exteriori, & conscientiæ restituere teneretur valorem illius; eo quod nefas illi fuerit transgredi illo modo contractum commodati, nisi sub conditione, quod si contentus non esset, teneretur illi ad interesse.

Nono obseruandum est, ꝙ si in pactum deductum sit, vt accipiens non teneatur de lata culpa, aut de alia minori, siue esto res ex tali accipientis culpa; non tenetur illam restituere: quoniam volenti, & consentienti non est facta iniuria; pactum autem vt accipiens de dolo non teneatur est ipso iure nullum, vt potè contra bonos mores, vt habetur. l. in commodato, ff. commodati, & l. 1. §. illud non est. ff. depositi.

Ex his quæ hactenus dicta sunt, satis perspicuum est falsum, & contra c. vnicum de commodato, & alia iura citata: atque etiam contra communem Doctorum sententiam esse opinionem Soti. 4. de Iust. q. 7. art. 2. ante solut. argumentorum asserentis, in commodato, & in alijs contractibus, quibus dominium non transfertur, commodatarium, depositarium, conductorem &c. non teneri de leuiori culpa, quam lethali ad restitutionem totius rei acceptæ; ex leuioribus vero culpis teneri solum ad restitutionem partis rei pro culpæ quantitate, vt aduersum ipsum Sotum optime notauit Nauar. in Manu. c. 17. nu. 184.

Sotus.

Nauar.

Commodatarius quando dicitur esse in mora.

Decimo obseruandum est, ꝙ si in contractu commodati tempus fuit præfinitum, pro quo res commodata fuit, eo ipso quod expletur, commodatarius est in mora, nisi rem restituat, quando de contraria commodantis voluntate non constat: Neque necesse est, vt expleto tempore commodans prius rem suam repetat, quam commodatarius in mora esse dicatur; etenim dies statuta pro domino, creditoreue interpellat, vt habetur. c. vlt. de locato. l. magnam. C. de contrah. stipulat. & l. 2. C. de iure Emphyt. Item si ad certum vsum res sit commodata, illo expleto, aut tempore elapso, in quo potuit commodè expleri, commodatarius similiter est in mora, nisi de contraria commodantis voluntate, saltẽ præsumpta constet. Quando vero aliquid ad vsum indefinitè est commodatum, neque tempore, neque aliquo vsu particulari expresso, tunc interim dum de contraria commodantis voluntate non constat, commodatarius censendus non est esse in mora.

Ex quo sequitur primo, ꝙ si commodatarius, (& idem intellige de illo, qui rem conductam accepit) rem commodatam pertinaciter retineat, quousq. condemnatoria sentẽtia

aduer-

aduersus eum feratur, tunc non solum tenetur illum restituere, sed etiam valorem insuper illius in contumaciæ pœnam; vt habetur in.l.non abs re. C.vnde vi.

Sequitur secundo, quod si commodatarius saltem ex leuissima sua culpa fuit in mora restituendi rem commodatam, tenetur commodanti ad omnia damna subsequuta, etiam lucri cessantis: quoniam cum contractus hic in gratiam solius commodatarij fuerit celebratus, certe si vel culpa leuissima eum non adimpleat, tenetur ad omnia damna, seu interesse commodantis, præsertim cum hic contractus bonæ fidei sit.

Sequitur tertio, quod si commodans in pactum deduxit, vt sibi commodatarius ad interesse teneretur, si in mora esset, tenetur; esto quod non expresserit, etiam si absque sua culpa, aut casu fortuito ea mora eueniret: quoniam ita intelligitur eo ipso, quod tale pactum appositum est: tum quia ex natura rei secluso eo pacto tenebatur ad interesse, si ex sua culpa in moram incidisset; pactum autem ad aliquid operandum fuit oppositum: tum præcipue, quoniam eo ipso nullum damnum etiam lucri cessantis voluit sustinere ex commodato; atque id significare voluit commodatario. Cæterum si commodans id non deduxit in pactum, commodatarius non tenetur ad interesse lucri cessantis, & damni emergentis, quod ex mora in quam absque sua culpa incidit, commodanti euenit. Si vero commodatarius dum fuit in mora vsus fuit re commodata, tenetur restituere commodanti valorem eius vsus, si valorem velit, quoniam cessauit vsus, & tempus commodati, ac proinde valor vsus sequentis ad dominum rei illius spectat.

Sequitur quarto, quod si commodatum est in vtilitatem vtriusque, & impotentia restituendi rem commodatam tempore statuto prouenit solum ex culpa leuissima commodatarij, tunc non tenetur commodanti ad interesse, nisi contrarium deductum esset in pactum; quoniam in eiusmodi contractibus accipiens solum tenetur de leui culpa, & de quacumque alia maiori. Eadem etiam ratione si commodatum esset in solam commodantis vtilitatem, & mora proueniret solum ex leui, aut leuissima culpa commodatarij, non tenetur ad interesse commodanti. Idem dicendum est in precario, & deposito; & ratio est: quoniam in his contractibus solum tenetur accipiens de dolo, & lata culpa; vt patet ex.l.quod te mihi.ff.de rebus cred.& suffragatur.l.Celsus.§.1.ff.de recep. arbit.

Commodatarius quomodo commodatum seruare teneatur custodire.

Sed sunt duo dubia, quantum attinet ad rei commodatæ custodiam. Primum, Vtrum si commodatarius in naufragio, incendio, aut alio simili euentu saluare simul non possit res suas, & res commodato acceptas, teneatur ad aliquã restitutionem, si res suas saluet, & omittat commodato acceptas. Pro solutione dico primo; si suas res omnes saluet, & commodatam, aut depositam relinquat præsumi in exteriori foro dolum, nisi contrarium aliunde constet; atque adeo cogetur illam restituere, vt patet.c.bona fides. de depos. & hoc non solum verum est in commodato ad vtilitatem solius commodatarij, vel vtriusque; sed etiam in commodato ad vtilitatem solius commodantis, ac etiam in precario; quandoquidem hi omnes non ad minorem custodiam rei acceptæ tenentur, quam depositarius, de quo lex citata loquitur.

Dico secundo; si res commodata pretiosior sit, quam propria commodatarij tenetur commodatarius præferre rem commodatam suæ propriæ, etiamsi in commodum vtriusque aut solius commodantis accepta sit; patet, quoniam quando res accipitur in vtilitatem solius commodantis, tenetur commodatarius ad illius custodiam adhibere ea, quæ quiuis hominum efficeret ad suas res proprias custodiendas: quiuis autem si ex duabus suis rebus vnam tantum posset saluam facere, omitteret viliorem, & saluam faceret pretiosiorem; ergo etiam commodatarius, de quo loquimur, postponere debet rem suam viliorem, vt saluam faciat pretiosiorem commodantis: nec potest commodatarius rem suam viliorem compensare, si commodatum fuit in gratiam, atque vtilitatem solius commodatarij: quoniam vi contractus, atque beneficij accepti tenetur suis sumptibus ad eam rei commodatæ custodiam, quam diligentissimus quisque in suis rebus proprijs adhiberet; ergo non solum rem suam viliorem, sed neque æque pretiosam, quam amitteret, vt alienam commodatam saluam faceret, potest compensare. Cæterum si res, quæ incendio, naufragio, aut alio simili infortunio erat peritura, nisi industria commodatarij asseruaretur, simili modo peritura erat apud dominum; tunc existimo posse commodatarium compensare rem suã viliorem: quoniam tunc commune rerum vtriusque censetur esse periculum, neque occasione commodati aduenisset rei alienæ. In eo quippe euentu plus quisque subuenire debet suis proprijs rebus, quam alienis. Exemplum esset de incendio deuastante nedum commodatarij, sed etiam commodantis domum, si in eadem vicinia, & contiguæ essent. Adde, quod si res aliena postquam ex naufragio, aut incendio esset erepta, necesse esset sumptus aliquos ad illius conseruationem efficere; quia detrimentum aliquod ex aqua, aut igne perpessa fuit; & necesse fuit illi subuenire aliquibus sumptibus, aut apposita aliqua industria, tunc hos sumptus, atque valorem industriæ appositæ teneretur soluere dominus illius rei, eo quod iam illud non spectat ad rei illius custodiam, ad quam commodatarius vi contractus tenetur. Item si res fuit commodata in vtriusque vtilitatem, aut solius commodantis, tunc compensare potest rem suam viliorem, neque tradere tenetur commodanti pretiosiorẽ, quousque soluat valorem iacturæ factæ in illius conseruationem: tum quia nullus obligari videtur cum iactura sua ad rem alterius conseruandã, quando contractus in vtriusque, & multo magis in solam vtilitatem commodantis celebratus est eo quod plus se, quam alterum diligere tenetur: tum etiam quia pati iacturam in bonis proprijs ad saluandum aliena, est sumptus cum rebus alienis facere: quando autem contractus in vtriusque aut solius dantis vtilitatem celebratur, certe is, qui dat soluere tenetur expensas necessarias ad rei acceptæ conseruationem, vt deponens, locans, & tradens in pignus: atque eadem ratione accommodans in vtriusque, aut solius dantis vtilitatem.

Dico tertio; si res commodatæ sunt viliores, posse commodatarium illis præferre res suas pretiosiores: quoniam æquitas non patitur, vt quis longe maiorem iacturam in suis proprijs rebus patiatur, vt euitet minorem alienam; & quoniam commodatarius non tenetur nisi exactissimam diligentiam, quam vnusquisque rebus suis adhiberet: nullus autem vt conseruaret res suas viliores pretiosiores perire permitteret. Cæterum si commodatum fuit in solius commodatarij vtilitatem factum, etiamsi precario esset cõcessum, tenetur commodatarius restituere commodanti valorem rerum commodatarum, quæ vt saluaret res suas perierunt; patet, quoniam commodatarius, & iam cum æquali suarum rerum iactura, tenetur adhibere eam diligentiam circa conseruandas res commodatas, ad quam vi contractus astringitur: quare si in re proposita illi permittitur præferre res suas pretiosiores vilioribus sibi commodatis, id non est, vt commodans iacturam rerum suarum patiatur, sed solum ne commodatarius iacturam patiatur maioris valoris, quem res propriæ supra res commodatas habent; si ergo conseruare potius vult res suas pretiosiores, id esse debet cum onere, atque ea lege, vt commodantem indemnem seruet, valorem rerum commodatarum illi restituendo. Si vero commodatum factum fuisset in vtriusque aut solius dantis vtilitatem, tunc commodatarius ad nullam restitutionem illi teneretur, eo quod, vt supra dictum est, si quæ expensæ in huiusmodi rebus conseruandis factæ sunt, soluere illas teneatur, qui dominium earum rerum retinet.

Dico quarto; si commodatum in solius commodatarij vtilitatem sit factum, & res ita commodatæ ita pretiosæ sint cum rebus commodatarij, teneri commodatarium præponere res commodatas suis proprijs; quod si id non faciat restituere teneri earum æstimationem; patet, quoniam cõmodatarius etiam cum æquali sua iactura tenetur conseruare res sibi commodatas. Si vero commodatum in vtriusque, aut solius commodantis vtilitatem sit factum, tunc cõmodatarius præponere potest res suas æque pretiosas rebus commodatis; neque ad vllam restitutionem, commodanti tenetur. Idem est in pignore, re conducta, & in deposito; & in his concordant Panor.c.bona fides.num.2. Angelus. Syluest.& Armilla verbo, commodatum.& verbo, depositum. Gab.in 4.d.15.q.10.dub.vii.& quidam alij.

Panormit. Angelus. Syluester. Armilla. Gabriel.

Secundum dubium est. Vtrum si commodatarius mittat ad commodatorem per famulum, aut alium internuncium rem commodatam, & illa pereat, aut dispareat, vel quia cũ illa nuncius aufugit, vel quia casu fortuito, aut quacunque

alia

alia ratione perijt, commodanti pereat, an potius commodatario, ita vt teneatur iterum eã restituere. Pro solutione,

Dico primo, quod si commodans, aut quicumque alius, cui ex quocunque alio contractu, aut titulo res vel certa in singulari, vel in singulari incerta, sed determinata in specie, & quantitate deberetur designate aliquem, per quem ad se mitteretur, tunc vniuersum si postquam tradita esset personæ ab eo designatæ, res illa culpa nuntij periret, aut quacunque alia ratione, vtique periret creditori, & non debitori; idque esto ortum habuisset obligatio restituendi ex iniusta debitoris acceptione, aut retentione; patet, quoniam eo ipso quod personam, cui traderetur, designauit, ratam habuit solutionem: imo eo ipso censetur per eam personam facta ei traditio, & debitum ei persolutum, vt patet ex l. eũ qui §. vltimo l. si mei. ver. si dominus. ff. commod. debet tamen debitor creditori significare per eum nuntium rem illam ad se mittere, alias non censetur facta ei solutio; neque magis creditori periret, quam si per alium eam mitterer: quoniam nuntius ille solum fuit destinatus, vt debitorem de solutione admoneret, non vero vt illi solutio traderetur; vt habetur. l. si mei. §. commodatum. ff. commod.

Dico secundo; Quando quippiam in solius commodatarij vtilitatem fuit commodatum, & mittitur per personam a commodante minime designatam; si commodatarius non fuit in mora id restituendi, neque in culpa etiam leuissima tradendo id tali personæ, vel se ad casum fortuitum obligauit, aut iniusta mora ipsius occasionem præbuit, vt periret: quia si non fuisset in mora fortasse non perijsset nõ periret commodatario. Exemplum prioris partis est, quando id misisti per seruum, quem pluries expertus fueras fidelem, & ille cum illo aufugit, aut alia ratione perijt; tunc enim si nihil eorum interuenit, quæ in posteriori dicti parte commemorantur, perit commodanti, cuius id erat, ac proinde ad nullam restitutionem teneris; quia cum prudentissimus quisque nullam maiorem diligentiam moraliter loquendo, adhibuisset, certe neque in leuissima culpa fuisti; posterior vero pars est se, & ex superius dictis est manifesta; vtraque vero constat ex. l. eum qui. §. vltimo & ex duabus legibus sequentibus, & ex. l. argentum. ff. commod. & vtramque affirmant, Angelos verb. commodatum. num. 15. Syluest. ibidem. q. 10. & ante eos Panor. c. significante. de pign. num. 8. & Bart. & post ipsos Nauar. in Manu. c. 17. num. 185.

Angelus. Syluester. Panormit. Bartolus. Nauar.

Dico tertio; Quando commodatum fuit in vtriusque aut solius commodantis vtilitatem, in pignore, re conducta, re deposita, & in præcario; itemque regulariter quando res in indiuiduo determinata habetur, atque ad creditorem mittitur, esto dominium illius adhuc ad eum haud pertineat, nisi enim præueniat culpa, ex qua, & pro cuius contractus qualitate debitor tenetur, & nisi fuerit in mora rem illam restituendi, ita vt occasionem præbuerit, vt id periret, vel nisi ex leuiori culpa, aut casu fortuito se obligauerit, vtique creditori, non debitori perit qui illam misit. Quare si is, qui in vtriusque vtilitatem aliquid commodato accepit, si id misit ad creditorem per eum, qui vir bonus habebatur, sed eius fidelitatem ipse semel, aut nunquam fuerat expertus, atque inter nuntius cum ea fugiat, vtique res perit creditori, cuius erat; quoniam in debitore non fuit leuis culpa illud ita mittendo, neque ex minori culpa vi contractus, ex quo illam habebat tenetur. Si vero qui rem precario accepit, aut commodato in solius commodantis vtilitatem, vel qui depositam illam habet, ad creditorem eam mittat, per eum quidem, quem nunquam antea nouit, qui tamen ei significauit creditorem dicere, vt eam ad se mitteret, & de quo debitor nullam sinistram suspicionem habeat, sane quamuis ille mentitus fuerit se esse nuntium, si cum ea re fugiat, perit creditori; quoniam debitor non fuit in lata culpa tradendo rem eiusmodi nuntio, sed solum in leui; neque vi illorum contractuum ex leuiori culpa, quam sit lata, aut dolus tenetur; patet ex his quæ dicta sunt ex iuribus supra citatis, iuncta lege apud Labeonem. §. vlt. ff. de præscrip. verb. & consentiunt Doctores supra citati.

Quando autem id, quod debebatur, incertum erat in indiuiduo, sed certum in specie, & quantitate, quale est, quod ex mutuo debetur, & ex varijs alijs titulis, tunc nisi mittatur per personam ad id designatam, vtique si pereat, antequam creditori tradatur, vniuersim perit debitori, esto nulla omnino illius culpa, sed deferentis, aut casu fortuito pereat; patet, quia res domino perit, quando ex parte alterius, qui illius non est dominus nulla interuenit culpa, aut pactum, vt ipsi periret, neque illi in singulari erat debita. In re autem proposita dominium rei, quæ ita debetur, pertinet ad debitorem; nullaque interuenit culpa, aut pactum ex parte creditoris, vt ipsi pereat, neque illi in singulari erat debita: tum etiam quia quando debetur res indeterminata in indiuiduo, non prius liberatur debitor ab obligatione illam soluendi, quam eam creditori tradat, aut ratam ille habeat solutionem, vel debitum remittat; nihil autem horum in re proposita cernitur. Hæc omnia colliguntur aperte ex. c. significante. de pignoribus. & ex. l. incendium. C. si certum peta. & ea affirmant Doctores citati, cum Nauar. ibidem. nu. 67. & Ioan. Medina de Rest. q. 2. §. ad id, quod quarto loco &c.

Nauar. Medina.

Sed quid, si creditor, & debitor conueniant, quod debitum tradatur ei, qui tale, vel tale signum attulerit; & tertius quidam id sciens, signum illud assumpsit, petijtque debitum, & cum eo fugit; peribit ne tunc creditori, an potius debitori? Dico, quod si res debita erat in singulari determinato, absque dubio perire creditori, iuxta ea, quæ dicta sunt: atque in hoc omnes conueniunt. Quando autem debita erat in indiuiduo indeterminato, dicendum est, quod si debitor signum manifestauit, atque inde ortum fuit, vt alius vtrumque deciperet, perit debitori; si autem creditor id manifestauit, vel dum conuenirent ambo, alius prætereiens, vel ibi astans id audiuit, & signum assumpsit, vel alteri manifestauit, qui signum assumpsit, tunc perit creditori: quoniam per tale pactum ipse consensit, atque in causa fuit, vt afferenti illud signum daretur.

Dubitatur iterum si res aliqua indiuidua, vt plaustrum, iumentum, aut aliquid simile duobus fuit commodata, an vterque in solidum teneatur, an vero solum quo ad medietatem, si res commodata pereat. Dico, quod si in pactum nõ fuit deductum, vt singuli in solidum tenerentur, & res sine culpa accipientium pereat, solum tenentur singuli ad medietatem mercedis, si res fuit conducta ad medietatem valoris rei, si in pactum fuit deductum, vt de casu fortuito tenerentur, aut si nondum rem restituerunt; quia in alium locum deducta sit. Quando vero culpa perijt, tunc singuli in hoc sensu tenentur in solidum; quod si vtriusque culpa perijt, singuli tenentur domino rei illius in solidum; verumtamen si vnus restituat totum, alter tenetur resarcire huic medietatem. Si vero res vnius tantum culpa pereat, tunc is solus tenetur in solidum domino rei illius, alter vero nihil illi debet; vt habetur aperte. §. si apud duos. ff. depositi. & §. si duobus vehiculum. ff. commod. atque idem habet ibidem Bart. summarium.

Bartolus.

De locatione, & conductione.

Locatio, & conductio valde affinis est emptioni, & venditioni: in primis enim conueniunt, quod sunt de iure gentium; secundo, quod consensu perficiuntur; tertio, quod vterque est contractus nominatus; quarto, quod vterque est contractus bonæ fidei; quinto, quod in vtroque necesse est certum constituere pretium; alioquin neque contractus censetur perfectus, neque validus; sexto conueniunt in eo, quod supra de arrha dictum est; septimo, quod sicut. l. 2. C. de rescind. vend. locum habet in emptione, & venditione, quando emptor, vel venditor læsus est infra, vel vltra dimidium iusti pretij; ita habet locum in locatione, & conductione, quando similis læsio vltra, aut infra dimidium iusti pretij interuenit; octauo, quod sicut in venditione transfertur dominium rei venditæ in emptorem accepto pretio; ita in locatione transfertur vsus rei locatæ in conductorem dominio rei permanente apud locatorem, pretio interueniente. Quapropter dixit Doc. quod vẽditioni correspondet locatio, & emptioni conductio; ac proinde, vt seruetur iustitia in locatione, & conductione, seruandæ sunt omnes conditiones quantum ad vsum, quæ seruandæ sunt in iustis emptione, & venditione quantum ad dominium. Cæterum, vt aliquam notitiam de huiusmodi contractu locationis, & conductionis habeatis, videbimus primo quid sit locatio, atque conductio; secundo quis possit locare, atque conducere; tertio quæ res possint esse conductionis, locationisque materia; & quarto quotuplex sit locatio.

Locatio & conductio quomodo cũ emptione, & venditione conueniant.

Scotus.

Quo

Locatio quid sit. Quo ad primum. Locatio est contractus, quo quis vsum alicuius rei, vel personæ in alium transfert pro mercede, sine hoc, quod in eumdem transferat proprietatem, vel rei ipsius dominium. v.g. habeo ius vtēdi domo mea, vel equo meo, & percipiendi fructus de agro, vel horto meo; si ego reseruata mihi proprietate, & dominio domus, equi, & horti, tibi pro mercede cōcedam ius vtendi equū meo, vel percipiendi fructus de horto meo, tunc dicor locare tibi equū, & hortum, & tu diceris conducere equum, vel hortum; & capio hic vsum non prout distinguitur contra vsumfructum, sed vt comprehendit vtrumque. Vnde aliquando locans tantum transfert vsum rei suæ in alterum, aliquando vsumfructum; exemplum primi, si loco tibi hortum meū, vt, quantum pro tua persona vti poteris fructibus eius vtaris; non autem vt aliquos fructus eius alijs vendas, vel dones; exemplum secundi, vt si sic tibi loco eum, quod etiam fructus eius poteris distrahere sicut libet.

Conductio quid sit. Conductio autem est contractus, quo quis pro mercede recipit ab alio vsum alicuius rei, vel personæ, sine hoc, quod recipiat eiusdem rei, vel personæ proprietatem, vel dominium.

Locare, & conducere qui possint. Quo ad secundum dico, quod qui vendere, & emere possunt, etiam possunt locare, & conducere; vt ex se est notissimum: non enim plus ad locandum, & conducendum requiritur: quam ad emendum, & vēdendum. Qui autem in genere celebrare possint contractus venditionis, & emptionis, supra loquentes de donatione, ac permutatione explicauimus.

Locationis, & conductionis materia. Quo ad tertium dico quod locari possunt omnes illę res, quæ vendi possunt, nisi sint seruitutes prædiales, vt iter, actus, via, &c. Iter est ius, quo per tuum fundum possum ire; actus est seruitus, qua per tuum fundum iumentum, vel vehiculum ducere possum; via vero continet omnia supradicta; Hæc autem, vt dicit Angelus verb. locatio nu. 1. locari non possunt; & non solum quæ possunt vendi, sed etiam pleraque alia: nam locantur beneficia, commendæ, tributa, & id genus alia iura; & potest quis locare se ipsum: non enim duntaxat locat aliquis sua, aut sibi ad locandum commissa, sed etiam se ipsum ad seruiendum alteri, ad docendum, patrocinandum, iudicandum, luendum, & ad alia varia ministeria, & munia exercenda. Res tamen in quibus vsus non separatur a dominio, vt sunt res illæ, quorum vsus est earum consumptio, vt est cibus, & potus, locari non possunt, nec conduci; quia cum traditur vsus, etiam traditur dominium, cum separari non possint.

Angelus.

Locatio est duplex in genere. Quo ad quartum dico, quod locatio est duplex; quædam est rei, capiendo rem, vt distinguitur contra personam hominis, siue illa res sit animal, siue alia res; & alia est personæ suæ; & ista est duplex, quædam est personæ suæ intransitiue, quædam transitiue; exempli gratia, si Petrus locat se ad laborandum tibi in vinea per diem pro vno argenteo, iam personam suam propriam locat, & tu eius personam, idest, illum conducis. Exemplum secundæ, si Petrus seruum suū tibi locat ad laborandum in vinea tua &c. iam locat tibi personam suam, idest, personam quam possidet. Secundum aliquos tamen locatio personæ ad operas, scilicet, ad faciendum aliquid non est proprie locatio, sed contractus innominatus, scilicet, facio, vt des: tamen quo ad forum theologicum hoc parum refert. Quidam etiam personæ locationem appellant, locationem operum, non sic intelligendo, quod operæ ipsæ locentur, sed persona locatur ad operas impendendas; alias esset impropria locatio: non enim operæ locantur, cum in eis non possit cōstitui alteri vsus aliquis, nec separari possit earum vsus a proprietate, & cum earum vsus sit ipsarum consumptio, sed persona locatur: operæ autem sunt fructus, quæ de persona locata percipiuntur, quēadmodum fructus agri non locantur, sed ager ad fructus percipiendos locatur.

Item locatio est duplex, quædam est rei immobilis, vt domus, agri, vel horti; Quædam rei mobilis, siue illa se ipsam moueat, vt est animal, siue non moueat se ipsam, vt securis, & consimile quid. Prima est duplex, quædam est rei incorporalis, vt locatio redditus: nam redditus inter immobilia, & incorporalia computatur; Quædam est rei corporalis; & illa est duplex, quædam est rei vrbanæ, vt locatio domus; & in hac locatione conductor dicitur Inquilinus; Quædam est rei rusticæ, vt locatio agri &c. & illius conductor dicitur proprie Colonus. Secunda etiam est duplex, quædam est rei locatio ad vsum, quo deterioratur res, vt si equum tibi concedam ad annum; quædam vero est rei ad vsum, quo non deterioratur res; vt si Cyphum aureum tibi concedam ad vsum vnius diei, vel hebdomadæ: nam ex illo non deterioratur.

Locatio bifariam sumitur. Iterum locatio capitur dupliciter, vno modo stricte, atque ita oportet, quod merces pro qua fit, in numismate cōsistat, & hoc determinatæ quantitatis, & non in specie, & indeterminatæ quantitatis; vt si concedam tibi vsum agri mei pro modio frumenti, non est locatio, sed est contractus innominatus, do, vt des; similiter si concedam tibi eum pro pecunia existente in sacculo, non determinando eius quantitatē; vnde oportet, quod fiat pro pecunia numerata, idest, certæ, ac determinatæ quantitatis. Alio modo capitur large; atque ita aliquando dicimus esse locationem, vbi merces consistit in specie, & etiam si consistat in pecunia indeterminatæ quantitatis, quæ dicitur non numerata; & illa dicitur quasi locatio. Discrimen harum locationum quo ad forum contentiosum, nempe quo ad actionem instituendam &c. forte aliquid faceret, an sic, vel sic esset formatus contractus; quod spectat ad Iurisperitos. Cæterum quo ad forum conscientiæ, prout hic loquimur non refert: nam sicut licite fit locatio pro pecunia tantæ quantitatis, si est cōmensurata valori vsus, ita si fiat pro specie æquiualente tantæ pecuniæ, erit licita, si sit illa species commensurata tali vsui. Hæc autem locatio late accepta est duplex; Quædam fit pro specie alia ab ea, quæ prouenit de re locata; vt loco tibi agrum pro plaustro fœni, vel vini, vel lignorum: cum tamen nec fœnum, nec vinum, neque ligna ex illo agro proueniant. Quædam vero fit pro eadem specie etiam in numero, quæ prouenit de re locata, vt agrum importantem triticum loco tibi pro aliquot modijs tritici mihi dandis de tritico illius agri; & hæc est duplex, quædam fit in tali specie in quantitate determinata, vt si fiat pro modijs in numero determinato, scilicet, quinque, vel decem; alio modo in quantitate indeterminata quo ad numerum, vt si fiat pro medietate illius tritici, aut pro tertia parte assignanda ipsi locatori; & talis locator dicitur partiarius, & de hac non est sermo in proposito: quia nec proprie, nec improprie est locatio a parte rei, sed societas, de qua erit sermo infra.

Locatio fit duobus modis. Item locatio fit dupliciter, aliquando pure, interdum impure; si pure, hoc est dupliciter: quia vel pure tam in substantia alterius contractus, quam a pactis, quæ sunt in naturalia illius contractus, licet possint esse naturalia alteri contractui. Impure autem fit, quando alius contractus commiscetur ei, vel si non alius, tamen pactum aliquod interuenit, quod est contra, vel saltem præter naturalia locationis, licet liter illud esse naturali alteri contractui. v.g. loco tibi equum meum per mensem pro determinata quantitate pecuniæ, & adijcio pactum, quod debeas mihi esse obligatus de damno contingente ex tua culpa etiam leuissima, hoc pactum est contra naturalia contractus locationis: nam de natura locationis est, quod non tenetur conductor de damno proueniente ex culpa sua leuissima: ita quod relinquendo locationem, & conductionem in suis naturalibus non inesset illa obligatio conductori; nunc autem sibi inerit per pactum. Potest etiam dici, quod illud pactum continet quēdam contractum alium in substantia a locatione, & qui est innominatus: nam prædicti præter locationem, & conductionem contrahunt etiam contractum susceptionis periculi: quia conductor suscipit in se periculum damni possibilis accidere ex leuissima culpa, quod alias suscipere non teneretur; atque ita est contractus, do, vt facias; & hoc ex parte locationis, idest, concedo equum, vt facias periculum esse tuum in casu leuissimæ culpæ; sed ex parte conductoris est contractus, facio, vt des, hoc est, periculum illud facio meū, vt des, idest, vt concedas mihi equum, seu vsum equi tui pro remissiori mercede.

Locatio sex modis efficitur impura. Obseruandum est tamen, quod locatio siue rerum, siue operum efficitur impura ex pactis sibi innaturalibus sex modis: primo si locator vult conductorem esse obligatum de culpa etiam leuissima, vel ad casum fortuitum; secundo si vult habere potestatem expellendi conductorem extra casus in quibus alias potest eum expellere; tertio si vult cōductorem esse obligatum ad dandam pensionem in principio anni, vbi de natura solum tenetur dare in fine; quarto si vult locator agri se non esse obligatum ad faciendam remissionem etiam pro rata ipsi conductori, scilicet colono,

etiam si

etiamsi grandis sterilitas contingat; vel si est locator alterius rei, vel personæ, & non vult esse obligatus conductori ad faciendum ei remissionem, modo quo explicabimus declarantes naturalia locationis in.6. eius naturali; quinto si vult, quod Inquilinus ex nulla causa etiam necessitatis possit dimittere domum se inuito; sextum si vult, quod non possit conductor rem locatam alteri locare.

Conductio quatuor modis efficitur impura.

Secundo obseruandum est, quod conductio efficitur quatuor modis impura; primo si conductor vult locatorem rei esse obligatum ad aliqua, ad quæ ex natura contractus non esset obligatus, puta, quod locator etiam in se suscipiat periculum culpæ leuis, vel latæ; secundo si vult, quod locator non possit eum expellere etiam in casibus, in quibus de iure posset eum expellere; tertio si vult dare pensionem non in fine anni, cum deberet, sed per longum tempus post; vel si est conductor operum in casu vbi deberet in principio, vel in medio dare, vult solum dare in fine anni; quarto si vult, quod locator rei sibi faciat remissionem pro rata, & iam si fiat modica sterilitas; vel si est conductor operarum, quod locator non remittat sibi aliquid in pensione, etiam si stet per conductorem, quod minus operetur.

Locationi octo sunt naturalia.

Tertio obseruandum est, quod octo sunt naturalia ipsi locationi, quæ illi ex natura talis contractus de iure gentium, vel dispositione iuris humani sunt nata inesse, & de facto sibi insunt, si non excludantur per pactum factum inter partes, aut per contrariam consuetudinem loci.

Primum naturale est, quod res locata substat periculo locatoris, ita quod si pereat sine lata, vel leui culpa conductoris, hoc est naturaliter, vel diuino iudicio, vel per culpam leuissimam conductoris ipsi locatori perit, & hoc ex natura contractus. Quod dico, quia in aliquibus casibus etiam conductor tenetur de culpa leuissima. v.g. locaui tibi rem ad certum vsum, & tu sine voluntate mea vsus fuisti aliter, exempli causa, equum ad equitandum in pace, & tu duxisti ad bellum. Similiter ex pacto, quo se obligauit conductor ad recipiendum in se periculum casus, etiam de culpa leuissima. Item si mora præcessit casum, vt, locaui tibi equum reddendum crastina die, & tu vltra tenuisti, & sic perijt, tunc conductori perijt, vt diximus supra de cōmodato.

Secundum naturale est, quod eodem modo est in conductione personæ ad operas; quia conductor non tenetur de damno accidente personæ locata ad operas, sed potius e contra; primum patet, quia si conduxi te ad laborandum in vinea, vel ędificandam domum &c. tu frangis tibi &c. non teneor si sine dolo, & culpa mea lata, & leui, non teneor tibi damnum illud resarcire: nam sicut res locata stat periculo locatoris, sic persona locatoris stat ipsiusmet locatoris periculo; secundum patet in exemplo, quia si conduco te in domo mea, vt ædifices, & illa perijt damno tuo vel lata, vel leui culpa, teneris mihi pro refusione damni. Item si sutor accipit vestimentum ad resarciendum, & mus corrosit; vel si gemmam accepisti sculpendam, & est fracta; Si Nauta conducitur ad aliquid transferendum, nempe vinum, vel aliquas res meas, & sua culpa etiam leui effunditur vinum aut perduntur, vel destruuntur res illæ, tenetur mihi de damno: imo quando tenetur conductor de leuissima culpa, & hoc quando res tales indigent diligentissima cura; quia tunc inest tacito illi contractui talis obligatio ex circunstantijs, ad quas conducuntur operæ illæ, vt, si conduxi te ad conducendam columnam cito frangibilem, vel ad transferendum vitra pretiosa, aut consimilia.

Inquilinus nō potest expelli nisi in quatuor casibus.

Tertium naturale est, quod locator rei immobilis, vt domus, non potest conductorem eius, seu Inquilinum inuitum expellere ante tempus finitæ conductionis, nisi in quatuor casibus; primo si domus locata sit facta necessaria suæ habitationi. v.g. si domus, quam locator inhabitat casu destructa est, & ipse suæ necessitati aliter prouidere non potest: nam non dicitur dominus necessitatus, si aliter commode sibi posset prouidere: aut si postea duxit vxorem, vel alia similis necessitas superuenit; secundo si domus habet necessitatem reparationis post locationem; & his duobus euentibus remittenda est pensio pro rata temporis; tertio si conductor inquilinus peruerse versetur in domo, vt, si tenet porcos in solario, vel non habitat in ea secundum pactum conductionis, vel si deteriorem facit, spargendo aquā super lignis, vel feminas malas ibi tenet, aut etiam peruersos homines, vt lenones, & huiusmodi: & in hoc casu secundum Panor. si Inquilinus peruerse inhabitet domum efficiendo illi damnum, quia scilicet tenet porcos in solario, vel spargit aquam super lignis, vel facit aliquid consimile, quo deterioratur domus, potest locator ipsum expellere satisfaciendo pro rata pensionis; & remissio debet fieri pro residuo temporis; sed si peruerse habitaret in domo sine damno, sed quia tenet in ea postribulum, vel ludum, vel exercendo ad vsuram, potest expelli non remissa sibi pensione pro rata temporis; quia dominus non debet sustinere hoc damnum ex culpa Inquilini; quarto quando Inquilinus per biennium non soluit pensionem, quod maxime verum est, quando pensio est constituta pro singulis annis. *Panormit.*

Quartum naturale, est, quod in locatione rei conductor non tenetur locatori dare mercedem nisi in fine conductionis, nempe in fine anni, si ad annum conduxit, prout colligitur ex Panor. in c. propter. de locato; nisi per hoc naturale excludatur pactum, aut per statutum municipale, vel per loci consuetudinem; & dicitur notanter, in locatione rei; quia quando locatur persona ad operas, si datur merces pro sumptibus, debet fieri solutio in principio; sed de hoc vide Panor. loco supracitato, & in c. peruenit. de arbit. *Panormit.*

Quintum naturale est, quod conductori est remissio facienda pro rata, si contingit grauis, vel magna sterilitas, vel insolita incommoditas magna sine culpa conductoris; nisi sterilitas posset cum vbertate præcedentis temporis compensari; pro hoc videtur Panor. in c. propter. de locato. & Conrad. de contract. q. 77. concl. 4. *Panormit. Conradus.*

Sextum naturale est, quod conductor, qui dicitur Inquilinus potest ex sua causa dimittere domum inuito domino; & ratio est; quia si propter necessitatem superuenientem ipsi locatori potest locator expellere Inquilinum, vt dictum est supra in tertio naturali; eadem ratione poterit Inquilinus necessitate sibi superueniente dimittere domum, vt; si absque vitæ periculo in ea habitare non potest: atque ita dimittendo non tenetur dare nisi secundum ratam temporis.

Septimum naturale est, quod conductor potest rem sibi locatam alteri locare; & tunc res posterioris conductoris sunt obligatæ principali domino vsque ad illam quantitatem, quam iste conductor tenetur priori. Vnde si duo contraxissent societatem, vt scholaris cum scholare, & vnus vult recedere, tunc ille poterit aliquem loco suo ponere; nisi vellet locare partem suam personæ inhonestæ; quia tunc non posset; ita Panor. in c. inter dilectos; & Bald. in l. nemo. *Panormit. Baldus.*

Octauum naturale est, si conductor aliquid expendit, quod necessario fuit expendendum, vel vtiliter auxit, vel ædificauit, vel instaurauit, debebit locator sibi expensas illas resarcire. ff. eo. l. dominus. lege Angelum in summa per totum verbum, locatio. *Angelus.*

Quarto obseruandum est, quod non oportet Confessorem statim aliquam locationem, vel conductionem condemnare vt illicitam, quando percipit, quando in ea sunt pacta contra naturam locationis, vel conductionis; quoniam propter pacti oppositionem non transit contractus in aliam speciem, sicut quando pactum esset contra substantialia contractus; sed compertis huiusmodi pactis contra naturalia locationis, vel conductionis, considerare debet si onerositas illorum sit refusa per aliam viam, aut non; si non, tunc contractus est in foro conscientiæ condemnandus impietatis ex parte illius, qui alium onerauit; quia tunc factus est contra rationem iustitiæ commutatiuæ, & contra regulam legis naturalis, quod tibi fieri non vis &c. Si autem facta sit refusio, vel compensatio. v.g. quia locator pacto onerat conductorem, ideo viliorem mercedem ab eo recipit, vt conductor onus illud subeat; vel e contra, si conductor onerat per tale pactum locatorem, ipse ei illud onus refundit pro quanto; pinguiorem mercedem ei assignat pro locatione.

Locatio est duplex.

Postremo obseruandum est duplicem esse locationem; quædam enim est, quæ dicitur ad modicum tempus, nempe infra decennium, vt fere omnes conueniunt; alia vero est, quæ dicitur ad longum tempus; atque hæc in primis est, quæ fit ad decennium, aut vltra, vt communiter Doctores affirmant, quos refert, & sequitur Nauar. c. consideret. §. defleat. nu. 5. de pœnit. d. 5. longe autem maiori cum ratione dicitur locatio ad longum tempus illa, quæ fit ad vitam hominis locantis, aut conducentis, vt tradit Nauar. loco supraci- *Nauar.*

praci-

præcitato. Sed quia in locatione ad longum tempus vtile dominium, atque ius in re transfertur in conductorem, & consequenter eam comparat possessionem dominij, ac iuris illius, vt affirmat communis Doctorum sententia cum Bart. ideo locatio ad longum tempus est verus contractus emphyteuticus specie distinctus a locatione per se, ac proprie sumpta, de qua sola est nobis in hoc loco sermo.

Bartolus.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum contractus locationis, & conductionis siue rei, siue personæ sit licitus.

PRo huius quæstionis resolutione perspicua obseruandũ est, quod sicut in homine sunt quædam essentialia, sine quibus homo esse non potest, vt corpus, & anima, & illarum vnio; quædam naturalia, cuiusmodi sunt proprietates, vt ridere, flere, &c. quædam autem accidentalia, vt sedere, stare, esse calidum, vel frigidum, album, vel nigrum, sanum, vel ægrum &c. Ita in contractu locationis quædam sunt essentialia; & hæc sunt tria, scilicet, res locanda, secundum pretium, (quia si absque mercede datem tibi equum, non locatio, sed commodatio esset;) tertium est consensus contrahentium, non enim potest esse locatio sine consensu. Naturalia vero locationis sunt multa; & sunt ea, quæ insunt ei a natura, & de facto, nisi excludantur per pactum inter partes, vel per contrariam consuetudinem loci; sicut dicimus, quod frigiditas inest aquæ a natura: quia sibi derelicta frigida est, sed a causa extrinseca potest esse calida; Quot autem sint huiusmodi contractui locationis, & conductionis naturalia explicatum est supra; Accidentalia, seu extrinseca sunt illa, quæ nec sunt de substantia, nec de natura contractus; sed tamen quandoque apponuntur iuxta contractum, vt sunt quædam pacta de aliquo extrinseco iuxta contractum apposita; quæ nec ad contractum essentialiter requiruntur, nec naturaliter ei nata sunt inesse, vt patet ex his, quæ diximus supra, ostendentes quot modis locatio efficiatur impura, similiter & conductio. His stantibus, respondetur ad quæstionem vnica conclusione.

Locationis contractus quædam habet essentialia, quædam naturalia, quædã vero accidentalia.

Contractus locationis non est de se malus, sed potest esse licitus seruatis circunstantijs; probatur, quia si de se esset malus, ex nulla circunstantia posset fieri bonus, sicut blasphema. Item sicut venditio de se non est mala, ita nec locatio: nam licet formaliter distinguantur, tamen æquiualenter locatio non est nisi venditio vsus rei pro determinata pecunia; vnde tam propinqua sunt, vt de quibusdam casibus dubitetur, vtrum sint locatio, vel venditio: probatur secunda pars, scilicet, quod locatio possit esse contractus licitus ex circunstantijs, stat enim, quod quis non sit prohibitus locare, & quod res sit locanda, nec vitiosa, & ad debitum finem, & loco, & tempore congruis, & quod seruetur modus debitus in mercede congrua, nec grauetur conductor absque releuatione: Defectu primi si quis prohibitus, & rem prohibitam locat, peccat; exemplum, si quis officium ecclesiasticum locaret, cum sit res spiritualis, peccaret: nam locari non potest nec eius vsus, sed gratis, & sine pretio debet dari; imo ipse conducens alteri vsum officij ecclesiastici debet ei dare stipendium non mercedem, quia ille exercet operas loco eius; Ex quo sequitur, quod Rector ecclesiæ committens alteri officium rectoriæ, puta ius administrandi sacramenta, & prædicandi in ecclesia, non potest pro concessione illius iuris aliquid per modum mercedis, & pretij ab eo exigere: hoc enim esset vendere vsum illius officij, & esset simonia.

Locationis contractus nõ est de se malus.

Et si dicas; ergo est simonia, quando Curatus substituit aliquem, & recipit ab eo certam pensionem. Dicendum, quod quando fit licite, tunc non est imaginandum, quod Curatus illam pensionem recipiat a substituto, sed illam sibi reseruat in sustentationem, & reliquum dat substituto pro stipendio operis sui; & sunt ibi duo contractus, primus est gratuitus, quo committit ei officium in ecclesia; & assignat ei stipendium, scilicet prouentuum certam quotam reseruata sibi reliqua pensione; & secundo intelligitur eundem conducere ad colligendum sibi illam pensionem, & mittere sibi, & pro hoc dat sibi mercedem, pro quanto pinguiorem partem prouentuum assignat ei. Et sicut dictum est de Curato, ita intelligendum, est de quocunque alio officio ecclesiastico, nempe Cappellania, Vicariatu, Episcopatu &c. quod non potest concedens, aliquid exigere; alias simonia est, & illicitum. Ad propositum redeundo; si quis locat scienter rem vitiosam ignoranti vitium, scilicet, equũ defectuosum &c. talis exponit proximum periculis temporalibus tenetur ad omne damnum: Non enim id sibi fieri vellet recta ratione; secus si ignoranter; tamen si postea comperit, tenetur. Similiter si quis rem furatam locat, furtum committit, &c. In his exemplis deficit. Quis, & quid.

Curatus substituens quem & recipiens pensionẽ an simoniacus.

Sic etiam posset exemplificari de locante personam defectuosam ad operas. Vnde si Nauta imperitus locat operas suas ad portandum vinum, triticum, &c. & merces pereunt, tenetur resarcire damnum. Deficeret etiam, Cur, si quis locaret personam suam ad illicitum, sicut meretrix, vel miles ad bellum iniustum. De loco etiam, & quando, de se patet, scilicet loco, & tempore non prohibitis. Deficit autem quomodo, quando locans exigit mercedem excessiuam: nam oportet, quod sit æqualitas mercedis ad vsum rei, quæ non consistit in indiuisibili.

Sed dicamus aliquid in particulari explicando nonnullos casus, quibus fit potissime animalium locatio. Vnde obseruandum est, quod ad cognoscendum in foro conscientiæ, vtrum in locationibus seruetur æqualitas, & per consequens circunstantia, quomodo, vt contractus sit licitus multum conferunt istæ Regulæ; Prima est, quod attendatur, an conditio locantis, & conducentis sit æqua; Secunda, si talem contractum ineunt cum talibus circunstantijs indifferenter pauperes, & diuites; Tertia, si merces, quæ exigitur, in illa patria sit consueta; Quarta, si de animalibus sibi locatis conductor tot commoditates possit habere, quod sufficienter refundantur expensæ, cura, & labores, & onus periculorum, quæ ipse subire habet ex natura contractus. vel ex pactis contra naturam contractus.

Regulæ pro iustitia contractus locationis.

His præmissis, pono casum, quod Petrus locat Ioanni 20. oues vsque ad duos annos tali conditione, vt ipse Ioannes teneatur eas, & earum fætus, & fructus cum diligentia pascere, & seruare expensis suis; fætuum vero, & fructuum earum medietatem ipsi Petro fideliter assignare, & in fine locationis illas easdem oues, vel alias consimiles ipsi Petro resignare; & si aliqua illarum, vel ipsarum fętus per culpam, aut dolum ipsius Ioannis perierit, illud damnum perueniat ad Ioannem: si vero diuino iudicio, vel casu fortuito hoc euenerit, tale damnum pertineat ad Petrum, dummodo Ioannes de huiusmodi euentu faciat plenam fidem.

Ad istum casum respondeo, quod licet iste contractus videatur locatio, non est tamen proprie locatio; primum patet, quia Petrus retinet proprietatem ouium, & transfert vsumfructum in Ioannem pro mercede, scilicet, quod Ioannes det Petro medietatem fructuum, & damnum proueniens circa rem locatam ex dolo, vel culpa pertineat ad Ioannem, intelligendo de culpa leui, & maiori; periculum autem fortuiti casus ad Petrum &c. Quæ omnia sunt de natura contractus locationis, sed non est proprie locatio, quia eius merces consistit in specie, & in indeterminata quantitate; locatio autem proprie dicta est, cuius merces consistit in numismate, & hoc determinatæ quantitatis, vt patet ex superius dictis; sed est magis contractus innominatus, scilicet, do, vt des, & hoc in foro exteriori, sed in foro conscientiæ non refert ad propositum, dummodo ibi seruetur æqualitas; Quicquid ergo sit, dico, quod si est ibi æqua conditio vtriusque secundum regulas suprapolitas, contractus est licitus; & hoc melius nouit rusticus, quam Theologus: si enim talis est fructus, quod eius medietas sufficiat pro laboribus, curis, & expensis, tunc licet; alias ex parte Petri est iniquitas: si vero sit superabundans, tunc est iniquus ex parte Ioannis: similiter dicatur de pacto adiecto, vt pote, quod Ioannes teneatur de culpa leuissima: quia si illa medietas cum tali onere contra naturam locationis est parua merces, contractus est illicitus ex parte Petri.

Secundus Casus. Petrus locat Ioanni duos boues, volens quolibet mense habere duo modia frumenti, & Petrus retinet in se periculum illorum. Dicunt quidam, & bene, quod si illa merces sit adæquata valori vsus bouum, scilicet, quod vltra expensas, & operas, quas habet Ioannes facere circa boues, tantum habeat vtilitatis, quanta est merces danda Petro, tunc licet, alias non. Cæterum quomodo nouerit Confessor si venditio equi pro decem flor. sit æqua, nisi nouerit, quod tanti valebat equus? Ita in proposito, ni-

Secundus Casus.

stituat,

si sciat, quod duo modia frumenti sunt merces commensurata vsui duorum bouum per mensem, non poterit definire, quod sit æquus contractus; hoc autem poterit melius scire rusticus, & ab illo haberi addiscere; similiter mensuræ frumenti non sunt vbique æquales, nec boues sunt æquales vsus, vt patet de se; ideo dicendum est iuxta regulas supetius positas.

Tertius Casus. Tertius Casus. Petrus locat duos boues Ioanni ad laborandum, & hoc ad quartam partem lucri, & damni; iste contractus censetur locationis, & iustificatur a Sancto Bernardino; sed quia eius responsio est satis obscura, & prolixa, ideo resolute, & clare respondeo per vnam distinctionem, & aliqua dicta. Contractus iste potest intelligi dupliciter, vno modo, vt sit pura locatio bouum ex parte Petri, & conductio ex parte Ioannis, ita quod vltra hoc, quod Petrus locat boues, non conducat Ioannes ad operandum sibi cum bobus; secundo potest intelligi, quod non sit pura, imo vltra hoc, quod Petrus locat boues ipsi Ioanni, conducit etiam ipsum Ioannem ad laborandum sibi cum illius bobus; & ille esset secundus contractus; adeo quod essent ibi duo contractus. Primum dictum; si prædictus contractus est locatio pura, tunc si quarta pars lucri debens cedere ipsi Petro absolute capta, sit merces adæquata vsui concesso ipsi Ioanni, tunc contractus est licitus ipsi Ioanni, quando adiecit pactum prædictum, scilicet, quod si non perueniat lucrum, sed damnum ipsi Ioanni, quod Petrus sustineat quartam partem damni; patet, in hoc euentu deberet Petro mercedem a Ioanne; ergo ad hoc, quod sit licitus, necesse est, quod merces sit proportionata vsui rei locatæ; modo nulla apparet hic merces, nisi quarta pars lucri, quod Ioannes requireret laborando cum bobus, igitur, vt sit contractus licitus, oportet, quod quarta pars lucri sit adæquata vsui concesso; & si sic, tunc contractus est illicitus Ioanni, quia vult dare quartam partem lucri Petro cum pacto, quod si nihil lucretur, atque ita perdat suos labores, quod Petrus obligetur pro quarta parte dãni, & perditorũ operũ facere refusionẽ; quod quidem pactum multũ vitificat valorẽ mercedis prædictæ, scilicet quartã partẽ lucri; Vnde si quarta pars lucri absolute accepta, & æqua merces cum illo onere, est vilis, atque adeo Ioannes peccat. Secundum dictum; si quarta pars lucri sit ita excellens, quod cum illo onere possit sustineri, tunc cõtractus erit licitus. Tertium dictum; si contractus non sit pura locatio modo prædicto, tunc videndum est, si quarta pars lucri sit adæquata vsui bouum cum tali onere, vel nõ; si primum, tunc oportet, quod Petrus assignet competentem mercedem Ioanni pro labore, quo sibi laborat; alias inique ageret; si secundum, scilicet, quod merces solum sit adæquata sine tali onere, & cum tali est diminuta, tunc posset esse licitus, si per hoc, quod Ioannes laborat terram Petri, dat ei mercedem diminutam, vt sicut in vno grauatur, in altero releuetur; atque ita per hunc modum, & per has regulas multos casus possunt recte solui.

Quartus Casus. Quartus Casus. Petrus tradit Ioanni duos boues 30. flor. æstimatos, vt ad annum viuat, & laboret, cum tali pacto, quod Ioannes teneatur eos nutrire fideliter, & in fine anni prædictos boues, vel æstimationem reddere Petro, & etiam dare ei quartam partem lucri, si inde lucrum fuerit, vel tantum minus de ipsa æstimatione restituenda, quantum importat quarta pars damni, si superent. Iste casus nõ
D. Bernard. iustificatur a sãcto Bernardino, nisi addatur in pacto, quod si damnum aliquod sine culpa Ioannis interuenerit, illud pertineat ad Petrum; dummodo Ioãnes faciat fidem, quod sine sua culpa interuenerit; alias est illicitus; & additur, quod prædicta debent intelligi secundum debitum æquitatis; nam, quod (deductis æstimationibus operum, & laborum Ioannis, & expensis factis in bobus diligenter examinatis) superesse reperitur, illud æstimandum est lucrum, & diuidendum.

Cæterum hæc responsio non videtur Magistralis, primo quia, aut intelligit responsio de culpa etiam leuissima, ita quod tunc pertineat damnum ad Petrum, quando Ioannes in nulla culpa fuit etiam leuissima, & tunc licet pactum sit contra naturalia locationis, tamen non potest damnari ex hoc vt iniquum; nisi supponatur, quod prædicta merces, scilicet quarta pars lucri sit adæquata vsui bouum, diminuendo locationem in sua naturalitate; secus cum tali onere: nã si talis merces sit ita parua respectu vsus bouum; & maxime attento, quod Petrus, si nullũ lucrum proueniat, nihil pro mercede habebit; imo damnum, si damnũ euenerit, videtur, quod Ioannes possit sustinere illud onus. Si autem intelligatur, quod Ioannes de dãno proueniente ex sua culpa leui, aut maiori; tunc iterũ non potest definiri, quod sit licitus, nisi videatur, an quarta pars lucri sit merces adæquata vsui bouũ, vel ne; quod ex responsione non patet; & potius videtur, quod sit nimis parua: maxime attento, quod ex pacto quarta pars lucri multũ vilificatur per hoc, quod nõ est nisi conditionalis, scilicet, si quod lucrũ proueniat; & adhuc magis attento, quod Petrus, non solum nihil habebit, si nihil proueniat, sed etiã si damnum proueniat, debeat sustinere illud; & hoc est illicitum Ioanni, nisi Petrus ex liberalitate contentetur de tam parua mercede.

Itẽ dicit illa responsio, quod prædicta debent intelligi secundũ debitũ æquitatis, nã quod deductis &c. Contra; si his defalcatis, quod superest sit censendũ lucrũ, & diuidẽdum, tunc videtur, quod Ioãni multum cedant: nã sic de suis expensis, ac laboribus est satisfactũ; igitur si quid vltra accipit, videtur, quod sine causa accipiat: Imo potius posset illam defalcationẽ totũ dandum esse Petro pro satisfactione vsus bouũ concessi. Igitur aliter est dicendũ, scilicet quod si quarta pars lucri sic conditionaliter expectata, scilicet, si proueniat lucrũ, & cũ annexo onere, quod si damnũ proueniat, non solũ nihil habebit, sed etiã quartam partẽ ipsius sustinebit. Sin quam, totum hoc sit in suo valore adæquatũ vsui bouum cũ onere annexo Ioan. scilicet, quod teneatur de culpa tali, vel tali, secundum quod conuenerint, tunc contractus est licitus alias illicitus illi, cuius conditio est melior; & hoc melius nouit rusticus, quam scholasticus Theologus.

Quintus Casus. Quintus Casus. Petrus locat Ioanni duos boues æstimatos 30. flor. cum pacto, quod vbi consuetũ est dare pro duobus bobus duodecim sextaria frumẽti, det sibi solũ octo, ita tamen quod Ioannes sit ad periculũ tertiæ partis bouum. Hic contractus reputatur licitus Petro, dũmodo ipse satisfaciat Ioan. de labore suo, nẽpe de expensis laboriose factis in cura bouũ; vnde illo seruato poterit Petrus obligare Ioannẽ ad tertiã partẽ periculi bouum, alias non erit licitus Petro; ita D. Bernardinus de Euangelio æterno. Sed contra hanc
D. Bernar. responsionẽ arguitur, quia non requiritur, quod Petrus satisfaciat Ioanni de labore suo &c. quia vel per labor ẽ intelligis expensas cũ labore impensas circa boues: & certe Petrus tales non tenetur refundere: quia quando dicitur quod 12. sextaria sunt consuetũ pretium locationis bouum, intelligitur hoc, & de se inest, quod conductor suis expensis nutriat, & vltra dare debeat locatori 12. sextaria, & ita si Petrus deberet præter quatuor, quæ remittit adhuc satisfacere expẽsas, quasi nihil remaneret pro mercede. Si autẽ intelligat labores, quibus Ioãnes laborat alijs hominibus, quã Petro, hoc indignum esset, quia tunc Petrus concessisset Ioanni boues; & cũ hoc deberet eidẽ satisfacere pro laboribus alijs hominibus impensis; quod est valde absurdũ. Si vero intelligat, quod de labore, quẽ Ioan. impendit Petro, puta: quia laborat pro eo, tunc hoc nõ ponitur in casu; atque ita nihil ad propositũ: nã tunc esset alius casus, seu contractus accidẽtalis, scilicet conductionis operum Ioannis. Si denique intelligat de labore, id est onere, qnod Ioãnes suscipit in se, scilicet periculo tertiæ partis, tunc non fuit necesse ponere in responsione: quia Petrus ex hoc remittit tertiã parte mercedis, scilicet quatuor sextaria; nisi dicatur, quod ideo ponitur, quia non sufficit; sed tunc clarius dixisset, dũmodo remissio quatuor sextariorũ sit sufficiens refusio oneris suscepti, scilicet tertiæ partis periculi; & supponitur, quod sic, quia si nõ imponeretur, tunc deberet. 12. sextaria, &c.

Ideo aliter dico, quod iste est cõtractus locationis, & illud pactũ adiectũ est cõtra naturalia locationis; & si duodecim sextaria sunt adæquata merces vsui bouũ, quã do locantur sine illo pacto, videtur, quod cũ tali pacto onus sufficiẽter refundatur per remissionẽ tertiæ partis mercedis, & cõtractus est licitus; si autẽ illa duodecim, sextaria essent nimis magna merces, vel remissio quatuor nõ esset sufficiẽs refusio, tũc cõtractus illicitus esset Petro; si vero duodecim sextaria esset nimis parua merces, vel remissio quatuor esset nimis magna refusio, tunc illicitus esset Ioanni, nisi Petrus liberaliter daret. &c.

Sextus Casus. Sextus Casus. Petrus tradit duos boues Ioãni, pro certis sextarijs frumẽti, vel bladi, eo pacto, quod si deteriorẽtur & sine culpa Ioãnis; imo si etiã moriãtur casu fortuito, vel iudicio Dei, tũc Ioãnes subeat medietatẽ illius dãni; si autem melio,

melioręntur, ꝙ habeat medietatē illius cōmodi. Ad hoc respōdeo, ꝙ si sextaria, q̄ exigit Petrus, sūt moderata, merces, & adequata vsui bouū, licitus est cōtractus, quātū est ex parte pacti de recipiēda mercede tali. Dico secūdo, ꝙ pactū cōicandi damnum, tā mortis, q̄ deteriorationis, & ēt percipiēdo commodū meliorationis, pro tanto est licitum, pro quanto hæc adæquantur, vt tñ Ioannes releuetur per expectatū meliorationis commodum, q̄ oneretur expectando prædictum damnū. Dico tertio, ꝙ de facto Petrus nō sufficienter releuat Ioannem: nam si merces sextariorum, quam exigit Petrus, sit adequata vsui bouum sine oī onere; si tunc imponat onus ꝑdictū, non vr̄, ꝙ sufficienter releuet Ioānem per hoc, quòd expectat lucrum: quia longe onerosius est expectare illud damnum, quā expectare commodū meliorationis sit vtile. Et si dicas, æq; nati sūt meliorati, sicut deteriorati, & mori; si superuenerint, trāseat: tñ ex quo possunt mori, illud periculum mortis expectandum à Ioanne, nō refundit᷑ a Petro; ideo contractus est illicitus. Dico tñ, quòd si Petrus eo minorē mercedē exigeret, quo tale onus sufficienter iudicaretur refundi Ioanni, tunc nō esset illicitus Petro: si tñ nihil ei remitteret de consueta mercede, & tñ in animo habent, quòd solum Ioannes subiret periculum deteriorationis, & non mortis, illud tamen ponit, vt Ioannes diligentior esset circa boues, tunc licet non sit illicitus ratione iniquitatis, esset tamen illicitus ratione scandali, &c. Et ex hoc modo soluendi istos casus, possūt, & alij faciliter solui.

De Contractu societatis.

Contra. Azo. Societas quid sit exponitur.

SOcietas secundum Marcū Tulliū, vt refert Azo in Summa tit. pro socio. est duorū, pluriumue conuentio contracta ob commodiorem vsum, & vberiorem quæstum: qui autem eam inter se ineunt socij nuncupantur. Contrahitur autem societas solum contrahentium mutuo cōsensu exterius expresso: atq; adeo neque traditione, neque scriptis indiget, vt completus censetur contractus; vnde si meus socius aliquem admiserit, quem meum socium esse noluerit, et solum socius est non mihi.

Dictum est primo in definitione ad cōe lucrū; quia si vnus alteri tradat animalia ad custodiā, vel pecuniā ad negotiandum, ita vt lucrum totum sit tradentis, & alius certum pro operibus, & industria accipiat stipendium, non est societas, sed locatio ex parte eius, qui operam, & industriam apponit, & cōductio ex parte eius, qui pro operibus, & industria stipendium tribuit, si stipendium sit pecunia, si aūt nō sit pecunia, vel aliqd aliud, erit cōtractus innominatus, do, vt facias.

Secundo dicitur ad cōem vsum, quoniam in societate omnium bonorū, ēt est contributio ad cōmunem vsum, & expēsas ex bonis ita cōibus. Multæ ēt sunt aliæ particulares societates ad cōem vsum, & expensas, vt inter scholasticos in eadem domo habitantes, ad ordinarios sumptus ex cōi marsupio, & inter milites, qui ex eadē, camerata, cōiter, & vulgariter appellātur, & inter similes. Cōtrahitur aūt societas ad tēpus, & in perpetuum, i. dum viuent socij, & sub conditione: sine fine vero contrahi non pōt, sed solum societas vectigalium transit ad primū hęredem, l. antiquitas. C. de vsufructu. imò pactū, ꝙ societas transeat ad hęredes, est ipso iure nullū, vt habetur. l. nemo. l. adeo. l. verum. §. in hæredem. l. nulla. ff. pro socio, & ratio est, quia in societate industria personæ eligitur, ignoratur vero qualis futura sit persona hæredis, vt habetur. l. adeo. citata, & inst. de societate. §. soluitur. Sed pro ampliori huius contractus intelligentia.

Societatem qui cōtrahere possunt, & in quib.

Obseruandū est primo, ꝙ societatē contrahere possunt oēs illæ personæ, q̄ possunt se obligare, & contrahere de qb. multa diximus supra de donatione loquētes. Pōt aūt contrahi societas circa oīa bona, circa aliquam negociationem, atque ēt circa vnam rem. ff. eodem. l. societas; cęterum in re turpi, & flagitiosa contrahi non pōt. ff. eodē. l. nec permittendum est. Dixi, quod contrahitur societas circa oīa bona, & tūc intelligitur contracta respectu omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum, quæ perseuerante societate acquirerentur, quocūque titulo acquirantur, siue ex negociatione, siue hæreditario iure, siue ex legato, aut donatione, esto id in cōtractu nō exprimatur: oīa n. cōia efficiūtur, & debēt inter socios diuidi, dissoluta societate, iuxta portiones ab initio, inite societatis tacitè, vel expresśe cōstitutas, vt in eas diuidant᷑. Et qñ nihil est constitutum, intelligitur in partes æquales.

Secundo obseruandum est, quod in societatibus vnusquisque sociorum in conscientia, atque in exteriori foro tenetur alijs socijs de toto damno, quod dolo, lata, aut leui culpa ipsius aduenerit, neq. excusabit᷑, esto industria ipsius multū cōmodi alioquin eisdem obuenerit; secus est si damnum acciderit ex leuissima culpa, vel casu fortuito; nam tunc damnū est commune toti societati, atque inter singulos diuidendū.

Societatis priuilegium

Tertio obseru. est, ꝙ societatis contractus hoc habet priuilegium, quod si vnus sociorū ab alio, vel ab alijs socus conueniatur quoad ea, q̄ ad societatē spectāt, atque ad paupertatē, non possit illa integre soluere no tenet᷑ eis vltra, id cōmode facere pōt. Qñ aūt socius nō pōt cōmode soluere integrum debitū, debet pręstare cautionē, hoc est nudā promissionē, se integre soluturū, si ad pinguiorē fortunā deuenerit, cogetq; tēporis progressu illud soluere eo ipso, ꝙ hēt vnde cōmode soluat. Hoc tñ priuilegio nō gaudet socius, q cōuinctus circa tale debitū negauit se esse sociū: si postea esse sociū conuictus fuerit, sed cogetur illud integre soluere, nihil curando, an id commode soluere possit. Itē non gaudet socius, qui dolo malo in causa fuit, vt non possit soluere debitum, secus aūt si ex sola culpa sine dolo. Item quando alius socius secluso eo, qđ sibi ex societate debetur, non haberet competētem sustentationem, tunc socius, qui id deberet, non gauderet eo priuilegio quo ad id, quo alius ad competentem sustentationē indiget. Item quando socius promisisset alijs socijs se integre soluturum, nullamque appositurum exceptionē iuris, vel facti, idque iuramēto cōfirmaret, nō gaudebit hoc priuilegio.

Societas quatuor modis dissolui pōt.

Quarto obs. est, ꝙ societas quatuor modis dissolui pōt; primo, morte naturali cuiusuis sociorū, & tūc non solū soluit᷑ quo ad defuncti personā: quia non transit societas ad hæredes illius, sed ēt quo ad reliquos superstites socios: nisi inter eos conuenisset, vt per mortem vnius aut plurium eorū non dissolueretur, quo ad reliquos superstites: Secūdo, morte ciuili aliquorum sociorū: atq. vniuersim societas dissoluitur eo ipso, quod alicui sociorū confiscantur oīa bona, tertio si quis sociorum propter debita cedat bonis suis: quarto, si instituta erat ad aliquid præcise, illudq; finiatur, vt si instituta erat ad semel asportandum triticum ex aliquo loco, illudq. vendendum in aliquo, ipso quippe vendito finitur societas. Qđ in pecunia illa vnus sociorum negocietur, lucrū, & damnu non est cōe, sed ad ipsum solum spectat; eadem ratione, si capitale totum casu fortuito, vel alia ratione pereat, finitur societas. Item si res, circa quam erat societas, pereat, aut conditionem mutet, ita vt iam idonea societati non sit, finitur societas, vt si in agro, quem quis ad colendum acceperat, vt cum domino illius fructus diuiderentur, in partes aliquot ędificetur publica auctoritate ecclesiæ, aut aliud simile fiat, & demum si societas erat contracta ad aliquod certum tempus, eo tempore elapso finitur etiam societas, nisi ex tacito consensu innouata, & continuata censeatur.

Societas duobus modis cōtrahitur.

Quinto obs. est, ꝙ societas (quantū ad propositū nostrū spectat) duob. modis cōtrahit᷑: nā aliqñ. v. g. Petrus tradens summā aliquā pecuniæ, siue aīalia Ioāni in specie societatis cōicat ea sibi, nō solū quo ad cōmoditates, & vtilitates ex eis ꝓuēturas, sed ēt quo ad dominiū. v. g. Petrus tradit Ioanni ad cōem societatē mille aureos, vel decē vaccas, & ē cōtra Ioānes tradit totidē Petro: ita ꝙ Ioānes efficitur dominus illorū mille aureorū, vel mille vaccarū: & similiter Petrus erit dominus aliorum mille aureorum, & decē vaccarū, quæ ad cōmunē societatē tradit Ioānes: quia sunt vtriusq; in cōi quo ad substantiam, & quo ad fructus, & similiter si quid de eis perit, vnde in fine societatis nō tm̄ cōmoditates diuiduntur, sed ēt capitale indistincte. Aliqñ fit taliter, ꝙ Petrus tradens pecuniā, vel aīalia, non cōicat ea I[illegible]ni quo ad dominiū, sed quo ad commoditatem, & fructus, & similiter Ioannes communicat siue pecuniam, siue animalia, vel operas quo ad vtilitatem tantum, vnde si aliquod animal Petri perit, ipsi soli perit, si vero fructus, vtrique perit, & similiter e contra dicatur de Ioanne: & in fine societatis vterque recipiet sua propria, & non ea, quæ alius posuit.

Sexto obs. est, ꝙ qñque additur aliquod pactum existens præter naturalia societatis; puta, conueniunt, ꝙ si aliqua animalia de capitali moriantur, debeant reparari per fętus, aut quod de velleribus emātur, vt sic capitale reintegretur. His præmissis, pono duas conclusiones de societatibus aīalium.

Societas animalium est licita.

Prima cōclus. Traditio aīaliū facta in specie societatis modis supradictis ex suo genere est licita; primo q̄a vt sit, nō est nisi traditio, qua quis animalia, quæ sunt sua communicat alteri quo ad dominium, & vtilitatem, vel vtilitatem tm̄, & hoc quia alter similiter aliquid communicat, & hęc est licita

ex genere: patet, quia ille posset talia donare gratis, vel vē e re pro pretio, ergo pōt ea hoc modo cōicare: cōsequentia est euidētissima, vnde pōt vestiri oīb. debitis circūstātiis, atq. ita erit simpliciter, & perfecte licita, v.g. quod contrahens, siue tradens non sit prohibitus, nec recipiens & quòd talis cōmunicatio fiat ob finem honestum, & ad vsum licitum, & pro loco, & tempore congruis, & tandem seruato debito modo, s. seruata æqualitate conditionis vtriusque simpliciter, vel secundum proportionem eius, quod cōicatum est socialiter.

Regula ad cognoscendū an societas sit licita.

Secunda conclusio. Ad cognoscendum si seruetur debitus modus multum prosunt sequentes regulæ. Prima, quod cōsideretur, an vtriusque sociorum sit æqualis conditio, & hoc tam in rebus capitalibus hinc inde communicatis, quam in fructibus inde percipiendis, & oneribus, & periculis sustinēdis: vnde ex hac æqualitate, & inæqualitate erit cōtractus licitus, vel illicitus. Secunda regula, consideretur, an cōtractum talem cum talibus circunstantiis, ex pactis sibi propositum, passim ineant pauperes, & diuites, &c. Nonnunquā.n. rustici habent paleas, fœnum, & prata, quæ non possunt commode distrahere, nisi habeant animalia &c. Similiter eorū mulieres scientes formare caseum, non possunt, nisi habeant animalia. Vnde tali necessitate pressi ineunt huiusmodi contractus onerosos, quatenus maiora incōmoda declinēt. Tertia regula, si alter sociorū imponit aliqua onera alteri cōtra, vel præter naturā societatis, an alia via reluderit: quia si nō, cōtractus erit illicitus, videat ēt si societati sit annexa, vel admixta mutuatio, ne forte ratione illius sit illicita. His regulis bene perpensis, atque consideratis, quamplurimi possunt resolui casus, & vt ad particularia descendamus, sit

Primus casus.

Primus casus. Petrus tradit Ioanni 20. animalia æstimata, & Ioannes debet habere medietatem medietatis fructuum, & fœtuum prouenientium, ita tamen, quod Ioannes teneatur reddere Petro medietatem illorum animalium saltem in valore, ēt qualitercunque pereant. Respondeo, quod hic stant duo contractus, s. societatis, & mutui. Nam Petrus censetur decē animalia de prædictis mutuasse Ioan. pro quanto vult a Ioan posse repetere decem animalia, vel saltem valorem, qualitercunq; pereant: tunc.n. proinde est, ac si tantūdem pecuniæ tradidisset Io. repetibiliter cū periculo ei imposito: Pro quanto vero reliqua. 10. animalia tradit Io. nō obligando eū ad periculū fortuitū dimittēdo ei medietatem medietatis fructuū animaliū, q̄ est medietas fructuū. 10. aīaliū, & cōtra Io. cōicat Petro opera sua circa aīalia impēdenda, & nō cēsetur ei illa locasse pro mercede; q̄a illa medietas debēs cedere Petro nō cōsistit in quātitate determinata, ideo nō erit locatio, sed societas. Ex his dico vlterius, quod ad hoc, quod contractus sit licitus, requiritur, quòd Petrus nihil exigat prætextu decem animalium, quæ mutuauit.

Secundus vero ad hoc, q̄ sit licitus, requiritur, q̄ ex quo communicare volunt fructus aliorum decē, ēt æqualia capitalia posuerint, ita q̄ decem animalia quo ad fructus æquiualeant operibus Ioan. alias contractus erit illicitus illi, qui minus posuit: requiritur etiā, quòd æqualiter subiaceāt periculis &c. Sed si Petrus etiā communicasset decem animalia quo ad dominium, tunc ipse videtur longe melius capitale posuisse, q̄ Io. quia in fine societatis reciperet vltra fructus, quinque animalia, & per consequens conditio Ioan. esset longe melior: igitur numquam ageret, nisi Petrus liberaliter ei daret, vel nisi Ioan. subiret aliquod periculum, quod esset adæquatum illi excessui, dummodo illud non sit totum periculum capitalis societatis, alioquin contractus inciperet apparere mutuatio lucrosa, sicut de prima parte huius contractus dictum est.

Secundus casus

Secundus casus. Petrus tradit Io. centum oues, & Io. ponit operas pascendo, & curando &c. & vterq; habebit medietatē fructus earū, ita tñ, quòd Io. medietatem talem non recipiat donec Petrus tantum receperit de fructibus ouium, q̄ sit sibi satisfactum de valore illarum, secundū quod fuerunt æstimatæ. Ad istum casum respondetur, q̄ est illicitus: quia est similis ei, quo Petrus tradendo eas Io. pacisceretur. q̄ Io. dēret de fructib. restaurare aīalia illa, si cōtingeret ea mori, q̄ est illicitū; quia Petrus vellet semper suū capitale esse solutū ad modū mutuantis ad vsurā: vnde hoc agere, esset velle tradere aīalia immortalia. Sed clarius pōt aliter responderi per duas distinctiones, & tria dicta; prima distinctio. Casus pōt dupliciter intelligi, s. aut quod Petrus velit, quod si aīalia ēt sine culpa Ioan. moriantur, antequam de eis aliquid proueniat, adhuc Ioan. satisfaciat de valore animalium, aut solū vult, quod tanto tempore, quanto vixerint animalia, velit percipere fructus, donec ei sit satisfactum de præfato valore, ita quod si moriantur antequam sit ei satisfactum, nihil vult habere, neque sibi dari a Ioan. & isto secundo modo nō esset tradere animalia immortalia, neque ad modum mutuātis sub vsuris, quia si morerentur nihil requireret.

Primū dictum. Si casus intelligatur primo modo, est illicitus Petro: quia tunc aīalia stāt totaliter periculo Io. & perinde est, ac si mutuasset ea Ioā. & vellet sibi aliquo tpe elapso restitui saltem in valore, & nihilominus recuperato valore, vellet habere ius, & dominium in medietatem fructus spectātis ad Io. & tale ius, & dominiū esset incrementum sortis mutuatæ, & per consequēs vsura. Et si Petrus diceret, volo imponere Io. tantū periculum mortis naturalis, & mihi seruare periculum fortuitum, vel e cōtra, & sic cessabit esse, & apparere mutuū. Respondeo, quod non cessaret tum esse mutuum; imò esset, sed cum pacto innaturali, quo Petrus susciperet aliquod periculum rei mutuatæ, s. illam determinatā mortem, & esto, quod pro illo periculo suscepto liceret sibi aliquid recipere, tamen in illo casu nimis multum reciperet: vnde in fraudem vsuræ esset excogitatus contractus.

Secundū dictū. Si intelligatur casus secūdo modo, adhuc distinguo, & est secūda distinctio. Nā contingere pōt, q̄ postq̄ Petro est satisfactū de valore aīalium per fructus, aīalia moriant statim, & sic Io. nihil hēret vtilitatis a Petro, vel de aīalibus, & tñ Petrus participasset opera Io. igit aut Petrus tali casu vult dare Io. æquiualēs operib. suis, aut nō; si primū, tūc Petrus nō grauat Io. inique, sed æqua apparet cōditio vtriusque: perinde.n. est, ac si Petrus retinuisset aīalia apud se, & cōduxisset Io. pro tāto tpe, donec de fructib. valorē aīaliū percepisset, & pro illis operib. satisfecisset Io. & dehinc eidē cōicaret vtilitates aīaliū, & ipse Io. recōmunicaret operas æquiualentes, & tunc liceret vtrisq; etsi non tm̄ fructus communicaret Petrus, sed ēt dominium animaliū, tunc si Ioā. opera æquarētur tali participationi, hoc melius nouit rusticus &c.

Tertium dictū. Si detur secundū membrū, s. q̄ Petrus nihil vult dare Io. æquiualēs operib. suis, tunc contractus est illicitus Petro: quia nimis grauat Io. vt patet. Nisi dicatur alterum duorū, s. vel q̄ illa medietas fructuū sit tanta, & talis, q̄ non adæquatur operib. Ioan nisi cum tali conditione, s. q̄ prius Petrus recipiat valorem animaliū, vel q̄ Petrus ei promittat non solū medietatem fructuum, sed ēt participationē dominij aīaliū, & sic tali spe munitus iudicet Ioā. bonū sibi fore exponere se periculo nihil habendi, quamdiu Petrus recipiat suū capitale, vt postea medietatē fructuū perciperet, & aīaliū, & eū huiusmodi distinctionib. verius respūdet, & clarius, q̄ absolute casū damnare, vt faciūt Vlricus, & Ioan. de Lignano, vel absolute iustificare, vt facit Laurētius de Rid. ss.

Vlricus. Io. de Ligna. Laurentius.

Tertius casus.

Tertius casus. Petrus tradit centū oues Io. tali pacto, q̄ oē periculū earū sit vtriusque, ita q̄ qualitercūq. pereant, quilibet sustineat medietatē, si aūt nō pereāt, prius debeat Petrus extrahere suū capitale, & postea oues sint cōes vtrisq; æqualiter. Ad istum casum dimissa respōsione aliorū cum sua cōfutatione, pro qua vide Conrad. q. 92. casu. 6. Respondetur resolute sub distinctione: nā ex quo casus supponit, quod sit cōtractus societatis. videndū est quid Io. ponat ad hāc societatē, & si dicas, opera, tūc aut opera æquiparātur cōioni ouiū, aut nō, si primū, tunc cōtractus est illicitus Petro duplici de causa, prima, quia ex quo Io. tm̄ capitale ponit, sicut Petrus, iustū est, q̄ solum tantumdē periculi sustineat, videlicet, vt solū medietatē totius capitalis aggregati ex vtrisq; capitalib. sustineat, atq; ita sufficiet Io. sustinere amissionem operū suorū, atq. adeo nō erit aequū, q̄ ēt soluat medietatē pretij ouiū Petro. Secunda causa est, rōne pacti: quia ex quo Io. tantūdē ponit, quantum Petrus, igitur iustū est, q̄ tantūdē vtilitatis percipiat, sicut Petrus, & per cōsequēs non licebit Petro ante oīa velle trahere suū capitale, & si solum velit trahere illud, casu quo superuixerint oues tāto tpe, donec fructus recipiat æqualitatē capitali: Nisi quis fingat, vel supponat, q̄ quamuis id esset æquū absolute loquēdo, s. q̄ Io. tantūdē reciperet, &c. tñ attēto, q̄ Petrus vult subire medietatē periculi; quod merito totum deberet pertinere ad Ioā. s. periculum ex culpa lata, & leui prouenientis, ideo non est miū, si Petrus in refusione velit prius capitale suū extrahere, si nō pereāt oues. Dico, q̄ esto hoc hēret apparentiam, saltem si Petrus intellexit vniuersalitatem periculorum, vt supra, q̄ vix inueniretur, quod tradēs velit pericula omnis culpæ recipiētis subire, tñ adhuc oportet ad hoc, quod cōtractus esset licitus ipsi

Conradus.

Petro

Petro, quod esset adæquatio inter susceptionem talis periculi pro medietate; & extrahere prius suum capitale, si non pereant oues: & hoc vix apparet, scilicet, quod sit adæquatio.

Dico secundo quo ad secundum membrum distinctionis positæ in principio, scilicet, quod si operæ Io. non æquiparentur communicationi, quia scilicet sunt viliores: tunc quamuis non sit æquum, quòd Ioan. tantumdem percipiat de eis, sicut Petrus, & per consequens ipse Petrus poterit plus velle de eis percipere proportionabiliter ad id, quod posuit, quã Io. non tamen sequitur, quod ex hoc liceat Petro extrahere primum suum capitale, prout sunt casus: quia nondum constat, quantum operæ deficiunt ad hoc, vt adæquarentur communicationi ouium. Vlterius Petrus exponit Io. periculo nihil habendi pro operibus suis, scilicet, si quando post extractionem sui capitalis oues morerentur, atque adeo Petrus peccabit, nisi medietas participandi oues, & fructus post illã extractionem cessura Ioan. ex pacto a principio contractus fuerit verisimiliter tanta, quod merito Ioan. subierit periculum illud nihil habendi. Si autem operæ Ioan præualent omnibus, tunc Petrus dupliciter peccat, tum quia plus participare vellet, & minus posuisset. Nisi dicatur, quod plus participationis sibi indebitæ recompẽsatur per hoc, quod Petrus æquale periculũ vbi minus tenetur; sed tunc oporteret, quod esset adæquatio inter periculum, quod subit Petrus, & illud plus participationis sibi indebitæ. Possent & alij casus poni, tamen ex regulis. & solutionibus istorum facile alij possent solui, atque adeo hæc breuiter dicta sufficiant de societatis cõtractu. Reuertamur modo ad literam Doctoris Subtilis.

De Vsura & Mutuo.

Vsura est duplex. Vsura est duplex, vna spiritualis, & æqua, altera corporalis, & iniqua, primo modo sumitur metaphorice pro lucro per excrescentia bonorum spiritualium, quam Deus a nobis exigit, volens quod proficiamus super bonis ab eo receptis ad nostram, non ad sui vtilitatem, quia bonorum nostrorum non indiget. Vnde Matt. 25. dixit dominus, Nonne oportet te pecuniam dare numulariis, & ego veniens cum vsuris exegissem eam: Et de hac dixit Salom. Prouerb. 19. fœneratur *D. August.* Deo, qui miseretur pauperi: Et D. August. inquit, Miser homo cur fœneratis homini? fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Talis vsura debet a nobis exerceri. c. sicut non suo 46. dist. per quam regnum cælorum *Glossa.* emitur. de pœnit. d. 1. c. medicina. licet principaliter ex misericordia Dei, vt dicit Glos. 1. in c. ordinationes. 1. q. 1.

Vsura de qua hic loquimur est peccatum. Altera vsura est, vt diximus, corporalis, & iniqua, de qua hic loquimur. Et nota, quod aliud est vsura, aliud peccatum vsuræ: peccatum enim vsuræ est ipse appetitus, vel acceptio lucri illiciti ex mutuo, siue propositũ accipiendi illud, quod in hac materia appellatur vsura; Vsura vero est ipsum lucrũ illicitum, quod appetitur, vel accipitur. Diffinitur autem vsura a multis diuersis modis: Nam Maior. in 4. dist. 15. dicit, *Nauar. Definitio prima vsuræ* quod vsura est volitio, seu volũtas accipiendi lucrum in mutui, quam definitionem respuit Nauar. in Cõmẽt. de Vsuris. *Nauar. Almaynus D. Ambros.* num. 15 ex eo quod non definit vsuram, sed vsuræ peccatũ. inter quæ magnam dicit differentiam: eam tamen explicat, & probat Almaynus in 4. dist. 15. q. 2. prænotando, quòd vsura capi solet dupliciter, vno modo materialiter, pro illo circa quod committitur peccatum vsuræ: & hoc pacto, inquit D. Ambros. quod vsura est quicquid accedit sorti, idest, omne id, quod vltra sortem, vel ubi gratia, vltra pecuniam mutuatam accipitur, vsura appellatur; Alio modo sumitur vsura formaliter: atque ita definitur a Maiore, quæ non est aliud, quam volitio ex vi mutui aliquod lucrum temporale accipiendi, & hoc modo vsura duas præsupponit volitiones, vel vnam duabus æquiualentem. Volitio prior est mutuandi, posterior est consequendi lucrum ex mutuo, ita quod prima se habet, vt vsus, secunda, vt fruitio, vel prima, vt electio, secunda, vt intentio. Est ergo vsura formalis, inquit Almayn. volitio aliquid præcipiendi vltra sortem vi mutui, causata ex spe alicuius lucri temporalis super sortem concessam, vel mutuandam, vel mutuatam. Cæterum, vt docte inquit Nauar. hac definitione magis explicatur quid sit peccatum vsuræ, quam ipsa vsura.

Definitio secunda vsuræ. Sotus. D. Thomas. Petrus Nauar. Secundo definitur vsura à Soto lib. 6. de Iust. qu. 1. Vsura est pretium vsus rei mutuatæ; quam accepit a D. Thom. 2. 2. qu. 78. art. 2. & eam probant Petrus à Nauar. de rest. libr. 3. c. 2. p. 2. & omnes Diui Thom. discipuli: eam tamen reprobant Nauar. in Cõment. de vsuris. num. 16. tum quia datur *Nauar.* (vt inquit) verbis in hac materia insuetis, & rem ipsam obscurantibus: nam pretium in hac materia parum vsitatum est: tum quia sequeretur, quod non esset vsura mutuo tibi dare centum aureos, vt in fine anni reddas mihi centum, & decem, non propter vsum eorum, qui per mutuũ facti sunt tui, sed propter bonum mutuandi opus, quod meum est; quia nihil reddis pro pretio vsus rei mutuatæ, sed in præmio operis mei boni; quod tamen est contra mentem omnium: tum, quod mutuare ad obtinendum aliquod beneficium Ecclesiasticum, est dare ad vsuram, & tamen beneficium non est pretium, nec iure pretio æstimabile, iuxta Glo. celeb. c. *Glossa.* coram de offic. deleg. licet suapte natura sit æstimabile. Et quamuis ad hoc responderi posset pretium pro pretium sæpè vsurpari, iuxta illud Teren. in And. Ego ob stultitiam pre- *Terentius.* tium fero, replicari tamen potest, quod ratio, cui definitio illa innititur, concludit illud pro pretio vsurassumi.

Definitio 3. Vsuræ. Hostiensis. Angelus. Tertio sic definitur ad Host. in summa, vt dicit Ang. verbo. Vsu. idest, Vsura est quodcunque solutioni rei mutuatæ accedit ipsius rei vsus gratia, pactione interposita, vel hac intentione habita in contractu, vel exactione habita post contractum; Dicitur: quodcũque, idest quocunque nomine censeatur, siue consistat in dando, siue in faciendo; dummodo pretio sit æstimabile, & si vltra sortem exigatur, erit vsura, 14. q. 3. Vsura. & c. plerique. & ponitur illud, quodcunq; loco generis, atque ita comprehendit omne, quod pecunia potest æstimari. Secundo dicitur, rei mutuatæ: quia in solo mutuo vero, vel interpretatiuo consistit vsura, secũdum omnes Doctores: nam in locatione, & emptione vere non committitur, & ratio est, quia in contractu locationis dominus retinet dominium, & periculum, adeo quod conductor non potest rennere fundum, quem conduxit ratione domini, sed debet primo restituere possessionem, & postea agere, si eredit fundum ad se pertinere. l. si quis conduct. C. loca. secus in mutuo: quia transfertur dominium, bene verum est, quod in istis cõtractibus posset vsura adesse interpretatiue, de quo *Rosella.* vide Rosel. Vsura. 3 & deincep. Dicitur tertio, ipsius rei vsus gratia, idest consumptionis, sed si pœnæ, vel interesse loco apponeretur, non esset vsura, vt infra videbimus. Dicitur quarto, pactione interposita, quia sine pactione, & exactione, aut intentione gratis aliquid datur, non erit vsura, prout infra plenius explicabitur. Obserua, quod ista definitio continet duo, scilicet, vnum materiale, & aliud formale, primũ est ipsum mutuum, formale vero est ipsa lucri exactio, siue obligatio in pactum deducta: quia vbi nullum est pactum, ibi nulla obligatio, secundum Ioan. de Ana. in rubr. eod. tit. *Ioa. de Ana.* Vnde si gratis aliqd offeratur, põt recipi, vt videbimus infra.

Definitio. 4. Vsuræ. Gabriel. Nauar. Quarto sic definitur a Gab. in 4. d. q. 11. Vsura est lucrum ex mutuo principaliter intentum, vel vt Nauar. dicit loco supra citato nu. 6. & redit in idem. Vsura est lucrum pecunia æstimabile suapte natura, principaliter in mutui vi, vel palliati quæsitum, vel speratum. Dicitur primo lucrum pro genere: nam omnis vsura est lucrum, & non è conuerso, vt patet de lucro iustæ negotiationis. Est autem lucrum incrementum, vel pecunia mensurabile, siue fit munus a manu vel à lingua, siue ab obsequio, quod quis habet voluntaria ex mutuatione, vltra ea, quæ prius sua erant, & ea, quæ sua erant, dicuntur sors in hac materia: Et dicitur, quicquid pecunia commensuratur, quia sunt quædam, quæ sorti accedunt, quæ non faciunt vsuram, vt amicitia, gratitudo, & c. Dicitur secũdo, pecuniæ æstimabile suapte natura, & differentiam lucri suapte natura non æstimabilis pecunia, tum ad includendũ beneficium ecclesiasticum, quod licet non sit iure æstimabile, vt diximus supra est tamen suapte natura tale; tum ad excludendum lucrum rei spiritualis meriti, & gratiæ, quod mutuans in statu gratiæ, quando, & quomodo, & cut oportet, quærit apud Deum: iuxta illud Ps. Beatus vir, qui miseretur, & commodat, siue muruat & c. Et illud Matt. 19. Centuplum accipietis & c. quod proprie non est vsura, licet interdum metaphorice sic dicatur, vt notauimus supra. Dicitur, principaliter intentum, seu quæsitum, quia si non intendere tur lucrum in mutuo, sed qui mutuatur ex amicitia propter beneficium præteritæ mutuationis contracta, aliquid offerret mutuanti, licite recipi potest: si vero præsumitur, quòd sit quasi in pretium mutuationis, sic recipi non debet: Si autem is, qui mutuũ recipit expresse dicit, quod non dat illud ratione mutui facti, vel fiendi, vel sperati, tunc satis præsumi põt, quod illud gratis donat, nisi aliud ex circunstãtijs appareret.

Dicitur, ex mutuo, seu vi mutui, ad differentiam lucri, quod ex alijs contractibus accipitur: nam lucrum ex commutationibus acceptum non est vsura, etiamsi fuerit illicitum, vt dum quis superuendit, & in hoc dissoguitur etiam vsura a turpi lucro; ponitur etiam ad differentiā eius, quod ratione veri interesse lucri cessantis, vel damni emergentis accipitur; quia illud non est vsura, iuxta Glos. sing. & recep. in c. conquest. de vsuris. Ex quo sequitur, quod si quis alias debita acciperet occasione mutui, non committeret vsurā; vt si quis debeat mihi decem, & ego mutuo illi centum, ea intentione, vt vltra centum reaccipiam etiam illa decem, alias non rehabiturus, nisi illi centum mutuassem, non committo vsuram; tum quia licet illa decem accipiam occasione mutui, tamen non accipio illa ex mutuo, siue vi mutui; tum etiam quia illa decem, quæ recipio, non accipio nomine lucri; quia alias mea sunt, aut mihi debita. Dicitur postremo, veri, vel palliati, ad includendum lucrum, quod de mutuo palliato quæritur; dicitur etiam notanter, intentū, & non pactum, quia intentum in plus est, quam pactum: nam omne pactum intentum est, & non è conuerso; ex quo innuitur, quod non solum acceptum vltra sortem in mutuo ex pacto facit vsurarium, sed etiam si intenditur lucrum absque pacto, vsura committitur.

Vsura est duplex.

Ex his sequitur duplicem esse vsuram, scilicet realem, & mentalem. Realis est vsura, quæ cum pacto expresso, vel tacito recipitur. Vsura vero mentalis est, quæ accipitur sine pacto expresso, nec tacito ex mutuo facto intentione principali recipiendi eam, iuxta mentem omnium. in c. consuluit. de vsuris. & c. fin. de simo. Vnde sequitur vsurā mentalem non dici mentalem ob eamdem rationem, qua alia peccata mentalia, quæ communiter mentalia appellantur: alia enim dicuntur mentalia, eo quod sint actus interioris voluntatis sine verbo & opere consecuto, vt homicidium mentale, voluntas occidendi mente, non consecuto opere; furtum mentale, voluntas furandi, non secuto furto, & sic de alijs. Mētale vero, & reale dicitur, quando vtrunque concurrit, & consequenter vsura mentalis communiter non appellatur mentalis, eo quod sit voluntas committendi vsuras sine opere consecuto, sed eo quod capitur sine pacto expresso, aut tacito, ex sola mentis intentione, qua mutuans mutuat, vt aliquid amplius sibi reddatur. Vnde infertur, quod aliud est peccatum vsuræ mentalis, & aliud vsura mentalis; vsura quippe mentalis est illa, quæ proxime definita est; Peccatum autem mentale vsuræ est voluntas exercendi, vel recipiendi vsuram, receptione non secuta, neque opere consecuto. Ex quo sequitur primo nullum peccatum vsuræ mentale, quamtomuis mentale sit illud, si nihil accipiatur ad restitutionem obligare; e conuerso autem omnem vsuram receptam, quamuis solum sit mētalis, idest recepta sine pacto tacito, nec expresso cum intentione principali recipiendi eam, obligare ad restitutionem; dixi, cum intentione principali, quia non quæcunque spes lucri mentalem facit vsuram, sed illa tantum, quæ est vsura principalis illius mutuationis; ita vt ea non existente nō mutuaret: vt docent Ang. verbo vsura nu. 1. Syluest. eodem verbo. q. 1. & Nauar. loco supra citato, num. 13. nam si mutuans ita sperat lucrum, vt etiam si illud non speraret, nihilominus mutuaret ex debito vel amicitiæ, vel conscientia, non committit vsuram, vt communiter tenent Doctores, quos citant Ang. & Syl. locis supra citatis. Secundo sequitur, quod cum Doctores disputant de vsura mentali, an obliget ad restituendum, non quærunt de peccato mentali vsuræ: nam certum est illud non obligare, sicut nec vllum aliud peccatum mentale tantum obligat ad restitutionem; sed disputant an vsura mentalis, siue lucrum, quæ solum ex mutuo sine pacto cum intentione principali ob illud facto, obliget ad restituendum illud; Infertur ex hoc, quod inuenitur, & frequenter peccatum mentale tantum vsuræ mentalis; quippe multi sunt, qui volunt mutuare mente, & intentione principali recipiendi aliquid amplius, sine vllo pacto, & tamen non mutuant, per quod apparet quantum differat vsura mentalis a peccato mentali vsuræ, cū illa sit frequenter obiectū huius.

Angelus. Syluester. Nauar.

Vsura realis est duplex.

Vsura realis est duplex, scilicet aperta, & palliata; aperta est quæ verbis expressis, & manifestis exercetur; palliata vero, quæ exercetur verbis fucatis, & fallacibus; vt si quis diceret; Do tibi mutuo centum, scis tamen qualis sit vsus, & quod non habeo vnde viuere possim. Mutuū dicitur quasi de tuo tuū, & sic definitur a Bartolo in l. 2. in fine. ff. si certū petatur, vbi dicit. Mutuum est alicuius rei vsu consumptibilis in numero, pondere, vel mensura consistentis gratuita facta translatio, sub spe recipiendi tantumdem in genere suo, in simili numero, pondere, & mensura. Quæ definitio non probatur in totum a Conrad. tract. 2. de contract. q. 18. quoniam, inquit, particula illa, gratuita, superflua: non enim necessario requiritur: nam licet requiratur ad licitam mutuationem, tamen non requiritur ad mutuationem acceptam in communi ad licitam, & illicitam, nam etiam mutuatio vsuraria est mutuatio, vt patet ex definitione vsuræ. Nec valet, si dicatur, quod illa particula ponitur ad differentiam locationis, vel contractus alicuius innominati, non gratuiti: eo quod si concedatur res pro mercede, erit locatio, si merces sit in pecunia; vel erit innominatus, do, vt des, si non consistit in pecunia: nam illi contractus sufficienter excluduntur per hoc, quod dicitur, non conferre, do vsum eius &c.; nam in locatione solum transfertur vsus.

Mutuum quid sit.

Bartolus.

Conradus.

Quapropter Conradus sic definit mutuum. Mutuum est contractus, quo quis pecuniam, vel speciem, idest rem vtilē, cuius vsus est eius consumptio, secundum quod ordinatur ad talem vsum, concedit alteri non tantum transferendo vsum in illum, sed etiam dominium, illo tamen alio obligato ad reddendum post lapsum temporis idem in genere, & æquiualens, vel in numero, pondere, & mensura. Pro huius definitionis intelligentia obseruandum est primo, quod mutuum capitur dupliciter, vno modo pro re data, atque ita pecunia, vel alia res nata mutuari, si mutuetur, dicitur mutuū; & sic non capitur in proposito, secundo modo sumitur pro actu mutuandi & sic capitur hic: & quia crebro oportet fieri mentionem de requirente ab alio mutuum, ideo breuitatis causa appellabitur mutuatarius, quemadmodum qui donum recipit appellatur donatarius, & qui depositum depositarius, atque ita de alijs.

Mutuum bifariam sumitur.

Secundo obs. est secundum Alex. de Ales. p. 3. q. 49. m. 4. art. 1 quod mutuum nō contingit fieri nisi de his rebus, quæ consistunt in numero, pondere, & mēsura, numero, vt quælibet moneta, quæ proprie dicitur pecunia numerata, pondere, vt auro, & argento, ære, &c. quæ appenduntur mensura, vt frumento, vino, oleo, pane &c. & addit, vt habetur in glo. in c. conquestus, de Vsur. quod duo sunt contractus, qui de sua natura volunt esse gratuiti, scilicet mutuum, & commodatum; in mutuo enim versum est, quod requiritur, quod sit gratuitum, alioquin est vsura, sed in commodato si aliquid recipitur pro re commodata, statim desinit esse commodatum, quia aut recipitur aliquid pro re ipsa, aut pro vsu rei, si pro re ipsa aliquid recipitur, aut recipitur pecunia, aut res alia, si pecunia est emptio, vel vēditio, si alia res recipitur erit contractus permutationis, si pro vsu rei accipitur pecunia, erit contractus locationis, si res alia erit, erit contractus innominatus, vt do, vt des, vel vt facias.

Alex. de Ales.

Mutui materia quæ sit.

His obseruatis, explicatur definitio mutui. Dicitur primo, quòd mutuum est contractus, quod ponitur loco generis, secundo dicitur pecuniam, vel speciem: quia non solum numisma, vel pecunia sola nata est mutuari, sed etiam species, idest res vtiles distinctę a numismate, vt sunt frumētum, vinum, & oleum, &c. Dicitur tertio, cuius vsus est eius consumptio: quia res, quarum vsus non est consumptio non mutuantur, sed commodantur: nam in his rebus, in quibus vsus distinguitur a dominio non habet locum mutuum, sed accommodatio, vel locatio. Dicitur quarto, secundum quod ordinantur ad talem vsum; quia si secundum quod res talis ordinaretur in alium vsum, non esset mutuum, vt si pecuniam meam tibi concedam, vt eam contractes in manu tua, vel eam in arca reponas ad ostentationem, vel ea vtaris ad medicinam pro tua sanitate, vt aurum quod habet virtutem contra quasdam ægritudines, non esset mutuum, sed magis accommodatio si fiat gratis, seu locatio, si fiat pro mercede. Dicitur quinto, non transferendo vsum, & per hoc differt mutuum a contractu locationis, & commodationis, in quibus solum transfertur vsum, & non rei dominium; in mutuo autem quoad vtrumque. Dicitur sexto, illo tamen alio obligato, & per hoc differt a donatione, in qua licet transferatur dominium sicut in mutuo, tamen ille alius, nempe donatarius non obligatur ad reddendam rē illam, vel aliam; quia donum, vt docet Aristot. in Ethic. est datio irredibilis, idest facta sine spe, quod donatarius reddat æquiualens. Dicitur septimo, post lapsum temporis &c. & in hoc differt a cambio, & permutatione; nam cambiens

Definitio mutui explicatur.

Aristot.

biens aureum pro moneta, licet transferat aureum in alium quo ad vsum, & dominium, etiã illo alio obligato ad reddẽdum sibi monetam æqualentem, tamen ille alius obligatur ad mox reddendum sine expectatione temporis, & hoc si cambium est purum: quia si expectaret redditionem sien dam per alium, ibi etiam esset admixtum mutuum in illo cãbio pro quan o vellet, quod alius pro aliquo tempore possit monetam retinere, & postea sibi dare; Idem dicendum est de permutatione. Dicitur octauo, in genere, & æquiualens: quia recipiens mutuum non tenetur ad restituendum eandem rem in numero, seu in indiuiduo, quam mutuo accepit, quod patet, quia ex quo solum illæ res sunt natæ mutuari, quarum vsus est earumdem consumptio, secundum quòd sunt tales, eo ipso quod quis mutuat aliquam rẽ proximo, consensit, quod ille consumat illam rem, & per consequens, quod non restituat eamdem in numero, cum consum ptum non possit naturaliter idem numero tedire; sufficit ergo, quòd reddat idem in genere, & accipitur idem in genere pro eo, quod non est idem in numero, seu in indiuiduo, dummodo sit idem in specie; nam quod Philosophi, & Theologi vocant idem in specie, Iurisconsulti appellant idem in genere, & quod Philosophi, & Theologi idem in numero appellant, Iurisconsulti vocant idem in specie. Vnde Iurisconsultus in l. 2. ff. certum petatur. Mutuum damus receptum, non eamdem speciem, quam dedimus, alioquin aut commodatum erit, aut depositum, sed idem genus, & in hoc differt mutuum a commodato, & locato, in quo oportet, quod commodatarius, & conductor reddat rem eamdem in numero: alias condemnabitur quanti interest: nec etiam oportet, quod in eadem bonitate omnimoda, quia conductor habet ius vrendi re conducta. Et nota, quod dicitur, mutuo mutuas, re, actiue, idest, mutuum dare, & dicitur, mutuor, deponenter, quod est mutuum accipere; Hinc in Psal. Mutuabitur peccator, & non soluet: mutuabitur, idest mutuum recipiet, & de hoc sunt versus. Mutuo vult dantem, sed mutuor accipientem. Mutuo tradentis, sed mutuor accipientis.

His in generali pro explicatione vsuræ, & mutui obseruatis; Quemadmodum circa emptionem, & venditionem quasdam breues, & communes quæstiones explicauimus, ita nonnulla de vsuris in mutuo contingere solitis in præsentiarum intendimus enodare: singula enim persequi, vt rei dignitas, ac horum temporum necessitas exigit a nostro instituto, qui Doctoris Subtilis commẽtatoris munus subire decreuimus, alienum prorsus iudicamus. Dicam ergo solum ea, quæ ad Doctoris Sub. tectam intelligẽtiam fuerint oportuna: quemadmodum fecimus in superioribus, & in sequentibus etiam præstabimus: adiunctis tamen nonnullis, quæ ad huius materiæ, & cæterarum, quæ a Doct. Sub. tractantur, aliqualem explicationem, atque persectionem fuerint aptiora. Et primo quæritur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum de Vsura, cognoscere magis pertineat ad Theologum, quam ad Iurisperitum.

PRo solutione huius quæstionis obseruandum est primò, quod eadem res potest pertinere ad considerationem diuersorum artificum, & scientiarum, & hoc contingit dupliciter, primo subijciendo illam rem respectu diuersorum prædicatorum, sicut homo est de consideratione philosophiæ naturalis respectu huius prædicati, mobile, & corruptibile, & scientiæ moralis respectu huius prædicati, felicitabile, alio modo respectu eiusdem prædicati, & sub eadem ratione formali accipiendo subiectum, & hoc tripliciter, aut quia tale prædicatum ostenditur in vna scientia de illo subiecto per vnum medium, & in alia per aliud, sicut quod terra sit rotunda demonstratur in philosophia naturali, vt patet in fine secundi de cælo, & mundo, & in Mathematica, vel quia in vna demonstratur prædicatum de subiecto demonstratione propter quid, & in alia demonstratione quia, quæ demonstrationes generant diuersas, & distinctas scientias, aut tertio quia in vna tale prædicatum supponitur in esse subiecto, vnde talis propositio habetur pro principio, & in alia tale prædicatum ostenditur de subiecto, & talis propositio est conclusio, & hoc patet in scientijs subalternatis, in quibus quod est conclusio in subalternante, est principium in subalternata. Ita ad propositum mutuatio vsuraria potest esse de consideratione Theologiæ, & etiam scientiæ iuris, & quo ad diuersa prædicata, nempe respectu illius prædicati, quod est eam esse peccatum mortale, & ipsam diuino iudicio æternaliter puniendam, & in foro conscientiæ, vt lethale peccatum per sacerdotem iudicandam, & pœnitentiam imponendam. Respectu vero alterius prædicati, verbi gratia, quòd in foro exteriori est punienda pœna canonica, vel ciuili, puta, quod eam exercens est infamis, & quod oblationes eius non sunt acceptandæ ad altare, & quod testamentum eius non factum secundum quod dispo nitur in cap. quamquam, de vsur. sit irritum ipso iure, & sic de alijs est de consideratione scientiæ iuris. Respectu etiam eiusdem prædicati potest esse de consideratione vtriusque: nam tam Theologus, quam Canonista habet considerare eam esse peccatum mortale, aliter tamen, & aliter, quia per diuersa principia, & adeo diuersa, vt vnus magis, quam alius habeat id considerare, vt patebit.

Res eadem ad diuersorum considerationem spectare potest.

Secundo obseruandum est, quod refert considerare contractum vsurarium in ordine ad aliquod prædicatum, verbi gratia dicendo, iste contractus est peccatum mortale, & considerare eum in ordine ad aliquod subiectum, puta dicendo talis actus est vsurarius. De primo modo dicetur in prima, & secunda conclusione, de secũdo in tertia, & quarta, Quis, scilicet magis habeat cognoscere qui contractus sint vsurarij; & qui non.

Tertio obseruandum est, quod duplex est contractus vsurarius: quidam est indubitanter vsurarius, de quo nulla est dubitatio apud Doctores; quidam est de quo dubitatur. Item quidam est in se vsurarius, etiam seclusa omni humana constitutione, sola diuina lege, & naturali, vt omnis mutuatio, quam quis exercet principaliter propter lucrum per modum pretij accipiendum vltra sortem pro mutuatione impensa. Et quidam in se non est vsurarius, sed propter constitutionem positiuam prohibentem eum bis eisdem pęnis, quibus contractus est vsurarius: exempli gratia. Aliquis contractus non est in se vsurarius, tamen si ius canonicum, vel ciuile, vel statutum municipale, aut synodale ipsum tamquam suspectum prohiberet, ne quis sub eo tamquam sub pallio absconderet fraudes vsurarum, vt si prohiberetur, quod venditio ad terminum pro maiori pretio fieret, quã sine termino, quia licet possit fieri licite in aliquib. casibus, tamen si prohiberetur, eo quod ibi est implicita mu tuatio, propter quam contingeret aliquem maleuolum velle aliquid amplius vltra sortem, iam ille esset contractus vsurarius positiue. His præsuppositis, sit ista prima conclusio.

Contractus vsurarius est duplex.

Contractus vsurarius, qui noscitur in se esse vsurarius quo ad hoc prædicatum, quod est esse peccatum mortale, magis est de consideratione Theologi, quam Iurisperiti; probatur, nam actus, qui rationem peccati mortalis immediate

O 3

alia ratione perijt, commodanti pereat, an potius commodatario, ita vt teneatur iterum eā restituere. Pro solutione,

Dico primo, quod si commodans, aut quicumque alius, cui ex quocunque alio contractu, aut titulo res vel certa in singulari, vel in singulari incerta, sed determinata in specie, & quantitate deberetur designare aliquem, per quem ad se mitteretur, tunc vniuersum si postquam tradita esset personæ ab eo designatæ, res illa culpa nuntij periret, aut quacunque alia ratione, vtique periret creditori, & non debitori; idque esto ortum habuisset obligatio restituendi ex iniusta debitoris acceptione, aut retentione; patet, quoniam eo ipso quod personam, cui traderetur, designauit, ratam habuit solutionem: imo eo ipso censetur per eam personam facta ei traditio, & debitum ei persolutum, vt patet ex l. eū qui §. vltimo l. si mei. ver. si dominus. ff. commod. debet tamen debitor creditori significare per eum nuntium rem illam ad se mittere, alias non censetur facta ei solutio; neque magis creditori periret, quam si per alium eam mitteret: quoniam nuntius ille solum fuit destinatus, vt debitorem de solutione admoneret, non vero vt illi solutio traderetur; vt habetur. l. si mei. §. commodatum. ff. commod.

Dico secundo; Quando quippiam in solius commodatarij vtilitatem fuit commodatum, & mittitur per personam a commodante minime designatam; si commodatarius non fuit in mora id restituendi, neque in culpa etiam leuissima tradendo id tali personæ, vel se ad casum fortuitum obligauit, aut iniusta mora ipsius occasionem præbuit, vt periret: quia si non fuisset in mora fortasse non perijsset tūc periret commodatario. Exemplum prioris partis est, quando id misisti per seruum, quem pluries expertus fueras fidelem, & ille cum illo aufugit, aut alia ratione perijt; tunc enim si nihil eorum interuenit, quæ in posteriori dicti parte commemorantur, perit commodanti, cuius id erat, ac proinde ad nullam restitutionem teneris: quia cum prudentissimus quisque nullam maiorem diligentiam moraliter loquendo, adhibuisset, certe neque in leuissima culpa fuisti; posterior vero pars ex se, & ex superius dictis est manifesta; vtraque vero constat ex l. eum qui. §. vltimo & ex duabus legibus sequentibus, & ex l. argentum. ff. commod. & vtramque affirmant, Angelus verb. commodatum. num. 15. Syluest. ibidem. q. 10. & ante eos Panor. c. significante. de pigno. num. 8. & Bart. & post ipsos Nauar. in Manu. c. 17. num. 185.

Angelus. Syluester. Panormit. Bartolus. Nauar.

Dico tertio; Quando commodatum fuit in vtriusque aut solius commodantis vtilitatem, in pignore, re conducta, re deposita, & in precario, itemque regulariter quando res in indiuiduo determinata habetur, atque ad creditorem mittitur, esto dominium illius adhuc ad eum haud pertineat, nisi enim præueniat culpa, ex qua, & pro cuius contractus qualitate debitor tenetur, & nisi fuerit in mora rem illam restituendi, ita vt occasionem præbuerit, vt id periret, vel nisi ex leuiori culpa, aut casu fortuito se obligauerit, vtique creditori, non debitori perit qui illam misit. Quare si is, qui in vtriusque vtilitatem aliquid commodato accepit, si id misit ad creditorem per eum, qui vir bonus habebatur, sed eius fidelitatem ipse semel, aut nunquam fuerat expertus, atque inter nuntius cum ea fugiat, vtique res perit creditori, cuius erat; quoniam in debitore non fuit leuis culpa illud ita mittendo, neque ex minori culpa vi contractus, ex quo illam habebat tenetur. Si vero qui rem precario accepit, aut commodato in solius commodantis vtilitatem, vel qui depositam illam habet, ad creditorem eam mittat, per eum quidem, quem nunquam antea nouit, qui tamen ei significauit creditorem dicere, vt eam ad se mitteret, & de quo debitor nullam sinistram suspicionem habeat, sane quamuis ille mentitus fuerit se esse nuntium, si cum ea re fugiat, perit creditori; quoniam debitor non fuit in lata culpa tradendo rem eiusmodi nuntio, sed solum in leui; neque vi illorum contractuum ex leuiori culpa, quam sit lata, aut dolus tenetur; patet ex his quæ dicta sunt ex iuribus supra citatis, iuncta lege apud Labeonem. §. vlt. ff. de præscrip. verb. & consentiunt Doctores supra citati.

Quando autem id, quod debebatur, incertum erat in indiuiduo, sed certum in specie, & quantitate, quale est, quod ex mutuo debetur, & ex varijs alijs titulis, tunc nisi mittatur per personam ad id designatam, vtique si pereat, antequam creditori tradatur, vniuersim perit debitori, esto nulla omnino illius culpa, sed deferentis, aut casu fortuito pereat; patet, quia res domino perit, quando ex parte alterius, qui illius non est dominus nulla interuenit culpa, aut pactum, vt ipsi periret, neque illi in singulari erat debita. In re autem proposita dominium rei, quæ ita debetur, pertinet ad debitorem; nullaque interuenit culpa, aut pactum ex parte creditoris, vt ipsi pereat, neque illi in singulari erat debita: tum etiam quia quando debetur res indeterminata in indiuiduo, non prius liberatur debitor ab obligatione illam soluendi, quam eam creditori tradat, aut ratam ille habeat solutionem, vel debitum remittat; nihil autem horum in re proposita cernitur. Hæc omnia colliguntur aperte ex c. significante. de pignoribus. & ex l. incendium. C. si certum peta. & ea affirmant Doctores citati, cum Nauar. ibidem. nu. 67. & Ioan. Medina de Rest. q. 2. §. ad id, quod quarto loco &c.

Nauar. Medina.

Sed quid, si creditor, & debitor conueniant, quod debitum tradatur ei, qui tale, vel tale signum attulerit; & tertius quidam id sciens, signum illud assumpsit, petijtque debitum, & cum eo fugit; peribit ne tunc creditori, an potius debitori? Dico, quod si res debita erat in singulari determinato, absque dubio perire creditori, iuxta ea, quæ dicta sunt: atque in hoc omnes conueniunt. Quando autem debita erat in indiuiduo indeterminato, dicendum est, quod si debitor signum manifestauit, atque inde ortum fuit, vt alius vtrumque deciperet, perit debitori; si autem creditor id manifestauit, vel dum conuenirent ambo, alius prætereuns, vel ibi astans id audiuit, & signum assumpsit, vel alteri manifestauit, qui signum assumpsit, tunc perit creditori; quoniam per tale pactum ipse consensit, atque in causa fuit, vt afferenti illud signum datetur.

Dubitatur iterum si res aliqua indiuidua, vt plaustrum, iumentum, aut aliquid simile duobus fuit commodata, an vterque in solidum teneatur, an vero solum quoad medietatem, si res commodata pereat. Dico, quod si in pactum nō fuit deductum, vt singuli in solidum tenerentur, & res sine culpa accipientium pereat, solum tenentur singuli ad medietatem mercedis, si res fuit conducta ad medietatem valoris rei, si in pactum fuit deductum, vt de casu fortuito tenerentur, aut si nondum rem restituerunt; quia in alium locum deducta sit. Quando vero culpa perijt, tunc singuli in hoc sensu tenentur in solidum: quod si vtriusque culpa perijt, singuli tenentur domino rei illius in solidum; verumtamen si vnus restituat totum, alter tenetur resarcire huic medietatem. Si vero res vnius tantum culpa pereat, tunc is solus tenetur in solidum domino rei illius, alter vero nihil illi debet; vt habetur aperte. §. si apud duos. ff. deposit. & §. si duobus vehiculum. ff. commod. atque idem habet ibidem Bart. summarium.

Bartolus.

De locatione, & conductione.

Locatio, & conductio valde affinis est emptioni, & venditioni: in primis enim conueniunt, quod sunt de iure gentium; secundo, quod consensu perficiuntur; tertio, quod vterque est contractus nominatus; quarto, quod vterque est contractus bonæ fidei; quinto, quod in vtroque necesse est certum constituere pretium; alioquin neque contractus censetur perfectus, neque validus; sexto conueniunt in eo, quod supra de arrha dictum est; septimo, quod sicut. l. 2. C. de rescind. vend. locum habet in emptione, & venditione, quando emptor, vel venditor læsus est infra, vel vltra dimidium iusti pretij; ita habet locum in locatione, & conductione, quando similis læsio vltra, aut infra dimidium iusti pretij interuenit; octauo, quod sicut in venditione transfertur dominium rei venditæ in emptorem accepto pretio; ita in locatione transfertur vsus rei locatæ in conductorem dominio rei permanente apud locatorem, pretio interueniente. Quapropter dixit Doc. quod vēditioni correspondet locatio, & emptioni conductio; ac proinde, vt seruetur iustitia in locatione, & conductione, seruandæ sunt omnes conditiones quantum ad vsum, quæ seruandæ sunt in iustis emptione, & venditione quantum ad dominium. Cæterum, vt aliquam notitiam de huiusmodi contractu locationis, & conductionis habeatis, videbimus primo quid sit locatio, atque conductio; secundo quis possit locare, atque conducere; tertio quæ res possint esse conductionis, locationisque materia; & quarto quotuplex sit locatio.

Locatio & conductio quomodo cū emptione, & venditione conueniant.

Scotus.

Quo

Locatio quid sit. Quo ad primum. Locatio est contractus, quo quis vsum alicuius rei, vel personæ in alium transfert pro mercede, sine hoc, quod in eumdem transferat proprietatem, vel rei ipsius dominium. v.g. habeo ius vtēdi domo mea, vel equo meo, & percipiendi fructus de agro, vel horto meo; si ego reseruata mihi proprietate, & dominio domus, equi, & horti, tibi pro mercede cōcedam ius vtendi equo meo, vel percipiendi fructus de horto meo, tunc dicor locare tibi equū, & hortum, & tu diceris conducere equum, vel hortum; & capio hic vsum non prout distinguitur contra vsumfructum, sed vt comprehendit vtrumque. Vnde aliquando locans tantum transfert vsum rei suæ in alterum, aliquando vsumfructum; exemplum primi, si loco tibi hortum meū, vt, quantum pro tua persona vti poteris fructibus eius vtaris; non autem vt aliquos fructus eius alijs vendas, vel dones; exemplum secundi, vt si sic tibi loco eum, quod etiam fructus eius poteris distrahere sicut libet.

Conductio quid sit. Conductio autem est contractus, quo quis pro mercede recipit ab alio vsum alicuius rei, vel personæ, sine hoc, quod recipiat eiusdem rei, vel personæ proprietatem, vel dominium.

Locare, & conducere qui possit. Quo ad secundum dico, quod qui vendere, & emere possunt, etiam possunt locare, & conducere; vt ex se est notissimum: non enim plus ad locandum, & conducendum requiritur: quam ad emendum, & vēdendum. Qui autem in genere celebrare possint contractus venditionis, & emptionis, supra loquentes de donatione, ac permutatione explicuimus.

Locationis, & conductionis materia. Quo ad tertium dico quod locari possunt omnes illę res, quæ vendi possunt, nisi sint seruitutes prædiales, vt iter, actus, via, &c. Iter est ius, quo per tuum fundum possum ire; actus est seruitus, qua per tuum fundum iumentum, vel vehiculum ducere possum; via vero continet omnia supradicta; Hæc autem, vt dicit Angelus verb. locatio.nu.1. *Angelus.* locari non possunt; & non solum quæ possunt vendi, sed etiam pleraque alia: nam locantur beneficia, commendæ, tributa, & id genus alia iura; & potest quis locare se ipsum: non enim duntaxat locat aliquis sua, sed sibi ad locandum commissa, sed etiam se ipsum ad seruiendum alteri, ad docendum, patrocinandum, iudicandum, lucendum, & ad alia varia ministeria, & mutua exercenda. Res tamen in quibus vsus non separatur a dominio, vt sunt res illæ, quorum vsus est earum consumptio, vt est cibus, & potus, locari non possunt, nec conduci; quia cum traditur vsus, etiam traditur dominium, cum separari non possint.

Locatio est duplex in genere. Quo ad quartum dico, quod locatio est duplex; quædam est rei, capiendo rem, vt distinguitur contra personam hominis, siue illa res sit animal, siue alia res; & alia est personæ suæ; & ista est duplex, quædam est personæ sux intransitiue, quædam transitiue; exempli gratia, si Petrus locat se ad laborandum tibi in vinea per diem pro vno argenteo, iam personam suam propriam locat, & tu eius personam, idest, illum conducis. Exemplum secundæ, si Petrus seruum suū tibi locat ad laborandum in vinea tua &c. iam locat tibi personam suam, idest, personam quam possidet. Secundum aliquos tamen locatio personæ ad operas, scilicet, ad faciendum aliquid non est proprie locatio, sed contractus innominatus, scilicet facio, vt des; tamen quo ad forum theologicum hoc parum refert. Quidam etiam personæ locationem appellant, locationem operum, non sic intelligendo, quod operæ ipsæ locentur, sed persona locatur ad operas impendendas; alias esset impropria locatio: non enim operæ locantur, cum in eis non possit cōstitui alteri vsus aliquis, nec separari possit earum vsus a proprietate, & cum earum vsus sit ipsarum consumptio, sed persona locatur: operæ autem sunt fructus, quæ de persona locata percipiuntur, quēadmodum fructus agri non locantur, sed ager ad fructus percipiendos locatur.

Item locatio est duplex, quædam est rei immobilis, vt domus, agri, vel horti; Quædam rei mobilis, siue illa se ipsam moueat, vt est animal, siue non moueat se ipsam, vt securis, & consimile quid. Prima est duplex, quædam est rei incorporalis, vt locatio redditus: nam redditus inter immobilia, & incorporalia computatur; Quædam est rei corporalis; & illa est duplex, quædam est rei vrbanæ, vt locatio domus; & in hac locatione conductor dicitur Inquilinus; Quædam est rei rusticæ, vt locatio agri & c. & illius conductor dicitur proprie Colonus. Secunda etiam est duplex, quædam est locatio ad vsum, quo deterioratur res, vt si equum tibi concedam ad annum; quædam vero est rei ad vsum, quo non deterioratur res; vt si Cyphum aureum tibi concedam ad vsum vnius diei, vel hebdomadæ: nam ex illo non deterioratur.

Iterum locatio capitur dupliciter, vno modo stricte, atque ita oportet, quod merces pro qua fit, in numismate cōsistat, & hoc determinatæ quantitatis, & non in specie, & indeterminatæ quantitatis; vt si concedam tibi vsum agri mei pro modio frumenti, non est locatio, sed est contractus innominatus, do, vt des; similiter si concedam tibi eum pro pecunia existente in sacculo, non determinando eius quantitatē; vnde oportet, quod fiat pro pecunia numerata, idest, certæ, ac determinatæ quantitatis. Alio modo capitur large; atque ita aliquando dicimus esse locationem, vbi merces consistit in specie, & etiam si consistat in pecunia indeterminatæ quantitatis, quæ dicitur non numerata; & illa dicitur quasi locatio. Discrimen harum locationum quo ad forum contentiosum, nempe quo ad actionem instituendam &c. forte aliquid faceret, an sic, vel sic esset formatus contractus; quod spectat ad Iurisperitos. Cæterum quo ad forum conscientiæ, prout hic loquimur non refert: nam sicut licite fit locatio pro pecunia tantæ quantitatis, si est cōmensurata valori vsus, ita si fiat pro specie æquiualente tantæ pecuniæ, erit licita, si sit illa species commensurata tali vsui. Hæc autem locatio late accepta est duplex; Quædam fit pro specie alia ab ea, quæ prouenit de re locata; vt loco tibi agrum pro plaustro fœni, vel vini, vel lignorum: cum tamen nec fœnum, nec vinum, neque ligna ex illo agro proueniant. Quædam vero fit pro eadem specie etiam in numero, quæ prouenit de re locata, vt agrum importantem triticum loco tibi pro aliquot modijs tritici mittendis de tritico illius agri; & hæc est duplex, quædam fit in tali specie in quantitate determinata, vt si fiat pro modijs in numero determinato, scilicet, quinque, vel decem; alio modo in quantitate indeterminata quo ad numerum, vt si fiat pro medietate illius tritici, aut pro tertia parte assignanda ipsi locatori; & talis locator dicitur partiarius, & de hac non est sermo in proposito: quia nec proprie, nec improprie est locatio a parte rei, sed societas, de qua erit sermo infra.

Item locatio fit dupliciter, aliquando pure, interdum impure; si pure, hoc est dupliciter: quia vel pure tam in substantia alterius contractus, quam a pactis, quæ sunt in naturalia illius contractus, licet possint esse naturalia alteri contractui. Impure autem fit, quando alius contractus commiscetur ei, vel si non alius, tamen pactum aliquod interuenit, quod est contra, vel saltem præter naturalia locationis, licet stet illud esse naturali alteri contractui. v.g. loco tibi equum meum per mensem pro determinata quantitate pecuniæ, & adijcio pactum, quod debeas mihi esse obligatus de damno contingente ex tua culpa etiam leuissima, hoc pactum est contra naturalia contractus locationis; nam de natura locationis est, quod non tenetur conductor de damno proueniente ex culpa leuissima; ita quod relinquendo locationem, & conductionem in suis naturalibus non inest illa obligatio conductori; nunc autem sibi inerit per pactum. Potest etiam dici, quod illud pactum continet quēdam contractum alium in substantia a locatione, & qui est innominatus: nam prædicti præter locationem, & conductionem contrahunt etiam contractum susceptionis periculi: quia conductor suscipit in se periculum damni possibilis accidere ex leuissima culpa, quod alias suscipere non teneretur; atque ita est contractus, do, vt facias, & hoc ex parte locationis, idest, concedo equum, vt facias periculum esse tuum in casu leuissimæ culpæ; sed ex parte conductoris est contractus, facio, vt des, hoc est, periculum illud facio meū, vt des, idest, vt concedas mihi equum, seu vsum equi tui pro remissiori mercede.

Locatio bifariam sumitur.

Locatio fit duobus modis.

Locatio sex modis efficitur impura. Obseruandum est tamen, quod locatio siue rerum, siue operum efficitur impura ex pactis sibi innaturalibus sex modis: primo si locator vult conductorem esse obligatum de culpa etiam leuissima, vel ad casum fortuitum; secundo si vult habere potestatem expellendi conductorem extra casus in quibus alias potest eum expellere; tertio si vult cōductorem esse obligatum ad dandam pensionem in principio anni, vbi de natura solum tenetur dare in fine; quarto si vult locator agri se non esse obligatum ad faciendam remissionem etiam pro rata ipsi conductori, scilicet colono, etiam si

etiamsi grandis sterilitas contingat; vel si est locator alterius rei, vel personæ, & non vult esse obligatus conductori ad faciendum ei remissionem, modo quo explicabimus declarantes naturalia locationis in 6. eius naturali; quinto si vult, quod Inquilinus ex nulla causa etiam necessitatis possit dimittere domum se inuito; sexto si vult, quod non possit conductor rem locatam alteri locare.

Conductio quatuor modis efficitur impura.

Secundo obseruandum est, quod conductio efficitur quatuor modis impura; primo si conductor vult locatorem rei esse obligatum ad aliqua, ad quæ ex natura contractus non esset obligatus, puta, quod locator etiam in se suscipiat periculum culpæ leuis, vel latæ; secundo si vult, quod locator non possit eum expellere etiam in casibus, in quibus de iure posset eum expellere; tertio si vult dare pensionem non in fine anni, cum deberet, sed per longum tempus post; vel si est conductor operum in casu vbi deberet in principio, vel in medio dare, vult solum dare in fine anni; quarto si vult, quod locator rei sibi faciat remissionem pro rata, & iam si fiat modica sterilitas; vel si est conductor operarum, quod locator non remittat sibi aliquid in pensione, etiam si stet per conductorem, quod minus operetur.

Locationi octo sunt naturalia.

Tertio obseruandum est, quod octo sunt naturalia ipsi locationi, quæ illi ex natura talis contractus de iure gentium, vel dispositione iuris humani sunt nata inesse, & de facto sibi insunt, si non excludantur per pactum factum inter partes, aut per contrariam consuetudinem loci.

Primum naturale est, quod res locata substat periculo locatoris, ita quod si pereat sine lata, vel leui culpa conductoris, hoc est naturaliter, vel diuino iudicio, vel per culpam leuissimam conductoris ipsi locatori perit, & hoc ex natura contractus. Quod dico, quia in aliquibus casibus etiam conductor tenetur de culpa leuissima. v.g. locaui tibi rem ad certum vsum, & tu sine voluntate mea vsus fuisti aliter, exempli causa, equum ad equitandum in pace, & & tu duxisti ad bellum. Similiter ex pacto, quo se obligauit conductor ad recipiendum in se periculum casus, etiam de culpa leuissima. Item si mora præcessit casum, vt, locaui tibi equum reddendum crastina die, & tu vltra retinuisti, & sic perijt, tunc conductori perijt, vt diximus supra de cõmodato.

Secundum naturale est, quod eodem modo est in conductione personæ ad operas; quia conductor non tenetur de damno accidente personæ locatæ ad operas, sed potius e contra; primum patet, quia si conduxi te ad laborandum in vinea, vel ędificandam domum &c. tu frangis tibi &c. non teneor si sine dolo, & culpa mea lata, & leui, non teneor tibi damnum illud resarcire: nam sicut res locata stat periculo locatoris, sic persona locatoris stat ipsiusmet locatoris periculo; secundum patet in exemplo, quia si conduco te in domo mea, vt ædifices, & illa perijt damno tuo vel lata, vel leui culpa, teneris mihi pro refusione damni. Item si sutor accipit vestimentum ad resarciendum, & mus corrosit; vel si gemmam accepisti sculpendam, & est fracta; Si Nauta conducitur ad aliquid transferendum, nempe vinum, vel aliquas res meas, & sua culpa etiam leui effunditur vinum aut perduntur, vel destruuntur res illæ, tenetur mihi de damno: imo quando tenetur conductor de leuissima culpa, & hoc quando res tales indigent diligentissima cura; quia tunc inest tacito illi contractui talis obligatio ex circunstantijs, ad quas conducuntur operæ illæ, vt, si conduxi te ad conducendam columnam cito frangibilem, vel ad transferendum vitra pretiosa, aut consimilia.

Inquilinus nõ potest expelli nisi in quatuor casibus.

Tertium naturale est, quod locator rei immobilis, vt domus, non potest conductorem eius, seu Inquilinum inuitum expellere ante tempus finitæ conductionis, nisi in quatuor casibus; primo si domus locata sit facta necessaria suæ habitationi. v.g. si domus, quam locator inhabitat casu destructa est, & ipse suæ necessitati aliter prouidere non potest: nam non dicitur dominus necessitatus, si aliter commode non posset prouidere: aut si postea duxit vxorem, vel alia similis necessitas superuenit; secundo si domus habet necessitatem reparationis post locationem; & his duobus euentibus remittenda est pensio pro rata temporis; tertio si conductor inquilinus peruerse versetur in domo, vt, si tenet porcos in solario, vel non habitat in ea secundum pactum conductionis, vel si deteriorem facit, spargendo aquã super lignis, vel feminas malas ibi tenet, aut etiam peruersos homines, vt lenones, & huiusmodi: & in hoc casu secundum Panor. si Inquilinus peruerse inhabitet domum efficiendo illi damnum, quia scilicet tenet porcos in solario, vel spargit aquam super lignis, vel facit aliquid consimile, quo deterioratur domus, potest locator ipsum expellere satisfaciendo pro rata pensionis; & remissio debet fieri pro residuo temporis; sed si peruerse habitaret in domo sine damno, sed quia tenet in ea postribulum, vel ludum, vel exercendo ad vsuram, potest expelli non remissa sibi pensione pro rata temporis; quia dominus non debet sustinere hoc damnum ex culpa Inquilini; quarto quando Inquilinus per biennium non soluit pensionem, quod maxime verum est, quando pensio est constituta pro singulis annis. *Panormit.*

Quartum naturale, est, quod in locatione rei conductor non tenetur locatori dare mercedem nisi in fine conductionis, nempe in fine anni, si ad annum conduxit, prout colligitur ex Panor. in c. propter. de locat.; nisi per hoc naturale excludatur pactum, aut per statutum municipale, vel per loci consuetudinem; & dicitur notanter, in locatione rei; quia quando locatur persona ad operas, si datur merces pro sumptibus, debet fieri solutio in principio; sed de hoc vide Panor. loco supracitato, & in c. peruenit. de arbit. *Panormit.*

Quintum naturale est, quod conductori est remissio facienda pro rata, si contingit grauis, vel magna sterilitas, vel insolita incommoditas magna sine culpa conductoris; nisi sterilitas posset cum vbertate præcedentis temporis compensari; pro hoc videtur Panor. in c. propter. de locato. & Contrad. de contract. q. 77. concl. 4. *Panormit.* *Conradus.*

Sextum naturale est, quod conductor, qui dicitur Inquilinus potest ex sua causa dimittere domum inuito domino; & ratio est: quia si propter necessitatem superuenientem ipsi locatori potest locator expellere Inquilinum, vt dictum est supra in tertio naturali; eadem ratione poterit Inquilinus necessitate sibi superueniente dimittere domum, vt; si absque vitæ periculo in ea habitare non potest: atque ita demittendo non tenetur dare nisi secundum ratam temporis.

Septimum naturale est, quod conductor potest rem sibi locatam alteri locare; & tunc res posterioris conductoris sunt obligatæ principali domino vsque ad illam quantitatem, quam iste conductor tenetur priori. Vnde si duo contraxissent societatem, vt scholaris cum scholare, & vnus vult recedere, tunc ille poterit aliquem loco suo ponere; nisi vellet locare partem suam personæ inhonestæ; quia tunc non posset; ita Panor, in c. inter dilectos; & Bald. in l. nemo. *Panormit.* *Baldus.*

Octauum naturale est, si conductor aliquid expendit, quod necessario fuit expendendum, vel vtiliter auxit, vel ædificauit, vel instaurauit, debebit locator sibi expensas illas resarcire. ff. eo. l. dominus. lege Angelum in summa per totum verbum, locatio. *Angelus.*

Quarto obseruandum est, quod non oportet Confessorem statim aliquam locationem, vel conductionem condemnare vt illicitam, quando percipit, quando in ea sunt pacta contra naturam locationis, vel conductionis; quoniam propter pacti oppositionem non transit contractus in aliam speciem, sicut quando pactum esset contra substantialia contractus; sed compertis huiusmodi pactis contra naturalia locationis, vel conductionis, considerare debet si onerositas illorum sit refusa per aliam viam, aut non; si non, tunc contractus est in foro conscientiæ condemnandus impietatis ex parte illius, qui alium onerauit; quia tunc factus est contra rationem iustitiæ commutatiuæ, & contra regulam legis naturalis, quod tibi fieri non vis &c. Si autem facta sit refusio, vel compensatio. v.g. quia locator pacto onerat conductorem, ideo viliorem mercedem ab eo recipit, vt conductor onus illud subeat; vel e contra, si conductor onerat per tale pactum locatorem, ipse ei illud onus refundit pro quanto; pinguiorem mercedem ei assignat pro locatione.

Locatio est duplex.

Postremo obseruandum est duplicem esse locationem; quædam enim est, quæ dicitur ad modicum tempus, nempe infra decennium, vt fere omnes conueniunt; alia vero est, quæ dicitur ad longum tempus; atque hæc in primis est, quæ fit ad decennium, aut vltra, vt communiter Doctores affirmant, quos refert, & sequitur Nauar. c. consideret. §. desteat. nu. 5. de pœnit. d. 5. longe autem maiori cum ratione dicitur locatio ad longum tempus illa, quæ fit ad vitam hominis locantis, aut conducentis, vt tradit Nauar. loco su- *Nauar.*

praci-

præcitato. Sed quia in locatione ad longum tempus vtile dominium, atque ius in re transfertur in conductorem, & consequenter eam comparat possessionem dominij, ac iuris illius, vt affirmat communis Doctorum sententia cum Bart. ideo locatio ad longum tempus est verus contractus emphyteuticus specie distinctus a locatione per se, ac propriè sumpta, de qua sola est nobis in hoc loco sermo.

Bartolus.

ARTICVLVS VNICVS.

Vtrum contractus locationis & conductionis siue rei, siue personæ sit licitus.

PRo huius quæstionis resolutione perspicua obseruandū est, quod sicut in homine sunt quædam essentialia, sine quibus homo esse non potest, vt corpus, & anima, & illarum vnio; quædam naturalia, cuiusmodi sunt proprietates, vt ridere, flere, &c. quædam autem accidentalia, vt sedere, stare, esse calidum, vel frigidum, album, vel nigrum, sanum, vel ægrum &c. Ita in contractu locationis quædam sunt essentialia; & hæc sunt tria, scilicet, res locanda, secundum pretium, (quia si absque mercede darem tibi equum, non locatio, sed commodatio esset;) tertium est consensus contrahentium, non enim potest esse locatio sine consensu. Naturalia vero locationis sunt multa, & sunt ea, quæ insunt ei a natura, & de facto, nisi excludantur per pactum inter partes, vel per contrariam consuetudinem loci; sicut dicimus, quod frigiditas inest aquæ a natura: quæ sibi derelicta frigida est, sed a causa extrinseca potest esse calida; Quot autem sint huiusmodi contractui locationis, & conductionis naturalia explicatum est supra; Accidentalia, seu extrinseca sunt illa, quæ nec sunt de substantia, nec de natura contractus; sed tamen quandoque apponuntur iuxta contractum, vt sunt quædam pacta de aliquo extrinseco iuxta contractum apposita; quæ nec ad contractum essentialiter requiruntur, nec naturaliter ei nata sunt inesse, vt patet ex his, quæ diximus supra, ostendentes quot modis locatio efficiatur impura, similiter & conductio. His stantibus, respondetur ad quæstionem vnica conclusione.

Locationis conditiones quædam sunt essentialia, quædam naturalia, quædam accidentalia.

Contractus locationis non est de se malus, sed potest esse licitus seruatis circunstantijs; probatur, quia si de se esset malus, ex nulla circunstantia posset fieri bonus, sicut blasphemia. Item sicut venditio de se non est mala, ita nec locatio: nam licet formaliter distinguantur, tamen æquiualenter locatio non est nisi venditio vsus rei pro determinata pecunia; vnde tam propinqua sunt, vt de quibusdam casibus dubitetur, vtrum sint locatio, vel venditio: probatur secunda pars, scilicet, quod locatio possit esse contractus licitus ex circunstantijs, stat enim, quod quis non sit prohibitus locare, & quod res sit locanda, nec vitiosa, & ad debitum finem, & loco, & tempore congruis, & quod seruetur modus debitus in mercede congrua, nec grauetur conductor absque releuatione: Defectu primi si quis prohibitus, & tem prohibitam locat, peccat; exemplum, si quis officium ecclesiasticum locaret, cum sit res spiritualis, peccaret: nam locari non potest nec eius vsus, sed gratis, & sine pretio debet dari; imo ipse conducens alteri vsum officij ecclesiastici debet ei dare stipendium non mercedem, quia ille exercet operas loco eius; Ex quo sequitur, quod Rector ecclesiæ committens alteri officium rectoriæ, puta ius administrandi sacramenta, & prædicandi in ecclesia, non potest pro concessione illius iuris aliquid per modum mercedis, & pretij ab eo exigere: hoc enim esset vendere vsum illius officij, & esset simonia.

Locationis circunstantiis est de se malus.

Et si dicas; ergo est simonia, quando Curatus substituit aliquem, & recipit ab eo certam pensionem. Dicendum, quod quando fit licite, tunc non est imaginandum, quod Curatus illam pensionem recipiat a substituto, sed illam sibi reseruat in sustentationem, & reliquum dat substituto pro stipendio operis sui; & sunt ibi duo contractus, primus est gratuitus, quo committit ei officium in ecclesia; & assignat ei stipendium, scilicet prouentuum certam quotam reseruata sibi reliqua pensione; & secundo intelligitur eūdem conducere ad colligendum sibi illam pensionem, & mittere sibi, & pro hoc dat sibi mercedem, pro quanto pinguiorem partem prouentuum, assignat ei. Et sicut dictum est de Curato, ita intelligendum, est de quocunque alio officio ecclesiastico, nempe Cappellania, Vicariatu, Episcopatu &c. quod non potest concedens, aliquid exigere; alias simonia est, & illicitum. Ad propositum redeundo; si quis locat sciener rem vitiosam ignoranti vitium, scilicet, equū defectuosum &c. talis exponit proximum periculis temporalibus tenetur ad omne damnum: Non enim id sibi fieri vellet recta ratione; secus si ignorantet; tamen si postea comperit, tenetur. Similiter si quis rem furatam locat, furtum committit, &c. In his exemplis deficit. Quis, & quid.

Curatus substituens aliquem & recipiens pensionem an sit simoniacus.

Sic etiam posset exemplificari de locante personam defectuosam ad operas. Vnde si Nauta imperitus locat operas suas ad portandum vinum, triticum, &c. & merces pereunt, tenetur resarcire damnum. Deficeret etiam, Cur, si quis locaret personam suam ad illicitum, sicut meretrix, vel miles ad bellum iniustum. De loco etiam, & quando, de se patet, scilicet loco, & tempore non prohibitis. Deficit autem quomodo, quando locans exigit mercedem excessiuam: nam oportet, quod sit æqualitas mercedis ad vsum rei, quæ non consistit in indiuisibili.

Sed dicamus aliquid in particulari explicando nonnullos casus, quibus fit potissime animalium locatio. Vnde obseruandum est, quod ad cognoscendum in foro conscientiæ, vtrum in locationibus seruetur æqualitas, & per consequens circunstantia, quomodo, vt contractus sit licitus multum conferunt istæ Regulæ; Prima est, quod attendatur, an conditio locantis, & condnentis sit æqua; Secunda, si talem contractum ineunt cum talibus circunstantijs indifferenter pauperes, & diuites; Tertia, si merces, quæ exigitur, in illa patria sit consueta; Quarta, si de animalibus sibi locatis conductor tot commoditates possit habere, quod sufficienter refundantur expensæ, cura, & labores, & onus periculorum, quæ ipse subire habet ex natura contractus, vel ex pactis contra naturam contractus.

Regula pro iustitia contractus locationis.

His præmissis, pono casum, quod Petrus locat Ioanni 20. oues vsque ad duos annos tali conditione, vt ipse Ioannes teneatur eas, & earum fætus, & fructus eum diligentia pascere, & seruare expensis suis; fætuum vero, & fructuum earum medietatem ipsi Petro fideliter assignare, & in fine locationis illas easdem oues, vel alias consimiles ipsi Petro resignare; & si aliqua illarum, vel ipsarum fetus per culpam, aut dolum ipsius Ioannis perierit, illud damnum pertineat ad Ioannem: si vero diuino iudicio, vel casu fortuito hoc euenerit, tale damnum pertineat ad Petrum, dummodo Ioannes de huiusmodi euentu faciat plenam fidem.

Ad istum casum respondeo, quod licet iste contractus videatur locatio, non est tamen propriè locatio; primum patet, quia Petrus retinet proprietatem omnium, & transfert vsumfructum in Ioannem pro mercede, scilicet, quod Ioannes det Petro medietatem fructuum, & damnum prouenients circa rem locatam ex dolo, vel culpa pertineat ad Ioannem, intelligendo de culpa leui, & maiori; periculum autem fortuitum casus ad Petrum &c. Quæ omnia sunt de natura contractus locationis, sed non est propriè locatio, quia eius merces consistit in specie, & in indeterminata quantitate; locatio autem propriè dicta est, cuius merces consistit in numismate, & hoc determinatæ quantitatis, vt patet ex superius dictis; sed est magis contractus innominatus, scilicet, do, vt des, & hoc in foro exteriori, sed in foro conscientiæ non refert ad propositum, dummodo ibi seruetur æqualitas; Quicquid ergo sit, dico, quod si est ibi æqua conditio vtriusque secundum regulas supra politas, contractus est licitus; & hoc melius nouit rusticus, quam Theologus: si enim talis est fructus, quod eius medietas sufficiat pro laboribus, curis, & expensis, tunc licet; alias ex parte Petri est iniquitas; si vero sit superabundans, tunc est iniquus ex parte Ioannis: similiter dicatur de pacto adiecto, vt pote, quod Ioannes teneatur de culpa leuissima: quia si illa medietas cum tali onere contra naturam locationis est parua merces, contractus est illicitus ex parte Petri.

Secundus Casus. Petrus locat Ioanni duos boues, volens quolibet mense habere duo modia frumenti, & Petrus retinet in se periculum illorum. Dicunt quidam, & bene, quod si illa merces sit adæquata valori vsus bouum, scilicet, quod vltra expensas, & operas, quas habet Ioannes facere circa boues, tantum habeat vtilitatis, quanta est merces danda Petro, tunc licet, alias non. Cæterum quomodo nouerit Confessor si venditio equi pro decem flor. sit æqua, nisi nouerit, quod tanti valebat equus? Ita in proposito, ni-

Secundus Casus.

si sciat, quod duo modia frumenti sunt merces commensurata vsui duorum bouum per mensem, non poterit definire, quod sit æquus contractus; hoc autem poterit melius scire rusticus, & ab illo habet addiscere; similiter mensuræ frumenti non sunt vbique æquales, nec boues sunt æquales vsus, vt patet de se; ideo dicendum est iuxta regulas superius positas.

Tertius Casus. Tertius Casus. Petrus locat duos boues Ioanni ad laborandum, & hoc ad quartam partem lucri, & damni; iste contractus censetur locationis, & iustificatur a Sancto Bernardino; sed quia eius responsio est satis obscura, & prolixa, ideo resolute, & clare respondeo per vnam distinctionem, & aliqua dicta. Contractus iste potest intelligi dupliciter, vno modo, vt sit pura locatio bouum ex parte Petri, & conductio ex parte Ioannis; ita quod vltra hoc, quod Petrus locat boues, non conducat Ioannes ad operandum sibi cum bobus; secundo potest intelligi, quod non sit pura, imo vltra hoc, quod Petrus locat boues ipsi Ioanni, conducit etiam ipsum Ioannem ad laborandum sibi cum illius bobus; & ille esset secundus contractus; adeo quod essent ibi duo contractus. Primum dictum, si prædictus contractus est locatio pura, tunc si quarta pars lucri debens cedere ipsi Petro absolute capta, sit merces adæquata vsui concesso ipsi Ioanni, tunc contractus est illicitus ipsi Ioanni, quando adiecit pactum prædictum, scilicet, quod si non peruenerit lucrum, sed damnum ipsi Ioanni, quod Petrus sustineat quartam partem damni; patet, in hoc euentu debetur Petro merces a Ioanne; ergo ad hoc, quod sit licitus, necesse est, quod merces sit proportionata vsui rei locatæ; modo nulla apparet hic merces, nisi quarta pars lucri, quod Ioannes requireret laborando cum bobus, igitur, vt sit contractus licitus, oportet, quod quarta pars lucri sit adæquata vsui concesso; & si sic, tunc contractus est illicitus Ioanni, quia vult dare quartam partem lucri Petro cum pacto, quod si nihil lucretur, atque ita perdat suos labores, quod Petrus obligetur pro quarta parte dãni, & perditorũ operũ facere refusionẽ; quod quidem pactum multũ vilificat valorẽ mercedis prædictæ, scilicet quartã partẽ lucri; Vnde si quarta pars lucri absolute accepta, & æqua merces cum illo onere, est vilis, atque adeo Ioannes peccat. Secundum dictum; si quarta pars lucri sit ita excellens, quod cum illo onere possit sustineri, tunc contractus erit licitus. Tertium dictum; si contractus non sit pura locatio modo prædicto, tunc videndum est, si quarta pars lucri sit adæquata vsui bouum cum tali onere, vel nõ; si primum, tunc oportet, quod Petrus assignet competentem mercedem Ioanni pro labore, quo sibi laborat; alias inique ageret; si secundum, scilicet, quod merces solum sit adæquata sine tali onere, & cum tali est diminuta, tunc posset esse licitus, si per hoc, quod Ioannes laborat terram Petri, dat ei mercedem diminutam, vt sicut in vno grauatur, in altero releuetur; atque ita per hunc modum, & per has regulas multos casus possunt rectè solui.

Quartus Casus. Quartus Casus. Petrus tradit Ioanni duos boues 30. flor. æstimatos, vt ad annum vtatur, & laboret, cum tali pacto, quod Ioannes teneatur eos nutrire fideliter, & in fine anni prædictos boues, vel æstimationem reddere Petro, & etiam dare ei quartam partem lucri, si inde lucrum fuerit, vel tantum minus de ipsa æstimatione restituenda, quantum importat quarta pars damni, si superetit. Iste casus nõ *D. Bernard.* iustificatur a sãcto Bernardino, nisi addatur in pacto, quod si damnum aliquod sine culpa Ioannis interuenerit, illud pertineat ad Petrum; dummodo Ioãnes faciat fidem, quod sine sua culpa interuenerit; alias est illicitus; & additur, quod prædicta debent intelligi secundum debitum æquitatis; nam, quod (deductis æstimationibus operum, & laborum Ioannis, & expensis factis in bobus diligenter examinatis) superesse reperitur, illud æstimandum est lucrum, & diuidendum.

Cæterum hæc responsio non videtur Magistralis, primo quia, aut intelligit responsio de culpa etiam leuissima, ita quod tunc pertineat damnum ad Petrum, quando Ioannes in nulla culpa fuit etiam leuissima, & tunc licet pactum sit contra naturalia locationis, tamen non potest damnari ex hoc vt iniquus; nisi supponatur, quod prædicta merces, scilicet quarta pars lucri sit adæquata vsui bouum, dimittendo locationem in sua naturalitate; secus cum tali onere: nã si talis merces sit ita parua respectu vsus bouum; & maxime attento, quod Petrus, si nullũ lucrum proueniat, nihil pro mercede habebit; imo damnum, si damnũ euenerit; videtur, quod Ioannes possit sustinere illud onus. Si autem intelligatur, quod Ioannes de dãno proueniente ex sua culpa leui, aut maiori; tunc iterũ non potest definiri, quod sit licitus, nisi videatur, an quarta pars lucri sit merces adæquata vsui bouũ, vel ne; quod ex responsione non patet; & potius videtur, quod sit nimis parua: maxime attento, quod ex pacto quarta pars lucri multũ vilificatur per hoc, quod nõ est nisi conditionalis, scilicet, si quod lucrũ proueniat; & adhuc magis attento, quod Petrus, non solum nihil habebit, si nihil proueniat, sed etiam si damnum proueniat, debeat sustinere illud; & hoc est illicitum Ioanni, nisi Petrus ex liberalitate contentetur de tam parua mercede.

Itẽ dicit illa responsio, quod prædicta debent intelligi secundũ debitũ æquitatis; nã quod deductis &c. Contra; si his defalcatis, quod superest sit censendũ lucrũ, & diuidẽdum, tunc videtur, quod Ioãni multum cedant: nã sic de suis expensis, ac laboribus est satisfactũ; igitur si quid vltra accipit, videtur, quod sine causa accipiat: Imo potius post illam defalcationẽ totũ dandum esset Petro pro satisfactione vsus bouũ concessi. Igitur aliter est dicendũ, quod si quarta pars lucri sic conditionaliter expectata, scilicet, si proueniat lucrũ, & cũ annexo onere, quod si damnũ proueniat, nõ solũ nihil habebit, sed etiã quartam partẽ ipsius sustinebit. Si, inquam, totum hoc sit in suo valore adæquatũ vsui bouum cũ onere annexo Ioan. scilicet, quod teneatur de culpa tali, vel tali, secundum quod conuenerunt, tunc contractus est licitus alias illicitus illi, cuius conditio est melior; & hoc melius nouit rusticus, quam scholasticus Theologus.

Quintus Casus. Quintus Casus. Petrus locat Ioanni duos boues æstimatos 3n. flor. cum pacto, quod vbi consuetũ est dare pro duobus bobus duodecim sextaria frumẽti, det sibi solũ octo, ita tamen quod Ioannes stet ad periculũ tertiæ partis bouum. Hic contractus reputatur licitus Petro, dũmodo ipse satisfaciat Ioan. de labore suo, nẽpe de expensis laboriose factis in cura bouũ; vnde illo seruato poterit Petrus obligere Ioannẽ ad tertiã partẽ periculi bouum, alias non erit licitus Petro; *D. Bernard.* ita D. Bernardinus de Euangelio æterno. Sed contra hanc responsionẽ arguitur, quia non requiritur, quod Petrus satisfaciat Ioanni de labore suo &c. quia vel per laborẽ intelligis expensas cũ labore impensas circa boues: & certe Petrus tales non tenetur refundere: quia quando dicitur quod 12. sextaria sunt consuetũ pretium locationis bouum, intelligitur hoc, & de se inest, quod conductor suis expensis nutriat, & vltra dare debeat locatori 12. sextaria; & ita si Petrus deberet præter quatuor, quæ remittit adhuc satisfacere expẽsas, quasi nihil remaneret pro mercede. Si autẽ intelligat labores, quibus Ioãnes laborat alijs hominibus, quã Petro, hoc indignum esset, quia tunc Petrus concessisset Ioanni boues; & cũ hoc deberet eidẽ satisfacere pro laboribus alijs hominibus impensis; quod est valde absurdũ. Si vero intelligat, quod de labore, quẽ Ioan. impendit Petro, puta: quia laborat pro eo, tunc hoc nõ ponitur in casu; atque ita nihil ad propositũ: nã tunc esset alius casus, seu contractus accidẽtalis, scilicet conductionis operum Ioannis. Si denique intelligat de labore, id est onere, quod Ioãnes suscipit in se, scilicet periculũ tertiæ partis, tunc non fuit necesse ponere in responsione: quia Petrus ex hoc remittit tertiã partẽ mercedis, scilicet quatuor sextaria; nisi dicatur, quod ideo ponitur, quia non sufficit; sed tunc clarius dixisset, dũmodo remissio quatuor sextariorũ sit sufficiens refusio oneris suscepti, scilicet tertiæ partis periculi; & supponitur, quod sic, quia si nõ imponeretur, tunc deberet 12. sextaria. &c.

Ideo aliter dico, quod iste est cõtractus locationis, & illud pactũ adiectũ est cõtra naturalia locationis; & si duodecim sextaria sunt adæquata merces vsui bouũ, quãdo locantur sine illo pacto, videtur, quod cũ tali pacto onus sufficiẽter refundatur per remissionẽ tertiæ partis mercedis, & cõtractus est licitus; si autẽ illa duodecim sextaria essent nimis magna merces, vel remissio quatuor nõ esset sufficiẽs refũsio, tunc cõtractus illicitus esset Petro; si vero duodecim sextaria esset nimis parua merces, vel remissio quatuor esse nimis magna refusio, tunc illicitus esset Ioanni, nisi Petrus liberaliter daret. &c.

Sextus Casus. Sextus Casus. Petrus tradit duos boues Ioãni, pro certis sextarijs frumẽti, vel bladi, eo pacto, quod si deteriorẽtur ẽt sine culpa Ioãnis; imo si etiã moriãtur casu fortuito, vel iudicio Dei, tũc Ioãnes subeat medietatẽ illius dãni; si autem

melio,

meliorentur, quod habeat medietatē illius commodi. Ad hoc respōdeo, quod si sextaria, quæ exigit Petrus, sūt moderata, merces, & adequata vsui bouū, licitus est cōtractus, quātū est ex parte pacti de recipiēda mercede tali. Dico secūdo, quod pactū rōicandi damnum, tā mortis, quā deteriorationis, & ēt percipiēdo commodū meliorationis, pro tanto est licitum, pro quanto hæc adaquantur, vt tñ Ioannes releuetur per expectatū meliorationis commodum, quā oneretur expectando prædictum damnū. Dico tertio, quod de facto Petrus nō sufficienter releuat Ioanoem: nam si merces sextariorum, quam exigit Petrus, sit adequata vsui bouum sine oī onere; si tunc imponat onus prædictū, non vr, quod sufficienter releuet Ioānem per hoc, quòd expectat luctum: quia longe onerosius est expectare illud damnum, quā expectare commodū meliorationis sit vtile. Et si dicas, æq; nati sunt meliorari, sicut deteriorari, & mori; si superuenerint, trāseat: tñ ex quo possunt mori, illud periculum mortis expectandum à Ioanne, nō refundit' a Petro; ideo contractus est illicitus. Dico tñ, quòd si Petrus eo minorē mercedē exigeret, quo tale onus sufficienter iudicaretur refundi Ioanni, tunc nō esset illicitus Petro: si tñ nihil ei remitteret de consueta mercede, & tñ in animo habent, quòd solum Ioannes subiret periculum deteriorationis, & non mortis, illud tamen ponit, vt Ioannes diligentior esset circa boues, tunc licet non sit illicitus ratione iniquitatis, esset tamen illicitus ratione scandali, &c. Et ex hoc modo soluendi istos casus, possunt, & alij faciliter solui.

De Contractu societatis.

Extra. Ac. Societas quid sit explicatur.

SOcietas secundum Marcū Tulliū, vt refert Azo in Summa tit. pro socio. est duorū, pluriumue conuentio contracta ob commodiorem vsum, & vberiorem quæstum: qui autem eam inter se ineunt socij nuncupantur. Contrahitur autem societas solum contrahentium mutuo cōsensu exterius expresso: atq; adeo neque traditione, neque scripia indiget, vt completus censeatur contractus; vnde si meus socius aliquem admiserit, quem meum socium esse noluerit, ei solum socius est non mihi.

Dictum est primo in definitione ad cōe lucrū: quia si vnus alteri tradat animalia ad custodiā, vel pecuniā ad negotiandum, ita vt lucrum totum sit tradentis, & alius certum pro operibus, & industria accipiat stipendium, non est societas, sed locatio ex parte eius, qui operam, & industriam apponit, & cōductio ex parte eius, qui pro operibus, & industria stipendium tribuit, si stipendium sit pecunia, si aūt nō sit pecunia, vel aliqd aliud, erit cōtractus innominatus, do, vt facias.

Secundo dicitur ad cōem vsum, quoniam in societate omnium bonorū, ēt est contributio ad cōmunem vsum, & expēsas ex bonis ita cōibus. Multæ ēt sunt aliæ particulares societates ad cōem vsum, & expensas, vt inter scholasticos in eadem domo habitantes, ad ordinarios sumptus ex cōi marsupio, & inter milites, qui ex eadē, camerata, cōiter, & vulgariter appellātur, & inter similes. Cōtrahitur aūt societas ad tēpus, & in perpetuum, i. dum viuent socij, & sub conditione: siue fine vero contrahi non pōt, sed solum societas vectigalium transit ad primū hęredem. l. antiquitas. C. de vsufructu. imò pactū, quod societas transeat ad hęredes, est ipso iure nullū, vt habetur. l. nemo. l. adeo. l. verum. §. in hæredem. l. nulla. ff. pro socio, & ratio est, quia in societate industria personæ eligitur, ignoratur vero qualis futura sit persona hæredis, vt habetur. l. adeo. citata, & inst. de societate. §. soluitur. Sed pro ampliori huius contractus intelligentia.

Societatem qui cōtrahere possunt, & in quib.

Obseruandū est primo, quod societatē contrahere possunt oēs illæ personæ, quæ possunt se obligare, & contrahere de qb. multa diximus supra de donatione loquētes. Pōt aūt contrahi societas circa oīa bona, circa aliquam negociationem, atque ēt circa vnam rem. ff. eodem. l. societas: cęterum in re turpi, & flagitiosa contrahi non pōt. ff. eodē. l. nec permittendum est. Dixi, quod contrahitur societas circa oīa bona, & tūc intelligitur contracta respectu omnium bonorum tam præsentium, quam futurorum, quæ perseuerante societate acquirerentur, quocūque titulo acquirantur, siue ex negociatione, siue hæreditario iure, siue ex legato, aut donatione, esto id in cōtractu nō exprimatur: oīa. n. cōia efficiūtur, & debēt inter socios diuidi, dissoluta societate, iuxta portiones ab initio, inite societatis tacitè, vel expressè cōstitutas, vt in eas diuidant. Et qñ nihil est constitutum, intelligitur in partes æquales.

Secundo obseruandum est, quod in societatibus vniusquisque sociorum in conscientia, atque in exteriori foro tenetur alijs socijs de toto damno, quod dolo, lata, aut leui culpa ipsios aduenerit, neq. excusabit', esto industria ipsius multū cōmodi alioqui in eisdem obuenerit: secus est si damnum acciderit ex leuissima culpa, vel casu fortuito; nam tunc damnū est commune toti societati, atque inter singulos diuidendū.

Societatis priuilegium

Tertio obseru. est, quod societatis contractus hoc habet priuilegium, quod si vnus sociorū ab alio, vel ab alijs socijs conueniatur quoad ea, quæ ad societatē spectāt, atque ad paupertatē, non possit illa integre soluere no tenet' eis vltra, id cōmode facere pōt. Qñ aūt socius nō pōt cōmode soluere integrum debitū, debet pręstare cautionē, hoc est nudā promissionē, se integre soluturū, si ad pinguiorē fortunā deuenerit, cogetq; tēporis progressu illud soluere eo ipso, quod hēt vnde cōmode soluat. Hoc tñ priuilegio nō gaudet socius, q cōiunctus circa tale debitū negauit se esse sociū: si postea esse sociū coniūctus fuerit, sed cogetur illud integre soluere, nihil curando, an id commode soluere possit. Itē non gaudet socius, qui dolo malo in causa fuit, vt non possit soluere debitum, secus aūt si ex sola culpa sine dolo. Item quando alius socius secluso eo, quod sibi ex societate deberet, non haberet competētem sustentationem, tunc socius, qui id deberet, non gauderet eo priuilegio quo ad id, quo alius ad competentem sustentationē indiget. Item quando socius promisisset alijs socijs se integre soluturum, nullamque appositurum exceptionē iuris, vel facti, idque iuramēto cōfirmaret, nō gaudebit hoc priuilegio.

Societas quatuor modis dissolui pōt.

Quarto obs. est, quod societas quatuor modis dissolui pōt; primo, morte naturali cuiusuis sociorū, & tūc non solū soluit' quo ad defuncti personā: quia non transit societas ad hæredes illius, sed ēt quo ad reliquos superstites socios: nisi inter eos conuenisset, vt per mortem vnius aut plurium eorū non dissolueretur, quo ad reliquos superstites: Secūdo, morte ciuili aliquorum sociorū: atq. vniuersim societas dissoluitur eo ipso, quod alicui sociorū confiscantur oīa bona, tertio si quis sociorum propter debita cedat bonis suis: quarto, si instituta erat ad aliquid præcise, illudq; finiatur, vt si instituta erat ad semel asportandum triticum ex aliquo loco, illudq. vendendum in aliquo, ipso quippe vendito finitur societas. Quod in pecunia illa vnus sociorum negocietur, lucrū, & damnum non est cōe, sed ad ipsum solum spectat; eadem ratione, si capitale totum casu fortuito, vel alia ratione pereat, finitur societas. Item si res, circa quam erat societas, pereat, aut conditionem mutet, ita vt iam idonea societati non sit, finitur societas, vt si in agro, quem quis ad colendum acceperat, vt cum domino illius fructus diuiderentur, in partes aliquot ędificetur publica auctoritate ecclesiæ, aut aliud simile fiat, & demum si societas erat contracta ad aliquod certum tempus, eo tempore elapso finitur etiam societas, nisi ex tacito consensu innouata, & continuata censeatur.

Societas duobus modis cōtrahitur.

Quinto obs. est, quod societas (quantū ad propositū nostrū spectat) duob. modis cōtrahit': nā aliqñ. v. g. Petrus tradens summā aliquā pecuniæ, siue aīalia Ioāni in specie societatis cōicat ea sibi, nō solū quo ad cōmoditates, & vtilitates ex eis prouēturas, sed ēt quo ad dominiū. v. g. Petrus tradit Ioanni ad cōem societatē mille aureos, vel decē vaccas, & ē cōtra Ioānes tradit totidē Petro: ita quod Ioānes efficitur dominus illorū mille aureorū, vel mille vaccarū: & similiter Petrus erit dominus aliorum mille aureorum, & decē vaccarū, quæ ad cōmunē societatē tradit Ioānes: quia sunt vtriusq; in cōi quo ad substantiam, & quo ad fructus, & similiter si quid de eis perit, vnde in fine societatis nō tñ cōmoditates diuiduntur, sed ēt capitale indistincte. Aliqñ fit taliter, quod Petrus tradens pecuniā, vel aīalia, non cōicat ea Ioāni quo ad dominiū, sed quo ad commoditatem, & fructus, & similiter Ioannes communicat siue pecuniam, siue animalia, vel operas quoad vtilitatem tantum, vnde si aliquod animal Petri perit, ipsi soli perit, si vero fructus, vterque perit, & similiter e contra dicatur de Ioanne: & in fine societatis vterque recipiet sua propria, & non ea, quæ alius posuit.

Sexto obs. est, quod qñque additur aliquod pactum existens præter naturalia societatis; puta, conueniunt, quod si aliqua animalia de capitali moriantur, debeant reparari per fętus, aut quod de vellenibus emātur, vt sic capitale, reintegretur. His præmissis, pono duas conclusiones de societatibus aīalium.

Societas animalium est licita.

Prima cōclus. Traditio aīalū facta in specie societatis modis supradictis ex suo genere est licita; primo quia vt sic, nō est nisi traditio, qua quis animalia, quæ sunt sua communicat alteri quo ad dominium, & vtilitatem, vel vtilitatem tm̄, & hoc quia alter similiter aliquid communicat, & hęc est licita

ex genere: patet, quia ille possent talia donare gratis, vel vēdere pro pretio, ergo pōt ea hoc modo cōicare: cōsequentia est euidētissima, vnde pōt vestiri oib. debitis circūstātiis, atq. ita erit simpliciter, & perfecte licita, v.g. quod contrahens, siue tradens non sit prohibitus, nec recipiens & quòd talis cōmunicatio fiat ob finem honestum, & ad vsum licitum, & pro loco, & tempore congruis, & tandem seruato debito modo, s. seruata æqualitate conditionis vtriusque simpliciter, vel secundum proportionem eius, quod cōicatum est socialiter.

Regula ad cognoscendū an societas sit licita.

Secunda conclusio. Ad cognoscendum si seruetur debitus modus multum prosunt sequentes regulæ. Prima, quod cōsideretur, an vtriusque sociorum sit æqualis conditio, & hoc tam in rebus capitalibus hinc inde communicatis, quam in fructibus inde percipiendis, & oneribus, & periculis sustinēdis: vnde ex hac æqualitate, & inæqualitate erit cōtractus licitus, vel illicitus. Secunda regula, consideretur, an cōtractum talem cum talibus circunstantijs, ex pactis sibi propositum, passim ineant pauperes, & diuites, &c. Nonnunquā n. rustici habent paleas, fœnum, & prata, quæ non possunt commode distrahere, nisi habeant animalia &c. Similiter eorū mulieres scientes formare caseum, non possunt, nisi habeant animalia. Vnde tali necessitate pretij ineunt huiusmodi contractus onerosos, quatenus maiora incōmoda declinēt. Tertia regula, si alter sociorū imponit aliqua onera alteri cōtra, vel præter naturā societatis, an alia via refuderit: quia si nō, cōtractus erit illicitus, videat ēt si societati sit annexa, vel admixta mutuatio, ne forte ratione illius sit illicita. His regulis bene perpensis, atque consideratis, quamplurimi possunt resolui casus, & vt ad particularia descendamus, sit

Primus casus.

Primus casus. Petrus tradit Ioanni 20. animalia æstimata, & Ioannes debet habere medietatem medietatis fructuum, & fœtuum prouenientium, ita tamen, quod Ioannes teneatur reddere Petro medietatem illorum animalium saltem in valore, ēt qualitercunque pereant. Respondeo, quod hic stant duo contractus, s. societatis, & mutui. Nam Petrus censetur decē animalia de prædictis mutuasse Ioan. pro quanto vult a Ioan posse repetere decem animalia, vel saltem valorem, qualitercunq; pereant: tunc. n. proinde est, ac si tantūdem pecuniæ tradidisset Io. repetibiliter cū periculo ei imposito: Pro quanto vero reliqua. 10. animalia tradit Io. nō obligando eū ad periculū fortuitū dimittēdo ei medietatem medietatis fructuū animaliū, q̄ est medietas fructuū. 10. aialiū, & cōtra Io. cōicat Petro opera sua circa aialia impēdenda, & nō cēsetur ei illa locasse pro mercede; qa illa medietas debēs cedere Petro nō cōsistit in quātitate determinata, ideo nō erit locatio, sed societas. Ex his dico vlterius, quod ad hoc, quod contractus sit licitus, requiritur, quòd Petrus nihil exigat prætextu decem animalium, quæ mutuauit.

Secundus vero ad hoc, ꝙ sit licitus, requiritur, ꝙ ex quo communicare volunt fructus aliorum decē, ēt æqualia capitalia posuerint, ita ꝙ decem animalia quo ad fructus æquiualeant operibus Ioan. alias contractus erit illicitus illi, qui minus posuit: requiritur etiā, quòd æqualiter subiaceāt periculis &c. Sed si Petrus etiā communicasset decem animalia quo ad dominium, tunc ipse videtur longe melius capitale posuisse, q̄ Io. quia in fine societatis reciperet vltra fructus, quinque animalia, & per consequens conditio Ioan. esset longe melior: igitur numquam ageret, nisi Petrus liberaliter ei daret, vel nisi Ioan. subiret aliquod periculum, quod esset adæquatum illi excessui, dummodo illud non sit totum periculum capitalis societatis, alioquin contractus inciperet apparere mutuatio lucrosa, sicut de prima parte huius contractus dictum est.

Secundus casus

Secundus casus. Petrus tradit Io. centum oues, & Io. ponit operas pascendo, & curando &c. & vterq; habebit medietatē fructus earū, ita tñ, quòd Io. medietatem talem non recipiat donec Petrus tantum receperit de fructibus ouium, ꝙ sit sibi satisfactum de valore illarum, secundū quod fuerunt æstimatæ. Ad istum casum respondetur, ꝙ est illicitus: quia est similis ei, quo Petrus tradendo eas Io. paciscereiur, ꝙ Io. dēret de fructib. restaurare aialia illa, si cōtingeret ea mori, ꝙ est illicitū; quia Petrus vellet semper suū capitale esse solutu ad modū mutuantis ad vsurā: vnde hoc agere, esset velle tradere aialia immortalia. Sed clarius pōt aliter responderi per duas distinctiones, & tria dicta; prima distinctio. Casus pōt dupliciter intelligi, s. aut quod Petrus velit, quod si aialia ei sine culpa Ioan. moriantur, antequam de eis aliquid proueniat, adhuc Ioan. satisfaciat de valore animalium, aut solū vult, quod tanto tempore, quanto vixerint animalia, velit percipere fructus, donec ei sit satisfactum de præfato valore, ita quod si moriantur antequam sit ei satisfactum, nihil vult habere, neque sibi dari a Ioan. & isto secundo modo nō esset tradere animalia immortalia, neque ad modum mutuātis sub vsuris, quia si morerentur nihil requireret.

Primū dictum. Si casus intelligatur primo modo, est illicitus Petro: quia tunc aialia stāt totaliter periculo Io. & perinde est, ac si mutuasset ea Ioā. & vellet sibi aliquo tpe elapso restitui saltem in valore, & nihilominus recuperato valore, vellet habere ius, & dominium in medietatem fructus spectātis ad Io. & tale ius, & dominiū esset incrementum sortis mutuatæ, & per consequēs vsura. Et si Petrus dicit, volo imponere Io. tantū periculum mortis naturalis, & mihi seruare periculum fortuitum, vel e cōtra, & sic cessabit esse, & apparere mutuū. Respondeo, quod non cessaret tum esse mutuum; imò esset, sed cum pacto innaturali, quo Petrus susciperet aliquod periculum rei mutuatæ, s. illam determinatā mortem, & esto, quod pro illo periculo suscepto liceret sibi aliquid recipere, tamen in illo casu nimis multum reciperet: vnde in fraudem vsuræ esset excogitatus contractus.

Secundū dictū. Si intelligat' casus secūdo modo, adhuc distinguo, & est secūda distinctio. Nā contingere pōt, ꝙ postq̄ Petro est satisfactū de valore aialium per fructus, aialia moriant' statim, & sic Io. nihil hēret vtilitatis a Petro, vel de aialibus, & tñ Petrus participasset opera Io. igit', aut Petrus tali casu vult dare Io. æquiualēs operib. suis, aut nō; si primū, tūc Petrus nō grauat Io. inique, sed æqua apparet cōditio vtriusque: perinde. n. est, ac si Petrus retinuisset aialia apud se, & cōduxisset Io. pro tāto tpe, donec de fructib. valorē aialiū percepisset, & pro illis operib. satisfecisset Io. & dehinc eidē cōicaret vtilitates aialiū, & ipse Io. recōmunicaret operas æquiualentes, & tunc liceret vtrisq; etsi non tm̄ fructus communicaret Petrus, sed ēt dominium animaliū, tunc si Ioā. opera æquatētur tali participationi, hoc melius nouit rusticus &c.

Tertium dictū. Si detur secundū membrū, s. ꝙ Petrus nihil vult dare Io. æquiualēs operib. suis, tunc contractus est illicitus Petro: quia nimis grauat Io. vt patet. Nisi dicatur alterum duorū, s. vel ꝙ illa medietas fructuū sit tanta, & talis, ꝙ non adæquatur operib. Ioan nisi cum tali conditione, l. ꝙ prius Petrus recipiat valorem animaliū, vel ꝙ Petrus ei promittat non solū medietatem fructuum, sed ēt participationē dominij aialiū, & sic tali spe minus iudicet Ioā. bonū sibi fore exponere se periculo nihil habendi, quamdiu Petrus recipiat suū capitale, vt postea medietatē fructuū perciperet, & aialiū, & cū huiusmodi distinctionib. verius respōdet', & clarius, q̄ absolute casū damnare, vt faciūt Vlricus, & Io. de Lignano, vel absolute iustificare, vt facit Laurētius de Rid. ss.

Vlricus. Io. de Lignano. Laurentius

Tertius casus.

Tertius casus. Petrus tradit centū oues Io. tali pacto, ꝙ oē periculū earū sit vtriusque, ita ꝙ qualitercūq. pereant, quilibet sustineat medietatē, si aūt nō pereāt, prius debeat Petrus extrahere suū capitale, & postea oues sint cōes vtrisq; æqualiter. Ad istum casum dimissa respōsione aliorū cum sua cōfutatione, pro qua vide Conrad. q. 92. casu. 6. Respondetur resolute sub distinctione: nā ex quo casus supponit, quod sit cōtractus societatis, videndū est quid Io. ponat ad hāc societatē, & si dicas, opera, tūc aut opera æquipatātur cōioni ouiū, aut nō, si primū, tunc cōtractus est illicitus Petro duplici de causa, prima, quia ex quo Io. tm̄ capitale ponit, sicut Petrus, iustū est, ꝙ solum tantumdē periculi sustineat, videlicet, vt solū medietatē totius capitalis aggregati ex vtriusq; capitalib. sustineat, atq; ita sufficiet Io. sustinere amissionem operū suorū, atq. adeo nō erit æquū, ꝙ ēt soluat medietatē pretij ouiū Petro. Secunda causa est, rōne pacti: quia ex quo Io. tantūdē ponit, quantum Petrus, igitur iustū est, ꝙ tantūdē vtilitatis percipiat, sicut Petrus, & per consequēs non licebit Petro ante oīa velle trahere suū capitale, & si solum velit trahere illud, casu quo superuixerint oues tāto tpe, donec fructus recipiat æqualitatē capitali: Nisi quis fingat, vel supponat, ꝙ quamuis id esset æquū absolute loquēdo, s. ꝙ Io. tantūdē reciperet, &c. tñ attēto, ꝙ Petrus vult subire medietatē periculi; quod merito totum deberet pertinere ad Ioā. s. periculum ex culpa lata, & leui prouenièns, ideo non est mirū, si Petrus in refusione velit prius capitale suū extrahere, si nō pereāt oues. Dico, ꝙ esto hoc hēret apparentiam, saltem si Petrus intellexit vniuersalitatem periculorum, vt supra, ꝙ vix inueniretur, quod tradēs velit pericula omnis culpæ recipiētis subire, tñ adhuc oportet ad hoc, quod cōtractus esset licitus ipsi

Conradus.

Petro

Petro, quod esset adæquatio inter susceptionem talis periculi pro medietate; & extrahere prius suum capitale, si non pereant oues: & hoc vix apparet, scilicet, quod sit adæquatio.

Dico secundo quo ad secundum membrum distinctionis positæ in principio, scilicet, quod si operæ Io. non æquiparentur communicationi, quia scilicet sunt viliores: tunc quamuis non sit æquum, quòd Ioan. tantumdem percipiat de eis, sicut Petrus, & per consequens ipse Petrus poterit plus velle de eis percipere proportionabiliter ad id, quod posuit, quã Io. non tamen sequitur, quod ex hoc liceat Petro extrahere primum suum capitale, prout sunt casus: quia nondum constat, quantum operæ deficiunt ad hoc, vt adæquarentur communicationi ouium. Vlterius Petrus exponit Io periculo nihil habendi pro operibus suis, scilicet, si quando post extractionem sui capitalis oues morerentur, atque adeo Petrus peccabit, nisi medietas participandi oues, & fructus post illã extractionem cessura Ioan. ex pacto a principio contractus fuerit verisimiliter tanta, quod merito Ioan. subierit periculum illud nihil habendi. Si autem operæ Ioan præualent ouibus, tunc Petrus dupliciter peccat, tum quia plus participare vellet, & minus posuisset. Nisi dicatur, quod plus participationis sibi indebitæ recompẽsatur per hoc, quod Petrus æquale periculũ vbi minus tenetur; sed tunc oporteret, quod esset adæquatio inter periculum, quod subit Petrus, & illud plus participationis sibi indebitæ. Possent & alij casus poni, tamen ex regulis, & solutionibus istorum facile alij possent solui, atque adeo hæc breuiter dicta sufficiant de societatis cõtractu. Reuertamur modo ad literam Doctoris Subtilis.

De Vsura & Mutuo.

Vsura est duplex. VSura est duplex, vna spiritualis, & æqua, altera corporalis, & iniqua, primo modo sumitur metaphorice pro lucro per excrescentia bonorum spiritualium, quam Deus a nobis exigit, volens quod proficiamus super bonis ab eo receptis ad nostram, non ad sui vtilitatem, quia bonorum nostrorum non indiget. Vnde Matt. 25. dixit dominus, Nonne oportet pecuniam dare numulariis, & ego veniens cum vsuris exegissem eam: Et de hac dixit Salom. Prouerb. 19. Fœneratur *D. August.* Deo, qui miseretur pauperi: Et D. August. inquit, Miser homo cur fœneraris homini? fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam possidebis. Talis vsura debet a nobis exerceri, sicut non suo 46. dist. per quam regnum cælorum emitur, de pœnit. d. 1. c. medicina. licet principaliter ex miseri *Glossa.* cordia Dei, vt dicit Glo. sr. in c. ordinationes, 1. q. 1.

Vsura distinguitur a peccato vsuræ. Altera vsura est, vt diximus, corporalis, & iniqua, de qua hic loquimur. Et nota, quod aliud est vsura, aliud peccatum vsuræ: peccatum enim vsuræ est ipse appetitus, vel acceptio lucri illiciti ex mutuo, siue propositũ accipiendi illud, quod in hac materia appellatur vsura: Vsura vero est ipsum lucrũ illicitum, quod appetitur, vel accipitur. Diffinitur autem v*Nauar. Definitio prima vsuræ.* sura a multis diuersis modis: Nam Maior. in 4. dist. 15. dicit, quod vsura est volitio, seu voluntas accipiendi lucrum vi mu*Nauar. Almaynus. D. Ambros.* tui, quam definitionem respuit Nauar. in Cõmẽt. de Vsuris. num. 15. ex eo quod non definit vsuram, sed vsuræ peccatũ, inter quæ magnam dicit differentiam, tamen explicat, & probat Almaynus in 4. dist. 15. q. 2. prænotando, quòd vsura capi solet dupliciter, vno modo materialiter, pro illo circa quod committitur peccatum vsuræ: & hoc pacto, inquit D. Ambros. quod vsura est quicquid accidit sorti, idest, omne id, quod vltra sortem, vel sine gratia, vltra pecuniam mutuatam accipitur, vsura appellatur; Alio modo sumitur vsura formaliter, atque ita definitur a Maiore, quæ non est aliud, quam volitio ex vi mutui aliquod lucrum temporale accipiendi, & hoc modo vsura duas præsupponit volitiones, vel vnam duabus æquiualentem. Volitio prior est mutuandi, posterior est consequendi lucrum ex mutuo, ita quod prima se habet, vt visus, secunda, vt fruitio, vel prima, vt electio, secunda, vt intentio. Est ergo vsura formalis, inquit Almayn. volitio aliquid præcipiendi vltra sortem vi mutui, causata ex spe alicuius lucri temporalis super sortem concessam, vel mutuandam, vel mutuatam. Cæterum, vt docte inquit Nauar. hac definitione magis explicatur quid sit peccatum vsuræ, quam ipsa vsura.

Definitio secunda vsuræ. Secundo definitur vsura à Soto lib. 6. de Iust. qu. 1. Vsura *Sotus.* est pretium vsus rei mutuatæ; quam accepit a D. Thom. 2. *D. Thomas.* 2. qu. 78. art. 2. & eam probant Petrus a Nauar. de rest. libr. 3. *Petrus Nau.* c. 2. p. 2. & omnes Diui Thom. discipuli: eam tamen reprobant Nauar. in Cõment. de vsuris. num. 16. tum quia datur *Nauar.* (vt inquit) verbis in hac materia insuetis, & rem ipsam obscurantibus: nam pretium in hac materia parum vsitatum est: tum quia sequeretur, quod non esset vsura mutuo tibi dare centum aureos, vt in fine anni reddas mihi centum, & decem, non propter vsum eorum, qui per mutuũ facti sunt tui, sed propter bonum mutuandi opus, quod meum est; quia nihil reddis pro pretio vsus rei mutuatæ, sed in præmio operis mei boni; quod tamen est contra mentem omnium: tum, quod mutuare ad obtinendum aliquod beneficium Ecclesiasticum, est dare ad vsuram, & tamen beneficium non *Glossa.* est pretium, nec iure pretio æstimabile, iuxta Glo. celeb. c. coram de offic. deleg. licet suapte natura sit æstimabile. Et quamuis ad hoc responderi posset pretium pro præmio sæ*Terentius.* pè vsurpari, iuxta illud Terent. in And. Ego obstultitiam pretium fero, replicat tamen potest, quod ratio, cui definitio illa innititur, concludit illud pro pretio vsus assumi.

Definitio 3. Vsuræ. Hostiensis. Angelus. Tertio sic definitur ad Host. in summa, vt dicit Ang. verbo. Vsu. idest, Vsura est quodcunque solutioni rei mutuatæ accedit ipsius rei vsus gratia, pactione interposita, vel hac intentione habita in contractu, vel exactione habita post contractum. Dicitur; quodcũque, idest quocunque nomine censeatur, siue consistat in dando, siue in faciendo; dummodo pretio sit æstimabile, & si vltra sortem exigatur, erit vsura. 14. q. 3. Vsura. & c. plerique. & ponitur illud, quodcunq; loco generis, atque ita comprehendit omne, quod pecunia potest æstimari. Secundo dicitur, rei mutuatæ: quia in solo mutuo vero, vel interpretatiuo consistit vsura, secũdum omnes Doctores: nam in locatione, & emptione vere non committitur, & ratio est, quia in contractu locationis dominus retinet dominium, & periculum, adeo quod conductor non potest retinere fundum, quem conduxit ratione domini, sed debet primo restituere possessionem, & postea agere, si credit fundum ad se pertinere. l. si quis conduct. C. loca. secus in mutuo: quia transfertur dominium, bene verum est, quod in istis cõtractibus posset vsura adesse interpretatiue, de quo vide Rosel Vsura. 3. & deinceps. Dicitur tertio, ipsius rei v*Rosella.* sus gratia, idest consumptionis, sed si pœnæ, vel interesse loco apponeretur, non esset vsura, vt infra videbimus. Dicitur quarto, pactione interposita, quia sine pactione, & exactione, aut intentione gratis aliquid datur, non erit vsura, prout infra plenius explicabitur. Obserua, quod ista definitio continet duo, scilicet, vnum materiale, & aliud formale, primũ est ipsum mutuum, formale vero est ipsa lucri exactio, siue obligatio in pactum deducta: quia vbi nullum est pactum, ibi nulla obligatio, secundum Ioan. de Ana. in rubr. eod. tit. *Ioa. de Ana.* Vnde si gratis aliqd offeratur, põt recipi, vt videbimus infra.

Definitio. 4. Vsuræ. Gabriel. Nauar. Quarto sic definitur a Gab. in 4. d. q. 11. Vsura est lucrum ex mutuo principaliter intentum, vel vt Nauar. dicit loco sit prætato nu 6. & redit in idem. Vsura est lucrum pecunia æstimabile suapte natura, principaliter in mutuo veri, vel palliati quæsitum, vel speratum. Dicitur primo lucrum pro genere: nam omnis vsura est lucrum, & non è conuerso, vt patet de lucro iustæ negotiationis. Est autem lucrum incrementum, vel pecunia mensurabile, siue sit munus a manu vel à lingua, siue ab obsequio, quod quis habet voluntarie ex mutuatione, vltra ea, quæ prius sua erant, & ea, quæ sua erant, dicuntur sors in hac materia: Et dicitur, quicquid pecunia commensuratur, quia sunt quædam, quæ sorti accedunt, quę non faciunt vsuram, vt amicitia, gratitudo, &c. Dicitur secũdo, pecunia æstimabile suapte natura, ad differentiam lucri suapte natura non æstimabilis pecunia, tum ad includendũ beneficium ecclesiasticum, quod licet nõ sit iure æstimabile, vt diximus supra est tamen suapte natura tale; tum ad excludẽdum lucrum rei spiritualis meriti, & gratiæ, quod mutoans in statu gratiæ, quando, & quomodo, & cur oportet, consequitur apud Deum: iuxta illud Ps. Beatus vir, qui miseretur, & commodat, siue mutuat &c. Et illud Matt. 19. Centuplum accipietis &c. quod proprie non est vsura, licet interdum metaphorice sic dicatur, vt notauimus supra. Dicitur, principaliter intentum, seo quæsitum, quia si non intenderetur lucrum in mutuo, sed qui mutuatur ex amicitia propter beneficium præteritæ mutuationis contractæ, aliquid offerret mutuanti, licite recipi potest, si vero præsumitur, quòd sit quasi in pretium mutuationis, sic recipi non debet: Nisi autem is, qui mutuũ recipit expresse dicit, quod non dat illud ratione mutui facti, vel fiendi, vel sperandi, tunc satis præsumi põt, quod illud gratis donat, nisi aliud ex circunstãtijs appareret.

Dicitur, ex mutuo, seu vi mutui, ad differentiam lucri, quod ex alijs contractibus accipitur: nam lucrum ex commutationibus acceptum non est vsura, etiamsi fuerit illicitum, vt dum quis superuendit, & in hoc distinguitur etiam vsura a turpi lucro; ponitur etiam ad differentiā eius, quod ratione veri interesse lucri cessantis, vel damni emergentis accipitur; quia illud non est vsura, iuxta Glos. sing. & recep. in c. conquest. de vsuris. Ex quo sequitur, quod si quis alias debita acciperet occasione mutui, non committeret vsurā; vt si quis debeat mihi decem, & ego mutuo illi centum, ea intentione, vt vltra centum reaccipiam etiam illa decem, alias non rehabiturus, nisi illi centum mutuassem, non committo vsuram; tum quia licet illa decem accipiam occasione mutui, tamen non accipio illa ex mutuo, siue vi mutui; tum etiam quia illa decem, quæ recipio, non accipio nomine lucri; quia alias mea sunt, aut mihi debita. Dicitur postremo, veri, vel palliati, ad includendum lucrum, quod de mutuo palliato quæritur; dicitur etiam notanter, intentū, & non pactum, quia intentum in plus est, quam pactum: nam omne pactum intentum est, & non è conuerso; ex quo innuitur, quod non solum acceptum vltra sortem in mutuo ex pacto facit vsurarium, sed etiam si intenditur lucrum absque pacto, vsura committitur.

Vsura est duplex.

Ex his sequitur duplicem esse vsuram, scilicet realem, & mentalem. Realis est vsura, quæ cum pacto expresso, vel tacito recipitur. Vsura vero mentalis est, quæ accipitur sine pacto expresso, nec tacito ex mutuo facto intentione principali recipiendi eam, iuxta mentem omnium. in c. consuluit. de vsuris. & c. fin. de simo. Vnde sequitur vsurā mentalem non dici mentalem ob eamdem rationem, qua alia peccata mentalia, quæ communiter mentalia appellantur: alia enim dicuntur mentalia, eo quod sint actus interioris voluntatis sine verbo & opere consecuto, vt homicidium mentale, voluntas occidendi mente, non consecuto opere, furtum mentale, voluntas furandi, non secuto furto, & sic de alijs. Mētale vero, & reale dicitur, quando vtrunque concurrit, & consequenter vsura mentalis communiter non appellatur mentalis, eo quod sit voluntas committendi vsuras sine opere consecuto, sed eo quod capitur sine pacto expresso, aut tacito, ex sola mentis intentione, qua mutuans mutuat, vt aliquid amplius sibi reddatur. Vnde infertur, quod aliud est peccatum vsuræ mentalis, & aliud vsura mentalis; vsura quippe mentalis est illa, quæ proxime definita est; Peccatum autem mentale vsuræ est voluntas exercendi, vel recipiendi vsuram, receptione non secuta, neque opere consecuto. Ex quo sequitur primo nullum peccatum vsuræ mentale, quamuis mentale sit illud, si nihil accipiatur ad restitutionem obligare; è conuerso autem omnem vsuram receptam, quamuis solum sit mētalis, idest recepta sine pacto tacito, nec expresso cum intentione principali recipiendi eam, obligare ad restitutionem; dixi, cum intentione principali, quia non quæcunque spes lucri mentalem facit vsuram, sed illa tantum, quæ est vsura principalis illius mutuationis; ita vt ea non existente nō mutuaret: vt docent Ang. verbo vsura nu. 1. Syluest. eodem verbo. q. 1. & Nauar. loco supra citato. n. 101. 13. nam si mutuans ita sperat lucrum, vt etiam si illud non speraret, nihilominus mutuaret ex debito vel amicitiæ, vel conscientia, non committit vsuram, vt communiter tenent Doctores, quos citant Ang. & Syl. locis supra citatis. Secundo sequitur, quod cum Doctores disputant de vsura mentali, an obliget ad restituendum, non quæritur de peccato mentali vsuræ: nam certum est illud non obligare, sicut nec vllum aliud peccatum mentale tantum obligat ad restitutionem; sed disputant an vsura mentalis, siue lucrum, quæ solum ex mutuo sine pacto cum intentione principali ob illud factu, obliget ad restituendum illud; infertur ex hoc, quod inuenitur, & frequenter peccatum mentale tantum vsuræ mentalis; quippe multi sunt, qui volunt mutuare mente, & intentione principali recipiendi aliquid amplius, sine vllo pacto, & tamen non mutuant, per quod apparet quantum differat vsura mentalis a peccato mentali vsuræ, cū illa sit frequenter obiectū illius.

Angelus. Syluester. Nauar.

Vsura realis est duplex.

Vsura realis est duplex, scilicet aperta, & palliata; aperta est quæ verbis expressis, & manifestis exercetur; palliata vero, quæ exercetur verbis fucatis, & fallacibus; vt si quis diceret; Do tibi mutuo centum, sic tamen qualis sit vsus, & quod non habeo vnde viuere possim. Mutuū dicitur quasi de meo tuū, & sic definitur a Bartolo in l. 2. in fine. ff. si certū petatur, vbi dicit. Mutuum est alicuius rei vsu consumptibilis in numero, pondere, vel mensura consistentis gratuita facta translatio, sub spe recipiendi tantumdem in genere suo, in simili numero, pondere, & mensura. Quæ definitio non probatur in totum a Conrad. tract. 2. de contract. q. 18. quoniam, inquit, particula illa, gratuita, superfluit: non enim necessario requiritur: nam licet requiratur ad licitam mutuationem, tamen non requiritur ad mutuationem acceptam in communi ad licitam, & illicitam, nam etiam mutuatio vsuraria est mutuatio, vt patet ex definitione vsuræ. Nec valet, si dicatur, quod illa particula ponitur ad differentiam locationis, vel contractus alicuius innominati, non gratuiti: eo quod si concedatur res pro mercede, erit locatio, si merces sit in pecunia: vel erit innominatus, do, vt des, si non consistit in pecunia: nam illi contractus sufficienter excluduntur per hoc, quod dicitur, non conferre, do vsum eius &c. nam in locatione solum transfertur vsus.

Mutuum. Bartolus.

Conradus.

Quapropter Conradus sic definit mutuum. Mutuum est contractus, quo quis pecuniam, vel speciem, idest rem vtilē, cuius vsus est eius consumptio, secundum quod ordinatur ad talem vsum, concedit alteri non tantum transferendo vsum in illum, sed etiam dominium, illo tamen alio obligato ad reddendum post lapsum temporis idem in genere, & æquiualens, vel in numero, pondere, & mensura. Pro huius definitionis intelligentia obseruandum est primo, quod mutuum capitur dupliciter, vno modo pro re data, atque ita pecunia, vel alia res nata mutuari, si mutuetur, dicitur mutuū, & sic non capitur in proposito, secundo modo sumitur pro actu mutuandi & sic capitur hic: & quia crebro oportet fieri mentionem de requirente ab alio mutuum, ideo breuitatis causa appellabitur mutuatarius, quemadmodum qui donum recipit appellatur donatarius, & qui depositum depositarius, atque ita de alijs.

Mutuum bifariam sumitur.

Secundo obs. est secundum Alex. de Ales. p. 3. q. 49. m. 4. art. 1. quod mutuum nō contingit fieri nisi de his rebus, quæ consistunt in numero, pondere, & mēsura, numero, vt quælibet moneta, quæ proprie dicitur pecunia numerata, pondere, vt auro, & argento, ære. &c. quæ appenduntur mensura, vt frumento, vino, oleo, pane &c. & addit, vt habetur in glo. in c. conquestus, de Vsur. quod duo sunt contractus, qui de sua natura volunt esse gratuiti, scilicet mutuum, & commodatum; in mutuo enim verum est, quod requiritur, quod sit gratuitum, alioquin est vsura, sed in commodato si aliquid recipitur pro re commodata, statim desinit esse commodatum, quia aut recipitur aliquid pro re ipsa, aut pro vsu rei, si pro re ipsa aliquid recipitur, aut recipitur pecunia, aut res alia, si pecunia est emptio, vel vēditio, si alia res recipitur erit contractus permutationis, si pro vsu rei accipitur pecunia, erit contractus locationis, si res alia erit, erit contractus innominatus, vt do, vt des, vel vt facias.

Alex. de Ales. Mutui materia quæ sit.

His obseruatis, explicatur definitio mutui. Dicitur primo, quòd mutuum est contractus, quod ponitur loco generis, secundo dicitur pecuniam, vel speciem: quia non solum numisma, vel pecunia sola nata est mutuari, sed etiam species, idest res vtiles distinctę a numismate, vt sunt frumētum, vinum, & oleum, &c. Dicitur tertio, cuius vsus est eius consumptio: quia res, quarum vsus non est consumptio non mutuantur, sed commodantur: nam in his rebus, in quibus vsus distinguitur a dominio non habet locum mutuum, sed accommodatio, vel locatio. Dicitur quarto, secundum quod ordinantur ad talem vsum; quia si secundum quod res talis ordinaretur in alium vsum, non esset mutuum, vt si pecuniam meam tibi concedam, vt eam contractes in manu tua, vel eam in arca reponas ad ostentationem, vel ea vtaris ad medicinam pro tua sanitate, vt aurum quod habet virtutem contra quasdam ægritudines, non esset mutuum, sed magis accommodatio si fiat gratis, seu locatio, si fiat pro mercede. Dicitur quinto, non transferendo vsum, & per hoc differt mutuum a contractu locationis, & commodationis, in quibus solum transfertur vsum, & non rei dominium; in mutuo autem quoad vtrumque. Dicitur sexto, illo tamen alio obligato, & per hoc differt a donatione, in qua licet transferatur dominium sicut in mutuo, tamen ille alius, nempe donatarius non obligatur ad reddendam rē illam, vel aliam; quia donum, vt docet Aristot. in Ethic. est datio irredibilis, idest facta sine spe, quod donatarius reddat æquiualens. Dicitur septimo, post lapsum temporis &c. & in hoc differt a cambio, & permutatione; nam cam

Definitio mutui explicatur.

Aristot.

biens

biens aureum pro moneta, licet transferat aureum in alium quo ad vsum, & dominium, etiã illo alio obligato ad reddẽdum sibi monetam æquiualentem, tamen ille alius obligatur ad mox reddendum sine expectatione temporis, & hoc si cambium est purum: quia si expectaret redditionem fiendam per alium, ibi etiam esset adinixtum mutuum in illo cãbio pro quanto vellet, quod alius pro aliquo tempore posset monetam retinere, & postea sibi dare; Idem dicendum est de permutatione. Dicitur octauo, in genere, & æquiualens: quia recipiens mutuum non tenetur ad restituendum eandem rem in numero, seu in indiuiduo, quam mutuo accepit, quod patet, quia ex quo solum illæ res sunt natæ mutuari, quarum vsus est earumdem consumptio, secundum quòd sunt tales, eo ipso quod quis mutuat aliquam rẽ proximo, consensit, quod ille consumat illam rem, & per consequens, quod non restituat eamdem in numero, cum consumptum non possit naturaliter idem numero redire; sufficit ergo, quòd reddat idem in genere, & accipitur idem in genere pro eo, quod non est idem in numero, seu in indiuiduo, dummodo sit idem in specie; nam quod Philosophi, & Theologi vocant idem in specie, Iurisconsulti appellant idem in genere, & quod Philosophi, & Theologi idem in numero appellant, Iurisconsulti vocant idem in specie. Vnde Iurisconsultus in l. 2. ff. si certum petatur. Mutuum damus recepturi, non eamdem speciem, quam dedimus, alioquin aut commodatum erit, aut depositum, sed idem genus, & in hoc differt mutuum a commodato, & locato, in quo oportet, quod commodatarius, & conductor reddat rem eamdem in numero: alias condemnabitur quanti interest: nec etiam oportet, quod in eadem bonitate omnimoda, quia conductor habet ius vtendi re conducta. Et nota, quod dicitur, mutuo mutuas, re, actiue, idest, mutuum dare, & dicitur, mutuor, deponenter, quod est mutuum accipere; Hinc in Psal. Mutuabitur peccator, & non soluet: mutuabitur, idest mutuum recipiet, & de hoc sunt versus. Mutuo vult dantem, sed mutuor accipientem. Mutuo tradentis, sed mutuor accipientis.

His in generali pro explicatione vsuræ, & mutui obseruans; Quemadmodum circa emptionem, & venditionem quasdam breues, & communes quæstiones explicauimus, sia nonnulla de vsuris in mutuo contingere solitis in præsentiarum intendimus enodare: singula enim persequi, vt rei dignitas, ac horum temporum necessitas exigit a nostro instituto, qui Doctoris Subtilis commẽtatoris munus subire decreuimus, alienum prorsus iudicamus. Dicam ergo solum ea, quæ ad Doctoris Sub. rectam intelligẽtiam fuerint oportuna: quemadmodum fecimus in superioribus, & in sequentibus etiam præstabimus: adiunctis tamen nonnullis, quæ ad huius materiæ, & cæterarum, quæ a Doct. Sub. tractantur, aliqualem explicationem, atque perfectionem fuerint aptiora. Et primo quæritur.

Primus Art. Vtrum de vsura cognoscere magis pertineat ad Theologum, quam ad Iurisperitum.

Secundus Art. Vtrum mutuatio vsuraria sit peccatum mortale omni lege damnatum.

Tertius Art. Vtrum Iudæis ex eorum lege licitum fuerit mutuare alienigenis ad vsuram.

Quartus Art. Vtrum vsura permissa sit iure cæsareo, & quomodo.

Quintus Art. Vtrum domini temporales debeant, & possint tollere publicos vsurarios.

Sextus Art. Vtrum Ciuitas, atque Respub. possit substineri sine mutuatione vsuraria.

Septimus Art. Vtrum potestas sæcularis, & Prælatus ecclesiasticus possit, & debeat prohibere Iudæis mutuationem vsurariam.

Octauus Art. Vtrum in aliquo casu teneatur quis mutuare gratis.

Nonus Art. Vtrum in vsura transferatur dominium eius, quod vltra sortem accipitur.

Decimus Art. Vtrum spes omnis, atque intentio obtinendi lucrum aliquod ex mutuo vsuram mentalem constituat.

Vndecimus Art. Vtrum vsura mentalis obligationem inducat restitutionis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum de Vsura, cognoscere magis pertineat ad Theologum, quam ad Iurisperitum.

PRo solutione huius quæstionis obseruandum est primò, quod eadem res potest pertinere ad considerationem diuersorum artificum, & scientiarum, & hoc contingit dupliciter, primo subijciendo illam rem respectu diuersorum prædicatorum, sicut homo est de consideratione philosophiæ naturalis respectu huius prædicati, mobile, & corruptibile, & scientiæ moralis respectu huius prædicati, fœlicitabile, alio modo respectu eiusdem prædicati, & sub eadem ratione formali accipiendo subiectum, & hoc tripliciter, aut quia tale prædicatum ostenditur in vna scientia de illo subiecto per vnum medium, & in alia per aliud, sicut quod terra sit rotunda demonstratur in philosophia naturali, vt patet in fine secundi de cęlo, & mundo, & in Mathematica, vel quia in vna demonstratur prædicatum de subiecto demonstratione propter quid, & in alia demonstratione quia, quæ demonstrationes generant diuersas, & distinctas scientias, aut tertio quia in vna tale prædicatum supponitur in esse subiecto, vnde talis propositio habetur pro principio, & in alia tale prædicatum ostenditur de subiecto, & talis propositio est conclusio, & hoc patet in scientijs subalternatis, in quibus quod est conclusio in subalternante, est principiũ in subalternata. Ita ad propositum mutuatio vsuraria potest esse de consideratione Theologiæ, & etiam scientiæ iuris, & quoad diuersa prædicata, nempe respectu illius prędicati, quod est eam esse peccatum mortale, & ipsam diuino iudicio ęternaliter puniendam, & in foro conscientiæ, vt lethale peccatum per sacerdotem iudicandam, & pœnitentiam imponendam. Respectu vero alterius prædicati, verbi gratia, quòd in foro exteriori est punienda pœna canonica, vel ciuili, puta, quod eam exercens est infamis, & quod oblationes eius non sunt acceptandæ ad altare, & quod testamentum eius non factum secundum quod disponitur in cap. quamquam, de vsur. sit irritum ipso iure, & sic de alijs est de consideratione scientiæ iuris. Respectu etiam eiusdem prædicati potest esse de consideratione vtriusque: nam tam Theologus, quam Canonista habet considerare eam esse peccatum mortale, aliter tamen, & aliter, quia per diuersa principia, & adeo diuersa, vt vnus magis, quam alius habeat id considerare, vt patebit.

Res eadem ad diuersorum considerationem spectare potest.

Secundo obseruandum est, quod refert considerare contractum vsurarium in ordine ad aliquod prædicatum, verbi gratia dicendo, iste contractus est peccatum mortale, & considerare eum in ordine ad aliquod subiectum, puta dicendo talis actus est vsurarius. De primo modo dicetur in prima, & secunda conclusione, de secũdo in tertia, & quarta. Quis, scilicet magis habeat cognoscere qui contractus sint vsurarij; & qui non.

Tertio obseruandum est, quod duplex est contractus vsurarius: quidam est indubitanter vsurarius, de quo nulla est dubitatio apud Doctores; quidam est de quo dubitatur. Item quidam est in se vsurarius, etiam seclusa omni humana constitutione, sola diuina lege, & naturali, vt omnis mutuatio, quam quis exercet principaliter propter lucrum per modum pretij accipiendum vltra sortem pro mutuatione impensa. Et quidam in se non est vsurarius, sed propter constitutionem positiuam prohibentem eum sub eisdem pęnis, quibus contractus est vsurarius: exempli gratia. Aliquis contractus non est in se vsurarius, tamen si ius canonicum, vel ciuile, vel statutum municipale, aut synodale ipsum iam quam suspectum prohiberet, ne quis sub eo tamquam sub pallio absconderet fraudes vsurarum, vt si prohiberetur, quod venditio ad terminum pro maiori pretio fieret, quã sine termino, quia licet possit fieri licite in aliquib. casibus, tamen si prohiberetur, eo quod ibi est implicita mutuatio, propter quam contingeret aliquem maleuolum velle aliquid amplius vltra sortem, iam ille esset contractus vsurarius positiue. His præsuppositis, sit ista prima conclusio.

Contractus vsurarius est duplex.

Contractus vsurarius, qui noscitur in se esse vsurarius quo ad hoc prædicatum, quod est esse peccatum mortale, magis est de consideratione Theologi, quam Iurisperiti; probatur, nam actus, qui rationem peccati mortalis immediate

diate trahit ex lege diuina, magis pertinet in ordine ad hoc prædicatum, quod est esse peccatum mortale ad considerationem illius, ad quem spectat magis considerare eamdem legem diuinam, quam illius, ad quem non per se spectat; sed talis contractus vsurarius est huiusmodi, ergo &cet. Maior est de se satis nota: quia actum habere rationem mortalis culpæ à lege diuina, est ipsum esse difformem legi diuinæ præceptiuæ, prohibitiuæ; ille ergo melius nouit hanc difformitatem, qui melius nouit diuinam legem, sed Theologus est talis, ergo &c. Nam contractus vsurarius ideo est peccatum mortale, quia est contra legem Dei Lucæ. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes, quam Theologus, vt Theologus melius nouit, quam Legisperitus, vt talis. Vnde Theologo conuenit per se legi diuinæ intendere, & Iurisperito conuenit intendere humanis legibus positiuis, per accidens vero conuenit intendere legi diuinæ, alioquin Iurisperitus esset Theologus, quod est falsum.

Et si dicas, quòd æquè ad vtrumque spectat; & per consequens non magis ad Theologum: quia sicut lex diuina damnat cõtractum vsurarium, ita lex canonica, ergo ex eodẽ fundamẽto, quo tu probasti ad Theologum magis spectare, probatur spectare ad Iurisperitũ, & per consequens ad vtrũque.

Peccatum est triplex. Respondeo, primo posset negari antecedens: nam lex diuina damnat contractum vsurarium virtute propria, nõ innitendo alteri legi positiuæ, sed lex canonica virtute legis diuinæ: nam decreta summorum Pontificum damnantium vsuram allegant legem diuinam veteris ac noui testamenti, patet in c. quia in omnibus, & in c. super eo. de vsuris. Vbi Papa ideo damnat contractum vsurarium, etiam si fiat propter opus pietatis exercendum: quia est damnatus vtroque testamento: igitur dissimiliter valde procedunt Theologus, & Canonista: stat ergo ratio. Secundo dico, quod admisso antecedenti negatur consequentia: nam lex Canonica licet damnet vsuram, tamen non sufficeret sua damnatione impingere actui rationem peccati mortalis, si non esset lex diuina, ex qua dimanat auctoritas iuris canonici ad condendas leges, & per consequens ad damnandos actus aliquos, iuxta illud Lucæ 10. Qui vos audit, me audit &c. & Matth. 18. Quæcunque ligaueritis super terram &c. Quasi dicat, volo quod leges vestræ præceptiuæ, vel prohibitiuæ rationabiliter editæ ligent &c. Vnde ex hoc quis peccat mortaliter contrauenendo legi positiuæ: quia facit contra illud Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.

Et si iterum dicas, quòd æquè ad Iurisperitum, sicut ad Theologum pertinet considerare contractum vsurarium in ordine ad hoc prædicatum, quod est esse peccatum mortale; quia est contra legem naturæ, vt infra videbimus, sed ad Iurisperitum, sicut ad Theologum pertinet considerare legem naturæ, & forte magis ad Iurisperitum, igitur &c. Nam sciẽtia iuris ciuilis subordinatur scientiæ morali, non sic Theologia. Philosophus autem moralis considerat de vsura, vt patet. 1. Polit. & 4. Ethic.

Respondeo, quòd triplex est peccatum, scilicet morale, & illud habet Philosophus naturalis considerare: aliud est peccatum mortale, aliud veniale, & illa habet Theologus considerare. Modo ad argumentum, illum actum, qui est contra legem naturæ æquè pertinet considerare ad Iurisperitum, sicut ad Theologum: sed vsura est huiusmodi, ergo &c. Totũ potest concedi, sed cum vltra infertur, quod ex se potest Legisperitus cognoscere vsuram esse peccatum mortale negatur: bene enim potest cognoscere, quòd sit defectus, seu peccatum morale, sicut Arist. cognouit. Ad Theologum vero pertinet cognoscere, quod sit peccatum mortale: nam ratio peccati mortalis includit, quod per ipsum incurratur inimicitia Dei, & amittatur gratia, si peccans habeat eam, & quod incurratur reatus pœnæ æternæ, quæ non nisi per reuelationem, atque adeo scientiam theologicam cognosci possunt: stat ergo ratio.

Secunda Conclusio. Si aliquis contractus sit non in se vsurarius, sed tantum ex iure positiuo, tunc adhuc in ordine ad tale prædicatum, scilicet esse peccatum mortale, magis est de consideratione Theologi, quam Iurisperiti: probatur, quia non cognoscitur talis contractus esse peccatum mortale, nisi cognitis istis duobus præmissis, scilicet, omnis actus, qui nõ est contra legem positiuam humanam prohibitiue latam a superiore, est peccatum mortale, iste contractus est huiusmodi, ergo &cet. Vnde quamuis minor magis sit de consideratione Legisperiti, quã Theologi, quia Iurisperitus melius nouit leges humanas, tamen maior magis est de consideratione Theologi; nam aut illam solus habet ponere, aut si vterque, tamen ipsa apud Theologum est magis nota: quia potest eam probare ex lege diuina: Non sic Iurisperitus, sed supponit eam veram, & probatam ex lege diuina. Et tunc vltra cum notitia maioris sit validior ad cognoscendam conclusionem, quia in ea est tota vis discursus generantis sciẽtiam, sequitur, quod qui melius nouit maiorem, etiam melius nouit conclusionem.

Tertia Conclusio. Si de contractu in se vsurario sit tractandum tamquam de prædicato in ordine ad aliquod subiectum. Puta, dubitatur de aliquo contractu an sit vsurarius, vel non, non minus pertinebit ad Theologum, quam ad Iurisperitum, sed æque, vel forte magis; probatur prima pars: Ille qui nõ minus, sed æquè intelligit quid nominis, & quid rei talium terminorum, æquè bene poterit definire, vtrum illud vere dicatur de aliquo subiecto, vel non: sed Theologus non minus, sed æquè bene nouit, quid sit contractus in se vsurarius, ergo conclusio pro prima parte est vera. Maior est nota: quia notitia alicuius præpositionis dependet ex notitia terminorum, & eorum, per quæ potest probari. Minor pro prima parte probatur: quia æquè Theologus nouit legem diuinam, & suos terminos, sicut Iurisperitus suam, sed date ad vsuram, quod idem est, quod contractus vsurarius in se, ponitur in lege diuina veteris testamenti. Ezechielis 18. & ps. 14. & 54. & Deut. 23. & æquiualens terminus ponitur Luc. 6 Mutuum date &c. hoc est dicere, nõ exerceatis contractum in se vsurarium. Tandem quomodo posset Theologus diuinam legem bene intelligere, si nesciret definire, quid esset contractus vsurarius? igitur æque bene poterit definire, an aliquis cõtractus sit vsurarius, sicut Iurisperitus, imo melius: quia ex quo contractus vsurarius non tantum est contra legem diuinam, & humanam, sed etiam naturalem, sequitur, quod melius de illo poterit iudicare ille, qui plures ex illis legibus melius nouit, sed Theologus nouit legem diuinam, & naturalem melius, quam Iurisperitus: nam lex Euangelica est quædam explicatio legis naturalis; quia in duobus mãdatis perfecte continetur, scilicet dilectione Dei, & proximi; primum est de lege naturali stricte sumpta, sed aliud, nõ stricte sumpta: Vnde Matth. 7. dixit Saluator. Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines &c. & sequitur, hæc est lex, & prophetæ. Similiter Tobiæ 4. Quod tibi nõ vis fieri &c. Sed in corpore iuris licet sint multæ sanctiones, quæ videntur iuris naturalis, non tamen tot, quæ sint primo, vel secundo modo, id est principia practica euidentia ex terminis, vel conclusiones deducibiles &c. sed nec valde consonæ, & vicinæ talibus principiis & conclusionibus; immo in corpore iuris ciuilis sunt multa cõtra legẽ naturalẽ, vt in proposito de vsura.

Similiter vt contractus in quo est deceptio citra dimidiũ iusti pretij teneat, non sic in Euangelio Christi. Denique si corpori iuris can. licet plurimæ sanctiones insertæ sunt legis naturalis, hæc tamen a Theologis acceptæ sunt, & nominatim in materia nostra, scilicet in condemnatione vsuræ, patet in c. in omnibus & in c. ex eo. extra de vsuris, & in c. qualiter de... vbi dicitur, quod ex auctoritatibus veteris, ac noui testamenti processerunt Canonicæ sanctiones. Vnde bene inquit Hen. de Gand. in quol. 1. quæst. 39. vbi damnat quemdam contractum vsurarium, dicens, quod de illo non oportet inquirere a Iuristis, sed magis a Theologis, & Philosophis, cũ vsura sit iniquitas contra legẽ iuris diuini, & naturalis; alias Arist. eam non damnasset. 4. Ethic. hæc ille. *Henricus.* Sed vt omnino obseruatur os loquentium iniqua, soluant qui tutari conantur partem Iuristarũ in hac parte August. argumentũ quod habetur in c. Si ad Scripturas sacras. d. 9. si ad Scripturas sacras admissa fuerint, vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? non posset postea sumi validum argumẽtum ex ea ad probandum quamcumque veritatem, & quæcumque proposito sumeretur ad probandum, diceret aduersarius esse falsam, sicut alia &c. sic contingeret de illis, qui ciuilibus legibus nimis adhærere vellent, probando ex eis aliquid esse licitum; nam diceret aduersarius, non sequitur, quia in alijs errauerunt; atq; adeo negaret aduersarius hanc cõsequentiã, leges hoc esse licitũ determinauerunt, ergo est licitum, vnde quando leges ciuiles diuinæ legis non sunt cõtrariæ, vel saltem non dissonæ, tunc tutè eis nitimur, si quid concedant, vel mandent agendum, seu vitandum. Igitur in materia peccati non ad leges ciuiles debemus, sed ad legem diuinam principaliter naturalẽ, & canonicã recurrere. Vide *D. August.*

fere

fere totam dist. 9. præfatam, & videbis quanta reuerentia, secundum D. Aug. sit diuinæ scripturæ adhibenda.

Sed vt demus Iuristis, quod suum est in hac parte, sit hæc quarta Conclusio. Si de contractu non in se vsurario, sed aliunde contrahente rationem huiusmodi, sit tractandum, an verè prædicetur de aliquo actu, vel non; talis consideratio magis pertinebit ad Iurisperitum, quàm ad Theologū, & si sumatur Iurisperitus præcisè pro perito in iure ciuili; vel canonico, aliquando magis spectabit ad peritum in statutis municipalibus, aut prouincialibus, & synodalibus; siue ille esset alias Iurisperitus, siue Theologus, seu neuter illorum.

Probatur prima pars: quia si quis actus sit vsurarius non in se, sed aliunde, oportet, quòd hoc contrahat ex aliqua constitutione humana; ergo qui melius scrutatur illas constitutiones, melius poterit videre, & iudicare si talis actus sit condemnatus tali constitutione tamquàm vsurarius, licet in se non sit talis: nam tota ratio definiendi tale dubium pendet ex virtute constitutionis humanæ, quàm qui melius nouit, melius poterit iudicium ferre; sed Iurisperitus melius nouit; ergo, &c.

Secunda pars patet: quia staret, quòd aliquis contractus solo iure municipali esset prohibitus; & posset latere tam Iurisperitum, quàm Theologum, ergo, &c.

Et quia in prima conclusione diximus, quo ad hoc prædicatum, quòd est esse peccatum mortale, &c. ideo si consideretur contractus in ordine ad aliquod aliud prædicatum, posset eius cōsideratio plus pertinere ad Iurisperitum, quàm ad Theologum; Vnde sit hæc

Quinta conclusio. Contractus vsurarius respectu prædicatorum sonantium pœnam ciuilem, vel canonicam ordinatam à iure humano, v.g. quòd exercens talem actum sit infamis, atq; ita de alijs pœnis à iure ordinatis: quas melius nouit Iurisperitus, quàm Theologus; ideo ipse melius poterit iudicare: patet de se. Tales autem pœnæ sunt multæ.

Vsurariorū pœnæ.

Et in primis infamia ciuilis, vel canonica. Vnde quicumque exercet contractum vsurarium est infamis infamia canonica; nam illa contrahitur per quodlibet peccatum mortale. 6. q. 1. c. infames; infamia verò iuris ciuilis, quæ irrogatur per sententiam, vel ipso facto per leges vt in casibus, quibus iure cauetur, de quibus vide tex & bonam Glos. 3. q. 7. §. porrò infamis est omnis, qui exercet illam vsuram, quæ dicitur improbum fenus; cuiusmodi est illa, quę dicitur vsura vsurarum; Similiter vsura centesima, & de alijs vsuris reprobatis à iure. Sed quia omnis vsura est censenda improbum fenus; ideo quidam inferunt, quod etiam de iure ciuili hodie omnis vsurarius est infamis; Sed an hæc consequentia teneat non definio; cum ius ciuile aliquas vsuras concedat. De canonica infamia non est dubium, quin talis sit infamis: patet in c. inter dilectos.

Secunda pœna est, quòd manifestus vsurarius non debet recipi ad communionem altaris, vt in c. quia in omnibus. extra de vsuris; quamuis etiam Theologus hanc cognoscere potest: quia de lege diuina est, quod exercens in peccato mortali non recipiatur ad communionem altaris, nisi pœniteat.

Tertia est, quod oblationes manifesti vsurarij ad altare non debent recipi. c. eodem; Hæc si intelligatur de oblatione fænebri, etiam Theologus potest cognoscere sine scientia iuris canonici: quia est restituenda; & hoc saltem tenendo, ꝙ non transferatur dominium, &c. Si verò teneatur oppositum, de quo erit sermo infra, tunc adhuc Theologus potest cognoscere, si talis oblatio reddat vsurarium impotentem restituere; de quo videbimus infra. Si autem prædicta constitutio intelligatur de re non fænebri, sed legitimè quæsita, non cognosceret Theologus sine iure positiuo: quia oblationes huiusmodi non essent ipso iure diuino de per se repudiandæ: quia de per accidens oblationes manifesti vsurarij, etiam habentis bona legitime acquisita non essent recipiendæ ab Ecclesia propter scandalum pusillorum, ne fortè crederent, quòd Ecclesia sentiret, quòd de vsura posset fieri oblatio; & hoc etiam posset noscere Theologus.

Quarta pœna est, quòd Ecclesiastica sepoltura carere debet vsurarius; si in hoc peccato decesserit. c. quia in omnibus. extra de vsuris; & hanc pęnam potest etiam Theologus cognoscere: nam ex quo in peccato notorio decessit, de damnatis est iudicandus, ideo indignus Ecclesiastico beneficio: quamuis Theologus non nosceret, quòd scienter sepelliens est ipso facto excommunicatus. Clem. 1. de sepulturis.

Quinta pœna, non debet absolui, nisi seruata certa forma, de qua in cap. quamquam de vsuris. in 6. vide ibi. Sexta pœna, quod testamentum vsurarij manifesti disponens, quod res vsurarum aliter, quam ad eos, quibus restitutio facienda est, perueniant, est ipso iure nullum, vt in c. quamquam.

ARTICVLVS II.

Vtrum mutuatio vsuraria sit peccatum mortale omni lege damnatum.

De hac re fuit error Græcorum, qui vt Auctor est Guido Carmelita in summa de hæresibus dicebant vsuram nullo iure esse prohibitam, & per consequens non esse peccatum dare aliquid, ad vsuram, vt refert Alfonus a Castro de hæresibus lib. 14. in verbo, vsura. In eadem sententia fuerunt Albonenses, vt refert Gabriel Prateolus in lib. de vitis, & vitijs hæreticorum. c. 22. Et Carolus Molie. iurista, vt referunt Couar. lib. 3. var. resol. & Nauar. in Com. de vsuris. Dicebat autem hic hæreticus esse licitas vsuras, si cum moderamine, quod habetur in l. eos. C. de vsuris. exerceantur. Abulensis tom. 7. super Math. c. 25. q. 172. fatetur vsuras esse prohibitas, esseque peccatum illas exercere, cæterum dicit eas tantum iure positiuo, non autem naturali esse interdictas. In qua sententia dicuntur esse multi iuris professores, vt refert Sotus lib. 6 de iust. q. 1. art. 1.

Guido. *Castro.* *Prateolus.* *Couar.* *Nauar.* *Abulensis.* *Sotus.*

Vnde pro huius difficultatis perspicua solutione obseruandum est primo secundum catholicam fidem vsuras esse illicitas, & oppositum asserere damnatum est tamquam hæresis in Concilio Viennensi sub Clem. V. vbi sic legimus. Sanè si quis in illum errorem inciderit, vt pertinaciter affirmare præsumat exercere vsuras non esse peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum: locorum nihilominus ordinarijs, & hæreticæ prauitatis Inquisitoribus iniungentes, vt contra eos, qui de errore huiusmodi diffamatos inuenerint, aut suspectos, tamquam diffamatos, vel suspectos de hæresi procedere non omittant: quæ verba habentur in lib. 5. Clementinarum, in titulo de vsuris. c. ex graui. §. vltimo. nec ista est recens Ecclesiæ determinatio, sed causa consensus illius a tempore Concilij Niceni, in cuius cano. 18. qui infertur in c. quoniam. 14. q. 4 sic habetur. Quoniam multi Clerici auaritiæ turpia lucra sectantes obliti sunt diuini præcepti, quo dictum est, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram &c. quibus verbis apertè significat Concilium esse præceptum diuinum de non dandis pecunijs ad vsuras.

Conc. Vien. *Conc. Nice.*

Res sunt in duplici genere.

Secundo obseruandum est, quod quædam res sunt, quarum vsus est earum consumptio, sicut vinum, & triticum, & cætera ad esum hominum pertinentia, quorum vsus est potatio, & commestio, quę potu, & cibo consumuntur, & in his non debet seorsum computari vsus a re ipsa: nam cuiuscunque conceditur vsus, in istis conceditur res ipsa, & propter hoc cui conceditur vsus rei, eo ipso conceditur res, & per consequens transfertur dominium rei, & propter hoc in talibus per mutuum transfertur dominium. Qui ergo vellet seorsum vendere vsum rei, talis venderet eandem rem bis, vel venderet id, quod non est, atque adeo per iniustitiam peccaret. Vbi autem vsus rei distinguitur a dominio, ibi potest concedi vsus, retento dominio, vt in locatione domus, & similium, & in his potest aliquid licite accipi pro vsu rei.

Pecunia potest esse duplex vsus.

Tertio obseruandum est ex Doct. nostro Sub. in hac. q. sub lit. O. §. intelligendum est, quod pecuniæ potest esse duplex vsus: vnus principalis, & est eius distractio, alter minus principalis, qui potest a dominio distingui: nam pecunia potest ostentari, potest ornare, potest etiam habere aliquem effectum medicinalem ex natura metalli, vt aurum contra lepram, & ad istum finem potest locari, sicut equus, aut vasa argentea, & pro huiusmodi vsu retento dominio, potest accipi pretium. Vnde si quis ad ostendendum se diuitem, vel ad ornandum aliquid, accipit pecuniam, non vt distrahat, ibi solus vsus pecuniæ, & non dominium cōceditur, & ille est contractus locationis, vel conductionis, & nō mutui datio, & deberet eadem pecunia sic mutuata restitui in eadem specie, nisi forte sufficeret locanti, a qualis in pondere, & numero, de hoc Glos. in c. conquæstus de vsuris, & pro tali vsu licet aliquid recipere, sicut pro alterius rei locatione. His obseruatis.

Glossa.

Vsura est peccatum mortale.
D. August.

Dico primo vsuram esse peccatum mortale: probatur, quia omnis actus, qui est contra legem diuinam, atque naturalem est peccatum mortale, sed mutuatio vsuraria est huiusmodi, ergo est peccatum mortale. Maior patet per Augustinum. Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. Minor patebit infra. Secundo probatur, quia auferre vi, vel fraude aliquid diuiti, est peccatū mortale, nisi paruitas materiæ excuset. ergo mutuare ad vsuram est peccatum mortale, consequentia probatur per D. Augustinum ad Macedonium, & habetur. 14. q. 4. Qui reputat illa duo non imparia in crudelitate. Ita enim inquit. Quid dicam? an crudelior est, qui subtrahit diuiti aliquid, vel eripit, quam qui trucidat pauperem fœnore? q. d. non minus crudelis est secūdus, quam primus. Tertio probatur, quia qui pertinaciter præsumit asserere, quod exercere vsuras non sit peccatum, est velut hæreticus puniendus. Clem. ex graui. de vsuris. ergo &c.

Vsura est contraria naturæ.
Arist.
Pecunia est duplex.

Dico Secundo vsuram iure naturæ illicitam esse: probatur, quia Arist. solis rationibus naturalibus, & ex solo naturali lumine euidentiam habentibus probauit vsuram malā esse moraliter. Vnde primo Polit. distinguit duplicem pecuniam, vna dicitur economica, & necessaria, quæ procurator ex fructibus terræ, & animalibus, & hac vtitur economicus propter necessaria vitæ, nec illius acquisitio tendit ad infinitum, sed solum ad illam quantitatem, qua indiget dispensator ad bene disponendum domum, vt ibi docet Arist. Secunda verò pecunia dicitur translatiua, qua quis vtitur ad hoc, vt sibi pariat pecuniam, & hanc dicit esse vituperabilem, sed mutuare pecuniam ad vsuram est ca vti, vt ipsa pecuniam pariat, ergo &c. Præterea Arist. primo Polit. ca. 6. dicit, quod obolistica est odiosa, per obolisticam autem intelligit commutationem, qua vnum pondus pro alio eiusdem generis datur ad augumentum ipsius, sed mutuatio vsuraria est talis commutatio, ergo secundum Arist. est odiosa, & per consequens mala, & vituperabilis, vnde obolistica dicitur ab obolus, quod est paruum pondus, eo quod ex numismate statuit obolos.

Item idem Arist. dicit vsuram, id est, mutuationem vsurariam esse maxime præter naturam, sed actus, qui est præter naturam, est contra legem naturalem, quia lex naturalis non disponit exerceri aliquem actum existentem præter naturam, & quod vsura sit vituperabilis, probat Arist. ex eo quod per talem commutationem commutans vult, quod res, quæ non est nata fructificare, vel parere, fructificet, & pariat. Nam fænerator intendit, quod nummus augeat seipsum ex se ipso, quasi quod habeat in se ipso virtutem generatiuam, & fructificatiuam, sicut terra, & arbores, & animalia fructificant, & multiplicant, ideo hoc lucrum appellatur fœnus, quasi quidam fœtus denarij, ac si denarius denarium pareret, & se ipsum multiplicaret, sed hoc lucrum est contra naturam, quoniam secundum naturam est, quod denarius acquiratur ex rebus naturalibus, aut ingenio, aut artificio, aut labore, & non quod denarius fiat ex denario. Vnde sicut est contra naturam sterilem parere, sic est contra naturam nummum facere nummum, atque adeo merito fœneratoria nequitia habetur odio, vt quoddam monstruosum, & apud omnes viuentes secundum rationem reprobatur.

Cicero.

Deinde Cicero lib. 2. de officijs prope finem lumine naturali tantum ductus affirmat, quod fœnerari est hominem occidere, quasi significans ita esse contra legem naturæ lucrum ex mutuo repetere, sicut hominem occidere. Item Cato de re rustica in principio, Maiores nostri (inquit) hoc sibi habere, & ita legibus posuere furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli, quanto peiorem ciuem æstimauerunt fœneratorem, quam furem. Hinc licet æstimare, hæc ille.

D. Thomas.
Richard.

Secundo probatur principaliter ratione D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. & Rich. hac d. art. 5. q. 5. Mutuum non est nisi de illis rebus, quarum principalis vsus non potest concedi sine re ipsa, eo quod ille vsus est earum consumptio, sicut patet in edilibus, & potabilibus; vel distractio, vt patet in pecunia, quæ ad hoc principaliter inuenta est, vt expendatur in emptione aliarum rerum, & propter hoc cum eiusmodi res alijs conceduntur, trāsfertur in illos earum dominium, quia mutuare est de meo tuum facere. Cum ergo concedere principalem vsum talium sit concedere res ipsas, ille, qui vltra recompensationem rei exegerit recompensationem pro vsu, exigit pro eadem re recompensationem bis, aut recompensationem pro eo, quod non est, quod contra æqualitatem iuris naturalis: ius huius rationis in eo consistit, quod iniquum est, & contra ius naturæ vendere idem bis, aut vendere id, quod non est. Qui autem accipit vsuram pro pecunia mutuata, vel quasi vendit idem bis, vel certe vendit id, quod non est: nam qui dat mutuū ad vsuram, recipit postea quidem tantum, quantum dedit, & insuper pro vsu illius, qui nullius est pretij seorsum a pecunia, accipit aliquid aliud, atque adeo rem ipsam vendit bis, aut certè pro vsu, qui seorsum non est æstimandus, aliquid accipit. Hæc ratio habet bonam apparentiam, cæterum nō satisfacit Doc. nostro Sub. quia hæc ratio præsupponit vnum, quod est valde dubium; imo forte falsum, nempe, quod in rebus vsu consumptibilibus vsus non distinguatur a dominio, & quod habens vsum earum rerum habeat, & dominium, cuius oppositum patet per illud de verborum significatione. c. exijt qui seminat. §. nec quicquam, & §. ad hæc. lib. 6. vbi legitur, quarumdam rerum usus perpetuo separari a dominio, & usum esse penes fratres Minores; dominium verò penes Summum Pontificem, & Sedem Apostolicam, etiam in his rebus, quæ usu cōsumuntur. Cui subscribit Clemens V. in Clem. exiui de Paradiso de uerborum significatione. Ideo Doc. aliter probat conclusionem dupliciter, & primo sic. In mutui datione transfertur dominium, ergo qui concedit pecuniam mutuo, non manet dominus pecuniæ mutuatæ, atque adeo si pro illa pecunia recipit aliquid ultra sortem, pro non suo recipit, atque ita uendit non suum: antecedens patet, quia mutuū dare, ut diximus supra, est de meo tuum facere, cum enim tibi pecuniam mutuo, pecunia, quæ erat mea, ui mutui fit tua, sed uendere quod non est suum, est contra legem naturæ, ergo &c. Secundo probatur sic. Esto, quod pecunia maneret mutuantis, cum illa pecunia ex natura sua non habeat fructum aliquem efficere, sicut habent quadā alia ex se germinantia, sed tantum prouenit fructus aliquis ex industria utentis, puta cum pecunia illa mercando, & non eius qui concedit pecuniam, sequitur quod uolens aliquid capere ultra sortem, vult habere fructum de industria aliena; quam tamen non dedit mutuans dando pecuniam, sed uelle habere fructum de aliena industria, est lege naturæ iniustum, ergo &c.

Suma.

Vsura est prohibita in veteri testamento.

Dico tertio certum esse usuram prohibitam fuisse in ueteri testamento, sicut & adulterium, & rapina, hæc conclusio est communis sententia omnium Theologorum, & tangitur a Doc. nostro Sub. in 3. art. huius. q. sub lit. Y. §. & iuxta hoc. Probatur autem multis veteris testamenti auctoritatibus, prima habetur Exodi 22. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Secūda habetur Ezechielis. 18. Et vir si fuerit iustus, & fecerit iustitiam &c. Ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit &c. vita viuet, dicit dominus, & parum infra. Quod si genuerit filium latronem &c. ad vsuram dantem, & amplius accipientem. Nunquid viuet? Non viuet, cum vniuersa hæc detestanda fecerit, morte morietur. Et iterum. Quod si genuerit filium &c. A pauperis iniuria auerterit manum suam, vsuram, & superabundantiam non acceperit &c. hic non morietur, sed vita viuet. Tertia habetur in ps. 14. Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c. Qui iurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam dedit ad vsuram &c. Quibus verbis nō dare ad vsuram inter necessaria ad habitandum in tabernaculo domini, & requiescendum in monte sancto suo annumeratur. Et ps. 54. inter alia vitia commemorantur. Non defecit de plateis eis vsura, & dolus. Et ps. 71. de Messia dicitur. Ex vsuris, & iniquitate redimet animas eorum.

Vsura est prohibita in lege euangelica.

Dico, quarto vsuram prohibitam esse in lege Euangelica, probatur, vsura est contra legem naturalem, vt diximus in secunda Conclusione, ergo est contra legem Euangelicam. probatur consequentia, quia lex Euangelica perficit legem naturalem, nec eam destruit. Item in lege Euangelica prohibetur furtum, & rapina, & omnis vsurpatio rei alienæ, cum dicitur, non furaberis, sed vsura est vsurpatio rei alienæ inuito domino, vt constat, ergo est contra legem Euangelicā. Præterea Lucæ 6. dicit Dominus, mutuum date, nihil inde sperantes. Et quamuis impius Carolus Molinensis de commercijs. nu. 11. quem secuti sunt. Sotus lib. 6. q. 1. de Iust. Aragona de Iust. q. 78. & Ludouicus Mulina de contract. trac. 2. disp. 304 dicant locum istum Lucæ 6. non probare, dicentes,

Carolus.
Sotus.
Aragona.
Molina.

quod

quod solum consulit, & non præcipit sine vsura mutuare, tamen oppositum nobis videtur certissimum, tum quia licet prior pars eius, scilicet, Mutuum date, communiter contineat consilium, posterior verò, scilicet, nihil inde sperantes, contineat præceptum, ne qui mutuat, aliquid amplius expe- *Conc. Late.* ctet, vt expresse declarant Concilium Lateran. in cap. quia in omnibus de vsuris. Et Alexand. III. in c. super eodem titulo scilicet de vsuris, & Vrbanus IV. in ca. consuluit. de vsuris, *D. Thomas.* & S. Thom. 2. 2 q. 78. art. 1. ad quartum, alias dicendum esset Papam Vrbanum errasse, aut certe incogitanter respondisse adducēdo illud Lucæ, & consequenter Gre. Nonum dormitasse, reponendo eius responsum in decretalibus. Nam Vrbanus non solum asserit quod colligitur, sed etiam quod aperte colligitur ex illo Lucæ, peccare eum, qui ad vsuram mutuat, & non solum peccare qui mutuat cum pacto, sed cum sola intentione accipiendi aliquid amplius, & confirmatur, quia in Concilio Lateran. sub Leone X. in bulla approbante *Conc. Late. sub Leo. X.* montem pietatis, expresse dicitur, illud Lucæ apertum continere præceptum prohibens vsuram, sic enim ibi legitur, Dominus noster Lucæ Euangelio attestante aperte nos præcepto obstringit, ne ex dato mutuo quicquam vltra sortem sperare debeamus, quæ verba nullo pacto patiuntur extortam illam expositionem adductam a Ludouico Molina loco supra citato. Nam licet Concilium ibi non determinet ex professo illum esse literalem sensum verborum Saluatoris, illum tamen præsupponit, & approbat. Cum ergo & Summi Pontifices, & Concilia citent locum illum Lucæ 6. vt reprobent lucrum ex mutuo, haud nobis placet, neque tutum est discedere a Conciliorum & Pontificum super illum locum intelligentia, quicquid alij contra clament. Neque mirum, vel nouum est, quod vnus locus scripturæ plures habeat sensus literales, & confirmatur, quia in Concilio Later. vt habetur in cap. quia in omnibus. extra de vsuris. dicitur, quod vsurarij condemnantur vtriusque testamenti pagina, & per consequens condemnantur lege Euangelica: nullibi autem habetur in Euangelio de mutuatione vsuraria, nisi Lucæ 6. nihil inde sperantes.

Vsura prohibita est lege canonica. Dico quinto vsuram prohibitam esse iure positiuo Canonico, probatur, quia d. 46. c. nec hoc. Leo Papa decernit valde acriter debere puniri, tam clericos, quā laicos conuictos de vsura, & extra de vsuris. c. quia in omnibus. Ale. III. decernit, manifestum vsurarium puniri triplici pœna, scilicet, cōmunionis altaris, priuationis ecclesiasticæ sepulturæ, & pœna repudiandi eorum oblationes. Similiter Clem. ex graui. de vsuris, & breuiter legatur totus titulus extra de vsuris, & lib. 6. eodem titulo. Itemque d. 47. & 4. q. 1. & q. 4. per multa capita. Inter quæ iura, ca. quoniam multi 47. d. est Concilij Niceni. c. si quis 14. q. 4. est Concilij Martini Papæ. c. quia in omnibus. de vsuris. est Conc. Later. c. vsurarum. de vsuris lib. 6. est Concil. Lugdun. ca. ex graui. §. sanè. in Clem. est Conc. Viennen. Ex his ergo omnibus patet vsurariam mutuationem esse peccatum mortale, omni lege damnatam.

ARTICVLVS III.

Vtrum Iudæis ex eorum lege licitum sit mutuare alienigenis ad vsuram.

Abulensis. ABulensis tom. 7. in Matth. ca. 25. q. 18. & deinceps circa hanc difficultatem multa dicit, breuiter tamen recolligendo, eius sententia sequentibus dictis comprehenditur.

Dicit primo. q. 168. quod in veteri testamento non erat Iudæis simpliciter vetita vsura, neque totaliter concessa, sed Iudæis erat illicitum alijs Iudæis de progenie Iacob dare ad vsuram, sed dare gentilibus, & conuersis ad Iudaismum de gentilibus non erat peccatum, id est, lege prohibitum. Primum patet Deut. 23. Non fęnerabis fratri tuo ad vsuram pecuniam, neque fruges neque quamlibet aliam rem. Item Leui. 25. Si attenuatus fuerit frater tuus, & infirmus manu, & susceperis eum quasi aduenam, & peregrinum, & vixerit tecum, non accipies vsuram ab eo. Imo non solum cogebantur non dare ad vsuram, sed gratis mutuare quidquid peterent, vt habetur Deut. vbi supra. Fratri autem tuo absque vsura id, quo indiget, commodabis. Item Leuit. 25. Si attenuatus fuerit frater tuus, non accipies vsuras ab eo, neque amplius quam dedisti: pecuniam tuam non dabis ei ad vsuram, & frugum superabundantiam non exiges. Fratres aūt erant omnes descēdētes de stirpe Iacob, vel saltē ex parte Patris. Secundū probatur, quia Deuteron. 23. dicitur, Non fęnerabis fratri tuo ad vsuram, sed alieno: alieni aūt dicebantur, qui non erant fratres: Gentiles certum est, quod fratres non erant: quod autem ex gentilibus ad Iudaismum conuersi non essent fratres, patet, quia non erant de genere Iacob: quod patet Deut. 15. vbi soli Iudæi ex genere Iacob vocantur inter se fratres; cum dicitur, Cum tibi venditus fuerit Iudæus, aut Iudæa, qui est frater tuus: atque ita alij non sunt fratres: Et magis patet Leuit. 25. vbi legitur, Seruus, & Ancilla sint vobis de nationibus, quæ in circuitu vestro sunt, & de aduenis, qui peregrinantur apud vos, vel qui ex his nati fuerint in terra vestra, hos habebitis in famulos, & hæreditario iure transmittetis ad posteros: & possidebitis in æternum: fratres autem vestros filios Israel nonopprimatis per potentiam. Ex his ergo patet, quod Iudæi ex genere non poterant dare ad vsuram inter se ipsos, sed poterāt dare ad vsuram alienis, idest gentilibus manentibus in gentilitate, & conuersis ad Iudaismum, & filijs conuersorum, quia isti non erant fratres.

Secundo dicit q. 172. quod Iudęi in veteri testamento peccarent, si darent ad vsuram alijs Iudæis fratribus: sed non peccabant dando ad vsuram alienis, idest gentilibus, aut cōuersis. Primum patet, & secundum probat, quia vel licitum fuit Iudæis dare ad vsuram alienis ex sola dispensatione, vel quia nulla existente lege vsura erat licita: Vnde lex illa Deut. 23. & Leuit. 25. duobus modis potest intelligi: vno modo quod vsura erat illicita Iudęis ante dationem illius legis, & hoc tam ad ipsos, quam ad alienos: postquam autē data fuit illa lex, dispensatum fuit cum Iudæis quantum ad vnam partem, scilicet quantum ad extraneos, seu alienos, vt possent illis dare ad vsuram: ita quod lex illa fuit dispensatio, seu relaxatio iuris communis naturalis, secundum quod nulla vsura erat licita. Altero modo potest dici, quod illa lex fuit astringens Iudæos plusquam alias astricti essent: quia prius licitum eis erat dare ad vsuram, tam fratribus, quam alienis; lex autem illa astrinxit eos, vt non darent ad vsuram fratribus, relinquens, quod possent dare alienis: atque ita in ista lege non fuit aliqua relaxatio facta Iudæis, sed potius restrictio.

Tertio dicit, quod secundus modus fuit verior, scilicet, quod non fuit dispensatio, sed restrictio ad maiora facienda, & meliora: dicit tamen, quod cum dispensatio duo importet, scilicet relaxationem alicuius iuris, & actum, super quem cadit dispensatio, alias futurum malum, nisi dispensatio præcederet, quod lex illa Iudæorum quo ad vsuram potest aliquo modo dispensatio, & aliquo modo arctatio appellari: quia duo circa hoc considerari possunt, scilicet, aut bonum, & malum, secundū quod lex illa arctabat Iudæos, antequam legem acciperent; aut bonum, & malum simpliciter: priori modo non fuit dispensatio, sed arctatio, eo quod non interciderint ibi illa duo, quæ ad dispensationem pertinent: De relaxatione patet, quia non erat tunc aliquod ius circa vsuram, quod relaxaretur: nam lex naturalis indispensabilis est: atque adeo non erat relaxatio circa illam: neque illa erat vsura illicita, & lex positiua nulla erat, quæ ad non dandum ad vsuram astringeret: erant autem præcepta secūda iuris naturalis, in quibus vsura vetabatur, sed illa non vrgent, nisi fuerint firmata lege, aut consuetudine: quæ tunc non erant: De secundo etiam patet, quia actus dandi ad vsuram non fuisset malus ante datam legem Iudæis: etiam si nulla dispensatio esset, vel relaxatio: immo si nulla lex esset super hoc a Deo data, liberiores fuissent Iudæi ad dandum ad vsuram quibus vellent: atque adeo hoc modo non est dispensatio. Posteriori autem modo, scilicet accipiendo bonum, & malum simpliciter, dicit quod fuit aliqualis dispensatio, quia illa duo ibi inueniuntur: & de relaxatione patet, quia erat aliqua lex, idest tam lex naturæ, quam lex Christi, respectu cuius posset fieri relaxatio. De lege Christi patet, quia licet non esset tunc, quando Iudæis data fuit lex de vsuris, est tamen nunc, & cum illa vetet omnem vsuram respectu illius: Ista lex data Iudæis, in qua permittitur aliquo modo vsura, est aliqualiter dispensatio, cum sit relaxatio ad aliquem casum, in quo vsurę licitæ sunt: in nullo autem casu sunt licitæ secundum legem Christi. Erat ergo secundum Abulensem lex illa dispensatio; non quod esset relaxatio

laxatio

laxatio alicuius legis positiuæ existentis, & prohibentis tūc omnem vsuram, sed habito respectu ad Christi legem, quæ prohibet omnem vsuram, & in quocunque euentu. Erat etiam lex naturæ, secundum quam erant illicitæ vsuræ quantum ad secūda præcepta legis naturæ, atq; ita respectu illius erat dispensatio, vel relaxatio in lege Iudæorum. De secundo etiam patet, scilicet, de malitia futura actus, quia stante lege Christi non poterat aliqua vsura exerceri sine peccato, stāte etiam lege naturæ quantum ad omnia præcepta sua nō licebat exerceri aliquo modo vsuram absque dispensatione, ideo potest dici, quod aliquo modo erat dispensatio in lege Iudæorum quantū ad vsuras. Cæterum si simpliciter quæratur, an fuerit tunc dispensatio, dicit, quod nō, sed potius fuit arctatio quædam.

Fundamentum autem Abulensis est, quòd date ad vsurā non est ex se malum, sed ideo malum, quia prohibitum, ita quod secundum eum date ad vsuram, nō erat adeo malum, quod peccaret quicunq; illud committeret, sed erat malum, id est, aliqualiter contra rationem, & tale non esset malū, nisi cum prohiberetur, atque adeo cum prohibuerit Deus solum date fratribus ad vsuram, non autem alienis; ideo dare ad vsuram alienis nō erat peccatum. Nam duplicia, inquit, sunt mandata, vel determinationes iuris naturalis. Prima sunt illa secundum quæ ordinatur res in finem suum, secunda verò quæ iubent illa, quæ faciunt faciliorem peruentionem in finem, & tollunt ea, quæ non impediunt consecutionem finis, sed eam difficilem reddunt. Contra prima præcepta est omne id, quod impedit consecutionem finis, & tale nō potest esse licitum, atque omni tempore fuit malum, etiam si nulla lex illud vetaret; & contrarium illius tenemur facere, etiam si nulla lex positiua præcipiat. Illa verò quibus existentibus tardius ad finem virtutis peruenitur, licet ad eam peruenire possit, sunt contra secunda præcepta, dicunturq; esse contra ius naturale, sed neque affirmatiua habent vim obligandi, neque negatiua obligant ad peccatum contra facientes, atq; ita non peccat, qui agit contra tale ius naturale, nisi lege positiua, aut consuetudine inceperit habere vim obligandi, quia tunc tam affirmatiua, quam negatiua obligant, aliàs non; quoniam, vt dictum est, secunda præcepta non obligant, nisi lege positiua, aut consuetudine sint firmata, sed tunc nihil tale erat; præcepta autem prima, quæ secūdum se obligant sine aliqua lege positiua, non vetabant vsuram, atque adeo ante legem positiuam non arctabantur Iudæi ad non dandum ad vsuram, atque adeo lex illa Deu. 23. & Leuit. 25. non fuit dispensatio, sed potius arctatio, vt explicatum est. Hæc breuiter est Abulensis sententia.

Præcepta legis naturæ duplicia sūt

Cæterum hæc Abulensis sententia est in fide erronea, quatenus dicit vsuram non esse de se malum; atque licite, & sine dispensatione licitum fuisse Iudæis date ad vsuram alienis, vsuramq; non esse iure naturali illicitam; quoniam ex principijs fidei, & alijs propositionibus, quæ lumine naturali videntur notæ per euidentem consequentiam, colligitur vsuram esse de se malum contra ius naturæ, vt ex his quæ diximus in probatione secundæ conclusionis articuli præcedentis, liquido patet, vel saltē si forte aliquibus hæc cēsura rigida videatur, opinio Abulēsis est valde temeraria, quia fere contra oēs Theologos, periculosa in fide, & errori proxima.

Dicendum est ergo, vt ex illo Deut. 23. colligitur, vsuram secundū se illicitam esse; atq; adeo eadem causa prohibitam fuisse circa fratres, hoc est filios Israel, quod confirmant etiā cætera testimonia ex veteri testamento in probatione tertiæ conclusionis præcedentis articuli a nobis relata.

Vsura est secundum se illicita.

Illud verò verbum, sed alieno, Alex. de Ales 3. p. q. 59. m. 4. ar. 1. quem secuti sunt D. Th. q. 12. de Malo. ar. vltimo & 2. 2. q. 78. ar. 1. & Caiet. ibi. Sotus lib. 6. de Iust. q. 1. art. 1. ad secundum Alfonsus a Cast. aduersus hæreses, verbo, vsura, & Couar. 3. variarum resol. c. 1. n. 7. intelligit, non quasi filijs Israel vsura permissa ibi fuerit erga extraneos tamquam licita, sed solum tamquam impunita ad maiora mala vitanda, ne videlicet ex auaritia ad quā populus ille moltum erat propēsus, fratres suos vsuris opprimeret, peccabāt ergo Iudæi mortaliter fenerando alieno, sed hæc fuit permissio cōparatiua, quæ facta est duplici ratione, prima, quia permissum fuit eis minus peccatum ne facerent maius, videlicet, ne fœnerarentur fratribus. Secunda, quia rudes erant, & quia maior otrect, vnde paulatim ducendi erant ad perfectionem. D. Tho addit, quod cum omnes homines sint fratres, & proximi, vt patet ex parabola Lucæ X. cui prohibitum est fœnerari proximo, prohibitum est fenerari omni homini. Verum quia in textu fit discretio fratrum ab alienis, innuitur, quod aliqui sunt alieni, qui non sunt fratres, eo modo quo ibi accipiuntur fratres, nempe pro hominibus eiusdem situs, & generis, ideo solutio Alex. est melior.

Al. de Ales. D. Thomas. Caietanus. Sotus. Castro. Couar.

Et si dicatur, quod Deut. 15. per promissionem, seu benedictionem seruantibus mandata Dei dicitur, fœnerabetis gētibus multis, & ipse a nullo accipies mutuum, ergo fenerari non videtur esse malum, quia alias nō esset promissio, seu benedictio. Respondet Alex. quod hic ponitur consequens pro antecedenti: est enim sensus Si mandata mea seruaueris, tātam habebis abundantiam, quod poteris multis gentibus, si volueris fenerari: nam fœnus sequitur abundantiam, non enim potest fœnerari nisi abundans, ponitur ergo, fœnerabetis, pro abundabis. D. Tho. dicit, quod ibi, fenerabetis, accipitur pro mutuabis; ita quod illis verbis in præmium promittitur tanta bonorum abundantia, vt ipsi mutuo dare possint ceteris gentibus, & accipere ab eis non indigeant: sumitur enim quandoque fenerari, pro mutuare tantum, vt patet ex illis verbis, non fœnerabetis fratri tuo ad vsuram; vbi aperte patet idem significare, quod mutuo dare: alioquin non solū superflue, sed etiam inepte adderetur, ad vsuram. Idem cōfirmat illud Esaię. 29. Fœnerare proximo tuo in tempore necessitatis illius, fauet huic responsioni id, quod sequitur, & ipse a nullo accipies mutuū, vbi pro fenore, ponitur mutuū.

Al. de Ales.

Potest & aliter responderi, quod Moyses per illa verba nō concessit mutuationem veram vsurariam, sed similitudinariam; exemplum, si debes mihi vnum flor. quem iniuste per rapinam, vel aliter detines, me mutuo, mutuo tibi decem, vt vltra sortem des mihi vnum florenum, hæc inquam, mutuatio similitudinariè vsuraria est, sed non verè: quia licet mutuem spe recipiendi vltra sortem, non tamen ratione mutuationis, aut spe recipiendi aliquid indebitum mihi, sed debitum. Ita ad propositum, Gentiles cohabitabant terram promissionis, & detinebant iniustè terram illam, quia Hebræis data fuit a Deo, igitur vt saltem in parte recuperarent rem sibi debitam, concessum fuit, vt ad vsuram gentibus mutuarent, & confirmatur hæc responsio, quia alias Prophetæ, & Moyses fuissent contrarij, quia prophetæ absolutè prohibēt vsuras, vt vidimus. Moyses verò eas concedit cum alienis. Dicit ergo hæc sententia vsuram fuisse tamquam licitā permissam filijs Israel circa alienos, id est, hostes ipsorum, qui terram habitabant promissionis, quam Deus illis concesserat, & circa quoscunque alios, cum quibus bellum iustum temporis progressu gererent, eo namq; ipso, quod fas est spoliare veros hostes bonis suis, licitum quoque est mutuo illis dare cum pacto, vt aliquid vltra sortem reddant, quando enim aliquid aliunde est debitum, licitum est ex Doctorum sententia mutuum dare cum pacto, vt insuper illud etiā reddatur, vt etiā colligi potest ex Alex. III. c. 1. de vsuris. in Concil. Turon. & glos. vlt. ibi: quoniam illud non est accipere lucrum ex mutuo, sed mutui occasione recuperare aliunde debitū, in quo propriè vsura non inuenitur, sed tantum similitudinariè.

Alex III. Conc. Turon. D. Ambros.

In eadem sententia fuit aperte D. Amb. cap. vlt. 14. quæst. 4. cuius verba sunt hæc, Ab illo exige vsuram, cui merito nocere desideras, cur merito inferuntur arma, huic legitimè an feruntur vsuræ. Sine ferro dimicat, qui vsuras flagitat. Sine gladio se de hoste vleiscitur, qui fuerit vsurarius exector inimici, ergo vbi ius est belli, ibi ius vsuræ. Hactenus D. Ambrosius. Quibus verbis vult, quando iure belli licite possumus aliquem interficere, bonaq; illius occupare, tunc licitè etiam posse aliquid vltra rem mutuatam ab illo recipere, nō quidem quasi vi mutui debitum, sed ex alio capite, ex bello iusto possumus bona omnia illius occupare. Euidentiusque adhuc est apud eumdem Amb. in lib. de Tobia cap. 8. vnde textus ille fuit desumptus, quo in loco eam sententiam præmittit, in illiusque confirmationem subiungit verba illius textus, quo fit, vt id quod glos. r. ad eumdem textum dicit, nempe, quod sicut nulli est nocendum, sic a nemine esse vsuras exigendas. Sanè quidquid Sotus loco supra citato dicat, pugnat cum textu, & cum Ambrosij mente. Neque verò Conradi, & aliorum sententia tam parum probabilitatis habet, quam Sotus ibidem affirmat: modo tamen intelligatur cessante scandalo. Quod profecto non maius eo tempore erat in eo, quod filij Israel vsuras modo explicato ab eis acciperent, quam quod terras, & eorum bona vsurparent.

Sotus.

A R-

ARTICVLVS IV.

Vtrum vsura permissa sit iure Cæsareo, & quomodo.

Titulus tribus modis intelligi potest.

PRo solutione huius difficultatis obseruãdum est primo, quod titulus trifariam intelligi potest, primo vtrum per missio iuris ciuilis ad hoc tãtum extendatur, vt vsurario nulla decernatur pœna, sicut permittitur meretricium. Secundo an eo vsque se extendat, vt vsuris læso denegetur in iudicio actio ad repetendum, sicut de illo dictum est emptore, qui citra dimidium iusti pretij decipitur. Tertio an forte vltetius etiam, vt qui vsuras promiserat, cogeretur in iudicio eas soluere. His nãq; tribus gradibus intelligi permissio potest.

Mutuatio fœneratitia multiplex est.

Secundo obseruandum est, quod multiplex est mutuatio vsuraria, quæ est concessa, vel permissa in iure ciuili, prima dicebatur centesima, & hæc erat illa, quæ per annum æquiparabatur sorti, vt si Petrus mutuasset Ioanni xx. flore. ea stipulatione, vt in fine anni daret pro vsura xx. illi xx. superad diti sorti vocabantur vsura centesima, vel vt dicit Sotus, & meo iudicio melius, vsura centesima erat centesima pars sor tis singulis mensibus aucta, vt mutuo tibi dederam centum aureos singulis mensibus dabas mihi vnum, ita quod singulis annis obueniebant duodecim ex centum, & æstimabatur hæc vsque adeo grauis, vt non permitteretur omnibus personis, sed quibusdam erat interdicta, scilicet Illustribus, & illis, qui sunt ante illustres, concedebaturque tantum in pecunia traiectitia, hoc est, quæ mutuo dabatur, vt a mutuatario mari deferretur, & periculum illius ad mutuantem pertineret, non verò ad mutuatariũ, vt patet. l. eos & C. de nautico fœnor. & ab hac centesima denominabantur reliquæ, vt bis centesima trisentesima, quatercentesima, atque ita de alijs: nam omne totum iure diuiduras, qui diuiditur in 12. vncias, vnde triens est tertia pars, puta quatuor vnciæ, & semis medietas &c. non enim triens vsura est tertia pars sortis, vt quidam putani, nec quadrans quarta, alias longo maior esset quadrans, quam centesima.

Sotus.

Vsura, quæ erat dicta triẽtcentesima, cõcedebatur nobilibus, si enim aliquis nobilis ad fœnus daret, solum concedebatur ei accipere tertiam partem centesimæ, id est, tertiam vnius aurei partem singulis mensibus pro centum, quos mutuo dedisset, seu, quod idem est, quatuor aureos singulis annis. Si verò mercator esset permittebatur ei accipere duas cẽtesimas partes, id est, duas aurei partes singulis mẽsibus pro eisdem centum mutuo datis, atque adeo permittebatur ei accipere octo aureos singulis annis. Reliquis verò hominibus sas tantum erat accipere dimidium centesimæ, id est, dimidium aurei singulis mensibus, aut sex aureos quotannis pro centum mutuo datis. Reliquæ verò vsuræ erant prohibitæ, hæc habentur. l. eos citata.

Tertio obseruandum est, quod iure cæsareo vsuræ vsurarum erant prohibitæ, vt si pro centum aureis quotannis deberentur sex, nefas erat in posterum sumere vsuras illorum sex, etsi pactum interueniret, quod si non soluerentur, cederent capitali, & ex illis soluerentur, ita habetur. l. vl. C. de vsuris. Hinc intelliges grauiores, & nequiores vsuras palliatas, aut occultas interdum exigi, ac solui nostris temporibus, quã essent, quæ ciuilibus legibus quondam erant concessæ.

Ius cæsareũ vsuras permittebat.

His obseruatis, dico primo, quod ius Cæsareum non solũ vsuras permittebat primo modo, scilicet, quod crimen illud non puniebat, eo pacto, quo inter Christianos meretricium ad maiora mala vitanda permittitur, sed etiam in hoc, quod quarundam vsurarum semel solutarum repetitionem non concedebat, atque item in hoc, quod ad exigendas vsuras quasdam lege concessas actionem concedebat, vt constat ff. & C. de vsuris. Q. 10. fit, vt reiicienda sit opinio Soti. 6. de Iust. q. 1. ar. 5. contrarium affirmantis. Dixi cæsareum ius concessisse actionem ad vsuras quasdam lege concessas, quoniam ciuiles leges non concedebant vsuras in quacunque quantitate, vt explicatum est, & præter alia iura liquet. l. eos, & dua bus sequẽ ibus C. de vsuris. maxima namq; vsura, quam ius ciuile concederet, erat centesima, vt supra dictum est.

Sotus refellitur.

Ius cæsareũ vsuras concedens iniquum est.

Dico secundo, quod leges huiusmodi iniquam vsuram permittentes erant iniquæ, & contra naturale ius, vt ostensum est. Quocirca præter alia canonica iura, merito vna cum multis alijs abrogatæ sunt, Clem. vnica de vsuris. In Conc. Vien. simulq; sancitum est, vt si quæ potestas publica iudicare præsumpserit, vt soluantur vsuræ, aut, vt solutæ cum repetuntur, non restituantur, sit ipso iure excommunicata. Atque in hac parte Canonicum ius præualet ciuili, eo quod in Sũmo Pontifice plena sit potestas super alias potestates ad ea, quæ in salutem animarũ, finemq; supernaturalem concernunt, nec vlla consuetudo contra hoc vim, & locum habere potest, cũ sit corruptela contra ius naturale, & diuinum. Quo fit vt hodie actio in sæculari foro concedatur ad repetendas vsuras iam solutas. Doctores controuertunt. Vtrum Iustinianus Imperator leges Cæsareas abrogauerit, quæ vsuras concedebant. Glos. in Auth. ad hæc. C. de vsuris, & quædam aliæ Canonici iuris affirmant, id verò sibi persuadent: quoniam idẽ Imperator fidẽ admisit Nicæni Concilij, atque eam seruare præcepit. In Concilio autem Niceno vsuræ damnatæ sunt, atq; hæc videtur esse communis peritorum sententia. Contrarium tamen meo iudicio probant sufficienter Conrad. de Contract. q. 22. concl. 10. & Couar. var. resol. l. 1. nu. 6. atque in eadem sententia fuit Panor. a Couar. citatus.

Conradus. Couar. Panormit.

ARTICVLVS V.

Vtrum Domini temporales debeant, & possint tollerare publicos vsurar os.

ALiud est peccatum tollerare, & aliud in peccatum cõsentire hæc enim duo inter se valde differunt: nam consentire in peccatũ est actus positiuus voluntatis, qua voluntas vult peccatum, & in peccato sibi cõplacet, sed tollerare peccatũ, non est actus positiuus, sed est negatio actus; est n. non punire, atq; ita est actus negatiuus puniendi: differunt etiã, quia numquam licet consentire in peccatum proprium, vel alterius, & tamen sæpe licet alienum peccatum tollerare. Quapropter obseruandũ est, q; triplex est concessio, seu permissio, vt in principio præcedentis articuli est tetigimus, prima idem est, quod non punitio, eo modo, quo quis dicitur aliquod malum permittere, eo quia non punit illud, & hoc modo permissio nihil positiuũ dicit, & alio nomine huiusmodi concessio appellatur simplex permissio, vel tollerãtia, sicut Deus tolletat peccatores, id est, non punit in præsenti, & hac permissione tantum indulgentur pœna, sed culpa nõ minuitur in illo, qui operatur taliter permissum.

Concessio triplex est.

Secundo modo capitur prout duo dicit, s. non punitionẽ, & prohibitionem impeditionis, & hoc modo Ecclesia concedit Iudæis obseruantiam suarum cæremoniarum, quæ obseruantia est peccatũ mortale, quia nõ punit eos pro tali peccato, & cum hoc prohibet Christianis, ne molestent, vel impediant eos vt patet. 45. d. c. qui sincera.

Tertio modo capitur, prout tria dicit, s. non punitionem, & prohibitionem impeditionis, ac illius peccati promotionẽ quomodo ille diceretur concedere aliquod malũ, qui faciẽtẽ illud non puniret, & cum hoc volẽtib. impedire prohiberet, ac ẽt promoueret facientem illud, ita quod ei afferret auxilio, & fauore. Exẽplum de vsura, quæ per ius ciuile concedirur omnib. tribus modis: nam nõ punit, & prohibet punitionẽ, & promouet dans actionẽ in iudicio, atq; ita iuuat vsurarios ad exactionẽ. Et licet. l. C. de vsur. prohibeat vsuram vsurarum, ff. l placuit, & l. at nullo modo, atq; etiam vsuram centesimã quibusdam personis, in his demptis omnis alia vsura fuit concessa triplici hac concessione, vt dictũ est in superiori articulo. Ex quo patet, q; non bene sentit. S. Bernardinus, & Gerardus de Senis dicens, q; vsura non est concessa a iure ciuili, nisi concessione primo modo, oppositũ patet, ex his, quæ diximus supra. Nam ius ciuile circa aliquas vsuras neq; pœnas infligit. vel infligen das decernit, immo dispõsionem, quod recipiens mutuũ sub vsuris debeat soluere, & tertio dat actionem in iudicio vsurarijs ad exigendas vsuras, atque ita iuuat, & promouet eos. His præmissis sit

D. Bernard. Gerardus.

Prima Conclusio. Principes, & Communitates possũnt permittere vsurarios prima permissione, hæc conclusio est Baldi, & Barto. in l. cunctos populos. c. de summa Trini. sed limitad ad euitandum maius malum spirituale, sicut meretricium permittitur ad euitanda grauiora peccata, nempe adulterium, peccatum contra naturam, & huiusmodi. Vnde D. Augustinus ferm. de ordine, inquit, Aufer meretrices, & omnia libidinibus perturbabis, q. d. potius sunt illæ tolletandæ, quam quod grauiora sequantur. Permittere ergo vsuras nõ solum infidelibus, sed etiam fidelibus ad vitanda maiora scandala, & mala, quæ orirentur, si potestas publica in raro aliquo euentu eas impedire tentaret, nõ esset peccatum, sed licitum,

Baldus. Bartolus.

D. August.

licitum, propterea quod id non esset consentire in peccatum vsuræ, sed illud permittere ad vitanda maiora mala, aut pro maiori aliquo publico bono, qua etiam ratione tollerati possunt etiam hæretici in particulari aliquo euentu.

Ex hoc sequitur, quod consuetudo, quæ vsque modo inoleuit, qua prima permissione permittuntur Iudæi, ac etiam fideles ad vsuram mutuare, ac promissas vsuras in foro iudiciali exigere, & eos qui promiserunt sententia Iudicis cogi eas soluere, nec deinde dari ipsis actio, si solutas repetant, nō pugnat cum naturali iure, atque adeo licitam esse, quicquid dicant Syl verb. vsura. q. 22 Ang. Vsura. 2. nu. 14. Pisa. Vsura. 4. §. 3. & Armil. vsura. n. 54. & quidam alij: quia ea consuetudine non approbantur vsuræ, sed impunè permittuntur: permittere autem impune aliqua flagitia, quo sic plura alia grauiora, & deteriora deuitentur, non est de se malum, atq; adeo ea consuetudo non est contra legem naturæ prohibentem vsuras, dummodo vtentium moribus, vel legibus Principum caueatur, ne Iudæi vltra certam pecuniæ quantitatē eas petant, hoc enim non est statuere, vt exigant vsuras, sed ne exigant immodicas, dummodo non consentiant de minoribus. Non est item contra ius naturale concedere Iudæis, vt vsuras sibi promissas in foro iudiciali petant, dummodo non intercedat inter Iudęos, & Principem, seu communitatem pactum, seu decretum super hoc; imo, quod plus est, dico quod habens potestatem legem condendi, si diceret in scriptis suis tollerauimus, quod Iudæi fęnerentur, tunc inducerent dispensationem super casu illicito. tex. Glos. in c. quia circa de consang. & affin. & Panor. in c. nisi esset. de præben. in 3. col. circa medium, sed in vsura non cadit dispensatio, atque adeo in hoc casu iudicabitur cooperari vsuris, secus si de facto taceret tollerando eos, quia tunc non induceret dispēsationem, vt per Panor. vbi supra Nec etiam contrarium eidem iuri est, sententiam ferre, vt vsuræ Iudæis promissæ soluantur, hoc enim nihil aliud est, nisi sententiam pronunciare, vt pacta, & conuenta seruentur, in quo peccatum nō est. Is præterea, qui promisit vsuras, & deinde soluit promissas, nec in promittendo peccat, nec in soluendo: nam, vt constat ex c. debitores, de iureiurando, licet Ecclesia non cogat soluere vsuras simpliciter promissas, compellit tamen ad soluēdum iuratas. ergo non est peccatum, iure naturale damnatum, si in foro iudiciali vsuras simpliciter promissas aliquis soluere iubeatur, licet Iure Canonico in Clem. ex graui. de vsur. id interdictum esse videatur, iure tamen Canonico potest consuetudo recepta derogare. Quare vbi ius canonicum moribus vtentium receptum est, in excommunicationem incidunt Magistratus, Iudices, & Principes statuta condentes, vel dictantes, vel ministri scribētes ea statuta, quibus decernitur, vt vsuræ soluantur, aut ne repetantur solutæ, aut ne restituantur.

Siluest.
Angelus.
Pisanella.
Armilla.
Panor.

Secunda Conclusio. Principes, & cōmunitates nullo modo possunt permittere secunda permissione tales vsuras: nā faciens peccatum, & consentiens in peccatum sunt digni morte. Rom. 1. Iudæus autem mutuans ad vsuram peccat mortaliter, & taliter permittens est cōsentiens: nam, vt dicit Frāciscus in 2. sent. relatus ab Angelo vbi supra, duo sunt genera malorū, vt dicit Glos. super illud, ab occultis meis &c. Quædam sunt nostra, quæ a nobis oriuntur, & his nullo modo consentire debemus, nec directe, nec indirecte. Quædam verò sunt aliena, quæ fiunt ab alijs, & his numquam consentire debemus directe consensu approbationis, aliquando tamen licet consentire consensu permissionis, sicut Deus permittit aliqua mala ex causa rationabili. Vnde dicit, quòd recipere mutuum sub vsuris ex rationabili causa, puta necessitatis, vel vtilitatis licet, alias non, hæc ille. Ex quibus sequitur, quod tales peccant mortaliter, & sunt excommunicati, & tenentur ad restitutionem omnium vsurarum ex tali conuentione solutarum, si Iudæi non restituēt. Quia licet Principes, & communitates possint permittere vsurarios prima permissione, nihilominus permissione secunda permittere non possunt, quia hac permissione videntur in peccatum cōsentire: quia error, cui non resistitur, approbatur, probatur, nam potestas sęcularis, & Prælatus ecclesiasticus potest, & debet Iudæis prohibere id, quod est eis peccatum contra legem diuinam, & legem naturalem saltem, si tale peccatum natum esset ad forum contentiosum deduci: nam de secretis non se intromittit. Sed mutuatio vsuraria facta Christianis est huiusmodi, ergo &c. Maior est notissima, quia si Iudæus committeret homicidium, vel furtum, & huiusmodi contra legem diuinam, & naturalem, perniciosum Reipu. certe puniretur, sed vsura est huiusmodi: nam D. Amb. vocat eam rapinam. Cicero vocat homicidiū, & est valde nociua Reipu. vt patet in ca. quanto in princ. & c. vsurarij. de vsuris lib. 6. vbi vsuræ facultates exhauriunt, & animas deuorant, quod est contra bonum publicum, per ea quæ no. in l. 1. ff. soluto matrimonio. Nam Iudæi vsurarij accipiunt pignora viliori pretio, quam valeant, volunt enim, quod pignus excedat communiter in duplo sortem mutuatam, & transacto certo termino pignus amittitur, & ad alia loca transmittunt, vt carius vendatur, atque ita diuitiæ Christianorum ad manus Iudæorum deueniunt, qui summo, & implacabili odio persequuntur Christianos.

Franciscus.
D. Ambro.
Cicero.

Ex hoc sequitur legem esse iniquam, statutumque iniquum, ꝙ vsuræ debeant solui, aut quod solutæ non repetantur, aut ꝙ repetitæ non restituantur, & Conditores huiusmodi legum, & scriptores, ac Iudices secondum eas iudicantes sunt excommunicati ipso facto per Clem. vnicam de vsuris, vt diximus supra Neque est simile de constitutione, qua B. Greg. decreuit Iudęos esse permittendos in ritibus, & cęremonijs legis Moysi, præcipiens etiam Christianis ne illos in his ritibus suis impediant, aut molestent. Greg. nempe illic præcipit Christianis, ne Iudæos impediant, aut molestēt: in vsuris autem lex illa, vel statuta, vel statuenda de vsuris soluendis, non solum decernit vsurarios esse permittendos, & non impediendos, sed & præcipit, vt vsuræ soluantur, aut quod solutæ non repetantur: soluere autem vsuras quamuis non sit peccatum, legibus tamen cogere vt soluantur, est fouere vsurariorum peccatum, quemadmodum legibus cogere Christianos, vt vendant Iudæis ligna, & lapides, quibus ipsi suas construant synagogas. est fouere hebręorum ritus, quamuis vendere eis hæc non sit simpliciter illicitum, quippe quorum vsus communis sit ad bonum, & ad malum.

Et quamuis ex suo genere sit semper læthalis culpa, cooperari, vt vsuræ soluantur, aut in illis directe consentire, ad illas circa alios exercendas præbendo beneplacitum, neque in his dispensatio etiam per Sūmum Pontificem cadat, vt Alex. III. c. super eos. de vsuris, affirmat, dicens, Respondemus, ꝙ cum vsurarum crimen vtriusque testamenti pagina detestetur, super hoc dispensationem aliquam posse fieri non videmus: quia cum scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri, multo magis prohibendus est quis, ne, etiam pro redimenda vita captiui, vsurarum crimine inuoluatur, & ponderandum est verbum illud, non videmus, quia negat totaliter dispēsationem posse fieri. Et suffragatur manifesta ratio, eo quod vsuræ contra ius sint naturale, in quo Summus Pontifex dispensare non valet. Nihilominus permittere vsuras non solum infidelibus, sed etiam fidelibus ad euitanda maiora mala & scandala, quæ orirentur, vt diximus supra, non esset peccatum, sed licitum. His de rebus disputant late Conrad. de contract. quę. 25. & tribus sequentibus, & alij, quos Couar. 3. var. resolut. cap. 1. nume. 8. refert. Driedonem etiam legas de libertate Christiana. libro 2. capit. 1. & Caiet. 2. 2. quæ. 78. articulo 1. ad secundum.

Conrad.
Couar.
Driedo.
Caietanus



AR

ARTICVLVS VI.

Vtrum Ciuitas, atque Respub. possit subsistere sine mutuatione vsuraria.

HAec quæstio mouetur propter quosdã dicentes, quod adeo vsura est necessaria, quod sine ea non potest Ciuitas vel Respub. subsistere; Vnde consequenter dicent, quod Rectores non tantum possunt tollerare vsurarios, sed etiam debent, & possunt conducere propter bonum Reipub. Vide And Barba. Cons 16. in. 4. volu. quod incipit, Clementissimum Deum. Paulum de Castro. Cons. 35. quod incipit, Quoddam commune. Petrum de Ancha. Consil. 235. quod incipit, Christianissime, & Illustrissime Princeps. Alex. Cons. 1. in. 2. volu. incipit, Circa primum dubium. & Consil. 7. eius partis. Contra quos sit hæc

Andreas Barbatius. Paulus. Anchara. Alexander.

Prima Conclusio. Ciuitas, atque Respub potest etiam temporali salute subsistere sine mutuatione vsuraria; probatur sic. Nunquam creuit tantum Respub. Christiana nõ solum merito, sed etiam numero, quam quando præcepta Dei diligentissime seruabantur, etiam vsque ad detrimentum rerum temporalium, & personarum; patet in primitiua Ecclesia, quando vnus trucidabatur, & mille conuertebantur, & tandem ipsis auctis, accessit, & creuit rerum copia; sed ad obseruantiam legis diuinæ etiam pertinet punire malos, & vsurarios expellere, quod si faceret Respub. melius faceret; & confirmatur, quia Christus ait Matth. 6. Primum quærite regnum Dei, & iustitiam eius &c. ergo si fideles non mutuarent ad vsuram, nec permitterent vsurarios, & a cæteris peccatis abstinerent, quia tunc dicerentur quærere regnum Dei &c. reliqua omnia etiam temporalia adijcerentur eis; igitur non est vsura necessaria, sed potius eius omissio. Vnde Isaiæ primo si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; quod si nolueritis, & me ad Iracundiam prouocaueritis gladius deuorabit vos, quia os domini locutum est: non Paulus de Castro, non Petrus de Anchar. sed os domini locutum est. Vide etiam supra in eodem cap. lauamini, mundi estote &c. & Deut 28. Si audieris vocem Domini Dei tui, vt facias, atque custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodie, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra; & subdit ibi benedictiones, & infra, Quod si audire nolueris vocem Domini Dei tui, vt custodias, & facias omnia mandata eius, venient super te omnes maledictiones istæ; Maledictus eris in Ciuitate, maledictus in agro &c. vide ibi. Et de hostibus ait Ps. Si populus meus audisset me, Israel si in vijs meis ambulasset, pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem, & super tribulantes eos misissem manum meam.

Secundo probatur. Non est verisimile, quod actus ex natura sua damnosus membris sit necessarius saluti corporis; sed mutuatio vsuraria est huiusmodi, ergo &c. Minor probatur: nam duo sunt in ea, scilicet mutuatio, & hac aliquan tio vtilis est recipienti; secundum est extorsio vsuræ, & hæc non potest non esse damnosa recipienti.

Tertio probatur. Si mutuatio vsuraria esset necessaria saluti temporali Ciuitatis, & Reipub. & perditio eiusdem salutis vitari non posset nisi per mutuationem vsurariam, tũc maluto prodesset; consequens est falsum, quia Eusebius de præparatione Euangelica lib. 4. c. 6. ait, Omne quod bonum est non prodesse non potest, & e contra quod malum est; hoc est, sicut bonum non potest esse, cum sit vtile, ita malum esse non potest, quin sit nociuum; & c. penult. Nec bonitatem nocere, nec prauitatem prodesse, seu iuuare vnquã posse: nam vt non potest caliditas (vt ait Plato) frigiditatem inducere, & frigiditas caliditatem, sic nec iustitia nocere; hæc ille. Et Magister sent. in. 3. d. 38. c. vlt. in fine inquit, Nonnullis aliquando errare prosuit, sed in via pedum, non in via morum, hoc est; quia in via pedum per errorem aliquando quis euadit insidias contra eum ibi per inimicos paratas, vel alium euentum nociuum; sed errare in moribus nunquam fuit vtile: quamuis Deus sua omnipotentia, & bonitate aliquando de malis eliciat bonum. Tullius quoque lib. 3. de officijs concludit dicens, Nunquam igitur est vtile peccare; quia semper est turpe; & alibi ait, Enbeice, si credis vnquam malum vtile esse: non enim potest peccatum non nocere.

Eusebius. Plato. Magister. Tullius.

Quarto probatur; Quia mutuatio vsuraria depaupetat Ciues recipientes ad vsuram, & eos destruit; & hoc est ita notum, quod qui illud negat, indiget sensu, & pœna: primo Topicor. 1. sicut qui negat niuem albam, vel ignem calidum. Nam si aliquando vni recipienti subuenitur, tamen ex altera parte decem, vel viginti destruuntur; imo etiam illi vni non subuenitur nisi cum magno damno, quia vsura sortem dare tenetur; sed temporalis salus Respub. consistit in temporali salute, & abundantia Ciuium; sicut salus corporis consistit in habere membra valida, robusta, & sana; Non est enim verisimile, quod aliquid ex sui natura damnosum membris, sit necessarium saluti corporis.

Probatur quinto. Nihil necessarium ad salutem etiam temporalem Reipub. vel Ciuitatis Deus, vel Ecclesia prohibuit, sed vtroque testamento, & in iure Canonico Ecclesiæ prohibetur vsura; ergo illa non est necessaria; Minor est ex superius dictis satis nota Maior probatur, quia da opposi tum, tunc sequerentur duo inconuenientia; primum quod Deus, & Ecclesia præcepissent aliquod impossibile; secundo quod præcepissent esse sine illo, sine quo salus temporalis Reipub. esse non potest; sicut si præcepissent hominem esse, & viuere sine cibo; quod dictum est maledictione dignum secundum D. Hierony. Anathema sit (inquit) qui dicit Deum aliquod impossibile præcepisse; secundum inconueniens, quod Deus non fuisset prudens institutor, & rector politiæ vniuersalis mundi: quia cum velit humanum genus durare vsque ad finem mundi, & ei seruite; & spiritualia subsistere non possunt sine temporalibus. c. si quis obiecerit. 1. q. 3. ipse imposuisset humano generi illius rei carentiam, quæ necessaria est pro temporali eius salute; atque ita instituisset id, quod contrariatur fini intento; sicut si prohibuisset actum matrimonij: quia sic humanum genus deficeret; Ex quo sequitur, quod affirmans mutuationem vsurariam necessariam esse Reipub. blasphemat Deum, & Ecclesiam, & sanctos Doctores.

D. Hieron.

Postremo probatur, quia sine illo actu potest Ciuitas subsistere, etiam salua temporali salute qui est simulata pietas, latrocinium, & furtum, nutrit otium; & est omnium malorum sentina. Insuper destruit Ciues quo ad diuitias, & quo ad mores; sed vsura est huiusmodi, ergo &c Maior est notissima; & Minor probatur quia ad omnes partes, nam mutuatio ad vsuram duo dicit, scilicet mutuare, & hoc est de se pietas; secundo dicit causam recipere, & hoc est perniciosum recipienti; sed pietas perniciosa est simulata pietas, quæ est duplex iniquitas secundum D. Hieronymum & esto, quod illud, quod recipit in principio sit modicum, tamen paulatim excrescit. Exemplum de illo, qui accipit 50. aureos, & effecti sunt 460. sicut ipse accepi a side dignis. Secunda patet; quia Matth. 21. dicit Saluator euertendo mensas numulariorum, vos autem fecistis illam speluncam latronum, (erant enim illi vsurarij.) Et dicit Nicolaus de Lyra. lo. c. 2. Immo securius exercent Iudæi vsuras, quam latro furetur &c. De furto patet; quia vsura cum sit peccatum, est contra aliquod præceptum, & non nisi contra illud, Non furtum facies: nam nomine furti intelligitur omnis illicita vsurpatio rei alienæ, vt docet D. Augustinus in lib. quæst. super Exod. q. 22. Quod sit sentina omnium malorum patet ex illo D. Pauli. 1. ad Tim. 6. Radix omnium malorum est cupiditas: & quia tales otiose viuunt, otium autem est sentina omnium malorum.

Mutuatio vsuraria duo dicit. D. Hieron. Nicolaus de Lyra. D. August.

Sed contra hanc conclusionem arguitur primo sic. Ciuitas non potest consistere sine mutuantibus, sed non inueniuntur mutuantes nisi ad vsuras, igitur non potest Ciuitas consistere sine mutuatione vsuraria, & per consequens est necessaria pro Ciuitatis consistentia; Maior est nota; & Minor patet per experientiam. Nam si aliquando reperiantur gratis mutuantes, hoc tamen adeo raro contingit, quod pro nihilo reputatur; quia per huiusmodi mutuationem tam raro contingentem, non potest succurri innumeris indigentijs eorum, qui mutuum indigent.

Contra conclusionem.

Secundo probatur. Ciuitas non potest consistere sine eo, quod est eius commoditas, & cuius oppositum est incommoditas; sed mutuatio vsuraria est cõmoditas Ciuitatis, & eius carentia est eius incõmoditas; igitur Ciuitas non potest

consi-

consistere sine vsuraria mutuatione; Maior probatur, quia hoc dicimur posse, quod commode possumus, & per consequens quod non nisi cum incommoditate possumus, dicimur non posse: probatur etiam minor, quia commoditas Ciuitatis est, quod Ciues indigentes mutuo non solum inueniant mutuantem, quia hoc est necessarium, sed etiam quod prompte, & faciliter inueniant eos. Modo esto, quod indigentes inuenire possent gratis mutuantes, tamē ex quo non prompte, & faciliter tales inuenirēt, & prompte, & faciliter inuenirent mutuantes cum vsuris, igitur &c.

Tertio arguitur. Ciuitas non potest subsistere sine eo, quod est necessarium ad hoc, quod inter duo temporalia mala maius malum vitetur, & solum minus incurratur; sed mutuatio vsuraria est huiusmodi; ergo &c. Maior est nota, & minor probatur, quia sæpe contingit, quod aliquis est magnum damnum passurus, quod ipse aliter vitare non potest, nisi recipiendo mutuum; & quia alias neminem inuenit, qui velit sibi gratis mutuare, sequitur, quod nō poterit nisi vsuraria mutuatione incōmodū illud vitare, ergo &c.

Soluuntur argumenta contra conclusionem.

Respondetur, & ad primum dico argumentum peccare in forma; quia in simili forma arguendi datur instantia, v.g. Petrus non potest subsistere, quin sit sanus, vel æger, sed nō est æger, ergo est necessario sanus; consequens est falsum saltem de necessitate consequentis. Vnde licet propositio de prædicato disiuncto ex oppositis immediatis sit necessaria, tamen stat, quod vtraque pars disiuncti contingenter prædicetur de subiecto; Ita in proposito, Ciuitas indiget necessario mutuantibus, scilicet vel gratis, vel ad vsuras; at non habet mutuantes gratis; ergo indiget necessario vsurariis, non sequitur, sed deberet inferri conclusio sine modificatione necessitatis, hoc modo, ergo Ciuitas non consistit sine mutuantibus ad vsuras; & hæc conclusio non contradicit conclusioni nostræ, sed simul stare possunt, sicut illæ duæ, Ioannes potest viuere sine peccato mortali, & Ioannes non viuit sine peccato mortali; ita Ciuitas potest consistere sine vsuraria mutuatione, & Ciuitas non consistit sine vsuraria mutuatione.

Et si hæc etiam minor de modo erit falsa: quia si esset vera, sequeretur, quod aliqui habentes res mutuabiles, & volentes mutuare, necessario peccarent, scilicet vitiose mutuando, quod est falsum; quia nullus peccat in eo, quod vitare non potest. Et si dicatur, quod saltem erit vera, si fiat de modo sub hac forma, Non possunt inueniri mutuantes absque vsuris, idest, difficile est inuenire mutuantes absque vsuris. Dico quod esto, quod sic intellecta esset vera, ex ea tamen non sequeretur, nisi quod Ciuitas non posset, idest, difficile esset eam subsistere sine mutuantibus ad vsuram; hoc autem non est contra conclusionem nostram, quæ loquitur de posse: multa enim fieri possunt, quæ tamē difficilia sunt. Dico secundo, quod minor sic intellecta est vera, loquendo de difficultate non absoluta, sed solum ex conditione; quæ tamen conditio sine difficultate notabili tolli posset. Nam causa, cur difficile est inuenire mutuantes gratis, est, quia non cohibentur mutuantes ad vsuram: si enim tales prohiberentur, & acriter punirentur, nemo mutuaret sub vsuris; & tamen adhuc indigentibus mutuo subueniretur, quia inuenirentur multi, qui mutuarent gratis; qui alias habita omnimoda opportunitate, & licentia vsuras exigendi, non gratis mutuant; sicut etiam in alijs peccatis accidit, a quibus multi abstinerent, si saltem aliqua ciuili pœna, vel cohibitione prohiberentur.

Ad secundum dico primo, quod maior est vera, quando talis commoditas non habet annexam diuinam mortalem offensam, quod non est verum in proposito. Dico secundo admissa maiore, quod minor est falsa. Si enim strenue extirparentur vsurarij, inuenirentur mutuantes gratis, etiam prompte: & esto, quod non ita prompte inuenirentur, sicut mutuantes sub vsuris; hæc non esset tanta incommoditas, quin Ciuitas sine ea subsistere non posset: non est enim necesse, quod Ciuitas habeat omnia, quæ sibi commodissima forent: immo Ciuitati expedit quoad aliquid non habere tantam promptitudinem inueniendi mutuantes gratis; quia huiusmodi facilitas occasionem tribueret ad negligenter viuendum, dilapidandum, & distrahendum bona sua, & magis quam faciat facultas inueniendi mutuantes ad vsuras, quæ plurimos destruit. Dico tertio, quod & si non ita prompte inueniantur mutuantes gratis, sicut inueniuntur mutuantes ad vsuras, & hoc sit aliqualis incommoditas, tamen non est tanta, quanta est prompte inuenire mutuantes ad vsuras: quia secundum est perniciosius primo; quia primum non ingerit temporale dispendium petenti mutuum; Secundum autem ingerit tam temporale, quam spirituale petenti, atque mutuanti, & tam eis, quam reliquis, & toti Ciuitati, vt ex se patet.

Homines qui accipiūt ad vsurā sunt in triplici differentia.

Quarto dico, quod illi homines, quibus illa maior commoditas (si esset talis) deseruiret, sunt triplices: nam quidam accipiunt propter necessitatem, quidam propter iniquitatem, & quidam propter cupiditatem: & quamuis primis videatur esse quædam commoditas, semper tamen est eis etiam perniciosum; quia si pauper est, pauperior redditur, quia plus reddere cogitur, quam acceperit: & esto, quod talis vitaret maius damnum, quam sit illud, quod patitur soluendo vsuras, tamen adhuc non potest negari, quin ibi sit perniciositas, & si minor sit, quam commoditas, nec propter eam esse minorem est tollenda, quia est priuata commoditas, quæ non præponderat publicæ commoditati; & multo minus publicæ honestati, ac diuino timori. Secundi autem sunt, qui sub vsuris accipiunt ad scortandum, lucrandum, & alias iniquitates perficiendum; & talibus non solum non est commoditas, sed grandis perniciositas inuenire promptos mutuantes sub vsuris; quia est eos habere promptam peccandi materiam. Tertij sunt, vt artifices, & negociatores non indigentes mutuo, nisi ad cumulandum diuitias, quibus satisfiat eorum insatiabili, & insatisfactibili cupiditati; similiter illi, qui a publico vsurario mutua quærunt, vt ea alijs pro maiori concedant; & illis similiter est magna perniciositas inuenire prompte mutuantes sub vsuris.

Ad tertium dico primo, quod minor est falsa, si intelligatur vniuersaliter, fallit enim; immo nonnumquam stat, quod minus damnosum esset tali indigenti vendere res suas pro pretio etiam longe viliori, quam iustum sit, quam accipere mutuum sub vsuris. Nam publici vsurarij nempe Iudæi communiter volunt, quod pignus excedat sortem mutuatam in duplo, vel triplo, & transacto certo termino, debeat pignus esse pro sorte deuolutum ad ipsum; & esto, quod recipiens intendat ante finem termini redimere, sæpe tamen contingit, quod impedimentum intercedit, quo vel non recolit, vel non potest redimere; atque ita pinguissimum pignus pro vili sorte dimittere cogitur. Dico secundo, esto quod minor sit aliquando vera respectu vnius, vel duorum, tamen ex quo talia damna sunt priuata, & temporalia; damna vero, quæ proueniunt ex mutuatione vsuraria, sunt publica, tam spiritualia, quam temporalia; ideo illa secunda sunt simpliciter maiora alijs, & per consequens pro illis vitandis non est necessarium habere mutuationem vsurariam, quia tunc non est necessaria ad hoc, vt inter duo mala minus vitetur: imo confert ad hoc, vt maius incurratur, & minus vitetur. Dico tertio, quod maior est vera, quando id, quod est sic necessarium habet diuinam offensam annexam: nam si habet eam annexam, non est necessarium ad vitandum maius malum temporale; imo ipsummet est maius vtroque damno temporali; & per consequēs confert ad incurrendum maius malum simpliciter; ita est in proposito de mutuatione vsuraria. Vnde etiam si maxima damna temporalia vitarentur, & maxima bona temporalia per eam acquirantur, quibus etiam quis velit captiuos redimere Christianos, & alere pauperes, nihilominus non est dicenda vtilis Reipub. & multo minus necessaria, neque licita, nec etiam eius tolleratio erit per hoc licita, vt docet Conrad. q.26. & 27. secus vbi tolleratio fieret ad vitandum aliquod malum spirituale maius mutuatione vsuraria, quod alias vitari non posset. Vide etiam Angelum in summa, verbo vsura. 2. nu. 14.

Conradus.

Angelus.

ARTICVLVS VII.

Vtrum potestas sæcularis, & Prælatus ecclesiasticus possit, & debeat prohibere Iudæis mutuationem vsurariam.

Potestas sæcularis quid significet.

PRo solutione huius difficultatis duo videnda sunt; primo, quid dicendum sit ad quæstionem more Theologico;

logico; secundo aliqua dubia occurrentia soluenda sunt. Quo ad primum obseruandum est, quod per potestatem sæcularem intelligitur hic quæcunque sæcularis potestas, non curando siue resideat apud vnum, puta Regem, Ducem, Comitem, & sic de alijs, vel apud plures, vt apud Consules, vel Rectores Ciuitatis, siue Reipub. Secundo obseruandum est, quod differunt posse & debere: nam multa quis potest etiam licite, quæ tamen non debet, idest non tenetur; sed e contra quæcunque quis debet, etiam potest; & loquor de debere regulariter, quia in aliquibus casibus potest eos tollerare, vt vidimus supra; His obseruatis, sit

Posse, & debere differunt.

Prima Conclusio. Potestas sæcularis, potest, Iudæis sub se degentibus prohibere mutuationem vsurariam Christianis faciendã; & si contra fecerint prohibitioni, eos punire: probatur, quia potestas sæcularis, & Prælatus ecclesiasticus potest, & debet Iudæis prohibere id, quod est contra legem diuinam veterem, & naturalem, maxime si id est peccatum, quod natum sit deduci ad forum contentiosum, sed mutuatio vsuraria facta Christianis est huiusmodi, ergo &c. Maior est nota, in qua notanter dixi, si peccatum natum est deduci &c. propter peccata mentalia, & similia, de quibus humanus Iudex non se habet intromittere; Minor patuit supra art 2. Quod autem hoc peccatum sit natum cadere sub foro contentioso, patet, quia est peccatum de quo constare potest iudicialiter, quod est lædens proximum, & Rempub. quoniam exhaurit facultates Christianorum, vt in.c.quanto. de vsuris.

Princeps ecclesiasticus & sæcularis possunt & debent prohibere mutuationem vsurariam.

Secundo probatur. Si Iudæus degens sub potestate sæculari committeret homicidium, rapinam, aut consimile crimen contra legem naturæ, & diuinam, potestas sæcularis eum puniret; sed vsura est peccatum Iudæis, & est crimen perniciosum Reipub. sicut & rapina, vt diximus supra, ergo potestas sæcularis illud eis prohibere potest, & contrauenientes punire: patet consequentia ex identitate rationis. Nec dicere possunt Hebræi, quod peccatum vsuræ est de genere actuum, qui ex lege, & fidei diuersitate est contraria opinio, an sint liciti, vel ne; sicut actus matrimonij cũ pluribus vxoribus, vel libellus repudij; atque adeo sicut sæcularis potestas, vel Prælatus ecclesiasticus non debet, neque potest eis prohibere, quin ducant plures vxores, vel ductam repudient, licet vtrunque sit contra legem diuinã, & natum deduci ad forum contentiosum; quoniam tale peccatum est actus, de quo ex lege, & fidei diuersitate est contraria opinio, an sit licitum, vel ne; hoc (inquam) de peccato vsuræ dicere non possunt: quia ex lege veteri bene intellecta non habent, vnde possint exercere vsuras respectu Christianorum: cum etiam eis illam prohibeat respectu quorumcunque hominum, vt vidimus supra. art. 3. Ergo sicut Papa, & quilibet Princeps potest, & debet eos punire, si illud legis, Non occides, taliter exponerent, quod eis, liceret occidere Christianos, quia est expressa hæresis contra legem veterem bene intellectam; ita debet, & potest eos punire, si affirment eis licere mutuare Christianis sub vsuris.

Tertio probatur. Potestas sæcularis, & Prælatus ecclesiasticus potest, & debet prohibere Iudæos, ne exigant a Christianis vsuras ex mutuo, & si receperint, quod restituant; igitur Potestas sæcularis, & Prælatus ecclesiasticus potest, & debet Iudæis prohibere mutuationem vsurariam: antecedens patet in.c. post miserabilem. de vsuris: consequentia probatur, quia pari passu, quo ad iniquitatem, & nocumentum proximi, & Reipub. ambulant mutuatio vsuraria, & exactio, & eiusdem receptæ detentio: nam furari non minus est peccatum, quam velle furari; igitur receptio pecuniæ vsurariæ, & detentio non minus est peccatum, quam mutuare ad vsuram; sed potestas sæcularis, & Prælatus potest, & debet prohibere receptionem vsuræ propter eius iniquitatem, & perniciositatem, ergo & mutuationem vsurariam. Et confirmatur: quia qui debet, & potest prohibere, ne quis consumet peccatũ inceptum, & quod in ipso perseueret, potest etiam, & debet ipsum prohibere, ne ipsum incipiat actu exteriori per voluntatem egredientem limites suos; sed exigere, seu recipere vsuras est consumare peccatum vsuræ, & ipsas detinere, & in ipso peccato perseuerare; mutuare autem ad vsuram est incipere peccatum vsuræ actu exteriori per voluntatem egredientem limites voluntatis, ergo qui potest, & debet prohibere vsurarum exactionem, potest etiam & debet prohibere mutuationem vsurariam.

Probatur quarto. Si potestas sæcularis, & Prælatus ecclesiasticus non posset, nec deberet vsurariam mutuationem prohibere, ex eo vel maximo proueniret, quod neuter haberet iurisdictionem in Iudæos sibi subiectos; consequens est falsum, ergo & antecedens: consequentia patet, & falsitas consequentis probatur: tum quia ratione delicti quis sortitur forum, & per consequens accipit vterque iurisdictionem: tum quia in.c. post miserabilem. de vsuris, Papa mandat Principibus, & sæcularibus potestatibus, vt compellant Iudæos ad remittendum Christianis vsuras: tum quia culpa eorum subiecti sunt seruituti Romanorum, quorum Imperio ante illam seruitutem professi sunt se esse subiectos, & licet post ab eo rebellauerint, tamen seruituti Romani Imperij subiecti sunt iusto bello. Modo dominus habet iurisdictionem, & potestatem in seruum suum cohibendi illum a delictis, & puniendi.

Quo ad secundum; contra hanc conclusionem sunt aliqua dubia; primum est, quod. 1. Corint. inquit D. Paulus. Quid mihi de his, qui foris sunt iudicare; hoc est, ad me nõ pertinet iudicare de infidelibus, qui sunt extra forum ecclesiæ: nam eos, qui foris sunt Deus iudicabit; ergo ad Prælatum ecclesiasticum, sicut erat D. Paulus, non pertinet punire infideles pro suis delictis, vt pro vsura, & huiusmodi. Respondeo distinguendo consequens; quia si intelligatur quo ad punitionem per excommunicationem, sic conceditur, quia Prælatus non habet eos excommunicare saltem directe; nam sunt extra ecclesiam numero, & merito; dixi, saltem directe, quia indirecte potest, prohibendo Christianis ne communicent Iudæis, vt facit in.c. post miserabilem, extra de Iudæis; ideo consequenter indirecte prohibet Iudæis, ne communicent Christianis: nam communicatio est relatio æquiparentiæ. Similiter Prælatus ecclesiasticus non iudicat de Iudæis, quo ad hoc, quod eis multis imponat regulas canonicas quo ad religionem: quia eos dimittit in suis ritibus. Si autem intelligatur quo ad omnem punitionem, tunc negatur, nec Apostolus hoc intendit: patet, quia ibi loquitur de quodam Christiano fornicario, quem excommunicat. Et quod consequens non sit indirecte verum patet, quia multi sunt casus, in quibus ecclesia iudicat de infidelibus, ex quibus aliquos referam. Primus est in.c. alieni. 2.q.4. vbi Dionysius Papa censet infideles infames, & repellit eos ab actu legitimo, scilicet ab accusatione fidelium. Secundus in.c. vlt. extra de Iudæis; vbi prohibetur eis emere mancipia Christiana. Tertius in.c. consuluit. extra. eodem tit. non permittitur eis facere nouas synagogas. Quartus in.c. quia. & in.c in nonnullis. extra. eodem. Ne exeant in publicum in diebus lamentationis. Quintus præcipit, vt soluant decimas de terris, quas colunt. c. de terris. extr. de decimis. Et multi alij casus sunt in corpore Iuris Canonici.

Primus Casus.

Secundum dubium est; quia si rationes concluderent, æque concluderent, quod ecclesia deberet prohibere eis eorum ritus, & super hoc eos punire: quia peccant, & grauiter offendunt Deum. Respondetur, quod non est simile: quia si prohiberentur eorum ritus, consequenter prohiberetur eorum fides, cui illi ritus sunt connexi; atque ita ad fidem nostram cogerentur, sed non sunt cogendi. Vnde B. Greg. ait. Qui sincera intentione extraneos a Christiana Religione ad fidem cupiunt rectam adducere, blandimentis debent, non asperitatibus studere, ne quorum mentem reddita a plano ratio poterat prouocare, procul pellat aduersitas. 45. dist. sed prohibendo eis vsuras non coguntur per hoc fidem, & religionem suam deserere: quia ex religione sua non sunt obligati ad exercendum vsuras, sed eas dimittere possunt, immo tenentur dimittere. Potestas itaque sæcularis non debet de omni peccato eos corrigere, atque punire, sed potissime de ijs, quæ Rempub. lædunt, turbantque pacem, & tranquillitatem, de quorum numero est vsura. Prælatus etiam ecclesiasticus non de omni peccato Iudæorum debet se intromittere in foro contentioso; nec rationes probantes conclusionem nostram ex eo procedunt, quod vsura est peccatum Dei offensiuum: sed quia vltra hoc est peccatum lædens Rempub. natum deduci ad forum sæculare, & ecclesiasticum, consimile ad rapinam, furta, & alia grauia; & simile peccatis, quæ ecclesia, & potestas sæcularis in suis subditis punit: quia saltem est similis vsuræ Christianorum, quam vtique ecclesia punit in suis.

Secundus Casus.

D. Gregor.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum in aliquo casu teneatur quis mutuare gratis?

Homines viuẽtes in hoc mũdo in triplici sunt differentia.

HOmines in hoc mundo viuentes in triplici sunt differentia; quidam enim habent superflua temporalia, tam naturæ, quam personæ. Illud autem dicitur superfluum naturæ, quod non est necessarium ad sustentationem naturæ, quo sublato, adhuc habet vnde possit sustentari; sed illud dicitur superfluum personæ, quod non est necessarium ad retinendum statum congruum personæ, quo scilicet sublato, nihilominus habet alia, quibus sufficienter potest tenere statum sibi congruum. Vnde Rex habet multa, quæ sunt superflua naturæ, quæ tamen non sunt superflua personæ, idest dignitati suæ; adeo quod persona in proposito sumitur, prout dicit dignitatem superadditam naturæ ipsius suppositi. Alij vero de secundo gradu sunt, qui habent superflua naturæ, & non personæ. Tertij sunt, qui nec habent superflua naturæ, nec personæ, ita quod id, quod habent, est necessarium tam ad naturam, quam ad personam.

Necessarium alicui duplex esse potest.

Secundo obseruandum est, quod aliquid esse necessarium alicui, dupliciter intelligi potest, vno modo, quod sit necessarium vni, puta Petro; alio modo, quod non tantum illi, sed etiam suæ familiæ, cui tenetur prouidere: stat enim, quod aliqua non sunt necessaria Petro, quæ tamen sunt necessaria suæ familiæ; vnde dicit Hierony. exponendo illud Io. Baptistæ Lucæ 3. Qui habet duas tunicas, det non habenti; vult, quod per vnam tunicam intelligatur vestimentum necessarium homini, & familiæ suæ; per alteram, superfluum vestimentum.

D. Hieron.

Homines indigẽtes sunt in triplici differentia

Tertio obseruandum est, quod homines indigentes sunt etiam in triplici differentia. Primi sunt, qui in extrema necessitate sunt constituti; ita quod nisi illis subueniatur cibo, potu, vestimento, & huiusmodi, exalarent spiritum. Et S. Thom. in 4. d. 15. declarando extremam necessitatem dicit, quod casus extremæ necessitatis iudicandus est, quando apparent signa probabilia futuræ necessitatis extremæ, nisi eis subueniatur; vt cum quis videt pauperem indigentem cibo, vel potu, vel huiusmodi necessarijs, & homines impotentes, vel pigros ad subueniendum illi, nec pauperem sibi posse prouidere, non est expectanda vltima, & extrema necessitas: quia tunc forte non posset natura iuuari iam defecta. Secundi vero homines sunt positi in necessitate arcta, seu magna, & notabili, sed non extrema. Tertij vero sunt in communi sic, quod nec in extrema, nec in arcta, & notabili, seu in citeriori: His obseruatis, sit

D Thomas.

Homo in aliquibus casibus tenetur mutuare gratis.

Prima Conclusio. In aliquibus casibus tenetur homo ad mutuandum proximo gratis sub pena peccati mortalis: probatur, quia in aliquibus casibus tenetur homo donare proximo sub pena peccati mortalis, ergo tenetur mutuare; consequentia est nota, quia maius est donare, quam mutuum dare; antecedens probatur, quia dare eleemosynam est donare, sed in aliquibus casibus tenetur homo ad dandum eleemosynam sub pœna peccati mortalis, ergo &c. maior est nota; & minor probatur, quia nullus punitur æternaliter nisi pro peccato mortali; sed pro omissione eleemosynæ puniuntur homines æternaliter, vt patet Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum: & Iudex allegat causam, esuriui enim, & non dedistis mihi manducare &c.

Secundo probatur. Homines tenentur diligere proximum sub pœna peccati mortalis, dilectione non tantum cordis, quæ est velle sibi bonum, sed etiam dilectione operis, operando, & in effectu conferendo sibi bonum, & concurrentibus circunstantijs, scilicet, quod diligens possit, & quod proximus indigeat, sed tales circunstantiæ interdum concurrunt in homine potente mutuare, ergo in aliquibus casibus tenetur mutuare sub pena peccati mortalis: maior pro prima parte est manifesta Io. 15. Hoc est præceptum meum &c. secunda pars patet 1. Io. 3. Fratres non diligamus verbo, sed opere, & veritate. Tertia pars patet etiam ibi. Qui habuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? q. d. non satisfacit præcepto charitatis. Et confirmatur per illud Lucæ 6. Mutuum date &c. & Matth. 5. volenti a te mutuare, ne auertaris. Sed illud verbum, date, non potest intelligi, quod sit in omni casu consilij, sed potius quod in aliquibus sit præcepti: tum quia imperatiui modi, & præcedentia sunt intelligenda in aliquibus casibus præceptiue; quia immediate dicit, Diligite inimicos vestros, benefacite, & Mutuum date; sed, diligite, & benefacite, capiuntur ibi in aliquibus casibus præceptiue, similiter verba sequentia, Nolite iudicare, Nolite condemnare &c. quæ omnia intelliguntur præceptiue. Circunstantia autem scripturarum solet illuminare sententiam, secundum D. August. & ex circunstantia scripturarum sumenda est intelligentia secundum Hylar. & confirmatur iterum, quia quando Christus Dominus ait Lucæ 11. Quod superest, date eleemosynam; date, exponitur in aliquibus casibus præceptiue; igitur eadem ratione, & magis, Mutuum date, erit præceptiue intelligendum in aliquibus casibus; cum grauius sit dare eleemosynam, quam mutuare.

D. August.
Hylarius.

Homo in duobus casibus tenetur dare eleemosynam, & mutuare.

In duobus autem casibus tenetur homo ad eleemosynam faciendam; atque etiam in illis tenetur mutuare. Primus est, quando homo habet superfluum tam personæ, quam naturæ suæ, & suorum, & proximus indigens est cõstitutus in extrema necessitate. Secundus est, quando homo habet superfluum naturæ suæ, & suorum, quibus tenetur, licet id non sit superfluum personæ; imo est necessarium ad decentiam sui status, & familiæ; & proximus indigens est constitutus in extrema necessitate. Primus casus ponitur ab Alex. de Ales. 4. p. q. 34. m. 1. & concordant D. Thom. in 4. d. 15. q. 4. & in 2. 2. q. 32. art. 6. Ric. ead. d. art. 2. q. 2. & Durand. q. 6. ad secundum, & Nicol. de Lyr. 1. Ioan. 3. Secundus casus ponitur a Ric. & Durand. & licet S. Thom. 2. 2. loco supracitato quo ad hunc casum videatur tenere contrarium, dicens quod sit consilij; & quod non peccent mortaliter; tamen ad eius auctoritatem potest dici, quod cum charitas sit ordinata & quod maius est, & dignius magis ametur; natura autem proximi nobilior est, quam status hominis; ita quod homo præeligeret perdere proprium statum, & conseruare naturam, quam e contra; igitur etiam debet naturam proximi in extrema necessitate constituti præeligere decentiæ proprij status: status enim est quid accidentale, natura autem substantiale; ideo simpliciter videtur standum cum Ric. & Duran. tenendo secundum casum esse euentum, in quo obligatur homo sub pœna peccati mortalis ad donandum eleemosynam proximo; & pariformiter in his duobus casibus tenetur mutuum dare: patet, quia si tenetur donare, multo magis tenetur mutuare.

Alex. de Ales.
D. Thomas.
Ricar.
Durandus.
Nicol. de Lyra.

Secunda Conclusio. Licet non videatur definitum simpliciter, quod homo habens superfluum tam naturæ, quam personæ proximo constituto in necessitate arcta, & notabili, licet non extrema, teneatur facere eleemosynam, & per consequens etiam mutuare si petat sub pœna peccati mortalis, tamen valde probabile est, & magis securum, quod teneatur. Prima pars patet, quoniam Alex. de Ales. loco supra citato dicit, quod abundans in bonis fortunæ debet de rigore, siue de necessitate iustitiæ subuenire illis, qui sunt in extrema necessitate, quia peccaret si non subueniret, & mortaliter, (vt opinor) illis autem, qui sunt in euidenti, & notabili necessitate, tenentur subuenire de æquitate, idest de æquo, & bono: si enim aliquis in bonis non necessarijs abũdat, & non subuenit proximo existenti in notabili, & euidenti necessitate, non subueniendo in hoc casu præiudicat æquitati iustitiæ; nisi vnde deberet tali subuenire, releuet aliquibus, quibus tenetur plus subuenire; vel fortasse aliquibus, de quorum bonitate est magis certus, vel sunt magis propinqui; Hæc ille. Ex quibus verbis patet, quod secundum ipsum in secundo casu non peccat mortaliter, alioquin diceret, quod teneretur etiam de rigore iustitiæ, sicut in primo casu dixit: tum quia in secundo casu minorem ponit obligationem, quam in primo; & tamen in primo non asserit simpliciter fore mortale, sed solum dicit, opinor; ergo sequitur, quod in secundo casu non sensit fore mortale. Idem patet ex sententia D. Thom. vbi supra; Duran. etiam loco supra citato dicit, Non est dubium, quin sit præceptum, respectu illorum, qui sunt in extrema necessitate; De illis autem, qui sunt in extrema necessitate, licet sint in magna verecundia, non audeo plene definire, nec condemnare maiorem partem diuitum; hæc ille. Quibus verbis non audet Duran. definire, nec maiorem partem diuitum condẽnare, qui superfluũ habentes non subueniũt donatione

Alex. de Ales.

D. Thomas
Durandus.

natione eleemosynæ parientibus magnam necessitatem, licet citeriotem, quam sit extrema.

Secunda pars probatur. Nam 1. Io. 3. dicitur, Qui habuerit substantiam huius mundi &c. q. d. non simul stat cum charitate omissio subuentionis in tali casu, igitur est omissio mortalis: quia omissio venialis stat cum charitate: nec valet dicere, quod loquitur de extrema necessitate, quia videtur loqui de qualibet magna, & notabili necessitate: de patiente enim extremam nullus dubitat: nec valet etiam dicere, quod loquitur de viscerosa interiori misericordia, quia subdit; filioli non diligamos verbo, neque lingua, sed opere, & veritate; ergo intelligit de subuentione cum effectu. Et Duran. vbi supra dicit, quod illa auctoritas videtur sonare de necessitate etiam non extrema, dummodo sit magna. Idem etiam dicit Nicol. de Ly. eo loco; & similiter Alex. de Ales. 3. p. q. 59. m. 3. art. 4. hoc tenet expresse, scilicet, quod habens superflua tenetur valde indigenti dare eleemosynam, nisi proponat melius dispensare, puta magis indigenti, vel æque bene puta propinquiori; & nisi det, peccat mortaliter; & hæc sunt verba eius: In duobus casibus omittit diues, si non dat indigenti. Primus est indigenti posito in extrema necessitate; & hoc dictat ei conscientia eius; & si non tunc dat, peccat mortaliter. Vnde Hierony. super illud ad Rom. 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illũ. Quisquis in quantacunque necessitate morituro succurrere potest, si non facit, occidit. Secundus casus est in valde indigente, sed non in extrema necessitate: si enim habet aliquis multa superflua, nec proponit melius dispensare, vel æque bene, & tamen non dat, peccat mortaliter: & sic intelligitur illud Io. 2. 3. Qui habuerit substantiam &c. Nec sibi ipsi contradicit Alex. in 4. p. si bene intelligatur: nam subdit ibi tertium casum dicens: Illis autem, qui communi consuetudine mendicant, nec tamen apparet in eis signum notabilis, siue grauis indigentiæ, si præsumatur, quod habeant ad pertranseundum tempus illud, tenetur de dispensatione iustitiæ, & est meritorium subuenire; non est tamen demeritorium non subuenire, si ex aliqua causa leui rationabili non subueniat; vt si præsumat, quod indigens habeat, quod illi sufficiat ad transeundum tempus illud: quæ autem dispensatiue fiunt, alliciunt ad similem, nec tamen obligant in quantum huiusmodi: vnde quæ ex dispensatione iustitiæ fieri debent, si fiunt, bene fiunt, siue meritorie, siue nõ; & non demerentur, qui omittunt; hæc ille. Ex quo patet, quod ea, quæ fieri debent, non ex dispensatione iustitiæ, sed de iustitiæ æquitate, si omittantur, præiudicant æquitati iustitiæ; atque adeo qui omittunt, demerentur, & peccant mortaliter, nisi illa vnde deberet subuenire tali, reseruet aliquibus, quibus tenetur plus subuenire, vt dicit in 4. p. vel vt dicit in 3. p. nisi proponat melius dispensare, vel æque bene. Et quod hæc sit Alex. sententia patet; quia in 4. q. loco supra citato soluens hoc argumentum: sit diues aliquis habens necessaria sibi, & multa superflua, & occurrat ei pauper, cuius indigentia euidens est; iste diues tenetur dare eleemosynam pauperi, si esset in extrema necessitate, etiam de necessarijs, si non daret, omitteret, & peccaret peccato omissionis; ergo de superfluo tenetur dare pauperi euidenter indigenti, etiam si non sit in extrema necessitate; Huic, inquam, argumento respondens dicit, quod non valet hæc argumentatio, omittit, si non dat etiam de necessarijs indigenti in extrema necessitate, ergo omittit, si non dat de superfluis indigenti citra extremam necessitatem: quia iuste excusari posset per hoc, quod reseruat magis indigentibus, vel propinquioribus, vel aliquibus, quibus magis tenetur; hæc ille. Et loquitur de omissione mortali vtrobique, ergo iuxta sententiam Alex. habens superfluum naturæ, & personæ, si non habet vnde reseruet magis indigentibus, tenetur sub mortali peccato patienti grauem necessitatem subuenire, & a fortiori mutuare.

Durandus. Nicol. de Lyra. Alex. de Ales. Hieron. Alex.

Tertia Conclusio. Adhuc sunt duo casus, in quibus probabile est homines teneri ad mutuandum proximo. Primus, si quis nihil superfluum haberet, sed quid quid habet est sibi necessarium, & suis, & tamen proximus est in extrema necessitate, tunc tenetur subuenire: quia si mutuans patiatur aliquam penuriam, non tamen deficit, nec moritur; proximus autem in extrema necessitate moritur, nisi statim subueniatur ei; in necessitate autem extrema omnia sunt cõmunia, ergo &c. Et cõfirmatur, quia sicut proprius status est deserendus, vt succurratur naturæ proximi, prout dictũ est supra; ita propria natura quo ad proprias commoditates (seruata tamen in esse) postponenda est, vt succurratur vitæ naturali proximi; consequentia est nota virtute proportionalis habitudinis.

Casus duo in quibus homo tenetur mutuare proximo.

Secundus casus. Si homo habet superfluum naturæ tantum, & proximus patitur necessitatem non extremam, sed arctam, & grauem, tenetur ei mutuare; & probari posset sicut præcedens: nam sic se habet talis ad suum proximum, sicut præcedens; sed in præcedenti probatum est esse obligatum, ergo, &c. Et hos duos casus tenet Sanctus Bernardinus.

D. Bernardinus.

Quarta conclusio. In illis casibus, in quibus tenetur homo ad donandum, & mutuandum proximo bona temporalia fortunæ, tenetur etiam ad alia bona, in quibus abundat, proximo indigenti, concurrentibus circumstantijs proportionabiliter ad circumstantias supradictorum casuum. Probatur conclusio triplici exemplo; primum exemplum est de Medico vidente infirmum pati infirmitatem necessitans extremæ, vel arctam, & grauem: cum ipse est in simili facultate medicandi constitutus, sicut fuit dans eleemosynam, vel mutuans constitutus in facultate bonorum temporalium fortunę. Secundum exemplum est de Aduocato existente in facultate aduocandi, & iurisperito in facultate consulendi, comparando eum ad indigentem eius patrocinio, vel consilio; cum ille indigens est in consimili indigentia constitutus, puta, Pauper est accusatus iniustè accusatione ciuili, vel criminali, nec habet ob defectum pecuniæ, vel alia de causa, qui sibi aduocatione, vel consilio assistat. Tertium exemplum est de Theologo existente in facultate exortandi ad conuersionem peccatorum, comparando eum ad peccatorem constitutum in indigentia habente se proportionabiliter ad indigentias prædictas: nam talem conuertere, vel desolatum consolare, cum alius verisimiliter desit est opus misericordiæ spiritualis, quod non minus obligat, cum sit maioris meriti. Hanc conclusionem docent S. Tho. & Hen. de Assia in tract. de contractibus.

S. Thomas. Hen. de Assia.

ARTICVLVS IX.

Vtrum in vsura transferatur dominium eius, quod vltra sortem accipitur.

Sensus quęstionis est, an vsurarius sit dominus rei, quam accipit vltra sortem. Et quoniam, vt dictum est supra, duplex est vsura, scilicet realis, quæ fit cum pacto recipiendi aliquid vltra sortem; & mentalis, in qua sine aliquo pacto expresso, vel tacito aliquid vltra sortem accipitur; igitur de vtraq; vsura quæstio explicãda est; & primo de vsura reali.

Circa quam duplex est sententia: aliqui enim tenent partem affirmatiuam, scilicet, ꝙ vsurarius realiter est dominus rei, quæ sibi datur vltra sortem; ita sentit Gl. in c. si quis 14. q. 4. Et ratio istius opinionis est, quia illud, quod vltra sortẽ accipit vsurarius, traditur ei à domino rei voluntariè; atq; ita eius rei dominium transit in vsurarium, cui res traditur: & licet sit voluntas aliquo modo coacta, seu conditionata, quia vellet non tradere, si alio modo posset pecuniam habere, est tamen volẽs simpliciter; & ideo tradit traditione, quę sufficit ad translationem dominij: alioquin emẽs ex aliqua necessitate non transferret dominium pretij in vendentem; Huic sententiæ videtur fauere Doct. noster Sub. 10 bac. q. art. 3. sub littera Y. §. ad secundum.

Glossa. Scotus.

Contrariam sententiam docent, Alex. de Ales. 3. p. q. 36. m. 4. art. 2. & q. 59. m. 3. art. 1. §. 1. & m. 4. art. 4. D. Bon. hac d. p. 2. art. 2. q. 1. ad secundũ de malè acquisitis. Ric. ead. d. ar. 2. q. 5. Hen. de Assia in tract. de contract. p. 1. c. 36. Oyta in suo tract. de contract. dub. 18. Gab. d. 15. q. 9. art. 1. not. 3. Almay. ead. d. q. 2. & August. in summa, verbo vsura. n. 17. ij omnes affirmant, ꝙ vsurarius non efficitur dominus rei, quam accipit vltra sortem, Cuius ratio est, quia licet recipiens mutuum ad vsuram voluntariè det aliquid vltra sortem, tamẽ non transfertur dominium, quia traditio illa est contra voluntatem superioris domini prohibentis sic dare, & plus iuris in re habet dominus superior, quam dominus immediatus: & quia Deus, qui est verus, & superior dñs omniũ, prohibet istam translationem, ergo cõtra eius prohibitionẽ non potest transferri dominium: ad hoc enim quòd res transeat in alterum quantũ ad proprietatem, & dñium, non sufficit, quòd dominus puro, & libero consensu consentiat, sed pręter

Alex. de Ales. D. Bonau. Riccardus. Hen. de Assia. Oyta. Gabriel. Almayn. August.

ter hoc requiritur, quod non sit prohibitus a superiore habente auctoritatem; & alter non sit prohibitus recipere, vt dictum est supra de donatione. vsurarius autem est prohibitus a Deo superiore, a quo quodlibet dominium dependet, accipere aliquid vltra sortem; ergo per talem translationem vsurarius non efficitur verus dominus; & hæc est ratio Alex. ex qua infert, quod vsurarius accipiēdo aliquid vltra sortem, semper tenet rem alienam, vt suam manentem alienam; quod est contra ius naturale, & malum in se: & secundum se exemplificat de eo, qui scienter cognoscit vxorem alienam manentem alienam.

Secundo arguit. Si vsurarius efficeretur verus dominus per vsuram, sequeretur, quod habens hæreditatem traditam vltra sortem per vsuram, non teneretur fructus hæreditatis sibi traditæ restituere; quamuis teneretur hæreditatem restituere; consequens est falsum, ergo & antecedens.

Præterea tertio. Antequam aliquis efficiatur dominus de nouo alicuius rei, non sufficit, quod verus dominus rei consentiat, vt tradatur ei; sed requiritur consensus veri domini quantū ad proprietatem, idest, quod verus dominus cōsentiat, quod proprietas, quam habet ipse de tali re, transeat in alterū: nā aliud est possessio, & aliud est proprietas: sed qui soluit vsuram, licet consentiat, quod superexcrescentia tradatur vsurario, nihilominus nō consentit regulariter, quod proprietas transeat in eum; ergo vsurarius non efficitur illius superexcrescentiæ verus dominus: maior patet, quia alias qui habet pignus, vel rem aliquam in depositum efficeretur verus dominus; quoniam rei illius verus dominus consentit, vt talis res tradatur ei: minor etiā patet, quia mutuatarius dans mutuanti aliquid vltra sortem non habet intentionem absoluendi vsurarium ab obligatione, qua tenetur sibi, vel suis ad restitutionem, sed tradit id, quod est vltra sortem in potestatem vsurarij, vt dicit Oyta, donec forte aliquādo pœnitentia ductus restituat, vel Deo prouidente aliūde ab eo æquiualens recipiat; & ponit exemplum de projciente merces in mare necessitate periculi compulso, qui licet id volens faciat, tamen non cedit rerum proiectarū proprietati; vnde si veniant ad litus, aut per alium eripiantur, manent projcienti, & non ei, qui inuenit; nisi omnino pro derelictis haberentur.

Quarto arguitur. Ex nuda donatione non transfertur dominium, sed oportet accedere titulum, ex quo res alterius acquiritur quo ad dominium: sed in vsura non est assignare aliquem titulum, quo vestiatur illa traditio, quia maxime titulo solutionis promissi. v.g. quia promisit tantum dare vsurario, aut titulo donationis liberæ: non primum, quia talis promissio nulla est; nec ex ea oritur aliqua obligatio: quia cum lex resistit, non oritur obligatio, etiā si alteri contrahentium tantum resisteret, vt supra dictum est, quod donatio pecuniæ Fratri minori nulla est, eo quod Frater minor prohibitus est recipere: sed vsura prohibetur vtraque lege diuina, & humana, vt dictum, ergo &c. Nec potest dari secundum, quia donatio talis vt scienter indebiti non tenet, quādo iure reprobata est: prohibitum autem est ne aliquid donetur, vel recipiatur vltra sortem vi mutui: si autem donaretur simpliciter, & liberaliter, nō vi mutui, sed per modū doni gratuiti, iā nō esset vsura, vt videbimus infra, ergo &c.

Hanc opinionem tenent cōmuniter Doctores in c. in literis, vbi communiter dicitur hæredem teneri ex delicto defuncti de iure canonico; atque ita restituere vsuras: quia vsurarius deliquit vsuras exercendo: & refert istos Doctores Panor. in d. c. in literis. & in c. cum tu & in c. tua nos. de vsuris. & hanc sententiam meo iudicio probat Doc. noster Sub. nā art. 3. huius q. sub lit. X. dicit, quod non mere liberaliter donat simul deceptus, vel quasi necessitate tractus donat; quia ignorantia, & aliqualis coactio excludunt voluntariū simpliciter ex 3. Ethi. & infra; consimiliter si attractus, vt in vsuris dandis non est mere donatio liberalis; & infra art. 4. sub lit. CC. §. de 3. art: Fœnerator nō tenetur reddere lucrum acquisitum ex pecunia fœnebri; alioquin ille, qui reciperet; posset iuste esse vsurarius, quia reciperet fructum de sua pecunia prouenientem per industriam alterius; quod est facere vsuras; Quibus verbis apertissime insinuat Sco. pecuniā fœnebrem dictuam, idest soluentis vsuram, & non fœneratoris. Et ad id, quod adducitur in contrariū dico, quod Doc. loquitur conditionaliter, sed illam conditionem non approbat: nam solum negat sequi, transfertur dominium, ergo vsurarius non tenetur ad restitutionem; & qui negat consequentiam, non est visus concedere antecedens, sed solum permittere, vt transeat, non curando, sit ne verum, aut non; male ergo ex hoc loco colligunt aduersarij Scoti sententiā; tenenda est ergo hæc secunda opinio, quoniam verior, vt dicunt Angelus, & Gabriel vbi supra.

Panormit.
Scotus.
Angelus.
Gabriel.

Quo ad vsuram mentalem, de qua maior est difficultas. v.g. Petrus mutuauit Ioāni sub spe occulta, & interiori nullo modo manifestata per exteriora signa; an efficiatur verus dominus rei, quæ sibi datur vltra sortem: Nam Petrus hoc pacto mutuans, nempe spe lucri principaliter, licet spem illā nec verbo, nec signo, nec pacto manifestet, est verus vsurarius mentalis; quia Deus magis intentionem, quam factum exterius respicit; intentio enim est, quæ ponit peccatum in specie, & factum exterius nihil addit bonitatis, & malitiæ. Quæritur ergo an efficiatur dominus rei, quam Ioan. mutuatarius ei libere dedit; ita quod ad dandum non fuit coactus nec verbo, nec signo, aut pacto: & videtur quod sic, quia mutuatarius libere dedit, & nullo modo coactus; ergo per talem volitionem liberam abdicauit a se dominium huius rei, & transtulit in mutuantem: antecedens patet, & consequentia probatur: Nam si Petrus haberet intentionem furandi rem aliquam a Ioan. nullo modo manifestatam per quodcunque signum, & Ioannes libere sibi donaret illam rem, quam intēdebat furari; Petrus tunc efficitur dominus illius rei, nec tenetur Ioanni restituere; ergo quamuis habeat ex vi mutui intentionem aliquid accipiendi vltra sortem; & mutuatarius hoc ignorat, & liberaliter ei aliquid conferit nullo modo coactus, aut inductus, videtur, quod faciat Petrum dominum, ergo &c.

Sed contra hanc sententiam arguitur per cap. consuluit. de vsuris. vbi expresse dicitur, quod mutuans ea mente, vt vltra sortem aliquid recipiat, tenetur in foro animæ ad illud restituendum, si aliquid ex hoc consecutus est; ergo mutuans spe lucri est vsurarius: & in fine cap. ponitur, quod in animarum iudicio ad restitutionem tenetur.

Gotfredus.

Præterea ad hoc sic arguit Gotf. de Fontibus: Antequam priuata auctoritate verum dominium transferatur, requiritur primo libera voluntas transferendi in dante; Secundo libera voluntas accipiendi in recipiente; & tertio oportet, quod causa, qua accipit, sit iusta, & sufficiens ad ferendum, idest, quod sit iustus titulus. Hinc est, quod si ego volo accipere pro causa insufficiente, non transfertur dominiū; quamuis ergo in isto contractu primum concurrat, quia est voluntas libera transferendi in mutuatario, & etiam voluntas recipiendi in vsurario, tamen tertium deficit; quia est voluntas recipiendi ex vi mutui, & illud est insufficiens causa, neque iustus titulus ad transferendum dominium, ergo in talem non transfertur dominium illius superexcrescentiæ; & per hoc patet ad argumentum in oppositum; & hæc opinio est valde probabilis; quæ magis explicabitur articulo sequenti.

ARTICVLVS X.

Vtrum spes omnis, atque intentio obtinendi lucrum aliquod ex mutuo vsuram mentalem constituat.

Lucrum intendere non est de se malum.

PRo huius difficultatis solutione obseruandum est primo, quod intendere lucrum, ex se non est malum, sed variatur ex modo quo intenditur, sicut & quod ministet Episcopi beneficium intendat, absolute non est malum, sed vitiatur, si illud intendat ex vi obsequij, aut alicuius rei temporalis. Secundo obseruandum est, quod in mutuo duo sunt, vnum est ipsa substantia mutui, quæ in mutuatarij cōmodum ordinatur; Alterum quod mutuatio sit opus officiosum ex beneuolentia procedens, similemque in animo mutuatarij generans. Tertio obseruandum est aliud esse dicere, quod quis quærit lucrum in mutuo, & aliud quod intendit lucrum ex mutuo, aut ratione mutui: nam in primo casu non denotatur dependentia lucri a mutuo in ordine ad intentionem mutuantis; in secundo autem sic.

In mutuo duo sunt.

Mutuare potest quis dupliciter intentione lucri.

Quarto obseruandum est, quod quando aliquis mutuat, dupliciter contingit, quod intendat, vel speret lucrum vltra sortem, priore modo principaliter, altero modo minus principaliter. Principaliter sperare lucrum, est quando lucrum respectu mutuantis est causa principalis mutuationis; adeo quod lucrum per se appetitur; & propter ipsum fit mutuatio: est enim de ratione finis, vt per se

deside-

desideretur, atque ex illius affectu alia sint volita, vt media ad illum: nam quæ sunt ad finem non tam propter se vt potio, quam ex amore, & cupiditate finis sunt volita; atque ita causa principalis, & finalis pro eodem reputantur in præsenti: non enim placet communis expositio, qua dicitur, lucrũ respectu mutuantis esse causam principalem: quando eo nõ existente nõ mutuaret, propterea quod, quia causa sine qua non est causa minus principalis, & tamen sine illa effectus esse non potest. Constat enim, quod Clericus non diceret Nonas, nec Missam sine spe lucri, & distributionis, & tamen ex hoc non sequitur, causam principalem orationis, & Missæ esse pecuniam. Minus autem principaliter lucrum expectare, est, quando mutuans & si lucrum non speraret, seu expectaret, adhuc mutuaret; adeo quod lucrum est tantum causa minus principalis, vel vt alij dicunt, impulsiua, siue, sine qua non, quæ non per se, sed alterius affectu est volita, & concupita.

Spes lucri est duplex. Quinto obseruandum est, quod spes lucri est duplex, quædam minus principalis, & est ea, qua non existente nihilominus mutuatio fieret v. g. Esto, quod Petrus mutuans aliquid ultra sortem speraret, si tamen nihil speraret, adhuc mutuaret: spes illa appellatur minus principalis. Spes autem principalis est, qua non existente, Petrus non mutuaret. v. g. Si Petrus non speraret aliquid vltra sortem, non mutuaret: & hæc est duplex, quædam, qua mutuat, & ex vi mutui aliquid vltra sortem sperat; Altera, qua sperat aliquid vltra sortem, sed non ex vi mutui, sed ex beneuolentia mutuatarij; ita quod si non speraret, quod gratanter aliquid vltra sortem daret, non mutuaret. Et nota, quod intentio differt a spe: quia intentio est de eo, quod principaliter volumus, & respicit causam finalem. Vide D. Thom. 1. 2. q. 12. *Intentio differt a spe. D. Thom.* dicit intentionem semper esse de fine: intentio enim non solum dicit velle rem, sed dicit finem operationis, vt propter rem illam homo operetur. At vero spes est de rebus minus principaliter, & impulsiuè concupitis, estque simpliciter velle. Quare multa speramus euentura, quæ tamen non intendimus, neque ex eorum affectu operamur, vt illa eueniant, etiam si sciamus illa ex nostro opere esse euentura. Modo scias spem, aut desiderium habendi aliquid ex mutuo non facere vsuram mentalem, sed intentionem: quãuis enim quis mutuet alicui sperans, seu desiderans ob mutuum aliquid habiturum, non commisit vsuram: tamen si intendat, idest hoc animo mutuet, vt lucrum habeat, vsurarius est. Lucæ 6. Mutuum date &c. hic spes pro intentione sumitur: non enim dicit simplex velle, sed velle, quod est causa, quod detur mutuo, & hoc est intentio. *Spes nõ facit vsuram mentalẽ sed intentio.*

Mutuare ex beneuolẽtia, & pp beneuolentiam differunt. Sexto obseruandum est, quod hæc duo inter se differũt, scilicet, mutuare ex beneuolentia, & mutuare propter beneuolentiam: nam ille ex beneuolentia mutuat, cuius mutuatio procedit a beneuolentia tamquam a causa effectiua: illa enim præpositio, ex, dicit circunstantiam causæ efficientis, vt ex intellectu, & intelligibili paritur notitia, maximè in his, quæ non habent causam materialem, cuiusmodi sunt accidentia: mutuatio autem est accidens, quia est actus humanus. In habentibus autem materiam, dicit etiam circunstantiam causæ materialis, vt homo constat ex corpore, & anima, interdum etiam dicit circunstantiam termini a quo, vt ex albo fit nigrum. Præpositio autem, propter, dicit circunstantiam cuiuscunque causæ, vt patet 2. Phy. nam propter causam efficientem dicimus rem esse, & propter causam finalem, & formalem; magis tamen dicit circunstantiã causæ finalis. Cum ergo dicitur quis mutuasse propter beneuolentiam, potest esse sensus, quod beneuolentia existẽs in mutuante fuerit causa illius actus, & tunc est idem, quod mutuasse ex beneuolentia. Potest etiam esse sensus, quod beneuolentia obtinenda per mutuationem apud mutuatarium fuerit causa finalis illius actus; & tunc non est idem, quod mutuasse ex beneuolentia. Est autem beneuolentia qualitas inclinans ad volendum alteri bonum, siue ille alius è contra velit illi bonum, siue non; sed amicitia est species beneuolentiæ; & definitur sic: Amicitia est beneuolentia in contrapassis non latens. 8. Ethi. c. 1. Et dicitur in contrapassis, quia requiritur, quod amor sit mutuus amati ad amãtem. Oportet etiam quod ista beneuolentia sit non latens: aliqui enim, qui nunquam se viderunt, possunt habere mutuam beneuolentiam ex auditu bonitatis vtriusque, sed illi proprie non dicuntur amici, cum eorum beneuolentia sit occulta. His obseruatis. *Amicitia definitio.*

Circa hanc difficultatem variæ sunt Doctorum sentẽtiæ. Prima est quorumdam, qui dicunt numquam esse licitum lucrum ex mutuo sperare, siue principaliter, siue minus principaliter, & siue ex mutuo, siue ex amicitia lucrum intendatur, maxime quando alias non esset mutuaturus: quæ videtur fuisse sententia Raym. in sum. titulo de vsuris. §. sed nunquam voluntas. *Raymund.* Quæ sententia probatur primo ex illo Lucæ 6. Mutuum date, nihil inde sperantes; vbi Christus omnem spem, & intentionem lucri etiam ex amicitia prouenientem expresse damnauit. Secundo ex Vrbano iij. in c. consuluit. de Vsuris, sic dicente: Qui mutuat, alias non mutuo daturus, eo proposito, vt licet omni conuentione cessante, plus tamen sorte recipiat pro huiusmodi lucri intentione, quam habet, iudicandus est male agere. Tertio probatur ratione: Qui spe lucri mutuat, alias non mutuaturus, planè ratione mutui incrementum quærit, ergo peccat; probatur consequentia, quia cum mutuum nullius sit valoris, sed gratis agendum intuitu; immo nullo titulo lucrum desiderat, quod est mentis vsurariæ.

Secunda sententia est Caiet. 2. 2. q. 78. artic. 1. dicentis non *Caiet.* semper lucrum speratum, quod est causa sine qua non mutuationis esse vsurarium, nec reddere ipsam mutuationem vsurariam, sed tunc quando mutuans sperat lucrum ex mutuo; nam si illud sperat ex gratitudine, siue ex liberalitate mutuatarij, esto si illud non speraret, non esset mutuaturus, nec est vsurarius, nec peccatum committit. Quam sententiam probat primo ex communi hominum iudicio vniuersaliter excusantium a culpa eum, qui sciens aliquem gratum esse de beneficio accepto illi mutuat, & non ei, quem ingratum esse cognoscit. Secundo, quia cum sit licitum spe beneuolentiæ, & amicitiæ alicui mutuare, sit consequens, vt etiã sit licitum, recompensationem, & gratuitam remunerationem ex tali amicitia prouenturam sperare: nam cui licitum est radicem desiderare, eidem etiam est licitum fructum inde euenturum sperare. Tertio, licitum est vnicuique id ab homine sperare, quod iure naturali sibi debitum est; sed talis est gratuita remuneratio mutuatarij, respectu mutuantis omni exteriori pacto secluso; ergo si mutuans illam speret, nullum peccatum committit. Demum hoc ipsum probat Caiet. exemplo illius, qui it ad Ecclesiam officium diuinum ibi completurus, principaliter quidem propter Deum, secũdario vero, & minus principaliter propter stipendium, seu propter distributiones, quasi si non speraret, ad Ecclesiam non iret; In quo casu certum est ex communi Doctorum sententia, talem nec simoniacum, nec quoduis aliud peccatum committere; Et similiter videtur dicendum, nec vsuram esse, nec peccatum mutuare propter lucrum non ex mutuo, sed ex beneuolentia mutuatarij, euenturum etiam si id sit causa sine qua non talis mutuationis.

Tertia sententia est Conrad. de contract. q. 29. concl. 2. *Conrad.* dicentis: Quamuis intendere ex mutuo beneuolentiam alicuius vsurarium nõ efficiat eum, qui ea intentione mutuat, si tamen ibi non sistat, sed beneuolentia referat vlterius ad temporalia, ita quod ex mutuatarij beneuolentia retributionem vltra sortem intendat, in vsuram incidere mentalẽ. Et ab hac sententia parum distat Medina de rebus per vsuram acquisitis q. 1. *Medina.* affirmans quando mutuo intenditur lucrum, temporaleque commodum tamquam finis, siue is finis sit principalis, siue minus principalis, & siue intendatur, vt eueniat mediante beneuolentia, ac liberalitate mutuatarij, siue non, eiusmodi intentionem efficere mutuantem vsurarium mentalem: Si tamen, inquit, lucrum non intendatur tamquam finis mutui, sed tantum se habeat tamquam motiua, & impulsiua causa ad mutuandum: quia videlicet cernens quis mutuatarium futurum gratum allicitur, ac inuitatur ad mutuandum ob beneuolentiam, aut alium honestum finem: si autem cerneret illum futurum ingratum, retraheretur a mutuo dando, tunc esto, tale lucrũ sit causa motiua sine qua non, mutuo non daret, tamen spem talem lucrum obtinendi nõ efficere vsurarium mentalem.

Ceterum spem, atque intuitum lucri, & commodi tamquam finis mutui, siue sit totus finis, hoc est absque amicitia; siue pars, idest vna cum amicitia, ita quod hæc duo, scilicet lucrum, & amicitia ex æquo, & immediatè terminent voluntatem, siue sit principalis, siue minus principalis finis, atque siue intendatur immediate, siue interuentu beneuolentiæ mutuatarij, efficere mutuantem vsurarium mentalem; & hanc spem affirmat esse, quam Doctores iuxta cap. consuluit.

fuluit. principalem appellant. Spem vero lucri, ac commodi non tamquam finis, sed tamquam motiuæ, & impulsiuæ causæ ait non efficere mutuantem vsuratium mētalem, esto talis sit causa sine qua non mutuaret; atque eam dicit a Doctoribus minus principalem appellari. Itaque intentio Medinæ est, quod & si lucrum non sit immediate, & ex æquo simul cum amicitia intentum, siue per se præcise, sed ordine quodam, ita scilicet, vt mutuans immediatè intendat amicitiam non per se, (nam hoc omnium sententia est licitum) sed propter lucrum, quod ex illa potest euenire, est sufficiens vitiare mentem, atque eam vsurariam reddere.

Arist. Et ratio illius est. quia tunc lucrum esset principaliter intentum in mutuo, & magis principaliter, quam amicitia: propter quod enim vnumquodque tale, & illud magis teste Arist. Quare qui vult amicitiam propter lucrum, quod magis velit lucrum necesse est: & sicut ille, qui furatur propter mœchiam, est magis mœchus, quam fur, vt idem Philosophus dicit, ita qui causa mutui vult amicitiam propter lucrum, magis erit fœnerator, quam amicus dicendus.

Solutio quæstionis. Huic quæstioni duabus conclusionibus fit satis. Prima Conclusio. Spetare lucrum ex vi mutui siue primaria, siue secundaria intentione, modo id intendatur ex vi obligationis ciuilis, aut iustitiæ, est illicitum, & vsuratium. Probatur: Vsura est lucrum ex mutuo, vt patet ex eius definitione, ergo quicunque intendit lucrum ex vi mutui, siue primario, siue secundario est vsurarius; patet consequentia a definitione ad definitum; Et confirmatur: Qui ex re temporali intendit acquirere beneficium, siue mediate, siue immediate est simoniacus; Et nunc suppono, ergo & qui ex mutuo intendit acquirere lucrum, siue mediate, siue immediate est vsurarius: consequentia tenet ex paritate rationis.

Præterea quando obiectum est de se, atque intrinsice malum, vt vsura intentionem esse principalem, aut minus principalem illius facit quidem vt sit maius, aut minus peccatū, non autem quod non sit peccatum; Exemplum, furtum siue principaliter, siue minus principaliter intendatur, semper tofici intentionem, efficitque ea intentio, vt si peccatū, quādo quidem furti intentionem coniunctam esse cū alia principaliori intentione, non tollit quin furti intentio peccatum sit v.g. qui furatur, vt mœchetur, licet principaliter intendat mœchiam, adhuc tamen habet in intentione malitiam furti, ergo pari ratione qui intendit lucrum ex mutuo, quāuis principaliter intendat amicitiam, erit vsurarius saltem mentalis.

Nauar. *Innocen.* Sed contra hanc conclusionem Nauar. in Manu. c. 17. & in Cōmentario de Vsuris a nu. 19. argumentatur multipliciter: primo, quia Innoc. extra de vsuris c. consuluit, inquit, quod si creditor intentionem habeat principaliter ad lucrū, vsura est vel malum lucrum; si autem secundario aliquid speret, secus est, idest non est vsura. 1. d. quid proderit. & 89. d. si effectum. Item recipere ex tali spe secundario habita non est malum. 1. q. 2. c. quam pio. quia tenetur ei ad antidora. extra de testamen. c. cum in officijs. Item licet seruire Episcopo intentione secundaria obtinendi beneficium, quamuis id intendere primario, & per se esset simoniacū, vt dicitur in c. si officia. 59. dist. & in c. quid proderit. dist 61. Item quamuis non sit licitum dicere Missas, aut ministrare sacris principaliter propter lucrum, id tamen licet secundaria intentione, vt habet Glossa recepta supra c. 1. de Clericis non residen. in 6. *Glossa.* Tandem quamuis non liceat seruire Deo principaliter, & ex primaria intentione propter retributionem, id tamen licet secundario, vt definitur in Concilio Trid. sess. 6. can. 13. *Conc. Trid.* ergo pari ratione, quamuis non sit licitum primaria intentione mutuare propter lucrum, id licebit facere secundaria intentione, Eandem sententiam ante Nauar. docuerunt Gab. in 4. d. 15. q. xi. ar. 1. not. 1. & Abulēsis. to. 7. in Math. c. 25. q. 186. & post Nauar. Toletus in summa lib. 5. c. 29. *Gabriel. Abulensis. Toletus.*

Respondetur tamen hæc omnia argumenta sufficienter probare multa esse licitum appetere propter aliud, & ex alio, quæ tamen propter se, & ex primaria intentione appetere esset iniquum, quod nos non negamus: idemque contingit in mutuo; cæterum in conclusione loquimur formaliter; & quod dicimus, est ex vi mutui, siue ex vi obligationis ciuilis, aut iustitiæ non esse licitum aliquid vltra sortem intēdere siue primario, siue secundario, considerando illud intra latitudinem actus iustitia præcise: nam si ex vi mutui hac consideratione lucrum intenderetur siue primario, siue secundario, iam intenderetur ex vi iustitiæ tamquam debitū, quod est iniquum: cum hoc tamen stat, quod possit aliquis in re, quodam alio titulo secundario; nempe titulo gratitudinis, donationis, amicitiæ, & beneuolentiæ quidquam in mutuo vltra sortem intendere, vt sequenti conclusione patebit. Quod si Nauar. contendat aliter lucrum posse esse licite intentum per mutuum, quam ex gratitudine, & liberalitate mutuatarij: quasi possit minus principaliter esse intentum, vt pretium mutui, vtique falsa est eius opinio, vt rationes probantes nostram conclusionem apertè conuincunt. Si autem vult minus principaliter posse licitè esse intentum ex liberalitate quidem mutuatarij, sed tamquam finis ad quem mutuum ordinetur, vt eo mutuatarius permotus liberaliter det, eo modo quo in sequenti conclusione explicabitur, tunc non solum minus principaliter, sed & principaliter licite potest esse intentum, vt explicabitur. Neque meo iudicio aliud probat, vel intendit Nauar. quam lucrum licite posse esse intentum partialiter, ex liberalitate mutuatarij: nam num. 20. in fine inquit: Noto etiam, quod nullum nec principale, nec minus principale lucrum, tamquam iure debitum ex mutuo expectari potest, sed sic tamquam antidorale est remuneratiuum de gratia, & non de iustitia debitum.

Secunda Conclusio. Licitum est mutuanti tam primario, quam secundario intendere lucrum in mutuo, non ex debito, sed ex gratitudine, & beneuolentia; adeo quod quotiescunque lucrum intenditur media amicitia tamquam causa, siue ipsa amicitia sit principaliter propter lucrum intenta, siue è contra, aliter mutuans non est vsurarius, nec peccatū committit; hæc conclusio est contra Conradum, & Medinā; & tamen D. Thom. expressè q. 13. de malo. art. 4. ad decimū-tertium, & electiue 2. 2. q. 78. art. 2. Almay. in 4. d. 15. q. 2. ar. 2. Caiet. 2. 2. q. 78. art. 1. ad quartum, & in summa verbo. Vsura. C. de vsura mentali. & tom. 2. opus. tract. 8. c. 2. & 3. *D. Thom. Almayn. Caietanus* Et probatur primo sic: Licitū est mutuanti mutuando spetare principaliter beneuolentiam, & affectum mutuatarij, ergo est licitum mutuanti principaliter spetare collationem gratuitā alicuius rei temporalis: consequentia patet, quia ex affectu beneuolo procedit illa retributio, ergo si primum est licitū, erit & secundum, quia primum est radix secundi, cum ex beneuolo affectu procedat beneuola retributio: antecedēs probatur, quia mutuare finaliter propter acquirendam virtutē in proximo tamquam quoddam bonū, vel etiam vt bonum spirituale sibi ipsi non est malum, seu illicitum; sed beneuolentia est huiusmodi, ergo &c. nam mutuans finaliter, vt Deo placeat, & vt consequatur beatitudinem, licite mutuat: opera enim virtutum possumus facere finaliter, tā propter bonum proximi spirituale, quam nostrum, puta beatitudinem: Inclinaui cor meum &c. ps. 118.

Secundo probatur. Mutuatarius iure naturali non solum obligatur ad sortem, sed ad antidora, & ad affectū gratuitum erga mutuantem, ergo si Petrus mutuans expectet beneuolentiam, quæ oritur ex obligatione naturali, non expectat vltra sortem, & vltra debitum, sed expectat sortem, & debitum: sed spetando quod sibi debetur non committit vsuram, ergo &c. consequentia patet exemplo: Si enim Ioannes debet mihi decem, & non possum illa habere, nisi sibi mutuem centum; si mutuo do illi centum hac spe, & intentione, vt simul cum illis centum habeam & illa decē, non sum vsurarius: quia licet expectem, & sperem aliquid vltra sortem, tamen nō spero illud alias indebitum, sed alias debitum, ergo a simili, cū mutuatarius iure naturali sit obligatus ad beneuolentiam, Petrus mutuans sperans illam recompensationem beneuolentiæ exterius, nō sperat aliquid vltra sortem, & vltra debitum, sed sortem, & aliquid debitū: & mutuando spetare sortem, & debitum simul non est vsura, vt patet extra de vsuris. c. 1. in textu, & Glossa. *Glossa.* ergo Petrus, qui habet talem spem etiam principalem aliquid recipiendi vltra sortem, non tamen ex vi mutui, & debiti, sed solum ex beneuolo affectu mutuatarij, non committit vsuram.

Præterea tertio. Vsura est essentialiter iniustitia, & furtū, vt omnes fatentur; sed est impossibile, quod iniustitia fiat alicui in eo, quod liberaliter, & omnino sponte ipse dat, ergo & est impossibile, quod vbi lucrum ex sola beneuolentia, amicitia, & liberalitate speratur, & intenditur, sit vsura; siue ipsum lucrum primario, siue secundario intendatur.

De-

Demum sic. Mutuans in nullo facit contra legem virtutis, & amicorum, ergo non peccat: consequentia est nota, quia vitium contrariatur virtuti: antecedens probatur, quia sicut mutuans actum virtutis exercet, scilicet mutuare aliquid, & propter finem virtutis, scilicet, quia non propter pecuniam, sicut propter finem: nam qui propter pecuniam principaliter subiicit actum virtutis pretio, atque ita peccat contra legem virtutis, & contra legem amicorum, quia nō agit propter amicum, sed propter lucrum: sed quia non agit propter lucrum, licet placeat sibi accipere illud, si offeratur, non agit contra legem amicorum: quia proprium est amicorum communicare bona ad inuicem, atque adeo iste velut amicus præueniens alterum in actu amicitiæ, vult accipere aliquid de bonis eius, licet hoc non induxerit eum ad mutuandum. Hanc sententiam tenet apertè Nau. in Man. c.17.num.209. Nec te moueat, quod dicit ibi, intentionem principalem accipiendi lucrum ex mutuo constituere vsuram: nam loquitur de mutuo præcise, vt si exigas mēte tua, velisque accipere tamquam debitum, & velut coactè a proximo, & non ex beneuolentia lucrum ipsum, iuxta dicta in prima conclusione: nam si detur ex amicitia, apertè fatetur esse licitum sub his verbis; Cum communi asserimus, quod tam principaliter, quam secundario possumus sperare lucrū amicitiæ, & lucrum ex amicitia, & gratitudine. Obseruandum est tamen, quod licet ea, quæ diximus in rigore theologico, vera sint; qui tamen explicaret mentem suam mutuatario, & etiam qui fateretur se nullatenus mutuare, nisi spe lucri obtinendi, tamquam suspectus de vsura erit habēdus; quia sic mutuantes non ex amicitia, nec ex beneuolentia operari videntur, sed tamquam exactores se gerūt. Quare discretus Confessarius, aut Doctor de hac re consultus debet eos damnare, vel saltem non approbare. Ex quo sequitur tales regulariter non esse absoluendos, nisi certo constet ipsos ex gratitudine, & non ex mutuo lucrum intendere. Eritque salubre consilium, quod mutuans ita dubius a mutuatario, a quo aliquid vltra sortem accepit, quærat an tale pretium tamquam debitum ex mutuo præcedenti dederit; nā si ita est, mutuans tenebitur illud restituere; & si non restituat non erit absoluendus, alioquin minime.

Nauar.

Nota Confessor

Superest modo respondere ad argumenta pro prima, & tertia opinione facta; nam quæ sunt Caiet. probant nostram secundam conclusionem. Ad primum desumptum ex illo Lucæ 6 Mutuum date &c. dicendum est testimonium illud intelligendum esse de spe lucri, de qua prima nostra conclusio loquitur, non vero de qua loquitur secunda nempe ex liberalitate & gratitudine mutuatarij.

Et per idem patet ad secundum desumptum ex Vrbano iij. de ea quippe spe qua corrupta mente lucrum vt pretium, & vt debitum ex mutuo intenditur, interrogatus fuerat in principio capitis, atque ad interrogata respondet in fine.

Ad tertium dicitur, quod qui spe lucri mutuat, si id sperat tamquam debitum ex mutuo, proculdubio peccat, vt diximus in prima conclusione, non tamen si illud sperat tāquam ex amicitia, & beneuolentia conferendum, alio alias mutuaturus esset, vt diximus in secunda conclusione.

Ad argumentum pro opinione Conradi, & Medinæ dicitur eo argumento rectè concludi intendentem amicitiam propter lucrum, magis velle lucrum; atque adeo optime colligeret magis esse auarum, quam amicum, cum magis velit pecuniam, quam amicitiam; tamen ex eo non infertur, quod sit vsurarius, quia non immediate ex mutuo, sed media beneuolentia lucrum intendit; & hæc cogitatio habendi scilicet argumentum ex liberali voluntate alterius iniusta non est, vt patet; est autem de ratione vsuræ etiam mentalis, quod iniustam saltem cogitationem, & animum includat, sine quo vsuram interuenire est impossibile.

ARTICVLVS XI.

Vtrum vsura mentalis obligationem inducat restitutionis.

QVod intentio accipiendi vsuram satis sit ad vsuræ peccatum, si vt pretium debitum ex mutuatione desideretur, hoc certum est apud omnes; nec est id quod in hoc articulo quærimus; quia interim dum effectus non sequitur, obligatio non consurgit restituendi, vt est notissimum; sed id quod quærimus est, an quando speratur ex vi mutui lucrum aliquod tamquam debitum ex iustitia, atque ita recipitur, hæc vsura mentalis obligationem inducat restitutionis.

Sensus quæstionis.

Circa quam difficultatem, vt certa ab incertis separemus, obseruandum est primo, certum esse, quod quantumuis aliquis prauum habeat animum aliquid accipiēdi pro mutuo, si tamen nihil exterius accipit, ad nullam tenetur restitutionem; quia nihil habet alienum; nec ea mala intentio, quę est actus immanens, sufficiens est damnum inferre; quare sola pęnitentia id peccatum erit expiandum.

Secundo obseruandum est etiam certum esse, quod quātumuis aliquis quidquam exterius accipiat, si tamen illud accipiat gratis a mutuatario oblatum titulo amicitiæ, vel gratuitæ donationis, ad nullam tenetur restitutionem: nullum enim tunc interuenit vsuræ peccatum; nec debet esse mutuans peioris conditionis post mutuum, quam antea, sed melioris.

Tertio obseruandum est, quod si in mutuante præcessit intentio vsuram accipiendi, sed in tempore acceptionis mutauit intentionem, quia scilicet credidit id sibi dari a mutuatario ex mera liberalitate, & titulo donationis gratuitæ, & tāquam ita datum accipit, restituere non tenetur, nisi postea comperiat datum fuisse inuoluntarie mixte: nam tunc consurgeret obligatio restituendi, non quidem ex parte iniustę acceptionis, sed solum ex parte rei acceptæ, eo quod iam tūc acceptio iniusta non fuit.

Quarto obseruandum est cū Conrad. q.29. quod quatuor modis potest contingere, quod aliquis in vsura mentali accipiat aliquid vltra sortem absque pacto tacito, vel expresso illud accipiendi. Primo modo, quando mutuatarius ex mera gratitudine, & liberalitate dat, & mutuans accipit vt eo modo datum; & in hoc casu certum est, neque peccatū vsuræ interuenire, neque vllam consurgere obligationem restituendi, quia mutuans non est peioris conditionis, quam si non mutuasset; sed tunc potuit recipere donum, ergo &c. Secundo modo quando mutuatarius, qui tamquam mutui pretium id inuoluntariè dat; & mutuans eodem modo accipit; & in hoc casu constat & peccatum vsuræ interuenire ex parte mutuantis, & restituere teneri ita acceptū, patet, quia in hoc euentu mutuatarius non liberaliter donat; ad hoc. n. quod sit donatio, requiritur libera actiua volitio ex parte donatoris; & non sufficit datio quasi coacta. In proposito autem mutuatarius dat vsuram velut pretium pro vexatione redimenda, atque adeo mutuans in recipiendo, atque retinendo peccat, quia accepit, & retinet rem alienam inuito domino.

Conradus. Accipere aliquid vltra sortē in vsura mentali quatuor modis contingere potest.

Tertio modo quando mutuatarius, vt mutui pretium inuoluntariè id dat; sed mutuans bona fide illud accipit, credēs ex gratitudine, & mere liberaliter dari; mutuans ita recipiēs non peccat; patet, quia sicut mihi liceret accipere rem furatam dono, si me lateret esse furto sublatam, & bona fide eā acciperem; ita in proposito. Differt autem hic tertius casus a primo, quoniam in primo mutuans licitè recipit, & detinet, quia fuit vera donatio: in hoc autem tertio & si durante bona fide licite detineat, tamen postquam constiterit mutuatarium coactè, & non libere dedisse, iniustè detinet, atque restituere tenetur, & ratio est, quia eiusmodi collatio est mixtè inuoluntaria, atque adeo insufficiens ad transferendum dominium via donationis: neque alius titulus interuenit, quo accipiens compararet illius rei dominium, aut ius ad eam rē: quare tenetur eam restituere statim, postquam eo pacto fuisse datam attenderit, ac nouerit. Quod si perseuerante bona fide illam consumpsit, solum restituere tenetur, si quid ex ea remansit, aut si in aliquo factus ea illa fuerit locupletior: eo quod obligatio restitutionis tunc non proueniat ex parte iniustæ acceptionis bona fide excusante accipientem a peccato vsuræ, sed solum ex parte rei acceptæ.

Quarto modo, quando mutuatarius ex gratitudine, & liberaliter dat: sed mutuans vsuraria intentione accipit tamquam pretium mutui: mutuans ita accipiens tenetur ad restitutionem.

His obseruatis, circa hanc quæstionem videntur esse duę opiniones extremæ: prima affirmat vsurarium mentalem, qui nec verbo, nec signo intentionem recipiendi aliquid vltra sortem mutuatario manifestauit, si aliquid a mutuatario nullo modo coacto, aut inducto vltra sortem recipiat, ad restitutionem haud obligari: cui sententiæ potest hæc ratio

tio

tio assignati: satisfactio non est; facienda in conscientia, vt lucrum ammoueatur ab illo, qui est lucratus, sed vt subleuetur ille, qui passus est damnum; sed sic est, quod Ioan. mutuatarius non patitur aliquod damnum, ergo non est ei restitutio facienda; minor patet, quia nullus volens, & consentiẽs habet damnum, neque patitur iniuriam; sed Ioan. in hoc euentu merè libere consentit in illam dationem mutuanti, quia voluntariè, & libere donat, ergo mutuans accipiens, esto corruptam habeat intentionem accipiendi ex vi mutui aliquid, dummodo signo, vel verbo, nec quouis alio modo illam mutuatario manifestauerit, nullam facit mutuatario iniuriam; atque adeo ei restituere non tenetur. Cæterum si aliquid foris ostendit mutuans, quo eius intentio fiat mutuatario nota; vt si quando mutuabat, nolebat dare, nisi paucos dies ad solutionem, vt mutuatarius moueretur necessario ad aliquid dandum, vel si postquam mutuatum est, & adueniente termino nolebat differre solutionem, vt aliquid reciperet, & datum est ei aliquid, esto pactum non intercedat, ad restitutionem tenetur; quia etsi ista non perueniat in pactum, sunt tamen aliquid extra, quibus mutuatarius intelligit mutuantis intentionem esse vsurariã; & ideo dat ei, licet ille non petat.

Gotfredus. Innocentius. Scotus. Hanc sententiam docet Gotfred. & alij, quos refert Innocen. in c. consuluit extra de vsuris. quam et docere videtur Doct. noster Sub. in hac q. sub lit. O §. Sine pacto etiam licet; vbi habet hæc verba. Solus enim animus sine omni pacto verbali, vel alio signo æquiualenti ostendente debitori, quod mutuans non mutuaret sine spe lucri, non facit illum recipientem vltra sortem sine pacto habere alienum; & ideo nec teneri ad restitutionem. *Ricardus.* Idem docet Ric. in 4. dist. 15. art. 5. q. 3. vbi ita scribit: Quatuor modo aliquid accipere vltra sortem potest fieri, aut sine pacto, & insinuatione intentionis plus habendi, aut cum pacto; primo modo non tenetur restituere accipiens aliquid vltra sortem, quamuis peccet, si corruptam habuit intentionem plus habendi; corrupta autem fuit intentio si mutuauit principaliter in spe lucri, non autem si secundario, extra de vsuris. c. consuluit. in Glos.

Imola. Panorm. Almayn Couar. Imola, Pan. & alij. cap. Consuluit citato. Alam. in 4 d. 15. q. 2. & multi alij, quos Couar. reg. pecc. p. 2. in initio nu. 4. citat. in extrema alia sunt sententia, nempe quoties vsurarius mente vsuraria quicquam accipit, teneri id restituere, esto mutuatarius liberaliter id dederit, & esto de ea re postea vsurario constet; *Alex. de Ales.* Idem sensisse videtur Alex. de Ales 3. p. q. 59. in 4. art. 2.

Probant autem suam sententiam primo ex c. Consuluit citato; vbi habetur accepta vsuraria intentione obnoxia esse restitutioni in conscientiæ foro: tum quia sola iniusta acceptio sufficiens est, vt accipiens restituere teneatur, ergo & is, qui vsuraria intentione accipit, cum iniustè accipiat, restituere tenetur. Præterea donatio non perficitur, nec per eam transfertur dominium rei datæ, nisi donatarius velit, vt donum accipere: sed qui vsuraria intentione aliquid accipit, non acceptat, quod ita accipit tamquam donum, sed tamquam lucrum ex mutuo, ergo non acquirit dominium illius, ac proinde tenetur id restituere.

Almayn. Caiet. Cæterum huius sententiæ Auctores non conueniunt, cui facienda sit restitutio. Almayn enim, & alij censent faciendam esse pauperibus; ita etiam docet Caiet. 2. 2. q. 78. art. 1. esto, quod obligatio sit restituendi id, quod ita accipitur: Et ratio est, quia mutuatarius eo ipso quod liberaliter id dedit, abdicauit dominium illius a se; quod fieri potest sola voluntate dantis, vt patet in eo, qui quod suum erat relinquit pro derelicto: quare si accipiens non comparauit dominium illius, sed restituere id tenetur, consequens est, vt non ei, qui dedit, sed pauperibus sit restituendum. Alij vero existimant restitutionem ei esse faciendam, qui illud dedit.

Caiet. Possunt tamen huiusmodi sententiæ facillimo negotio concordari: Si cum Caiet. dicamus, quod huiusmodi acceptio liberali donationi correspondens non est per se iniusta, & vsuraria, quia cum iustitia sit ad alterum, & iustitia in commutationibus sit inter commutantes, & huiusmodi acceptio haud vitiet secundum se æqualitatem inter eos, sed secundum intentionem solum accipientis, consequens est, quod per accidens, hoc est propter intentionem accipientis, & non per se, hoc est, non propter inæqualitatem rei ad rẽ, acceptio ista sit iniusta, & vsuraria, ac per hoc quamdiu ille, qui accepit, vigore talis acceptionis retinet, quia videlicet accepit non tamquam liberaliter donatum, quia credit mutuatarium non libera donatione dedisse, sed tamquam pretium ex mutuo, restituere tenetur, & hoc ratione conscientiæ errantis: quoniam existimat se iniustè accepisse, & mutuatarium inuoluntariè dedisse, neque abdicasse a se dominium, atque adeo sub lethali culpa tenetur id restituere. Et hoc est, quod dicunt Auctores de secunda opinione.

Cæterum si mutuans sciuerit post, id donatum sibi esse, & vigore donationis cœpit retinere, non tenetur amplius restituere: patet, quia cum iste rem illam ex aliquo debito simpliciter restituere non teneatur, sed solum ratione conscientiæ errantis; quamprimum sciuerit mutuatarium illam sibi non ratione mutui, sed ex liberalitate, & gratia dedisse, cessat obligatio restitutionis: & ratio est, quia omnis obligatio restituendi ex damno illato oritur: quando autem mutuatarius dat mutuanti aliquid vltra sortem libere, & gratis, nullum accipit damnum; atque adeo sublato mutuantis errore, nihil restitutioni obnoxium relinquitur; & in hoc sensu loquuntur Gotfr. Doct. noster Sub. & Ricar. Obserua tamen, quod si mutuatarius ex mera liberalitate offerat, & mutuator etiam hoc idem probabiliter credat, tamen non vt tale quod ipsum in affectu, immo vt pretium mutuationis accipiat, nolens vt donum recipere, peccat recipiendo, & restituere tenetur: quia sic recipiendo non acquirit dominium eius: & esto, quod acquireret, tamen restituere teneretur, atque ita detinendo peccaret, & per consequens eadem ratione recipiendo: patet, quia ibi non interuenisset vera donatio; illa enim, vt dixit supra Doct. Sub. requirit consensum in donante, & donatario: ita quod etiam donatarius vt donum velit illud recipere, & alius taliter velit dare; perficitur enim ille contractus necessario interueniente consensu vtriusque sicut patet in simili, Si tu mihi aliquid vt donum mitteres, & ego illud necessario auferrem vt spolium, non accipiendo vt donum, non efficerer dominus eiusdem, quamdiu non mutatem intentionem illam: secus si postea intentionem meam mutarem, accipiendo ipsum a te vt donum: ita in proposito. Intentio ergo Doc. & Ric. est, quod mutuator esto quod in principio habeat corruptam intentionem recipiendi aliquid vltra sortem ex vi mutui, si tamen illud recipiat vt donum sibi liberaliter a mutuatario prestitum, non tenetur ad restitutionem, si postea, vt dixi, vt donum illud ex mutuantis gratitudine recipiat: & per hoc patet ad argumenta secundæ opinionis: nam capitulum, cõsuluit, loquitur, quando vsurario non constat mutuatarij collationem fuisse liberam, vel quando vtriusque, idest tã mutuatoris, quam mutuatarij corrupta est intentio: nam tunc mutuator ex mutuo principaliter sperat lucrum, & mutuatarius non dat voluntarie. Ad secundum dico, quod iniusta acceptio tunc tantum ad restitutionem obligat; quando ex ea damnum re vera datum est, quod in proposito non contingit, vt dictum est supra. Ad tertium dico, quod non intercedit vera donatio, quando donatarius non vult accipere liberaliter, vt donum: quod in proposito secus est: nam saltem postquam mutuatori constat, rem sibi liberaliter fuisse datam, atque ita ipsam accipit, vera ratio donationis intercedit, atque adeo eam restituere haud tenetur. *Scotus.*

Quo ad illud vero, quod Almay. & Caie. dicunt, quod quando facienda est restitutio, non debet mutuatori, sed pauperibus fieri, dico, quod oppositum magis videtur verum, nẽpe quod si vsuraria intentio sufficit, vt accipiens restituere teneatur, restitutio facienda est ei, qui dedit, & non pauperibus, & ratio est, quoniam mutuatarius præsumptã, & quasi habitualem voluntatem habet, quod si dominium in accipientem non transferat, maneat apud se, & esto, quod abdicasset a se dominium, vt ipsi existimant instar eorum, qui rẽ habent pro derelicta, vtique tunc fieret primo eam occupãtis, ac proinde eiusmodi mentalis vsurarius licite eam posset retinere, quia in pari causa potior est conditio possidentis, de Reg. iur. Reg 45. in 6. Adde pauperes non succedere nisi in defectum veri domini, cui res restitui non potest, aut nisi ius humanum id in aliquo euentu statuat, nullam autem scimus iuris humani dispositionem, quæ præcipiat eo pacto acceptum pauperibus restitui.

De

De casibus in quibus licitum est in mutuo aliquid accipere vltra sortem.

Alex. de Ales. Vsura in mutuo casus permissi quatuor.

ALex. de Ales. 3. p. q. 59. m. 4. art. 1. assignat quatuor casus, in quibus vsura est permissa. Primus est vbi possessio Ecclesiæ est assignata clerico in beneficium, & laicus tenet eam iniustè, & violenter potest clericus fructus illius beneficij percipere vltra sortem extra de vsuris c. 1. sed hoc non fit lucri causa, sed vt res Ecclesiæ eo modo de manu laici redimatur, vt habetur in eodem decretali. Secundus vbi vsuræ petuntur cum interesse. v. g. si fideiussor soluit vsuras creditori, potest eas petere a debitore pro quo fideiusserat, quia non sunt vsuræ quantum ad fideiussorem, sed potius quantum ad interesse, quia non est lucrum, sed vitatio damni. Tertius ratione moræ, vt si debeas mihi centum ad certum terminum, & noluisti persoluere in termino, & ideo oportuit me recipere pecuniam cum vsuris propter negotia mea tractanda, tu teneris mihi restituere illas vsuras si solui, vel si non solui, liberare me ab ista obligatione. Quartus ratione dubij; nam si quis dat decem solidos, vt alio tempore totidem sibi grani, vini, vel olei mēsuræ reddantur: quæ licet tunc plus valeant, vtrum tamen minus solutionis tempore sint valitura verisimiliter dubitatur, non debet ex hoc vsurarius reputari, & ratione eiusmodi dubij excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, vt amplius, quam tunc valeat in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen en contractus tempore non fuerat venditurus. extra de Vsuris. c. naugranti. §. 1. & 2.

Abulensis.

Abulensis tom. 7. in Matth. a q. 191. vsque ad 219. enumerat 14. casus, in quibus licitum est aliquid vltra sortem recipere. Cæterum omnes istos casus clarius summat, & ad duos generales reducit Doct. noster Sub. in hac q. art. 2. sub lit. N. in fine §. Excipiuntur in ista mutuatione duo casus in genere. Quandoque enim potest aliquis licitè vltra capitale accipere ex pacto: quandoque non ex pacto; Et probatur tripliciter; primo ratione pœnæ conuentionalis, dum tamen non fiat in fraudem vsurarum; Secundo ratione interesse; & ad hoc membrum reducitur quod ponit Alex. in 2. & 3. casibus; puta si fideiussor soluit creditori vsuras &c. Similiter si creditor ratione moræ solutionis in termino statuto cogitur accipere pecuniam ad vsuram &c. quod verū est si creditor dixit debitori, quod erat ei necesse recipere sub vsuris; & si non potuit inuenire mutuum nisi sub vsuris. Tertio potest mutuans recipere vltra sortem ratione dubij, quando scilicet tam capitale, quam lucrum ponitur sub incerto. Et de his per singula videbimus infra diffusè. Sed primo quæritur.

Primus Art. Vtrum aliquid vltra sortem accipere sit de se, & in se malum.

Secundus Art. Vtrum mutuans possit beneuolentiam mutuatarij, amicitiam, & signa amicitiæ in pactum deducere.

Tertius Art. Vtrum mutuans alteri, & deducens in pactum, vt ab eo mutuum accipiat, sit vsurarius.

Quartus Art. Vtrum mutuans Agricolæ decem aureos ea lege, vt mutuantis agrum excolat pro iusto pretio, sicut & aliorum agros excolere solet, sit vsurarius.

Quintus Art. Vtrum pactum vt mutuatarius si tempore præfixo non soluerit, certam soluat pœnam, vsurarium sit.

Sextus Art. Vtrum ei, qui mutuum dat, sit licitum accipere vltra sortem ratione damni emergentis, & lucri cessantis.

Septimus Art. Vtrum ratione dubij possit aliquis vltra sortem aliquid accipere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliquid vltra sortem accipere sit de se & in se malum.

OBseruandum est pro huius quæstionis solutione, quod inter pecuniam, quæ est moneta, & alias res, quę possidentur, non est facienda nunc differentia: quia omnia possunt vocari pecunia, vt habetur 1. q. 3. c. totum. vbi sic legitur: Totum quicquid homines possident in terra, omnia quorum domini sunt pecunia vocantur. Et Arist. 4. Ethi. c. de liberalitate, vult pecuniam esse omnia, quæ pro pecunia haberi possunt; quia omnia illa mensurantur pecunia; atque adeo est eadem ratio de collatione, & acceptione pecuniarum, atque de aliis rebus; atque ita sicut si quis pro pecunia mutuata acciperet ex pacto tacito, vel expresso superabundantiam pecuniæ, vel pro mutuato oleo, vino, aut similibus, reciperet eadem æqualia, & insuper pecuniam aliquam, manifestum est, quod committeretur vsura; Ita si quis ex tacito pacto, vel expresso accipiat pro pecunia mutuata æqualem, & insuper quamcunque rem, vel vtilitatem, quę non sit pecunia, manifestum est, quod est vsura.

Ar. 4.

Hoc supposito circa præsentem difficultatem aliqui dixerunt licitum esse pro pecunia mutuata aliquid vtilitatis recipere, & per consequens non esse de se, & in se malum accipere aliquid vltra sortem; tum quia quilibet re sua vti potest, prout vult, alioquin non esset sua, ergo recipiens mutuum potest sua sponte dare vsuram, & mutuans potest sub illa conditione mutuare: quia etiam res mutata manet mutuanti quantum ad valorem: tum quia quilibet potest re sua vti ad vtilitatem sui, & proximi: nam sicut vtendo non agit contra charitatem, sed dare vsuram moderatam confert mutuanti, vt de se patet; confert & mutuatario, quia per hoc cauet damna sua, aut acquirit, seu lucratur multo plus, quā exposuit vltra sortem: tum quia cuilibet licet in contractu se indemnem seruare; mutuans autem priuat se vsu pecuniæ suæ mutuatæ, per quem posset lucrari; & potest damnum illud priuationis lucri recuperare, aliquid recipiendo vltra sortem; tum quia dominus rei potest rem suam dare ante, & post mutuum ei, qui sibi mutuat, ergo etiam cum mutuat. Quodcunque autem potest quis licitè facere, potest etiam ad illud faciendum se obligare ad dandum mutuanti sibi rē aliquam vltra sortem: similiter & debitum gratitudinis potest ad pactum redigi. tum quia homicidium est maius peccatum, quam vsura, & tamen in casu licet occidere, ergo in casu licet ad vsuram dare: tum quia licitum est mihi dare mutuum isti, ne lædat vineam meam, ergo licitum est mihi dare mutuum pro hac re temporali: igitur pari ratione pro qualibet alia re temporali; atque ita pro pecunia; tum quia dare mutuum alicui, vt ille, qui accipit, impleat hoc præceptum: Non furtum facies vel, Non mœcaberis, licitum est, ergo eadem ratione potest ei dare mutuū, vt impleat quodlibet aliud præceptum, ergo vt impleat hoc præceptum: Date mutuū nihil inde sperantes: ergo potest aliquis dare mutuum isti, vt ipse det mutuum sibi, aut aliis: tum quia dare pauperibus bonum est, & dare mutuum bonum est; ergo licitum est dare mutuum, vt aliquid detur pauperibus, cū vtrumque bonum sit; ergo licitum est mihi dare isti mutuum, vt aliquid det Patri meo indigenti; ergo eadem ratione & mihi, magis enim, ac magis debeo me diligere, quam ceteros alios quoslibet, tum demum quia prætermittere consilium non obligat ad peccatum: sed non sperate aliquid ex mutuo est consilium, (ponitur enim inter consilia) ergo &c.

Pro solutione quæstionis obseruandum est, quod illud, quod post mutuum solutum datur mutuanti, aut fuit in pacto tacito, vel expresso in mutuatione conuentum, aut non, si primum, est vsurarius contractus ex forma, siue id, quod venit in pactum sit pecunia, siue quæcunque alia res, quæ pecunia mensuratur, & non solum ea, quæ pecunia mensurantur, non possunt deduci in pactum, verum etiam quæ pecunia non mensurantur, vt beneuolentia, & amor, quicquid ergo venerit in pactum est iniustum. Si autem non fit ex pacto ante mutuationem, aut accipit illud mutuans tamquam gratis oblatum, aut exigit ab eo, cui mutuauit tamquam debitum; Si secundo modo, aut sunt de his, quæ pecunia mensurantur, aut de his, quæ non mensurantur pecunia; Si primo modo, vsura est; & iste est casus. 4. q. 3. c. si fœnerauetis, & c. plerique. Si secundo modo potest exigi, licet non potuerit reduci in pactum: nam mutuans gratis, potest postea exigere ab eo, cui mutuauit, vt eum amet, & ei beneuolus sit, & in hoc nulla est inhonestas. Et ratio differentiæ est: quia quando post beneficium mutuationis collatum, mutuator amorem, & beneuolentiam petit ab eo, cui mutuauit, petit spirituale pro spirituali, & compensat honestum cum honesto, & hoc licitum est.

Cum vero ante mutuationem deducit in pactum, vt accipiens eum diligat, & beneuolus ei sit, vult, vt altus ei vendat

vendat rem spiritualem, & honestam pro re vtili, quæ multo minor est; igitur est iniusta commutatio. Quod autem velit emere rem spiritualem pecunia patet, quia qui petit pecuniam mutuatam, pecuniam petit, & non beneficium; atque adeo quicquid mutuator ab illo exigit, pro isto, quod ille petit, exigit; sed indigens non petit nisi pecuniam mutuatam, ergo per illam vult mutuans emere illius amorem, & beneuolentiam, quod inconueniens est; ideo licet exigere istam post mutuationem factam, sed non licet deducere eam in pactum ante mutuationem.

Si autem mutuator accipit gratis oblatum, & non exigit illud vt debitum; aut illud expectauit antequam mutuaret ex vi mutui, licet in pactum non deduxerit; aut non expectauit ex vi mutui, sed tantum ex beneuolentia, & gratitudine mutuatarij; Si primo modo, illicitum est; & si postea accepit vltra sortem, restituere tenetur, vt dictum est supra; Si secundo modo, non est vsura, nec aliquod peccatum: nam & si nihil mutuasset, potuisset accipere gratis oblatum ab alio; ergo a fortiori cum mutuauerit, & benefecerit, quia non efficitur deterioris conditionis per hoc, quod mutuauit: sed quia beneficium fecit, potius est melioris conditionis. Dicendum est ergo aliquid vltra sortem accipere ex vi mutui præcisè, de se, & in se malum esse.

Ad argumenta in oppositum respondetur; & ad primum dicitur, quod quilibet potest re sua vti domino rei non inuito: duplex enim est rei dominus, scilicet proximus, & remotus, nempe legislator: atque ita nullus potest re sua vti contra voluntatem legislatoris: & cum dicitur, alioquin res non esset sua, dicendum quod nulla res est simpliciter sui domini proximi; imino res quælibet magis est domini remoti, quam proximi, pro quanto ea licitè vti potest, hoc domino superiori non prohibente: atque adeo nullus sua sibi appropriat rem, vt ea licitè possit vti contra Deum, qui solus est dominus omnium: & sicut nullus potest dare rem suam contra voluntatem domini superioris, ita nec quis potest recipere aliquid contra voluntatem domini prohibentis.

Dominium rei est duplex.

Ad secundum dicitur, quod non licet vti re sua neque ad suam, neque proximi vtilitatem temporalem contra voluntatem superioris domini; quia sic vtendo agit contra charitatem superioris, & veri domini.

Ad tertium dico, quod licet se seruare indemnem, non quomodocunque sed licitè, & honeste. Mutuans itaque ad vsuram potest se seruare indemnem, vt dicit Doct. infra art. 3. non mutuando; neque cogitur necessario mutuare extra casum necessitatis, in quo tenetur gratis mutuare, sicut tenetur gratis dare. Cum ergo non teneatur facere misericordiam, mutuat, aut licitè faciat: nam ex lege diuina, inquit Doct., necessitatur, vt non faciat misericordiam voluntate. Quomodo autem, & quando liceat aliquid recipere in recuperationem damni, explicabitur infra.

Sotus.

Ad quartum dicitur, quod dominus rei eo modo, quo potuit dare ante mutuum, potest etiam dare post, atque etiam in recipiendo mutuum; nunquam tamen potuit dare licitè intentione mutui, sed gratuito; atque ita nunquam licuit intentione, seu vi mutui recipere; potest recipere munus gratuitum si intentio fuerit pura, vt diximus supra.

Ad quintum de homicidio respondet Alex. de Ales, 3. p. q. 59. m. 4. art. 4. quod in nullo casu licet recipere vsuram; neque in hoc Deus dispensare potest: cuius ratio est, inquit, quia homicidium peccatum est, & malum in se, sed non secundum se; Vsura autem est malum in se, & secundum se; quod sic intelligo: Homicidium non est malum secundum se, id est in ratione termini non includit malum, sed dicit simpliciter occisionem hominis, non connotando, an iuste fiat, vel iniustè. Vsura autem in sua ratione propria includit iniustitiam, nempe recipere rem alienam manentem alienam inuito domino: atque ita recipere vsuram, stante hoc quid nominis termini simpliciter iniustum est, quia diuinæ voluntati contrarium. Nec potest Deus dispensare, vt recipiatur vsura licitè in sensu compositio: attamen si de sua absoluta potentia concederet alicui, recipere vltra sortem ex mutuo; iam non reciperet alienum, quia reciperet, & faceret suum, neque inuito domino, quia superiore domino iubente vel consentiente: atque ita non esset vsura, sicut spoliatio Aegypti per Iudæos non fuit furtum, quia non fuit factum domino superiore inuito; neque sic fi, quando receperunt rem alienam, sed rem suam a vero

Alex. de Ales.

domino eis traditam. Non enim video, quod dominus Deus, in cuius ditione cuncta sunt posita, non possit rem, cuiuscumque ab eo auferre, & alteri cui voluerit dare, & modis, quibus voluerit: atque adeo si vellet, quod mutuans vltra sortem tantum de rebus mutuatarij reciperet: iam res illas mutuatarij daret mutuanti; ac proinde mutuans recipiendo illa, reciperet res suas, non alienas, nec inuito domino, sed domino concedente. Et hæc est meo iudicio Alex. intentio, vt patet ex responsione ad secundum.

Ad sextum, negatur consequentia: nam cum datur mutuum, ne lædatur vinea, nihil accipitur præter sortem, sed redimit ius suum, qui dat mutuum; hoc autem licitum est; sed si daret pro pecunia, daret, vt acciperet aliquid præter sortem, quod de se, & in se illicitum est.

Ad septimum dico, quod non est simile de hoc præcepto, Non furtum facies, & huius modi; & de hoc, Date mutuum: quia in primo ex vi mutui nihil accipit præter sortem, vel in se, vel in alio: nam ex eo quod quis non furatur, vel non mœchatur, mutuans ei, vt non furetur, nihil accipit præter sortem; sed in secundo accipit aliquid vel in se, vel in aliis.

Ad octauum dico, quod sicut non licet mihi ex vi mutui transferre dominium rei alienæ, ita nec in alium; vnde non valet hæc argumentatio, licitum est dare pauperibus, licitum est dare mutuum, ergo licitum est mutuare, vt aliquid detur pauperibus: Instantia enim est, licitum est prædicare, vel sacramenta ministrare, licitum est acquirere temporalia, ergo licitum est prædicare, vel sacramenta ministrare pro acquisitione temporalium.

Ad vltimum dicitur: In his verbis Domini, Lucæ. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes, duo includuntur, Vnum est consilij, scilicet mutuum date: ad hoc enim non obligamur extra casum necessitatis, vt diximus supra, sicut nec ad dandum gratis. Secundum est præcepti, nihil inde sperantes. Vnde licet non teneamur mutuare proximo, tamen si misericordiam facere volumus, ex diuina lege necessitamur, vt inquit Doct. infra art. 3. sub lit. Y. §. ad secundum, ne faciamus eam vitiosam: atque adeo tenemur nihil inde sperare. Et quoniam illa duo connexa sunt in eodem sermonis contextu, scilicet consilium, & præceptum, potest dici, quod ponitur inter consilia ratione primi, & non ratione secundi. Sed de hoc satis superius dictum est. *Sotus.*

ARTICVLVS II.

Vtrum mutuans possit beneuolentiam mutuatarij, amicitiam, & amicitiæ signa in pactum deducere.

Sotus libro sexto de Iustitia, & iure quæstione prima, articulo secundo, ait non solum intuitu amicitiæ contrahendæ licitum esse mutuare, sed etiam amicitiæ signa in pactum deducere; verumtamen amorem, amicitiam, seu beneuolentiam impossibile esse pacto acquirere: amicitia enim natura sua non emitur, neque venditur, nam consistit in voluntate, quæ non cogitur; atque adeo potes quidem tu collata pecunia emollire hostis animum, vt te diligat, amore vero ceu panem non potes: quare nedum concedit cum Diuo Thoma licitum esse pro mutuo exigere compensationem in his, quæ pecunia æstimari non possunt, verbi gratia beneuolentiam, & amorem, sed etiam licitum esse mutuanti pacisci ratione mutui de signis amicitiæ, vt de condonatione iniuriæ, quam ipse mutuator intulit, præsertim antequam sit a iudice condemnatus; Et citat pro hac sententia Syluestr verbo vsura. §. 12. & probat; quia iure amicitiæ exhiberi solent externæ amicitiæ indicia; ergo ex vi mutuationis possunt deduci in pactum eiusmodi signa amicitiæ, quam sententiam sequitur Nauar. c. 17. nu. 238. *Sotus.* *D. Thom.* *Syluester.* *Nauar.*

Cæterum pro huius difficultatis solutione obseruandum est primo, operationes præsertim externas posse ordinari ad diuersos fines, & consequenter posse recipere varias rationes formales a diuersis finibus, & pertinere ad diuersos habitus

Operationes externæ sunt ad diuersos fines ordinabiles.

habitus etiam elicitiuè, verbi gratia, cantatio Symboli in Ecclesia, secundum quod refertur ad cultum diuinum, pertinet ad virtutem Religionis elicitiuè, sed secundum quòd refertur ad confitendum ore fidem, pertinebit elicitiuè ad virtutem fidei; Ita in proposito, signa amicitiæ exteriora si referantur ad iustitiæ finem, & obiectum, sicut reuera referuntur, quando ex pacto exiguntur ratione mutui, tunc pertinent ad iustitiam elicitiuè; at verò si referantur ad amicitiæ finem, & obiectum, sicut referuntur ex gratitudine, & amicitia, pertinent ad virtutem amicitiæ.

Recompensatio beneficij potest dupliciter fieri.

Secundò obseruandum est, quòd recompensatio alicuius beneficij potest dupliciter fieri; vno quidem modo ex debito iustitiæ, ad quod aliquis ex certo pacto obligari potest determinatè; & hoc debitum attenditur secundum quantitatem beneficij, quod quis accipit: atque ideò ille, qui accipit mutuum pecuniæ, vel cuiuslibet alterius rei, cuius vsus est eius consumptio, non tenetur ad plus recompensandum, quàm in mutuo accepit; Vnde contra iustitiam est si benefaciens, id est mutuans voluerit eum ad plus reddendum obligare. Alio modo tenetur quis ad recompensandum beneficium ex debito amicitiæ, vel virtutis; & tunc in retributione, & in quantitate beneficij magis consideratur quantitas affectus, quàm rei datæ; & pro tali beneficio non competit obligatio ciuilis, quæ ad pactum pertinet; & deducitur quædam necessitas ad recompensandum, ita vt iam non sit spontanea. Et vocat Arist. 8 Ethic. istos duos modos communicationis, scilicet moralem, & legalem; & ex his dicit oriri querelas, quando homines non communicant inter se vno modo, scilicet quidam communicant legaliter ad eos, qui sibi communicant moraliter. His obseruatis, sit

Arist.

Prima conclusio. Non licet in pactum deducere exteriora amicitiæ signa, vt reconciliationem, vel iniuriæ remissionem: probatur, quia ratione pacti referuntur istæ actiones ad iustitiæ finem; sed ex iustitia non licet ratione mutui aliquid vltra sortem exposcere, ergo non licet huiusmodi signa in pactum deducere.

Præterea quamuis amicitiam in communi rectè liceat, quærere mutuo, vt diximus in superioribus, idque explicare, tamen in particulari aliquod officium, seu seruitium, vel obsequium in pactum deducere omnino est illicitum, quia illud est pretio æstimabile; Et in propositum certum est, quòd iniuria læsus iustè potest in iudicio agere ad satisfactionem temporalem; ergo qui mutuationi addit pactum de condonanda iniuria, ex consequenti ratione mutui priuat illum libertate, & iure petendi, quod habebat, manetque obligatus ad non petendum, quod est pretio æstimabile; eo vel maximè quod si imponeret proximo obligationem rei, illi alias non incommodæ, vt quod ad tuum molendinum veniat, vel suas operas locet iusto pretio, vsuræ labe est infectum, vt videbimus infra: quomodo non magis fœnori erit subiectus, qui occasione mutui obligationem omnino incommodam, qualis est illa, non petendi iniuriæ satisfactionem mutuatario imponit perdereque facit actionem iustam, quæ maiori pretio vtique æstimatur.

Adde, quòd est contra rationem amicitiæ tale pactum: quod enim ex amicitia speratur, non est cur ex legali, & ciuili obligatione exigatur: atque adeo eo ipso, quòd quis aliquid speciale facere obligatur non ex amicabile voluntate, sed coactus, & ex obligatione ciuili illud facere est dicendus.

Dicendum est ergo, quòd qui mutuant offenso ea lege, vt iniuriæ à se latæ remissionem faceret, ex debito mutui, & non ex amicitia, aut vrbanitate grati animi liberè donantis, esset vsurarius, sicut & quicumque alius extorquens à mutuatario vltra sortem quemcumque alium contractum pretio æstimabilem: & eadem est ratio de eo, qui mutuat mulieri sub conditione, vt sui copiam faciat. Cæterum qui mutuant offenso eo fine, vt cum illo amicitiam initet, ex qua postea ipse iniuriæ faceret remissionem, non esset vsurarius, nec peccatum committeret, quia tunc tantum speraret ratione mutui amicitiam, quæ non est pretio æstimabilis.

Mutuans ex mente Sylu. Soti, et Nauar.

Nec satisfaciunt, quæ adducuntur à Syluest. Soto, atque Nauar. dicit enim Syluest. quòd licitum est mutuatori deducere in pactum iniuriæ remissionem: quoniam licet vnicuique suam vexationem redimere. capit. dilectus. 2. de Simon. hoc inquam, non satisfacit; quia illud de vexatione iniusta intelligitur; & vexatio, qua iniuria affectus iniuriantem in iudicio vexat, non est iniusta iuxta Gloss. sing. recep. cap. si quis contristatus, 90. dist. Sotus vero dicit, hoc nihil aliud esse, quàm amicitiæ fœdus in pactum deducere: hoc enim est falsum, quia amor interior, & beneuolentia nullo pacto referri potest ad iustitiæ finem, sed necessario ad finem amoris; neque subijcitur, neque subijci potest necessitati, aut obligationi ciuili; Et licet externa signa amoris, & amicitiæ referantur ex pacto ad iustitiæ finem, tameo vt sic relata induunt aliam naturam, videlicet iustitiæ; & tantum retinent materialiter naturam, qua significant amicitiam; cæterum vt amicitiæ signa ad iustitiæ finem referri nequeunt: atque adeo hæc signa dumtaxat iure amicitiæ exhibentur, si relinquantur naturæ suæ, & non referantur ad alium finem.

Gloss.

Demum cum Nauar: fateor pœnam ante sententiam non deberi, ac proinde puto sic mutuantem non teneri ad restitutionem valoris pœnæ, cuius condonationem mutuo exigit, sed tenebitur proculdubio valorem illius cessionis, & obligationis, qua ad non petendum mutuatarius ex pacto subiectus exstitit ad arbitrium prudentis viri soluere, vt dicitur de alijs obligationibus mutuo extortis. Hanc nostram sententiam tenent Corad. de contract. q. 37. Angel. verb. vsu. 1. num. 3. & Med. de reb. per vsuram acquisitis. q. 1 § lucrum. & alij.

Conradus. Angelus. Medina.

Secunda Conclusio. Obligatio, quæ naturaliter innascitur ei, qui bona recipit, non potest deduci in pactum: probatur primo, quia sicut sunt diuersæ communicationes, & obligationes, ita sunt diuersi modi illarum; sed moralis, & legalis conuersatio ab Arist. distinctè ponuntur, vt dictum est, ergo debent habere diuersos modos obligationis; sed obligatio ciuilis potest deduci in pactum expressum; ergo obligatio moralis, vel naturalis non potest deduci in pactum. Secundo omne pactum est de re determinata, sed cum obligatio naturalis, vel moralis, quæ est amicitiæ, consideretur secundum quantitatem affectus, qui non est aliquid determinatum; obligatio autem legalis est secundum quantitatem rei, quæ est determinata; ideo hæc obligatio potest deduci in pactum. Probatur tertio, quia dato, quod quantitas obligationis sit aliquid determinatum secundum quantitatem affectionis benefacientis, tamen nobis non est ille affectus notus: quoniam neque quisquam nouit mensuram affectuum suorum, sed solus Deus illam nouit; atque adeo nescimus, quantum quis præcise ex hoc alteri esset obligatus: atque ita in pactum nemo sciret deducere, sed quantitatem rei, quæ in beneficio datur quisque nouit; ideo retributio circa hanc potest deduci in pactum, sed non naturalis obligatio.

Arist.

Probatur quarto, & principaliter: quia istud est contra conditionem ipsius retributionis: nam obligatio naturalis, quæ est de honestate, pertinet ad amicitiam, & virtutem; & eo ipso talis retributio est spontanea, atque libera, cum actus virtutis sit electio: atque adeo ad agendum virtutem nemo potest compelli. Quod autem in pactum deducitur debetur iam ex necessitate; & exigitur à nolente; quod est contra virtutem; ideo repugnat morali obligationi deduci in pactum.

Quinto, & postremo arguitur, quia non conuenit hoc ex conditione pacti: nam quælibet obligationum istarum est ad res sui generis: obligatio enim iuris est, ad res exteriores dandas, vel faciendas; obligatio autem moralis, cum sit pro opere virtutis, competit sibi retributio in opere virtutis, scilicet in actu interiori. Pacti autem conditio est, necessitatem facere ex conuentione; atque adeo sicut facimus pactum de exterioribus rebus, & actibus, vt cogamur ad illas dandas, vel faciendas; si ita fieret pactum de actibus interioribus virtutum, oporteret, quod ad illos possemus cogi; & tamen hoc non stat: esto enim, quod non esset contra conditionem virtutis cogi ad actus eius, nemo posset nos ad illos actus cogere; ideo frustra fuissent in pactum deducta: atque ita licet initigat pro beneficio naturalis obligatio, illa prout pertinet ad amicitiam, vel virtutem non potest deduci in pactum.

ARTICVLVS III.

Vtrum mutuans alteri, & deducens in pactum, vt ab eo mutuum accipiat, sit vsurarius.

DE hac re duplex est opinio; prima affirmat licitum esse obligare ciuiliter mutuatarium ad similiter in futuro mutuo dandum, duabus tamen conditionibus obseruatis; prima quod in eamdem indigentiam incurrat postea mutuator, & quod mutuatarius possit tunc æque bene dare mutuo, sicut is potest, qui in præsenti dat, vel, vt dicit Adrianus, si illa obligatione ciuili seclusa mutuatarius non daret mutuo, qui sibi mutuo dedit, male faceret, atque esset ingratus. Hanc sententiam affirmant Angelus verbo Vsura. 1. numero quarto. Maior. in 4. dist. 15. quæst. 29. ad secundum Almayn. ibidem quæst. 2. Adrianus de restitut. in materia de Vsur. §. sed contra; Quorum fundamentum est, quia mutuatarius ex gratitudine, atque honestate morali tenetur naturaliter vicissim mutuo dare, vt beneficium susceptum recõpenset: quia obligatio a iure & Doctoribus appellatur ad antidora, aut ad antidota, hoc est ad dona, seu beneficia compensanda beneficijs, & dicitur ab anti, quod est contra, & dorum, quod est donum, seu munus, quasi ad contraponendum munera muneribus, & beneficijs compẽsandum; ergo fas erit ciuili obligatione illum eumdem pacto adhibito ad idem obligare: patet, quia illa onera inerant ex natura rei tamquam debita: atque adeo deducere illa in pactum, non est aliud nisi declarare quod prius inerât; Et Cardin. in c. Consul. de Vsuris dicit, quod si obligatio naturalis deducitur in pactum eo modo, quo debitor est obligatus, non videtur illicitum; Idem affirmat Io. Andr. in d. capit. Consul. eodem tit. super Glos. in verbo, sperantes.

Adrianus. Angelus. Maior. Almayn. Adrianus.

Cardinalis.

Ioan. And.

Secunda opinio est in altero extremo, nempe non esse licitum obligare ciuiliter mutuatarium ad remutuandum, sed vsuram esse eo adhibito pacto mutuare: huius opinionis sunt D. Thom. 2. 2. quæst. 78. articulo secundo ad secundum & ad quartum, & Caiet. ibidem Conrad. de contractibus quæst. 36. exempl. 7. Syluest. verbo, Vsura. 1 quæst. 2. Gabr. in quarta dist. 15. quæstione 11. art. 1. not. 1. §. Quod autem spes lucri. Ioan. Medin. de rebus per vsuram acquisitis. quæst. 1. & latius. quæst. 4. ad 1. princ. Sotus 6. de Iustitia. quæst. 1. artic. 2. ad primum. Nauar. capit. 17. numero 223. Couar. 3. variarum resolutionũ cap. 2. numero quinto, & Panorm. in c. Consul. & Doctores communiter. Ratio est, quoniam grauamen illud, vt in futuro velit, nolit, ciuiliter teneatur mutuo dare, est quid pretio æstimabile: atque adeo exigere obligationem illam pro mutuo, est exigere vltra sortem quidpiam pretio æstimabile, & per consequẽs est vsura. Quare eiusmodi pactum neque in conscientia, neque in exteriori foro obligat, eo quod vsura sit, ac proinde si vi præcedentis mutui in compensationem mutuum acceptum esset, teneretur accipiens ad restitutionem danti, quantum arbitrio prudentis æstimaretur illa obligatio ad remutuandum.

D. Thom. Caietanus. Conradus. Syluester Gabriel. Medina Sotus Nauar. Couar. Panormit.

Verum possent eiusmodi opiniones facillimo negotio concordari; Si dicamus vsuram committi, si vltra sortem ex pacto debitor obligetur ad aliquid indebitum, & ad quod minime tenebatur agere: est enim omnium consensu receptũ, mutuantem certum non posse in pactum deducere, quod debitor teneatur ei totidem mutuo dare, cum petierit: nam non tenetur debitor mutuare ad voluntatem mutuatoris, sed quando mutuator in eadem fuerit indigentia, & debitor æque potuerit mutuare, sicut is a quo accipit mutuum, vel quando secluso pacto si debitor non daret mutuo ei, a quo mutuum accepit, male faceret, & iudicaretur, & esset ingratus: his enim conditionibus seclusis, si mutuans pacto astringeret mutuatarium ad sibi remutuandum, obligaret eum ad aliquid indebitum, & ad quod agere minime tenetur, & per consequens contractus esset vsurarius; Quod neque Angelus, neque alij de prima opinione negant.

Verum si mutuator in pactum deducat, quod debitor teneatur ei totidem mutuo dare, quando a iure, eo pacto secluso, cogitur creditori mutuare, non est illicitum: Siquidẽ iure verum est licere mutuanti absque vitio vsuræ deducere in pactum obligationem illam antidoralem, qua recipiens mutuum tenetur mutuanti simili beneficium pendere, modo, vt diximus, hoc adijciatur, quod promittens non plus obligetur, quam alias tenebatur cessante pacto, vel colligatur ex ipso pacto, & paciscentium mente nihil per hanc conditionem adijci antidorali obligationi, vt docet Couar. 1. variar. resolut. cap. 20. numero quarto, ex gloss. penultim. & finali, in capit. si fœneraberis. 14. quæstione tertia. Cardin. Anan. Abb. in cap. Consul. & eodem Cardin. in Clem. 1. de Vsur. quæstione vigesima. Et pro eadem sententia citat D. Thom. 2. 2. quæst. 78 articulo secundo ad tertium. Gabr. in quarta distin. 15. quæstione vndecima, & ibidem Ioan. Maior. Felin. in cap. ad audientiam, in secundo de rescriptis. numero decimo. Bald. in rubr. Cod. de Vsur. col. 1. Iason in lege, ex hoc iure, numero 65. de iustitia, & iure, & Parisiensem de contractibus & vsuris, numero vigesimo septimo, qui citans alios dicit hanc opinionem esse communem. Et idem tenet Nauar. loco supra citato, vbi ita scribit. Idem de eo, (scilicet dicendum est, quod peccat) qui mutuat alteri cum pacto, vt ille sibi mutuet altera vice alterum tantum, secundum glos. sing. quæ est secunda capit. 1. decimo quarto quæstione tertia, quicquid dicat Adrianus in quarto de restitut. nisi quando solum obligat per pactum ad id, ad quod iure naturali gratitudinis obligatur, secundum aliam Glos. quæ est. 1. eiusdem cap. Quapropter bene dixit Postillator Angelicæ, quemdam iniuste reprehendere Angelicam, in hoc minime literam Angelicæ considerantem: nam Angelus non dicit, quod oriatur ciuilis obligatio, sed naturalis tantum; Et hæc sunt verba eius, quæ adducere libet, vt videatur, quam male Sotus, & alij citent Angelum pro contraria sententia.

Couar. Cardin. Ananis. Abbas. D. Thom Gabriel. Maior. Felinus. Baldus. Iason. Parisiensis Nauar.

Angelus sententia

Verum liceat petere munus a lingua, vel ab obsequio propter mutuum. Respondetur secundum Thom. vbi supra, quod non: quia æstimatur pecunia, vt patet in illis, qui locant ad hoc operas suas. Nec obstat, quod obligatur ad antidora, vt dictum est, quia, vt dicit Gloss. in d. c. si fœneraueris, non potest deduci in pactum: ratio secundum Arch. ibidem, quia antidotum est debitum simplex, sed cum deducitur in pactum, nascitur obligatio ciuilis, quod est plus, & ideo plus exigitur, quod potest æstimari pecunia, & propterea esset vsura: Addit tamen Gloss. prædicta, quod si egueris talis mutuans, poterit per modum gratitudinis petere talia seruitia, non ex necessitate, vel ex lege, sed ex gratitudine sine vsura. Ego tamen credo, quod quando naturalis obligatio deducitur tali modo in pactum, non magis tenetur, quam ex ipsa naturali obligatione, vt puta dicendo, ego mutuo tibi, vt tu mutues postea mihi, si indiguero, & hoc commode facere poteris quia non fit vsura: Quod etiam tenet Hostien. in summa. quia istud non est exigere plus, quam velit natura contractus. Facit ad hoc c. significasti. de elect. & quæ ibi notat P. norm. secus esset quando simpliciter deduceretur in pactum, vt sibi remutuaret, quia sic esset vsura, & sic intellige, & limita prædicta: & Thom. vbi supra, qui cum Archid. concordat. Hæc Angelus. Ex quibus verbis patet Angelum nihil aliud docere, nisi iure licitum esse mutuanti absque vitio vsuræ deducere in pactum antidoralem obligationem, qua recipiens mutuum tenetur mutuãti simile beneficium pendere, & quod huiusmodi pacto adiecto, non magis mutuatarius teneatur, quam ex ipsa naturali obligatione, contra Archid. oppositum asserentem, quod omnes concedunt, vt patet ex Couar. loco supra citato, & 3. variarum resolutionũ, capitulo secundo, numero quinto. Hæc ratio Angeli, quare huiusmodi contractus non sit vsurarius, est, quam adducit Sotus, scilicet, quod in tali contractu nullum mutuatario datur damnum, sed quia eiusmodi contractu non plus exigitur, quam velit natura contractus, hoc est dictu, non exigitur mutuum a debitore ciuili obligatione, sed tantum naturali, & gratuita, quoniam eo pacto non magis tenetur, quam ex ipsa naturali obligatione.

ARTICVLVS IV.

Vtrum mutuans Agricolæ decem aureos ea lege, vt mutuantis agrum excolat pro iusto pretio, sicut & aliorum agros excolere solet, sit vsurarius.

IN hoc casu comprehenduntur multi casus, nempe de eo, qui dat alteri mutuo decem ea lege, vt veniat ad molendinum ipsius mutuantis: & de Regente, qui mutuat scholastico pecunias, vt adeat lectiones suas: & de eo, qui mutuat Medico, seu Iurisperito, vt iusto pretio curet, vel patrocinetur, & similiter de eo, qui ea lege mutuat, vt mutuatarius emat ex officina mutuantis. Circa quos euentus est duplex modus dicendi. Primus est Adriani quæst. 4. de Vsuris, qui tenet partem negatiuam, dicens, quòd si ex eo quod mutuatarius veniat ad molendinum mutuantis, vel operas suas pro iusto pretio locet, nullum sibi accrescit nocumentum, quia scilicet nec minus, nec plus soluit, quam in alio molendino soluere debebat: nec prætereà operas suas locans minus accipit, quam ab alio esset accepturus, nullum est peccatum vsuræ: nec taliter mutuans ad aliquam tenetur restitutionem: secus esset si mutuatarius in alio grauaretur, vt si multum a molendino mutuantis distaret, & ratione contractus relicto proximiori accedere teneretur ad id, quod longius distat: tunc enim, inquit Adrianus, mutuans adiecto eo pacto restituere teneretur mutuatario, quantum hoc aliud grauamen æstimaretur. Et ratio Adriani est: quia contractus vsurarius esse non potest sine damno illius, qui mutuum accipit, in casibus autem positis certum est, quòd nullum est nocumentum. Siquidem, vt supponimus agricolæ datur iustum pretium pro suo labore, & veniens ad molendinum mutuantis tantumdem in quocumque alio soluere debebat. Hanc eamdem sententiam tenet Maior in quarto dist. decima quinta, quæst. vigesima quinta. Sanctus Anton. 2. par. tit. 1. capitulo septimo §. decimo. Sanctus Bernardinus in suis contractibus. Gregor. Ariminens. relatus a Gabr. in quarto dist. decima quinta, quæst. vndecima, articulo tertio, dubio primo, & ab Angelo verbo Vsura 1. § quinto, & ipse Angelus.

Adrianus. *Maior.* *D. Antonin.* *D. Bernard.* *Gregorius de Ariminen.* *Angelus.*

Alius modus dicendi est in altero extremo, scilicet, quod talis mutuatio sit vsuraria, ita docent Ioannes Andreas in capitulo finali, de Vsur. & in Mercur. super Regula peccatum. Calderinus, in dict. capitulo finali. Ludouicus Rodo. in secunda parte, contractuum suorum, quæstione trigesima octaua. Ioan. de Ana. dict. capitulo finali. Petrus de Pem. tractatu de duobus fratrib. parte quarta, quæstione tertia. Et inter Theologos Caietanus secunda secundæ, quæstione septuagesima octaua, articulo secundo, consentaneæ ad doctrinam Diui Thomæ, & in summa verbo Vsura, capitulo secundo. à casu septimo. Ioannes de Medina de Vsuris, quæstione prima, & capitulo de Vsura restituenda. §. ad rationes autem Diuus Thomas. Sotus sexto de Iustitia, quæstione prima, articulo secundo. Nauar. in Manual. capitulo decimo septimo, numero ducentesimo vigesimo. Conrad. de contract. quæstione trigesima sexta, & multi alij, quos hi Doctores citant. Et ratio horum est, quia licet nihil boni lucretur mutuans præter id, quod sibi iusto pretio debetur ex emptione, aut locatione, imponit tamen mutuatario ciuilem obligationem, priuationemque libertatis eundi ad alterius molendinum, vel vendendi alteri, vel ab alio emendi &c. quam obligationem constat esse pretio æstimabilem, atque ita aliquid vltra sortem exigit.

Ioan. Andr. *Mercur.* *Calderin.* *Ludouicus.* *Io. de Ana.* *Petrus.* *Caietanus.* *Medina.* *Sotus.* *Nauar.* *Conradus.*

Gabriel.

Cæterum circa hos euentus dicendum est cum Gabriele loco supra citato, quod aut mutuans hac intentione obligat rusticum ad colendum agros, vel alium ad veniendum ad suum molendinum, obligationem deducens in pactum, vt teneatur obligatione ciuili ibi colere, & laborare, & sic de alijs, vsura est: quia vltra sortem per mutuum habet lucrum, scilicet obligationem ciuilem mutuatarij ad suam culturam, vel veniendi ad suum molendinum, quæ est pecunia æstimabilis; etiam rusticus propter mutuum supra sortem dat mutuanti libertatem suam, quæ pretio æstimatur, iuxta illud: Non bene pro toto libertas venditur auro. Et licet mutuatarius teneatur ad gratitudinem, & potius ad laborandum mutuanti propter beneficium mutui receptum, quam alteri naturali obligatione, tamen non potest illud deduci in pactum; adeo quod ciuilem inducat obligationem, & hoc dicit etiam Angelus loco supra citato (licet subobscure, & valde breuiter) si verba eius attente perpendantur.

Angelus.

Aut mutuans non obligat mutuatarium expresso pacto, sed relinquit eum suæ libertati, non tamen mutuaret, nisi speraret eum sibi in cultura iusto pretio laboraturum &cet. & tunc non est vsura: tum quia licet sperare ea, ad quæ is, cui mutuatur, naturali obligatione tenetur, vt supra dictum est; tum quia hic non adimitur libertas mutuatario, quia per naturalem obligationem cogi non potest: potest enim se liberare, quando voluerit, reddendo mutuum; & hac distinctione facile concordantur prædictæ contrariæ sententiæ.

Cæterum pro clariori istorum casuum explicatione obseruandum est primo, quod licet communiter Doctores affirment, quando pretium iustum persoluitur pro operibus, ad quæ mutuo quis astringitur, solum debeatur restitutio pro grauamine, eo quod opera iusto pretio compensentur: tamen cum iustum latitudinem habeat, sane si ea via mutuatarius impeditus est accedere ad alios, quibus carius locasset operas suas, aut à quibus vilius emisset, aut qui illi triticum, aut alias viliori pretio molerent, huiusmodi circunstantiæ, & aliæ similes quantitatem augent grauaminis; atque adeo obligationem plus restituendi inducunt. Quod si etiam in pretio esset iniustitia, vt quia mutuatarius vilius inhibito cogeretur locare operas suas, aut carius pretio iusto emere merces, aut molere triticum, aut oleas, id quoque esset restituendum, vt perspicuum est.

Obseruandum est tamen secundo in eiusmodi restitutionibus iniungendis, non esse attendendum ad emolumentum, quod mutuanti ex hisce contractibus euenit, sed ad damnum, quod mutuatarijs inde sequitur, & ad quantitatem grauaminis, quod vi mutui eis imponitur: nam obligatio restituendi non consurgit ex lucro mutuantis ex parte, qua lucrum illius est, sed ex damno mutuatario iniuste illato. Ex quo fit, quòd Regens mutuans scholasticis cum pacto, vt gymnasium frequentent, licet mutuanti multum ex scholasticorum frequentia emolumenti proueniat quo ad famam, & opes; quia & maiores habet causas præ manibus, & ampliatur sibi salarium cum modico scholasticorum detrimento, tamen non plus restituere mutuatariis tenetur, quam detrimentum, & grauamen, quod ratione mutui illos subire astrinxit; quia in illo solo iniustitiam aduersus illos commisit: si enim subtiliter consideretur, Doctor mutuans hoc modo non efficitur ex mutuo simpliciter famosus, sed ex sua doctrina; Et hoc intelligit Angelus, cum dicit, si alias ita bene satisfacit eis talis Doctor. Posset tamen peccare propter famam, quam indebite appetit; maxime si hoc in præiudicium alterius Doctoris redundat, secundum Salycet. in Auth. ad hæc. C. de Vsuris, quæstione decima tertia, in fine; sed quod sit vsura dicit, se hoc percipere non posse. Quare audiendi non sunt Panorm. in c. finali de Vsuris, & Calder. affirmantes hunc restituere teneri pauperibus, quicquid emolumenti inde percepit.

Salycetus. *Panorm.* *Calderinus.*

Tertio obseruandum est, quod quando Medicus, & Aduocatus sub reatu lethalis culpæ ex charitate tenentur mederi, aut patrocinari, vsura non est, si quis eis mutuat hac conditione, vt pro iusta mercede id efficiant, quod sub peccati reatu facere tenentur, sed non gratis; quoniam quamuis illi ex sola charitate facere teneantur, & non ex iustitia, tamen eiusmodi pacto solum ad id obligantur, ad quod absolute, ac simpliciter ipsi alioquin tenentur, & non secundum quid dumtaxat, prout tenentur qui ex gratitudine, ac sola morali honestate sunt astricti; & confirmatur, quoniam publicæ potestates ad id possunt illos cogere, etiò ex iustitia non teneantur id efficere. Si quis tamen eos astringeret ad curandum, aut patrocinandum gratis retinuere illis teneretur, & pretium iustum pro operibus illis, & insuper aliquid pro grauamine ad id illos astrictos habendi.

Quod si illos solum astrinxisset ad curandum, vel patrocinandum pretio iusto, quando illi sub reatu peccati ad id non tenerentur, solum teneretur restituere quantum (spectatis circumstantijs concurrentibus) æstimaretur grauamen illud. Quando autem re ipsa nullum esset grauamen, quia illi libenter suam operam pro illo pretio impendissent, tunc ad nullam restitutionem tenerentur. Idem intelligas in singulis, ac consimilibus euentibus in initio articuli propositis.

Quarto obseruandum est, circa mutuum cum pacto, vt mutuatarius teneatur metere segetes mutuantis pretio iusto, aut colere agros illius, vel quidpiam aliud facere, id effici posse sine aliqua labe vsuræ, vel alterius iniustitiæ, si (vt notauit Gab. loco supracitato) dominus possessionis conueniat cum rustico de pretio iusto, & pretium, vel partem eius sibi daret, anticipata solutione, & per hoc eum obligaret ad seruiendum, in hoc nulla est species vsuræ, quia nullum mutuum, sed solum celebratus contractus locationis, ac conductionis: quicquid dicat Sotus. 6. de Iust. q. 1. art. 2., vel posset dominus statuere terminum solutionis ipsum tempus laboris, vt tunc solueret mutuum pecunia, vel labore. Idem dicendum est de eo, qui mutuaret alijs, & constitueret terminum solutionis, dum cessant intrare apothecam, molendinum, aut scholas: quia quilibet mutuans potest statuere terminum solutionis, quem voluerit, l. vinum. ff. si cert. pet. quia ex hoc non aufert eis libertatem, si mutuat, donec vadant ad eius apothecam, molendinum, aut scholas. Hæc Gab. & Angelus vbi supra.

Gabriel. Angelus.

Circa hoc tamen obseruandum est postremo, quod si animus dantis mutuo ad terminum non sit accipere illud tamquam pretium mutui, sed solum non velle perseuerare in beneficio mutui cum eo, qui rependere non vellet illud aliud beneficium, id est, eundo ad suas scholas, vel ad suum molendinum, eo quod ingratus eo ipso esset, cum quo ipse beneficio mutui vteretur, nulla est vsura ex parte mutuantis, Theologicè, seu Metaphysicè loquendo; verum moraliter cum periculosa videatur eiusmodi appositio limitationis, quippe qua intendi videtur ex mutuo grauamen illud, ac commodum, ideo, vt optime dicit Caiet. 2. 2. quæst. 78. art. 2. dissuadenda est. Quod si mutuans intelligat mutuatarium, non ex gratitudine, atque liberalitate continuare gymnasium, aut molendinum, sed tanquam onus, & pretium ob mutuum, tunc vsura est, illud in mutui accipere, sicut vsura est accipere a mutuatario quidpiam aliud pretio æstimabile vi mutui. Quòd si bona fide mutuans accepisset illum in suo gymnasio, aut molendino, putans grato, & liberali animo id facere, tunc esto postea constaret de liberali animo illius, ad nullam restitutionem teneretur ille mutuans: quia non ad restitutionem pretij, quod iustè pro tritu molendo accepisset, neque ad restitutionem grauaminis, quandoque neque ex parte iniustæ acceptionis, neque ex parte retentionis, quæ apud ipsum non perseueraret, ad id teneretur.

Caietanus.

ARTICVLVS V.

Vtrum pactum, vt mutuatarius si tempore præfixo non soluerit, certam soluat pœnam, vsurarium sit.

DOctor noster sub lit. O. 6. vel ratione pœnæ conuentionalis, dicit, quod licet accipere aliquid vltra sortem, dū tamen non fiat in fraudem vsurarum, verbi gratia. Ego indigeo pecunia mea ad mercandum, concedo tamen tibi ad certum diem adijciens pœnam conditionalem, quod nisi tali die soluas, quia multum damnificabor, solues postea tantum vltra. Hæc pœna adiecta licita est, quia licet me seruare indemnem, sic præmonendo illum, cum quo contraho. Signum autem quando non est in fraudem vsurarum, manifestum est illud, quando mercator magis vellet pecuniā sibi solui die præfixo, quam in crastinum cum pœna adiecta sibi, & per oppositum est in fraudem quando vult diem transferri potius, quam pecuniam ipso die solui. Hæc Scotus.

Pœna est triplex.

Pro cuius sententiæ explicatione obseruandum est primo, quod triplex est pœna quantum ad propositum spectat, quędam dicitur conditionalis, seu conuentionalis, & est illa, quæ de consensu partium imponitur debitori in contractu, vt promissa firmiora consistant, exemplum: mutuo tibi centum, vt restituas mihi in fine anni, quod si non feceris, dabis vltra centum, vnum, vel duo, id quod datur vltra centum, appellatur pęna, & dicitur conuentionalis, quia pacto, & conuentione de partium consensu ponitur. Alia est pœna iudicialis, & est illa, quam iudex imponit si intra certum tempus aliquid non fiat, aut non soluatur, exemplum. Si in contractu mutuaui tibi centum, vt restituas mihi hinc ad annum; tu non restituisti, cito te ad Iudicem, tuque debitum recognoscis, atque adeo Iudex tibi mandat, vt mihi restituas in tali termino sub pœna vnius floreni, ille florenus dicitur pęna iudicialis, quia a Iudice imposita est. Tertia est pęna legalis, & est quæ lege, & statuto imponitur, siue lex illa sit Ciuilis, siue Canonica, seu municipalis. Exemplum. Si in aliqua Ciuitate sit statutum, quod tutor de pecunijs pupilli quæ peruenerunt ad manus eius, teneatur emere possessionem, vel respondere pupillo ad rationē quinque pro centenario. Si tutor exponit pecuniam in suis vtilitatibus, tunc cogitur soluere illa quinque, atque illa quinque sunt pœna legalis municipalis. Aliud exemplum. Est statutum in aliqua Ciuitate, quod si debitor non soluit in termino suo creditori, debeat creditor mitti in possessionem, & lucrari fructus ad rationem quinque pro centum, & tunc deficiente debitore in termino præfixo, si creditor missus in possessionem accipiat quinque de centum, illa quinque vocantur pœna legalis, vtpote lege statuta.

Secundo obseruandum est, quod pęna conuentionalis licite apponitur contractui, seruatis tribus conditionibus. Prima, quod huiusmodi conditio non apponatur in fraudē vsurarum, ita videlicet, vt propter illam, tamquam propter lucrum, quod ex mutuo speratur, mutuum detur, sed imponatur, vel quia interest mutuanti, vt in termino præfixo mutuum soluatur, vel quia in eo termino habere vult, quod sibi debetur, siue intersit illud tunc habere, siue non: eo enim ipso quod mutuatarius contra mutuantis voluntatem id vltra terminum præfixum detinet, iniuriam illi facit, inciditque in culpam, ac proinde statui potest de illius consensu pœna moderata, quam ob eam culpam soluat: cognoscitur autem an eiusmodi conditio apposita fuerit in vsuræ fraudem, si teste conscientia creditoris mallet in termino præfixo principale solui sine pęna, quam cum pęna, termino præfixo elapso, conditio non erit apposita in fraudem vsurarum. Per oppositum autem, est in vsurarum fraudem, quando vult potius diem transire, quam pecuniam ipso die solui, vt pęna leuare possit post terminum. Nam quidam nolentes mutuare sine lucro, & non audentes exigere manifeste vsuram, pœnam apponunt in contractibus, vt debitores faciliter incidant in illas, & exigant eas; atque ita reportent ex mutuo lucrum, atque adeo interdum tam duram, & cautelam addunt contractui conditionem, vt quasi necesse sit debitori in pœnam incidere: nam hinc arguitur non ad timorem impositam esse, sed ad auaritiam.

Pęna conuentionalis licite apponitur seruatis tribus conditionibus.

Secunda conditio est, quod apponendo talem pœnam, non sit periculum infamationis mutuatoris, vel scandalum, scilicet, quod verisimiliter præsumatur fieri in fraudem vsurarum, quod tunc esset, quando apponens pęnam consueuit esse vsurarius, vel contractus vsurarios facere: nam ex præteritis arguuntur præsentia, & futura. extra de præsumptionibus cap. de studijs, vel si obligatio fieret ad pœnam incurrendam per singulos menses, vel annos: quia tunc obligatio indicare videtur, quod potius mallet sua sorte carere cum pœna quam rehabere sine pœna. Hæc tamen conditio non tantum ad euitandum vsuræ, vel iniustitiæ peccatum spectat, quantum ad declinandum contra proximorum charitatem scandali peccatum.

Tertia conditio est, quod mutuatio sit consilij, & non præcepti, & hoc non tantum pro tempore præcedenti terminum præfixum, sed etiam pro tempore sequenti, in quo mutuatarius detinet vltra terminum præfixum, id est, quod mutuans non teneatur expectare vltra terminum præfixum debito præcepti. Esto enim, quod accideret casus in mutuatario, quod mutuans debito præcepti teneretur ei mutuare, non potest tunc licite aliquid vltra sortem accipere, & ratio est, quia bene sequitur Petrus creditor in tali termino tenetur expectare debito præcepti, immo si non mutuasset, teneretur tunc mutuare. ergo licet mutuatario licite non soluere, & vltra est sibi

licitum

licitum tunc non soluere, ergo non debet puniri, atque adeo nihil ab eo exigendum est in ratione pœnæ. Posset addi & quarta conditio, scilicet, quod talis pœna sit moderata: quia si secus tunc mutuator mallet mutuatarium deficere in termino, atque ita habere pœnam, quod est contra primam conditionem, aut saltem præsumeretur malle illud in fraudem vsurarum, quod esset contra secundam conditionem.

Pœna iudicialis vt iuste apponatur seruari debent quatuor conditiones.

Tertio obseruandum est, quod ad hoc vt pœna iudicialis licite apponatur seruari debent quatuor conditiones. Prima, quod Iudex potius velit mutuatarium soluere in termino præfixo, quam non soluere, vt sic lucretur pœnam: nam tunc ex cupiditate esset imposita, & non zelo iustitiæ. Vnde tutum esset Iudici volenti abstinere ab omni specie mala, & ne sibi mentiatur iniquitas, quod pœnam incurrendam non sibi applicaret, sed alteri, vt potè ad pias causas, & sic consulitur Iudicibus ecclesiasticis in cap. 1. de homic. & in cap. licet. de pœnis. Secunda, quod pœna iudicialis sit moderata, scilicet tam magna, quod sufficiat ad incutiendū timorem mutuatario, vt soluat, & non maior, nec minor, quia si maior, tunc videretur iudex ex cupiditate imposuisse, & non amore iustitiæ, si autem minor, insufficiens esset, ad inducendum mutuatarium ad solutionem, & per consequens vana, & inutilis, & negligentis Iudicis signum. Tertia, quod imponens pœnam sit alius a mutuatore, alias idē esset mutuator, & Iudex in causa propria. Quarta, quod mutuatio pro tempore termini, & ante, & post fuerit consilij, & non præcepti, alias non erit dignus puniri a Iudice, cuius officium est tantum reos punire, & innoxios absoluere. Verum si tempore solutionis mutuatio esset sub præcepto, non peccasset mutuatarius in non soluendo in termino sibi præfixo. Et hoc est, quod communiter dicitur, quod necesse est interuenire culpam ex parte mutuatarij ad hoc, ꝙ pœna siue conuentionalis, siue iudicialis iuste soluatur, si enim absque vlla sua culpa in termino pręfixo non soluit, vel quia non potuit, vel alia iusta de causa, tunc nihil potest licite accipi ab eo in pœnam, eo quod pęna culpam supponat, & prærequirat. Quod tamen limita (quicquid alij dicant) nisi mutuatarius sua culpa impotentem se reddidit ad soluēdum in termino præfixo, vel delapidando bona, vel aliqua alia ratione, quam vitare poterat, attendereque debebat ea se reddi impotentem ad soluendum: nam si sua culpa in hāc inciderit impotentiam, vere esset in culpa, quod in termino non soluat, ac proinde subiaceret pęnæ.

Pœna legalis vt licite imponatur seruāda sūt quatuor cōditiones.

Quarto obseruandum est, quod ad hoc, quod pœna legalis licite imponatur, obseruandæ sunt quatuor conditiones. Prima, quod legislator mallet, quod tutor exponeret pecuniam pupilli in possessionibus, vel licitis negotiationibus, quam in proprium commodum, dando pupillo quinque pro centum, cuius ratio est, quia semper legislator debet potius velle obseruantiam legis, quam pœnam incurrendam: nam pœna non appetitur nisi propter obseruantiam legis, igitur obseruantiam legis debet magis appetere. Secunda, quod etiam pupillus debet illud magis velle, alias vellet habere lucrum de mutuatione sua. Tertia, quod mutuatio non fuerit præcepti, quia tunc non posset obligari, vt dictum est supra. Quarta, quod sit moderata, alias esset iniqua ex parte legislatoris: quia debet imponere pœnas proportionatas delicto, & ex parte etiam pupilli: quia reciperet maiorem pœnam, quam fuisset interesse perpessum. His obseruatis.

Dico primo, quod licet mutuanti ratione pœnæ conuentionalis aliquid vltra sortem accipere, probatur, quia si non liceret, hoc maximè esset, quia talis contractus esset vsurarius; sed hoc non, ergo &c. Minor probatur, quia quod accipitur vltra sortem, non est ex ui mutui, quia non mutuauit spe principali, vt caperet aliquid vltra, non enim obligat mutuatarium ad dandum aliquid vltra sortem ratione mutui, immo ipse mallet habere sortem in termino, vt dicit prima conditio. Secundo probatur: nam ex quo mutuator non tenebatur carere sorte in termino præfixo, poterat iustè velle eam rehabere. ergo si alius vellet retinere vltra terminum sibi concessum, iniuste retinere vellet, & per consequens dignus esset pœna, atque adeo mutuator iuste potuit illum ad pœnam obligare, ipsius mutuatarij accedente consensu: nam licet contrahentes publicæ potestates non sint, quæ auctoritate publica iustas pœnas, perinde atque legislatores, ac iudices constituere possint, quia tamen res de se æqua est, & vtilis, iuris dispositione est illis concessum, vt contractibus possint de communi consensu eas statuere, atque ad illas se obligare, vt constat ex l. magnum. C. de contrah. & commit. stipu. l. traiectitiæ. ff. de action. & oblig. l. si pacta. C. de pactis, atque alijs iuribus.

Dico secundo, quod mutuatarius licite potest obligari ad pœnam iudicialem, si deficiat in termino sibi præfixo: quia seruatis conditionibus requisitis nulla apparet iniquitas.

Dico tertio, quod mutuatarius licite obligari potest ad pœnam legalem; patet, quia ibi nulla potest notari malitia ex parte legislatoris, vt patet ex prima conditione, patet etiam ex parte finis, quia consulitur pupillorum indemnitati: nam cogit tutores esse fideles pupillis, alias male tractarentur, vt frequenter fit, hic autem finis est bonus. Secundo, nulla etiam potest notari malitia in pupillo, vt patet ex secunda conditione, qua stante, posset etiam pupillus conuentionalem pœnam recipere a mutuatario, de qua dictum est supra in prima Conclusione. Tertio, etiam tutor non potest conqueri de iniuria aliqua sibi facta, quia non fuit coactus ad vtendum pecunijs pupilli in proprios vsus: immo debebat eas exercere ad vtilitatem pupilli; vnde secus faciendo, esto quod nihil sit lucratus, tenetur tamen pupillo ad quinque pro centum, & imputet sibi, nam si ad vsum pupilli eius pecunias posuisset, tunc siue inde lucratus esset pupillus, siue non; siue etiam damnum sustinuisset, illud totum pertinuisset ad pupillum, & non ad tutorem. Nec obstat, quod illa pœna applicetur pupillo, quia etiam conuentionalis pœna potest accipi a mutuatore, vt ostensum est, & hoc siue mutuator passus fuerit, siue non.

Pœna conuētionalis in quo differat a iudiciali, & legali pœnas.

Obseruandum est tamen, quod cum pœna conuentionalis ex contractu debeatur, in hoc differt a iudiciali, atque legali pœna, quod legalis, & iudicialis regulariter non debentur ante latam sententiam, conuentionalis verò, spectata sola rei natura, debetur, nulla expectata sententia, ita quod licet, qui pœnam incurrit conuentionalem, non teneatur illam offerre, sed tuta conscientia potest eam non soluere, si non petatur, tamen si petatur ab eo, cui debetur, tenetur in foro conscientiæ eam illi soluere absque vlla contradictione, nullaque expectata iudicis sententia, ita docet Couar. in epit. p. 2. cap. 6. §. 8. numero 12. & Nauar. in Man. cap. 23. numero 67 & multi alij, quos citant, idque habet consuetudo. Is verò, cui debetur, tuta conscientia potest illum exigere, & accipere, vt communis sententia affirmat.

Couar. Nauar.

Secundo obserua, quod si debitor partem debiti soluit, non potest exigi ab eo tota pœna, sed pars iuxta proportionem partis, quæ remanet soluenda, nisi obligatio esset indiuidua, nam tunc tota pœna deberetur, verbi gratia. Si quis sub certa pęna promisit dare aliquid totum, nec tamen reddidit nisi partem, tunc si obligatio erat diuidua, quam Iurisperiti vocant, vt si promisit se daturum duas vestes confectas tali die, quarum quæuis sine alio instituto inseruit, nec reddidit nisi vnam, tenetur soluere partem pœnę dumtaxat, iuxta proportionem eius, quod dedit, ad rem totam quam promisit, hoc est dimidium pœnæ in exemplo proposito. Si vero obligatio erat indiuidua, vt si promisit dare vnam vestem confectam, & partem confecit, sed vestem non absoluit, tenetur soluere integram pęnam, ita Panor. c. suam num. 5. Angel. verb. pœna. §. 14. & Syluest. ibidem. q. 19. Ea vero traditur regula ad cognoscendum quando obligatio diuidua sit, & quando indiuidua, vt si solutio partis afferat commoditatem comparatione partis, sicut solutio totius comparatione totius, obligatio sit diuidua, si verò cōmoditatem non afferat, sit indiuidua. Ita in proposito, si mutuatarius obligauit se ad reddendum centum, quæ mutuo accepit ad talem diem sub pęna ducentum floren. si in termino præfixo reddidit tantum quinquaginta, non tenetur ad totalem pœnam, sed ad dimidiam, nisi secus aliter conuentum fuerit, quando creditor primo obligauit debitorem ad pœnam, vel nisi secus in mandato iudicis ex iusta causa fuerit expressum, vel nisi lex contrarium ordinauerit, vel nisi mutuator passus esset tantum interesse, cui non posset satisfieri nisi totam pęnam exigendo, tunc enim totam pęnam etiam licite reciperet.

Panor. Angelus. Syluest.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ei, qui mutuum dat, sit licitum accipere vltra sortem ratione damni emergentis, & lucri cessantis.

Scotus. DOctor in hac quæstione sub litt. G. §. secundum est, dicit, quòd debitor ex cuius non solutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de iustitia satisfacere creditori de interesse; & licet ille creditor non posset habere contra eũ actionem in foro exteriori, vtpotè quia non fuut pacta, vel iuramenta; tamen in foro conscientiæ debitor tenetur vltra sortem ad interesse. Et loquitur Doctor secundum Almay. tam de damno emergente, quam de lucro cessante. Quapropter circa hanc difficultatem duo examinanda sunt; primo an ratione damni emergentis, liceat aliquid vltra sortem accipere; Secundò an hoc idem liceat ratione lucri cessantis.

Almayn. Damnũ bifariam sumitur. Circa primum placet breuiter terminos exponere. Almayn. in 4. distinct. 15. quæst. 2. dicit, quod damnum capitur dupliciter; vno modo pro amissione alicuius boni temporalis; altero modo pro cessatione ab aliquo lucro temporali; primum appellatur damnum emergens; secundum dicitur lucrum cessans. Exemplum primi: Petrus debebat Francisco scuta centum, quæ habebat in promptu soluenda, venit Ioannes, vt illa centum à Petro mutuo accipiat; Franciscus interim repetit, & exigit à Petro sua centum scuta; Petrus autem non potest ea soluere, nisi vendat res suas minoris, quam valeant; quia non inuenit, qui eas iusto pretio emat; compellitur vendere, vel alia centum sub vsuris accipere; & ex hoc multum damnificatur, quod damnum non incurrisset, si Ioanni non mutuasset; hoc damnum appellatur damnum emergens. Exemplum secundi: Petrus est mercator, & ex pecunijs lucratus fuisset decem, vel viginti, sed quia pecuniam mutuauit Ioanni, non lucratur; propter quod incurrit damnum, & hoc damnum appellatur lucrum cessans.

Medina. Medina Cod. de rest. q. 41. dicit, quod damnum emergens est, quando quis ratione mutui amittit aliquod bonum habitum; lucrum vero cessans, quãdo eiusdem mutui causa impeditur ab aliquo bono consequendo, quod non habeat. *Caiet.* Caiet. vero 2. 2. quæst. 78. artic. 2. ad primum, amissionem boni habiti, vel habendi computat in ratione damni emergentis; Vnde secundum eum lucrum cessans est id, quod quis erat *Petrus Nauar.* habiturus lucrando. Ceterum Petrus a Nauar. de rest. lib. 3. cap. 2. numero 284. hos præclarissimos viros concordans dicit, quod si bonum habendum erat certum, vt hæreditas futura, debitum soluendum est, proculdubio, vt Caiet. & Almayn. docent, pertinet ad damnum emergens; cum re vera sit amissio eius, quod habebitur, siue in re, siue in iure, & actione certa ad rem; si verò non erat certum, sed impedibile, solum pertinet ad lucrum cessans; atque ita intelligendus est Medina loco citato. Communiter tamen, quid sit damnum emergens, ita explicatur; Damnum emergens dicitur, quando mutuator, ex eo quod mutuo dat, incurrit in rebus suis iam habitis, & possessis, vel certè possidendis ia- *Quid sint damnũ emergens & lucrũ cessans.* cturam, & detrimentum. Lucrum autem cessans dicitur, non quidem iacturam in rebus habitis, & possessis, sed in interesse futuro, quod sperabatur lucrari. Exemplum primi: Si quis pecunias habeat ad reficiendas domos, & quia mutuo illas dat, passurus est ruinam, aut detrimentum aliud domorum; iactura hæc domorum emergens damnum in in bonis ipsius nuncupatur.

Item si pecunias habeat ad triticum messis tempore in familiæ sustentationem emendum; & quia illas mutuo dat, empturus est illud postea multo maiori pretio, incrementum illud, quod postea de bonis suis insumet, damnum ex mutuo emergens appellatur. Exemplum secundi: Si quis pecunias habeat ad eas negociandum; & quia dat illas mutuo, impeditur ab acquirendo incremento, quod ea negociatione sperabat, neque aliunde sua industria id compensat; eiusmodi incrementum dicitur lucrum cessans, quia non est iactura in bonis acquisitis, sed lucri, quod sperabat, & à quo ratione mutui destitit.

Obseruandum est tamen neque damnum, neque lucri cessatio dici potest, nisi ex mutuo proueniant; ita vt nisi mutuum esset, damnum nõ esset, nec lucrum cessasset, quantum ad propositum spectat.

Explicata significatione nominis damni emergentis, & lucri cessantis, quæritur primo, an ratione damni ex mutuo emergentis possit paciscit de interesse, atque exigi aliquid vltra sortem. Solutio huius dubitationis facilis est, eo quod omnes, quos legerim, fatentur, quod non solum si vi, aut fraude, immo etiam si precibus adductus in tale detrimentum mutuatarius coniecerit mutuantem, licitũ erit mutuatori tantum recipere vltra sortem, quantum est illud damnum, quod ratione mutui patitur, dummodo tempore mutui mutuatario hoc insinuaoerit. Ita docet D. Thom. *D. Thomas.* 2. 2. q. 78. art. 2. ad primum. Doc. Sub. hic. Richar. in 4. d. 15. *Scotus.* art. 5. q. 5. Gabr. in 4. d. 15. quæst. 15. not. 2. Anton p. 2. tit. 1. cap. *Richar.* 7. §. 9. Conrad. de contract. q. 30. Caiet. 2. 2. q. 78. art. 2. ad pri- *Gabriel.* mum. Et ibidem Bannes, & Arag. Sotus. 6. de iust. q. 1. ar. 3. *D. Anton.* Nauar. in Manu. c. 17 nu. 212. & Ianus in Comm. de vsuris, *Conradus.* num. 42 Bar. Med. lib. 1. summæ. cap. 17. §. 24. Angles in suis *Caietanus.* florib. in 4. sent. quæst. de contract. mutui. difficul. 3. & 4. Lu- *Bannes.* doui. Molin. de contract. disput. 314. num. 3. Phyliar. libro 5. *Aragona.* de offic. facerd. c. 5. & fere omnes alij. Et ratio huius senten- *Sotus.* tiæ plana est: quia ordinata charitas a se ipso incipere debet, *Nauar.* & nemo cum proprio damno, sed salua sua indemnitate al- *Barthe. Medina.* teri satisfacere tenetur. Quapropter quicunque alteri damni *Angles. Molina. Phyliarc.* causam dat efficacem, qui ad sufferendum damnum pro eo haud erat obligatus, tenetur releuare eum a damno, cuius causam dedit, nisi alter gratuitè illi damnum remittat, in casi culpa, de iniurijs, & damno datu. Sed talis mutuans non tenetur pro mutuatario sufferre damnum, aliàs non liceret ei pro interesse accipere vltra sortem, vt dicit Conrad. ergo qui dat talem causam efficacem damni, tenetur releuare mutuantem a tali damno: iustitia enim non postulat, vt ex beneficio mutui aliquis damnum incurrat.

Præterea fideiussor potest damna petere, quæ ex fideiussione incurrit, vt aperte determinatur in capitulo secundo, & 3. de fideiussor. atque ita adnorant Doctores. & tamen fideiubere secundum veriorem sententiam in effectu est mutuare. Adde, quod in venditione, cum quis damnum incurrit, potest rem pluris vendere, quia plus valet vendenti, vt diximus supra. Ita licet pecunia non plus valeat in se, tamen plus valet mutuanti, vt patet. Dixi, dummodo insinuat &c. quia fortassis si mutuatarius scite tale damnum esse resarciendum, pecuniam ab alio quæreret. Hinc sequitur, quod tenebitur mutuatarius soluere expensas, omniaque damna creditori ratione mutui illata, vt si corruit domus, vel si alia id genus infortunia eidem acciderit, poteritque creditor exigere totum damnum, quia non amittit, quod erat habiturus, sed quod actu habebat; quamobrem poterit recompensationem bonorum, quæ ratione mutui amittit, exigere. Et esto, quod mutuator non adiecerit pactum de damno emergente, atque ita non possit contra mutuatarium in foro exteriori habere actionem; tamen in foro conscientiæ (inquit Doctor) tenetur debitor vltra sortem ad interesse.

Sed maior difficultas est, an ratione lucri cessantis liceat vltra sortem aliquid accipere: sunt enim qui censeant non esse licitum pro interesse lucri cessantis aliquid exigere, nisi cum mutuatarius est in mora. Vnde vt quæ in hac difficultate certa sunt ab incertis separemus. Dico primò, quando quis mutuo dat inuitus, exigere licite potest interesse lucri ea de causa sibi cessantis ante terminum solutionis destinatum, atque de eo pacisci; immo si ad tale mutuum cogatur, esto nullum interuenit pactum, tenetur cogens integrum illud lucrum ei soluere: nam qui eo pacto mutuum dat inuitus, re vera damnum patitur iniuste talis lucri, atque adeo non solum licitè potest de eo pacisci, sed etiam is, qui iniustè illius est causa, tenetur id illi restituere esto deductum non fuerit in pactum, idque non secus atque is, qui a mercatore furatur pecuniam, quam mercator paratam habebat ad negociandum, non solum restituere illi tenetur pecuniam ipsam, sed etiam lucrum, quo furto pecuniæ iniustè eum priuauit. Posset autem quis cogi ad mutuandum, si quis mortem, aut graue aliud malum mercatori, qui pecuniam ad negociandum habebat paratam, minetur, nisi eam mutuo det, aut si Vassallus ideo Regi, aut alteri domino temporali mutuum det, quia merito timet fore ab eo vexandum, aut graues molestias ab eo passurum, nisi mutuo illi det. Consentit Diuus Thomas. 2. 2. q. 62. art. *D. Thomas.* 4. in corpore, & ad primum, & Sotus. 6. de iust. q. 1. art. 3. *Sotus.* conclus. 3.

Dico

Dico secundo certum esse eum qui sua sponte mutuũ ad certum terminum, aut diem dat, licite posse pacisci de lucro cessante, si quod ei ex eo cessat, quod mutuatarius in termino præfixo mutuum non soluat. Hæc conclusio patet in c. cõquestus. de vsuris, & ex celebri Glossa ibi, & in ea consentiunt D. Thom. q. 13. de malo. art. 4. ad 14. & 2. 2 q. 62. art. 4. ad secundum. Angelus verbo, Vsura. 1. num. 19. & 20. Adrianus de restit. q. seu potius cap. quia tactum est de interesse. Gab. d. 15. q. 17. art. 1. not. 2. Almayn. loco supra citato. Ioan. Medina de rebus per vsuram acquisitis. q. 3. & vlt. Sotus art. 3. citato, & ferè omnes alij.

D. Thom. Angelus. Antonius. Gabriel Almaym. Medina. Sotus.

Quod autem Doctores in hac materia controuertunt est, vtrum qui a nemine cogitur, sed sponte sua mutuo dat alicui ad preces illius, licitè possit cum eo pacisci de lucro, quod ea de causa sibi cessat intra terminum, ad quem exigitur, & conceditur, & antequam mutuatarius in mora sit illud soluendi. Vt si quis destinatam habet certam pecuniæ copiam ad negociandum hoc anno, ex qua sperat lucrum centum aureorum, & alius mutuo illam ab eo petat soluendam post annum, vtrum mutuans pacisci tunc possit, vt mutuatarius vltra sortem ei reddat quantum lucrum illud æstimabitur, dum adhuc est in spe.

De qua re duplex est sententia; nam aliqui censent non esse licitum; ita communiter docent Iurisperiti, & in specie Io. Andr. in c. nauiganti, de vsuris. Ant. in c. salubriter. eodem titul. Innoc. in d. capit. nauig. Et eamdem sententiam secutus Sotus libro sexto, de iust. quæst. 1. articulo tertio, & videtur fuisse sententiam D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad primum per hæc verba. Recompensationem damni, quod considera tur per hoc, quod pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non potest vendere id, quod nondum habet, & potest impediri multipliciter ab habendo. Hæc D. Thom. Et videtur etiam sententia Iurisconsulti in lege. cum quidam. ff. de vsuris. His verbis: Vsuræ non propter lucrum, sed propter moram non soluentium infligantur. Fundamenta potiora huius sententiæ sunt hæc; Primum est id, quod adduxit D. Thom. nempe, quòd id vendi non potest, quod nondum habetur, & quod potest multipliciter impediri, tale autem est lucrum cessans. Secũdum est Soti: quoniam cessare lucrum non est aliud, quam mutuantem a lucro adhiberi: quando autem quis sua sponte dat mutuum, dici non potest cohiberi a lucro, ergo nihil poterit accipere pro lucro, quod propriè, & vere ei non cessat. Tertium fundamentũ: quoniam, inquit Sotus, ex contraria sententia ostium magnum vsuris aperitur: quisquis enim facile fingit lucrum sibi cessare ex mutuo, eoque veluti pallio aliquid vltra sortem accipiet. Et hoc fundamentum promouit Innoc. vt eam amplecteretur sententiam.

Ioan. Andr. Antonius. Innocentius Sotus. D. Thom. Iurisconf.

Alteram sententiam omnino oppositam tenent communiter Doct. noster Sub. hic. Maior. in 4. d. 15. q. 30. Gabr. ibidem. q. 11. art. 1 not. 2. Conrad. de contract. q. 30. Almayn. loco supra citato. Caiet. 2. 2. q. 78. art. 1. ad primum. Adrian. de restit. Angelus verbo, Vsura. 1. nu 15. Syluest. ibidem. qu. 19. Nauar. in Manu. c. 17. num. 211. & in Cõm. de vsuris a num. 47. Couar. 3. var. resol. c. 4. num. 5. Panorm. & alij, quos Couar. & alij citant. Turrecremata in c. si res. 14. q. 6. Angles vbi supra conclus. 3. Bannes, & Arag. de iust. q. 78. art. 2. Ludou. Molina de contract. disp. 315. Phylar. de off. Sacerd. p. 2. lib. 5. c. 5. & Toletus lib. 5. instruct. Sacerd. c. 33. Quæ sententia, quia communior, & verior, nobis procul dubio amplectenda est. Pro cuius sententiæ explicatione obseruandum est primo, quod lucrum in spe duplex est, quoddam in potentia propinqua, quia videlicet pecunia, aut aliud, quod mutuo datur destinatum erat negociationi, & ob mutuum impeditur negociatio, neque aliunde compensatur, quod ea negociatione sperabatur. Aliud vero in potentia remota, quando scilicet pecunia, aut aliud, quod mutuo datur non erat destinatum negociationi, poterat tamen destinari: & tunc si mutuo esset datum, ex tali mutuo eueniret, vt lucrum, quod prouenire ex tali negociatione poterat, impediretur.

Scotus. Maior. Gabriel. Conradus. Almayn. Caietanus. Adrianus. Angelus. Syluester. Nauar. Couar. Turrecrem. Angles. Bannes. Aragona. Molina. Phyliarc. Toletus. Lucrũ in spe duplex.

Secundo obseruandum est, vt optimè adnotauit Medina de rebus per vsuram acquisitis. q. 3. & vlt. quòd duob. modis lucrum cessans potest in pactũ deduci, priori modo ita, vt quemadmodum lucrum est incertum quantum sit futurum, ita pretium incertum sit, ac dependens ab eo, quod rei probabili euentus in alia re simili deductis expensis, & alijs, si quæ deducenda sint; Vt si quis habeat mille aureos negociationi destinatos, & ex eis det quingentos mutuo cum pacto, vt quantum alijs quingentis fuerit lucratus, tantum illi mutuatarius tribuat, ratione lucri cessantis deductis expensis, si quas maiores erat facturus negociando cum mille aureis, quam cum solis quingẽtis, & detrahendo aliquid ratione periculi capitalis, si alicui periculo negociationi expositũ subiacebat, aut deducendo in pactum, quod si nihil fuerit lucratus alijs quingẽtis aureis, & si de illis aliquid amiserit, nihil lucri restituat, & insuper sibi de quingentis aureis tantũdem retineat, quantum de alijs amiserat. Vel si mille aureos integros mutuo illi det cum pacto, vt quanto compertũ fuerit, quemdam alium in simili negociatione cum mille alijs esse lucratum, tantum deductis expensis restituat, aut retineat de capitali, si de capitali aliquid ille alius amiserit. Contractus hic licitus est, quoniam seruatur æqualitas, & quanta incertitudo est in lucro cessante, tanta est in pretio: eumque probat Angelus verbo, Vsura. 1. num. 17. & Gabr. loco supra citato. art. 3. dub. 2. Posteriori modo lucrum cessans deduci potest in pactum, vt tantum pro illo restituatur, quantum æstimatur modo, dum adhuc est in spe, siue rei euentus postea in re simili probet, quod plus, aut minus, vel nihil mutuans esset lucratutus. Atque de lucro cessante hoc modo æstimato verum est, quod dicit Caiet. de eoque loquũtur Doctores communiter.

Nota: lucrum cessans bifariã potest in pactum deduci.

Angelus. Gabriel.

Caietanus.

Tertio obseruandum est, quod ad hoc quod lucrum sit vere cessans, quatuor conditiones requiruntur. Prima est, vt verum sit interesse, & non fictum, & hanc conditionem omnes recipiunt, & de se constat, alias esset plana vsura aliquid vltra sortem accipere. Potest autem esse fictum, & non verũ interesse, iudicio meo, dupliciter, vel quia mutuans non decreuit negociari, vel si decreuit, tamen negociatio est talis, ex qua verisimiliter lucrum alicuius momenti non speratur. Non est tamen necessarium, vt ita sit a parte rei, quod ex mutuatione mutuans aliquod interesse patiatur: nam stat tempore mutuationis esse valde verisimile, & quasi indubitatum, quod mutuans, si non mutuasset aliquid postea lucraturus, ratione cuius verisimilitudinis poterit cum mutuatario, vt dictum est, super refusione pacisci, & hoc procedit tã de damno emergente, quam de lucro cessante.

Lucrum vt sit vere cessas quatuor conditiones requirũtur.

Secunda conditio est, quod mutuum sit causa omissionis lucri, ita docent Couar. Caiet. Nauar. & Armilla, quod non contingit, dicunt hi Doctores, quando mutuans habet aliam pecuniam in arca, quam mutuo dare potest, vel negociationi exponere. Cæterum, vt bene Nauar. adnotauit, id intelligitur, quando illa pecunia, quam sibi reseruat, non esset sibi necessaria ad aliquas occurrentes necessitates, & vitæ suffragia, quibus vt habeat vnde subueniat, decreuit non dare illam negotiationi, quod est prudentiæ.

Couar. Caietanus. Nauar. Armilla.

Tertia conditio est, quod lucrum non excedat interesse, alioquin erit vsura ratione illius excessus ad cuius exactionẽ is, qui mutuauit, nullam causam præter mutuum habet; estque ista conditio intelligenda, sicut & prima non de interesse vere, ac realiter eueniente, sed de interesse verisimili, & probabili: immo, vt docet Arag. quod exigitur, non solum debet excedere verisimile, & probabile interesse futurum, sed ad summum debet esse tantum, vt sit dubium probabile, an lucrum cessans plus, minusue sit valiturũ, iuxta determinationem. c. in ciuitate, & tunc quicquid in re accidat, hoc est, siue plus, siue minus mutuans realiter fuisset lucratutus, licite id, quod est exceptum, potest a mutuatario recipere, ex quo verisimile lucrum cessans tempore contractus tantum valuit, quantum ratione eius fuit a mutuatario exactum.

Aragon.

Quarta conditio, & vltima est, quod mutuator nõ exigat tantum, quantum futurum creditur lucrum cessans, sed deductis laboribus, & expensis, atque a rẽto, quod lucrum est in futurum, & to periculo, & quod valet minus nondum habitum, & speratum, ob eius incertitudinem, quam valeat actu existens. Si autem lucrum cessans ratione mutui esset certissimum, & sine periculo assequendum, licitum esset totum lucrum cessans ratione mutui vltra sortem exigere, vt si quis precibus, & charitate commotus cogitur mutuare pecuniã censui exponendam: ratio est, quia tale lucrum cessans damno emergenti propter certitudinem lucri æquatur: nam velut actu habetur, & impediri non potest. Ita Ioseph Angles loco supra citato. diffic. 3.

Angles.

Addi potest & quinta conditio, quam ponit Medina loco supra citato, nempe vt pretium lucri cessantis non statim tẽpore, quo mutuum traditur, accipiatur, sed postea, quando mutuum erit soluendum, quæ tamen intelligenda est, quando

Medina.

do

do expectatione statim talis pretij, lucrum cessans minuitur, & non minuitur de pretio, quantum ea de causa minus cessat lucri; quo dato, plus acciperetur pro lucro, quam esset lucrum cessans, v.g. si ex mille aureis, quos negociationi expositos habebas, mihi des mutuo quingentos, & lucrum cessans æstimetur triginta; atque quando mutuo illos mihi das, accipias triginta, solum mihi tradis quadringentos, & septuaginta, ex quibus minus lucri tibi cessat, quam triginta; quo fit, vt accipere non debeas integros triginta, sed detrahere ratione eorum, quibus tu negociaris, & quos non accipio mutuo, aliquid debes. His obseruatis dicendum est ad difficultatem, quòd

Ratione lucri cessantis licet aliquid exigere, & pacisci vltra sortem, quantum nempè prudentis arbitrio æstimabitur, seruatis supradictis conditionibus necessariò requisitis ad hoc, quòd sit verum lucrum cessans. Probatur primò: quia non solum damnificatur aliquis, quando amittit aliquid, quod habet, verum etiam quando impeditur à lucro, quod quidem habiturus erat: quod enim parum distat, nihil distare videtur: & de proximo accingendus, vt Iurisconsulti asserunt, pro accincto est habendus; atq; ita aliquid poterit vltra sortem exigere: quia nullus alteri nisi salua indemnitate, subuenire tenetur. Et confirmatur: quia cum licitum sit apud omnes mutuanti exigere damnum emergens, erit etiam licitum exigere lucrum cessans: quia in casu posito lucrum cessans est damnum emergens; siquidem aufertur à mutuante aliquid, quod deberet ipse habere: nō enim est minus pecunia æstimabile, quam damnum ex mutuo emergens. Neq; prudens mercator, qui ad negociandum paratam habet aliquam pecuniam, ex qua sperat lucrari centum, minus æstimabit lucrum illud ita in spe, quam pati iacturam viginti cum æquali probabilitate: imò longe plus; ergo sicut fas illi est pacisci de damno illo emergente, & ratione illius aliquid vltra sortē accipere, ita erit licitum eidem pacisci simili modo de lucro cessante.

Præterea si quis ab operario petat, vt non locet operas suas alijs, sed ipsum committetur ad recreationem aliquā, poterit licitè operarius ille exigere ab eo pretium lucri ex eo cessantis, quod operas suas locare omittat. Item si quis mutuo petat ab opifice instrumenta artis; atq; id in causa sit, vt ille laborare omittat, & vt lucrū illi ex suo labore & industria cesset, sanè licitè poterit exigere non solum quantum valet vsus instrumentorum, sed etiam insuper quanto suo labore, & industria erat lucraturus. Ergo pari rōne mercator, qui destinatam habebat pecuniam ad negociandum, & ex ea, tamquam ex instrumento suæ industriæ subiecto sperabat certum lucrum, poterit licitè exigere æstimationē lucri sibi ex eo cessantis, quod mutuo illam dari petēti. Demum sicut piscator licitè potest vendere pisces, quos iactu retis capere sperat, vt constat ex l. si iactum. ff. de actionib. emp. ita eadem ratione mercator vendere poterit mutuatario interesse, quod sperat pecunia, quam destinauerat negociationi; & huiusmodi contractus est innominatus, faciam, seu potius desistam ab hac mea negociatione in tuum commodum, si mihi tantum, vt desistam, des. Alias rationes poterit videre lector apud Nauar. in Comm. citato de vsuris à numero 49.

Ad argumenta alterius sententiæ, & ad primum, quod desumptum est ex D. Thom. dicitur, quòd D. Tho. loquitur de lucro cessante, quod erat in se in potentia remota, ac proinde quod poterat multipliciter impediri, seu non euenire; & de eo verissimè dixit, non posse ratione illius accipi aliquid vltra sortem; in quo cæteri Auctores conueniunt: de lucro autem cessante, quod erat in spe potentia propinqua, de quo nos loquimur, non intendit D. Thom. quòd pro eo non possit aliquid accipi vltra sortem; quin potius contrarium colligitur ex ijs, quæ præmiserat illis eisdem locis; vbi docet licitè deducere in pactum recompensationem damni, per quod subtrahitur sibi aliquid, quod debet habere; & quæ docuit. 2. 2. q. 62. art. 4. vt rectè adnotauit Angelus verbo vsura. 1. nu. 16 & nu. 77. *Angelus.*

Ad secundum, quod est primum Soti, negatur antecedens: neque enim de ratione lucri cessantis est, vt sit inuoluntarium ex parte eius cui cessat, quasi ad hoc, quod pro eo exigi, atque accipi possit, necesse sit cogi mutuantem illud pati; hoc enim est falsum, vt ostensum est supra, probando nostram sententiam. Adde, quod tam voluntariè subit damnum emergens mutuator, quam voluntariè amittit lucrum cessans: & tamen nemo negat mutuantem ob damnum emergens posse aliquid vltra sortem accipere.

Ad tertium dico, quod non est celanda veritas propter hoc, quod aliquis sua culpa quasi pallio sua scelera velit occultare, fingens sibi cessare lucrum, quando nullum reuera ei cessat: nam & eadem ratione posset quis pallio damni emergentis sua scelera celare fingens damnum pati, quando emergens damnum nullum est. Dico deinde, solum eo argumento probari, cautos esse debere Confessarios, & qui de rebus conscientiæ consuluntur, vt iuxta ea, quæ diximus, diligenter examinent, num vere lucrum cessauerit, aut non cessauerit, ne eiusmodi veluti pallio vsuræ exerceantur. Hoc tamen non tollit, expedientissimum esse scire, ac manifestari veritatem hac in re, vt ne condemnentur peccati, & ne restituere iubeantur, qui licitè huiusmodi cōtractus celebrarūt, & iuste pretium veri lucri cessantis acceperunt; tum etiam vt iusti, atque vtrique contrahentium expedientes contractus neque prohibeantur, neque damnentur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ratione dubij possit aliquis vltra sortem aliquid accipere.

DIcit Doct. quod quando vtrumque, scilicet capitale, & illud superfluum ponitur sub incerto, licitū est aliquid accipere vltra sortem. Pro cuius sententiæ explicatione obseruandum est, quod in proposito quadrupliciter contingit aliquid accipere vltra sortem: vno modo, quando capitale, & lucrum ponitur sub certitudine. Secundo modo, quando capitale ponitur sub certitudine, & lucrum in fortuna, vt cum aliquis mutuat alicui centum sub tali pacto, quod habebit aliquam portionem lucri, si fuerit lucrum, capitali suo sibi semper saluo, quicquid accidat. Tertio modo, quādo lucrum ponitur sub certitudine, & capitale in fortuna, vt cum aliquis eunti ad nundinas, vel in Indiam mutuat centum pro certa summa pecuniæ, recipiens in se periculum capitalis, nisi pereat per negligentiam, vel culpam mutuatarij. Quarto modo, quando vtrumque ponitur sub dubio, ita quod non videtur notabiliter magis in fauorem dantis, quam accipientis, & de quarto isto loquitur hic Doctor. Primis tribus modis aliquis accipiens vltra sortem tenetur ad restitutionē, quia contractus sunt vsurarij, siue fiant directè, vel indirectè, explicitè, vel implicitè. *Scotus.* *Accipere aliquid vltra sortem quatuor modis contingit.*

Cæterum quia de tertio modo non est ita clarum, sicut de primo, & secūdo, ideo obseruandum est pro eius explicatione, quod sensus huius tertij modi est, vtrum si quis formaliter, aut virtute mutuo det alicui centum mari asportāda, vel per alia loca periculosa, & suscipiat periculū pecuniæ illius, quousque ad locum, quo mittitur, perueniat, vsura sit aliquid vltra sortem exigere, & accipere ratione periculi, quod suscipit, quia videlicet si pereat antequam ad locum, quo mittitur, perueniat, pereat ipsi, & non mutuatario.

Secundo obseruandum est, quod is, qui nauiganti, vel eūti ad nundinas mutuat pecuniam eo pacto, & conditione, vt mutuatarius det aliquid vltra sortē mutuanti, ex eo quod suscipit in se pecuniæ mutuatæ periculum, dupliciter se habere potest: Primo modo, ita, quod nisi ea lege, & conditione, vt penes se maneat periculum rei, seu pecuniæ, quam mutuo dat, nō esset mutuaturus, ita quod cogatur mutuatarius inire secum contractum assecurationis. Altero modo, quod non cogatur mutuatarius inire huiusmodi contractum cū mutuante, sed sua sponte illum init.

Tertio obseruandum est, quod mutuans accipiens per huiusmodi contractum aliquid vltra sortem, duobus modis potest illud accipere, vel ratione mutui, vel ratione periculi, quod in se suscipit. His obseruatis.

Dico primo illicitum, vsuramque esse nolle mutuo dare nisi ea lege, & cōditione, vt penes se maneat periculum rei, quam mutuo dat, atque ea de causa aliquid vltra sortem à mutuatario accipere, etiam si solum sit iustum pretiū, quod prudentis arbitrio æquum iudicetur pro susceptione talis periculi. Ita docet Ric. in 4. d. 15. art. 5. q. 5. Maior. ibid. q. 31. casu 15. Angelus verbo vsura. 1. num. 38. Gabr. d. 15. qu. 11. art. 1. not. 2. Conrad. de contract. q. 39. Caiet. 2. 2. q. 78. art. 2. in princ. & in summa. verbo Vsura. c. a casu 12. Ioan. Med. de rebus per vsuram acq. c. 4. ad primum. Nauar. in Man. c. 17. num. 284. & in Com. de Camb. in c. vlt. de vsura in princ. *Ricardus. Maior. Angelus. Gabriel Conrad Caietanus. Medina. Nauar.*

Sotus

Sotus.4.de Iust.q 7.art.1.& Couar.3.var.resol.cap.2.num.5. Et probatur primo per capitulum, nauiganti, extra de vsuris; vbi Greg 9. inquit: Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, eo quod suscipit in se periculum, recepturus aliquid vltra sortem, vsurarius est censendus. Hæc ibi. Et ratio est: quia nisi fuerit culpa, vel negligentia illius, qui accipit, rarò accidit, quod pecunia, quā mutuo accipit pereat; vnde ille qui in casu isto mutuo dat pecuniā, habet in fauorem suum illud, quod raro accidit. Præterea mutuatarius in hoc euentu ratione mutui cogitur cum creditore de suscipiendo periculo sub certa mercede conuenire; atque hæc conuentio vltra sortem deducitur in pactū, ergo vsuraria est mutui datio: nam grauamen illud, quod mutuatarius celebrare tenetur assecurationis contractum, sane est pecunia æstimabile, non minus quam grauamen, vt teneatur quis molere in molendino mutuantis; immo lōge est maius, siquidē in illo solum imponitur onus, quod alias mutuatarius erat facturus: in re autem præsenti onus imponitur; nempe vt celebret assecurationis contractum, quod poterat omnino non facere, tam cum hoc, quam cum alio quocumque; ergo sicut imponere mutuatario ex vi mutui onus molendini in molendino mutuantis est vsura, vt supra diximus, ita etiam illicitum, vsuraq; est imponere illi hoc aliud grauamen: nam licet assecurationis contractus in se licitus sit, mutuum tamen est ratione mutui obligare mutuatarium ad illum celebrandum: quia grauatur debitor in recipiendo aliquid plus ex mutuo, ea enim obligatio est pretio æstimabilis, atque adeo vltra sortem ratione mutui exigi non potest. Vnde pro regula habendum est, quod si mutuum fiat principaliter spe habendi vltra sortem, nullum periculū potest excusare, quin sit vsura talis contractus.

Dico secundo. Quando contractus assecurationis non exigitur, tanquam conditio, sine qua mutuans non vult mutuare, sed mutuatarius sua sponte illum init cum mutuante, tūc nulla interuenit, cum eo vsura, quod mutuans aliquid vltra sortem accipiat ratione periculi, modo præcise accipiat ratione periculi, & non ratione mutui: immo in eo nullum interuenit peccatum, si pretium moderatum sit, neque adsit scandalum. Hanc affirmāt Doctores citati, & multi alij. Probatur: quoniam suscipere in se illud periculum est pretio æstimabile, & posset quicunq; tertius, (vt ait Angelus) pro assecuratione licite aliquid accipere. *Angelus.* Cum ergo mutuās ex eo, quod cum mutuatario vtatur beneficio mutui, non sit deterioris conditionis, consequens est, vt simul cum mutuo ineat contractum assecurationis, non propter mutuum, sed ad instātiam debitoris, possit ratione periculi, quod in se suscipit, accipere competens pretium vltra sortem: isto, mutuans ad eum contractum mutuatarium inuitet, modo non cogat, & id, quod accipit, præcise ratione periculi, quod in se suscipit, & non ratione mutui accipiat. Et in hoc euentu, inquit Angelus, sunt duo contractus; Alter mutui: ratione cuius nihil vltra sortem potest licite accipere. Alter vero innominatus, faciam, seu suscipiam in me periculum pecuniæ, quam tibi mutuo do, vt des, vel si des mihi tantum, vel tantum, qui est iustus contractus, ratione cuius iuste accipitur aliquid vltra sortem.

Dico tertio. Qui iuxta primam conclusionem est vsurarius, si non plus accipit pro periculo, quod in se suscipit, quā moderatum, ac iustum pretium, nihil de pretio restituere tenetur: sed solum quantum prudentis arbitrio æstimabitur grauamen, quod mutuatario impositum celebrandi eum assecurationis contractum; si vero aliquid vltra iustum pretium accepit, id etiam restituere tenetur, vt docet Couar. loco supra citato, & alij, quos ipse citat. Ex his sequitur leges ciuiles nauticum fœnus permittentes non esse positiua lege sublatas, seu abrogatas, immo & hodie vim, & potestatem legū habere, iustasque censendas fore, vt docet Couar. quatenus ratione periculi cōcedunt aliquid accipere: quoniam nauticum fœnus ratione suscepti periculi licitum est accipere, vt communiter docent Doctores: correctæ tamen sunt huiusmodi leges ex ea parte, qua ratione etiam mutui incrementum aliquod concedebant; nam leges ciuiles concedebant in nautico fœnore, vt supra diximus, vsuram centesimę ratione periculi, vt patet. l. eos C. de nautico fœnore; neque tamen ea ratione solius periculi concedebant, sed ratione mutui. Quare, quia illa vsura mutui etiam ratione accipiebatur, merito Greg. IX. in c. nauiganti, supra citato declarauit vsurarios esse censendos, qui illam acciperent, nihil impediente, quod

Couar. Leges ciuiles nauticum fœnus permitt[illegible] quo [illegible] canoni[illegible] sunt abrogata.

simul ratione periculi eandem acciperent.

Quo ad quartum. Accipiens aliquid vltra sortem restituere non tenetur, quia ratione verisimilis dubij contractus iste excusatur a delicto in c. nauiganti. de Vsuris. §. ille quoque. Nam non est vsurarius emptor rei minus iusto pretio, si tunc verisimiliter dubitetur an tempore solutionis plus, vel minus sit res valitura: nam vt dicit Glossa illius cap. tam emptor, quam vēditor æqualiter commodum, & incommodum ex dilatione expectat. *Glossa.* Potest ergo aliquis accipere aliquid vltra sortem ratione dubij, dummodo non ponat alterum in dubio, & se in tuto, sed æqualiter sint in dubio, & in tuto, vt, si perdas, perdam tecum, & si lucraris, habeam partem lucri. Cæterum si illo tempore, quo venditor accepturus esset solutionem, verisimiliter multo plus valebit, & non minus quam tempore venditionis nisi in modico, tunc (inquit Angelus, verbo. Vsura.1.num. 33. & post eum Gab. loco supra citato) vsura esset, aut æstimatio in fraudem vsurarum: *Angelus. Gabriel.* nam nunc emens dat pecuniam minorem, recepturus verisimiliter ob temporis dilationem maiorem valorē; & quamuis non sit mutuum, potest tamen in mutuum resolui: perinde enim est, ac si nunc mutuaret pecuniam, & cum pacto reciperet in termino solutionis rem pro mutuata pecunia plus valentem; atque ita lucrum cum plus recipit, quam pecuniam mutuatam, vt vult Panor. in c. nauiganti. de Vsuris. vbi inquit: Quantum ad formam contractus non est vsura, sed quo ad intentionem deprauatam est vsura; *Panorm.* quia perinde tus fingit, ac si illam pecuniam mutuaret illi venditori, vt reciperet illud lucrum, quod est vltra veram æstimationem rei, debent ergo tam emptor, quā venditor æqualiter commodum, & incommodum expectare, si labem vsuræ cupiant vitare, quod si fecerint, nulla est vsura tametsi aliquid vltra sortem accipere: patet per textum in c. in ciuitate, vbi habetur, quod vendens rem plus quam valeat, quia soluere differt, peccat; nisi dubium sit, an tempore solutionis erit valor rei variatus, & venditor non erat venditurus tēpore, quo vendidit; ergo propter dubium, & quia non erat alias venditurus, nisi vsque ad illud tempus, licitum est vendere vltra, quam nunc valeat; ergo eodem modo, quando vtrumque ponitur in dubio, & sors, & lucrum, licet in tali casu capere vltra sortem. Eam dem sententiam tenent Ric. Ang. & Gabr. locis supra citatis. *Ricardus. Angelus. Gabriel.*

De quibusdam alijs casibus, in quibus licitum est aliquid vltra sortem accipere.

DOctor posuit tres casus, in quibus potest aliquid capi vltra sortem. Primus est, ratione pœnæ conuentionalis. Secundus est, ratione damni emergentis, vel lucri cessantis. Tertius est, ratione dubij ex pacto; In his tribus casibus potest aliquid accipi vltra sortem. Similiter potest sine pacto aliquid accipi, puta, si mutuatarius liberaliter aliquid offerat, mutuator non tenetur restituere; quia illud suum est, ratione liberalis donationis, modo quo a nobis supra explicatum est. Nunc examinandi sunt alij casus communes, in quibus licet accipere vltra sortem: quos Doctor non tangit. *Scotus.*

Primus Art. Vtrum vsura sit accipere fructus pignoris vltra sortem.

Secundus Art. Vtrum liceat accipienti fundum venditum in pignus recipere fructus fundi vsque ad terminum solutionis absque hoc, quod computet in sortem.

Tertius Art. Vtrum ratione pacti legis commissoriæ possit aliquid accipi vltra sortem.

Quartus Art. Vtrum liceat fideiussori pacisci, aut singulari mercedem aliquam pro ipsa fideiussione.

Quintus Art. Vtrum gener, qui interim dum dos ei non persoluitur, pignus fructuum accipit, non computando fructus in sortem, sit ab vsura immunis.

Sextus Art. Vtrum, si possessio, quam accipit gener, maiores redditus faciat, quam dos, liceat ei nullos fructus computare in sortem.

Septimus Art. Vtrum liceat generi cautionem accipere, vel promissionem cum pacto, quod interim, quod dos non soluatur, pro oneribus detur sibi certa quantitas annuatim.

Octauus Art. Vtrum matrimonio soluto possit vxor vidua ergo mariti hæredes vti priuilegio capit. salubriter.

ART.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum vsura sit accipere fructus pignoris vltra sortem.

Mutuans duobus modis potest accipere pignus.

DVobus modis contingit mutuantem recipere pignus. Priori modo ad securitatem tantum, sic quod non intendit fructus percipere pignoris, sed tantum, vt securus sit de re habendo sortem, vel si mutuatarius sortem non restituat, quod habeat saltem æquiualens; & hoc modo licitum est accipere pignus; nec ex hoc sequitur mutuatorem accipere aliquid vltra sortem; quia non recipit ipsum ratione mutuationis, nec vt pretium eiusdem, sed tantum pro sui securitate. Et si dicas, pignus non est sors, ergo accipiens pignus aliquid accipit vltra sortem: negatur consequentia, sumendo accipere vltra sortem, eo modo, quo accipitur in peccato vsuræ, s. volendo habere dominium recepti, & ratione mutuationis, & vt pretium eius. In proposito autem mutuator nõ recipit pignus volens habere dominium eius, quia vult tantum habere vt rem impignoratam; per impignorationem autem non transfertur in eum, cui res est impignorata, ergo &c. sed hoc non facit ad propositum nostrum.

Mutuans bifariã potest accipere fructus pignoris vltra sortem.

Posteriori modo non ad securitatem tantum, sed etiam, vt interim quo caret sorte, capiat fructus pignoris; Et hoc potest duobus modis accidere. Vno modo, ita, quod pignus est totaliter mutuantis de iure; quamuis mutuatarius sibi impignorans de facto ipsum detinuit hucusque, & nunc sibi impignorat, & hoc modo mutuans accipiens pignus licite recipit pignus, & fructus eius, etiam non computando fructus in sortem, & sine eorum restitutione: nã iustum est ab iniusto detentore recipere rem debitam recipienti, atque fructus eiusdem rei percipere, quia sunt fructus rei propriæ; & eo maxime quando recipiens fructus non potest per viã iuris ad rei propriæ recuperationem redire, & fructuũ eius; & quod esset scandalum, seu, quod idem est, quod non præsumatur in fraudem vsurarum facere; & potest confirmari per cap. 1. de vsuris. vbi habetur, quod si laicus iniuste tenet possessionem Ecclesiæ, & impignorat ipsam Rectori illius, licite, & absque vitio vsuræ Rector poterit recipere fructus possessionis vltra sortem, seu non imputando eos in sortem, & quamuis textus ibi faciat tantum mentionem de possessione Ecclesiæ a laico iniuste detenta, tamen idem iudicium est de possessione vnius laici: quia vtrobique est eadem ratio.

Altero modo accidere potest, quod pignus sit mutuatarii, & hoc etiam duobus modis euenire potest: quia vel est sic mutuatarij, quod etiam est mutuantis, licet diuersimode, ita quod & mutuatarius, & mutuator habent dominium in illa re, licet diuersimode: quia mutuator habet dominium directum, & mutuatarius vtile, aut est sic mutuatarij, quod nõ mutuantis, ita quod mutuans nullum habet dominium in re illa, & de his vltimis modis intelligitur titulus quæstionis. His suppositis, respondetur ad quæstionem per aliquas conclusiones. Et incipiendo ab vltimo mẽbro diuisionis sit.

Prima conclusio. Si mutuans recipit pignus, quod est duntaxat de dominio mutuatarij, si percipiat fructus pignoris, intendens eos computare in sortem, licite recipit pignus, & fructus, dummodo perceptio fructuum fiat de consensu mutuatarij, probatur: quia si esset ibi aliqua culpa, maxime esset vsura, vel furtum, sed non esset vsura: quia illos fructus non accipit vltra sortem, sed in solutionem sortis; quia eam attenuat, ita quod quanto plures fructus recipit, tanto minus proportionabiliter recipiet de sorte, quia de sorte defalcabit tantumdem, quanti pretij fructus perceperit: Nec etiam furtum: quia etiã si res impignorata sit adhuc de dominio mutuatarij, & per consequens non deberet mutuator fructus eius percipere, tamen quia facit hoc de consensu domini consentientis in illam contractionem, ideo non committit furtum, & ideo notanter dictum est in conclusione, dummodo perceptio fructuum &c. quia si domino nesciente, nec actu, nec habitu consentiente percipiat fructus, peccat: & quamuis non sit vsura, quia intendit eos computare in sortem, tamen est furtũ; quia contractat rem alienam inuito domino.

Secunda conclusio. Si mutuans recipit pignus, quod est tantum mutuatarij, vt interim percipiat fructus pignoris, quos non intendit computare in sortem, vsurarius est, & ad restitutionem tenetur nedum fructuum, quos percepit, sed illorum etiam, quos percipere potuisset: nisi accipiat fructus pro interesse damni emergentis, vel lucri cessantis, vel ex libera debitoris donatione, vel in pœnam iustam, vel aliqua alia iusta de causa, & deductis expensis, quæ in illis colligendis fecerit. Ita habetur. c. 1. & 2. de Vsuris. & c. significa. de pignoribus & colligitur aperte ex vsuræ definitione.

Sotus. 6. de Iust. q. 1. in fine art. ait: Si debitor sterilem agrum, quem colere non intendebat, creditori dederit in pignus, & creditor sua industria, & labore ex eo colligat modicos fructus, tunc forte non teneri creditorem computare illos in sortem: quoniam, inquit, sine debitoris detrimento illos percepit, neque tenetur computare in sortem fructus suæ industriæ. Addit tamen, si fructus alicuius sint momẽti, percepti que essent ex agro, qui non reputabatur sterilis, sed negligentia domini non colebatur, computandos esse in sortẽ. *Sotus.*

Sed Nauar. in Manual. c. 17. nu. 216. hoc Soti assertum merito improbat, dicens, tam modicos, quam paruos fructus esse computandos in sortem, quando expensas excedunt, computando in eis valorem laboris, & industriæ cultoris; est enim vere sint fructus agri illius, ad dominum agri spectant deductis expensis: nisi intelligatur voluntatem liberam domini agri esse, vt cultor illos sibi retineat. Obseruandum est tamen, quod quando pignus est fructiferum, & creditoris, siue mutuatoris culpa etiam leui fructus non perciperentur ex illo, tenetur creditor cõputare interesse eorum fructuum in sortem, vt si pignus esset domus, & eam sua negligentia non locaret, tenetur ad locagium, ac si locasset, aut esset ager seminari consuetus, negligentiaque mutuatoris et semina non mandarentur, tenetur ad fructus, qui ex eo fuissent collecti, deductis expensis. Et dixi, etiam leui culpa: quoniam si pignoris contractus in vtriusque commodum sit celebratus, idest tam creditoris, quam debitoris, vt regulariter celebrari solet, tenetur etiam de culpa leui, sed non de leuissima; & multo magis tenetur computare interesse eorum fructuum in sortem, si mutuator ex dolo omisit percipere fructus pignoris, puta odio debitoris, quatenus scilicet non percipiendo fructus careat debitor fructu rei suæ, vt si pignus esset domus, cuius conductorem reperiebat, & odio debitoris noluit eam locare. Adde etiam si creditori satisfactum sit, quia nempe tãtos fructus percepit, quod æquiualent sorti, & suo interesse, si aliquod passus est; & etiam expẽsis, si quas fecit, atque ita de aliis, & vltra hoc detinet pignus non percipiendo fructus, tunc non curando in qua culpa fuerit, tenetur ad omnes fructus, quos percipere potuisset; quia postquam sorte satisfactum fuit, cœpit esse malæ fidei possessor in non restituendo pignus: quia mox illud restituere tenetur, vt in c. 1. de Vsuris. possessor autem malæ fidei tenetur indistincte ad fructus, quos percipere potuisset. *Nauar.*

Tertia conclusio. Si mutuans recipit pignus, quod est de directo dominio mutuantis, & de dominio vtili mutuatarij sicut contingit in feudis, & in emphyteusi, licite percipere potest mutuator fructus pignoris, non computando eos in sortem. Probatur conclusio ex. c. conquestus, extra de vsuris. & c. insinuatione, de feudis. vbi habetur, quod quãdo feudatarius dat proprietario pro mutuo rem in pignus, quam in feudum habebat, non tenetur huiusmodi proprietarius computare fructus in sortẽ, quos ex ea re perceperit, modo tamen interim, dum pignus retinet, & fructus ex illo percipit, immunem faciat feudatarium a seruitio, quod pro vtili dominio talis rei ei debebat. Quod si vel seruitium exigat, vel oblatum recipiat, nulla facta protestatione, quod recipere illud non velit tamquam debitum pro vsufructu, & dominio vtili rei illius, tunc computare tenetur fructus pignoris illius in sortem, aut reddere illos feudatario.

Contract. pignoris feudi in conditiones requirit.

Cæterum quoniã difficile videtur prima fronte, quomodo huiusmodi cõtractus a labe vsuraria excusari possit; ideo Doctores communiter sequẽtes apponunt conditiones. Prima, quod illorum capitum doctrina intelligenda est, quãdo feudatarius meliorationes non fecerat in re feudali: si enim res illa maiores fructus ratione meliorationum reddat, tunc proprietarius, infeudator, seu dominus, tenetur computare excessum illum in sortem, aut reddere illum feudatario. Secunda conditio est, quod doctrina illa intelligenda est, quando feudatarius nihil pretij dedit, pro feudo, neque in recompensationem pro aliquibus obsequijs, aut meritis est illi traditum, sed solum pro seruitio, aut pensione in posterum exhibendis. Nam feudum proprie est concessio rei alicuius immobilis, vel quæ pro immobili habetur quo ad dominiũ

vtile,

vtile, pro fidelitate, seruitioque personali exhibendo, retenta proprietate. Iterdum tamen feudum degenerat in aliquib. a proprijssimo feudo, vel quia imponitur onus aliquod reale, vt pensio annua, auium, pecuniæ, equorum, &c. vel quia cũ gratis res in feudũ concedi soleat, conceditur accepto ptio &c. adhuc tamen censetur feudum, & in his, quæ retinet feudi, iudicandum est de illo iuxta iura feudorum: si enim ratione pretij, aut meritorum antecedentium minor pensio, aut minus seruitium subsequens illi a principio fuit impositum, ita quod partem fructuum recipiat feudatarius ob pretium, aut merita antecedentia, & partem aliam ob pensionem, aut seruitium subsequens, vsura esset, si infeudator, vel dominus, cui impignoratum est feudum, portionem fructuum, quæ pretio, aut meritis antecedentibus respondit, non computaret in sortem, aut non traderet illa feudatatio; Ita docet Angelus in verbo, feudum, numero 33. in fine, & consentit Gabriel in 4.d.15. quæstione 11. articulo 2. conclusione quarta, & Nauar. in Manual. capit. 17. numero 218.

Angelus, Gabriel. Nauar.

Sed adhuc restat difficultas non parua, quænam sit ratio, cur in eiusmodi contractu vsura non interueniat: quia bene sequitur, isti fructus sunt pecunia appretiabiles, ergo ex vi mutui aliquid pecuniæ appretiabile capit vltra sortem; atque adeo videtur, quod committat vsuram,

Glossa.

Glossa in dicto c. conquestus. ait id in priuilegium Ecclesiæ esse concessum: sed communiter, & merito reicitur: quoniam si ex natura rei in eo vsura interuenit, sane priuilegiũ efficere non potest, vt liceat: nõ enim potest ius Canonicum receptionem vsurarium alicui concedere, vt sibi liceat, quasi facere possit de vsura non vsuram, & dispensare, vt supra ostensum est. Quare communis Doctorum sententia affirmat, id licere etiam quando proprietarius non est Ecclesia, sed quiuis laicus. Et si dicatur, quòd hoc tantum expressũ inuenitur, vbicunque inuenitur, s extra de feudis. c. insinuatione, & de vsuris. c. conquest. quantum ad Ecclesiæ feudũ, atque adeo non videtur, quod liceat nobis extendere ad alia feuda. Dico, quod hoc facit accidentaliter: quia scilicet accidit Papam vtrobique scribere ad personas Ecclesiasticas, quarum feuda pignori data erant: & si accidisset inter laicos de feudo similiter dubitari, similiter scripsisset Papa. Immo potius videtur, quod Papa voluit idem in omnibus feudis intelligere, cum non distinxerit: nam si voluisset aliud esse in feudis Laicorum potuisset statim dicere, sed non dixit, ergo videtur, quod idem voluit esse in omnibus feudis siue Ecclesiarum, siue Laicorum.

Sotus. Medina. Conradus.

Sotus. 6. de Iust. q. 1. art. 2. & Medina de rebus per vsuram acquisitis, q. 2. vers. ad c. conquest. post Conradum de contract. q. 32. asserunt id ex feudi natura peruenisse: quoniam quando domino directo impignoratur feudum, efficitur tunc dominus directus, & vtilis adeo quod dominium vtile per dationem pignoris adiungitur dominio directo, quod consolidatum cum directo iure operatur hanc perceptionẽ fructuum præcipuam, atque adeo non esse eos in sortem computandos; quoniam ratione huiusmodi consolidationis, accipiendo fructus, non accipit nisi suum, dummodo tẽpore intermedio dominus directus non accipiat a vassalo seruitium, quod præstare debet ratione feudi. Quod si Vassalus tempore impignorationis vellet seruire domino, ipso domino renitente, non tenetur dominus acceptare seruitiũ: quia nemo tenetur resilire a iure suo.

Et si dicatur, Si dominium vtile consolidatur cum dominio directo, tempore quo durat impignoratio, ergo interim Vassalus non habet dominium vtile, & per consequens nõ erit amplius eius Vassalus, nec dominus soluto debito teneretur rem impignoratam restituere Vassalo: quia pleno iure facta est domini; & nullus tenetur de re sua facere feudum: immo tempore impignorationis cessaret ratio pignoris, quod implicat; patet consequentia; quia iam dominus haberet vtrumque dominium rei; atque ita res esset propria domino, in re autem propria ratio pignoris esse non potest. Respondet Conradus, quod Vassalus interim, quod durat impignoratio, non habet dominium vtile, vel vsumfructum liberum quo ad actum, sed ligatum, & suspensum pro toto tempore impignorationis, & tantum in habitu. Ipse vero dominus habet dominium vtile, vel vsumfructum, quo ad actum, & nonnisi pro tempore, quo sibi non est solutum debitum, & cum obligatione restituendi illud Vassalo pro tempore extinctionis debiti, atque ita tempore impignorationis adhuc manet Vassalus in habitu suspenso ab actu pro tempore: & etiam dominus soluto debito tenetur illam rem sibi in feudum restituere; quia non habuit vtrumque dominium simpliciter, sed tantum secundum quid, scilicet pro tempore: & licet ratio pignoris non possit constitui in re perfecte propria, potest tamen constitui in re propria, quando est non perfecte propria, de qua scilicet habet dominium directum simpliciter, vtile autem secundum quid, scilicet pro determinato tempore, & quo ad actum, alio habente eiusdem rei dominium in habitu.

Conradus.

Cæterum dare sententiam non placet Couar. 3. var. resol. c. 1. nu. 4. quoniam, vt dicit ipse, per dationem pignoris non consolidatur dominium vtile cum directo; immo debitor vtilis dominus adhuc manet, & eius nomine fructus a creditore percipiuntur, cap. 1. de Vsuris. l. 1. C. de pigno. act. nec alibi in iure probatur dominium vtile debitoris amitti, & transferri in creditorem habentem directum, cum in illum solum transeat iura retinẽdi in pignus dominium vtile, quod non vt proprium, sed in pignus habet. Et præterea etiamsi fateremur, inquit Couar. dominium vtile cõsolidari in hac specie cum directo, minime labem vsuræ effugimus: siquidem lucrum hoc consolidationis vltra sortem ratione mutui accipitur, & ideo vere vsura committitur. Atque adeo dicendum est, inquit Couar. post Adrianum in 4. in tract. de Vsuris. iuste posse fructus pignoris dominium directum vltra sortem habere: quia frequentissime fructus rei feudalis sunt eiusdem æstimationis, & valoris, cuius ipsa seruitia, & ipsę operę, quæ ratione feudi a Vassalo domino debentur, a quibus ipse Vassalus liberatur, interim dum res apud dominum est iure pignoris. Intelliguntur ergo illa duo capita de feudis, & de vsuris supra citata, quando onus, siue seruitium, quod interim a domino remittitur, æquipollet fructibus, vel quatenus cum illis concurrit, sicuti probatur in c. 1. de feudis, quod ita præcipue interpretatur Innoc.

Couar.

Adrianus.

Innocent.

Verumtamen neque hæc explicatio plene satisfacit; quoniam cogi feudatarium ob mutuum commutare fructus illos pro remissione seruitij est grauamen pretio æstimabile, atque adeo neque ea via vsuræ labes vitatur. Et confirmatur; quia si dominus directus ex vi mutui accipit fructus pignoris vltra sortem, accipit etiam dominium vtile pignoris, quod est quædam potestas, seu ius in futurum accipiendi fructus illos, sed talis potestas, siue tale ius est pecunia æstimabile, immo potest vendi, quoniam, sicut dictum est, sunt quædam res corporales, & quædam incorporales, vt iura, & potestates, quæ vendi possunt, ergo in tali casu dominus directus vi mutui accipit a feudatario aliquid, quod est pecunia æstimabile, nempe illud dominium vtile, & potestas leuandi fructus, ac proinde talis acceptio est vsuraria, & non facio amplius difficultatẽ de fructibus, sed difficultas est de dominio vtili, quod vt dictum est, est potestas accipiendi fructus, & per consequens dominus directus in tali casu non mutuat nisi ex spe alicuius, quod est pecunia æstimabile vltra sortem, ergo est vsurarius. Idcirco in hac re difficili non mihi occurrit quid aliud commodius dici possit, quam quod dicunt Conrad. q. 32. de cõtract. Maior. in 4. dist. 15. q. 31. casu. 1. Gabr. ibidem. q. 11. artic. 2. conclus. 4. casu 2. Almayn. ibidem. q. 2. & quidam alij, nempe, quod si in principio, seu in concessione feudi apposita fuit hæc conditio, quod si proprietario, vel domino directo res feudalis traderetur in pignus, pertinerent ad eum fructus illius, nec teneretur computare illos in sortem, modo seruitium, vel pensionem remitteret, si, inquam, huiusmodi conditio in concessione feudi apposita est, potest fructus facere suos, nam tunc dominus directus non acciperet fructus, non computando in sortem vi mutui, id enim vsura esset, sed vi naturæ contractus feudi, qui, vt dicit Conradus, tacite hanc conditionem includit, scilicet concedo tibi dominium vtile illius rei, ita tamen quod si ea mihi impignoras, redeat ad me etiam dominium vtile illius, vel vsusfructus toto tempore, quo mihi impignorata fuerit, & per consequens eo ipso quod Vassalus accipit eam in feudum, subit hoc onus, quod tenetur dimittere domino omnes fructus rei pro tempore, quo durat impignoratio, quo fit, vt neque necesse sit id deduci in pactum, quando celebratur contractus feudi, vt Conradus, Gabriel, & Almayn locis citatis velle videntur, neque item quando res feudalis traditur in pignus proprietario. Et quod dictum est de feudo,

Conradus. Maior. Gabriel. Almayn.

do, & Vassalo, similiter intelligendum est de Emphyteuta, & colonis, bona sua suis dominis a quibus hæc habent impignorantibus.

ARTICVLVS II.

Vtrum liceat recipienti fundum venditum in pignus recipere fructus fundi vsque ad terminum solutionis, absque hoc, quod computet in sortem.

SEnsus huius tituli est; Petrus vendit Ioanni agrum; & Ioannes non habet vnde statim soluat Petro pretium agri; atque adeo petit à Petro dilationem solutionis, v.g. vsque ad annũ: & interim consignat Petro agrum in pignus. Quæritur an Petrus accipiens agrum venditum in pignus vsque ad terminum solutionis, possit interim recipere fructus pignoris, absque hoc, quod computet eos in sortem.

De hac re fuit quorumdam Canonistarum opinio affirmantium eiusmodi contractum esse licitum: quia cum possessio fructificet, nõ videtur iustum, quod Ioannes emptor habeat vtilitatem, & fructum rei emptæ: & Petrus vendẽs non habeat vtilitatem pretij, cum non possit vti pecunia nõ soluta. Et addunt, quod si Ioannes statim partem pretij solueret, & partem Petrus expectaret, medietatem fructus possit accipere Ioannes, & medietatem aliam Petrus: quia Ioannes acciperet medietatem fructuum pro medietate pretij soluta, & Petrus aliam medietatem pro medietate pretij soluenda.

Cæterum hæc opinio communiter a Theologis reijcitur tamquam falsa: nam quicquid accipitur pro dilatione solutionis pretij ad vsuram pertinet. Vnde pro huius difficultatis solutione obseruandum est, quod in huiusmodi contractu aut vendens reseruat sibi dominium possessionis venditæ, & etiam periculum eius vsque ad solutionem pretij; & hoc deducit in pactum tempore contractus, aut non; sed & dominium, & periculum possessionis iure venditionis transfert in emptorem: Hoc supposito.

Dico primo, quod si vendens reseruat sibi dominium possessionis venditæ, & etiam eius periculum vsque ad solutionem pretij, & hoc in pactum deduxit tempore contractus, potest vendens fructus facere suos: nam sic dominium rei venditæ, & eius periculum manent apud vendentem, sicut dominium, & periculum pretij soluendi manet apud emptorem, & forte ita intelligitur prima opinio, sed tunc contractus ille magis sortitur naturam locationis, quã venditionis.

Dico secundo, quod si vendens non reseruat sibi possessionis venditæ dominium, nec eius periculum, non potest interim vsque ad terminum solutionis fructus pignoris facere suos, sed debet eos computare in sortem, vel tradere emptori, alias esset vsura: nam, vt diximus, quicquid accipitur pro dilatione solutionis pretij ad vsuram pertinet, quoniam perinde est, ac si acciperetur pro pretij mutuati dilatione. Præterea vendita possessione, dominium eius transfertur in ementem cum periculo eius, & non est amplius vendentis, neque per impignorationem possessionis emptę factam venditori, redit dominium ad venditorem, sed neque periculum, ergo recipiendo ex ea fructus recipit de non suo, nec pro alio nisi pro dilatione solutionis pretij, quare erit vsura. Et licet sit venditio, potest tamen quantum ad pretij dilationem resolui in mutuum, ver. grat. Vendens possessionem, & post venditionem eam requirens in pignus solutionis pretij, non plus habet proprietatis in pignore post eius venditionem, quam si non fuisset suum, sed si non fuisset suum, non posset recipere fructus, nisi computaret in sortem, vt ostensum est in superiori articulo, conclusione secunda; ergo nec in casu posito.

Nec motiua Canonistarum habent aliquid efficaciæ; Nam iuste recipit emptor fructum rei emptæ, quia sua est; & in ipsum redundat eius periculum non minus, quam si soluisset pretium eius. Sed iustum non esset si venditor fructus reciperet, quia eos reciperet de re non sua. Quod vero vendens non vtatur pretio nondum soluto, est de ratione mutui; quia omnis mutuans caret re mutuata: Nec tamen pro illo potest recipere pecuniam, vel aliquid pecunia æstimabile, nisi pro releuatione damni emergentis, vel lucri cessantis ex mutuo passi.

Dico tertio, quod si termino solutionis elapso emptor nõ solueret pretium, posset venditor recipere fructus per modum pœnæ, si esset hæc pœna in contractu apposita, & non in fraudem vsurarum, vt diximus supra, vel etiam ratione interesse, vt patet ex Gloss. in arg. 14. quæstione 4. & in c. conquest. de vsuris. vbi dicitur; Si quis est in mora soluendi, ab eo possunt recipi vsuræ, non tamquam vsuræ, sed tamquam interesse, & sequitur, tunc petuntur vsuræ iudicis officio, non iure actionis: licite enim potest quis agere ad hoc, vt reddatur indemnis, & ideo vbi interesse non habet locum non potest recipere fructus. Quod si interesse locum habet, tantum potest recipere vltra sortem, quantum se extendit interesse, puta, quantum damnum ex mora passus est, & non plus; & si illud excedat fructos, potest plus accipere, si minus est, tantum accipiat de fructibus, quantum æstimatur damnum, & non plus. *Glossa.*

ARTICVLVS III.

Vtrum ratione pacti legis commissoriæ possit aliquid accipi vltra sortem.

PRo huius tituli explicatione obseruandum est, quod pactum legis commissoriæ ex eo nomen accepit, quod ea lege, & conditione res vendatur, vt si pretium intra præscriptum tempus non soluatur, emptor incidat in commissum, atque ea de causa rem amittat quasi sibi non venditã: eo modo, quo emphyteuta incidere dicitur in commissum amittendi emphyteusim, quando aliqua, ad quæ tenetur, non seruat.

Pactum legis commissoria quid sit.

Secundo obseruandum est, quod pactum legis commissoria fieri solet in venditionibus, & in pignoribus. Pactum legis commissoriæ in venditionibus est, quando aliquid venditur cum pacto, seu conditione, quod si emptor pretium non dederit intra terminum constitutum, vt intra mensem, vel annum, aut alium, quem contrahentes præfixerint, res sit non vendita. Et tunc si emptor intra eum terminum pretium non dederit in potestate venditoris transacto termino est, vel retinere, aut repetere rem, quam vendidit, & dissoluere venditionem, vel cogere emptorem ad pretij solutionem, eo quod pactum illud in fauorem solius venditoris sit appositum; vnde in venditionibus validum est eiusmodi pactum, vt docet Angelus verbo pactum, numero 18. ex l. 1. & per totum titulum. ff. de lege commiss.

Pactum legis commissoria in quibus contractibus fieri debeat.

Angelus.

Tertio obseruandum est, quod in pignoribus pactum legis commissoriæ est, quando aliquis pignus pro mutuo, aut quocumque alio debito accipit ea lege, & conditione, quod si debitor intra certum tempus debitum nõ soluerit, pignus efficiatur creditoris pro eo debito, aut emptum certo, alio, & determinato pretio, quasi debitor eo ipso, quod intra præfixum tempus non soluit, incidat in commissum amittendi eo modo pignus. Et huiusmodi pactum, inquit Angelus generaliter est reprobatum, vt in l. fin. C. de pact. pign. & in c. significante. de pign. atque adeo ipso non obstante, pignus est restituendum, & nulla valet consuetudo contra dictam l. fin. secundum Bal. in l. 1. C. quæ sit long. consuet. & in c. 1. de feudis, nisi iurasset in tali pacto, vt in d. c. significante. docet Gl. & in c. cum contingat. de iure iurando, præterquam quod si pignus plus valeret, quam pretium illud, & tamquam lucrum ex mutuo, aut ex dilatione solutionis pactum illud apponeretur, vsura id esset, seclusa quacunque positiua lege, qua eiusmodi pactum prohibentur. Si tamen propter morã in causa fuit alicuius lucri cessantis, aut damni emergentis, tenetur ei resarcire, iuxta ea, q̃ diximus articulo præcedẽti.

Baldus.
Glossa.

Obseruat tamen Panormit. in d. c. significante, numero 6. quod si pactum sit, quòd debitore intra terminum non soluente, pignus sit venditum, non aliquo certo, & determinato pretio, sed pretio iusto arbitrio boni viri, quod validum est pactum. Et idem, intelligendum est, inquit Bart. relatus a Panorm. si pactum esset, quod pignus termino transacto maneret venditum; quoniam sensus esset, quod maneret venditum iusto pretio arbitrio boni viri æstimandum; quod etiam probat Couar. 3. var. resol. c. 2. nume. 7. in fine. Et si dicatur, vsura est ob mutuum, aut ob dilationem solutionis obligare venditorem ad vendendum pignus etiam pretio iusto, non secus atque vsura est obligare ad ineundum contractum assecurationis, vt diximus supra, ergo vsura est mutuare

Panorm.

Bartolus.

Couar.

tuare

tuare cum pacto, quod si debitum intra certum tempus nō soluatur, pignus maneat venditum iusto pretio. Respondet Couar. loco citato, quod si id fieret tamquam grauamen pro mutuo, atque iniunctum tamquam lucrum ex mutuo, vtique esset vsura. Si autem fiat, vt creditor se indemnem seruet, & ea via in termino recompensationem accipiat rei sibi debitæ, nulla esset vsura. Adde, posse etiam grauamen illud licitè iniungi debitori in pœnam iustam, si in termino constituto debitum non soluat: vt bene adnotauit Nauar. in Manu. capitulo decimoseptimo, numero 203. & 217. His obseruatis, pro intelligentia pacti legis commissoriæ,

Nauar.

Ad quæstionem respondeo, quod si quis alteri vendat agrum pro mille ex lege, & conditione, quod quandocumque dederit venditor pretium illud possit recuperare rem, & hoc siue ipse, siue hæredes sui, siue in perpetuum, siue vsque ad certum tempus, emptor potest recipere fructus agri medij temporis, non computando eos in sortem absque labe vsuræ; & eo maxime si venditor totum receperit pretium; patet: quia emptor est verus dominus, & bona fide possidebat, & non erat certus, quod aliquando peteretur ab eo ager ille; atque adeo faciebat fructus suos; & non tenetur eos in sortem computare, cum iam sui effecti sint; eo maxime cum hoc pactum non in fauorem eius, sed venditoris adiectum sit.

Quod limita, dummodo non sit ibi fraus vsurarum; quia quotiescumque in contractum fraus vsurarum interuenit, & earum intentio, licet ex forma contractus non sit vsurarius, est tamen illicitus, & vsurarius virtualiter. Interueniret autem fraus vsurarum in contractu, si quis diceret alteri, quod mutuaret ei centum, & ille nollet gratis dare; atque adeo vt aliquid posset lucrari, diceret petenti mutuum, vende mihi agrum tuum pro centum adiecta conditione, vt quandocumque dederis mihi centum rehabeas agrum; & interim mutuator accipit fructus agri, quasi verus dominus; In hoc contractu est manifesta fraus vsurarum: quia quod non poterat habere vno modo, habet alio; atque adeo nisi fructus computet in sortem, vsurarius est: quia non potuit efficere illos suos, cum non fuerit effectus verus dominus; quia non fuit vera venditio, sed in fraudem vsurarum.

...ntractū factū in ...udem v... ...rum tri... ...signo co... ...potest.

Triplici autem signo præsumi potest, contractum factum esse in fraudem vsurarum. Primo, & maxime apparet ex constitutione pretij: nam si venditio agri pro iusto valore fiat, nollet postea venditor rehabere; atque ita vsurarius nihil lucraretur: ad hoc enim quod lucretur, oportet, quod venditor agrum rehabere possit; vt autem rehabere velit, oportet, quod pro minori pretio sit ager venditus, quam sit eius verus valor: & tunc cum venditor redimerit illum, lucrabitur vsurarius fructus medij temporis: atque adeo pretium iniustum constitutum, est signum, quod talis contractus fuit factus in fraudem vsurarum.

Ad hunc modum pertinet, quod multi facere solent, cum mutuant certam pecuniam sub pignore cum hac conditione, si istud pignus vsque ad talem diem redemptum, aut liberatum non fuerit, maneat venditum per hoc pretium: nam si pretium illud minus sit iusto valore, est vsura; si autem sit iustum pretium, valet contractus; alias autem contractus non tenet, sed rescindetur, vel mutuator cogetur ad iusti pretii suppletionem.

Secundum signum est, quando plus ponitur in contractu, quam recipiat vendens; vt si apponatur, quod quandocumque voluerit redimere agrum, reddat centum, & triginta, quæ confitetur se recipere, & in veritate solum recipit centum: nam quando illud constaret, est magis manifestum signum vsurarum fraudis.

Tertium signum est, quando emptor consueuit accipere vsuras: quia tunc talis contractus præsumeretur factus in fraudem vsurarum, cum ipse de se aliquam præsumptionem ostendat, scilicet, quia potest redimi res vendita, quando voluerit venditor, vel vsque ad certum tempus: quia non præsumetur, quod hanc libertatem concederet venditori emptor, nisi aliquod lucrum inde emptor perciperet.

Omni ergo vsurarum fraude in huius modi contractu remota, potest emptor recipere fructus medij temporis, non computando eos in sortem: quia venditores interdum propter inopiam vendunt, & postea volunt recuperare rem suam; & in hoc casu nemo fraudatur: nam venditor non læditur, si redimat; quia cum non teneatur redimere, non redimeret nisi putaret sibi esse lucrum. Emptor quoque non fraudatur; quia si redimatur possessio, effecti sunt fructus percepti sui, & illos lucratur, cum restituatur sibi integra pecunia. Et si dicatur, quod emptor fecerat meliorationes in agro, & quod illas perdit; & per consequens fraudatur. Dico, quod læditur, sed non fraudatur; immo neque propriè læditur, sed ipse seipsum lædit: sciebat enim, quod res poterat redimi, quandocumque vellet venditor; sibi ergo ipse imputet, qui in re aliena hoc fecit; neque tenetur alius ad meliorationes, quia iste fecit eas, sicut in re propria. Vnde sicut percipit fructus medij temporis, tamquam verus dominus, ita & meliorationes fecit, vt in re sua; atque adeo sicut non computat fructus in sortem, ita neque meliorationes. Si autem conueniretur, quod meliorationes solueret redemptor possessionis, & tamen fructus medij temporis non computaret emptor in sortem, esset contractus vsurarius.

Si autem fieret contractus è contrario, nempe emptor emens possessionem adiciat pactum, quod possit quandocumque voluerit, venditori possessionem restituere, non potest percipere fructus, non computando eos in sortem. Et ratio est: quia hic non est sicut in præcedenti casu: nam hic in potestate emptoris est reddere agrum, & recuperare pecuniam, quandocumque voluerit; atque adeo certum est, quod numquam volet, nisi quando putauerit sibi vtile esse.

In alio autem casu è contrario, quia in potestate venditoris est redimere agrum, & non emptoris; atque ita redimet forte, quando emptor fecerit meliorationes. Sicut ergo iustum erat in casu illo fructus non computari in sortem, quia venditor prosequitur vtilitatem suam, & fortè lucratur meliorationes alterius: ita in hoc casu iustum est emptorem non retinere fructus, sed restituere illos venditori: quia ipse prosequitur vtilitatem suam; & tunc forte restituit agrum, quando deterioratus est, & cogitur talem recipere venditor. Cæterum iste casus rarus est, & non habet fraudem vsurarum apertè, sicut casus præcedens, quo ad illa duo signa prima. Et de his extra de emptione, & venditione. cap. ad nostram. & de pignoribus. c. illa nos.

ARTICVLVS IV.

Vtrum liceat fideiussori pacisci, aut stipulari mercedem aliquam pro ipsa fideiussione.

CErtum est apud omnes, quod si fideiussor soluit creditori vsuras, potest eas petere a debitore, pro quo fideiusserat: nam debet fideiussor indemnis seruari, atque adeo omnia damna in quæ incidit ratione fideiussionis soluit debitor, atque etiam arrestiones, & vsuras: si enim necesse fuit fideiussori creditori vsuras soluere pro debitore, potest illas a debitore repetere. extra de fideiuss. c. peruenit. & c. conquestus. extra de vsuris. atque ita soluit debitor vltra sortem receptam.

Causa autem, quare in hoc euentu recipit fideiussor vltra sortem, est, quia illud non habet ratione vsuræ, sed interesse: non enim est lucrum, sed vitatio damni; quilibet autem bona fide agens debet seruari indemnis, & maxime qui beneficium præstitit; sed fideiussor beneficium præstitit debitori, ideo tenetur debitor eum indemnem seruare non solum de iure naturali, sed etiam de rigore iuris. extr. cap. peruenit. & cap. conquestus. supra citatis. Si ergo fideiussor soluit vsuras coactus a iudice, tenetur illas resarcire debitor: quia licet respectu debitoris sint vsuræ, respectu fideiussoris non sunt vsuræ, sed vitatio damni; sed hoc non est id, quod quæritur in isto articulo. Id autem quod quærimus est, vsura ne sit, fideiussorem aliquid accipere, vt vlterius fideiussor existat.

Fideiussor quis dicatur

Pro cuius explicatione obseruandum est primo, quod fideiussor est, qui pro alienis debitis intercedit; vel fideiussor est, qui alieno nomine obligatur: pro se enim fide iubere nemo dicitur, nec potest; & differt a mandatore: quia mandator interuenit a principio: fideiussor vero potest accedere tam ante factum, quam post, vt habetur in authen. præsente. C. fideiuss. Est autem mandator, qui tantum ante rogatus, & ex mandato fideiubet.

Secundo obseruandum est, quod fideiussor duplici titulo intelligi potest, quod mercedem recipiat pro ipsa fideiussione, scilicet, vel titulo compensationis iustæ vltra sortem pro pecunia, quasi loco debitoris soluerit fideiussor, veluti mutuo illi dabit; vel titulo compensationis pro obligatione, quam fideiussor in se suscipit, soluendi eam pecuniam in euentu, quod debitor non soluat.

Tertio obseruandum est, quod in eiusmodi contractu euitari omnino debet fraus vsurarum: nam si quid in vsurarum fraude fuerit acceptum, vt quis fideiussor existat, obnoxium id erit restitutioni v.g. Si pecuniæ dominus det illam alteri, qui mutuo eam det, sed non alter nisi ipse pecuniæ dominus fideiussor existat, si pecuniæ dominus tunc aliquid accipiat, vt fideiussor existat, tenetur id restituere mutuatario; eo quod re vera nullum onus soluendi pro eo in se suscepetit, quia in vsurarum fraudem id sit acceptum, cum non verus, sed fictus fideiussor extiterit; Exemplum: Sit Ioannes, qui a parte rei sit ille, qui centum mutuat Petro, cæterum mutuum exerceat per manum Pauli fingentis se de sua pecunia mutuare Petro, cum tamen Paulus sit dumtaxat minister, vel conductus, vel subordinatus per Ioannem, vt loco sui mutuet Petro; si Ioannes fide iubeat pro Petro, non potest Ioannes exigere aliquid a Petro: quia in tali casu Ioannes est verè mutuator; & si exigit aliquid vltra sortem mutuatam non exigit illud ratione fideiussionis, quia in re non est verus fideiussor, sed fictus; sed exigit ratione mutui impensi; atque adeo est vsuratius. His obseruatis.

Dico primo illicitum esse moderatum pretium accipere, vt quis fideiussor existat, quasi id compensatio iusta sit vltra sortem pro pecunia, quam si loco debitoris fideiussor soluerit, veluti mutuo illi dabit; patet: quoniam id est manifeste vsura, vt pote lucrum ex mutuo.

Dico secundo licitum esse moderatum pretium accipere titulo iustæ compensationis pro obligatione, quam fideiussor in se suscipit eam pecuniam soluendi, in euentu, quod debitor non soluat: patet: quoniam & si pecuniæ, quæ mutuo, aut quasi mutuo datur, non plus valeat, quam tantundem, obligatio tamen illam quasi mutuo dandi, in euentu, quod debitor principalis non soluat, præsertim cum danda sit debitori ipsi, qui fidem circa principale debitum prius fregerit, pecunia est æstimabilis: & ea de causa fideiussor vendere potest susceptionem eius oneris in gratiam debitoris. Eadem etiam de causa creditor accipere a fideiussore potest moderatum pretium, vt fideiussorem ab ea obligatione liberet.

Dico tertio, quod fideiussor potest licitè aliquid accipere, vt pro alio fideiubeat, ratione periculi, atque obligationis, quam in se inducit; vt si principalis debitor non soluat, ipse loco illius satisfaciat; Probatur: quoniam obligatio illa, quam in se suscipit, pretio est æstimabilis, non solum quando verisimiliter timet cogendum fore soluere pro debitore, sed etiam quando nihil tale timet. Hæc conclusio est communis Doctorum sententia; de quorum numero sunt Caiet. 2.2. q.78. art. 2. ad quartum. Sotus sexto de iustitia quæstione prima, articulo secundo, ante resp. ad sextum. Diuus Thomas, Conradus de contract. q.40. conclu. 4. Nauar. in Manu. cap. 17. numero 185. & in Com. de cambijs in prin. Ioannes Medina de rebus per vsuram acquisitis quæstione quarta ad primum principale, & Couar. 3. variar. resolut. c. num. 6. & alij, quos citat. & consentit. l. hoc iure. ff. de don. §. 1.

Caiet. Sotus. Conradus. Nauar. Medina. Couar.

Cæterum ipse Couar. hanc conclusionem limitat, vt scilicet vera sit, quando verisimile est, atque periculum, vt fideiussor pro debitore soluat; secus autem si verisimile sit fideiussorem nihil pro debitore soluturum. Placet tamen communis sententia, quæ vniuersim, quod dictum est, affirmat, licet parum ad modum sit licitum accipere, quando nullum timetur periculum. etenim obligatio soluendi pro aliquo etiam si præter spem euenire possit, vt soluat, pretio est æstimabilis, eo minori quo periculum minus est timendum. Hinc intelliges mutuo dare alicui cum pacto, vt teneatur fideiussor esse pro mutuante vsuram esse, non secus ac mutuo dare cum pacto, vt mutuatarius molere teneatur in mutuantis molendino.

ARTICVLVS V.

Vtrum gener, qui interim dum dos ei non persoluitur pignus fruendum accipit non computando fructus in sortem, sit ab vsura immunis.

Circa hanc difficultatem vt ab incertis certa separemus. Dico primo certum esse, quod si socer velit soluere dotem, & gener noluerit solutionem recipere, sed petat, vt detur tibi in pignus ager fructifer, ex quo quotannis fructus percipiat saluo capitali, erit vsurarius: quia tunc vellet lucrum ex mutuo, quod est illicitum. Dico secundo etiam esse certum, quod si gener semel accipiat dotem, & iterum illam mutuet socero pretio fructus alicuius agri vltra sortem, erit vsurarius, nisi forte id faciat ratione lucri cessantis iuxta dicta in superioribus: quia quotiescunque ex mutuo speratur lucrum est vsura.

Sed dubium est, vtrum quando socer non soluit dotem genero, sed dat illi in pignus agrum fructiferum possit gener fructus illius recipere non numerando eos in solutione principalis. De qua re etiam pars affirmatiua est certa, vt pote quæ habetur definita in cap. salubriter. de vsuris, vbi ita legimus. Sane generum ad fructus possessionum, quæ sibi a socero sunt pro numeranda dote pignori obligatæ, computandos in sortem non credimus compellendum, cum frequenter dotis fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda. Quibus verbis Innocentius III. aperte definit, generum non teneri computare in sortem fructus pignorum, quæ pro dote promissa interim dum ei non soluitur, accepit; Quæ definitio communiter ab omnibus Doctoribus recipitur. *Innocent.*

Sed difficultas consistit in explicanda ratione, propter quam illi fructus non debeant computari in solutionem principalis. Quidam ex Iurisperitis asseruerunt id concessum fuisse genero in priuilegium, & fauorem matrimonij ad onera illius sustinenda, quasi ex iuris concessione licitum sit genero, quod in se, seclusio priuilegio, vere est vsura, & illicitum. hæc tamen opinio omnino improbabilis est: Cum enim vsura ex se naturali, atque diuino iure illicita sit, certe humanum ius concedere non potest priuilegium vt licita alicui sit. Neque Innoc. III. in cap. salubr. nouum ius condidit, sed declarat solum, quid natura ipsa rei in hoc euentu habeat.

Adrianus in 4. q. de vsuris vers. sed dubium. Maior. d. 15. q. 3. t. casu. 3. Conrad. de contract. q. 35. Almayn. d. 15. q. 2. Couar. 3. variarum resol. c. 1. num. 3. & multi alij, quos Couar. refert affirmant, quod illos fructus accipere potest gener, non quidem ratione mutui, sed ratione lucri cessantis, & damni emergentis: Impeditur enim a negotiatione, quadiu ei dos non traditur. Sed hæc sententia stare non potest: tum quia commune est in omnibus contractibus aliquid posse recipere vltra sortem ratione lucri cessantis, & damni emergentis, vt diximus supra; & si non esset alia peculiaris ratio in matrimonio frustra de eo fieret particularis determinatio. Tum quia si solum ratione lucri cessantis, gener faceret fructus suos, quos ex pignore recipit, sequeretur, quod si dos soluenda esset in pecunia, & gener negotiaturus non esset cum ea, sed se, & vxorem suam sustentaturus esset ex redditibus sui patrimonij, nihil accipere posset vltra sortem, quippe ex dilata dote nullum lucrum ei cessaret, aut damnum emergeret: nam vt supra diximus, ille tantum potest pro mutuo exigere lucrum cessans, qui habet pecunias negociationi expositas, consequens est falsum: quia omnibus generis id communiter conceditur, vt omnes Doctores fatentur. *Adrian. Maior. Conrad. Almayn. Couar.*

Ioannes Medina de rebus per vsuram acquisitis. q. 2. vers. Ad cap. salubr. communi opinione minime repudiata inclinat potius Innoc. in d. cap. salubr. præsumptioni initi, socerum intendisse donare genero fructus pignoris interim dum dos illi non persolueretur ad matrimonij onera sustinenda. Idem sentire videtur Nauar. in Manu. cap. 17. numero 213. & latius in comment. de vsuris a numero 64. & inde, *Medin. Nauar.*

& inde, quam donationem dicit colligi ex concurrentibus in tractatu rei dotalis. Cæterum hæc sententia meo iudicio est minus probabilis, quam secunda. Nam Papa eo in loco, non de donatione, sed de iustitia fuit interrogatus, atque ita determinat id, quod iure fieri potest dicens, generũ facere fructus illos suos, quod verum habebit etiam socero renuente, nullamque donationem faciente. Couar. vbi supra post longam disputationem. Fortunij sententiam amplectitur asserentis in tractatu de vlt. fine iuris illatione 6. quod pater tenetur ad alendam, & sustentandam filiam suam, & ita fructus pignoris videtur donare pro alimentis eius, donec dotem soluat. Vnde colligunt illam definitionem habere tantum locum in genero, qui ab ipso socero accipit pignus fructuosum, & hanc dicunt esse rationem, quæ in cap. salubr. redditur generum quidem accipere fructus pignoris in sustentationem propriæ vxoris loco patris, est accipere eosdem fructus ad matrimonij onera sustentanda. Verum sententia hæc sicut nec multis aliis, ita nec mihi probatur: tum quia vt ex dicendis patebit, rei punctum non attingit, tum etiam, quoniam vt Nauar. loco citato num. 65. immerito restringit cap. salub. ad generum comparatione solius soceri: semper enim seruatum est in omnibus frugiferis pignoribus pro soluenda dote acceptis, siue dentur pro dote filiæ siue sororis, vel neptis, siue cuiuslibet alterius extraneæ.

Couar.
Fortunius.
Nauar.

Sotus.

Sotus 6. de iust. & iure, quæstione prima, articulo secundo in respons. ad vlt. dicit quod maritus tenetur ad onera matrimonij sustinenda, quorum vnum est dotis custodia: nam dotem quam restituere tenetur integram dissoluto matrimonio vxori, aut hæredibus ipsius, tenetur alere vxorem. Hæc etiam sententia non placet; tum quia textus non se fundat in custodia dotis; tum quia sequeretur (vt inquit Nau.) quod in Lusitania, & in aliis terris vbi omnia bona inter coniuges sunt communia, non haberet locum præfatum c. salubr. quod contra omnem morem, & consuetudinem est; tum quia nullus vnquam alius vsque ad ipsum dixit custodiam dotis esse onus matrimonij: quin potius ipsius custodia, & rectus eius vsus sunt leuamen, & adiutorium; sicut contractio, perditio eius, & sumptus, quam in alendo se, suaque vxore, & domo facit sunt onera eius. Adde quod Sotus ipse asserit viduam iam soluto matrimonio posse a patre, siue ab hæredibus illius percipere fructus pignoris obligati pro dote marito iam defuncto, & tamen vidua non tenetur seruare integram dotem suam, sed poterit expendere, vt licebit, ergo &c.

Nauar.

Quare his sententiis omissis dicendum est, quod tantum propter onera matrimonij etiam si nullum sit lucrum cessans potest gener fructus pignoris accipere, illis non computatis in sortem; ita quod ratio propter quam facit illos fructus suos est, vt illis sustentet onera matrimonij. ita asserit Panorm. & alij in d. cap. salubr. Gabriel in 4. d. 15. q. 11. post quartam concl. & Caiet. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 6. & certe est expressa determinatio illius cap. vbi dicitur, quod gener tales fructus recipiat pro sustentandis oneribus matrimonij.

Panormit.
Gabriel.
Caietanus.

Pro explicatione tamen huius sententiæ obseruandum est, quod quando socer loco dotis dat pignus; aut dat antequam traducatur vxor, vt supportentur onera matrimonij, aut tunc cum supportantur. Si primo modo non licet genero accipere fructus non computando eos in sortem; nam vel tenetur eos in dotem computare, vel socero illos reddere, computabit inquam in dotem si dos æstimata est, & reducta in pecuniam, vel restituet fructus, quando dos non est æstimata ad pecuniam: nam danda est certa hæreditas, vel fundus. Si autem datur pignus, quando vxor traducta est; aut statuitur terminus in quo dos danda est, aut non. si non statuitur, aut conueniunt socer, & gener, quod interim dum non potest dare dotem, loco fructuum dotalium accipiat gener fructus pignoris illius; aut nihil conueniunt, sed solum dat possessionem aliquam in pignus. In isto vltimo casu manifestum est, quod nullus timor vsurarum est, non computando fructus in sortem: quia non accipiuntur fructus ex pacto, nec est etiam aliqua expectatio temporis, quæ videatur hic vendi, nec accipit gener fructus pignoris, tanquam accrescentes doti, quos ipse lucretur, vel accrescat doti; sed accipit eos tanquam fructus rei dotalis: quia cum non sit tempus taxatum ad dandum dotem, statim danda erat, & ideo accipiuntur fructus pignoris loco fructuum dotalium, & iste videtur casus in cap. salub. Nam ibi non dum data dote supportabat gener onera matrimonij, & datum erat pignus pro cautione, quod dos daretur, & data dote volebat socer, quod gener computaret fructus perceptos in sortem. Respondetur ibi, quod non tenetur, & tamen si conuenisset cum eo, quod acciperet fructus medij temporis loco dotis non videretur, quod peteret gener.

Si autem conueniunt inter se, quod quousque accipiat dotem accipiat gener fructus pignoris, aut ista expectatio temporis facit augeri dotem, aut non idest, quod forte gener contentus esset minori dote, si statim daretur, & tamen quia non statim datur, vult dari maiorem, aut etiam si statim daretur non esset contentus minori dote. Si primo modo videtur vendere expectationem temporis, atque adeo videtur, quod non debeat medio tempore percipere fructus pignoris, & si perciperet, quod computet, quia alias acciperet vltra sortem, & videtur esse ibi modus vsuræ, sicut in eo, qui carius vendit, vt expectet solutionem post tempus solutionis. Si autem non erat accepturus dotem minorem, etiam si statim sibi daretur, & detur pignus in cautionem, & etiam vt de fructibus eius sustentet gener onera matrimonij, non videtur vsura, quia fructus dotis erant ad istam sustentationem, & dari debebant statim, cum cepit gener illa sustinere; sed non dedit socer, ideo in mora est, & per hanc moram potest pati interesse, & isti sunt fructus pignoris, qui succedunt loco fructuum dotalium.

Si autem statutum est tempus, quando daretur dos v. g. socer dixit genero. Ego non potero tibi tradere dotem vsque ad annum; aut fuit expressum, quod interim reciperet fructus, & datum est pignus; videtur quod non possit gener nisi post annum accipere fructus pignoris non computando, secus autem post annum, si non dum soluta est dos: de primo patet, quia videtur gener fuisse contentus, quod daretur ei dos post annum; & quia quamdiu matrimonium cõstat; tenetur vir alere vxorem siue dotem habeat, siue nõ, videtur renunciasse iuri percipiendi aliquos fructus pro sustentatione onerum matrimonij medij temporis, & ideo si nolit computare fructus pignoris in sortem, manifeste recipit vltra sortem, & tunc est vsura: nam ipse fuit in culpa, qui voluit accipere onus vxoris tempore medio, quo non dabatur ei dos. De secundo patet, quia si elapso termino constituto non dederit socer dotem, incipit esse in mora, & ideo debetur interesse, & recipientur fructus pro interesse, idest ad sustinendum onera matrimonij: nam vsque ad terminũ constitutum videtur vir voluisse renunciare iuri suo, vt non reciperet dotem, & tamen aleret vxorem. Ideo non potest petere interesse, & computabit fructus, sed elapso termino, idest post constitutum diem noluit sine dote alere vxorem; ideo post diem illum potest accipere licite fructus non computando in sortem.

Si autem fuit expressum quod vsque ad tempus, quo danda erat dos perciperet gener fructus pignoris, aut erant illi fructus certi, vt pote erat possessio data ad censum, vel similes pensiones in quibus sine varietate euentuum sunt certi redditus; aut fructus erant incerti, vt sunt fructus agrorum, arborum, & vinearum &c. Si primo modo dicunt aliqui quod sit vsura, eo quod istud est manifeste maius lucrum, quam fructus dotis: quia fructus illius erant incerti, & isti sunt certi, & propter hoc videtur eis esse vsura. velut si socer daret quinque pro centum singulis annis quo vsque solueret dotem; atque adeo volunt quod in hoc euentu teneatur gener computare fructus in sortem dotis. Si autem non fuerint certi fructus, dicunt quod non videtur esse vsura: quia non poscit hoc gener tanquam lucrum, sed tanquã interesse. q. d. ego non possum sustentare onera matrimonij; quia non das mihi dotem, ideo da mihi aliquid aliud vnde sustentem onera, & tunc socer dat fructus pignoris in locũ fructuum dotalium medij temporis, atque ita non est vsura.

Cæterum in hoc euentu considerandum est sicut supra dicebatur, an gener contentus esset minori dote, si statim daretur, & quia differtur traditio accipit maiorem; nã tunc cum propter dilationem solutionis accipiat maiorem, non debet gaudere fructibus pignoris medij temporis: quia hoc modo esset lucrum recipere ex solutionis dilatione; secus aũt si non fuit tradita, seu soluta nisi post terminũ cõstitutum. Nam tunc etiam si maiorem dotem recepturus erat

propter dilationem, termino elapso potest recipere fructus pignoris non computando illos in sortem, cum sibi hoc cōpetat propter moram.

Solutio dotis in quo differat a solutione pecuniæ pro re vēdita.

Obseruandum est tamen, quod in hoc differt solutio dotis a solutione pecuniæ pro re vendita: nam regulariter qui carius vendit ob dilatam solutionem, quam si statim pretiū reciperet, vsurarius est, extra de vsuris. c. in ciuitate, & c. nauiganti; & tamen si quis acciperet nunc vxorem data sibi statim dote centum librarum, & si detur post annum nō vult accipere nisi dotem centum, & viginti nō est vsurarius. Causa differentiæ est: quia pretia rerum non sunt ex singulorū opinionibus, sed ex communi æstimatione secundum loca & tempora, abundantiam & caritatem, & alias circunstantias, atque adeo dicitur aliquis vendere carius, aut vilius, sci licet, quia mensura quædam est pretij rerum ex communi æstimatione, si ergo quis accipiens statim pretium, dat rem pro iusta æstimatione, est licita venditio; si autem quia expectat pretium post tempus dat carius est vsura: quia venditur expectatio temporis, & vsus pecuniæ interim. Secus autem est de dote: quia constitutio dotis pro quolibet homine non est secundum aliquam mensuram a iure datam, vel a communi hominum opinione; sed secundum voluntatem cuiuslibet accipientis vxorem; atque adeo si contentus nūc sit dote centum flor. statim tradenda, & nolit vsque ad annū dilata traditione accipere dotē nisi centum, & quinquaginta flor. non est vsura, neque aliquid iniustum. Secunda causa est, quia esto, quod dotes pro singulis hominibus taxatæ essent, potest crescere dos propter dilationē traditionis absq. vsura, non autem pretium rei venditæ. Ratio est, quia pretium rei vēditæ nullum vsum habet: quia est pecunia, & est translata in emptorem; quia toto illo tempore, quo expectamus differentem solutionem, est quasi mutuauerimus illā pecuniam; mutuata autem pecunia transfertur in accipientem, atque adeo pro vsu eius, non potest aliquid accipere mutuans. Secus autem est de dote: quia vir quamdiu habet vxorem tenetur eam alere, & hoc fit de fructibus dotis, quia propter hoc constituuntur dotes. Si autē vir accipiat statim dotem alit vxorem de fructibus dotis, si autem non accipiat statim, tenetur ipse de proprijs alere vxorem, ideo pro hoc onere, quod ipse supportat, potest petere maiorem dotem, si differatur solutio dotis.

ARTICVLVS VI.

Vtrum si possessio, quam accipit gener maiores redditus faciat quam dos liceat ei nullos fructus computare in sortem.

Explicatur c. salubriter.

VT legitimam cap. salubr. intelligentiam, ex qua omniū difficultatum solutio circa hāc materiam pendet perspicue subiiciamus, obseruandum est dispositionem cap. illius esse in consuetissimo euentu, quo aliquis se constituit daturum genero certam dotis quantitatem, & quia non potest eam soluere statim, in ea saltim materia, in qua soluere intēdit, ac promittit; interim illi in pignus tradit possessiones aliquas fruendas, quousque dos ei persoluatur; idque siue locet certum constituat terminum, in quo dotem sibi soluturus sit, & sua pignora recepturus, siue non; sed dicat se dotē esse soluturum, atque interim dum non soluerit fruatur pignoribus illis. In hoc ergo euentu consultus Inn. III. an gener vsurarius esset non cōputando fructus eiusmodi pignorum in sortem, atque adeo an compellendus esset eos in sortem computare. Respondit quod non: huic rationi innixus, quod fructus illi non accipiuntur in recompensationē pro expectatione solutionis dotis; id quippe vsura esset palliata; sed in recompensationem onerum matrimonij interim dum

Innocentius

dos non soluitur, quæ onera illos valent, atque hoc est quod concise probat ratio, quam Innoc. in fine cap. reddidit dicēs. Cum frequenter ipsi fructus non sufficiant ad onera matrimonij supportanda. q. d. onera matrimonij valent fructus integræ dotis, saltim solutæ, esto in possessionibus fructiferis persoluantur quippe cum pro sustentandis oneribus illis detur merito dos integra fruenda toto tempore, quo matrimonium perseuerat; sed fructus pignorum maiores nō sunt, quam fructus integræ dotis si in possessionibus solueretur, aut gener ex pecunia dotis possessiones emeret, ergo matrimonij onera, quæ gener vsque ad dotis solutionem sustinet, valent fructus pignorum, ac proinde non tenetur computare illos in sortem. Vnde ex hoc oritur dubium si fructus pignoris excederent dotalitios fructus, an possit gener eos accipere in sortem computando.

An si fructus pignorum excedentes dotalitios fructus teneatur gener eos in sortem computare.

Secundo obseruandum est duos contractus solere interuenire, quando aliqui matrimonium celebrant; Vnus ē, quo coniuges mutuam potestatem corporum ad inuicē tradunt, atque in hoc consistit ratio matrimonij. Alter vero quo maritus onus in se suscipit vxorem sustentandi pro dote, atque hic est contractus innominatus, faciam vt des; & de iure cōmuni iuxta quod cap. salubr. loquitur, dabatur viro pro oneribus matrimonij subeundis dos fruenda toto tempore, quo matrimonium perseueraret, quam dissoluto matrimonio integram redderet.

His obseruatis ad difficultatem dicendum est, quod aut conuentum fuit aliquos fructus deberi computari in sortē, aut non; si primo modo stabitur conuentioni, quia licita est, & potest duobus modis licite fieri; vno modo vt dicatur vt accipiat aliquos fructus in compensationem, reliquos computet, & isti fructus sint determinati, siue quia putatur tot fructus sufficere ad onera matrimonij sustinenda, siue quia tantum putatur dos redditura de fructibus. Altero modo ꝙ non expressæ quantitatis, dicatur quod gener accipiat inde fructus sufficientes ad sustentationem onerum, reliquos vero computet in sortem, tertio modo quod dicatur, quod accipiat inde tantos fructus, quantos dos reddere poterat, & reliquos computet in sortem.

Si autem nihil conuentum est; sed simpliciter data est possessio in pignus, dicunt aliqui, quod non accipiet omnes, sed solum eos, qui sufficiunt ad onera matrimonij sustinenda: quia dos ad hoc datur, atq. adeo causa cessante cessat effectus, ita Angelus verb. vsura. num. 25. & Syluest. eodem verb. 3. q. 2. & plerique alij. Quidam vero dicunt, quod solum accipiendi sunt tanti fructus, quanti putabuntur futuri fructus rei dotalis, cum ij loco fructuum dotis succedant, & cæteri computentur in sortem. Nonnulli dicunt tantum posse generum ex fructibus pignorum accipere, quantum lucri cessat, cæteros vero, qui excedunt legitimum, & verisimile interesse, quod ex ratione lucri posset ex dotali quātitate a marito percipi in sortem computandos esse, ita Couar. loco supracitato. §. Tertio probatur.

Angelus Syluester.

Couar.

Cæterum illorum sententia non placet, atque adeo dicēdum est, quod quandocunque nihil conuentum est, sed simpliciter data est possessio in pignus, gener non tenetur fructus aliquos computare in sortem, etiam si sint maiores fructus pignoris; & ratio est primo: quia fructus dotis sunt ad sustentanda onera matrimonij, & frequenter non sufficiunt, licet ad hunc finem dentur; atque ideo licet fructus pignoris maiores sint, quam fructus dotis, licite accipiuntur: quia forte sunt necessarij ad sustentationem onerum, & hoc colligitur ex d. cap. salubr. cum redditur ibi causa, quare non computantur fructus in sortem: quia scilicet frequenter fructus dotis non sufficiunt ad onera matrimonij supportanda. Secundo quia licet credatur fructus pignoris maiores esse, quam fructus dotis, poterat tamen accidere fructus dotis, siue iudicio diuino secundum dispositionem temporalem, siue ex industria generi, effici æquales fructibus pignoris, ac proinde propter hoc dubium licitum est omnes accipere nullis computatis. Tertio, & præcipue, quia videtur socer hac intentione pignus tradidisse: nam fructus pignoris succedunt loco fructuum dotalium, & tamen nihil determinauit, ergo videtur simpliciter omnes fructus pignoris loco fructuum dotalium concessisse: atque ita non poterit petere, quod aliqui illorum computentur in sortem, & hoc videtur colligi ex intentione dicti cap. salubr. quia ibi nihil exprimitur de pignore magnorum, aut paucorum fructuum; sed dicitur simpliciter, quod non tenetur gener ad computandum fructus in sortem, atque ita videtur innui, quod de quolibet pignore intelligi voluerit, siue magnorū, siue paruorum redituum. Nam socer debuit sibi imputare si magnum pignus tradidit, & sine conuentione aliqua de computando. Et quia dubium poterat esse de maioribus fructibus pignoris, quam sint dotis, videtur hoc dubium tollere cum ait, quod frequenter fructus dotis ad supportandum onera matrimonij non sufficiunt, q. d. poterunt accipi fructus pignoris licet maiores sint ad sufficienter illa supportanda.

Prima autem sententia, quæ affirmat, quod solum potest accipere tot, quot sufficiunt ad sustentationem, & reliquos

com-

computabit in sortem, non stat; tum quia præiudicatur in hoc viro: nam si dos sit magna ita, quod superabundet ad sustinendum onera matrimonij lucratur eos vir, & non acrescunt dnis, cum ergo fructus pignoris cedant loco dotalium fructuum licet superabundent ad onera matrimonij, non computabit eos vir, sed lucrabitur, tum etiam quia si vir teneretur computare aliquos fructus huius pignoris in sortem, hoc ideo esset, quia superexcedunt ad fructus dotis, qui per se debebantur; sed illi interdum, immo vt plurimum non sufficiunt ad onera supportanda, vt patet ex d.c. salub. ergo non licebit viro accipere tantos fructus, quā ti sufficiunt ad onera matrimonij, atque adeo aut licebit viro omnes accipere, nullos computando, etiam si supercrescant ad onera, aut non accipiet ad sufficientiam supportandorum onerum; sed iuxta quantitatem fructuum dotalium.

Secunda etiam sententia non tenet: nam fructus non sunt determinati, cum tam iudicio Dei quam industria viri possint esse fructus maiores, aut minores, atque adeo propter hoc dubium licebit nullos computare: quia dubium tollit sæpe vsuram, vt extra de vsuris cap. in ciuit. & cap. nauiganti.

Tertia sententia inde refellitur, quod vt probatio est in superiori art. Ratio, tales fructus percipiendi non lucrum cessans, sed alia assignatur. Impertinens enim est in re proposita, quod genero lucrum aliquod cesset, aut non cesset, ex eo quod dos non persoluatur ei statim, vt liceat accipere possit fructus pignoris nō computandos in sortem, interim dum dos ei non persoluitur: cum enim illos recipiat in recompensationem iustam pro oneribus, quæ eo tempore sustinet, non vero in recompensationem pro expectatione solutionis dotis; certe esto nullum lucrum ei cesset, ex dilatione solutionis dotis, (vt si soluenda esset in pecunia, quæ in Arca erat reposita) iuste ex illo aliocapite potest illos recipere. Dicendum est ergo nihil referre ad hoc, vt possit maritus ob dilatam dotis solutionem fructus pignorum præcipuos habere, quod maiorem, minoremue quantitatem expendat in oneribus matrimonij, quam sint ipsi fructus pignorum, vt in specie aduertunt Adrianus in 4. sent. tract. de vsuris, vers. sed dubium, & Ioan. Medina de contract. c. de acquisitis per vsuram. §. ad cap. salub.

Adrianus. Medina.

ARTICVLVS VII.

Vtrum liceat genero cautionem accipere, vel promissionem cum pacto, quod interim quod dos non soluatur, pro oneribus detur sibi certa quantitas annuatim.

Hostiensis. Ioan. Andr. Couar.

DE hac re duplex est opinio. Nam Host. & Ioan. Andr. & quidam alij, quos Couar. 3. variar. resol. c. 1. num. 4. §. Quarto hic potest. cēsent hanc pactionem illicitam esse, nec in hac specie admittendam esse decisionem textus in d. cap. salubr. cum in ibi de fructibus pignoris, idest de re incerta, vltra sortem percipiendis tractetur; atque adeo secus respondendum est, vbi certa quantitas in pactum vltra sortem deducta fuerit, tum quia ibi datur possessio in pignos, & illius fructus percipit gener, atque adeo non videtur percipere vltra sortem: quia fructus dotis percepturus erat; sed huiusmodi annualis pensio pro quolibet centenario singulis annis designata non est fructus dotis, neque potest iudicari, vt fructus dotis, sed aliquid extra dotem; ergo est contractus vsurarius. tum etiam quia fructus dotis sunt incerti, atque ita et fructus pignoris, qui percipiuntur ex c. Salubr. sunt incerti, cum possint nulli esse iudicio Dei per accidentia temporū; secus autem de certa annua pensione pro quolibet centenario, quæ est determinata atque certa, ex qua videtur contractus vsurarius. Tum demum quia si non esset vsurarius oporteret, quod annua pensio reciperetur nomine interesse, sed interesse petitur propter moram, quando iuste petitur; sed in hoc euentu nulla mora intercedit, cum sit constituta dies, in qua dos dari debeat, & ante diem nullus est in mora, ergo non potest peti, neque recipi aliquid pro illo tempore medio, & si recipitur, cum non videatur recipi nisi pro dilatione solutionis, videtur quod eiusmodi contractus sit vsurarius.

Sententia refellitur.

Cæterum hæc sententia merito Doctoribus communiter improbatur: Cum enim si fructus illi, cum adhuc a fortuna pendent, vendi possint pro aliquo determinato precio quotannis soluendo, nulla profecto est ratio, cur licet genero pacisci licite potest de fructibus illis, non possit etiam pacisci de tanta quantitate pecuniæ, quanta est illud pretium. Adde quod esse posset, quod daretur domus, quæ posset afficari, atque ita esset certa pensio. Præterea cum gener in recompensationem iustam pro oneribus matrimonij, quæ sustinet, liceat accipiat fructus possessionis, licitum nulla profecto est ratio, cur similiter non possit iuste pacisci, vt sibi quotannis tanta pecuniæ quantitas persoluatur, quantum æstimabuntur onera, quæ sustinet, vt tantum pretium erit, quantum in ipsa in possessionibus tradita reddere deberet.

Argumenta opposite sententiæ.

Nec argumenta oppositæ sent. concludunt; quonia & si Papa non loquatur ibi nisi de fructibus pignoris, ex eo tamen responso colligi potest, etiam generum alia via recipere posse aliquid, vnde vxorios sumptus faciat.

Ad secundum neganda est minor: nam annualis pēsio cedit in locum fructuum dotis pro oneribus matrimonij sustinendis.

Ad tertium dico quod fructus dotis nō sunt de se & simpliciter incerti; nam si ex dote pecuniaria emerentur annui redditus, vel domus, fructus dotis essent determinati, & consequenter atque adeo potest gener loco illorum pro oneribus matrimonij, certam, & determinatam pensionem accipere.

Ad quartum dico, quod certam pensionem non recipit gener pro expectatione solutionis; sed quia dote salua, tenetur familiæ prouidere, & onera sustinere matrimonij, vt Panor. dicit in d. c. salubr.

Panor.

Ex dictis facile constat licitum esse statutum, quo sancitur, quod interim dum dos non soluitur genero, teneatur soluere ei quotannis certam pecuniæ quantitatem ad sustinenda onera matrimonij, ad rationem v. g. vnius pro quatuordecim æstimationis dotis, quæ illi esset promissa; nō solum ratione lucri cessantis (præsertim in locis vbi pecunia ei emuntur annui redditus, vt vult Couar. loco citato corol. 8) sed etiam quia id est pretium iustum pro matrimonij oneribus sustinendis, vt ex dictis satis est perspicuum.

Couar.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum matrimonio soluto possit vxor vidua erga mariti hæredes vti priuilegio cap. salubriter.

Panor.

PAnormitanus in c. salubr. opinatur constitutionem Innoc. III. non esse accipiendam in fauorem vxoris; matrimonio soluto, cum ea non sustineat tunc matrimonij onera. Idem tenet Bart. in l. at qui natura. §. non tantum, ff. de neg. gest. & alij quam plurimi Iurisperiti, quos refert Couar. 3. variar. resol. c. 1. no. 4. corrol. 6. & Caiet. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 6. Concedunt tamen relati Auctores, quod ratione interesse damni emergentis, aut lucri cessantis poterit vidua fructus pignoris percipere præcipuos, atq. adeo pacisci, vt interim dum soluitur dos certam annuam quantitatem percipiat, dicuntque hanc esse communem opinionem, quam tamen ita intelligendam esse censent, quod si vidua non habeat præter dotem bona, ex quibus percipere possit alimenta, poterit ab hæredibus mariti iuste exigere certam quantitatem, dum dos non soluitur loco alimentorum, cum per eam non stet, quin ei reddatur dos.

Bartolus. Couar. Caiet.

Couar. loco relato existimat hanc sententiam potius æquitate, quam iure debere probari, atque admitti. Nam in specie (inquit) vtriusque iuris principiis constat, viduam etiam inopem ratione alimentorum non posse vltra sortem dotis aliquid recipere ob dilatam eius solutionem, quod patet: quia fauor dotis minime permittit, nec patitur aliquod vltra sortem recipi, textus in c. super eo. de vsuris. Nec itidem inopia viduæ cum ratione paupertatis vsuræ permittendæ non sint ex eodem c. super eo. Nec potest inquit Couar. eadem opinio alimentorum ratione defendi, nisi quando alimenta ab hæredibus mariti viduæ inopi iure debentur, at vbi iure non debentur, non videt, qua ratione possit in pactum deduci ob dilatam dotis solutionem. Debentur autem viduæ alimenta ab hæredibus mariti, si ea pauper sit intra annum viduitatis, quo mariti hæredes cogi nō possint pecuniam dotalem viduæ soluere. Glos. Bart. & Doct. in l. 1. §. ea actio. C. de rei vxor. act. & Doctores communiter in l. diuortio in principio.

Couar.

Glossa. Bartolus.

Et si dicatur, etiam idem permittendum posse post annū cum ab eodem tempore hæredes constituantur in mora; respondet nullibi apud iuris vtriusque sanctiones statutum esse licere post moram debitoris creditori aliud recipere, quam interesse damni emergentis, aut lucri cessantis; alimenta vero etiam si creditor pauper sit, nec debentur, nec ei dari absque vsuræ vitio alicubi est permissum. Potest enim post annum statim præcise vidua coram iudice dotem ab hæredibus mariti exigere, & ex ea sibi necessaria alimēta ministrare. Quo circa concludit Couar. cum Caiet. loco supra citato a tempore, in quo iuxta hactenus dicta hæredes viri in mora sunt soluendi dotem vxor. Vxorem solum posse exigere lucrum cessans ex eo, quod dos non soluatur, non vero aliquid aliud vltra sortem. Antequam autem nulla sit mora soluendi dotem, solum petere poterit fructus dotis, si qui a die soluti matrimonij ad vxorem pertinent; & insuper exigere poterit vxor, quod superfuerit ad competentia sua alimenta eo tempore; iuxta ea, quæ dicta sunt. Inter alimenta vero vxori viduæ præstanda computat Couar. in epitome ad 4. Decretalium, p. 2. cap. 3. §. 10. vestes lugubres, atque dicit ibidem qui si intra id tempus ad secundas transierit nuptias, pauperque esset, neque dos illi traderetur præbenda illi esse alimenta; secus autem cum aliis, quos refert, esse ait, si diues esset & vir eam aleret, quoque intelligendum esse ait dummodo alimenta petat, neque aliunde habeat a quo sustentetur; quare si ab alio sibi alimenta præbeantur, non tenentur hæredes mariti ea soluere: nisi idcirco illi sint collata, quia cum ab hæredibus illa petiuisset, noluissent ea illi ministrare, eaque de causa coactus esset petere ea ab aliis; tunc enim soluere tenentur hæredes, quæ ita expendisset.

Quia vero ius hoc alimentorum ortum ex eo habet, quod ex dote debita sunt alimenta vxori interim dum iuxta iuris dispositionem dos ei non soluitur, priuilegium hoc est personale vxoris, quo fit, qui mortua vxore, vel dissoluto matrimonio per mortem vxoris alimenta non debeantur hæredibus illius, interim dum dos eis non soluitur.

Illud etiam obserua si vxor maneat prægnans alimenta esse ei præbenda de bonis communibus, etiam si dos statim ei tradatur iuxta l. 1. §. mulier. ff. de ventre in possess. mittēd. Sotus m. 6. de iustitia, & iure, quæstione prima, articulo secundo in fine, & post ipsum Bānes, & Aragona 2. 2. q. 78 articulo secundo, tenet viduam iam soluto matrimonio posse pignoris fructus, aut quantitatem ipsam pecuniariam, quam maritus percipiebat, quam diu non persoluebatur dos etiam ipsam percipere a patre, vel ab hæredibus illius, siue ab illo, qui eam nuptui tradidit.

Et certe hæc sententia indubitata esset, si tantum attenderemus titulum lucri cessantis, & damni emergentis, si re vera vidua patiebatur huiusmodi detrimentum: certum est enim, quod quando hæredes, vel pater sunt in mora soluendi dotem, non propter impotentiam, sed ob negligentiam, tenentur viduæ etiam ditissimæ totum lucrum cessans, vel damnum emergens restituere: non enim vidua cum propria detrimento, dotis solutionem expectare tenetur. Nam hæredes bona dotalia immobilia, vt fundus, siue domus tenentur statim a morte viri viduæ restituere: quia tali mora non in nullum in hæredes transfertur dominiū. Bona vero mobilia, vt pecunia, vel supellex, si in eis tradita fuit dos, non tenentur hæredes nisi post annum a morte viri viduæ soluere, definita est in §. exactio, l. 1. in C. de rei vxor. act.

Hinc sequitur quod hæredes vsuras viduæ exsoluere tenentur, quas ipsa propter retētam dotem ex culpa hæredū contraxit. Et etiam si vidua nullam habebat pecuniam præter dotalem, quæ statim erat negotiationi exponenda, vel ex ea census, vel annui reddius emendi; hæredes tunc damnum lucri cessantis soluere tenentur, & hoc quidem certum est, atque receptum apud omnes.

Sed difficultas est, quando cessant huiusmodi tituli, quin potius vidua est diues, & minime negociatrix, & cum tam solutum sit matrimonium, videntur cessare onera matrimonij; eius enim quod non est, nullum est onus. Nihilominus ego credo sententiam Soti esse verissimam: quia non solum sunt dicenda onera matrimonij ea, quæ proueniunt durante matrimonio; sed etiam illa, quæ relicta sunt ex matrimonio; sed illa vidua habet multa huiusmodi onera; tenetur enim educare filios, si habeat illos, & si non habeat, familiam pro dignitate sua, & matris sustentare, ergo &c.

Et confirmatur: quoniam illi, qui contrariantur nostræ sententiæ aiunt nihilominus iustum fore statuum Reipub. quo decerneretur, quod vidua, quamdiu non solueretur illi dos, reciperet aliquam summam pecuniæ, & hoc esse conueniens (inquit Caietanus loco relato) ad tranquillitatem, & pacem cum ipsis consanguineis, & ad sollecitandos debitores in pœnam negligentiæ. Ergo eum sit iam facta lex, quæ marito tribuit illam summam pecuniæ propter onera matrimonij, & vidua succedat in oneribus mariti, sequitur, quod possit percipere illam summam pecuniæ, ac etiam fructus pignoris eo modo, quo maritus ipse percipere poterat. Vide Angelum verbo vsura. 1. numero 29. & verbo dos. num. 28.

De contractibus, in quibus non statim pretium soluitur sed expectatur tempus.

HActenus ostendit Doctor, quid iustum, & quid iniustum sit in commutationibus statim factis, idest quādo vterque commutans statim dat, vel recipit illud, pro quo commutat, sed quando commutans non recipit illud, pro quo commutat, sed differtur huiusmodi receptio, quæritur in præsentiarum quid iuris? Quapropter consequenter determinat Scotus de contractibus, in quibus statim non datur quid pro quo, sed expectatur tempus inquirens, quomodo ibi reperiatur ratio iusti; & ponit aliquas regulas speciales vltra regulas superius assignatas, pertinentes ad iustum, vel iniustum in singulis contractibus. Prima est talis. Commutans non commutet, vel vendat tempus: quia tempus non est suum. Secunda non ponat se in tuto de lucrando, & illum cum quo commutat de damno; & intelligo (inquit Doctor) in tuto semper, vel vt in pluribus; & virtualiter Doct. in hac littera quærit, an liceat carius vendere pecunia credita, quam numerata; & an sit rest ituendi obligatio ex tali venditione contracta.

Circa quam difficultatem Anton. Cord. in summa. q. 78. refert quorundam sententiam, qui censent licitum mercatoribus licitum esse dilata solutione carius vendere, eorumque tres refert rationes, prima, quia mercatores ex tali dilatione patiuntur interesse, ergo licitum est eis illud in pretiō deducere; consequentia est nota, & antecedens probatur. Si Petrus deberet mihi centum, vel ratione mutui, vel ratione cuiuscunque contractus liciti, mihique illa petenti diceret, vt donec illum per annum expectarem, licite ego possem ab eo accipere lucrum lucrum, quod verisimiliter illis centū eram lucraturus per id tempus, vt ex communi Doctorum sententia docet Nauar. in Comm. de vsuris. nu. 51. & 52. Sed sic est, quod quando mercator vere, & realiter merces suas vendit pro iusto pretio, scilicet pro illo, quod numerata pecunia soluitur, iam habet ius, vt sibi tale pretium detur, estque sibi iam vere debitum, ergo si expectat per annum pro illo ad instantiam emptoris, ratione talis expectationis poterit recipere totum, quod illis pecuniis esset lucraturus, nō secus ac ille, qui pro solutione expectat, eo vel maxime, quia vt ex mente Doctoris supra docuimus, licitum est semper venditori se indemnem seruare.

Secundo in tali venditione continentur virtualiter duo contractus licitivreales, & non ficti, vnus est quo venditor vere, & realiter vendit merces suas pro iusto pretio tunc currenti, v. g. decem, & alius compensationis damni, & interesse recepti, qui est facio, vt des, vel melius dicam, patior, vt des; cuius contractus pretium potest esse quinque, ergo poterit venditor pro re valente decem numerata pecunia, exigere quindecim expectata solutione, absque eo quod iniustitiam faciat.

Præterea, iustum pretium est illud, quod in communi hominum æstimatione in foro currit, constat autem minus æstimari rem statim soluendam cum sint pauciores emptores, plus vero cum credito est soluenda, cum crescat cupiditas, & copia emptorum; iuste igitur ac rationabiliter plus exigere, & pacisci potest mercator occasione dilationis pretij. Hanc sententiam tenuit quidam Raphael de Parnasio relatus a Corduba loco supra citato, & a Syluest. verbo vsura. 2. §. 1.

Pro

Sotus.

Bannes Arego.

Caietanus.

Angelus.

Corduba.

Nauar.

Scotus.

Raphael Corduba. Syluest.

Pro huius difficultatis decisione obser. est primo, dilationem solutionis esse quoddam mutuum virtuale & implicitum, vt est apud omnes Doctores in confesso. est enim vt si pecuniam accepiam de manu emptoris illam mutuo darem, itque idem est de anticipante solutionem: re enim vera mutuo dat pecuniam, qui eam ante soluit, quam deberet; atque adeo sequitur ratione dilationis, vel anticipationis pecuniæ iniustum esse, & omnino vsurarium rem pluris vendere.

Secundo obser. est, omnes Doctores conuenire, cum iustum rei pretium, quando lege non est taxatum, in indiuisibili non consistat, licitum esse rem vendere credito carius, quam pecunia statim numerata, intra latitudinem tamen iusti, idest vsque ad infimum pretium iustum. v.g. Modiũ frumenti venditur nunc pro numerata, & prompta pecunia nouem argenteis. 10. & 11. & hæc est latitudo iusti pretij, vt suppono, & horum quodlibet trium pretiorum iustũ æstimatur; si autem venditur 12. argenteis iam pretium erit iniustum, quia latitudinem excedit in vno argenteo, & si emeretur octo argenteis deficeret pretium in vno argenteo, & vtrobique requiritur restitutio vnius argentei, quem restituet vendens in primo casu, & in secundo restituet emens. si ergo vendens ad terminum non excedit illam latitudinem non committit vsuram, licet remissius venderet soluenti in promptu; nempe si modium frumenti in casu posito dat soluenti in futuro pro vndecim argenteis, & soluenti in promptu pro decem, quia non recipit vltra sortem, nam merx tradita habet rationem sortis, cuius iustum valorem non excedit, sed manet in latitudine iusti pretij.

Tertio obser. est, omnes etiam conuenire iniustitiam cõmitti, & interuenire vsuram; si venditor pretium iustum rigorosum, quod res pecunia statim numerata valet, ea præcisa ratione excedat, vt solutionem differat in futurum, & similiter si emptor ea præcisa ratione infra pretium infimum

D. Thomas. iustum emat, quia anticipat solutionem. Ita docet D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 2. ad 7. & Doctores communiter, & habetur in c. consuluit. de vsuris. Ratio autem perspicua est, quoniam in vtroque euentu cernitur lucrum ex mutuo virtuali, quod vsura est palliata. In primo namque casu perinde est, ac si pretium iustum, quod emptor soluturus erat statim; mutuo sibi a venditore vsque ad tempus solutionis relinquatur, atque ea de causa incrementum illud pretij tempore solutionis ab eo accipiat. In posteriori vero euentu, res ita se habet, ac si pretium anticipatum mutuaretur venditori vsque ad tempus traditionis mercis, cum pacto vt tunc ea de causa insuper redderet, quod tunc plus valent merces, quam pretium, quæ duo lucrum sunt, ex virtuali mutuo, atque vsura palliata.

Venditio qua res carius venditur expectata solutione de se iniqua est, & vsuraria. Dicendum est ergo, si loquamur absolute de eo, quod est vendere rem carius expectata solutione, quam secundum se valeat, quod huiusmodi venditio propter solam solutionis expectationem secundum aliquod tempus iniqua est, & vsuraria; quando scilicet pretium excedit totam latitudinem pretij iusti rigorosi. Nihilominus negociatores multa fingunt, vt licitas faciant huiusmodi emptiones, & venditiones. Sunt itaque sex tituli, quibus æstimant posse

Medina. iustificari huiusmodi contractus, quos recenset Medina. Cod. de rest. q. 38. Primus est exiguitas pretij in promptu currentis, pro quo si venditor res suas venderet nihil lucraretur, sed sæpe pateretur damnum attentis laboribus, & expensis factis. Secundus, lucrum, quod cessat venditori ex eo, quod non statim mercium suarum pretium accipit. Tertius, periculum, cui capitale exponit. Quartus expensæ quas faciet in recuperatione capitalis. Quintus dubietas valoris, quam res vendita tempore solutionis habebit. Sextus, & vltimus, quod mercium ad terminum vendita secundum communem æstimationem plus valere videtur, quam si vendatur pecunia numerata. Examinandi ergo sunt huiusmodi tituli, vt videamus vtrum, ex his, vel aliquo illorum licitum sit in venditione ad tempus pretium augere ab eo, quod merces secundum communem æstimationem, valent de præsenti. Per sequentes articulos

Primus Art. Vtrum ratione primi tituli licitum sit, rem carius vendere expectata solutione.

Secundus Art. Vtrum ratione damni emergentis, & lucri cessantis liceat rem carius vendere expectata solutione.

Tertius Art. Vtrum periculum, cui capitale in venditione ad tempus exponitur, sit sufficiens titulus augendi pretium ab eo, quod res valet de præsenti.

Quartus Art. Vtrum venditor ratione expensarum, quas facere timet in recuperatione capitalis, possit in venditione ad tempus pretium augere.

Quintus Art. Vtrum ratione dubij, quod res solutionis tempore sit plus valitura, possit venditor amplius exigere, quam sit iustum pretium rei de præsenti.

Sextus Art. Vtrum mutuans nunc triticum ad restituendum in aliquo tempore, in quo plus valebit, committat vsuram.

Septimus Art. Vtrum modus vendendi res ad creditum faciat iustum illarum pretium crescere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum ratione primi tituli licitum sit rem carius vendere expectata solutione.

Dicendum est breuiter, certum esse ratione primi tituli, nempe quia pretium communiter currens in promptu solutum sæpissime est tenue, & pro quo si venditor res suas venderet nihil lucraretur, vel sæpe damnum pateretur attentis laboribus, & expensis factis, non est sufficiens ad excusandum venditorem ab iniustitia; quæ existit in eo, quod rem carius vendat ad tempus, quam valet de præsenti. si enim ea ratio aliquid valeret ad excusandam venditionem ad tempus pro pretio excessiuo, maiori scilicet quam sit illud, quod communiter in tali loco, & tempore currit, cum sæpe contingat, quod etiam si mercator vendat res pro pretio iusto currenti statim soluto, non lucretur, sed damnum patiatur, attentis laboribus, & expensis factis: quia sæpe accidit, vt merces minus valeant, quando, & vbi venduntur, quam a principio constiterunt; atque adeo sicut mercibus in valore crescentibus potest venditor multum lucrari si eas vendat, quamuis nullas, aut paucas expensas fecit, nullum, aut paruum laborem subierit; ita etiam e contra eisdem mercibus in valore decrescentibus, tenebitur si eas vendere velit, in pretio descendere, etiam si multas fecerit expensas, magnumque subierit laborem. Nec erit tunc iniustum aut indignum, quod venditores commodum in venditione non sentiant, sed damnum.

Nam qui propria voluntate negociationes suscipit, vtrique pariter se debet lucro scilicet & damno exponere, & si aliquando damnum sentit, non emptoribus, nec Reipub. sed sibi debet imputari. Hæc enim est cõditio mercatorum, *Mercatorũ conditio.*
vt quandoque lucrentur, interdum perdant oleum, vt aiũt, & operam; atque adeo in venditione numerata pecunia nõ licet plus accipere ob dictam causam, alias si expensæ essent modicæ non liceret rem pretio currenti vendere; sed de hoc titulo supra late diximus, cum de iusto rerum pretio ageremus.

ARTICVLVS II.

Vtrum ratione damni emergentis, & lucri cessantis liceat rem carius vendere dilata solutione.

De hoc titulo plura diximus in superioribus. Nunc autem breuiter sit hæc conclusio. Licitum est venditori carius vendere expectata pecunia, quando reuera erat vẽditurus numerata pecunia, & ex eo, quod vendit ad tempus, sequitur illi aliquod damnum, vel cessat aliquod lucrũ. Ratio est quia licitum est venditori seruari se indemnem, quando sollicitatur ab emptore, vt vendat expectata pecunia. Ita docet D. Thomas. 2. 2. q. 78. art. 2. & Scotus in hac q. *D. Thomas. Scotus.*
Sotus tamen lib. 6. de iust. & iur. n. 4. art. 1. quamuis con- *Sotus.*
cedat, quod in tali casu licitum est venditori amplius accipere, quam sit iustum rei pretium propter damnum emergens; negat tamẽ id sibi licere propter lucrum cessans; Cæterum suam sententiam efficaciter non probat, & est singularis in illa; omnes enim conueniunt in hoc, quod ratione lucri cessantis in prædicto casu licitum est venditori aliquid amplius accipere, quam sit alias iustum pretium.

Obser. est tamen opus esse emptori significare ratione lucri cessantis, aut damni emergentis fieri egressum illum a limitibus pretij alias iusti, quando non constat illum vna cum merce emere etiam velle lucrum cessans, aut damnum emer-

emergens. Si enim solum emere intenderet rem pretio iusto, nec simul emere vellet lucrum cessans, aut damnū emergens, sane iniuria illi irrogaretur, cum restituendi onere, si ipso ignorante simul ei venderetur lucrum cessans, aut dānum emergens, quando arcte lucrum cessare sit censendū, aut damnum emergere, & quādo non, ex his quæ diximus supra perspicuum est. Atque adeo obseruare attente debent Confessarij, an iste titulus sit fictitius: multi enim ex negociatoribus, dicunt, quod poterant ipsi pecunia præsenti amplius negociari, & amplius lucrari. Hæc tamen excusatio nulla est, quando ipse negociator habet tantam copiam mercium, quod partem oportet vendere ad creditum, partim numerata pecunia; vel etiam habet tantam copiam pecuniæ, quod non erat impensurus totas in negociationes suas; sed semper seruat aliquid in deposito. Necessarium est ergo, vt lucrum cessans, vel damnum emergens prædictam venditionem iustificare possit, quod conditiones illæ concurrant, quæ a nobis supra explicatæ sunt. Ex hoc patet solutio primæ rationis Raphaelis, quæ nitebatur in lucro cessante. Fatemur siquidem ingenue, si vere lucrum cesset, eaque adsint, quæ supra necessaria esse declarauimus in mutuo fore venditionem iustam, nihilque ex ea restitutioni obnoxium.

Monitio ad Confessores.

ARTICVLVS III.

Vtrum periculum, cui capitale in venditione ad tempus exponitur, sit sufficiens titulus augendi pretium ab eo, quod res valet de præsenti.

IN hoc art. non loquimur de expensis a creditore in debito recuperando faciendis: nam hoc pertinet ad quartum titulum. Sed quod quærimus est, an ob timorem, metumque probabilem, quem venditor habet, vel quod expensæ non soluantur, vel quod capitale nō rehabebitur, vel quod in illius recuperatione molestiam patietur, sit licitum a principio aliquid vltra iustum rei pretium petere, & de illo pacisci.

De hac re est duplex opinio, prout tetigimus supra de contractu emptionis, & venditionis loquentes, artic. 3. vbi hanc difficultatem explicandam ad hunc locum remisimus. Prima est Conradi de contract. q. 59. corrol. 1. & 2. post. 3. concl. & arg. 2. post. 4. qui negat pro periculo amittendi capitale, aut partem illius posse in pretio ascendi. Quem sequuntur Sotus. 6. de iust. q. 4. art. 1. ad primum. Nauar. in manu. c. 23. num. 81. & Bannes de iust. q. 77. artic. 4. Probat Conrad. suam sententiam: quia cum nulla, aut fere nulla sit venditio in futuro soluenda, quæ non alicui subdatur periculo, sequeretur, quod fere semper in omni venditione liceret, aliquid vltra iustum pretium recipere; tum quia non solum capitale, verum & illud quoque metus, seu periculi pretium periculo subest, quare ratione illius aliud licebit recipere pretium, & sic in infinitum.

Conradus.

Sotus. Nauar. Bannes.

Cæterum quia Sotus has rationes leues existimat, ideo ipse aliter hanc sententiam probat. Venditor non potest aliquid exigere, præter damnum, & detrimentum, quod sequitur ex ipsa venditione secundum se. sed tale periculum non sequitur ex ipsa venditione secundum se, sed quia ipse voluntarie se committit tali periculo: poterat enim exigere fideiussorem, si emptor non erat bonæ fidei, vel pacisci cum illo de soluendis expensis faciendis in recuperatione pretij, vel etiam, quod si non soluerit definito tempore, aliquid amplius soluat; atque adeo si venditor hæc omnia omittat deputet negligentiæ suæ periculum, quod sequitur, & non faciat venditionem iniquam, & iniustam. Secundo arguitur emptor non tenetur liberare venditorem ab isto metu, & periculo aliter quam soluendo statuto tempore, vel dando illi fideiussorem, ergo venditor inique exigit aliquid amplius, quam iustum pretium ratione talis periculi.

Nauar.

His rationibus neruose confutatam esse dicit Nauar. oppositam sent. atque neruosius confutari posse asseuerat, eo quod sit (ait ille) contra omnes Theologos, & Canonistas, & quod Ecclesia declarauit id esse licitum per cap. in ciuit. de vsuris. quo in cap. Ecclesia catholica determinauit, dicta pericula, quæ venditor in se suscipit, non esse consideranda ad augendum pretium mercis in pecunia credita, magis quam ad dandum aliquid vltra sortem mutuanti, quod lege naturali, & diuina est prohibitum.

Medina. Maior. Corduba. Nauar.

Secunda opinio huic e contrario opposita est Medinæ cod. de rest. q. 34 vers. ad tertiam causam. Maioris. d. 15. q. 4. art. 7. Cordubæ in summa. q. 84 vers. tam poco. imo Nauar. in summa Hispana cap. 17. nu. 239. & 240. sui quodam modo oblitus tenuit eandem, & pro eadem disputat Aragona de iust. q. 77. art. 4. & Sud. Molina de cōtract. disp. 356. Qui affirmant ratione periculi, cui expectatum pretium exponitur licitum esse aliquid plus in merce ascendere.

Aragona. Molina.

Metus periculi quomodo augeat pretium mercis.

Pro cuius sententiæ explicatione obser. est primo, non pro ratione cuiuscunque metus, sed probabilis, & discreti arbitrio prudentis super accipi posse. Sunt enim nonnulli mercatores ita vel auari, vel melancholici, vt timeant vbi non est timendum. ij enim etiam si securitates habeant debitoris, vel comedere, vel dormire sine anxietate non solēt. Cum autem illius anxietatis, ac solicitudinis non debitor; sed ipsi sibi causa existant, non fas est, debitorem ea pecunia compensare; atque adeo non semper, atque in omni venditione ad statutum terminum licet incrementum pacisci ratione periculi, sed solum quando discrete timetur amissio capitalis, vt pote: quia debitor, aut pauper, aut fugitiuus, aut periculosus est.

Venditor tempore contractus debet manifestare metum periculi, & expensarum.

Secundo obser. est, quod venditor tempore contractus debet emptori manifestare eis de causis scilicet ratione expensarum, laboris, & anxietatis subeundæ in recuperando eo debito ascendere vltra pretiū, alioquin iustum; & quod emptor in eiusmodi pacto consentiat, præsertim quando nō constat emptorem simul cum re velle emere pericula illa, & damna, quibus venditor in ea venditione se subijcit; & ratio est, quia si emptor solum intenderet emere rem pretio iusto, & non pericula, quibus venditor se subijci arbitratur, equidem iniuria illi fieret, si ipso id ignorante, huiusmodi pericula, & damna ei venderentur, atque pro eis ab eo pretium acciperetur, vt diximus etiam supra, quare interueniret peccatum, & obligatio illi restituendi tale pretium.

Tertio obser. est, quod pretiū quod ratione periculi venditor pacisci debet cum emptore debet esse moderatum pro quantitate periculi, attēta emptoris qualitate, ita quod metus ex natura rei proueniat, & non ex auaritia, & pusillanimitate venditoris, qui timere trepidet, vbi non est timor, & quod venditor non indifferenter ascendat in pretio omnibus, quibus creditò vendit; sed solum illis, in quibus verisimiliter, quæ commemorata sunt, timeantur; neque his omnibus ascendat æqualiter; sed pro quantitate periculi, & verisimilitudinis, & modo scandalum non oriatur: his enim obseruatis, si cum emptore tempore contractus certum, & moderatum pretium statuat pro ratione periculi, quod tūc timetur, quicquid postea eueniat, nec restituere tenebitur incrementum illud, nec potest plus accipere: quoniam id tanquam iustum pretium cōuentione vtriusque partis fuit statutum pro periculo, cui se subijciebat, quidquid postea rei probaret euentus: nam non pro certa amissione, sed pro dubietate, & periculo fuit promissum, quod re vera passus est creditor; etiam si tam principalis perdendi, quam expensarum faciendarum periculum euaserit.

His obseruatis. Dicendum est, quod licet nemini videatur consulendum, vt venditor illis de causis in pretio ascendat propter periculum palliandi ea ratione, atque introducendi vsuram, & propter scandalum, & damnum Reipub. præsertim cum venditor posset nolle vendere sine fideiussore securo, & posset etiam apponere pœnam conuentionalem, si culpa ementis aliquid eorum, quæ timet eueniat, & posset de expensis & labore pacisci, si quæ ea de causa ipsum subire contigerit, tamen si incrementum illud pretij in pactum deducatur cum cæteris circunstantijs superius in notabilibus explicatis, eiusmodi contractus licitus erit. probatur: quia ea omnia sunt pretio æstimabilia, neque tenetur quia illa subire, atque eis se, & res suas gratis se subijcere. si enim potest iustissime venditor, cum de securitate capitalis timet petere pignus, vel fideiussorem, vel aliam assecurationem ab emptore, vel mutuatario, poterit profecto si tale periculum in se suscipit pretium illius assecurationis exigere; nam tale periculum perdendi capitale venale est, pretioque comparabile, non minus, quam obligatio, quam in se suscipit fideiussor soluendi pro debitore, si ille non soluat, pro qua diximus fideiussorem accipere posse compensationem, & competens aliquod pretium pro quantitate obligationis, & periculi, cui spectatis circunstantijs concurrentibus se subijcit.

Huic

Huic rationi respondens Sotus fatetur libenter talem periculi susceptionem esse pretio æstimabilem, cæterum vendi non posse, nisi quando venditor inuitus eum timorem, & molestiam patitur; non autem quando ipse voluntarie se in timorem, molestiam, ac periculum constituit. Sed certe friuola est hæc responsio: nam si vere (vt ipse fatetur) id periculum est venale, quid refert voluntarie, vel coacte illud suscipere? non enim ob id res desinit habere suum valorem. Præterquam quod hæc Soti responsio fundatur in quadam sua sententia, quam antea tenuerat, lucrũ cessans, quod quis inuitus patitur, siue in mutuo, siue in venditione posse in pactum deduci, non vero illud, quod venditor sua sponte ad sui vtilitatem subire vult, quæ sententia communiter ab omnibus reijcitur, vt vidimus supra.

Probatur secundo nostra sent. si quis a me petat, vt equũ commodem, vel locem alicui, apud quem est verisimile equum periturum, vel sua negligentia in præbendo cibum, vel custodiendo, vel ob suam temeritatem, & fugacitatem &c. iuste potero conuenire, vt aliquid pro illo periculo, quod ad eius instantiam subeo vltra pretium locationis assignet, & eadem ratione si ipse, qui equum petit sit ipse cõductor, Idem igitur erit in nostro casu certe diuersitatis nulla ratio assignari potest. Eam enim quam assignat Sotus probare nullo modo possum. Ait enim ipse magnum esse discrimen, eo quod in locatione nõ transferam dominium, atque adeo potest verus dominus de periculo rei suæ pacisci; at qui vendit, aut mutuo dat transfert dominium in alterum, ac proinde cum teneatur totum soluere, non est altero pretio grauandus ratione metus creditoris; ego sane eam differentiam agnosco inter venditum, & mutuo datum ex vna parte; & locatum seu cõmodatum ex alia; quod in his non transfertur rei dominium, sed vsus dumtaxat, in illis autem transfertur. Sed quid ad hanc speciem facti attinet isthæc distinctio non reperio. si enim periculum meæ rei commodato, aut locato traditæ in pactum deducere possum, ideo est, quia illius iacturam sustinere possum. Cum similiter pecunia credita, aut pretium rei venditæ, ad quod habendum semper habeo ius eidem discrimini subit, cur non itidem pro illo periculo aliquid vltra sortem accipere potero? tenetur inquit Sotus mutuatarius, vel emptor soluere totum pretium, atque adeo non est amplius ratione metus creditoris grauandus. Quasi vero locator, aut commodatarius non teneatur rem totam commodatam, vel locatam reddere; quomodo ergo vltra totalem rei locatæ, & commodatæ solutionem grauas conductorem, & commodatarium ratione metus & periculi locantis, & commodantis? omnium ergo est vna, & similis ratio, atque adeo sicut in commodato, & locato est licitum aliquid accipere ratione periculi, ita etiam in venditione.

Præterea tertio probatur nostra sent. similitudine ducta ex ratione contractus fideiussionis, & assecurationis, in quibus constat ratione periculi suscepti iuste exigi aliquid ab eo, quem securum reddimus, ea certe ratione: quia si merx assecurata perdatur, vel principalis deficiat expositus est assecurator, & fideiussor de rebus proprijs soluere eas amittendo. Cum igitur venditor ad terminum non minus exponatur discrimini rerum amittendarum, sequitur plane consimiliter esse considerabile periculum, ac discrimen, cui pecunia credita subijcitur, & ratione illius liceat absque peccato, atque iniuria aliquid petere, aut recipere. Respondet Sotus, quod Assecurator, vel fideiussor, nõ ratione periculi; sed obligationis in se receptæ illud exigit. Sed profecto fallitur: Nam licet fateamur ratione obligationis præcise posse fideiussorem aliquid pacisci, vt supra ostendimus; atque ita nullo existente periculo aliquid accipere; tamen etiam reuera pro ratione periculi suscepti, idque principalius, quam propter obligationem ciuilem potest aliquid pacisci, & petere. Quod ex eo sufficienter colligi potest: quoniam si fideiussor pro Petro debente centum ad annum bonæ conscientiæ viro, diuite &c. simulque pro Paulo paupere, perditæque vitæ. Quis mentis compos non videat, atque concedat, vt plus accipere possit pro fideiussione Pauli, quam Petri? est igitur euidens signum, magis multo considerabile esse periculum, quam obligationem ad augendum pretiũ, vt dictum est.

Postremo non est leue argumentum contra Conradum. Ipse.n. quæst. illa 59. correl. 1. fatetur, quod et docet Sotus, quod si vendens ad terminum timet se expensas in recuperando facturum, licite potest in pretio ascendere ratione illius timoris. quamuis postea timor ille ad effectum non perueniat, igitur a fortiori, quando timor est de perdendo toto capitali. Quæ enim maior ratio potest esse vnius quam alterius?

Ad rationes Conradi respondetur, & ad primã dicitur, Nos non approbare indistincte, & generaliter vt aliquid superaccipiatur, nisi vbi verum, discretum, & probabile adsit periculum amissionis capitalis, quia pauper, fugax, &c. vel molestæ recuperationis, & cum expensis &c. si enim fictum esset periculum, ac metus, sane vsura illo palliata nomine esset dicenda. Non dicitur autem fictum periculum, quia re vera postea salua sors euasit, dummodo discrete timeretur tempore contractus tale periculum: non enim vt diximus pro amissione capitalis illa quantitas promittitur, & datur, sed pro expositione rei ad illud periculum, quod res præstitit, licet postea saluum capitale consistat. Ad secundum respondetur illo excessu, qui supra iustum pretium accipitur, compensari quemcunque metum, & quodcumque periculum in venditore existens, atque ita non est opus procede in infinitum.

Ad primum Soti ex dictis patet solutio, cum res ex se venalis, ex eo non amittat valorem, quod voluntarie offeratur, licet diminuatur eius valor: merces enim vltroneæ vilescunt, & ita fatemur, eum, qui inuitum patitur periculũ, vel lucrum cessans posse plus exigere, quam ille, qui voluntarie facit.

Ad secundũ dico, quod sicut de interesse lucri cessantis fatentur omnes, quod debet præcedere admonitio, & deductio in pactum, alias nõ iuste exigeretur, vt supra diximus; ita de periculo dicendum est; vt supra annotauimus; ne emptor qui forte cum eo onere emere nollet periculum, vel interesse, contra suam voluntatem grauaretur; sed id solum volumus posse in pactum deduci; atque adeo concedimus, quod Sotus subinfert, scilicet quod si in initio contractus non fuisset facta timoris mentio, & venditor fuisset ob periculum vehementer metu vexatus, nihil posset postea dum emptor soluit vltra sortem recipere ratione præteriti metus, & periculi; sed negamus, quod in initio non potuisset illud periculum in pactum deducere. Et cum dicit, quod emptor non tenetur liberare venditorem ab isto metu, aliter quam soluendo &c. Dico quod & si illi, da quibus creditor male confidebat fideliter soluant, adhuc potest licite totum pretium accipere. Impertinẽs enim est, quod periculum, quod tempore contractus timebatur suum sortiatur effectum, vel non; hoc est impertinens est, quod emptor in termino complete soluat, vel non soluat, adhoc quod venditor pretium cum augumento recipere possit. Incrementum enim illud, vt diximus non pro assicuratione ipsius capitalis, sed pro solo periculo, cui venditor res suas exponit, exigitur, & quamuis res illæ postea per debitoris solutionem periculum euaserint, non propterea tempore contractus in periculo esse desierunt, iuxta probabilem ipsius venditoris, & aliorum coniecturam.

Nauarri rationes & sententiam eo celerius reijcere debemus, quanto rem illam certiorem esse affirmat; Cũ enim dicit sententiam nostram neruose esse confutatam a Soto, nerunsiusque a se confutari, en quod sit contra sententiam omnium Theologorum, & Canonistarum, atque ita ab Ecclesia declaratum esse illicitum; nihil ei dicendum esse restabat, quam suam sententiam esse de fide, & nostram erroneam esse. Cæterum quam valide, & neruose a Soto nostra sententia sit improbata satis ex supra dictis constare arbitror; quanto vero eius rationes neruosiores debiles exiltũt, quæso diligenter Lector attende; Quod enim ait sententiã nostram esse contra omnium Theologorum, & Canonistarum sententiam, constat hoc haud grauiter asser um esse, cum Doctores insignes, ac nubiles nostram sententiam defendant, & fortasse plures, quam suam, vt ex ijs, qui a nobis citati sunt apparet, quibus addimus Gabr. in 4. d. 15. q. 11. art. 1. §. ad idem etiam, & art. 3. dub. 4. Couar. lib. 3. variar. resol. c. 2. nu. 5. circa finem, & Greg. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 20. de emptione & venditione, puncto. x §. de venditione cum expensis, & periculo, oportebat eum, eam Doctorum caterua retulisse, vt ipsi non solum dicenti, sed etiam probanti fidem præberemus. *Gabriel.* *Couar.* *Valentia.*

Quod tandem ait ab Ecclesia esse declaratum id esse omnino illicitum per. c. in ciuit. extra de vsuris. Legenti illud

cap.

cap. manifeste patebit nihil ad hoc propositum ex illo posse colligi. Tantum enim ibi indicatur, non licere vendere rem pluris propter expectationem solutionis; atque adeo nec propter commune illud periculum, quod semper omni tali expectationi est annexum (de quo nos minime loquimur) sed id licere in casu illo, cum quis pluris vendit rem, quam in præsenti valeat propter dubium maioris valoris rei tempore solutionis, in quod erat rem suam seruaturus; de quo erit sermo infra. Imo quidam cap. illud pro nostra sent. non improbabiliter explicãt. Duo enim sunt, quæ Alex. III. in illo cap. determinat; primum est esse peccatum vendere piper, cinamomum, vel alias merces valentes tempore solutionis quinque libras, cum pacto quod emptor statuto termino sex libras persoluat. Secundum ait licitum esse merces valentes quinque tempore venditionis, vendere cum pacto, vt emptor tempore statuto sex libras persoluat, si dubium est, merces illas plus, minusue solutionis tempore valituras. Ex quibus verbis constat, quod non damnatur venditor, qui ratione periculi, & dubij, quod res pluris sit valitura aliquod incrementum paciscitur, quia propter rationem dubij rem iustificat, quam alias illicitam, & peccato obnoxiam esse pronunciauerat. sicut ergo in d. cap. ab illicito eximitur vendere rem ad terminum plus, quam valet in promptu propter dubium verisimile, quod sicut minus, ita plus valere potest, atque ita venditor erit expositus vtrique sorti. Cum ergo in nostro casu verisimile sit, non dico plus, minusue rem valituram, sed etiam prorsus nihil, sicut verisimile est quod emptor in solutione deficiat; multo certe prõptius iudicaret Pontifex ratione huius dubij, discreti, verisimilis, atque probabilis rem valentem quinque libras pro sex vendi posse. Vnde sicut piper illud si valeret octo libras tempore solutionis, non posset venditor eas recipere, sed tantum sex vt pactum fuit a principio, quia non pro futuro augumento libram superaccipit, sed pro verisimili dubio; ita certe si res postea salua constiterit, poterit libram, aut aliud incrementum retinere, cum non pro amissione, sed pro dubio probabili, cui se obiecit ad instantiam emptoris illud pepigit.

Explicatur cap. in ciuitate de vsuris.

Obiter autem adnotet Lector hanc ipsam Alex. decisionem contineri in cap. nauiganti, eodem titulo vbi Greg. 9. sic scribit. Ratione huius dubij excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, vel alias merces vendit, vt amplius quam tunc valeant in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen tempore contractus ea non fuerat venditurus. In neutro igitur cap. fauetur sententiæ Nauar. quin in neutro cap. sermo est de periculo, vel dubio amittendi pretium rei venditæ, licet inde magis nostra sententia probari posse videatur.

Adducunt tandem alij contra hanc nostram sent. cap. nauiganti. vbi Greg. 9. in hunc modum scribit, nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniam pro eo quod suscipit in se periculum recepturus aliquid vltra sortem vsurarius est censendus. si ergo mutuans non potest incrementum accipere, eo quod suscipit in se periculum, consequens est vt vendens credita pecunia, qui in effectu mutuat, non excusetur ab vsura, & quod suscipiat in se periculum. Sed vt bene obseruauit Medina loco citato in sol. ad. 4. Angelus vsura. 1. nu. 38. atque Syluest. vsura 2. q. 35. praue intelligitur ille textus a multis, & in proposito diuersus est casus ille a nostro. Nam is nolebat mutuare nisi simul obligando mutuatarium ad contractum assecurationis secum contrahendũ, vel etiam ad contractum societatis, quod facere est vsurarium, vt supra ostendimus: nam ratione mutui non licet mutuatarium ad aliquem contractum obligare. In nostro autem casu non est ita. Nam creditor ratione mutui, vel expectationis pretij ad nihil alterum obligat; sed tantum deducit in pactum periculum, quod in mutuanda, vel credenda pecunia subijt ad instantiam alterius; atque hoc eodem modo Sotus ipse, cui alioqui non placet opinio Medinæ interpretatur illud cap. nauig. lib. 6. q. 4. art. 2. & idcirco non est vsus hoc argumento contra Medinam. sic etiam interpretatus est idem caput Gabr. d. 15. q. 11. art. 1. §. ad idem, & Maior. eadem d. q. 31. in fine. & Couar. 3. vari. resol. c. 2. nu. 5.

Medina. Angelus. Syluester.

Sotus.

Gabriel. Maior. Couar.

ARTICVLVS IV.

Vtrum venditor ratione expensarum, quas facere timet in recuperatione capitalis, possit in venditione ad tempus pretium augere.

HAec difficultas propria est venditionis creditæ, maxime his miseris temporibus, vbi vel ratione paupertatis, vel malitiæ, debitores solent deficere, & raro, aut nunquam statuto termino soluere, quæ credito acceperunt sine molestijs, & expensis creditoris. Inueniuntur interdum emptores talis conditionis, vt sine lite non soluant, quod debent; quapropter rationabiliter potest timere venditor in recuperatione capitalis se facturum esse expensas. Dubium est ergo vtrum ratione istarum expensarum, quas facere timet venditor, possit in venditione ad tempus pretium augere. D. Anton. 2. p. tit. 1. c. 8. §. 2. tenet partem negatiuam, tum quia forte debitor sine lite soluet in termino præfixo. Tum etiam, quia esto venditor in recuperatione sibi debiti expensas suo tempore faciat, forsan non erunt tantæ, quantum est incrementum ob præfatam causam exactum, & denique quia potest venditor alia via iustiori se indemnem ab expensis seruare paciscendo scilicet cum emptore, vt ex tunc se obliget ad illarum simul cum capitali solutionem, si venditor eas fecerit.

D. Anton.

Contraria tamen sententia est verior, & probabilior, quam tenet Conrad. de contract. q. 59. corol. 1. Medina, q. 38 & Sotus. 6. de iust. q. 4 art. 1. ad secundum. Pro cuius sententiæ explicatione obser. est primo, quod maximum discrimẽ est ex vi ipsius venditionis absolute plus exigere, quam valeat res, aut minus ex vi emptionis dare; & in ipsa quidem venditione, & emptione petere aliquid plus, quam res valeat, vel minus etiam dare. Primum est semper illicitum: nam cum venditio secundum se sit quædam commutatio pretij pro re, non potest aut venditio aut emptio esse iusta si ex vi eius perturbatur iustitiæ æqualitas. Secundum vero omnino potest esse licitum: nam tempore venditionis, & emptionis præter ipsum titulum valoris rei, quæ venditur, aut pretij pro quo emitur, possunt cum ipsa venditione, & emptione concurrere per accidens varij alij tituli, ob quos vel venditor possit accipere plus, quam res valeat, vel emptor minus dare, non quidem ex vi ipsius venditionis, aut emptionis, sed alicuius alterius contractus nominati, vel innominati, qui simul inter vẽditorem, & emptorem exerceatur propter grauamen aliquod, quod alteruter ex venditione, vel emptione incurrat.

Conradus. Medina. Sotus.

Secundo obseruandum est, quod ex titulis, quos supra enumerauimus, quatuor tantum in vniuersum sunt generales tituli, propter quos præter titulum valoris rei, aut pretij, quæ in emptione, & venditione commutantur, licite potest alter ab altero aliquid recipere, atque adeo vel emptor in eius recompensationem minus pretij dare; vel venditor plus pretij exigere. Huiusmodi autem sunt titulus donationis, damni emergentis, & lucri cessantis; grauamen aliquod, vel molestia pretio æstimabilis; atque peculiaris pœnæ, & ad istos quatuor omnes alij reducuntur: nam istis complectuntur modi omnes, quibus vel gratuito, vel ex iustitia aliquid licite potest recipi: Nam quidquid ab altero contrahentium recipitur, id vel dono, vel ex iustitiæ debito recipitur; atque hinc petendæ sunt rationes probandi, vel damnandi quoscunque contractus in quacunque materia proponantur. Nam status omnium quæstionum in hac materia est in eo positus, vt diligenter videatur, an quod alter contrahentium accipit merito accipiat, ex consensu etiam, & intentione alterius contrahentis, vel ob valorem rei, quæ commutatur, vel certe ob aliquem titulum ex illis quatuor, tunc enim receptio erit iusta, & licita, alias non; Itaque hoc est in promptu semper habendum pro regula ad eiusmodi quæstiones dijudicandas, & hæc generatim deseruient toti materiæ creditæ venditionis, atque anticipatæ emptionis.

Tertio obseruandum est, quod in huiusmodi contractu venditionis ad tempus, & in casu præsentis quæstionis est alter contractus annexus, quo venditor scilicet cum emptore implicite conuenit de certa quantitate loco expensarum, de quarum quantitate soluenda dubitatur, siue magnæ fuerint expensæ siue paruæ, siue nullæ. & ratione

huius

huius contractus bene potest venditor cum emptore super hoc pacisci, & in pretio ascendere; supposito quod tempore contractus, sit verisimile, quod maiores expensæ fient, quam est incrementum pretij, vel saltem inæquilibre dubium quod fient maiores, aut minores, & facta conuentione si fiant maiores, siue minores, siue nullæ poterit venditor præfatum incrementum simul cum capitali recipere: quia non pro expensis actu faciendis, sed pro dubietate expensarum faciendarum fuit facta conuentio, in qua non magis in tuto, quàm in periculo (iuxta secundam regulam positam a Doctore nostro) se ipse venditor exposuit.

Quarto obseruandum est, quod nullus Doctor ex his, quos legerim negat, quin necessarium sit expensas a creditore in debito recuperando factas esse illi soluendas in conscientia, cum sit iniusta, & efficax causa damni illius, & eo maxime, si ex culpa debitoris fiant, alioqnin dolus, & culpa illi suffragarentur, quod omnino videtur iniquum, nisi intentio venditoris eo tempore conuentionis fuerit remittere emptori omnes expensas, qualitercunque ob defectum solutionis faciendas, quod nullum venditorem intendere puto. Cæterum de huiusmodi expensia non est hic sermo, sed de illis, quæ absque culpa, & mora debitoris essent faciendæ, & de his dubium est, An ob timorem, & probabilem metum ne fiant, vel non soluantur si fiant, & molestiam patiatur creditor, licitum sit a principio aliquid pacisci.

Sotus. Postremo obseruandum est, quod & si multo tutius (vt inquit Sotus) esset dum emptoris vafrices, seu calliditates, & infidelitas timeatur nihil ei mutuare, nec credito vendere, & si vendas, vel mutues solutionis terminum expectare, an forte sine vllo dispendio fiat; Nam expensarum anticipatæ conuentiones, vix vsuræ suspicione vacant, vel statuere tantum in genere quantum re ipsa postea expendetur, ita vt si nihil postea expenditur nihil recipiatur; atque, Nauar. ita solum videtur Nauar. concedere hoc esse licitum. c.23 num.84. Nihilominus tamen, vbi omni procul fraude bonis coniecturis timentur expensæ; nulla est iniquitas de expensis, & laboribus pactum cum emptore inire, constitutumque pretium recipere, etiam si nullas venditor sit postea facturus, quoniam vt diximus non pro expensis actu faciendis, sed pro dubietate expensarum faciendarum fuit facta conuentio. His obseruatis respondetur ad quæst. vnica conclusione.

Conclusio. Venditor licite potest deducere in pactum vltra iustum pretium rei venalia expensas faciendas in recuperatione debiti; tenetirque emptor illud plus conuentum soluere, etiam si nihil postea expendatur. Probatur, nam talis contractus fit secundum æqualitatem iudicio humano æstimatam, quicquid postea sequatur; ergo est iustus, ac proinde omnino obligat siue postea contingat, vt multo plures, vel pauciores expensæ fiant, siue etiam nullæ. Id enim non reddit iniustum contractum, si absque fraude vt diximus vterque contrahentium deliberata voluntate se per eam pactionem exposuit æquali periculo lucri, & damni. Vnde damnum quod forte fortuna postea vni eueniet voluntarie, atque adeo non iniuste ei eueniet, secundum voluntatem præcedentem, licet dubiam. Quæ ratio est, cur multi similes contractus de rebus incertis, & futuris a Doctoribus iustificentur, qualis est contractus assecurationis &c. Et confirmatur, quia in tali casu re vera est damnum emergens venditori, si cum expensis recuperet capitale, ergo poterit illas in pactum deducere, vt se seruet indemnem.

Ad rationes D. Anton. respondetur, & ad primam dico, quod in casu nostræ dubitationis impertinens est, quod emptor soluat cum expensis, aut sine illis: quia non pro expensis actu faciendis fuit in pretio ascensum, sed pro periculo Conradus. actu suscepto, vt subtiliter probat Conrad. loco relato, & nos modo dicebamus.

Ad secunda similiter dico, parum referre, quod expensæ fiant maiores, vel minores ad iustificandum, vel condemnandum dictum incrementum, si quidem non pro expensis actu faciendis, sed pro dubio probabili fuit super incremento conuentum; nam maluisset venditor illo pluri caruisse, quam subire illud grauamen, & timorem: Nam timor ille potest esse sibi tam grauis, quod mallet carere illo pluri, in quo carius vendit, quando esset ab illo timore securus, quam recipere illud plus, & subire timorem, præterquam quod tunc non censetur, quid lucratus fuisse in percipiendo illud plus: quia æquiualens imo maius subijt pro eo.

Ad vltimam dico, quod quamuis illa via inter alias, videatur tutior, atque simplicior, qua venditor cum emptore paciscitur de soluendis eidem expensis, quas ipsius causa fecerit, & tunc non sit opus ad alia remedia recurrere; tamen non sequitur, quod alia sit illicita; possunt enim ambæ esse licitæ, cessante saltem scandalo, & specie mali, & maxime quando rationabili causa mouetur venditor ad potius amplectendum vnam, quam aliam, sicut contingit in proposito; Nam si venditor deberet passim cum quolibet emptore in traductione mercium pacisci super expensis, quas probabiliter timet se facturum, ipse haberetur (licet non rationabiliter) pro tam diffido homine, quod forte nulli vel pauci ab eo emerent, quando tamen illi, qui ob id ab eo diffugerent, irrationabiliter mouerentur: non enim ægre ferre deberent, quod venditor vellet sibi prouidere de refusione, ad quam ipsimet deberent esse beneuoli, si expensæ in effectu fierent.

ARTICVLVS V.

Vtrum ratione dubij, quod res solutionis tempore sit plus valitura, possit venditor amplius exigere, quam sit iustum pretium rei de præsenti.

Scotus. HAnc quæst. egregie tractat atque resoluit Doct. Sub. in hac. q. art. 2. sub litt. P. §. existis regulis. Est autem sensus quæst. vendit quis in Ianuario tritici mensuram valentem de præsenti. sex argenteis recepturus pretium in mense Maij, in quo verisimiliter creditur plus valituram, dubium est vtrum ratione huius probabilitatis liceat venditori ascendere in pretio. Pro cuius solutione distinguit Doct. Aut venditor erat mercem venditurus in Ianuario, aut non, sed seruaturus vsque ad mensem Maij, in quo tunc primo erat venditurus. Si primo modo hoc est dupliciter, quia aut vendendo in Ianuario vendit pro pretio tunc currenti, & non pro maiori, aut vendit pro maiori, quam currat tunc in Ianuario. Si autem non erat venditurus in Ianuario, sed alias, quando videretur, quod secundum cursum temporis plus posset lucrari, & hoc est dupliciter: quia aut nunc determinat certum pretium, quod vult habere pro merce, aut non determinat certum pretium eius, sed relinquit pretium pendere ex futuro valore mercis.

Si primum, hoc est dupliciter, quia aut determinando certum pretium, vult habere pretium, quod currit in Ianuario, aut vult habere maius, quam nunc valeat, non tamen in tanto maius, quin pro mense Maij, ad quem erat mercem reseruaturus, & venditurus verisimiliter sit merx valitura plus, licet etiam quandoque solum tantundem, & quandoque etiam minus. Si autem non determinat tempore venditionis certum pretium eius, sed relinquit eum pendere ex valore futuro, hoc est dupliciter, quia aut determinat illud tempus futurum, sine vlla distinctione, volens habere tantum, quantum in illo determinato tempore valebit. v.g. quantum in tali die mensis Maij vendi solet, aut non determinat illud futurum, sed sub disiunctione illud relinquit, volens habere tantum, quantum valebit in illo die, vel alio die præcedente, vel sequente, vel in pluribus diebus puta septem vel octo ante, vel post talem diem; & hoc potest contingere dupliciter: quia aut est in optione emptoris eligere partem illius disiunctionis, ita quod si. v.g. in decima quinta die mensis Maij, & diebus præcedentibus, & sequentibus contingat currere inæquale pretium, emptor possit dare venditori vnum ex illis, quodcumque placuerit; aut non est hoc in optione eius; imo venditor vult quod det sibi illud pretium, quod erit maius inter illa, quæ current in die. 25. & diebus præcedentibus, & sequentibus. hac distinctione stante respondetur ad quæst. quinque conclusionibus.

Prima conclusio. Vendens merces pecunia credita, quas non erat seruaturus pro pretio, tunc currenti licite vendit, imo

imo facit emptori misericordiam, primum patet, quia ibi seruatur iustitia commutatiua. Secundum etiam patet, quia talis venditio fit cum expectatione pretij, v.g. vsque ad mensem Maij sine spe cuiuscunque lucri, hæc autem expectatio est virtualiter gratuita mutuatio. ergo &c.

Secunda conclusio. Vendens merces carius pecunia credita, quam numerata si non erat illas reseruaturus; & pretium determinat, quo æstimatur, illas certo tempore valituras, proculdubio est vsurarius, hæc concl. est Scoti, quem sequuntur Maior hac. d.q.32. Gabr. q.12. art.1. not.2. § & quoniam incidit casus, & art.3. dub.9. Angelus verbo vsura, num.33. Syluest. vsura. 2. q.2. Medina de rest. q.58. causa 5. Sotus. 6. de iust. q.4. art.2. Couar. 2. var. resol. c.3. num.6. & cæteri iuniores. Est tamen contra Caiet. 2.2. q.78. art.2. ad.7. vbi asserit, quod si venditor sit suas merces statim venditurus, & creditur verisimiliter illas, post tres menses plus esse valituras, possit eas licite vendere credito soluendas in illud tempus, pretio quo plus minus speratur esse tunc valituras; quoniam inquit solutionis expectatio potest duobus modis considerari, vno modo vt actio distincta ab emptione, & venditione, ita sane vt intelligatur venditio iam perfecta per traditionem rei, & deinde ratione expectationis temporis solutionis aliquid amplius exigatur, atque hoc modo ex eo, quod solutio differatur, nihil amplius accipi potest, quam quod res in præsenti valet, quia vsura esset sic accipere. Altero modo tanquam actio completiua contractus venditionis, & emptionis; completur quippe contractus non sola conuentione, sed traditione mercis ex parte venditoris, & pretij ex parte emptoris. Quia ergo (inquit) tempore quo traditione pretij complendus est contractus, merx est plus valitura, licitus est talis contractus, nihil impediente, quod tempore, quo merx traditur minus valeat, & quod venditor seruaturus illam non esset vsque ad id tempus.

Scotus. Maior. Gabriel. Angelus. Syluester. Medina. Sotus. Couar. Caietanus.

Confirmat suam sententiam Caiet. ex cap. in ciuit. de vsuris, vbi Alex. III. nulla mentione facta, an venditor seruaturus esset merces vendendas in tempus futurum, respondet piper, aut cinamomum, quod præsenti pecunia solum venditur quinque posse absque peccato vendi credito sex, modo credatur tempore solutionis plus, minus esse valiturum. Et reprehendit Caiet. Glossas cap. in ciuit. & cap. nauig. quæ affirmant eundem esse casum vtriusque capitis, ac proinde in casu cap. in ciuit. intelligendum esse, quando venditor seruaturus erat suas merces in tempore solutioni præfixum, iuxta id, quod cap. nauiganti habetur

Ad eandem sententiam videtur accedere Conrad. q.61. concl.2. & etiam Almayn hac. d. q.2. quatenus dicit, quod vendens carius credita pecunia propter solutionis dilationem vsuram committit: quia iam interpretatiue vendit tempus, quia quærit aliquid plus, quam venderet nunc, ratione expectationis solutionis, quæ differtur; cæterum si de pecunia pro qua venderet de præsenti, tempore intermedio esset verisimiliter aliquid lucraturus, vel ex defectu illarum damnum aliquod incurreret, posset vendere carius ratione interesse vel damni emergentis, vel lucri cessantis, potest enim vendere suum damnum, cum sit pecunia æstimabile.

Conradus. Almayn.

Contrarium tamen est proculdubio asserendum, videlicet contractum illum illicitum esse, ac vsurarium, quod manifeste expressit Greg. IX. c. nauig. quo circa dicendum est eundem esse casum vtriusque capitis; Gregoriumque Nonum explicasse amplius, quæ Alex. III. dixerat, ita affirmāt præter Glossas vtriusque cap. Doctores communiter, quos pro sententia Doctoris supra citauimus. Et probatur sent. Scoti; quoniam contractus emptionis, & venditionis consensu perficitur, vt supra ostendimus, & valor rei attendi debet iuxta id, quod tempore traditionis illius valet, vt ex se patet, eo quod tunc tradatur ad vsum, & cōsumptionem, neque pretij solutio est completio contractus, nisi quo ad obligationem, quæ orta fuerat ex contractu ipso, iam antea perfecto, quo fit, vt pretium iustum rei credito venditæ attendendum non sit penes tempus solutionis, sed penes tempus vēditionis, & traditionis mercis: nam eo tempore perficitur venditio: quia tunc res traditur emptori tanquam domino illius, & implicat contradictionem dicere, quod venditio non est perfecta, & quod emptor maneat dominus rei, ita vt sibi det, aut pereat, ergo fictitium est dicere, quod illa venditio fiat nunc pro tunc: nam re vera perficitur nunc, cum res traditur, & secundum communem omnium sensum dicitur, quod res illa iam est vendita ad creditum.

Præterea, res, quæ in futurum plus est valitura, non plus valet ei, qui eam venditurus est statim, quam valeat in præsenti; eo quod dominium illius non perseueret cum ipso, possitque consumi statim ab emptore, ergo si in præsenti eam vendit, ac tradit non maiori pretio potest illam ex eo vendere, quod solutionem differat in tempus, quo plus est valitura, quam si ipsa pecunia statim numerata venderet.

Præterea ex sententia Caiet. sequeretur, quod qui non erat seruaturus merces suas in futuro, licite posset carius illas vendere, quam qui erat seruaturus ad tempus, quo carius erant valituræ; probatur sequela; nam qui erat seruaturus tenetur minuere de pretio tantum, quantum ipse erat impensurus in seruandis mercibus, & quantum erat periculi in illarum conseruatione; at vero, qui non erat seruaturus, nullas expensas facturus erat, atque adeo carius potuit vendere.

Deinde venditio ad terminum nihil addit supra venditionem ad statim, nisi solam expectationem soluendi pretium in futurum; sed hoc nihil aliud est, quam quædam mutuatio, vt ex supradictis patet, ergo non est licitum ratione illius aliquid vltra iustum pretium accipere. Et si dicatur non iustificari contractum in casu, de quo loquimur; quia res ad terminum venditur, sed ob dubium, quo verisimiliter dubitatur, rem tempore solutionis plus, minus valituram, vel ratione damni seu lucri cessantis iuxta sententiam Conradi, & Almayni. Contra venditor in nostro casu non erat seruaturus merces in futuro, ergo nihil sua refert, quantum in futurum sint valituræ, neque ex hoc ei aut damnum emergit, aut lucrum cessat, atque adeo ratione huius nihil nisi pretium, quod in præsenti currit, potest recipere. & confirmatur: quia esto venditor esset certus rem in futuro plus valituram, quam valeat de præsenti, si tamen non vult eam in futurum seruare, non potest amplius pro ea accipere, quā valeat de præsenti; ergo multo minus, quando est dubius, an plus, minusue sit valitura, probatur sequela. dubium de futuro valore rei, ideo venditionem ad terminum pro maiori pretio excusat, quia ratione talis dubij se æqualiter venditor exponit lucro, vt damno; sed hoc de eo, qui mercem seruaturus non est nullo modo verificatur, vt patet, ergo qui solum ob præfatam dubitationem vendit carius ad terminum, quam sit pretium currens, si alias merces non erat seruaturus, a culpa non excusatur.

Postremo Confirmatur ex cap. nauig. vbi cum fecisset Summus Pontifex mentionem de dubio verisimili si plus, minusue res tempore solutionis esset valitura subiungit, ratione huius dubij etiam excusatur, qui pannos, granum, vinum, oleum, & alias merces vendit, vt amplius, quam tunc valeant in certo termino recipiat pro eisdem; si tamen ea tempore contractus non fuerat venditurus. Quibus verbis aperte significatur solam rationem præfati dubij non esse sufficientem contractum iustificare, nisi conditio, si venditor esset mercem seruaturus simul currat. Ex his autem rationibus, iam perspicue euersa sunt Caiet. fundamenta, vt opus non sit ad illa respondere.

Tertia conclusio. Vendens merces pecunia credita, quas seruaturus erat, & pretium determinat secundum quod res nunc valet, non est dubium, quin faciat misericordiam magnam: quia ex quo non erat mercem venditurus, v.g. in Ianuario, sed reseruaturus ex causa aliqua ad Maium, & tamen vendit in Ianuario; signum est, quod fit ad instantiam emptoris, nunc desiderantis mercem, & ea indigentis; atque ita eius indigentiæ succurrit, & precibus condescendit, & hoc est vna misericordia, neque hoc facit spe lucri, sed potius cum præiudicio sui lucri, cui renunciat, & hæc est alia misericordia; atque adeo magnam facit misericordiam.

Quarta Conclusio. Vendens merces pecunia credita carius, quam numerata, si erat illas seruaturus, & pretium determinatur maius, quam nunc valeat, sed non adeo maius, quin tēpore solutionis verisimiliter sit merx valitura plus, vel tantundem, vel etiam minus, quam tempore contractus, nulla interuenit vsura. v.g. si tritici mensura mense Ianuarij octo Iulijs argenteis vendatur, speratur tamen vendenda in principio Maij longe maiori pretio, Tunc qui firmius destinauit vendere suum triticum mense Maij, absque peccato, & absque vsuræ vitio requisitus mense

Ianua-

Ianuarij poterit credito illud vendere pretio, quo plus, minusue valiturum speratur mense Maij. Rano est: quam quã do moraliter est certum valiturum plus mense Maij, atque ignoratur quantum tunc in pretio ascendet, sane iustum pretium lucri cessantis tempore contractus taxatum erit, si ascendatur in pretio, quousque perueniatur ad medium inter summum, & infimum, quo mense Maij valiturum speratur. vt docet S. Bernardinus de Euang. æterno Serm. 34. artic. 1. colum. 3. ea quippe ratione, & taxatur, & persoluitur sufficienter venditori lucrum, ex eo ipsi cessans, quod suum triticum in id tempus non seruet, quo plus valiturum sperabat, & tam emens, quam vendens æquali se periculo exponunt. Quod esto triticum mense Maij plus valeat contentus sit venditor pretio illo, & esto minus valeat, soluat nihilominus emptor idem pretium. atque hoc est quod Greg. nonus. in d. cap. nauig. §. ratione. definite intendit.

Bernar- dinus.

gelus.

Obseruandum est, tamen secundum Angelum vbi supra, quod semper detrahendum est de pretio, quantum venditor erat insumpturus in eo tritico seruando. Item cũ oleum, vinum, frumentum, & huius modi decrescant, illud, quod decrescit non poterit sine vsura vendere. Et si obijciatur, quod in cap. in Ciuit. in fine eiusdem cap. dicitur, Ciues tui saluti suæ bene consulerent, si a tali contractu cessarent, cum negociationes hominum omnipotenti nequeant occultari. Respondet Scotus, quod in his verbis continetur monitio vtilis, non præceptum necessarium. Vnde non est necesse vitare illum contractum, dummodo seruentur conditiones, quæ ad lucrum cessans requiruntur, quæ patent ex dictis supra. Cæterum quia facile contingit, aliquam illarum conditionum deficere, atque ita contractus deprauatur. Ideo Papa merito eum dissuadet vtiliter monendo obserua tamen, quod verba c. in ciuitate, superius relata, non procedunt directe contra hanc quartam conclusionem, quasi in dict. cap. dissuadeatur huiusmodi contractus. Nam in d. ca. dissuadetur contractus, vbi dubium erat de illo pluri pretio, casus autem nostræ quartæ conclusionis est vbi verisimilis credulitas est de illo pluri, sed procedunt per locum a minori, minus enim videtur dissuadendus casus, c. in Ciuicate. supposito dubio in venditore, & tamen dissuadetur; igitur multo magis noster casus est dissuadendus, ratio est, quia tales venditores magis sunt contenti ita expedire, quã periculo suo vsque ad aliud tempus seruare, & etiam vt plurimum sunt incerti, si erant seruaturi vsque ad illud tempus, cum videamus propter quædam emergentia propositum sæpius mutari, & propterea est periculosus contractus, nisi bene clausuletur.

tus.

Quinta conclusio. Seruaturus merces, si illas vendat pecunia credita carius, quam numerata, & determinat pretium pro tempore determinato, in quo non consueuit regulariter plus valere, quam quando tradit rem suam, ne dum licite facit, sed facit misericordiam, etiamsi plus tempore solutionis valeat, quam tempore contractus. verbi gratia. Ego non sum venditurus rem meam, nisi 15. die Maij, quo tempore, fieri potest valeat carius, vel tantundem, vel etiam minus, quam modo, licet communiter consueuit esse carior pro die 15. Maij, quam nunc, in tali casu, iuste, & misericorditer facio, vt de se patet: quoniam re vera tantũ lucri mihi cessat, & hoc modo expono me periculo, quod si aliqua de causa minus tunc valuerit, minus mihi detur, semper tamen detrahere de pretio teneor, si minus lucri mihi cessat propter sumptus in ea merce seruanda, & propter alia, quæ proxime commemorata sunt.

Sexta conclusio. Si quis triticum aut aliam mercem vendat, quam erat seruaturus, & pretium determinare velit pro tempore indeterminato, hoc modo vt ponat se in toto vt in pluribus & alium in damno, verbi gratia, volo quod tantum soluas mihi pro isto quantum valebit in quocumque tempore vsque ad talem diem Maij, quando carius venderetur vsura est: quia est, ac si venderet triticum, vel alium mercem cum pacto, vt ei supremum pretium detur, quo valuerit a die celebrati contractus, vsque ad tempus, in quod illam seruare decreuerat: quia ponit se, vel partem suam, quo ad lucrum, vt in pluribus in tuto, & illum cum quo contrahit in damno, & tunc habet pro se illud, quod euenit vt in pluribus, & contra se illud, quod euenit vt in paucioribus. Immo esto mensem determinet, aut hebdomadam, apponens pactum, vt sibi summum pretium soluatur, quod in tali mense, aut hebdomada valuerit contractus est vsurarius, ratio est (inquit Doct.) quoniam ipse vnum tantum diem, immo horam erat electurus, in qua venderet, & non tempus particulare vagum, nec plus pretij erat accepturus, quam merx tunc valeret, & in illo determinato die posset contingere, quod minus care venderetur, quam in die carissimo inter illud totum tempus determinatum, & vagum, atque adeo, ex eo quod supremum pretium eligit temporis totius mensis, aut hebdomadæ exponit emptorem periculo, quod si in aliqua parte totius illius mensis plus valeat teneatur id soluere, & simul se in tuto constituit de lucro, quam humana industria pertingere posset: quia tali pacto facit se certum, quod nihilominus accipiet, quam sit id, quod valitura erat tempore, quo ad vendendum eligeret. Apponere autem hoc grauamen, quod proculdubio pretio est æstimabile, pro expectatione solutionis; quis non videat vsuram esse palliatam?

Si tamen pacisceretur, quod nec emptor supremum solueret pretium, nec infimum, quod intra id tempus venderetur, sed medium inter vtrunque: tunc nulla esset vsura, eo quod contractus esset æqualis & periculũ æqualiter amoueret ab emptore, & venditore.

ARTICVLVS VI.

Vtrum mutuans nunc triticum ad restituendum in aliquo tempore, in quo plus valebit, committat vsuram.

SEnsus tituli est, ponatur, quod Petrus nunc, puta mense Decembris mutuet frumentum, vel vinum, quod valet 10. argenteis restituendum ei tempore Maij, in quo valebit 12. sit vsurarius, & eodem modo potest exemplificari de pecunia, (nam aliquando contingit licet non ita frequenter sicut de frumento) quod moneta aliquo tempore pluris æstimetur, quam in alio. Respondetur ad quæst. quinque conclusionibus.

Prima conclusio. Si consequutio illius pluris, quod valebit tempore Maij fuit principale motiuum propter quod Petrus mutuauit, mutuatio fuit vsuraria: nam formaliter loquendo mutuatio vsuraria est actio vitiosa carens debita circunstantia finis, puta quia non fit propter Deum, sed propter lucrum, & hæc conclusio est vera siue Petrus in effectu consequatur illud plus, siue non, quia sufficit principalis intentio consequendi lucrum ex mutuo, quamuis nõ consequendo, non teneatur restituere.

Secunda conclusio. Si consequutio illius pluris non mouit Petrum ad mutuandum, sed sola charitas, tamen verisimile erat plus esse valiturum, tunc mutuatio non erit vsuraria vere, quamuis poterit esse præsumpta, primum patet: quia non est facta propter lucrum, quamuis lucrum accesserit, sed hoc non arguit mutuationem vsurariam, alias non liceret mutuanti ex charitate recipere postea aliquid libere datum. Secundum probatur; nam ex quo verisimiliter granum erat plus valiturum, si Petrus alias consueuit mutuare ad vsuram, præsumetur nunc mutuationem illam fuisse vsurariam, iuxta illud, malus in eodem genere mali &c. igitur abstinere debet, quam diu talis præsumptio nata esset oriri. dicit enim Apost. Ab omni specie mali abstinendum esse.

Tertia conclusio. Si consequutio illius pluris, non mouit Petrum ad mutuandum, sed sola charitas, & non fuit verisimile, quod granum tunc plus esset valiturum, illa mutuatio nec vere, nec præsumptiue est vsuraria. Prima pars patet ex dictis, & secunda etiam constat, quia cessat causa præsumendi.

Quarta conclusio. Si consequutio illius pluris non mouet Petrum ad mutuandum, sed sola charitas, & tamen verisimile fuit, quod esset plus valiturum, quam tempore mutuationis: quod plus Petrus intendebat consequi, non erit mutuatio vere vsuraria, quamuis aliqualiter posset esse præsumpta. prima pars patet, quia stant simul, quod Petrus nõ fuerit motus ad mutuandũ propter illud plus, & tamen

intenderit illud consequi, & talis intentio non est illicita; nam si Petrus volebat seruare frumentum, vsque ad Maium, quando verisimiliter erat plus valiturum, igitur si intendat consequi illud, iam talis intentio non est illicita: quia non tenetur quis rem suam distrahere tempore, quo minus valet, ex alia parte si Ioan. petat sibi mutuari, Petrus ex charitate mutuat cogitans intra se, granum tuum stat in granario vsque ad mensem Maij, non ne melius est, vt proximo subuenias ex charitate sine tuo damno? Tu enim vis seruare vsque ad mensem Maij, in quo plus valebit, & ille restituet tibi illud in mense Maij, atque ita non perdes lucrum. ex quibus patet, quod illa duo stant simul, & est licitum: quia Petrus mutuat ex charitate, & tamen prouide se ipsum conseruat indemnem, per regulam Ioan. Gerson in tract. de Floribus in materia de auaritia, quæ talis est. Omnis fere contractus vsurarius ex genere potest per piam intentionem dantis, & recipientis transferri a suo genere in opus pietatis. Vt si causa succurrendi principaliter indigenti proximo ex vna parte, & præseruandi se indemnem ex altera, petat aliquid vltra sortem, nisi infra tale tempus sua sors illi detur; sic quod mallet (teste conscientia sua) sortem apud se manere nunc sine vllo pretio, quam tunc cum tali pretio eandem recipere ob damnum certum, vel probabile, quod ex dilatione solutionis sibi oritur, hæc ille, & valet ad multa. conclusio igitur vera est pro prima parte, & debet intelligi si mutuatio non sit de præcepto. Secunda pars patet. Quia si Petrus consueuit mutuare ad vsuram, tunc posset contra eum præsumi de mutuatione vsuraria: ideo abstinere debet, donec cesset ratio scandali.

Ioa. Gerson. Regula notabilis.

Quinta conclusio. Si Petrus hoc tempore frumentum, quod multum valet sub æstimatione pretij currentis mutuet, obligans mutuatarium ad restituendum sibi aliud frumentũ tpe messis quo erit vilissimi pretij in tanta quantitate, quæ tantum valeat, quantum frumentum sibi mutuatum tunc valebat, atque ita obliget eum ad dandum sibi plus frumenti in quantitate, quam mutuauerit, non committit vsuram: quia licet illud quod recipit sit plus in quantitate, non tamen quantitate valoris, sed æquale, ideo nullum lucrum intendit, vnde æquiualenter vendit frumentum nunc, & mutuat pretium gratis, quod sibi vult restitui æquale in frumento tempore messis.

Sed quid de mutuante frumentum vetus, vt recipiat nouum? Respondeo, quod aut est bonum, aut corruptum, vel prope. Si primum, dico quod licet, si gratis faciat, & non spe lucri; immo potest exigere, vt detur ei nouum in maiori mensura, & ratio est; quia vetus iam dissiccatum est, sed nouum tempore procedente accrescit, & decrescit atque ita mutuans damnificaretur; si igitur non spe lucri; sed vt conseruet se indemnem, hoc faciat, licite facit. Si autem frumentum esset corruptum, vel prope, & timet sibi perire si diutius teneatur, atque ita mutuet, vt nouum recipiat diutius duraturum, & hac intentione principaliter mutuat, vsura est euidentissima: quia illud frumentum non perire, quod alias natum est perire, est quid pretio æstimabile, adeo quod si posset cum vno, vel duobus argenteis, faceret, quod non periret, & libenter id ageret, igitur si principaliter mutuat ad hoc, vt non pereat sibi erit vsuraria mutuatio. Et confirmatur; quia illud damnum, quod intendit vitare per mutuationem, non est damnum iniustum: quia naturale est, igitur si mutuat principaliter propter vitationem illius damni, mutuatio vsuraria est, quia est facta principaliter propter temporale commodum obtinendum; secus si non principaliter propter hoc mutuasset. Et si arguatur. Mutuans potest velle euitare interesse damni emergentis: igitur mutuans frumentum potest intendere vitare destructionem sui frumenti, quod alias sibi periret. Respondeo antecedens esse verum de interesse emergẽte ex mutuo. hoc autem emergit ex natura, & mutuans conatur illud per mutuum vitare.

Sed dubium est, an mutuans rem cum pacto, quod eadem res in pondere, numero, & mensura sibi restituatur, sit vsurarius, verbi gratia, pecuniam pro pecunia, vt marcham argenti, pro alia marcha argenti, granum pro grano, vinum pro vino, & huiusmodi. Respondet Angelus, verbo vsura, primo, numero 36. post Petrum de Anchoran. in cap. vsurarium. de vsuris libro 6. & Ioan. Cald. in cap. fin. Quod aut verisimiliter dubitatur, quod tempore solutionis tantum minus potest valere, quantum plus, aut quod non plus valebit, & sic non est vsura, nec peccatum, vt in dict. cap. fin. quia sicut creditor teneretur eam recipere si vilior esset facta, quo ad æstimationem, vt patet in l. vinum. ff. si certum petatur, & not. Gloss. in l. si quis Clericus. 14. quæstione quarta. quia non est necesse, quod sit eiusdem æstimationis, licet debeat restitui eiusdem bonitatis qualitate intrinseca, ideo non peccabit recipiendo præciosiorem, quo ad æstimationem. Aut verisimile est, quod erit præciosior tempore solutionis, & tunc si creditor erat seruaturus, & non aufert libertatẽ debitori liberandi se, quã do velit infra terminum, sic licet, si vero non erat seruaturus, sed iterum consumpturus, sic est vsura, similiter quãdo aufert libertatem debitori liberandi se intra terminum, quamuis esset seruaturus erit vsura.

Angelus
Anchoran.
Ioan. Cald.

Sed quid, si mutuans frumentum, quod tempore mutui valet decem, tempore autem restitutionis valet 18. an in quinque contrahatur vsura? Respondeo quod non, quia si vilius effectum esset, creditor teneretur illud recipere, dummodo in qualitate intrinseca esset æque bonum. Vult etiam Salic. in Authent. ad hæc. C. de vsuris. quæst. 19. quod si debitor esset in mora soluendi, & æstimatio creuisset, quod creditor posset accipere illud plus, quod creuit: quia si reddidisset tempore debito creditor hoc commodum habuisset, vnde non videtur vsura illud plus ad quod tenetur ex mora, sed potius interesse, dummodo intentio mutuantis non esset deprauata. *Salicet.*

Sed pone, quod quis mutuet pecuniam, vt recipiat eam argenteam, vel auream, vel e contra. Vtrum sit vsurarius? Respond. Hostiens. in summa tit. de vsura §. an aliquo, & §. Quid si quis, quod mutuans pecuniam recepturus ad terminum alterius generis monetam, vel aurum, vel argentum, vel aliam speciem, si hoc faciat vt in æstimatione lucretur vsurarius est, & dat simile de his, qui de nundinis ad nundinas mutuant, quam vsuram execrabiliorẽ omnibus iudicat, quantumcunque sub specie venditionis, vel permutationis, siue alterius contractus veletur: nã quocunque nomine appelletur, ex quo fraudulenter, & mala intentione fit, & aliquid sorti accedit, vsura est 14 quæst. 3. cap. plerique. & cap. consuluit. eodem tit. sequitur Cardin. in Clement. prima, eodem titu. quæstione vndecima. Laur. quæst. 46. & Anan. in dict. capit. fin. in octaua quæstione principali. *Hostien.* *Cardin.*

Sed pone iterum, quod Petrus habeat frumentum, & Ioan. petit illud mutuo in Mense Decembris, vt tantundem frumenti restituat in paschate, & est verisimile, quod plus valebit in paschate, an contractus sit vsurarius, verbi gratia. In mense Decembris valet mensura frumenti tantum decem, & verisimile est, quod in paschate valebit 12. vtrum recipiendo frumentum pro frumento sit vsura. Et videtur quod sic, quia accipit vltra sortem; nam in rebus attendendus est valor rei in omni contractu. Circa hunc casum aliqui faciunt magnam difficultatem. Cæterum ex superius dictis facillime solui potest, nam vel Petrus erat seruaturus suum frumentum vsque ad pascha, vt eo nutriretur cum sua familia; vel non, si primum non committit vsuram; quia in paschate nullum consequitur lucrum, de ratione autem vsuræ est lucrum, vt ex supra habitis patet. Si secundum, idest si non erat seruaturus, sed tempore mutui venditurus, vsura est palliata: quoniam in eiusmodi contractu intercedit virtualis venditio, & mutuatio. Est enim ac si Petrus venderet frumentum decem, & Ioan. tunc solueret illa decem, atque ea postea mutuaretur a Petro pro reddendo frumento, quod valet. duodecim; reciperet ergo Petrus plus in valore, atque adeo est manifesta vsura.

ARTICVLVS VII.

Vtrum modus vendendi res ad creditum faciat iustum illarum pretium crescere.

CIrca hanc difficultatem quidam indistincte asseruerunt ex eo capite res posse iuste, & licite vendi vltra iustum rigoro-

rigorosum, alioqui earumdẽ rerum pretium credito vendi, eo quod res sub illo vendendi modo plus valeant, quã venditæ pecunia statim numerata; quasi maius illud pretium sit proprium, & peculiare iustum pretium illarum rerũ sub illo vendendi modo, non secus ac, quando res sub hasta vẽduntur, & ratio est, quoniam abundantia emptorũ facit pretium accrescere, quando autem res credito venduntur plures sũt emptores. Sed merito hęc causa ab omnibus reijcitur, nisi temperamento aliquo condiatur.

Quidam vero econtrario etiam indistincte affirmant, hũc titulum. s. vendendi res ad terminum, non esse sufficientem ad excusandum venditorem ab iniustitia, quæ in eo consistit, quod res carius vendat ad tempus, quam valent de præsenti: Ratio est, quoniam iura contrarium aperte sonant, dum docent, non esse licitum carius vendere credito, quam pecunia numerata, nisi ex causa particulari, vt lucri cessantis, & alia simili. Si autem huiusmodi titulus esset legitima causa, licitum esset vniuersaliter carius vendere credito, quã pecunia numerata. Deinde incrementum illud pretij vendẽdi ad terminum ortum inde habet, quod expectetur pro pretio, atque adeo ortum habet ex virtuali mutuo, quod est palliata vsura iure diuino, & naturali illicita; quare cum abundantia illa emptorum crescere non faciat simul pretium pecunia numerata, sed solum sit occasio, quod venditores ex ipsa natura rei illicite vendant carius consequens est, vt hic titulus non sit de numero illorum, qui ex natura rei crescere faciant rerum pretia, qualis est abundantia emptorum pecunia numerata.

Cæterum etiam hæc sententia temperamento indiget, vt statim videbimus. Vnde pro huius difficultatis explicatione obseruandum est primo, quod quædam sunt merces, quæ fere omnes venduntur expectata pecunia, vt sunt tapetes, qui deferuntur in magna copia de Flandria, vel etiam Bissus, & id genus mercium, quæ deferuntur ad aliquem portum ad alicuius regni prouisionem, quædam vero sunt merces, quæ vt plurimum venduntur numerata pecunia.

Merces sũt in duplici differentia.

Secundo obseruandum est, quod pretium rei venalis dupliciter potest dici præsens, vno modo dicitur præsens, quod hic æstimetur à viris probis, & prudentibus, etiam si non statim, & de præsenti realiter, & cum effectu soluatur pretium, altero modo dicitur præsens, quod statim de præsenti realiter, & cum effectu soluitur.

Pretium rei venalis bifariam potest dici præsens.

Tertio obseruandum est, quod pretium pręsens priori modo est iustum pretium cuiuslibet rei venalis, pretium vero præsens, secundo modo impertinens est ad iusti pretij rationem: nam interdum contingit vt coniungatur cum illo, interdum vero expectatur iustum pretium soluendum futuro tempore.

Pretiũ præsens quar ratione iustũ.

Quarto obseruandum est, quod ratio quare in emptione mercium primi generis non potest statim repręsentari pecunia ea est: quia pretium non potest colligi nisi ex ipsismet mercibus in alijs locis, & temporibus vendendi; propterea quod huiusmodi prouisio mercium defertur per totam prouinciam, & per totum regnum, atque ita ad arbitrium boni viri debet determinari tempus necessarium, intra quod huiusmodi merces possunt minutatim vendi in alijs locis, & pecunia colligi. Vnde totum illud tempus debet deputari tã quam præsens respectu solutionis tantarum mercium. Explicatur amplius hæc doctrina. Si venditor ille magnus negociator, qui vehit tantas merces nauibus, mitteret ministros suos per totam prouinciam, vt minutatim venderent merces numerata pecunia, certe totum illud tempus, quo expectaret venditor ille pecuniam pro mercibus suis, reputaretur præsens tempus, & diceretur, quod ille vendit merces suas numerata pecunia; sic etiam æquiualenter, quando alij negociatores emunt tales merces, considerandi sunt quasi subordinati ministri illius magni negociatoris; quamuis enim non sint omnino ministri, quia efficiuntur domini mercium, quas emunt, tamen quantum attinet ad rationem præsentialitatis pretij soluendi, perinde sunt quasi ministri: sunt enim negociatores necessario subordinati, pro tãtis mercibus expendendis.

Quinto obseruandum est, quod forma quæ seruatur a viris probis, & prudentibus in emptione earum mercium ea est, quod primum taxetur pretium iustum secundum præsentem æstimationem, deinde venditor, & emptores conueniunt de tempore solutionis, quod quidem determinandum erit maius, aut minus ad arbitrium boni viri, secundum quod iudicabitur necessarium esse vt expendantur minutatim tales merces a negociatoribus, & totum illud tempus debet reputari præsens, ac si solutio fieret numerata pecunia.

Forma seruãda in vendẽdo ad terminum.

Sexto obseruandum est, quod quando pretium non est lege taxatum duobus modis accrescere potest ratione dilationis solutionis; vno quia retributio, & compensatio dilationis, & hoc modo est vsura, eo quod sit lucrum ex virtuali mutuo. Altero quasi incrementum pretij iusti mercis occasione dilationis quæ in causa fuit, vt emptores multiplicentur, atque ita pretium iustum accresceret, aut potius non decresceret propter eum vendendi modum, atque hoc modo cum non sit lucrum ex mutuo formaliter, aut virtualiter vsura non est, sed pars pretij iusti. Dixi quando pretium lege non est taxatum; quoniam si lege sit taxatum, cum retributio pro merce in indiuisibili, quo ad valorem consistat, non secus ac retributio pro mutuo formali, dilatio solutionis absque dubio non potest esse tunc occasio maioris valoris eius rei, quæ est compensanda, atque adeo neque maioris compensationis iustæ.

Pretium qđ non est lege taxatũ duobus modis augeri potest.

His obseruatis. *Dico primo.* Merces, quæ vt plurimum venduntur numerata pecunia non est licitum vendere carius eo solo titulo, quod merx ad terminum vendita ex communi hominum æstimatione plus valet, quam vendita ad statim. Probatur: quia eiusmodi merces ad terminum venditæ nec in se, nec ipsi vendenti plus valent, quam si ad statim venderentur. Obseruandum est tamen, vt notat Angelus. vsura. primo, numero 59. quod si ob inueteratam malam consuetudinem, & pecuniæ currentis paucitatem, venditur ad tempus plus, quam pecunia numerata, propter hoc vt iustum pretium extorqueant, non erit vsurarius contractus, vt docet. S. Thom. in quadam quæst. & Gerard. Odon. in suis contractibus; cognosci autem poterit si pretium currens iustum sit, aut non, si attendatur, an mercatores si venderent tali pretio consideratis laboribus, & expensis, & cæteris, adhuc debitum lucrum reportarent. nam sic esset iustum pretium, atque ita nõ posset excedi absque vsura. Si autem nullum lucrum communiter haberent, tunc clarum esset, quod pretium, quod de præsenti soluendum taxatur, non est iustum pretium; sed hoc prouenit potius ex nimia cupiditate pecunias habentium, qui tali pretio volunt emere, vt postea modo suo vendant, in hoc casu inquit Angelus si plus vendant illo pretio pecunia credita dummodo iustum pretium non excedant, quod deberet valere si talis corruptela non esset, non erit vsura, quia nihil vltra debitum exigitur ratione temporis.

Angelus.

D. Thom. Gerardus.

Angelus.

Et addit, quod si quis esset in tali loco, in quo communiter ementes non habent pecunias, sed emunt ad tempus, posset venditor vendere aliquid plus pretio currenti absque labe vsuræ, cuius ratio est: quia potest mercator magis æstimare mercem illam, quæ tardius expenditur, quam eam, quæ citius, atque adeo si plus aliquid vendit solum habendo respectum ad lucrum, quod rationabiliter reportare deberet ex tali negociatione, non ex tempore, inquit Angelus, non condemnabo eum, si tantum plus solum vendit ad tempus, quod moderatum lucrum reportet pensatis laboribus, & expensis, & cæteris huiusmodi. Hoc tamen non haberet locum in illo, qui defert aliquas merces ad aliquem locum, vbi credebat multum vendere, & lucrari posse propter earum raritatem; sed quia aliæ multæ superuenerunt, videns quod ne dum lucrum, immo damnum reportaret, si eas venderet pretio currente, vendit ad tempus plus, vt sic non patiatur damnum: nam huiusmodi venditio non esset absque vsura: quod ex eo patet: quia sicut noluisset minuere de pretio si nullæ aliæ superuenissent, ita adueniente abundantia, ratione temporis non potest aliquid plus eas vendere. Hanc sententiam sequi videtur Medina. q. 38. quod bene considera.

Medina.

Dico secundo. Merces, quæ etsi non omnes, tamen quasi fere omnes venduntur expectata pecunia, licitum est carius vendere pecunia tradita, vsque ad prædictum tempus, quã in præsenti traduntur, seu venduntur eædem merces numerata pecunia in parua quantitate. Probatur quia modus debitus per se in vendendis huiusmodi mercibus est, vt vendantur eo loco, & tempore in magna quantitate, ex quo statim sequitur, quod nõ possunt vendi numerata pecunia, ergo iustum illarũ pretiũ non potest æstimari numerata pecunia sed æstimãdum erit pecunia credita. Præterea si pretium

iustum harum mercium æstimandum esset secundum quod venduntur quædam de ipsis de præsenti numerata pecunia nemo vellet negociari in eiusmodi mercibus: quia vix posset lucrari factas expensas.

Deinde si pretium iustum harum mercium deberet æstimari, (vt quidam aiunt) ac si omnes illæ merces venderentur numerata pecunia eodem loco, & tempore, sequeretur, quod esset iniustum pretium illud, quo nunc de facto venduntur quædam merces ex illis numerata pecunia: probatur consequentia: quia si omnes illæ merces venderentur numerata pecunia, necessario pretium notabiliter deberet vilescere propter abundantiam mercium, & raritatem emptorum, imo vero non esset numerus emptorum sufficiens ad tantam copiam emendam numerata pecunia, nisi in tantum vilesceret pretium, quod etiam pauperes inuitarentur ad emendum tapetes.

Adde, quod si tantum pecuniarum numerata venderentur fane fieret, quod ementes merces illas, multum ditescerent, ingensque lucrum apportarent, quando quidem vili admodum emerent, propter multitudinem mercium, & tamen multorum facultatem ad emendum pecunia numerata, & venderent magno pretio propter paucitatem earum mercium, quæ ad singula loca deferrentur.

Obseruandum est tamen hanc doctrinam locum habere regulariter, quando mercatores illo modo emunt credito ad reuendendas, & asportandas merces illas in alia loca pro communi hominum indigentia. Nam multi sunt mercatores, qui nisi credito emant, & pretium expectetur, nunquam tales merces, aut omnino, aut ex parte reuendant, negotiari non possunt, aut non nisi admodum tenuiter. alij autem sunt, qui licet diuites sint, non possunt ingentem copiam mercium accipere, asportandam, ac vendendam in alia loca, nisi dilatio aliqua ad solutionem concedatur, accurrente autem ad emendum copia vtriusque generis horum mercatorum, perspicuum est ex ipsa rei natura accrescere pretium mercium, sic credito emptorum, vltra id, quod va lerent si pecunia tantum numerata eædem merces tantum venderentur, atque in hoc sensu, & ratione huius, ac similium euentuum verum est, merces credito venditas sub eo modo vendendi plus aliquando valere, quam si solum eadem merces pecunia numerata vendantur, tametsi per se & regulariter contrarium sit asserendum, & hoc est temperamentum, quo doctrinam hanc per se, & regulariter loquendo veram, condiendam paulo ante promisimus.

Dico tertio. Non licet vendere merces illas in magna quantitate carius, quam in præsenti sub eo vendendi modo æstimantur etiam expectata pecunia. Probatur. Iustum rerum pretium est illud, quod in præsenti æstimatur secundum communem vsum fori numerata pecunia iuxta doctrinam traditam in notabilibus, ergo non licet illud excedere. Et istæ duæ conclusiones extenduntur ad omnes alios magnos negociatores, qui in alijs regionibus, quam in portu venduni merces in magna quantitate, dum modo eædem merces non vendantur in magna quantitate, numerata pecunia eodem loco, & tempore; tunc enim iustum pretium omnium mercium erit illud, quod currit numerata tantum pecunia.

Dico quarto. Negociator, qui taxato semel pretio, prout in præsenti æstimatur, & determinato etiam tempore solutionis necessario ad expeditionem ipsarum mercium, vt dictum est, vendiderit carius, eoque expectat ad longius tempus vsurarius est, hoc probatur ijsdem argumentis, quibus probata est prima conclusio, & proportionabiliter dicendum est, de negociatore; qui emit vilius in magna quantitate eodem tempore, & loco; propterea quod anticipat solutionem ante illud tempus necessarium, vt merces minutatim expendantur. Ex dictis sequitur, quod respectu diuersorum emptorum in prædicto casu bene potest determinari diuersum tempus maius, & minus, necessarium tamen vt merces expendantur minutatim, sed nihilominus tunc non debet vendere carius vni, quam alteri propterea quod vni est maius tempus necessarium ad expendendas merces, quam alteri, & totum illud reputatur præsens respectu solutionis.

Dico quinto. Qui pecunia numerata emit vilius eodem tempore, & loco, quia minutatim emunt merces illas in par ua quantitate licite, & iuste emunt. Ratio est, quia illæ merces sunt vitiosæ, & ideo merito vilescunt in illo loco: quia ipse venditor compulsus necessitate, vt sustentet se in portu, vendit illas in parua quantitate, & signum est, quod ille contractus est licitus, si quidem ille venditor illo pretio non venderet omnes merces, quas habet. Denique probatur: quia tunc est raritas emptorum ad emendas illas merces minutatim numerata pecunia; neque est inconueniens, quod eodem tempore, & loco sint duo distincta pretia propter distinctum modum vendendi.

Dico sexto. Alij negociatores, qui postea easdem merces vendunt in singulis opidis, non possunt illas cariori pretio vendere expectata pecunia, quam numerata, probatur: quia tunc magna quantitas illarum mercium venditur numerata pecunia, ergo inde accipienda est æstimatio istius pretij.

Atque hæc dicta sunt circa regulas positas a Doct. pro agnoscendo iusto, & iniusto in venditione & commutatione quacunque pro nunc idest, numerata pecunia, vel futuro, i. pecunia credita & hoc loquendo de commutatione iconomica, quæ est quando quis aliquid emit non vt vendat, sed vt sibi & domui suæ prouideat, vel quando commutans intendit rem accipere pro qua commutat, non vt mercetur ea, sed vt ea vtatur.

De commutatione negociatiua.

IN fine secundi articuli sub lit. S. tractat. Doct. de negociatiua commutatione, ostendens quomodo in ea iustitia, vel iniustitia consistat. Pro cuius explicatione obser. est, quod quamuis huiusmodi termini mercatio, venditio, & emptio varijs modis accipiantur in proposito tamen pro eodem accipiuntur, nisi quod mercatio vtrunque relatiuum, & correlatiuum includit, scilicet venditionem, & emptionem nam vendendo, & emendo mercari dicimur, atque adeo indifferenter vnum pro alio accipitur. Accipitur autem vtrunque dupliciter, vno modo communiter pro contractu, quo dominium rei de vno transfertur in alium pretio mediante, siue pretium sit res aliqua vtilis, siue numisma, atque ita includit permutationem, seu commutationem, qua res vtilis immediate datur pro re vtili. Alio modo accipitur pressius pro translatione dominij rei de vna persona in aliam numismate mediante. ad iustitiam autem veri contractus parum refert vtrum pretium sit numisma, vel alia res vtilis. In proposito autem loquitur Doct. de venditione, & emptione primo modo.

Mercatio, venditio & emptio inter dum pro eodem accipiuntur.

Venditio, et emptio quibus modis vsurpantur.

Et hoc modo ad mercationem quinque requiruntur. I. duæ personæ quarum vna vendit, & alia emit, alias non esset dominij translatio. Tertio requiritur res ipsa, cuius dominium transfertur de vno in aliu, & hæc dicitur merx. Quarto requiritur pretium siue illud sit numisma, siue aliqua alia res vtilis: quia si non interueniret pretium, iam non esset mercatio, sed donatio mere liberalis. Quinto requiritur traditio conditionalis vtriusque personæ, i. datio vnius si alter dat, nempe datio rei, quæ venditur, & pretij pro quo venditur; nam vendens dat rem vtilem ementi, & emens dat pretium vendenti, & neuter daret, altero non dante, atque hoc fit siue fint præsentia, siue absentia: potest enim res absens emi, & pretium in promptu tradi, vel traditio differri, & hæc conditio notatur in genere definiti. s. contractus: nam contractus dicit dominij translationem, quæ fit per dationem, qua rem meam do alteri, vt habetur est supra.

Mercationis singulæ quinque.

Fit autem mercatio interdum, vt emptor merce. i. re empta vtatur pro se, vel vt re sibi necessaria in se. i. non mutata, vt cibus, vestis, domus. vtensilia, & huiusmodi, vel vt materia, seu instrumentum sui laboris, vt ligna vasculario, pelles Cortiario, Pannus sarcinatori, securis Carpentario, & non vt vendat, saltem immutatam in aliam formam artificialem, & illa dicitur simplex mercatio; interdum non vt emptor ea vtatur, sed vt eam carius vendat, etiam non mutatam suo artificio, & illa proprie secundum D. Chrysost. negociatio appellatur: sæpe tamen mercatio, & negociatio accipiuntur pro eodem. Ex quo sequitur, quod duplex est negociationis species, vna qua res emitur, vt per industriam mutata reuendatur, & hæc vt in c. eijciens. dist. 88. dicitur, non est nuda negociatio, sed inter alias artes mechanicas numeranda; sicut enim mechanicus ex lana texit pannum, & ex ferro faber facit gladium, sicut etiam & industrius curandi aues, vel equos emens, vt cultiores reddat, & vendat, non tam negotium quam artem exercere est dicendus. Altera, qua quis aliquid mercatur, vt nullatenus mutatum vendens, lucrum reportet, & hæc est propria negociatio.

Mercatio bi duobus modis.

D. Chrys. ss.

Negociationis duplex est species.

Dicitur

Negociatio vnde dicta. Dicitur ergo negociatio a negotio, negotiũ vero est otio cõtrarium, idem enim est negotium, quod absque otio, quare id nomen pro labore, & occupatione sæpe accipi consueuit. In qua significatione dicimus negotium forense, & negotium familiare; sed peculiariter negotiari idem est, quod mercaturam exercere. ea forsan ratione, quod hæc ars sollicitudinibus implicata, ab otio est semper aliena. Dicuntur autem negociatores mercatores, quia mercari cõmuni vsu, non est tam simpliciter emere, quam lucri causa emere ad reuendendum, & negotiari, est emere vt reuendas. Dicuntur etiam institores: *Vlpianus.* quia vt Vlpianus ait negotijs instituni, atque adeo Prouerb.31. de muliere forti dicebat sapiens. Facta est quasi nauis institoris de longe portans panem suum. Ad cognoscendum itaque iustum, & iniustum in commutatione negociatiua, examinandæ sunt nonnullæ difficultates, quæ breuiter & laconice iuxta morem suum tanguntur a Doct. sub lit. S. T. & V. iuxta sequentes articulos.

Primus Art. Vtrum negociatio sit licita.
Secundus Art. Vtrum negociatio circunstantijs deprauetur, & quæ sint illa.
Tertius Art. Vtrum Clericis in aliquo casu negociari liceat.
Quartus Art. Vtrum negociatio venditionis in illis rebus, quibus emptores male vtuntur, & ad malum finem emunt, licita sit.
Quintus Art. Vtrum mercatorum conspirationes, quæ vulgo monopolia appellantur, licitæ sint.
Sextus Art. Vtrum negociatoribus ex officio licitum sit aliquã do vendere merces maiori pretio, quam alij Ciues.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum negociatio sit licita.

Princeps vnus est omnium. QVoniam in hoc art. agimus de negociatione lucratiua, ideo obseru. est primo, quod cum vnus sit omniũ princeps secundum quod Sacra scriptura, & sancti testãtur, quod etiam gentes non latuit, cum dicat Philos. 12. Metap. Res nolunt male disponi, ergo vnus Princeps. *Aristot.* certum est ꝙ omnes homines secundum rectum dictamen naturæ, quatenus sũt sub vno principe viuentes, qui est Deus, debent in suis contractibus sibi inuicem subuenire.

Secundo obseruandum est, quod nullus locus, Ciuitas, aut Prouincia est sibi sufficiens pro suorum incolarum sustẽtatione: aliquæ enim mundi partes in aliquibus rebus ad vsum humanum vtilibus abundant, in quibus alia loca deficiunt, et econuerso. v.g. ista pars terræ abundat in blado, & deficit in vino, & alia abundat in vino, & deficit in blado: similiter vna Prouincia in ouibus abũdat, & deficit in equis, alia abundat in equis, & deficit in ouibus, atque ita de alijs rebus ad vitæ humanæ vsum necessarijs, atque adeo naturalis rationis iudicium rectum est, vt terra, seu Prouincia, quæ in vna re apta vsui humano abundat, aliæ prouinciæ, quæ in hoc deficit subueniat, vt illa quæ abundat in blado subueniat ei, quæ in blado deficit, & accipiat subuentionem ab illa, quæ abundat in vino, vt sic in imo exercitu sub vno Principe militantes in mutuis indigentijs sibi inuicem subueniant.

Tertio obseruandum, quod in ea prouincia, vbi bladum abundat minus æstimatur, quam in illa, vbi deficit, & similiter dicendum est de vino, & de rebus alijs ad vsum vitæ humanæ necessarijs, atque adeo cum terra deficiens in blado, & abundans in vino accipiat sextarium bladi ab illa, quæ abundat in blado, & deficit in vino, & ministret dolium vini illi, quæ deficiebat in vino, & abundabat in blado, fit mercatio secundum rectum iudicium rationis, & licet tantum det vnus, quantum accipit alter, est tamen mercatio, seu negociatio lucratiua: Sextarium enim bladi in terra, quæ abundat in vino plus valet, quam dolium vini in terra illa, & doliũ vini in terra deficiente in vino, & abundante in blado, plus valet in terra illa, quam sextarium bladi, & contingere potest, quod sextarium bladi in terra deficiente in blado, æqualiter valet in terra illa, sicut dolium vini in terra deficiente in vino, atque ita ille, qui commutauit bladum recipit rem æqualis valoris pro blado suo, idest dolium vini, & ècontra, qui commutauit vinum, recipit rem æqualem pro vino suo idest sextarium bladi, & cum hoc vterque lucratus est: quia commutanti bladum plus valuit dolium vini, & commutanti vinum plus valuit sextarium bladi.

Quarto obseruandum est, secundum Philosoph. 5. Eth. quoniam difficile erat sic transportare rem pro se quotiescũque homines indigent, maxime propter longa terrarum spatia, & pericula itinerum, ideo inuenta est communis mensa venalium, & hoc est numisma. Ex quo sequitur, quod si aliquis accipiat bladum in aliqua determinata mensura in terra, in qua est magna bladi abundantia, & transferat, in terram aliquam, quæ penuriam bladi patiatur, atque ibi pro suo blado multo maiorem accipiat pecuniam quam recepisset in terra sua, vbi bladum abundat, si ibi fuisset venditum, talis lucratur, & est venditio, & mercatio iusta: quia non plus dat, quam accipiat in terra, in qua vendit bladum, & alij etiam lucrantur, quorum necessitati per illam negociationem subuenitur.

Quinto obseruandum est, quod ad hanc communionẽ, quæ fit per rerum translationem de loco, in quo abundant, ad locum, vbi deficiunt, non omnes homines idonei sunt, *Mercatores non omnes homines sũt idonei.* vel propter defectum industriæ, quæ requiritur in huiusmodi rerum congrua translatione, vel propter impedimentum laborum necessariorum Reipub. vt agriculturæ, & artium mechanicarum, regiminis populi, cultus diuini, aut paupertatis, seu corporalis infirmitatis, & impotentiæ, & sic de similibus, ideo necesse est, vtile, & congruum Reipubl. vt fiat personæ industriæ, quæ huiusmodi translationibus rerum necessariarum operam impendant, quibus etiam pro suis industria, solicitudini, curis, periculis, laboribus, expensis, & similibus debetur remuneratio condigna, quæ lucrum dicitur: quoniam dignus est mercenarius mercede sua. Matth. & Lucæ 10. & nemo militat suis stipendijs vnquam 1. Corint. 9. & sicut agricola, & qui vineam plantat de fructu suo edit, atque pascens gregem de lacte ouium manducat, ita & mercator de suis laboribus, ac mercantiæ fructis viuere debet.

Sexto obseruandum est, aliquem actum esse licitum potest intelligi dupliciter, vno modo positiue & hoc dupliciter, *Actus duobus modis potest esse licitus.* scilicet ex genere, atque ita actus ille, qui fertur super debitum obiectum, dicitur licitus, seu bonus ex genere; & dicitur bonus ex genere, quia sicut genus est in potentia ad differentias, ipsum determinantes, & contrahentes, ita actus, qui transit supra debitum obiectum, est in potentia, vt contrahatur per circũstantias, vel ex circũstantijs. exemplum datio eleemosynæ alicui indigenti dicitur actus bonus ex genere: quia transit super debitum obiectum si autem fiat ab eo qui potest, propter Deum, debito tempore, loco, & modo, hilariter. dicitur bonus ex circunstantijs. Alio modo potest actus intelligi licitus permissiue, vt ille actus, qui absolute cõsideratus potest vestiri debitis circunstantijs, & pati forma inter malis, potest appellari permissiue licitus. v.g. cum dico comedere, non dico actum illum cadere super tale, vel tale obiectum debitum, vel indebitum, nec etiam denoto cũ quibus circumstantijs fiat, quia super vtrumque cadere potest, vt sit cibus conueniens naturæ, vel disconueniens, & tãdem circunstantijs debitis vestiri, vt scilicet comedat, vt sustentet naturam, & Deo seruiat, debito loco, & tempore, & modo &c. potest etiam vestiri oppositis circunstantijs, vt patet de se. His obseruatis sit

Prima conclusio. Non est dicendum indistincte, quod actus negociandi sit illicitus, probatur primo authoritate D. Augustin. lib. qq. noui, & vet. testamen. *D. August.* Fornicari hominibus semper non licet, negociare aliquando licet, aliquando non, *D August.* & refertur hæc authoritas 88. d. c. fornicari. Item D. August. super illud psal. 70. Quoniam non cognoui negociationes &c. (vt enim habet translatio 70.) quam secutus est D. August. quia eo tempore erat in vsu, inquit. Ergo non negocientur Christiani respondet. Sed ait negociator affero ex longinquo merces, mercedem laboris mei, vnde viuam quæro, dignus est autẽ mercenarius mercede sua Lucæ 10. Ex quo relinquitur, quod iuste possum aliquid vilius comparare, & carius vendere, talis est negociatio, ergo &c. Item Canon. ex Epist. Clemen. dicit, quod negotia, & sæcularia opera sibi *D. Clemens* inuicem exhibeant vacantes laici. Item alius Canon, ex eadem epist. vnicuique (inquit) laicorum peccatum est, nisi inuicem sibi in his, quæ ad communem vitæ vsum pertinẽt operam fideliter dederint. Cum ergo negociari pertineat ad vsum vitæ communem, sequitur quod non solum possunt laici negociari, sed etiam debent, dummodo fideliter exerceant.

Secundo probatur conclusio rationibus & primo sic. si actus negociandi esset indistinctè illicitus, hoc maxime esset propter mendacia, & periuria: quæ sæpe contingunt, vt dicit Cassiodorus. & refertur d. 88. capit. quid est. Negociatores (inquit) illi abominabiles existimantur, qui iustitiã Dei minime considerantes per immoderatum pecuniæ ambitum polluuntur, merces suas plus periurijs onerantes, quam pretijs, hæc ille, sed hoc non arguit actum negociationis esse indistinctè illicitum; quia tunc eadem ratione actus artificũ, qui exercent artes approbatas, & Agricolarum indistinctè dicendi essent illicita, quod est inconueniens, quis enim est qui non mentiatur, & periuret? & hæc ratio sumitur ex D. August. qui super psal. 70. dicit in persona negociatoris, ego mentior non negocior: possum enim sine mendacio dicere tanti emi, sed tanti vendam, si placet eme. Quomodo ergo reuocas me a negotiatione? omnes artifices mentiuntur furtores, Agricolæ &c. hæc ille, & subdit ibidem. Nolli me prohibere a negociatione, negociatio non me facit malum, sed iniquitas mea, & mendacium meum.

Præterea secundo. Nullus actus existens non tantum vtilis, sed etiam necessarius Reipub. est indistinctè damnãdus tanquam illicitus, sed negociatio est huiusmodi, ergo &c. maior probatur, quia ex opposito sequeretur, quod Deus præciperet aliquod impossibile. Nam præcipit Deus vt vitemus omnem malum actum, sed per te negociatio est huiusmodi ergo &c. & tamen est necessaria, non enim vnus homo solus potest omnia facere ad vitam necessaria, similiter aliquæ res abundant in vna regione, quæ in alia deficiunt, vt diximus supra. Vnde inquit Philos. 1. polit. c. 1. 5. & 6. cum quilibet homo, quam pluribus rebus indigeat, quas non potest per se ad sufficientiam vitæ perquirere, vt victu, vestitu, domo, & huiusmodi, non est homini vita, nisi fuerit aggregatio, supple cum alijs hominibus, & nõ erit aggregatio hominum vtilis in vita, nisi fuerit connegociatio. Connegociatio est suppleus defectum vniuscuiusque cõnegociantium, quę sunt differentes in arte, vt Agricola indiget Medico, cum est ei necessaria medela, & Medicus indiget Agricola propter cibum. Similiter domificator indiget artificio calceamentorum, & è conuerso, & iterum quod est apud vnum, deficit apud alterum, vnde habens vinum indiget tritico, & e conuerso, cum ergo connegociatio inter homines fit ad supplẽdam indigentiam mutuæ necessitatis, negociatio non erit illicita, nec mala, imo ea iure naturali approbatur.

Aristoteles.

Secunda conclusio. Non est indistinctè dicendum actum negociationis esse licitum. probatur dupliciter primo authoritatibus: sunt enim multæ authoritates, quæ damnant illũ actum, tanquam damnatum, & vitandum a quolibet Christiano, qui non vult eijci de Ecclesia Dei, hoc autem, nõ esset si indistinctè esset licitus, antecedens probatur primo authoritate Chrysost. ho. 38. in opere imperfecto sup illud Math. 21. Eijciebat ementes, & vendentes &c. vbi dicit. Eijciens domimus ementes, & vendentes de templo significauit, quod mercator nũquam potest Deo placere, & ideo nullus Christianus debet esse mercator. Item idem Chrysost. in eodem loco. Si quis voluerit esse mercator proijciatur de Ecclesia dicente Propheta (secundum interpretationem 70) Psalm. 70. Quoniam non cognoui negociationem introibo in potẽtias domini. Et iterum idem Chrysost. ibidem. Ostendam, qui non est negociator, vt qui talis nõ fuerit eum intelligas non esse negociatorem, & distinguit sic. Quicunq; rem comparat, non vt integrum, & immutatum, sed vt materia sit sibi inde aliquid operandi, ille non est negociator, qui vero rẽ comparat vt integram & immutatam vendendo lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei eijcitur. hæc ille. & ibi dicit super illud. Abierunt alius in villam suam, alius ad negociationes suas. Si ergo fere omnes negociatores sunt tales, sic negociari non erit licitum.

D. Chrysost.

Cassiodorus Secunda authoritas est Cassiodori super illud psalm. 70. Non cognoui &c. vbi dicit, quid est aliud negociatio, nisi vilius comparare, & carius vendere, vel velle distrahere? & subdit. Negociatores tales eijcit Dominus de templo dicens. Nolite facere domum patris mei domũ negociationis, &c. & huiusmodi authoritates, quæ referuntur ab Alex. de Ales, 3. p. q. 40. m. 1. habentur. 88. d. c. eijciens, & c. quid est. Secundo probatur ratione. Actus ille non est indistinctè licitus, quem non patitur vera pœnitentia: quia vera pœnitentia excludere videtur tam peccata, & occasiones peccatorum, quæ & ipsæ sunt peccata, sed negociatio est huiusmodi; nam in c. falsas. de pœnit. d. 5. dicitur. Miles, vel negociator, vel alicui officio deditus, quod sine peccato exerceri non potest, si culpis grauioribus irretitus ad pœnitentiam venit, cognoscat se veram pœnitentiam agere non posse, per quam ad vitam æternam peruenire valeat, nisi negociũ relinquat.

Alex. de Ales.

Tertia conclusio. Huiusmodi authoritates non damnant indistinctè negociationis actum tanquam illicitum, probatur: quoniam prima authoritas Chrysost. intelligitur de illo, qui cũ mendacijs, & periurijs negociatur. Vnde statim subdit. Mercator sine mẽdacio, & periurio esse non potest. i. vix potest, hoc ergo dicit propter illicitum modum negociandi. In secunda autem authoritate facienda est vis inquit Alex. de Ales in eo, quod dicit rem integram, & immutatam, & in hoc quod dicit, vt lucretur; nam in cuius intentione est prouisio propriæ necessitatis, & etiam attentio publicæ vtilitatis, cui consentiunt negociationes, vel affectus, pietatis, vt habeat vnde sustentet pauperes in eius intentione lucrum non est finis vltimus, sed magis sustentationis necessitas, vel vtilitas, vel pietas. In quibus vero intentio est vt ex auaritia pecunias congregent, & diuitias acquirant, in eorum intentione finis vltimus negociationis est lucrum, & de illis intelligitur, quod dicit Chrysostomus.

Alex. de Aler

Item si quis rem aliquam de vna regione cum labore suo transferat ad regionem aliam, quæ res in nullo deteriorata sit, rem vtique transfert integram, & immutatam quantum ad substantiam, non tamẽ quantum ad locum, & ideo quia ratione loci, & laboris potest licite quærere mercedem, non intelligitur de tali verbum Chrysostomi. Item si quis rem sic comparat, vt attendat rei periculum in seruando, quia potest deteriorati, vel igne consumi, vel a fure subtrahi, si tamen cum prædictis circumstantijs intendat ex venditione talis rei lucrari, tam ex consideratione incertitudinis euentus futuri, & susceptione periculi in emptione talis rei certitudinaliter, non comparat rem illam vt integram, & immutatam vendendo lucretur, atque adeo non de tali intelligitur, quod dicit Chrysost. Intelligitur ergo de illo, in cuius intentione finaliter lucrum est, sine labore, & sollicitudine ex auaritia acquirendi superflua sine termino, & mensura negociatur.

Deinde quod dicit Cassiodorus intelligitur de illis cupiditatibus, qui frequenter forum rerum venalium totum sibi accipiunt, vt postea secundum voluntatem suam carius alijs vendant, quam venderetur in foro si ipsi non emissent, & hoc faciunt de frumento, & de alijs rebus vitæ humanæ necessarijs, tales sunt abominabiles, & exemplo Domini essent ab Ecclesia, & diuinis templis eijcendi.

Quarta conclusio. Negociatio periculosa est: patet; quia difficile est inter emẽtes, & vendentes non interuenire peccatum, cum quodammodo naturale sit contrahentibus se se inuicem decipere, vt dicit Leo Papa in c. qualitas. de pœnitentia, dist. 5. & Glossa ibidem. Ideo pœnitentibus interdicitur reditus ad negociationem tanquam ad rem periculosam, quæ vix sine peccato agitur, vt in c. negocium. de pœnitentia d. 5. Qui tamen Canones consiliũ censentur non præcepti, sicut generaliter consilium est fugere periculosa. Nam secundum Doctores septem officia periculosa enumerantur, scilicet cura rei familiaris, militia, Procuratio, Administratio, Mercatio, Aduocatio, & officium Episcopatus, quæ tamen non sunt prohibita. Nam de Episcopatu, quod cæteris periculosius est, dicit Apost. Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, 1. ad Thim. 3. Vnde de negociatione in dict. cap. qualitas, dicit Leo, qualitas lucri negociationem, aut accusat, aut arguit: quia aut est honestus quæstus, aut turpis. Veruntamen vtilius est pœnitenti pati stipendia, quam periculis negociationis astringi, & sequitur, quod supra relatum est: quia difficile est inter ementis, vendentisque commercium non interuenire peccatum, ex quo satis patet, quod mercatio simpliciter non est peccatum, sed eius abusus.

Negociat. est periculosa.

Leo Papa. Glossa.

Officia periculosa sunt septem.

Leo Papa.

ARTICVLVS II.

Vtrum negociatio circunstantijs deprauetur, & quæ sint illæ.

Negociatio duob. modis potest fieri illicita.

DVobus modis potest negociatio illicita reddi, videlicet aut ex obiecto, aut ex circunstantia: sic enim & alij actus humani illo duplici modo deprauantur, & ratio est, quia actus ab vtroque illorum contrahit suam bonitatē, vt patuit art. præcedenti, ergo per vtriusque defectum contrahet malitiam, consequentia patet: quia sicut bonum est ex integra causa, ita malum ex defectu cuiuslibet causarum secundum Diony. de diuinis nominibus. c. 4. *D. Dionys.*

Res quæ vēdi, & emi nō possunt.

Ex obiecto autem deprauatur negociatio, quando emitur, vel venditur res prohibita emi, vel vendi, & hoc fit dupliciter: nam aliquando talis res est vniuersaliter prohibita emi vel vendi, quæ potest reduci ad quatuor genera. Primi generis sunt res spirituales. de quibus Math. 10. dicitur. Gratis accepistis, gratis date. horum enim emptio, vel venditio est simoniaca, & de illis, & annexis, quomodo illicita sit emptio spectat ad tractatum de simonia, de qua infra erit sermo. Secundi generis sunt res aliquæ temporales, vt venena, de quibus dictum est supra. Tertij generis sunt frumēta plubici Canonis. Nam. C. quæ res vendi non possunt. l. 3. dicitur. Quoniam non nunquam in diuersis litoribus distrahi publici canonis frumenta dicuntur, vendentes, & ementes sciant capitali pœna se esse subdendos, & in fraudē publicam commercia contracta damnari. hæc ibi, & in l. vlt. seu. 4. dicitur. Ne frumenta, quæ deuotissimo exercitui mittuntur in prædam, lucrumque vertantur, hac sanctione decernimus, vt quicumque hæc fuerint forte mercati, honestiores quidem stilum proscriptionis, & omnium bonorum amissionem incurrant inferiores autem, vilioresque personæ capitali supplicio subiaceant. Quarti generis sunt homines Romanæ gentis, si sunt facti Eunuchi: nam sub grauissima pœna prohibitum est, ne tales vendantur, aut in dominium cuiuscunque transferantur, vt patet C. de Eunuchis. secus de eunuchis barbaræ gentis, vt patet ibidem.

Interdum vero res, quæ est obiectum negociationis non simpliciter, sed tantum quibusdam prohibita est vendi, vel emi, & hoc dupliciter, quia aut est aliquibus prohibitum, ne talem rem vendant, etiā quibuscunq; aut è contra prohibitum est quibuscunque, vt aliquibus non vendant. exemplum primi, vt si priuatus vendat vellus muricis, quo fucatur, seu tingitur purpura: nam prohibitum est cuilibet priuato ne illud vendat sub pœna capitis, & discriminis bonorum suorum, vt. C. quæ res vendi non possunt. Vnde tale vellus non est simpliciter prohibitum vendi, sed tantum est prohibitum vendi, si venditio fiat a priuato, atque ita talis venditio deprauatur non præcise ex circunstantia quis, quia priuatis non est omnimode omnis venditio prohibita, nec præcise ex obiecto suo deprauatur, quia illud vellus non est simpliciter prohibitum vendi; sed simul concurrentibus obiecto, eo circunstantia quis, redditur deprauata venditio. Aliud exemplum potest esse de filio: nam filius & liber homo vendi non potest; nisi solum, quod pater potest vendere filium necessitate famis surgente. C. de patribus, qui filios distraxerunt, ita tamē quod si restituatur emptori pretium, siue a filio, siue ab alio quocunque, & quandocunque ipse in ingenuitatem perueniat.

De secundo membro possunt poni quatuor exempla, primum, vt si Christianus vendat Saracenis arma, ferrum, galeas, naues &c. de quibus egimus supra. Secundum si Catholici vendant Vuiclefistis & Husistis victualia, & hæc vēditio, & missio talium est interdicta sub pęna excommunicationis latæ sententiæ, vt dicit Conrad. de contract. q. 51. concl. 1. Tertium in uendentibus illas merces hostibus Romani Imperij. de quibus. C. quæ res exportari non debeāt. l. 1. Quartum si quis Barbaris vendat serica. Nam. C. quæ res vendi non possunt. l. 2. dicitur sic. comparandi serica Barbaris facultatem omnibus sic iam præceptum est præter comitem commerciorum etiam nunc iubemus auferri. *Conradus.*

Negociatio circūstātijs deprauatur & sunt sex. Al. de Ales.

Secundo principaliter redditur illicita, atque deprauatur negociatio ex circunstantijs. Vnde Alex. de Ales. 3 p. q. 50. m. 1. ponit sex circunstantias ex quibus attenditur tam iustitia, quam iniustitia negociationis. Hæ autem sunt circunstātia personæ, causæ, modi, temporis, loci, consortij, quibus ex Doct. nostro Sub. addere possumus circunstantiam communis damni, & pretij. *Scotus.*

Primo deprauatur venditio ex persona vendentis, & ementis; Vendentis si fuerit Clericus: his enim negociatio prohibita est. Vnde D. August. lib. qq. nou. & vet. test. inquit Antequam Clericus quis sit licet ei negociari, factus iam nō licet, & B. Hierony. vt refertur. d. 88. Negociatorem Clericum, ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. & Apost. 2. Timo. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs sęcularibus. *D. Augusti.* *D. Hierony.*

Secundo deprauatur negociatio ex causa, vt si causa non fuerit honesta, vt pote, quæ non intendat debitum finem. Vnde secundum Alex. etiam laico nō licet mercari nisi propter duo, scilicet propter necessitatem, & pietatem, propter necessitatem, vt sustentare possit se, & suam familiam secundum decentiam sui status, propter pietatem, vt lucretur, vnde distribuat pauperibus, vt eroget in pias causas. Vnde mercati, propter substantiā, & diuitias cumulandas, & propter improbam cupiditatem acquirendi superflua, vt sine sollicitudine, & labore otiosam ducat in voluptatibus vitam, vel curiositatem, pompam, seu alium finem illicitum, culpabile est, & si in finem mortalis peccati ordinatur, erit mortale, quia omnia media ex intentione ordinata in finem, qui est culpa mortalis, sunt mortalia. *Al. de Ales.*

Tertio fit illicita negociatio ex circunstantia modi, si fiat cum mendacijs, & periurijs iuxta dictum D. Chrisost. Mercator sine mendacijs, & periurijs esse non potest. i. vix potest, etsi fuit cum dolo, sophisticatione verborum, & mercis, aut circumuentione proximi damnosa mixtura, aut dolosa occultatione, siue falsificatione ponderum numeri, vel mensuræ, & sic de alijs innumeris modis fallacibus. *D. Chrisost.*

Quarto deprauatur ex circunstantia temporis, cum fit diebus solemnibus, & festiuis, orationi, & vacationi diuinæ deputatis: quia est contra præceptum de sanctificatione sabbati, id est, vacationis Deo. Exo. 20. & Deut. 5. Non facies in ea quidquam operis, & extra de ferijs. Idem iubetur obseruandum non solum in diebus dominicis, qui sabbatis successerunt, sed etiā in quibus uis alijs diebus festis ab ecclesia institutis. Quod est intelligendum dummodo lex de festiuitate aliqua obseruanda, vel per contrariam legem, vel per consuetudinem non sit abrogata. Siue abrogatio facta fuerit quantum ad hoc solum quod est, opera seruilia in tali festiuitate non facere, siue etiam quantum ad hoc, quod est in illa rem diuinam audire, quorum alterum ab altero constar esse diuersum. Et hinc, vt inquit Palud. in 4. licitum est in nūdinis auditis diuinis negociari, siue dominica sit dies, siue alia festiuitas, & quod hæc consuetudo sufficiat huiusmodi festiuitatibus derogare, seu tollere ex eo constat, quia nō sunt nisi humano iure introductæ, & ius humanum per consuetudinem oppositum abrogari potest, vt habetur in decreto. d. 4. in eo enim quod est consuetudo tollerata rationabiliter præsumitur, Pontifices eam scire, & in eamdem consentire. Habet etiam hoc quod dicimus de non negociando diebus festiuis aliam limitationem, vltra consuetudinem, scilicet nisi necessitas publica, vel priuata oppositū postulauerit. ex quo fit, vt qui victualia in festiuis diebus, etiam ante diuinorum auditionem vendunt, excusantur, & similiter Pharmachopolæ medicinās vendentes, aliaque multa opera seruilia in festis facientes ob necessitatem. *Paludanus.*

Quinto vitiatur negociatio ex circunstantia loci, vt si in loco sacro, puta in Ecclesia seu cæmeterio prophanæ negociationes fiant. Hac enim de causa Christus Dominus eijecit de templo ementes, & vendentes Matth. 21. Idem etiam habetur in c. decet domum. de immunit. Eccle. lib. 6. Vbi cessare negociationes in ecclesiis, & earum cemeterijs, & præcipue nundinarum, ac fori cuiuscunque tumultus præcipiū tur. Quod non solum intelligendum est de negociatione, qua res ipsæ, quæ venduntur, & emuntur contractantur in loco sacro, vt credidit Conrad. q. 57. sed etiam de negociatione, quæ solum verbis, aut scriptis contrahendo, & conueniendo fit, vt res alibi vendantur: Nam hoc secundum negociationis genus culpa non vacat, si in loco sacro fiat. Tum quia negociatio non rei detentionem, sed rei conuentionē, & contractum significat, & certum est in iure simpliciter prohiberi negociationes. tum etiam quia facet locus nō per rem illic positam, sed per negociationes, quibus mendacia, & peccata admisceri consueuerunt prophanantur. *Conradus.*

Sexto deprauatur ex circunstantia consortij, cum scilicet,

res

res venditur carius transeuntibus, & alienis, quam manentibus, & incolis. Vnde de emptione, & vend c.placuit. dicitur ex Concil. Abanensi. presbyteri moneant plebes suas, vt hospitales sint, atque non carius transeuntibus vendant, quã in mercato, i. foro publico vendere possent. Similiter illicita est venditio, si carius simplicibus minus intelligentibus vẽdunt, quam prudentibus, & discretis. *Conci. Aba.*

Septimo culpatur negociatio ex circunstantia communis damni, quando scilicet, est inutilis, & damnosa Reipub. vnde secundum Doct. in hac q. sub litt. S. Reipub. vtiles sunt afferentes res necessarias, quibus patria illa non abundat, & tamen vsus earum ibi vtilis est, & necessarius. Similiter vtiles sunt conseruatores rerum venalium, vt prompte possint inueniri ab indigentibus ea emere volentibus. Vtiles etiam sunt rerum melioratores, aut in se ipsis, aut in aliam formã mutatores, quod ad artifices pertinet. Inutilis vero est, si officit Reipub. vt negociatio eorũ, qui nec transferunt merces de loco ad locum, nec sua industria meliorant, nec conseruant; sed emunt, vt statim carius vendant, vtque impediant pauperes ne competenti pretio, & immediate possint necessaria computare, vel emere ab his, qui ea transportant, per quos sæpe caritas inducitur, dum tales cęteros emendo pręueniunt, per quod pauperes coguntur ab eis emere pretio, per eos constituto, faciuntque quodlibet venale, vel vitiale carius ementi, quam esse deberet, & vilius vendenti, atque ita damnificant vtraque partem, & subdit Doct. quod tales exterminandi sunt a Repub. & exulandi propter damna cõmunitati per eos illata. Vocanturque huiusmodi homines gallice, inquit Scotus, Regatieres, Italice vero dicuntur. Reuendoli. Ad hanc circunstantiam reducuntur mercatorum conspirationes, quæ vulgo monopolia appellantur, & sunt, quando ipsi inter se conueniunt, quod vnus solus vendat in damnum Reipub. Hi perpetuo exilio damnandi sunt secũdum leges. C. de moneta. l. vnica, sed de hac re infra prolixior erit sermo. art. 4. *Scotus.*

Demum vitiatur negociatio circunstantia pretij, quando non est æquus valor mercis, & pretij, siue rerum ad inuicem commutatarum secundum discretionem rectæ rationis: nã carius vendere, aut vilius emere rem, quam valeat, est secundum se illicitum iuxta sent. D. August. 13. de Trinit. c. 3. Vili velle emere, & care vendere, re vera vitium est. *D. August.*

ARTICVLVS III.

An Clericis in aliquo casu negociari liceat.

Ratio dubitandi est: quoniam d. 91. ex Concil. Carthag. dicitur. Clericus victum, vel vestitum sibi artificiolo, vel agricultura absque officij sui detrimento dumtaxat præparet. Clericus enim qui absque corpusculi sui inæqualitate vigilijs decst, stipendio priuatus excommunicetur. Item ex Conci. Carthag 4. Clericus quilibet verbo Dei eruditus artificiolo victum quærat. Et iterum omnes Clerici, qui ad operandum validi sunt, & artificiola, & litteras discant, oppositum tamen patuit in præcedenti art. circunstantia prima. *Conc. Cart.*

Pro solutione huius difficultatis obser. est, primo ex Ale. de Ales vbi supra memb. 2. quod negociatio seu mercatio dicitur pluribus modis, vno modo communiter, & improprie vt se extendit ad omnem contractum, qui ad lucrum ordinatur, atque ita non dum comprehendit contractum venditionis, & emptionis, sed etiam contractũ locationis, conductionis, & mutui lucratiui, quemadmodum est mutuatio vsuraria. Nam negociatio generaliter capta est idem, quod mercatio generaliter capta; negociatio autem generaliter sumpta, non dum comprehendit sub se emptionem, & venditionem; sed etiam mutuationem vsurariam iuxta sent. D. Chrisost. super illud Matth. 21. Eiecit ementes & vendentes &c. vbi dicit super omnes mercatores maledictus est plus vsurarius, ipse namque rem datam a Deo vendit non comparatam, post sęcus rem suam repetit tollens aliena cũ suis &c. mercator enim non repetit rem venditam &c. Secundo modo sumitur negociatio proprie prout consistit tantum in contractu conditionis. Tertio modo accipitur pretius, & magis proprie prout versatur circa lucrum per contractum emptionis, & venditionis. *Ale de Ale.* *Negociatio sumitur tribus modis.* *D. Chrisost.*

Secundo obseruandum est, quod negociatio tertio modo sumpta est duplex, scilicet lucratiua, & non lucratiua, lucratiua proprie loquendo est illa, qua res aliquæ emuntur, vt reuendantur, ea autem proprie loquendo non est lucratiua, qua aliqua emuntur, vt non reuendantur, sed emuntur ad proprium vsum, aut si venduntur, non fuerunt tamen ideo empta, vt reuendantur, sed fuerunt empta ad vsum domus, vel aliter fuerunt acquisita, quam emptione, vt puta donatione, vel laboribus proprijs. Ita distinguit Arist. 1. Polit. duplicem acquisitionem pecuniarum, quædam enim dicitur pecuniatiua vtilis, qua scilicet, acquiritur pecunia de rebus necessarijs, vt alia vtilia emantur; alia est translatiua, qua acquiritur pecunia ad emendum res, non vt ipsis vtatur, sed vt reuendat. *Negociatio duplex lucratiua, & non lucratiua.* *Arist.*

Tertio obseruandum est, quod negociatio non lucratiua est duplex, quædam est economica, & est illa, qua res aliquæ emuntur ad vsum, & necessitatem ementis, & suorum, ut quis emit frumentum, uel uinum non ut reuendat; sed ut in familia sua utatur eis; alia est politica, qua res emũtur ad usum, & necessitatem Ciuitatis, ut si Rector Ciuitatis frumenta, uel uina emat, ut exercitus bellicus inde utatur. *Negociatio non lucratiua est duplex.*

Quarto obseruandum est, quod negociatio economica fit dupliciter, primo dumtaxat emendo. Secundo dumtaxat uẽdendo, ut si quis triticum, & uinum, quæ de suo, proprio labore, quo agros, & uineas suas colit, colligit, uendat. Similiter si quis res sibi donatas uenderet, aut si quis res emerat ad usum suum, quæ sibi superfluunt postea uendit, uel si sibi non superfluunt, attamen si nunc non uendat, sed retineat damnificaretur: quia leuiori pretio poterit postea inuenire. *Negociatio economica fit duobus modis.*

Quinto obseruandum est, quod negociatio lucratiua est duplex, quædam enim est stricte loquendo negociatio, & est illa, qua quis emit res, ut easdem reuendat secundum earundem rerum ualorem sine hoc, quod per artis in illas immutet ad aliquam formam artificialem, ratione cuius eã uendat, ut si quis emat massas ferri, & sicut eas emit, ita reuendit, & dicitur proprie lucratiua pecuniaria. Alia est non stricte loquendo negociatio, qua quis scilicet, emit res, ut per artem aliquid ex eis operetur, & sic operatas uendat secundum ualorem artificialis forma introductæ & hoc fit dupliciter. Primo si tales res uendit, quarum totus ualor est ex artificio, ut si ex materia quasi nullius pretij operatur aliquod artificiale, sicut sunt storiæ, quæ fiunt ex iuncis, a sterno dictæ, quod sternuntur super terrã, & fiscellæ, & sportulæ, quæ fiunt ex uiminibus. Secundo si tales res uendit, quarum ualor non est totus ex artificio, sed etiam partim ex materia, ut si quis emat asseres, ut ex eis faciat Arcam, & sic eam uendat, uel pergamenum, ut faciat librum, & scribat, & scriptum uendat. hac omnia habentur uirtualiter ab Alex. de Ales loco supracitato. Quibus obseruatis. *Negociatio lucratiua duplex* *Ale de Ale.*

Dico primo. Negociatio economica quo ad utrunq; eius modum, quo fieri solet ad sustentandum se, & familiã suã prout necessitas postulauerit, non est Clericis interdicta; Nam licitum est eis emere ea, quæ necessaria sunt in domo pro usu suo, & familiæ suæ. Inde Apost. 1. ad Tim. 3. ad Episcopum ait. Oportet Episcopum esse suæ domui bene prępositum & 1 ad Timo. 5. Qui suorum curam non habet maxime domesticorum crudelis est, & infideli deterior. Ex quo sit ut Clericis ea emere, quæ domui suæ sunt necessaria concedatur, & similiter, quæ de redditibus, aut alijs bonis eisdem superfluunt uendere, ut necessaria emant.

Dico secundo. Negociatio lucratiua improprie tamen sumpta, qua scilicet emuntur res, ut artificio suæ industriæ melioratæ, uel immutata uendantur, quo ad utrumque eius modum, non est illicita Clericis, de prima quidem eius parte patet ex D. Hieron. ad Rusticum monachum, & habetur de consecrat. d. 5. c. numquam si habentes potestatem Apostoli de Euangelio uiuere, laborabant manibus suis, neque grauarent. Cur tu in usus tuos successura non pręparas? uel fiscellam texe iunco, uel canistrum lentis plecte uiminibus, & insia, fabricæ aluearia Apum, ad quas remittunt prouerbia Salomonis, ac regiam disciplinam in paruis disce corporibus. Et quo ad secundum modum eiusdem negociationis dicit idem Hierony. ad eundem. Scribantur libri, ut manus operentur cibos, & anima lectione saturetur, texantur & lina capiendis piscibus. Aegyptiorum monasteria hunc morem tenent, ut nullum absque labore suscipiant. haec ibi. Et ibidem etiam habetur, quod Monachis licita est agricultura. Vnde dicit feratur humus, areolæ æquo limite diuidantur, in quibus olerum facta fuerunt semina, uel plã- *D Hieron.*

tæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ, & insita. Inserantur fructuosæ arbores, vel gemmis, vel surculis, vt pauco post tempore laboris dulcia poma decerpas. & Glossa dicit, gemmæ hic dicuntur nodi virgarum vnde flores, & frondes erumpunt, & secundum leges quædam arbores dicuntur gemmales. Et confirmatur exemplo D. Pauli Act. 18. Qui Episcopus existens exercebat artificium artis scenofactoriæ, id est, artis faciendi scenion, scenon autem græce significat vmbr. m, & accipitur in Latino pro tabernaculo, atque etiam pro func, atque ita Paulus fuit sonifex, vel tabernaculorum, seu tentoriorum factor, & quod non solum hanc sciuerit artem, sed etiam exercuerit, patet quia ibidem dicit textus, quod Paulus manebat apud Aquilam, & Priscillam, eo quod eiusdem artis erat, & operabatur, erant autem scenofactoriæ artis. Et de hac secunda specie non lucratiuæ negociationis dicit Chrisost. Quicumque rem cōparat, vt materia sit sibi aliquid operandi, ille non est negociator supple proprie: quoniam hæc non tam negociatio, quam artificiū dicitur, atque adeo hanc secundum speciem, quo ad vtrunque suum modum exercere, est artificium exercere.

Chrisostom

Clerici, vt negotiatorem exerceant quatuor seruare debent.

Cæterum vt licite a Clericis exerceatur requirūtur aliqua. Primum, quod sit artificium in se honestum: nam inhonestum, vt taxillos facere, & similia non est eis licitum. Vide ea, quæ determinantur Clemen. 1. de vita, & honest. Clericorum. Secundum quod congruat eorum statui, nam ti velleni facere ea, quæ de per se ad sequa ordinantur, vt arma ad bellum licet iustum, nō videtur eis licitum. Tertium quod illi non ex cupiditate, sed necessitate propria, vel pietate ad pauperes intendant. Quartum quod non negligant officiū clericale, nam hoc prohibetur, sicut patet ex prima authoritate in principio art. relata. Vnde licitum est eis emere ferrum, vt inde faciant ligonem, aut vomerem, asseres vt inde faciant arcam, tabulam, vt ibi depingant imaginem, atque etiam secūdum aliquōs licitum est eis emere pullum equi, vt eum educant, & vendant, vt lucrum honestum habeant pro sua sustentatione.

Negotiatio politica non est licita Clericis.

Dico tertio. Negociatio politica non est licita Clericis: nā illa non est licita nisi ei, cui licitum est habere curam secularem ciuitatis, Clericis autem id non est licitum, quia secularibus negotijs debent esse valde remoti, iuxta illud Pauli, 2. ad Timo. 2. Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. quare in decreto, d. 88. Tam Episcopus, quam sacerdos, vel Diaconus, vel Subdiaconus seculares curas assumens decernitur deijciendus. confirmant hanc concl. c. t. & sequentia 21. q. 3.

Negotiatio mere lucratiua est interdicta Clericis.

Dico 4. Negociatio mere lucratiua, qua aliquid emitur, vt immutatum aliquid vendatur est Clericis illicita, atque interdicta, & ratio est: quia sicut patet ex præcedentib. vix potest exerceri sine peccato, ideo interdicta est illis, qui debent præbere alijs exemplum virtutis, vt Clericis. dicitur, enim in Eccle. 26. Duæ species difficiles, & periculosæ mihi videntur, difficile exuitur a negligentia iua negocians, & nō iustificabitur Capuo a peccatis labiorum, id est, duo sunt modi viuendi difficiles ad seruādam iustitiam, & periculosi propter iustitiæ transgressionem. Negociator enim propter hiatum ad diuitias difficulter vitat iuæ salutis negligentiam, & Capuo ex frequenti iuratione incurrit tandem periurium. Et cap. 27. legitur. Sicut in medio compaginis lapidum plus figitur, sic & inter medium venditionis, & emptionis angustiabitur peccatis, id est, sicut in medium congeriei lapidum plus fixus hinc, & inde ponde e lapidum comprimitur, ita negocians ex vna parte quando emit comprimitur peccato diminutæ solutionis, pro quanto vult minus panem dare, & ex altera parte, quando reuendit, peccato excessiuæ exactionis: quia vult habere pretium nimis magnum. Et confirmatur authoritate D. Leonis Papæ dicentis. difficile est inter vendentis, & ementis commercium nō interuenire peccatum. de pœnit. d. 5. c. qualitas.

Leo Papa.

Pœna Clericis negociantibus est excommunicatio.

Pœna autem statuta Clericis eiusmodi negociationem exercentibus est excommunicationis, vt constat extra Ne Clerici, vel Laici. cap. secundum instituta, etsi se non correxerint debent deponi, vt patet eodem tit. c. sed nec. & d. 88. c. consequens, tametsi non sint latæ sent. sed ferendæ. Cum autem eiusmodi pœnæ non inferantur nisi pro culpa lethali, conueniunt Doct. communiter, peccatum esse lethale clericos, vel Monachos per se ipsos eiusmodi negociationē exercere. Ita Angelus verbo Clericus. nu. 3. Sylueſt. eodem verbo. 3. q. 3. Contad. q. 52. concl. 4. Medina de rest. q. 30. ad finē

Angelus. Syluester. Conradus. Medina. Concil. Trid.

ar. 2. & Nauar. in M nu. c. 25. n. 111. §. 34. & alij. Quicquid dicat Caie. in sum. ver. Clericus. Quo loco obseruat hodie Cōcilū Trid. sess. 22. c. 1. de reformat. innouasse hac in re pœnas, & iura antiqua, præcipiendo Episcopis vt pœnis illorum, atque alijs additis Clericos ea in parte compescant. Prædicta tamen intelliguntur de clericis in sacris ordinibus constitutis, vt Ang. Syluest. & Medina asserunt locis citatis. Et Conrad. eadem. q. concl. 6. Clerici vero in minoribus constituti lethaliter non peccant. De beneficiarijs autem, qui in sacris non sunt constituti dubius est Syluest. loco citato, sed alij Doctores relati inclinare videntur illos non peccare mortaliter. De religiosis censent Ang. Conrad. & Syluest. lethaliter peccare etiamsi in sacris non sint constituti.

Clericis item negociatoribus in pœnam est statutum, vt si ter admoniti ab Episcopo, vel ab alio, qui iuridictionē quasi Episcopalem in eos habeat non abstinuerint amittant clericale priuilegium non quidem Canonis, quasi qui eos percusserit excommunicationem non incurrat; neque iī fori, quasi puniri, aut cōuenire totam Iudice sæculari possint, sed quo tam ipsi, quam ipsorum bona tributis & alijs oneribus non subijciantur; si postea tamen resipiscant, & emendentur iterum gaudere eodem priuilegio incipiunt, ita habetur cap. vult. de vita & honest. Clericorum.

Dico quinto. Negociatio generaliter accepta, prout vltra emptionem, & venditionem ad alios contractus lucratiuos se extendit, quoad aliquam eius speciem est clericis interdicta, quoad aliquam autē est illis licita. Primum patet: quia mutuatio lucratiua, seu vsuraria, est mercatio, seu negociatio generaliter sumpta, & est omni homini interdicta, & pœna positiua contra Clericos est degradatio, vt in cap. si quis. d. 47. & 14. q. 4. cap. quoniam. Et similiter omnis alius contractus iniquus sicut iniusta locatio, conductio, & huiusmodi. Secundum etiam patet: nam pro sua, vel suorum sustentatione locare possunt sua animalia pro aliquo fructu, vel pensione sibi danda, sicut etiam si habent domos vel prædia possunt illa locare pro iusto locagio; similiter conducere animalia aliorum cum illis colendo agros suos, vel fructus colligendo; possunt etiam conducere aliquas possessiones excolendas, licet hoc vltimum magis proprie sit locare operas suas ad excolendum eas.

An liceat Clericis negociari per alios.

Sed dubiū est, An liceat Clericis, & Religiosis negociari per alios negocia mere lucratiua tradēdo pecunias cōsangui neo, vel cui vis alio sæculari, vt ipsorū loco negotietur; aut ineundo societatē cū alio, aut alijs, vel locando redditus beneficij, aut aliquid aliud cum alijs; aut vt ipsi totam industriam & operam adhibeant. Medina de rest. q. 30. art. 2. respondet affirmatiue; tum quia cessat ratio prohibitionis, quippe cum negociatio per alium, non distrahat, neq. clerici animum occupat, & (modo pecunia tradatur ad licitam negociationem) peccata, quæ commiserit is, per quem fit negociatio clerico non imputentur. Tum etiam, quia iura solum videntur prohibere ecclesiastico negociationem propriam personalem, vt patet Clemen. 1. de vita, & honest. Cleric. quæ solum punit, quando Clericos per se ipsū exercet officium macellarij, aut tabernarij. & cap. significante. de app. tanquam de relicita dicitur. Canonicos habuisse stallos publicos in quibus carnes incidebant. & Clemen. 1. de statu Monachorum licet Monachi prohibeantur per se ipsos venari, non tamen prohibentur per alios exercere. Concordat Aragona de iust. & iur. q. 77. art. 4.

Medina.

Aragona.

Ludouicus Molina de contract. disp. 347. quamuis non existimet esse culpam lethalem Clericos ita per alios negociari, arbitratur tamen aliquid sceditatis, & indecentiæ in ea negociatione interuenire ratione status, quando circunstantia non adesset, quæ illam excusaret. Quocirca inquit improbandum esse quantum est ex se. Subdit tamen fas esse Clericis, & religiosis habere domus publicas quas alijs locent, vel ad carnes vendendas, vel ad alia negotia in illis exercenda, atq; vnde reddiius habeant, tales enim inquit erant stalli de quibus cap. significante. citato est sermo.

Molina.

ART.

ARTICVLVS IV.

Vtrum negociatio venditionis in illis rebus, quibus emptores male vtuntur, & ad malum finem emunt licita sit.

Titulus huius quæst. quærit, quid dicendum sit de artificibus facientibus, ac vendentibus taxillos, chartas, &c. instrumenta ludendi, ac etiam de facientibus, atque vendentibus gladios, lanceas, balistas, venena, fucos, laruas, & huiusmodi, an mortaliter peccent.

D. Antoni. De hac re fuit opinio. D. Anton. p. 2. tit. 1. c. 23. §. 11. & 13. quod aut factor, vel venditor nouit, quod hi, quibus talia vendunt, eis abutuntur ad peccatum mortale, vel habent conscientiam firmam de hoc, & tunc tales factores, & venditores stante tali conscientia mortaliter peccant, & grauissime, & omnia peccata, quæ occasione taliũ rerum ab alijs perpetrantur, sibi imputantur, & rei sunt animarũ, quę propter hoc pereunt, cum sint cooperatores omniũ scelerũ inde cõmissorum aut huiusmodi venditores & factores credũt eos, quib. vendunt emere talia propter aliquẽ licitum vsum, aut de hoc nihil cogitabant, ignorantes quod talia facere, aut vẽdere esset illicitũ, & tunc distinguẽdum est, quia aut illæ res ad humanum vsum possunt esse vtiles, vt arma in bello iusto, cultellum ad scindendum panem, ac etiã quędã venena, quæ in medicinis apponuntur, vel ẽt in coloribus aptandis, fuci etiam adornandũ se, vt vxor marito placeat, & non ad lasciuiam, item laruæ ad repręsentandum aliqua honesta, atque alia huiusmodi ad vsus licitos. Aut nullũ vsum bonum habent, vt quædã venena mortifera. Si secundũ peccat res tales alteri communicando, aut etiam faciendo, quas nouit ad nullũ bonum vsum proficere, sed tantum ad malũ, vt de libello famoso, quem nõ solum conficere, sed etiam confectũ ostendere, & inuentum non statim rumpere graue peccatũ est: 5. q. 5 per totum. Si primum non peccat mortaliter, si intentio non fuerit corrupta, etiã si abusus sequatur. Vnde D.

D. Augusti. August. ad Publicolam. Absit, vt ea, quæ propter bonum, ac licitum finẽ facimus, aut habemus, si aliquid per hoc præter nostram voluntatem cuiquam malum acciderit, nobis imputetur.

Neque facile iudicandum est eos, qui emũt talia eis abuti, nisi appareant signa manifesta, vt in meretricibus ementibus fucos. Nemo enim iudicandus est immemor esse suæ

Innoc. III. salutis æternæ. Quod vero Innoc. III. de sagittarijs cap. vnico dicit. Artem istã mortiferam, & odibilem balistrariorũ, & sagittariorum aduersus catholicos, & Christianos exerceri de cætero sub anathemate prohibemus intelligendum

Glossa. est in bello iniusto secundũ Glossam: nam contra infideles, ac ẽt contra fideles in bello iusto licet his armis vti: quoniam secundum D. August. 23. q. 2. Domino non refert quantum

D. Augusti. attinet ad iustitiam, vtrũ aperte, vel ex insidijs quis pugnet, & pugnare cũ balistis videtur esse pugna ex insidijs, vt vult D. August. super psal. 62. Arcum (inquit) dicit insidias; vide

Ale. de Al. quæ docet Alex. de Ales p. 4. q. 11. m. 2. art. 2. §. 4. q. 3.

Verũ hoc mẽbrum vr̃ adhuc subdistinguẽdum: quia aut plurimi hominũ his rebus vtuntur ad malũ, vt aleis, chartis, taxillis, quibus communiter homines vtũtur ad peccatum mortale propter auaritiam, & cõcupiscentiam rei alienæ ex qua cõmuniter his luditur, aut frequẽtius: vel æque vtuntur ad bonũ, vt armis, quibus cõmuniter vtũtur homines ad defensionem, aut malorũ impugnationẽ propter bonum Reipub. si primum, non possunt factores, & vẽditores talium a mortali excusari secundum D. Anton. nec tales inquit absoluẽdi sũt, nisi talia facere, aut vẽdere dimittãt; simile. n. al. qd faciũt porrigẽti furioso gladiũ. Vnde. D. Greg.

D Greg. de Pęnit. d. 5. c. falsas. Falsã inquit est pęnitentia, cũ pęnitens ab officio, vel curiali negocio nõ recedit, quod sine peccatis agi nullatenus præualet. Hæc sententialiter D. Antoninus.

Gabriel. Cui subscripsit Gabr. in 4. d. 15. q. 13. art. 3. dub. 4. dicit tamen quod si taxillatores, & alearum opifices &c. tantũ venderẽt illa honestis personis, de quibus pręsumerẽt, quod nõ vterentur illis in casibus nun cõcessis, sed tm̃ pro recreatione, aut pro his, quæ in conuiuio apponũtur, & non indifferẽter omnibus ribaldis, & lusoribus, quod excusari possent: quoniã vbi ludos põt esse sine peccato, & instrumenta ludi possũt fieri, & vẽdi sine peccato Idẽ docet Angelus. verbo.

Angelus. Medina. Ars. nu. 2. & Medina Cod. de resti. q. 31. §. 1. In quam sententiam Bãnes de iust. & iur. q. 77. ar. 4. & Aragona citant Nau. *Bannes. Aragona. Nauar.*

in Man. c. 23. num. 90. Sed in rei veritate, nisi id dixerit Nauar. in sum. hispana in Manu. Latino loco citato magis oppositum dicit. Nam ibi nihil de hoc determinat, sed remittit se ad ea, quæ dixit c. 19 nu. 16. & hæc sunt verba eius. Quid autem sit dicendum de illo, qui vẽdit illa, scilicet arma, sine ullo malo fine ob iustum lucrum, licet credat ementem iturum ad iniustum bellum, colligendum est ex resolutione posita supra c. 19. nu. 16. ex quo loco colligitur item, quid sit dicendum de vendente, vel habente venalia, toxica, aconita, inutilia, chartas lusorias, taxillos, fucos, & pigmenta, & id genus alia. In c. autem 19. citato dicit, per illa dici potest nõ peccare famulum mensæ concubinariorum ministrantem, nec iuuantem concubinam ad se ornandum, neque ministrãtes mensis cibariis prælatorum, neque opifices, qui calceos, & sandalia, vel vestes vendunt meretricibus, & alios similes, modo id sine vllo consensu in peccatum, faciant: quoniam non inducunt, neque iuuant directe ad illud. Vnde si iuxta hæc dicta patet quid sit dicendum de vendentibus chartas lusorias, concludendum est ex Nauarri sententia, eos lethaliter non peccare.

Quod apertissime docuit in com. in c. negotium de pœn. d. 5 a nu. 20. vsque ad 26. vbi probat apertissime artem faciẽdi, atque vendendi chartas lusorias non esse in se capitaliter reprobam, neque eam exercentes mortaliter peccare, quoniam ars illa, cuius opera neq; in se mala sunt, neq; ad malũ per se ordinata, imo in bonum, & vtilem finem primum inuenta fuerunt, non videtur esse mala per c. de occidẽdis 23. q. 5. Quare chartarum faciendarum ars cuius finis est honesta hominum recreatio, in quem multi etiam hodie vtũtur non est reproba iudicanda, licet chartis, vt plurimum homines abutantur. Facit. l. quod sæpe. §. veneni. ff. de contrahen. empt. quæ habet etiã veneni negociationem licitã esse, quãdo illud tale est, quod alij admixtũ vsui hominum vtile possit esse. Tertio facit quod Inno. a Panor. & alijs ibi receptus. *Innocentius Panormit.*

in c. multa. ne Cleri. vel Monach. dicebat licitũ esse fingere, ac vendere ornamenta, quibus se ornare mulieres, vt suum statum decet, valeant, & etiam quo suis maritis magis placeant, quem etiam Ioan. Andr. sequitur in illa rubrica, & in *Ioan. And.*

Mercuriali regula, ea quæ. li. 6 & tamen constat bonam partem mulierum, aut vltra quam illas deceat, aut ut alijs, quã suis maritis placeãt, aut certe ob leuitatem, vt formosiores, vel maiori honore dignæ videantur, ornari. Et concludit Nauar. Non igitur facile artes huiusmodi, & qui eis vtũtur homines reprobi penitus iudicandi sunt, quamuis qui Reipub. curã gerit eas, & earum exercitatores a sua Repub. quoties ei videbitur expedire, pellere possit, & explodere. Hęc Nau.

Dicendum est ergo cum D. Thoma 2. 2. q. 169. ar. 2. & ibidem Caie. quod quando merces secundum se sunt indifferẽ- *D. Thomas Caietanus.*

tes ad bonum, & ad malum, potest venditor illas vendere, etiam si verisimiliter arbitretur quod emptor abutetur illis, quin potius si certo sciat, quod emptor abutetur illis poterit sæpe numero vendere absque peccato. probatur prima pars: quoniam inquirere alienos mores, & discernere, quisnam velit emere ad bonum vsum, & quis ad malum, non est officium venditoris, atq; adeo etsi communiter homines aleis, & chartis vterentur ad malum, non esset imputandum artifici, ex quo vendit id, quod potest bene vti, & non vendit vt male vtantur, nec discutere tenetur, an singuli ementes male vtantur, cum constet etiam, quod multi bene vtantur. hoc enim magis videtur ad curam Principis, quam artificis spectare, quoniam iste circa singulos versatur, quorum consciẽtias nescit, & eum non spectat curam habere communis boni, ille autem versatur circa commune bonum, & malum quod ex multitudine fit Secunda pars probatur: quia vendens aliquid, vt sic, non communicat cum emptore in futuro vsu, sed solum in contractu venditionis, & emptionis, & per hoc si vendit iusto pretio &c. iuste transfert dominium illius rei in ipsum, de vsu autem relinquit illi curam postquã erit translatum dominium.

Præterea ille euentus vsus mortalis ex venditione alearũ secutus, licet sit a venditoribus scitus, non tamen est voluntarius neque directe, neque indirecte, ergo non imputatur venditoribus ad culpam, quod directe non sit voluntarius supponimus, quia ex parte voluntatis vendentium non est consensus ad illum: constat enim quod talis vsus malus non est a voluntate vendẽtis directe. Quod neque indirecte patet, quia voluntarium indirecte est, quando possum, & te- *Voluntariũ indirecte, quid sit.*

neor

neor aliquid mali euitare & non vito. Nec enim sufficit ad voluntarium indirecte posse malum vitare, nisi teneatur. Isti autem alearum venditores licet possint vitare, vt puta nõ vendendo eis, tamen non tenentur: quia illud mortale malum non sequitur de per se ex tali venditione alearum, sed ex eorum malo nascitur vsu: quia sic vtuntur ludentes. Dixi notanter poterit sæpenumero vendere, absque peccato, quoniam non semper licitum est vẽditori vendere rem illi, qui male illa vsurus est: nam non est licitum, quando malus vsus illius rei cedit in aliquam violentiam contra tertiam personam, & ideo non est licitum vendere arma tempore iniusti belli (cuius iniustitia notoria est) militibus paratis ad tale bellum gerendum, neque est licitum vendere gladium homini parato occidere proximum: quia tenetur venditor, tum ex charitate defendendo rempubl. & innocentem, tum etiam ex iustitia non cooperari ad iniuriam faciendam alteri, atque adeo si in tali casu vendiderit instrumenta offensiua tenebitur ad rationem damni consequuti.

Prior sententia quomodo vera. Et ex hoc posset aliquo modo bene intelligi prior sententia, vt dicatur verã esse, quando venditor alearum scit emptorem alearum talibus aleis vsurum non solum ad ludum mortalem, sed ad ludum mortalem, & in præiudiciũ tertij. Qua nempe lusurus est alienam pecuniam, vel alienum patrimonium, in hoc enim casu est velut vendere gladium furioso, & vendere arma ei, quem scio emere ad statim in procinctu occidendi inimicum, quod non licet, qua ratione dixit non licere Ludouicus Lopez, vendere vina Indis in ea quantitate, quæ possit eos inebriare, quia inde ex peccato ebrietatis sequuntur multa nocumenta tam in vita ipsorum, quam etiam in domesticos, & uxores: qui interdum non raro sæuiunt in illos, & dare illis vinum in quantitate, est veluti incendere domum, & ministrare gladium furioso. Nec displicet id, quod notat Syluest. quod si venditores harum rerum non habent aliunde unde viuant, non sunt dissuadendi, ut hanc negociationem dimittant, si autem aliunde sibi commode victum parare possunt, consulendi sunt, ut hanc negociationem dimittant.

Ludo. Lop. Indis non licet vendere vina ad ebrietatem.

An liceat vendere fucus meretricibus. Atque demum per hæc dicta liquet, quid sit dicendum de vendentibus fucos etiam meretricibus: quia fucorum potest bonus esse vsus ex se, aut certe non mortalis, & quia ut per leges permittuntur venditiones alearum, ita ad maiora mala præcauenda puta sodomitica crimina permittuntur meretrices, quarum aliquæ quia pulchriores sunt facie magis alliciunt ad se amicos, quam quæ fucantur, ideo non improbabiliter dicitur (sed ad mentem Caiet.) quod vendere eis fucos non sit mortale. Quando enim vnus effectus potest ab arte, & a natura fieri, eiusdem rationis est si a natura, etsi ab arte fiat, ut patet de sanitate, & propterea si pulchritudo naturalis non est secundum se periculosa, coõsequens est, q nec pulchritudo artificialis secundum se sit perniciosa. Et si dicas quod ars in fuco non facit, sed mentitur pulchritudinẽ mulieris, respondetur, quod verum est, sed quantum ad propositum spectat perinde est, ac si faceret pulchritudinẽ: quoniam ratio mendacij apposita non addit deformitatem mortalem, ex hoc ipso quod mentitur pulchritudinem non perniciosam: nam fictio nisi sit perniciosa non est peccatum mortale, sicut de mendacio dicimus, quod solum perniciosum est mortale, mulierum autem fucatio officiosa est ad pulchritudinem seruiens, non perniciosa secundum se, sicut nec suprema pulchritudo naturalis.

ARTICVLVS V.

Vtrum mercatorum conspirationes, quæ vulgo monopolia appellantur, licita sint.

Monopoliũ unde dictũ. MOnopolium dicitur a minos, quod est vnum, & polio, quod est venditio, quasi unius dumtaxat in prouincia aliqua, ciuitate, vel oppido, venditio. Qui vero monopoliũ exercet, Monopola nuncupatur, id est, unus venditor. Pola enim Græcè Latine venditor dicitur. Vel dicitur a monos, quod est vnum, & polis Ciuitas, quasi negociatio tantũ uni in Ciuitate concessa, vel per eum usurpata.

Monopoliũ quid sit. Est autem Monopolium propriè, quando aliquis, aut aliqui obtinent, ipsi tantum merces aliquas vendere, quod regulariter est iniquum, & Reipub. iniuriosum, eo quod Ciues cogantur carius emere merces de eorum manu; cæteri vero de Repub. impediantur iuste, & commode negociari, & benigniores esse in pretio alijs ciuibus, quod in detrimentum cedit ciuiũ, esto Monopolæ iusto pretio vendant. Quocirca id merito. l. vnica. C. de Monopolijs. inhibitum est sub pœna amissionis omnium bonorum, atque exilij perpetui, eadem lege prohibetur ne mercatores inter se conueniãt de non vendenda merce aliqua infra certum pretium, aut de non emendo, vltra certum pretium. Item ne artifices conueniant opus ab vno eorum inceptum, ab alio non continuari, aut perfici, & ne similia alia pacta fiant, quæ omnia constat regulariter esse iniqua, atque in Reipub. detrimentũ.

Et quamuis hæc etiam pacta a plerisque monopolia nuncupentur, in ea tamen lege prohibentur tanquam pacta distincta, vt ex rubrica, & ex textu, quin & ex pœna ibi statuta liquet, quæ distincta est a pęna Monopolis decreta. Exercentes quippe hæc alia pacta solum puniuntur solutione quadraginta librarum auri, & iudices, qui dissimulauerint, & remissi fuerint in puniendis, tam his criminibus, quam monopolijs, afficiunt pœna quinquaginta librarum, quia tamen loquendum est vt plures, hæc etiam monopoliorum nomine comprehendemus.

Monopoliũ tribus modis fieri contingit. Vnde pro explicatione propositæ quæst. obser. est primo, quod monopolium tribus modis fieri contingit primo modo publica authoritate bono communi id efflagitante, vt si Respub. mercibus aliquibus indigeat, nec sit qui eas asportare velit (quia forte cum labore maximo, & periculo amittendi, ea negociatio fieret) nisi priuilegium concederetur, quod nullus alius eas merces asportare, aut vendere posset, sane tunc licitum erit concedere tale priuilegium taxato moderato pretio, attentis circumstantijs omnibus concurrentibus, ne qui eo priuilegio vsuri sunt plus iusto Rempub. grauent. Item si desit, qui officium aliquod Reipub. expediẽs suscipere velit, vt vendendi merces aliquas, aut asportandi peregrinos, poterit tunc concedi alicui, vel aliquibus, vt ipsi soli tale munus exerceant constituto eis moderato pretio, si timor sit ne excedant pretium iustum. Item quia Reipub. expediens est libros componi, ac cudi, neque facile inuenietur, qui eos cudere velit, nisi priuilegium concedatur ne quisquam alius intra certũ tempus illos cudat, aut alibi cussos ad vendendum asportet, videmus quotidie iuste concedi eiusmodi priuilegium taxato pretio ne rationabile, ac iustum in Reipub. detrimentum excedatur.

Medina. Item Medina de rest. q. 30. §. penult. addit, damnandum non esse, si Rex prohibet, ne quis vendat aliquod genus mercium præter Petrum, vel Ioan. præsertim si eiusmodi merces non sint multum necessariæ Reipub. quales sunt chartæ lusoriæ, vel si sint necessariæ cogente tamen necessitate, vel vtilitate Reipub. cui aliter prouideri non potest. Vt puta si Rex in aliqua publica necessitate constitutus, pro certa aliqua pecuniæ summa cõcedat aliquibus mercatoribus, vel opificibus, vt ipsi soli vendere possint aliquid in suo regno constituto eis moderato pretio, ne Rempub. plus iusto grauent. Regem quippe tunc a peccato excusat publica necessitas in qua est, & mercatores priuilegium iusta illa de causa a Rege ipsis concessum. Nam sicut Rex a subditis exigere poterat, vt contribuerẽt ad publicæ illi necessitati subueniendum, ita subijcere illos potest illi grauamini modo tamen moderatum sit, & cum minori ipsorum molestia, & detrimento.

Obserua tamen, quod si irrationabiliter, atque in subditorum præiudicium concederentur eiusmodi priuilegia, vt pote quia ratio recta, & commune bonum id non postulat, neque attentis circunstantijs omnibus, tam ex parte subditorum, quam ex parte Regis, & eorum quibus conceduntur æqualiter per eiusmodi priuilegia non subueniut omnibus de Repub. sed magis grauantur quædam Reipub. partes, quam aliæ, & eo maxime si ex cupiditate thesaurizandi huiusmodi priuilegia cõcederẽtur lethaliter peccaret Rex, aut Respub. quæ illa concederet, & simul qui ea impetrarent, aut illis vterentur; tenerenturque hi omnes ad restitutionem subditis damnorum omnium, quæ contra ipsorum voluntatem inde ipsis sequerentur.

Secundum Monopolij genus est, quando ipsi negociatores conueniunt inter se de non vendendo mercibus nisi certo quodam pretio suo beneplacito taxato, vel vltra certum pretium emat, ex quo emptores ob rei necessitatẽ tale pretium pro illis dare compelluntur, & venditores pro statuto ab eis pretio vendere coguntur.

Tertium Monopolij genus est, quando duo, vel tres mercatores,

catores, vel etiam vnus congerunt omnes merces alicuius generis ea intentione, vt omnes emant ab ipsis, ipsi vero fingunt pretium quoddam pro libito suo v.g. aliquis, vel aliqui tempore messis, aut vindemiæ, vel quocumque alio, in quo sit abundantia aliquarum rerum tantam illarum copiã emunt, animo eas seruandi in tempus, quo carius vendantur. Omnes isti modi præter primum cum suis limitationibus prohibiti sunt iure communi, vt patet. l. 1. citata. C. de monopolijs.

An Monopola restituere teneantur. Sed dubium est: Num mercatores, qui inter se conueniũt ne quisquam ipsorum infra certum pretium vendat, aut vltra certum pretium emat, ac vniuersaliter, qui in Reipub. ac proximorum præiudicium similes conuentiones, ac monopolia inique exercent restituere teneantur damna priuatis de Repub. inde consequuta.

Maior. Angelus. Syluester. Gabriel. Conradus. Medina. Sotus. Nauar. Circa hoc dubium omnes Doctores communiter affirmant eiusmodi mercatores mortaliter peccare. ita Maior in 4. d. 15. q. 40. ad finem primi arg. Angelus verbo negociatio, nu. 3. Syluester. verbo emptio q. 18. Gab. d. 15. q. 10. art. 3. dub. 2. Conrad. de contract. q. 51. concl. 2. Medina de rest. q. 36. §. sed an tales. Sotus. 6. de iust. q. 2. ar. 3. & Nauar. in Manu. c. 23. nu. 92. An autẽ restituere teneantur. Maior. Syluest. & Nau. locis citatis nihil dicunt. Sotus vero, Medina, & Conrad. affirmanter respondent. Vnde pro huius difficultatis solutione. Dico primo quod si huiusmodi monopolia fiunt in causa, vt priuati vltra iustum pretium rigorosum emant, vel quod infra iustum pretium infimum vendant Mercatores huiusmodi facientes monopolia ad restitutionem teneri, salte vsque ad limites iusti pretij; probatur quoniam peccãt contra iustitiam, & sunt causa iniusta huius damni priuatis constituti.

Dico secundo. Quando mercatores conueniunt inter se de pretio, quod ea conuentione seclusa esset iustum, sed rigorosum peccarent quidem contra proximorum charitatem, & digni essent, qui a Potestatib. publicis grauissima pęna mulctarentur tanquã homines Reipub. præiudiciales, tamẽ nõ video eos peccare contra iustitiam, atq; adeo neq; ad restitutionem teneri, modo nullus eorũ fraudibus, vi, metu prohiberet alios minus vendere. Probatur: quoniã qui sine vi, metu, aut fraude persuaderet alicui, qui vellet minus vendere, vt pretio venderet rigoroso, sed iusto, vnque non peccaret contra iustitiam, sicut neque qui consilio simili modo auerteret aliquem a donatione aliqua, aut legato, quod vellet facere, ergo pari ratione, neque mercatores illi, quando eo modo conueniunt inter se peccaret contra iustitiam.

Si tamen fraudibus, vi, aut metu alios inducerent ad sic vendendum, peccarent vtique contra iustitiã aduersus emptores, non secus atq; is contra iustitiam aduersus donatariũ, aut legatarium peccat, qui vi, metu, aut fraudibus, quemquã donare, aut legare prohibet aliquid alicui. Quippe id cõtra ius est, quod vnusquisq; habet accipiendi a quocumq; quod sua sponte voluerit sibi dare, cui non præiudicatur iniuste, quando donans vi, metu, aut fraudibus a donando, aut legando arcetur.

Princeps sine rationabili causa dans monopolij priuilegium peccat cõtra iustitiam. Hinc constat si Princeps sine rationabili causa monopolij priuilegium concedat peccare contra iustitiã tam ipsum, quã qui monopolium obtinet, nihil impediente, quod Monopola taxetur pretium iustum: quoniam contra iustitiam est prohibere nunc alios vendere, cum id cedat in emptorũ iniuriam, qui possent minori pretio ab eis emere, atq; id cedat in iniuriam eorum, qui essent venditori, atq; adeo Princeps, & ij qui priuilegium obtinent tenentur restituere, quantũ iacturæ inde resultauerit tam ijs qui emptori essent, quam illis, qui essent venditori. Et in prædictis euentib. restitutio facienda esset priuatis si constaret, qui illi sint, & quantum detrimenti eis euenerit. Sin minus aliquid faciẽdum quod plus, aut minus cedat æqualiter in eorundem particularium commodum, vendendo in ea communitate aliquid tanto vilius, quantum satis sit, vt damnum particularium compensetur, aut aliud simile efficiendo. Quod si nullo illorum modorum possit id illis satisfieri, restituendum esset pauperibus, aut in summendum esset in alijs operibus pijs pro animabus eorum, quibus id debebatur, & hæc de primo, & secundo genere monopolij dicta sunt.

An Monopola tertij generis peccent contra iustitiam. Circa tertium monopolij genus dubiũ occurrit. An qui tempore messis, vindemiæ vel quocumque alio, in quo sit abundantia aliquarum rerum, tatam illarum copiam emũt animo eas seruandi in tempus, quo carius vendentur, vt ea ratione in causa sint, vt caritas in Repub. inducatur, lethaliter peccent, & restituere teneantur Reipub. ac ciuibus damnum ea ratione illatum Nam huiusmodi reconditores, vt plurimum impedimento sunt ciuibus, ne tunc emant totũ, quod vnusquisq; necessarium habet in suæ familiæ sustentationẽ, & q̃ vere essent empturi, nisi eiusmodi reconditores anteuerterent, atq; adeo coguntur postea multo carius ea emere de manu illorum, atq; etiam quia emendo tantam copiã in causa sunt, vt tunc pretia rerũ accrescant, & ciues carius emant.

Maior. Angelus. Syluester. Gabriel. Medina. Sotus. Nauarrus. Quoad huius dubij solutionem. In primis Doctores cõueniunt illos lethaliter peccare. ita Maior in 4. d. 15. q. 41. in 4. ar. Ang. ver. negociat. n. 5. Sylue. ver. emp. q. 10. Gab. loco citato, Medina de rest. q. 36. §. antepen. & pen. So. l. 6. de iust. q. 2. ar. 2. Nau. c. 23. nu. 91. & alij q̃ vero ad restitutionẽ attinet, qui ex Doctoribus citatis id in controuersiam vocant cõmuniter asserunt illos teneri ad restitutionẽ damni Reipub. & priuatis ita illati, restitutionem vero eo modo esse faciendã, quo paulo antea explicatum est Monopolas eam facere debere, ita affirmãt Maio. Med. Gab. Sylue. & Ang. locis citatis.

Cæterum pro huius difficultatis elucidatione obser. est, q̃ si homines emendo, quæ in penuriæ tempus asseruent animo carius vendendi, & lucrandi, si iusto pretio currenti tũc emant, & vendant postea etiam iusto pretio currẽti, neq; impedimento singulis de Repub. sunt tẽpore abundantiæ emere necessaria, neq; copia magna eorũ, quæ emunt augeri tũc pretia rerum, non peccant emendo eo modo, quin potius vtiles Reipub. sunt, & in hoc omnes Doct. conueniunt, & patet ex his quæ diximus supra art. 1.

Secundo obser. est, quod si huiusmodi mercatores sint Reipub. perniciosi, vtpote inducendo rerum caritatem, & augendo illatũ pretia, atq; impediendo ne ciues congruo tẽpore sibi emant necessaria, & pretiũ illi soli efficiũt, qui merces cõgesserunt, peccant ita emendo. Nã tẽ vendunt pro suo arbitratu, & cũ miseri ciues illã aliunde habere non possunt, tantũ ei dant, quantum petere volunt, atq; adeo prohibendi, atq; puniendi a Repub. sunt tanquam perniciosi, imo tẽpore caritatis in pęnã cogi possunt vilius vendere, quæ ita in Reipub. præiudicium emerũt, & de his intelligitur id, quod habetur. 14. q. 4. c. quicunq; vbi turpe lucrum appellatur tẽpore vindemię vilius emere, vt postea carius vendat, & hæc sunt verba Canonis. Quicũque tẽpore messis, vel vindemiæ nõ necessitate, sed propter cupiditatẽ comparat annonã, vel vinũ. v.g. de duob. nummis cõparat modium vnũ, & seruat vsq; vendatur denarijs quatuor, aut amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Quod decretum optime explicat D. Ant. p. 2. tit. 1. c. 24. §. 16. vide eũ & in hoc ei oẽs Doctores conueniũt. *D. Antoni.*

Tertio obser. est, quod mercatores modo explicato caritatem rerũ inducendo, (quicquid dicant alij) non credo ad restitutionem teneri Reipub. damni illati; tum quia nõ video illos contra iustitiã peccare in Rempub. & in partes eius inducendo ita per accidens caritatẽ rerũ, sed solum peccare cõtra charitatem proximi. Tum quia vtuntur iure suo intra infimæ limites emendo eas tpe abundantiæ pecunia sua pretio iusto, neq; tes, quas emunt debitæ ex iustitia sunt alijs de Repub. vt eis potius vendantur, alioquin etiam vendentes eas reconditorib. & seruatoribus eas ũ peccarent contra iustitiã, & tenerentur damnũ illatum Reipub. eidem restituere, quod nullus sanæ mentis affirmare audebit, atq; adeo non est audiendus Raymun. dicens, q̃ huiusmodi lucra tenentur restituere pauperibus, vt 14. q. 5. c. qui habetis. cũ sequentibus, sed hoc secundũ Gul. verum est de honestate cõsilij non de necessitate præcepti, sicut de alijs turpib. lucris. *Raymund.*

ARTICVLVS VI.

Vtrum negociatoribus ex officio licitum sit aliquando vendere merces maiori pretio, quam alij ciues.

PRo huius difficultatis resolutione perspicua, obser. est primo, q̃ cum (vt sup. diximus) negociatio sit ne dum vtilis, sed etiã Reipub. necessaria, cũ sine ea prouideri non posset multiplici hominum defectui: non. n. põt homo quilibet omnib. attibus necessarijs pro sua sustentatione intendere, vt v.g. simul sit Vineator, & Pistor, Faber, & Sutor, Macellator, & Rusticus, & sic de alijs innumeris, quibus indiget. Ideo necesse fuit, quod varij varijs intenderent.

Secundo obser. (vt etiã supra dicebamus) tũ in aliquo regno deficiant hominibus illius regni res necessariæ opus est, q̃ illuc deducantur ex alio regno vbi inueniuntur, & non solum

lium opus est talia adduci, sed etiã adducta industriose conseruare, vt cum homines eis indigeant, ea inueniãt integra, & incorrupta, & in promptu; atque adeo opus est illa emi, vt distrahantur alibi. Et quia non sine expensis, curis, & sollicitudinibus, ac periculis, tam rerum, quam aliquando personarum; atque etiam interdum non sine damnis possunt aduehi, & etiam conseruari, dignum est, vt expensæ sibi soluantur, & operæ, eius curæ, & sollicitudines, & susceptio periculorum, & damnorum resundantur, ac remunerẽtur, imo necessarium est vt fiat; quia sine tali solutione, & remuneratione nemo subiret, nec faciliter continuare posset.

Tertio obser. est, quod huiusmodi solutio, & remuneratio facienda est aduectori, & conseruatori a Repub. cui seruit, vel a priuatis, puta ab illis, qui emunt; & quia primum non fit, sequitur quod secundum necesse est fieri; atque ita adducens, & conseruator poterit vendere illa carius, quam ement, & sic lucrari idest vltra summam pretij, quod exposuit aliquantum exigere.

Quarto obser. est, quod adductor talium rerũ potest licite, vltra pretium, quod exposuit accipere tantum, quantum est commensuratum illis quatuor, vel quinque simul collectis scilicet principaliter expensis, quas fecit in adductione, vel etiam in conseruatione. Secundo curis, & sollicitudinibus eius. Tertio operibus industriosis, quæ adhibuit in adductione, & conseruatione. Quarto susceptioni periculi, quod sibi imminuit in adductione, & conseruatione taliũ rerum. & quinto pro perpessione damni sine sua culpa contingentis. Explico singula. Primum intelligi debet de expẽsis rationabilibus: quia si expensas excessiuas fecisset, & nõ necessarias ex sua stultitia, errore, vel prodigalitate, non posset propter hoc cum vendit plus necessarijs expensis exigere: quia imputet sibi si superfluas fecit expensas. Idem intelligendum est de laboribus, & curis, quas adhibuit in adductione, vel conseruatione mercis: nam illos labores nõ tenebatur gratis facere, atque ita gratis seruire Reipub. vel emptoribus. sicut nec expensas in adductione &c. Vnde. 1. Corin. 9. Quis vnquã militat suis stipẽdijs, & Lucæ 10. Dignus est operarius &c. Nec est ratio, quare artifices manuales pro suo labore introducendo formas artificiales possunt aliquid recipere, quin etiam mercatores aliquid recipere possint proportionabiliter pro suis laboribus, & occupationibus, quas habent in transferendo, & exponendo merces ad commune forum, & in transeundo de nundinis ad nundinas, vt quilibet in promptu inueniat, quod desiderat. Nam Apost. ait vnus quisque secũdũ suũ laborẽ mercedẽ accipiet.

Ex quo sequitur, quod institur in quiete quodãmodo residens cæteris paribus non potest tantũ lucrari etiã de æque magna pecunia, sicut adducens res æque bonas de partibus longinquis, in quarũ adductione oportet magnos subire labores. Simile dicendũ est de rationabili cura & sollicitudine, quã habuit in adductione, vel cõseruatione: nã amara, & penalis est huiusmodi cura, quã non tenetur gratis impẽdisse his, quibus seruit in illa adductione. Vnde plus potest exigere ille vẽditor, quẽ oportuit habere maiorẽ curã vel sollicitudinẽ, puta, quia merx fuit talis qualitatis, quæ indiguit maiori cura, quã ille qui minorẽ habere potuisset. Et dixi rationabilẽ. Quid. n. ad emptorẽ de cura superflua, & nõ necessaria, neque etiã vtili? Vnde negociator non potest aliquid recipere pro labore, vel grauamine suo habito circa rẽ vendendã, vel pro persona emẽtis, nisi bona fide credat, quod seruitiũ huiusmodi vtile fuerit, sit, vel erit eidẽ, hoc solo excepto, qñ emens scit, vel scire probabiliter, & sine dolo & fraude præsumitur, quã inutilis sit labor circa rẽ exhibitus, & seruitiũ, & nihilominus vult habere talẽ rẽ, & laborẽ, & acceptat nõ simplicitate deceptus, nec necessitate habẽdi arctatus, nec alias inordinata affectione impulsus, sed sola liberalitate animi ductus dare quid vult vẽditori pro huiusmodi. Et aliqñ etiam venditor præsumere posset, quod talis emit ad aliquẽ finẽ sibi magis vtilẽ, quã venditor videat: quãuis contingat ipsũ artificẽ alia ratione peccare, vt puta, pro quanto ementi talẽ rẽ, cooperatur ad aliquã vanitatẽ, vel prodigalitatẽ, tñ non ratione illius, quod accipit pretiũ pro labore, vel merce, quem prædicto modo vult habere: nam etiam meretrix licet peccet fornicando, non tamen in accipiendo mercedem.

Scotus. Idẽ etiã dicendũ est de industria. Nã magna requiritur (inquit Doctor) mercatoris industria transferentis res de patria ad patriã, vt consideret quibus, quæ patria abundet, & indigeat: nam industriosus subtiliter considerat, vbi reperiri possint merces in vili pretio, quatenus etiam suis cõprouincialibus, & conregnicolis competenti pretio vendere possit, & ita vtilius seruit Reipub. quam non considerans illud, itaque magno pretio eis vendens, similiter considerat vbi bonæ merces illius generis reperiri possint, vt adducat eas, atque ita bene prouideat Reipub. & per consequens vtilius seruit Reipub. quam alius existens hebetioris sensus: quare potest iuste vltra sustentationem necessariam pro se, & familia sua ad istam necessitatem deputata recipere pretium correspondens industriæ suæ, atque adeo plus sibi dari debet, & ipse plus exigere potest, vt sibi soluatur industria sua, non quod suam industriam vendere possit, sed operas procedentes ex industria potest velle sibi solui, sicut & eas locare potest, si sunt prosanæ.

Et vltra hoc potest etiam aliquid exigere correspondens periculis suis. Ex quo enim in periculo suo transfert si est translator, vel custodit, si est custos, propter huiusmodi periculum potest secure aliquid accipere correspondens. Nam adducens, & conseruans mercem sæpe habet expectare pericula in persona, vel in rebus, vel in vtrisque. Hæc autem susceptio periculorum est res æstimabilis pretio, adeo quod quis sæpe daret magnam quantitatem pecuniæ, vt esset assecuratus de vitandis periculis: modo non tenetur illa suscipere gratis, quin aliquid possit pro huiusmodi exigere, & secundum hoc ascendere in pretio. Vnde mercator, qui mercem, quam mille Flor. emit adducere non potuit, vel non adduxit nisi per regnum periculosum, potest plus lucri, ex ea velle habere, quam ille, qui aliam mercem etiam mille Flor. emit, adducere potuit vel adduxit per regnum non periculosum; & quanto periculum est maius, tanto plus potest exigere, etsi periculum est ad effectum deductum. v.g. quia sine culpa sua læsus est in persona, vel in rebus, maius potest exigere, quam quando tantum expectauit, & non in effectu euenit. & eo vel maxime si interdum sine culpa sua in tali seruitio communitatis damnificatus est, vt pote mercator transferens amisit nauem onustam maximis bonis, & alius quandoque ex incendio casuali amisit preciosissima, quæ custodit pro Repub. poterit etiam in reliquis mercibus aliquid accipere pro aliquali releuamine illius perpessi dãni in actu, quo seruiuit Reipub. Nam si talis negociator conduceretur a Repub. licite posset in conductione sua omnia talia metiri, & secundum omnia illa exigere mercedem ab ea. Ideo cum deficit Rector Reipub. in dando illi mercedem condignam, poterit ipse sibi ipsi prouidere secundum condignum. Attamen ex quo nemo est bonus iudex in causa propria, ideo cum ipse sibi ipsi arbitrari vult, quantitatem eius, quod sibi liceat accipere vltra pretium, quod exposuit, hæc omnia inspicere debet, & quædam alia, quæ diximus supra, penes quæ attendatur valor rei, quæ est distrahenda.

Cæterum Doct. noster Sub. circa hoc, bonam ponit regulam dicens, quod quantum deberet alicui ministro Reipub. legislator iustus, & bonus retribuere, tantum potest ipse, si non adsit legislator de Repub. non extorquendo recipere. Sed si esset bonus legislator in patria indigente, deberet locare pro pretio magno huiusmodi mercatores, qui res necessarias afferrent, & qui eas allatas seruarent, & non tantum eis, & familiæ sustentationem necessariam inuenite, sed etiam industriam, peritiam, & pericula omnia locare, ergo etiam hoc possunt ipsi in vendendo.

Hæc regula Scoti verissima est, si per se, & regulariter intelligatur; quia per accidens fallit. si merx, est deteriorata in se, vel in æstimatione hominum. v.g. quando propter inundantem superabundantiam consimilium mercium minus desideratur, vel quia est paucitas emptorum, quia tunc iustum pretium est, quod currit iuxta communem æstimationem fori, quod contingere potest, quod sit minus, aut vilius, quam si pretium iustum computatis expensis, laboribus &c. ac etiam contingere potest, quod postquam mercatores asportauerint merces suas augescat iustum pretium, propter multitudinem emptorum, vel mercium raritatẽ, & tunc iustũ pretiũ erit, quod secundũ cõmunem æstimationẽ fori currit, etiã si sit multo maius, quam esset stipendium, quod Respub. ministris designaret. Sed hæc sunt per accidens, nec obstant quin iustum pretiũ eiusmodi mercium non sit illud, quod pensatis expensis, laboribus, & industria, & periculis, & damnis, iuste potest, per se

& regulariter loquendo, mercator exigere, vt docet hic Scotus sub litt. T. §. hęcomnia, quem sequuntur Maior in 4. d. 15. q. 41. Gabr. q. 10. art. 1. not. 5. §. Et si quæritur, Conrad. q. 50. concl. 1. & q. 56. concl. 3. Ioseph Angles in suis floribus. m. 4. q. de contract. empt. & vend. dub. 2. concl. 2. quicquid dicant Bannes de iust. q. 77. art. 4. dub. 3. & Molina de contract. disp. 348.

Maior. Gabriel. Conradus. Angles. Bannes. Molina.

ARTICVLVS TERTIVS PRINCIPALIS.

IN secundo art. principali huius quæst. inquirebat Doct. quomodo in translationibus dominiorum reperiebatur iustitia scilicet in donatione, commutatione, venditione, permutatione &c. Modo in hoc. 3. art quærit de opposito scilicet quomodo committitur iniustitia in huiusmodi contractibus. Et quoniam rectum est iudex sui, & obliqui, vt dicit Philos. 1. de anima t. 85. Ideo si considerentur requisita in translationibus dominii, vel vsus rerum, apparebit iniustitia, quæ accidit in talibus: atque adeo in hoc art. nihil est difficultatis, vt patebit per sequentes articulos discurrendo per singulos contractus.

Arist.

Primus Art. Vtrum in contractu donationis possit esse iniustitia.
Secundus Art. Vtrum in contractu commodati, sit iniustitia, & quomodo.
Tertius Art. Vtrum in ludo alearum, vel taxillorum transferatur dominium.
Quartus Art. Vtrum qui credito aliquid ludo prohibito amisit teneatur in conscientia illud soluere.
Quintus Art. Vtrum ludere ad quæstum sit peccatū mortale.
Sextus Art. Vtrum in cæteris alijs contractibus scilicet emptione, et vēditione, locatione, mutuo, negociatione, de quibus dictū est supra, iniustitia accidere possit, & quomodo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in contractu donationis possit esse iniustitia.

HAec quæst. pro sui intelligentia, & explicatione postulat, vt explicemus primo, qui sint impotentes ad donandum. Vnde obser. est vltra ea, quæ diximus supra; quod Abbates, Religiosi, Moniales, serui, & alij qui carent proprio peculio, filij etiam, qui sunt in potestate patris donare non possunt. Neque etiam vxor donare potest sine consensu mariti tacito, vel expresso nisi quando ipse ad id tenetur; neque furiosus, qui non habet certa interualla, in quibus ad mentem redire solet. Neque pupillus absque tutoris sui auctoritate. Neque prodigus, qui habet curatorem. Neque minor. 25. annis, quamuis eius donatio valebit, si post illos eam ratam habuerit. Neque personæ ecclesiasticæ de redditibus ecclesiasticis nisi ad pia, vel modis supra tactis. Neque hæretici, vel proditores, criminis læsæ maiestatis patratores, nec alij similes, quos lex ob sua delicta suis bonis ipso facto priuat. Quanquā afferat Nauar in Manu. c. 17. num. 106 quod donatarij, qui hæc donata a prædictis criminosis recepere, vsque ad sententiā declaratoriā ea retinere posūt.

Donare qui non possunt.

Nauar.

Secundo obser. est, quod ad donationem vt diximus supra tria requiruntur, primum est liberalis translatio ex parte donantis. Secundum est voluntas recipiendi ex parte illius, cui fit donatio; & tertium libertas ex parte amborum huius donandi, & illius recipiendi, hoc est quod nulla lege superiori prohibeatur iste, vel ille, nec per actum alterius a quo dependeant in ista translatione. Ex quo sequitur quod in donationibus interdum est iniustitia ex parte vtriusque partis, scilicet accipientis, & donantis, & aliquando ex parte vnius tantum. Nam vt dicit Scotus. In donatione non est iustitia si donans non mere liberaliter donat, vel si contra voluntatem alicuius, a quo dependet in donando, donat.

Donatio tria postulat.

Iniustitia est interdū in donationibus.

Vnde si fiat donatio contra voluntatem superioris est iniustitia ex parte vtriusque; quia & dans, & recipiens simpliciter peccat: donatio enim quando est auctoritate superioris prohibita non valet, & allegantur communiter duo casus, in quibus remissio, & donatio non valet. Primus casus de remissione ponitur in. c. statutum. de rescr ptis lib 6. §. insuper. vbi iudicibus delegatis prohibetur, quod nihil recipiant vltra esculenta, & poculēta, & statim subdit. §. si quid. Si quis autem cōtra constitutionem præsentem aliquid receperit: puta præter esculenta, & poculenta, ad ipsius restitutionem integram teneatur, nulla eorum, quibus restitutio facienda fuerit, remissione vllatenus profutura eidem. Vnde si Petrus v. g. Iudex delegatus aliquid acceperit a partibus vltra esculenta, & poculenta, non potest remissio ei prodesse, quin restituere teneatur quia talis remissio est prohibita a superiore habente auctoritatem.

Consimilis casus de donatione habetur in. c. exigit, de censibus lib. 6. vbi ponitur casus de visitantibus, quod si aliquid acceperint a visitatis teneantur duplum restituere, etiam remissione illorum, a quibus acceperint non profutura, quod si tenuerint restituere sunt interdicti, atque suspensi &c. Ex quo patet, quod si visitans Episcopus, vel alius aliquid a visitatis accipiat vltra procurationem, quamuis liberaliter eis detur a visitatis, talis remissio non prodest illis, quin teneantur restituere: quia talis est prohibita iure canonico, cui clerici sunt subiecti, ex quo etiam patet, quod in huiusmodi donationibus est iniustitia ex parte vtriusque; quia & dans & recipiens simpliciter peccant.

Si autem donatio fiat non libere, vt pote quia donans nō mere liberaliter donat; sed aliquomodo inuoluntarie, vel per metum, vel per ignorantiam est solum iniustitia ex parte recipientis; non enim oportet quod dans peccet: nam vt dicit S. Thomas, actus qui esset prodigalitas libere factus, excusatur per metum mortis.

D Thomas

Simile dicendum est si in donatione intercedat fraus, vel deceptio: nam deceptus de eo, cui donat, quantum ad illam rationem propter quam donat, nō simpliciter donat, atque adeo si alicui tanquam propinquo donet, qui tamen non est propinquus non simpliciter donat. exemplum, si diues habens pulchram vxorem, sed adulteram credens ex illa habere filium, qui tamen non est eius, morti propinquus relinquit iure hæreditatis filio, quem credit esse suum filium omnia bona sua non donat: quia est deceptus, atque adeo talis filius tenetur restitutioni, & est in hac donatione iniustitia ex parte recipientis, nisi eum bona fides excuset, de quo fermo erit infra. Consimiliter si alicui, vt egeno, qui non est egenus. Et ideo videant (inquit Doctor) illi, qui mutant, qui scilicet diuites existentes, recipiunt tamen tanquam egentes eleemosynas; ne iniuste omnia huiusmodi recipiant: quia non est in dante voluntarium propter conditionis ignorantiam, quam respicit in donando.

Deceptus non dat liberaliter.

Vnde circa hoc dictum Doctoris, præter ea, quæ diximus supra de donationibus art. 7. occurrit graue dubium, an scilicet eleemosyna per simulationem extorta restituenda sit, ad hunc enim locum remisimus hoc dubium examinandum. Circa quod Medina in instruct. Confe. inter alia, quę de hypochrisi loquitur damnat ad restitutionem eum, qui in oppositione cathedræ, vel dignitatis, vel Canonicatus falso se iactat scilicet libros se edidisse, præloque commisisse, quam sententiam Lud. Lopez. 2. p. instruct. conscientiæ. c. 7. dum alias, cum non tam dignus esset, sibi alias præbēda non parata erat dari, sed alteri, nisi ipse istis mendacibus medijs illam extorsisset.

Eleemosyna per simulationē extorta, an restituenda sit. Medina.

Lopez.

Addit secundo Medina, quod qui se fingit bonum ad aliquam adipiscendam dignitatem, vel bona aliena obtineda, peccat mortaliter; quod verum existimat Lopez dum alias ante nouam dignitatem, non coucipit animum probabiliter de cætero resipiscendi, alias licet malus secreto fuerit in hoc proposito fingat se bonum sine adipiscendi dignitatem, pręter sim fine cura animarum non credit, quod talis simulatio pertingat ad peccatum mortale, nam & Sotus de iust. limitanter ait, quod Episcopatum acceptans cum animo perseuerandi in peccato mortali mortaliter peccat. Quando ergo talis simplicem dignitatem acceptat, cum alias peritus sit, cum animo mutandi vitam, licet pro tunc prædicto fine se finxerit bonum, nullum arbitror tam criticum fore censorē, qui hanc eius simulationē notet calculo peccati mortalis.

Sotus.

Addit tertio Medina, quod facit ad rē scilicet quod quando quis hypochrisim induens nulla media alia fraudulenta admiscuit, sed tantum medijs ordinarijs eleemosynam sibi datam tulit, quibus eleemosyna cæteris pauperibus solita est impendi, nullus restitutioni est reus. Nam etsi ita verum sit, quod illi talis eleemosyna nō fuisset impensa, si eius mendacium, & finctionem largitores eleemosynæ datæ explorassent, aut deprehendissent, sed talis donatio libera fuit, & citra vllam cōditionem. Quā sententiam sibi exēplo confir-

confirmare videtur scilicet si aliquis duxit vxorem, quam non duxisset, si corruptis eam esse moribus nouisset, non ideo matrimonium desinit esse validum; sic & in præsentiarum talis collatio eleemosynæ impensæ hypochritæ.

Cæterum hæc Medinæ resolutio noua apparet: nam alij *Caietanus.* aliter hanc difficultatem resoluunt, & primo Caiet. in summa verbo restitutio prope finem proponens quæstionem, an fingens se bonum, aut pauperem, aut oraturum, teneatur restituere eleemosynam sic acceptam, breuiter hac distinctione respondet: quia si prædicta finxit, vt obtineret eleemosynam, tunc talis simulator: quia per fraudem eam acquisiuit, sicut & quilibet alius per dolum & fraudem teneretur, si acquisiuisset aliquid; tenetur eam non largitoribus restituere, sed Christi pauperibus, aut pro ijs pijs operibus talibus, qualibus ille, qui dedit putauit se dare; si autem alio fine illam machinatus est sanctitatis, aut paupertatis simulationem; tunc quia de per accidens idest præter intentionem concurrit ad acquisitionem eleemosynæ, non tenetur restituere, sed satisfacere deuotioni eleemosynam dantis: quia hypochrisis hæc non decipit largitorem quantum ad actionem dandi eleemosynam, sed ad hanc propria deuotione ducitur. Hæc Caietanus.

Medina. Angles. At Medina Complutensis. C. de rest. q.24. & Angles in suis floribus in materia de restitutione, quæst. de Clericis rest. obnoxijs diff. 8. aliter hanc definiunt quæst. asserentes, quod qui simulata sanctitate eleemosynam tenuem, vel pinguem obtinuit, tenetur restituere, si causa finalis dandi fuit subuenire hypochritæ propter eius paupertatẽ, vel propter eius sanctitatem, vt largiens eleemosynam suffragiorũ eius particeps fieret, & cum porrigendo dixit, accipe, ora pro me, vel vt ores pro me tibi do: quia cessante causa finali donatio est inuoluntaria. Si autem hypochrisis fuit tantũ causa impulsiua, quia ratione sanctitatis fictæ illectus est ad facilius, libentiusque eleemosynam porrigendam illi potius, quam cæteris pauperibus, tunc non tenetur restituere.

Verum hæc resolutio licet videatur iuridica, & pertinens ad forum exterius, vbi ex probationibus, & præsumptionibus iudicium fertur, quando fuerit causa impulsiua, vel finalis, sed iste simulator restitutioni obnoxius, valde anxiaretur, si diuinaturus esset, qua ex causa motiua, vel finali, largitor eleemosynæ inductus fuerit, ad eam sibi dandam, nisi interrogaret ipsum largitorem, de tali, & quali animo dederit cum periculo se prodendi. Nam neque & ipsi largitori interdum iam constat de eo, quo dederit animo, an ex causa finali, vel impulsiua; quare neque hæc opinio in foro conscientiæ omnino mihi facit satis. sicut nec Medinæ opinio in sua instruct. satisfacit. Tum quia noua esse videtur, tum quia eius rationes in conscientia, vbi respicitur veritas non sunt magnę efficaciæ; quia si illius ducentis vxorem secreto prauam, quam si talem esse nouisset, non duxisset, matrimonium est validum, est, quia est sacramentum, coniunctioque indiuidua, & inseparabilis; atque iste contractus suapte natura non requirit in vxorem bonitatem moralem, ac morum incorruptionem, sed potentiam coeundi, & liberam voluntatem ad hoc sine impedimento seruitutis incognitæ; at in largitione eleemosynæ quædam donatio est, quæ in hoc casu fit ob causam, atque ita inspiciendum est si causa subsistat.

Nauar. Ideo opinio vltima Nauar. in Manu. c.17. num.107. mihi iuridica, & tuta videtur; ait enim quod talis eleemosyna, si ab hypochrita taliter est obtenta ob simulationem, dum dissimulauit, se pauperem, religiosum, aut infirmum, vt hac simulatione eleemosynam ab eo, qui patefacta sibi veritate
Scotus. non dedisset obtineret, iuxta Scotum in.4. d.15. q.2. artic.3.
Adrianus. communiter receptum, est restituenda, & secundum Adrianum in.4. de rest. q.15. & hoc siue eleemosyna fuerit ma-
Sotus. gna, siue parua, contra Sotum de iust. lib.9. q.7. art.3. in fine dicentem, quod si est magna restituenda est, non autem si est modica: quia inquit Nauar. quod sit magna vel modica parum referri quo ad forum interius de quo agimus: quia solum in foro exteriori præsumitur, quod si eleemosyna fuit magna, erogans non habuit animum absolute donandi, secus si fuit parua, at præsumptio (inquit Nauar.) cessat in foro interiori, vbi sola veritas valet. c. tua &. c.15. qui. de sponsalibus.

Sed opinio Soti non videtur mihi penitus reijcienda. Nã dum simulatori de mente largitoris eleemosynæ non constat. potest per hanc Soti sententiam se regulare. Durũ enim videtur illum ad scrutandas, & sciscitandas largientiũ mentes, quo scilicet animo dederint, an absoluto, vel conditionato, obligare; atque adeo statis sibi erit, se modicum sic acquisierit, deponere scrupulum, & non restituere, seu quia præsumitur illud modicum secundum Sotum animo absoluto, & non conditionatu fuisse sibi collatum, seu propter rationem Nauar. quia simulatio fuit tunc tantum impulsiua erogationis eleemosynæ, & non causa finalis. Si autem eleemosyna sic extorta copiosa sit, secundum Sotum restituenda est in pauperes, seu in opera pia, cui subscribit Nauar. quia duę causæ finales illius eleemosynæ fuisse videntur scilicet amor Dei, & necessitas proximi habiti pro seruo Dei; atque adeo etsi hæc secunda cesset, & ita quo ad pauperem sic simulantem erogatio non valeat, quo ad Deum tamen valet, quia cessante vna ex duabus causis finalibus, non cessat dispositio. §. affinitatis, Inst. de Nuptijs, & in ipsum Deum dominium transit, atque adeo impendendum est in ea, quæ ad ipsum Deum specialiter pertinent, sed non necessario in solas pauperum personas; & per hoc soluitur arg. Almayn, *Almayn.* quod a nobis supra, art.7. de donationibus fuit adductum.

Sed quid si eleemosynam magnam a pluribus modice, & minutatim dantibus ille sibi simulator comparauit? Forsitan in hoc casu habet locum prima opinio Medinæ: quia sibi libere, & sine conditione illa modica minutatim data sunt, & ex causa impulsiua non finali secundum præsumptionem iuris, vt ait Nauar. ergo licet multa minuta excreuerint in magnam quantitatem, id fuit per accidens, & pręter intentionem vniuscuiusque minutatim erogantis, videtur tunc, quod illa quantitas licet magna restituenda nõ est.

Sed quamuis hoc argumentum apparenter concludat contra Sotum, & Nauar. eorumque rationes; cæterũ existimo oppositum etiam secundum eorum mentes esse dicendum scilicet quod etiam in hoc casu hæc magna quantitas sic minutatim congesta sit pauperibus restituenda, qua præstat præcipua ratio finalis scilicet amor Dei; imo in hypochrita videtur cessare causa secunda; quæ est necessitas proximi. quia non indiget. Vnde sicut qui minutim depilat communitatem curtando metretas vini, tenetur restituere illam magnam quantitatem, sicut quando ad eam eleemosynam captandam, sic se personauit iste; & hoc asserere tutius est, scilicet quod etiam iste in hoc casu restituere teneatur, licet hæ rationes suis solutionibus non careant.

Ex hoc sequitur, quod si quis fingens se pauperem, fingit quoque suum parentem, eumque ingenuum detineri captiuum inter infideles, & gratia eum redimendi, impetrata a summo Pontifice, vel Episcopo copia colligendi eleemosynam, non modicam pecuniam hac fraude conflauit; absque dubio eam omnẽ restituere tenetur; tum quia technis, medijsque iniustis eam sibi comparauit; tum quia planum est populum noluisse et abundanter eleemosynam largiri, nisi causa redimendi patris, quod cum totum sit commentum, citra dubium totum sic a se collectum est restituendum.

Ex hoc etiam patet verum esse id, quod docet Corduba. *Corduba.* q.98. de casibus conscientiæ, nempe quod naufragus, qui ad sibi subueniendum impetrauit facultatem quæstuandi per sex menses per se, siue per suum commissarium a se designandum; sed hoc quod per commiss. creditur quod inaduertenter, vel aliqua alia ex causa fuisse a Notario adiectum, qua mediante clausula scilicet de substituendo ad hoc cõmissarium pro octo sibi persolutis aureis ex pacto substituit sibi in hanc potestatem alium, qui ex tali commissione quæstuans per sex menses, vltra aureos iam octo solutos, ex eleemosynis congregauit sibi. 50. aureos vltra sui victus expensas, non potuit locare alteri illã facultatem quæstuandi, etiam si illa clausula vere inserta fuisset scilicet quod ipse, vel alius ex eius commissione posset pro se quæstuare: quia intelligenda erat solum de adiuuantibus se ad postulandum, & quia est contra finem eleemosynæ, talisque conductor huius iuris quæstuandi tenetur deductis octo iam impensis aureis, deductisque impensis victus residuum ex 50. aureis, sic ex tali quæstu conflatis, restituere prædicto naufrago, cuius nomine illa eleemosyna est postulata, si necessitas, indigentiaque eius suppleta iam nõ est, quod si iam sua indigentia est reparata pauperibus residua eleemosyna eroganda est, vel pro his operibus pijs, pro quibus per sententiam Iudicis fuerit adiudicata, & in hoc conueniunt communiter Doctores.

Demum dicit Scotus, quod in donatione est iniustitia, si quis attractus donat, vt in vsuris dandis. v. g. Petrus indiget centum aureis, & ea petit mutuo a Ioan. & quia cognoscit, quod Ioan. ob deprauatam voluntatem fenerandi non mutuaret illa sibi sine fenore, attractus vt centum mutuo recipiat, quibus indiget, spondet se libere daturum vltra centum, quatuor, vel sex, hæc non est mere donatiu liberalis, quia necessitate attractus donat; atque adeo est iniustitia ex parte recipientis.

ARTICVLVS II.

Vtrum in contractu commodati sit iniustitia, & quomodo.

Contractus commodati, quid ad sui iustitiã postulet. Contractus commodati (vt diximus supra) non transfert dominium, sed solum per illum conceditur vsus alicuius rei, quæ vsu non consumitur, vt. v. g. equi, vel commodatio gratuita mulæ, libri, vestis, & id genus aliorum, & habet consimiles leges ad hoc, quod sit iustus, quas habet donatio: Nam requirit in accommodante liberam voluntatem, & in recipiente, quod velit recipere rem accommodatam ad vsum, & quod non sit aliqua voluntas legis, vel principis illi accommodationi obsistens; atque adeo potest sicut in donatione, ita in cõmodato interuenire iniustitia, vel ex parte vtriusque scilicet tam commodantis, quam recipientis rem accommodatam, vtpote si commodans contra voluntatem illius, a quo dependet in commodando, accommodet, vel ex parte vnius tantum, nempe recipientis, si accommodans non mere liberaliter accommodat, non accommodat autem mere liberaliter, si deceptus, vel necessitate tractus accommodat: quia ignorantia, vel aliqualis coactio excludunt voluntarium simpliciter ex. 3. Ethi. c. 1. & inde; licet in commodato non sit æqualis defectus propter equale iustum, sicut in donatione, quia translatio vsus ad tempus, non requirit tantam liberalitatem, quantam translatio dominij.

Verum pro ampliori huius materiæ intelligentia obseruandum est, quod quando aliquis contractus fit in fauorem, & vtilitatem solum alterius contrahentium, ille regulariter tenetur de dolo, & culpa lata, leui, & leuissima; alter autem in cuius gratiam non est non nisi de dolo, vt in commodati cõtractu, qui regulariter est in gratiam commodatarij, tantum, tenetur etiam de leuissima culpa; in contractu vero depositi, qui fit regulariter in vtilitatem deponentis depositarius non tenetur nisi de dolo, & de lata culpa.

Secundo obseruandum est, quod quando fit contractus in fauorem, & vtilitatem vtriusque, vterque tenetur de dolo, & lata culpa & leui, sed non leuissima, vt in locatione, quæ est contractus, qui gratia vtriusque contrahentis fit, vnde neque de casu fortuito tenetur. Exemplum primi. Si quis receperit torquem auri ad custodiendum, nisi periret per culpam latam custodientis, non tenetur depositarius torquem restituere: quia non sufficit, vt depositarius noxius sit restitutioni, quod ea leui, vel leuissima eius culpa perierit; Cuius ratio est quia depositum torquis, vel custodia eius est solum in vtilitatem deponentis scilicet illius torquis domini, atque ita sufficit ad hoc, vt depositarius restituere non teneatur, quod in torque custodiendo illam mediocrem diligentiam adhibuerit, quam in rebus proprijs domus adhibere solet. Exemplum secundi. Si equus mihi locatus periret, nisi periret culpa mea lata, vel leui, non tenebor ad illum locanti restituendum, quia in hoc contractu nõ teneiur conducens equum, nisi de lata culpa, & leui, & non de culpa leuissima. Vnde si ab Arretio ad Pisas decepi locantem mihi equum pro quatuor diebus, si duobus diebus illud iter peragendo, equus ille mihi locatus in ipso itinere mortuus est, non teneor ad illum restituendum, nisi alia interuenerit culpa; quia ex Arretio ad Pisas non plus itineris est, quam quod solitus est equus peragere duobus diebus. Si igitur subministraui ei sufficienter cibum, si in itinere obijt, domino suo videtur perijsse: quia talis deceptio non videtur fuisse causa obitus equi, neque ad eius mortem ordinata; sed si in foro exteriori hæc deceptio probaretur corã iudice, forte cogeret illum soluere, sed in conscientia non teneor.

Ex his dico primo. Si commodatarius recipit rem cõmodatã, & res illa deterioratur, vel pereat est iniustitia ex parte commodatarij; quia cum commodato regulariter fiat in fauorem recipientis tantum, tenetur recipiens de dolo, & culpa lata, leui, & leuissima: quia in talibus debuit adhibere curam talem, qualem in rebus suis, nec hoc sufficit, si res potuit diligentius custodiri: quia tenetur eam negligentiam cauere in custodienda re sibi commodata, quã diligẽtissimi solent vitare. De casu autem fortuitu, quia, & a diligentissimo nequit caueri commodatarius non tenetur.

Sed quid si commodatarius recipit rem commodatam gratia commodantis tantum. v. g. commodaui tibi vestes polchras, vt honoris mei gratia honoratior ad me venires comitandum in festo? Dico quod in hoc casu commodatarius recipiens huiusmodi vestes, si pereant, vel deteriorentur solum, tenetur de dolo tantum, sed quia etiam lata culpa æquiparatur dolo, vt habetur. l. quod Nerua. ff. deposit. vbi dicitur, quod lata culpa est, si minor cura alienis rebus adhibeatur, quam proprijs. Ideo cum Host. tenendum est, *Hostiensis.*
quod etiam in isto casu, vbi commodatarius tenetur solum de dolo, quia tantum gratia commodantis recepit, tenetur etiam de lata culpa, & non vltra. Sed quid si cõmodatarius recipit rem commodatam gratia vtriusque? vt si quis accipiat vasa argentea, & similia ad honorifice recipiendum aliquem amicum, vel dominum communem, dico quod tunc tenetur recipiens de dolo, & lata culpa, & leui, sed non de leuissima secundum Hostien. quidquid dicat Sotus. *Hostiensis. Sotus.*

Dico secundo, quod est iniustitia ex parte commodatarij si præcessit mora, & res commodata facta sit deterior, aut perijt, aliter quam perijsset apud commodantem, vt quia tẽpore debito, non restituisti rem cõmodatam perijt, tibi imputabitur ad restitutionem; dixi si perijt aliter, quam perijsset apud commodantem; quoniam in conscientia, quando equus commodatus, si debito tempore fuisset restitutus, eũ dominus non vendidisset, neque ea eo aliquid lucratus fuisset; sed eodem modo apud eum erat periturus, vt apud commodatarium morosum, perijt secundum nobiles auctores ex æquitate, tunc commodatarius non est obligandus ad aliquid domino equi restituendum, postquã re vera in hoc casu non apparet recepisse damnum ex mora.

Dico tertio quod est iniustitia ex parte commodatarij si in alium vsum, quam concessum commodato vtitur. v. g. accipiens equum vt Florentiam eat, si eo equitans pergit Bononiam, atque adeo eo expoliatus est a latronibus, in viroque foro tenetur restituere equum; si in hoc euentu locum non habeat Nauar. lib. manual. c. 17. num. 183. nempe, quod si *Nauar.*
ad alium vsum, siue ad aliud iter commodatarius vsus est equo commodato, saltem in foro conscientiæ equum, seu commodatum restituere non tenetur. quando sic perijt vel deteriorari contingit alio vsu, si certum est eodem modo periturum, aut deterioratum iri, si tempore competenti cõmodanti restitutus fuit, quia non tenetur tunc restituere nisi id, quod commodantis interfuit ob moram sibi restituendi commodatum a se equum, vt docet etiam Angelus verbo *Angelus.*
commodatum. §. 14. Pro explicatiori tamen huius dicti intelligentia obseruo, quod licet ita sit, quod vtens commodato ad alium vsum, aut vltra tempus signatum a commodante, cum notabili damno commodantis, teneatur id damni, & rem simul, restituere, quamuis deterior fieret casu fortuito: quia furtum committit, & quia omnis fur est in mora in re furtiua, & casus fortuitus ei, qui est in mora, nocet; nihilominus hoc non obstante commodatarius non est dicendus peccare, neque esse fur; si alio vsu re cõmodata sit vsus, vel vltra tempus illam detenuit, si probabiliter credidit eum, qui commodauit contentum fore eo, quod ipse fecisset, atque adeo illud fecit. l. qui rem. ff. de furtis, peccat tamẽ commodatarius, qui rem sibi commodatam cũ Domini dãno notabili alteri commodat. l. qui vas. §. si ergo. ff. de furtis.

Dico quarto quod est iniustitia ex parte commodatarij, si misit commodatum per nuntium non habitum pro fideli, & amittitur dolo, aut culpa eius, & non vult soluere. arg. c. significante. de pignoribus; sed non, si misit per nuntium communiter pro fideli habitum. l. qui argentum. ff. cõmod. & Bart. in l. eum qui. ff. commod. quia ea, quæ pereunt regulariter suo domino pereunt, & quæ commodantur pignorãtur, deponuntur, locantur, vt sunt domus, bestiæ, & similia, quorum dominium non transit in accipientem, manẽt, & sunt eorum, qui commodant, pignorant, deponunt, aut locant, atque ita quomodocunque pereant, nisi dolus, pactum, culpa, aut mora præcedat, quorum nihil interuenit in missione rei cõmodatæ per nuntium cõmuniter ad illã ferẽ dã pro fideli habitũ. Quãuis contrariũ sit dicendũ de rebus

mutua-

mutuatis, puta pecunia numerata, pane, vino, oleo, & id genus alijs, quæ vsu consumuntur: quia dominium eorum transit in accipientem; atque adeo licet per nuntium fidelem, & diligentem mittantur, si actu non peruenerint ad eos, quibus mittuntur, & nuntius non fuit electus per eos, non liberatur mittens iuxta communem. in l. incendium. C. si cer. pet. & l. quod te. ff. eo. & d. c. significante.

Dico quinto quod ex parte Commodatarij iniustitia est, si rem sibi commodatā non vult restituere nisi solutis prius impensis, quas ipso iure facere tenetur, vel eam vult retinere pro recompensatione debiti non liquidi. Dixi pro expensis, quas ipso iure facere tenetur, quales sunt victus, & curationis exigui pretij: quia si commodatarius facit aliquam expensam notabilem necessariam, puta in medicinis equi commodati, potest repetere a Domino, nisi hoc fuit ex eius culpa, atque adeo in pignus magnarum expensarum in eius curatione ab aliquo morbo, aut inuestigationem eius, aut in alia similia factarum, equus commodatus a commodatario retineri potest. Dixi debiti non liquidi. quia licet. l. vlt. ff. eodem significetur commodatum ratione recompensationis prætextu alicuius debiti etiam liquidi non posse retineri, tamen Panor. c. bona fides, de depositis, & Glossa in d. l. fin. vbi debitum est liquidum contrarium tenent. Quibus accedit Nauar. c. 17. num. 186. vbi ait esse communem scilicet commodatum pro compensatione alterius debiti liquidi a commodatario retineri posse, vt est arg. a contrario. l. fin. C. de compensationibus, & c. 2. de depositis, & hoc in conscientia.

Panormit. *Glossa.* *Nauarrus.*

Dico sexto quod est iniustitia ex parte commodantis, si commodatum ante tempus constitutum a commodatario contra eius voluntatem, & cum eius damno notabili repetit cum obligatione restituendi. l. in commodato. §. sicut. ff. commod. & c. nisi commodans tantundem damni pateretur, si non repeteret, secundum Angelum verbo commod. §. 4. & commodatarius sibi alias etiam prouidere non potuisset: quia potius ex re mea debeo mihi consulere, nec commodatarius potest dici deceptus, ex quo alias etiam sibi prouidere non potuisset, consentit Syluest. Cæterum Nauar. c. 17. num. 182. indistinctè tenet (discedens ab Angelo, & Syluest.) quod in vtroque foro, etiam si commodans tantundem damni patiatur, si non repetat, ante tempus non potest repetere, & repetens peccat, quod apparentibus probat rationibus. primo quia tex. indistinctè loquitur. in. c. 1. de commod. & in. l. in rebus, quod ante tempus nullo modo potest repetere. Secundo quia nulla ratio in vno foro potius, quam in alio concludit commodatum ante tempus posse repeti. Tertio quia licet quis cæteris paribus sibi magis, quam alteri obligetur iuxta cap. si non licet. 23. q. 5. tamen in proposito cætera non sunt paria; quia commodans sua voluntate propriæ rei vsum alteri concessit, & suam fidem seruare tenetur. l. r. ff. de pact. & c. qualiter. eodem titulo.

Angelus.

Syluest. *Nauar.*

Verum licet sent. Nauar. bonis rationibus nitatur, quicquid sit de foro exteriori; quia in eo iuxta illud iudicabitur, tamen in foro conscientiæ sic censeo tenendum; quod commodans tantundem damnum passurus si non reuocet, potest non obstante damno, tanto etiam commodatario obuenienti ex reuocatione commodatum reuocare non potest semper, sed quando tali commodatario, & tali tempore commodauit, quod commodatarius non potuit sibi aliunde prouidere, neque aliunde suo luburere damno: quia tamen non sunt hic cætera paria: quia alias tunc commodatarius erat illud damnum necessario passurus; atque ita commodans ex suo beneficio non debet damnum reportare, reportaret autem si non repeteret. sicut locans dominium potest expellere inquilinum si ea summe postea indigeat, vel reparatione opus habeat, & sicut donatio causa mortis reuocatur, quando posthumus nascitur in eo, quod ei officit, quia præsumitur de eo non fuisse cogitatum. dicitur autem Posthumus qui natus est post quam sepultus est pater, vel etiam similitudine quadam, vt dicit Acursius, qui post conditum testamentum natus est. Ita quia in isto casu commodans non cogitauit de sibi obuenturo damno, illo obueniente in conscientia potest commodatum reuocare, quando commodatarius aliunde sibi prouidere a principio non potuisset, vt optime dixit Angelus. sententia autem Nauar. solum videtur vera in casu, quo commodatarius sic iste commodans ei non commodasset a principio poterat sibi aliter prouidere, & verisimiliter sibi aliter prouidisset: quia tunc commodans ante tempus repetens, etiam si tantum damni patiatur, tenetur restituere damnum, ex restitutione prouueniens commodatario; quia quod in alterius fauorem inductum est, cuiusmodi est commodatum, non debet in eius dispendium retorqueri idest in dispendium commodatarij.

Posthumus quid sit.

Acursius.

ARTICVLVS III.

Vtrum in ludo alearum, vel taxillorum transferatur dominium.

TRactans Doc. noster Sub. de iniustitia, quæ interuenire potest in contractu permutationis, vt pote si intercedat fraus in substantia, vel quantitate, vel qualitate, vel prohibitio superioris, vel legis; concludit, quod potest dici iniusta commutatio ea, quæ fit in ludis alearum & huiusmodi; Ideo necesse est hic explicare an acquisita per ludum sint restitutioni obnoxia. Pro cuius elucidatione obser. est primo quod duobus modis ludus vsurpari potest, vno late pro dictis, & factis ad oblectationem animi accipiendam ordinatis; & quidam quando dictis exercetur pellatur iocus, si autem fiat factis ludus appellatur, & si consentanea ad rectam rationem, & debitis seruatis circumstantijs fiat, est actus virtutis. quam Arist. 4. Ethic. c. 8. in antiqua versione Eutrapeliam appellat, hoc est vrbanitatem. D. vero Thomas. 2. 2. q. 168. artic. 2. in arg. sed contra ait, nos posse eam iucunditatē nuncupari. Et quoniam omnis virtus moralis inter duo vitia extrema excessus, & defectus interiacet, ita hæc media inter excessiue inordinatum ludendi, & inter defectum inordinatum ab eo abstinendi vt d. q. 168. art. 2. & 3. probat. S. Thomas. longe tamen frequentius peccatur per excessum, quam defectum: quia ludo & ioco eque parce condienda est vita, ac sale cibi iuxta Ciceronem primo de officijs. euenit tamen potest, vt etiam per defectum peccetur, tametsi raro id accidat, qui autem per defectum, durus, & agrestis ab Arist. 4. Ethic. c. 8 appellatur.

Ludus sumitur duobus modis.

D. Thomas.

Cicero.

Altero modo sumitur ludus pressius, vt adiunctam habet conuentionem, qua ludentes successiui ludi interesse aliquod exponunt, quod iuxta leges, & varium ludendi euentum vnus amittat, & alter acquirat. Hæc autem conuentio interdum coniungitur, ludo chartarum, tesserarum, seu taxillorum, vel tabularum, Astiludo, ludo pilæ, scaccorum, & interdum alijs ludis; & ludus in hac significatione admixtus videtur cum contractu quodam innominato; quo vnus ludentium iuxta leges, ac ancipitem ludi euentum periculo exponit interesse aliquod in alterius commodum, & alter simili modo in illius commodum interesse aliud exponat, atque ex industria ludentium cooperantium ad eundem ludi euentum iuxta maiorem, aut minorem peritiam, ac dexteritatem cuiuscunque ipsorum, siue simul ludi oblectationem, quatenus ludus est, intendant, siue non.

Ludus habet conuentionem adiunctam.

Secundo obseruandum est secundum Angelum verbo ludus, quod triplex est ludus, scilicet spiritualis, & diuinus, & est ille, qui prouenit ex magna mentis deuotione, de quo dicitur in Psal. Omnes gentes plaudite manibus &c. quem exercuit Dauid, quando ante Arcam Domini saltabat. 2. Reg. & iste est sanctus & studiosus. potest etiam hoc ludi genus appellari ludus charitans, & innocentiæ: quia amor, & innocentia, quandoque hominem mouent ad libentee ludendum; ludimus nanque cum re, quam diligimus, & quam reputamus innocentem, vt patet; quia homo ludit libenter cum pueo, & cum catulo iuuenculo; solent enim hæc animalia lubentius ludere, & propter puritatem sanguinis, qui in eis viget, frequentius exultare; sic etiam iusti propter vitæ puritatem, interdum exultant, ludunt, & lætantur. ludus etiam est actus lætitiæ per gestus, & motum membrorum exterius declaratus, & ad complacentiam tam videntium, quam facientium ordinatus. Et ab isto bono ludo peruenitur ad ludum fœlicitatis, & complacentiæ, & hoc est solatium, & lætitia Beatorum, qui coram Domino dicuntur ludere, hoc est perpetuo gaudere, & consolari. Vnde quilibet beatorum potest dicere illud Prouer. 8. ludens coram eo omni tempore &c. & Hiere. 30. egredietur de eis laus, voxque ludentium.

Ludus est triplex Angelus *Ludus spiritualis.*

Ludus humanus est multiplex. Secundus ludus appellatur humanus, qui fit ad oblectationem suam, vel aliorum eius virtutis exercendæ, & iste aliquando dicitur Theatralis a loco apto ad Theorandum, hoc est ad spectandum. Aliquando laruatis, quæ laruæ sunt deformitates hominum, per appositionem colorum, vel rerum, quæ vulgo dicuntur Mascharæ. Interdum histrionalis, in quo quis de persona fua facit ludum, qui vulgariter dicitur Comœdia, Tragœdia, & similia. Alius illorū qui ludit alle Bagattelle, quæ sunt rerum honestarum demonstrationes. Alius hastiludialis, in quo luditur cum hastis idest lanceis, qui dicitur vulgo giostra. Alius torneamentorum, qui hodie non est in vsu, in quo quidam includebant se in quodam circuitu ad pugandum, quidam pilealis, balistalis, faltalis, saccalis, correalis, & huiusmodi, qui habent nomina ab eo in quo exercentur, quæ pluta sunt, quam vocabula. l. natura, ff. de præscrip. verborum.

Ludus diabolicus est triplex. Tertius ludus dicitur diabolicus, qui operatione diaboli ca est inuentus ad inducendum homines ad peccatum, & est triplex. Primus consistit in ludibriis, quæ ludibria aliquādo sunt derisio proximi, & est cum aliquis malū alicuius personæ, vel defectum in ludum, vel risum ponit, vt erubescat, & verecundetur, vt dicit. *D. Thomas.* D. Thom. 2. 2. q. 75. Interdum vero sunt ea, per quæ merito quis venit in derisum, vt sunt rerū inhonestarū demonstrationes, & talis ludus omnibus prohibitus est tam exercere, quam videre. Secundus ludus dicitur ludus aleæ, & sub isto comprehenditur omnis ludus, qui innititur solum fortunæ, vt ludus chartarum, taxillorum, & huiusmodi. Tertius ludus dicitur mixtus, quia partim innititur fortunæ, partim industriæ, vt ludus tabularum, qui fit ad iactum taxillorum in ducendis tabulis: quia quantum ad proiectionem taxillorum innititur fortunæ; quantum vero ad tabulas ducendas innititur ingenio.

An ludentibus competat repetitio. Tertio obiicitur, quod solutio huius quæst. pendet ex altera, nimirum, An repetitio competat illis, qui ludunt ludis lege prohibitis, vt sunt ludi, qui fortunæ innituntur, vt patet. ff. de Aleato. per totum, & in Auth. in Authen. de Sanct. Epis. §. interdicimus, & in Auth. alearum vsus. C. de relig. sum p. fu. & in c. Episcopus. 35. d. Ad quam respondent aliqui, quod pecunia sic perdita non debet repeti, nec conuenit repetitio amittenti, sed debet erogari Ecclesiæ, vel pauperibus, arg. adhoc habetur. 14. q. 5. c. non sane; quia enim turpis est, tamē melior est conditio possidentis. Alij dicunt quod huiusmodi pecunia potest repeti, & quod competit repetitio illi, qui amittit: dicunt enim quod licet translatum fit dominiū, tamen competit repetitio, sicut competit repetitio vbi transfertur dominium per metum, vt clare habetur. ff. quod metus causa. Vnde in constitutione de Græco in Latinū translata habetur, quod vsque ad triginta annos competit repetitio illi, qui aliquid amiserit in alea.

Ludis prohibitis duobus modis potest quis ludere. Postremo obiicitur, quod aliquis potest duobus modis his ludis prohibitis ludere, quia vel ludit voluntarius motu cupiditatis, vel libidinis lucrandi, vel ludit coactus, vt potest inductus a timore, siue timet, siue reueretur, vel est inductus precum importunitate. Si priori modo, hoc potest bifariam accidere, quia vel ludens est dominus pecuniæ, quam ludo exponit, vel non; vt sunt minores, pupilli, seruj, Religiosi, atque ita de his similibus. His obseruatis.

D. Bonau. Quoad hanc quæst. est duplex opinio. prima est D. Bonau. in 4. d. 15. p. 2. art. 2. q. 1. vbi ait Aleatorem non comparare dominium eorum, quæ ludo acquirit, sed teneri ea restituere illi, a quo lucratus est, vel pauperibus, si ille alius ad ludendum illum induxit. Cuius ratio est: quia aleator est possessor malæ fidei, & iniusto possidet titulo; atque adeo nullo modo potest, nec debet, sibi retinere, quod lucratus est, cum talis ludus sit turpis, & reprobatus, & contra Deū, & contra omnia iura. Iniustus autem titulus pro non titulo est habendus, & malæ fidei possessor dicitur, qui contra legem interdicta mercatur. Idem diceret de acquisitis quocūque alio titulo seu ludo prohibito, si quidem id expresse affirmat de acquisitis in torneamentis iure prohibitis. Eamdem sententiam amplectuntur plurimi ex iuris canonici interpretibus, tam eis in conueniant, num restitutio facienda sit pauperibus, aut ei qui ludo id amisit.

D. Thomas. Paludanus. In eadem sent. est D. Thomas. in. 4. d. 15. q. 2. art. 4. q. vlt. ad 2. & 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. & Palud. in. 4. d. 15. q. 3. artic. 5. concl. 2. sic ait. Videtur vt ius quod qui lucratus est, nunquam possit sibi retinere: quia turpis quæstus est, & contra rationem, nisi esset ludus rationabilis ad exercitium virium, & fructuosis alias non prohibitus, sicut in his, qui in stadio currunt, & huiusmodi, quo agiliores, & fortiores fiant. Vnde David. 2. Reg. 1. voluit filios Israel discere arcum; sed nulla ratio est in ludo alearum, & taxillorum, & scaccorū, & huiusmodi ociosis lucrari quicquam vnde sibi retinere non potest. Sed de iure naturali ille, qui consentit in ludum, & sic voluntarie perdidit non tenetur restituere si pares sunt in turpitudine, vt quia nullus traxit alium: quia in pari casu turpitudinis melior est conditio possidentis, & multo magis si alius sit in causa; si autem ex parte istius fit dolus, quia cupiditate lucri induxit alium, aut fraudulenter, & contra aliorem ludi fecit, in quo casu contra voluntatem domini simpliciter tulit, tenetur restituere iure naturali; alias non ei tenetur nisi iure ciuili. C. de relig. sump. sed hoc non ligat in foro conscientiæ, quousque homini sit condemnatus; si autem plus perdidit, vel tantum, quantum lucratus est, videtur nihilominus, quod restituere tenetur: quia mox vt lucratus fuit pauperum debitor fuit, a quo debito non liberatur nisi soluat, & si idem illud perdidit culpa sua fuit. Hactenus Paludanus.

Ricardus item in 4. eadem. d. quæst. vlt. totius dist. affirmat sententiam relatam D. Bonau. & aliorum esse communiorem, & securiorem, & in eam propendet: quam nonnulli alij etiam sequuntur. Et potest hæc sententia confirmari: quoniam non solum aleatum ludus prohibitus est, sed acquisitio ludi per talem ludum, & per consequens acquisita retineri non possunt: nam illicite acquiruntur, quæ contra legis prohibitionem acquiruntur, & quando lex prohibuit ne dum causam lucri, sed etiam ipsum lucrum, impossibile est, quod acquisitum detineatur, eo enim ipso lucrator efficitur iniusti tituli, & malæ fidei possessor, & lucrum ne dum est turpe, sed etiam iniquum, vt docet. D. Thomas. in. 4. d. 15. q. 8. art. 2. antecedens patet, quia constitutio græca supra allegata cōcedit repetitionē, vsque ad 30. vel secundum alios. 50. annos; sed non potest repeti secundum tus ab aliquo, quod ille non tenetur dare, vel restituere, ergo &c. Item Episcopus auxilio Præsidis potest talia lucra, si non repetuntur ab his, qui amiserunt, exigere, & pauperibus erogate, vt dixit text. in Auth. alearum lusus, atque adeo videtur, quod talia lucra sint pauperum. *Ricardus.* *D. Thomas.*

Secunda opinio est Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. artic. 3. §. sexto. vbi dicit. Aleatores nisi fraudes immisceant in ludis suis non tenentur destricto iure ad restitutionem. Pactum enim interuenit inter partes, quod vtrique parti placet, & obligatio conditi, vnde secundum pactum illud, & obligationem conditi, nec ille qui amisit de iure potest repetere, nec ille qui lucratus est tenetur restituere. Idem affirmat in eadem. p. q. 33. in 2. artic. 5. quem sequuntur Adrianus de rest. q. de ludo. Maior in. 4. d. 15. q. 13. Gabr. eadem. d. & q. Medina de rest. q. 22. Sotus 4. de iust. q. 5. art. 2. Alphonsus a Castro. 2. de leg. pœnali. c. 2. cutel. 3. Couar. regula peccatum. p. 2. §. 4. a num. 1. Nauar. c. 19. num. 19. quæ sententia est hodie communis inter Doctores: quæ ita persuaderi potest. Ludus est contractus iustus stando in iure naturali, ac proinde dominij translatiuus in lucrantem eius rei, quæ eo perditur, si accedat illius traditio, alioquin comparat solum ius ad rem, insurgitque obligatio in foro conscientiæ eam tradendi, non secus atque hæc omnia vim similem habent ex quocumque alio iusto contractu, ergo &c. Et confirmatur: quia si acquisita per ludum essent obnoxia restitutioni, & ex prouenirent, quod ludus contractus iustitia sed hoc est falsum, ergo &c. maior patet, & minor probatur: quia absolute loquendo nullius iustitia violatur ex hoc, quod duo domini rerum suarum libere exponunt illas damno, vel lucro per viam ludi: quia scienti, & volenti libere in his, quorum est pro sua voluntate Dominus non fit iniuria. sed vterque scilicet colludentes, scium, & volunt pecuniam suam, cuius sunt libere pro sua voluntaria dispositione dominatali lucro, vel damno per talem viam idest ludi exponere, ergo per ludum non contrariatur iustitiæ, atque adeo non insurgit restitutionis obligatio. *Alex. de Ales.* *Adrianus. Maior. Gabriel. Medina. Sotus Castro. Couar. Nauar.*

Cæterum vt plenior de hac re grauissima, habeatur notitia, sequentes conclusiones obseruandæ sunt. Prima conclusio. Lucrans pecuniam, vel æstimabile pecunia in ludo aleatum iure diuino, vel naturali ad aliquam horum restitutionem non astringitur; patet quia talis pecunia acquisita ludo inuito domino non retinetur: quia postquam eam amittens voluit lucrari etiam, vt æqua esset sors, se voluit

luit exponere periculo perdendi, & soluendi: nam in vtranque fortunæ aleam se exponit, ergo lucrans iuste retinet.

Secunda conclusio. Qui alium vi, vel fraude vel importunis precibus, alias non lusurum, neq. paratum ludere attraxerit, si quid lucratus sit ab hoc inuito ad ludendum tracto, ei restituere tenetur. Non solum autem vi pertractus dicitur ad ludum, qui pugione sibi ad pectus applicato cogitur ludere, sed etiam qui per verba sibi dicta taliter instigatur ad ludum, quod suffunditur pudore nisi ludat: quia eum prouocantes vili eius conditioni, & agresti, eiusque miseriæ tribuunt, quod nolit ludere hoc ei improperantes. hæc conclusio est Alex. de Ales.p.4.q.33. loco supra relato, D.Thomæ.2.2.q.32. art.1. ad 2.D.Bona. loco supra citato, & Caiet.2.2.q.32 art.7. Qui distinguit duobus modis posse vnum trahere alium ad ludum. priori modo ita, vt attractio inuoluntarium mixte cum attracti iniuria efficiat, vt si consiliis, minis, aliqua vi &c. altero modo precibus, quæ iniuriam non inferant, neque inuoluntarium mixte efficiant, & in priori sensu intelligenda est conclusio; quoniam eo euentu sic attractus quicquid perdit inuitus amittit.

Alex. de Ales. D.Thomas. D.Bonau. Caiet.

Tertia conclusio, probabilis est opinio affirmans attrahẽtem ad ludum inuoluntarie mixte, modo explicato non teneri restituere totum, quod fuerit lucratus, sed solum partẽ maiorem, vel minorem prudentis arbitrio, attenta quantitate iniuriæ, & aliis circumstantiis concurrentibus; immo si solum interuenit iniuria; quia alioquin lucrari poterat, & perdere, ac proinde contractus erat iustus, arbitratur ad nullam teneri restitutionem. Et ratio est: quoniam ratione iniuriæ præcise a damno dato nulla debetur restitutio, sed iniuriæ præcise a damno solum respondet pœna, quæ ante latam sententiam non debetur. Et confirmatur; quoniam ita inuoluntario mixte ad ludum attractus, non tenetur secundum probabilem opinionem restituere attrahenti, si quid eo ludo fuerit ab eo lucratus, ergo contractus non fuit nullus, alioquin si nullus fuisset, quemadmodum attrahens restituere tenetur totum lucrum si lucratur, ita attractus restituere teneretur totum lucrum, quippe ex contractu nullo, neque dominium, neque ius vllum comparatur. Si ergo contractus in se iustus fuit, & æqualis: quia attentis circumstantiis concurrentibus, æque vterque lucrari, & amittere poterat, sane sicut consensus ille, sufficiens fuit, vt contractus ille validus esset ex parte attracti, ita fuit sufficiens vt esset validus ex parte attrahentis. Consensus quippe inuoluntarius mixte simpliciter est voluntarius, & secundum quid inuoluntarius, vt Aristot.3. Ethi.c.1. & Doctores omnes affirmant; hæc conclusio videtur esse Adriani.de rest.quæst. de ludo.

Arist. Adrianus.

Quarta conclusio. Probabilis est etiam opinio Alcoceri, Victoriæ, & Bannes, quod timore, & rubore tractus ad ludum, quia miseriæ, & vilitati sibi tribuitur, quod noluit ludere, non potest quidquam in ludo ab aduersario lucrari, quam conclusionem sufficienter probant hac ratione, quia æqua debet esse conditio ludi; atque adeo si non potest sic pertractus perdere, ergo neque potest acquirere lucrum: nam iuxta regulam iuris, qui sentire debet commodum, debet sentire & onus.

Alcocerus. Victoria. Bannes.

Quinta conclusio probabilior est & securior opinio opposita, scilicet, qui talis sic timore, vel rubore ad ludendum tractus, licet non possit perdere, potest tamen quæ ipse lucri fecerit bona conscientia retinere. Hæc est Ioan. Medinæ de rest.q.22.& doctissimi fratris Gasparis de Vzeda prælectoris Salamticensis apud S.Fran. cui adhærere videtur Angles in suis floribus.q.de ludi rest.dub.5. Qui licet primam Victoriæ non refutet, istam tamen vltimo loco ponit. Et probatur conclusio, primo ratione Medinæ. Quia scienti, & volenti non fit iniuria, sed qui pertrahit, vi, timore, fraude, importunitate alium ad ludum, sciens, & volens vult soluere a se perdita, ergo ei aliter illa accipiendo, & retinendo non facit iniuriam. Secundo patet quia contractus minoris secundum iura sine auctoritate curatoris, aut tutoris initus valet, quatenus redundat in minoris, seu pupilli commodum; ergo pari ratione contractus ludi poterit valere quãtum ad lucrum, quod inde vi attractus ad illum reportat, & non quantum ad iacturam si in illo aliquid perdiderit. Tertio, quia illa translatio lucri in sic vi pertractum nulla lege præpeditur. Quarto, quia vi pertrahens alium ad ludum, ipse liber ad ludum accessit, ergo translatio in ludo per illũ

Ioan. Medi. Gaspar. Angles.

facta valebit. Quinto, quia vtens certis falsis in ludo non potest lucrari a collusore, tamen collusor bene potest lucrari ab eo, sic in proposito contingit idem, vel simile.

Sexta conclusio. Quando ludens non est dominus pecuniæ amissæ alter, qui lucratus est, tenetur eam in conscientia restituere domino illius pecuniæ proprio, vel eius ex lege administratori, si sit pecunia pupilli, vel minoris. Hinc sequitur, qui lucratur a filiofamilias, qui est in potestate patris tenetur restituere: quia non est dominus pecuniæ amissæ, nisi sit parua quantitas pecuniæ deperditæ, vel habeat patrem diuitem, vel de voluntate patris luserit: nam licet non consenserit, consentire tamen tenetur, vel nisi sint bona castrensia, vel quasi castrensia; nam eorum dominium habet. Hinc qui lucratur pecuniam a seruo, siue a religioso est quoque restitutioni obnoxius: quia nullus istorum dominium bonorum habet, quod autem dictum est de seruo intelligẽdum est de eo, qui non est bello captus: Nam is, si quid dono susceperit, vel hæreditario iure, vel licito modo lucratus fuerit, non tenetur domino suo in conscientia exhibere; atque adeo si peculium hæreditario iure, vel dono acceptum ludo exponens, aliquid a potente perdere lucratus fuerit, sicut id lucri domino restituere non tenetur; ita neque perdenti.

Septima conclusio. Si ludens habet dominium bonorũ, est tamen eorum administratio sibi interdicta, non potest in ludo pecuniam amittere, & qui lucratur ad restitutionem tenetur: ratio est, quia non valet donatio, seu alienatio ab illo, per quemcumque alium contractum facta, ergo nec valebit alienatio facta per ludum.

Ex quo sequitur primo, quod qui a minore existente sub tutore, aut curatore lucratur ad restitutionem tenetur. Perinde, qui lucratur a coniugata: quia non habet administrationem bonorum sibi, & marito communium; neque etiam dotis. Ratio est: quia lex prohibet alienationem per istas personas factam, nisi mediante auctoritate superioris, curatoris, scilicet, vel tutoris, aut mariti fiat alienatio. Et hoc est intelligendum nisi paruitas materiæ excuset, aut mulier vltra dotem habeat aliquorum bonorum administrationem: illa enim in ludo amittere poterit.

Secundo sequitur, quod Religiosi studentes, sicut nõ possunt alienare bona ratione alimenti data; ita neque inter ludendum amittere: quia cum prohibitum sit Clericis, & Religiosis aleis ludere; neque talis ludus scandalo carere soleat, non videtur Prælatus in talem ludum consentire: neq. enim exinde Religiosus animi relaxationem debet quærere ex aleis præsertim pecuniam ludendo, sed aliunde, nisi vt ait Barthol. Med. in Instruct. Confess. causa recreationis modicum quid ludat, puta duos argenteos: nam tunc hoc Religioso absenti a monasterio secluso scandalo non erit illicitũ, nisi sit ex fratribus minoribus. Idem dicendum est si habuerit a Prælato facultatem donandi certam pecuniæ, aut rerum quantitatem, aut expendendi pecuniam in vsus sibi placentes: nam tunc (quicquid sit de peccato) per ludum in aliũ pecuniam illam transferre potuit; atque adeo collusor, qui ab eiusmodi Religioso ludo eam pecuniam acquisiuit, licite sibi retinet, eamque restituere non tenetur. Nam postquam iam ex licentia Prælati alienanda erat, & poterat alienari in alios placentes vsus, iam conuentus inde nihil detrimenti videtur capere. Quod tamen intelligas nisi prælatus licentia subdito restringat ad vsus tantum licitus; nam tunc cum eo colludens, & eam pecuniam lucrifaciens ab ea restituenda non excusatur: quoniam si Prælatus sciret in vsus illicitos talem pecuniam fore profundendam, talem licentiam non impertiret, immo ideo eam ad vsus licitos restringit espresse.

Medina.

Octaua conclusio. Quando minor, aut filius familias ludit cum alio collusore ignorante eum esse minorem, aut eũ esse filiumfamilias, tũc talis minor, aut filiusfamilias, si quid ab hoc ignorante lucratus fuerit in ludo, tenetur id tali collusori perdenti restituere, & multo magis si decipit illum dicens se esse sui iuris. hæc concl. est Gabr. & Syluest. contra Castrum, probatur: quia non est æqua conditio ludi, & quia est interueniens error, ex quo talis ludi sic, quod secundum Nauar. si perdit mille soluet mille minori lucranti; & tamẽ si lucretur ab illo mille, non poterit ex tali lucro nisi quinq. reportare, quæ tantum minor poterat ludere. Dixi cum collusore ignorante; quia si collusor volens, ac lubens ad ludendum cum prohibito accesserit, non tenetur minor, aut filiusfa-

Gabriel. Syluester. Castro. Nauar.

filius familias id, quod lucratur a collusore restituere, quia volenti, & consentienti non fit iniuria, tum etiam quia filiusfamilias non prohibetur dominium acquirere.

Nona conclusio. Minor, seu filiusfamilias, qui v.g. ex censensu interpretatiuo patris non potest quotannis nisi quatuor, aut quinque aureos ex centum sibi in studio versanti missis a parte pro alimentis annualibus, si illos quinque aureos, quos licite ludo exponere potuit simul, & semel sic aleę exposuit, dicendo se exponere totum suum capitale, cum illis quinque aureis sic expositis aleæ, potest a consociis lusoribus singulis simul ludentibus lucrari & alios quinque aureos sine obligatione restituendi. hæc conclusio est Medinæ loco supra citato, quæ clara est: quia hic iam interuenit æqualis conditio ludentium, quia tantundem iste filiusfamilias lucratus est, sicut licite, & in ludo amittere potest.

Medina.

Decima conclusio. Probabilis valde est opinio, quæ affirmat minorem, seu filiumfamilias posse a collusore lucrari, plusquam collusor ab ipso: maxime quando non decipit ipsum. hæc concl. est Nauar. Barth. Medinæ locis supra citatis, estque contra Ioan. Med. & Sotum. Tum quia communior est, tum quia non est textus, neque ratio, quæ concludat pauperem aliquem honesto loco natum, & etiam plebeium, & mendicum non posse amplius lucrari a diuite, quam diues possit lucrari ab ipso. tum quia probant contractum cum pupillo, aut Ecclesia factum valere in alterius præiudicium, quamuis in totum non valeat, facit c. si qua de rebus 12. q. 2. & §. pupillus Instit. de inutil. stip. tum quia iniuriam pati potest, qui eam facere nequit; tum quia amissa facultate faciendi, & perdendi; facultas lucrandi non amittitur. l. illud. ff. de iniur. ac demum probatur: quia cum duobus aureis, quos v.g. minor licite potest perdere, potest vna manu, vel vna vice lucrari duos alios aureos, igitur cũ iam quatuor sibi suppetant aurei, quos videtur posse perdere, poterit cum eis & alios quatuor lucrifacere, & sic de singulis, ergo poterit ille minor plus lucrari, quam a principio potuit perdere.

Nauar. Medina. Ioan. Medi. Sotus.

Quamuis opinio Soti inquit Nauar. vera sit in eo, qui falso dicendo se facultatem habere donandi, & perdendi allicit alium ad lusum. Et addit, quod vera est etiam sententia Soti si filius, vel minor plus vno iactu lucraretur ab vnoquoque colludentium, quam ipse eo iactu posset alienare: nam tunc restituere tenetur colludentibus incrementum; quoniam quoad incrementum contractus esset inæqualis, & inualidus.

Vndecima conclusio. Si quis cum fure, depositario, aut vsurario ludat, ac lucretur ab illis rem, cuius dominium ad ipsos non attinebat, neque facultatem a domino illius habebant, ita illam alienandi, tenetur eam restituere proprio domino eo ipso, quod sciuit esse alienam, essetque in mora eum, qui illam ludo perdidit ipsam restituendi vero domino. Ratio est, quoniam esto bona fide sit quis eam lucratus, arbitratus colludentem posse illam eo modo alienare, nihilominus, ad restitutionem illius, ratione rei acceptę, tenetur. Cæterum tunc qui illam ludo perdidit tenetur restituere lucranti valorem illius; quoniam contractus ille ludi validus fuit in foro conscientiæ; atque adeo vsurarius, fur, & depositarius tenetur in foro conscientiæ de euictione rei, quam ita ludo perdiderunt.

Duodecima conclusio fur, vsurarius, aut depositarius, si quid ludo lucrati sunt, dominium comparant illius, neque restituere id tenentur; esto pecunia, vel alia re aliena id lucrati sint: quia validus fuit ille ludi contractus. Obserua tamen, quod si quis ita re aliena luserunt, & lucrati sunt; non habebant vnde redderent valorem illius in euentu, quod perderent, & euinceretur, & eriperetur de potestate colludentis, vel in euentu, quod colludens sciens lucratum esse alienum sua sponte illud restitueret, vt teneretur. tunc cogendi sunt, qui ita re aliena luserunt restituere partem valoris, quod eo ludo compararent propter discrimen cui obiiciebant colludentem non potiendi lucro si ipse esset, qui lucraretur, atque maiorem, vel minorem partem lucri cogendi sunt restituere, prout maius, vel minus fuit discrimen, cui colludentem obiiciebant: quare si aperto discrimini obiiciebant colludentem, nihil omnino retinendi de lucro, cogendi essent restituere totum lucrum, quod eo ludo compararent. Obserua etiam, quando res furto fuisset sublata, & vterque ludentium id sciret, forte teneretur fur restituere, quicquid ea fuisset lucratus: quoniam contractus ludi tunc videretur esse ipso iure nullus: quemadmodum & contractus emptionis & venditionis eiusdem rei cum eadem scientia ex parte ementis, & vendentis; contractu autem ipso iure nullo nihil potest acquiri.

Decimatertia conclusio. Quando alter ludentium in ludo fraudem commisit, quicquid fraudulenter lucratus est restituere tenetur: Nam collusor intentionem transferendi dominium fraude interueniente nũquam habuit, & si fraudem nouisset ad ludum non accessisset. Committitur autem fraus quoties leges inter ludentes constitutæ non seruantur. Vnde iniusta deceptio, seu iniustus dolus, aut fraus interuenit, si is, qui alterum multum superat peritia ac dexteritate ludendi, itaque certum, aut fere certum est ipsum lucraturum, simulet se nescire ludere, vt ea ratione alium adducat ad ludendum secum; hic si lucretur restituere tenetur, quod fuerit lucratus, vel totum si nullo se periculo exposuit perdendi, vel partem si fere non se exposuit periculo perdendi, maiorem tamen, vel minorem, prout maiori, aut minori se exposuit periculo perdendi. Idem est si quis non simularet se nescire ludere, & cum eo luderet, quem sciret esse longe inferiorem se in peritia, & dexteritate ludendi, ita vt certam, aut fere certam haberet victoriã illo altero ignorante tantum excessum simili modo peccaret, & restituere teneretur. Ratio est quoniam ludi contractus, vt sit iustus, neque onus restituendi inducat, esse debet ęqualis moraliter loquendo vtrique colludentium, quod non cernitur in huiusmodi ludis. Si autem ambo collusores ante se nouerant, & imperitus perito dixerit Age quicquid a me lucratus fueris tibi dono, atque etiam si nihil dixerit; sed imperitior sciens & volens accedat ad ludum, non tenetur peritior ad restitutionem; quia scienti, & volenti non fit iniuria, cum ergo imperitior ludendi exploratum habuerit alterius excessum, & nihilominus voluerit ludere, amissaque soluere, ei non est facta iniuria. tum quia per hoc, quod sciẽs & volens accessit ad ludum, videtur renuntiasse legi æqualitatis peritiæ in ludo.

Qui per fraudem in ludo lucratur restituere tenetur.

Secundo iniusta deceptio, aut iniustus dolus, aut fraus interuenit, si quis lucretur suffurando chartam, aut signis notando chartas, vt id sciat, quod iuxta leges ludi deberet esse occultum, vel ludendo chartis, quas consuetudine a tergo cognoscit, cum alter id ignoraret, easque non agnoscat, vel arte alia, vel industria, ita componendo chartas, vt melior sors ludi ipsi obueniat, vel ludat aliquo sibi admonente de ludo aduersarij, vel socio aduersarij non adiuuante aduersarium, quantum potest, & tenetur: iuxta leges autem ludi socius tenetur adiuuare suum socium quantum potest, ludendo quã ta dexteritate potuerit, eumque admonendo de omnibus, de quibus expedit, vt admoneatur; & fas est iuxta leges ludi; alioquin ad restitutionem illi tenetur damni emergentis, & lucri cessantis, tam ipse, quam aduersarius, qui id sciens lusit.

Tertio deceptio, & fraus iniusta interuenit cum restituẽdi onere, si aduersarius lucratus est, & id non attendit, aut per obliuionem non petit, quod est lucratus, & ipse nõ admonet, & retinet; nisi forte consuetudo sit, vt id noceat non attendenti se esse lucratum, & non petenti, quod fuerat lucratus; semper enim ludi legibus, & consuetudinibus standum est. Porrò in his omnibus, & similibus aliis, onus incumbit restituendi, non solum quantum eiusmodi deceptionibus, ac fraudibus fuerat id lucratus, qui eas fecerit, sed etiam quantum fuerit compertum impediuisse, ne alius lucraretur. Si tamen dubium sit, quis fuerit lucraturus, si eiusmodi iniustæ fraudes non interuenissent, tunc restituere nõ teneretur, quod ita esset dubium, nisi forte probabilius esset aduersarium fuisse lucraturum; nam tunc pro quantitate illius maioris probabilitatis esset restituendum aliquid arbitrio prudentis, quatenus iniustum impedimentum fuit appositum, ne ex illa maiori probabilitate effectus iustus lucri sequeretur.

Obserua tamen, quod in ludo non censetur iniusta deceptio, iniustus dolus, vel fraus, quando vnus colludentium iuxta leges ludi vtrique communes, decipit alterum; atque adeo neque inde consurgit restituendi obligatio, quod per eam deceptionem, dolum, aut fraudem vnus lucratur ab alio. Hinc oritur nullum esse peccatum nullamque contrahere obligationem restituendi, qui omnino sciens se lucrari, eo quod primas partes ludi habet, quas vulgariter dicimus, la mano, & eam sortem ludi, qua nulla melior esse potest,

Deceptio iniusta, dolus, et fraus quando censentur esse in ludo.

rest, sponsionem auget, quod dicimus (inuitare, ò mettera del resto) id enim ei fas est iuxta leges ludi receptas: sicut idem fas esset alteri colludenti aduersus hunc, si sors ei eodem modo obtigisset.

Eodem modo, nec peccat, nec restituere tenetur, qui sciēs aut suspicatus se inferiores partes ludi habere sponsionem auget, quo alter deterritus ipsi concedat sponsionem factā vsque ad id augmentum, exponendo se periculo, quod si aduersarius augumentum sponsionis admittat, ipse eiusmodi augumentum vna cum tota antecedente sponsione perdat; atque ita dicas de multis aliis astutiis, calliditatibus, atque fallaciis, quæ iuxta leges ludi sunt vtrique communes, iuxta communem consuetudinem loci, in quo luditur, neque refert, quod colludens eam ignorauerit legem; etenim is contractus celebratus censetur iuxta communes leges loci, in quo luditur, sibique imputare debet is, qui ludit, si nō interrogat, & ignorat leges eius loci: In his consentiunt. *Medina. Couar.* Medina de rest. q. 22. Couar. Regula peccatum. p. 2 §. 4. nu. 5. & 6. & alij.

Ex his omnibus patet, quomodo in ludo alearum, & taxillorum transferatur, vel non transferatur dominium rei, quæ ludo exponitur, & amittitur, & quoniam opinionem secundam Alex. probabiliorem, & veriorem existimamus, iden respondendum est ad motiua, & fundamenta prioris opinionis, quæ est D Bonauenturæ.

Vnde ad primum, quo dicitur, quod titulus, quo possidetur huiusmodi lucrum, iniustus est, & lucrum est malæ fidei possessorum, quoniam contra legem interdicta possidat, patet hoc esse falsum: quia licet sit lucrum turpe, tamen lucrans non possidet contra interdicta legum. Lex enim, & si interdicat ludum alearum, tamen lucrum non interdicit. licet ergo lex prohibeat ludum, translationem tamen dominij, lucrique acquisitionem non impedit, & si quæratur de *Alex. de Ales.* titulo dixit Alex. quod titulo interuenientis pacti, & obligationis condicti vtriusque placentis: nihil enim tam naturale, quam acquisitio fiat secundum voluntatem domini tradentis. Inst. de rerum diuisione. §. per traditionem, secūdum voluntatem dico legi non contradicentem.

Ad secundum, quod adducitur in Authent. C. de relig. sump. funer. ac ludo alearum in constitutione græca, vbi denegatur actio ad petendum, quod quis eo ludo est lucratus, si non dum ei sit solutum; & conceditur aduersus eum repetitio, si illud iam accepit, ex quo concluditur, quod non potest ab aliquo repeti, quod restituere non tenetur. Respondet Alex. locis supra citatis, quod huiusmodi repetitio magis videtur esse, quasi ciuilis satisfactio pro peccato, quā obligatio ad restitutionem. Non est enim honestum huiusmodi lucrum, nec honesta occupatio in talibus, immo multum sæpe damnosa efficitur Reipub. cum occasione ludi distrahantur possessiones, & exhæreditentur successores, & posteri, vnde ad cohibitionem mali subsequentis data est ista lex de aleatoribus. Sicut & in foro pœnitentiali iniungitur sæpe satisfactio pecuniaria, non solum his, qui lucrantur; sed etiam, qui amiserunt, vt reprimatur inhonesta occupatio, & malum subsequens; adeo quod eiusmodi lex non reddit contractum irritum, sed solum in pœnam transgressionis legis repetitionem concedit eius, quod eo ludo comparatum est. Cum ergo lucrans, & quiuis alius legis pœnalis transgressor non tenetur ad pœnam ante latam sententiam, consequens est, vt eo ipso, quod fit ei traditio rei, quam ludo est lucratus, comparare illius dominium, neque illam teneatur restituere, ante latam sentētiam. Et esto quod mens, & legislatorum intentio fuisset irritum reddere eum ludi contractum, ac impedire translationem dominij, (quod tamen falsum est, vt patet leges illas expendenti) cæterum cum ius ciuile non obliget omnes, sed eos tantum, qui sunt his legibus subiecti. Ideo qui huiusmodi viribus non subiiciuntur, restituere non tenentur; at pauci sunt, vel forte nul- *Scotus.* li sunt hodie (inquit Scotus) qui legi imperiali subsint: quia vbi præcipue illa lex locum habere consueuit, municipalia præiudicant Imperialibus, vt patet in Italia, si qui autem sūt his legibus subiecti, si per contrariam consuetudinem huiusmodi iura non fuerint abrogata non possunt retinere huiusmodi lucra, sed tenentur vel restituere, vel pauperibus ero- *D. Thomas.* gare. Ita D. Thomas. 2 2. q. 32. art. 2. ad septimum vbi etiam docet, posse quo ad hoc, hæc iura cōtraria consuetudine aboleri, si nullus reclamat.

Sed contra arguitur lex illa non tantum est constitutio ciuilis, sed etiam implicite est constitutio Canonis & per consequens omnes indifferenter obligat: Nam leges Imperatorūm, quæ legi diuinæ nec sacris canonibus obuiant ab omnibus sunt obseruandæ vt habetur. d. x. c. de capitulis, & in sequentibus quatuor cap. & per hoc omnes tales leges a sacris canonibus approbantur, & si dicatur, quod lex per contrariam consuetudinem est abolita, & ideo non ligat vt videtur sentire D. Thomas. Contra hoc instat Angelus in verbo *Angelus. Panormit.* ludus. num. 7. & verbo lex. num. 17. quoniam secundum Panorm. in c. Ioan. de clericis coniug. Non vsus non habens actum tacitū contra legem non inducit consuetudinem abrogatiuam legis; vt licet non agam contra eum, qui mihi damnum intulit actione legis Aquiliæ, non propter hoc abrogatur illa lex: quia illa lex non necessitat ad agendum, sed dat agendi facultatem, ergo non agens non facit contra legem, secus si non vsus habet actum tacitum in se contra legis dispositionem; vt lex defert hæreditatem communiter, & æqualiter filiis tam masculis, quam fœminis, sed consuetudo defert primogenito, vel solum masculis, & secundogenitus, vel fœmina numquam fuit vsa illa lege, ibi inducitur consuetudo qua lex illa abrogatur per actum contrarium. In proposito lex concedens repetitionem ad. 50. annos non necessitat ad repetendum, sed dat facultatem, atque adeo licet per mille annos non repetatur, non inducitur propter hoc consuetudo, qua lex illa abrogatur. Esto ergo quod lex illa non sit abrogata per non vsum eius, tamen virtute huius legis nō tenetur sic lucrans restituere lucrum, nisi per iudicis sententiam sit condemnatus, sicut in aliis pœnis iu- *Ricardus.* ris; & exemplificat Ricar. vbi supra de interficiente hominem iniuste, qui potest per sententiam iuste priuari hæreditate, & tamen ante sententiam non tenetur illam dimittere.

Canones leges ciuiles confirmant nō ampliāt. Ideo respondetur, quod Canones, qui approbant leges, nec legi diuinæ, nec Canonibus contrarias, quantum ad illos solum obligant, qui his legibus sunt subiecti, & non quantum ad non subiectos legi illi; non enim Canones vltra ligant, quam leges ipsæ, quas approbant; sed illæ leges non ligant nisi sibi subiectos; Canones ergo leges huiusmodi confirmant, non extendunt, vt dicit D. Antoninus. 2. p. ti. *D. Antonin.* t. c. 23. §. 3. Cæterum prior solutio verior est, scilicet, quod lex illa, nec etiam sibi subditos ligat ad restitutionem, sed tantum concedit repetitionem in penam transgressionis legis, vt diximus iuxta mentem Alex. de Ales.

Et per idem patet ad ea iura quæ allegantur per Glos. c. Episcopus. 35. d. & c. clericus. de vita & honest. clericorum: nam ea iura non dicunt, quod teneatur lucrans ipso iure restituere, sed quod potest ab ipso peti de iure: multa autem possunt repeti, quæ in pęnam statuuntur, ad quæ tamen is, qui in pęnam incidit, non tenetur ante sententiam pro repetente latam.

Et similiter patet ad illud de Episcopo, qui potest talia lucra exigere, & pauperibus erogare; dicitur quod Episcopus hoc potest Præsidis auxilio, & benefaceret si exequeretur, vt hoc modo turpitudo ludendi caueretur, ex hoc tamen nō sequitur, quod lucrantes teneatur dare priusquam exigantur, sicut nec in aliis casibus in quibus fiscus potest turpiter requisita tollere, & ideo talia lucra non sunt pauperum, priusquam dentur eis.

ARTICVLVS IV.

Vtrum qui credito aliquid ludo prohibito amisit, teneatur in conscientia illud soluere.

DVo circa hanc quæst. explicanda sunt, vnum an qui perdit teneatur soluere, quod explicitum est in titulo; Alterum an postquam semel soluerit transferat dominium, hæc enim duo simul complectitur Sotus 4. de iust. q. 5. arti- *Sotus.* culo secundo.

Et quo ad primum potest esse sermo, vel de iure pure naturali, vel de iure ciuili communi, vel de iure municipali. Et quidem si attendamus ius naturale, & ciuile commune, est controuersia inter Auctores, etenim Adrianus in 4. *Adrianus. Sotus. Couar. Nauar.* de rest. in q. de ludo, cui fauere videntur Sotus loco citato. Couar. Reg. pecc. p. 2. §. 4. num. 9. & Nauar. in Manu. c. 19. num 17. tenet, quod non tenetur soluere, qui perdit data fide. Alij vero asserunt teneri ad seruandam fidem, & soluendum, si attendamus ius naturale, & ciuile commune.

Ita

Medina. Castro. Ita Ioan. Med. cod. de rest. q. 22. & Alphonsus a Castro. lib. 2. de lege pœnali, c. 2. concl. 1. corrol. 3. & hæc sententia mihi probabilior videtur, quam explico sequentibus conclusionibus.

Prima conclusio seclusa omni humano iure, standoque in solo iure naturali, qui aliquid credito amitterent ludo, tenetur illud soluere in foro conscientiæ: immo esto iure humano prohibitus esset ille ludus apposita solum pœna ludentibus, & nihil vlterius addendo, soluere similiter illud tenetur in foro conscientiæ, probatur prima pars: quia ludus stando in solo iure naturali, est contractus iustus, illoq. cōparatur ius, & dominium rei lucratæ, si traditio accedat, ergo si secludas ius humanum, quod repetitionem rei lucratæ concedat, aut retentionem, antequam illa soluatur, vtiq. qui aliquid credito amiserit ludo, tenetur in foro conscientiæ illud soluere. Præterea solutio rei eo ludo perditæ, neq. est mala ex parte soluentis, neque ex parte accipientis, præcessitque mutua promissio illius per contractum iustum: cū ergo de iure sit naturali implere iustam promissionem, sequitur teneri promissionem implere, eo modo, quo is, vsuras soluere iurauit, tenetur eas soluere, & nihilominus post solutionem potest eas repetere.

Item in ludo debet esse æqualitas inter colludentes, cum sit contractus ad commutatiuam iustitiam spectans; at si ludant duo, vnus pecunia præsenti, & alter data solum fide, si hic lucretur vere acquirit dominium pecuniæ præsentis, quam accipit, ergo ille alius acquirit si non dominium, eo quod desit traditio, saltem verum ius ad pecuniam promissam, & efficit illam vere sibi debitam, ita vt amittens teneatur eam soluere, alioquin non seruaretur æqualitas in eo contractu.

Posterior vero pars cōclusionis ex eo patet, quod sola prohibitio alicuius contractus, apposita pœna illum exercentibus, non aufert ab eo vim obligandi in foro conscientiæ perinde ac si sub ea pœna non esset prohibitus: quia nulla lex irritat, vel annullat eiusmodi contractum, vel pactum, sed solum prohibet talem contractum fieri, vt puta ne fiat ludus alearum, vel non vltra tantam, quantitatem &c.

Secunda conclusio stando in solo iure ciuili communi, ludens credita pecunia, si perdat tenetur in foro conscientiæ ad seruandam fidem, & soluendum: Nam qui fide data perdidit, non potest retinere, & non soluere rem promissam auctoritate sua propria, sine sententia, & quasi dispensatione obtenta a publica potestate, exequente in ea re legem, quæ fauet perdenti, contra eum, qui lucratur. Probatur primo. iure naturæ promissio, maxime quando mutua est, obligat in conscientia, nisi sit aliqua lex ciuilis, quæ talem promissionem, & obligationem irritet. Sed promissio facta ludi causa, cum pecunia credita luditur, est mutua promissio, neque vlla lex reperitur in toto iure communi, quæ illam irritet; ergo tenetur soluere, & stare promisso, probatur minor, quo ad secundam partem: quoniam lex quæ in iure communi grauius de hac re decernit est allegata constitutio. Alearum vsus, sed in ea solum habetur, quod nulla sequatur cōdemnatio Iudicis, scilicet contra eum, qui perdidit, & rursus habetur, quod solutum reddatur & competentibus actionibus repetatur &c. sed in his verbis nulla est omnino irritatio promissionis, & fidei datæ ludi causa, ergo &c.

Secundo probatur. Qui ludit præsenti pecunia tenetur citra dubium si perdat soluere, ergo qui ludit data fide tenetur soluere si perdat; in toto enim communi iure ciuili nulla est facta distinctio inter eum qui ludit pecunia posita, & eum qui ludit fide data absente pecunia, & confirmatur; nam sequeretur, quod si duo luderent, alter posita pecunia, alter data fide soluendi, esset deterioris conditionis ille, quā ille, consequens videtur esse contra leges ludi ergo &c.

Contra hanc conclusionem arguunt quidam sic: quoniā in Authen. vt Alearum. C. de relig. sump. fun. sic habetur; Nulla sequatur condemnatio (qua, scilicet perdens ludo soluere cogatur) sed solutum competentibus actionibus repetatur, ergo mens legislatoris in ea Authen. est, immunem ab obligatione soluendi reddere perdentem antequam soluat, atque illi repetitionem concedere postquam soluit, quorum vtrumque efficere potuit legislator, & expediebat, vt in ludi prohibiti odium faceret.

Secundo arguitur: quoniam aperte in ea lege in ludi prohibiti odium conceditur, vt non soluat, & quamuis lex illa pœnalis sit: quia tamen pœna illa nullam requirit executionē ex parte eius, qui illa punitur, sequitur, quod non est necessaria sententia Iudicis, vt ea pœna vim, & locum habeat, sed satis est denegatio, qua is, qui id alioquin debet, id deneget illi, cui esset soluendum.

Tertio arguitur. Quoniam cui actio conceditur ad repetendum, quod dederit, conceditur etiam exceptio vt id non soluat exigenti, vt habetur. l. inuitus. §. cui damus. ff. de reg. iur. l. credito in. C. de pactis. & Reg. qui ad agendum. de reg. iur. lib. 6. cum ergo perdenti concedatur actio ad repetendū quod soluerit, longe maiori cum ratione conceditur exceptio absque vlla culpa, antequam soluat.

Ad hæc argumenta respondetur primo, quod pari passu procedunt, quando luditur pecunia posita & absente, vel expectata: nam lex illa non discernit inter ludentem pecunia credita, & ludentem pecunia præsenti; sed vniuersim de alearum ludo loquitur; sed cum luditur præsenti pecunia tenetur, qui perdidit soluere iuxta ipsorum sententiam, ergo idem est dicendum cum luditur pecunia credita. Secundo respondetur negando consequentiam: non enim sequitur conceditur actio ad repetendam pecuniam ab eo, qui lucrifecit, ergo conceditur exceptio, & retentio si non dum eam soluerit: nam perdens tenetur in conscientia soluere, licet beneficio legis ad soluendum cogi non possit, sicut beneficio legis postquam soluit repetere potest. Neque circuitus ille, videlicet soluendi primum, & deinde repetendi est inutilis Reipub. quoniam homines sic arcentur ab huiusmodi ludis dum norunt, quod teneantur soluere primum, quamuis deinde possint repetere, eo vel maxime, quoniam seruare fidē numquam est inutile; quin potius esset maxima Reipub. pernicies non stare promissis, & per hoc patet ad primum, & secundum.

Ad tertium respondetur ijs modis, & regula illa non habet locum, quando iure conceditur restitutio in integrum, etenim tunc temporis in odium contractus prohibiti, vt in præsentia in odium ludi, conceditur restitutio, & repetitio, quamuis non concedatur retentio in conscientia: fateor tamen, quod in iure, & foro exteriori conceditur retentio per legem permissiuam, non per præceptiuam, sic in lege, quæ permittit decipienti citra dimidium in venditione detentionem illius iniusti pretij, quod accepit. Dici etiam posset quod hæc argumenta concludunt posse, qui data fide in ludo perdit, retinere, quod promisit beneficio legis, concedētis repetitionem rei amissæ in ludo; implorata tamen publica auctoritate, & obtenta sententia, qua talis promissio in pœnam ludentis cassetur, at non auctoritate sua propria, sine sententia, & dispensatione obtenta a publica potestate.

Tertia conclusio. Si lex aliqua municipalis esset, quæ cum luditur pecunia credita irritaret omnes promissiones soluēdi pecuniam perditam in eiusmodi ludis, illi legi subiectus non teneretur pecuniam, quam in ludo data fide perdidit soluere, non solum in exteriori, sed etiam in conscientiæ foro. In hac concl. conueniunt Castro corrol. 3. citato. Sotus. 4. *Castro.* de iust. q. 5. art. 5. Couar. Reg. pec. p. 2. §. 4. num. 8. Nauar. c. *Sotus.* 19. num. 17. ad 5. & alij, & ratio est, quoniam ea lege, nullæ *Couar.* & irritæ efficerentur promissiones, & obligationes, quæ inde oriri possent, aut ea de re essent factæ, essetque lex illa æquitatis plena: quoniam postquam semel collusorum animus ludo incaluit, si ludatur pecunia credita, ludunt sine modo, & termino, & in magna quantitate, in qua non luderetur si pecunia esset præsens: atque ita tales ludi data fide, vt plurimum sunt in causa, vt illustres viri redigantur interdum in magnam pauperiem. *Nauar.*

Contra hanc concl. arguitur. Si is, qui lusit data fide iurauit se soluturum pecuniam teneretur soluere etiam post editam talem legem, ergo etiam si non iurauerit: quoniam promissorium iuramentum solum obligat, quando promissio, super quam iuramentum fertur, alias obligabat. Ex verbis Soti loco citato forte quis responderet, argumentū con- *Sotus.* cludere; quoniam ipse inquit legi annullanti has obligationes, vel promissiones non posse promittentem renuntiare: quoniam hæc data esset non solum in fauorem illius; sed in bonum commune; verum hæc ratio Soti non videtur multū promouere, quia lex de non soluendis vsuris. C. de vsuris. ti. 32. & lex Velleiana. l. mulierib. C. ad senat. Consul. Velleianum. & ff. eodem l. 1. §. æquum. de muliere dum est coniugata præsertim vetita fideiubere in contractibus, sunt in bonum commune, & tamen per iuramentum possunt eis renunciare, ergo similiter legi isti. Forte diceret quis iuramē-

tum

tum contra bonos mores non obligare, ergo nec istud iuramentum de soluenda pecunia credita amissa in ludo obligat cum videatur contra bonos mores. Cui respondemus primo, quod licet ludere cum circumstantiis mortalibus sit contra bonos mores, ludere tamen sine illis potest esse licitum, & non contra bonos mores; immo pertinet ad virtutem Eutrapeliæ. Secundo dicimus licet ludere ludo illicito sit contra bonos mores, non est tamen contra bonos mores de se ibi in ludo perdita soluere, sicut coire cum meretrice est contra bonos mores, sed postea si pro copula iuramēto promissum post copulam soluatur, sicut fecit Iudas cum Tamar nuru sua, soluatur; contra bonos mores non est, sed opus fidelitatis seruandæ.

Respondendum est ergo negando consequentiam: quoniam iuramentum promissorium non tantum obligat, quādo promissio alias obligabat, verum etiam quando promissio, etiam si alias non obligaret, licite tamen impleri poterat sine peccato, soluere autem quod ludo amittitur, non est de se malum, neque illicitum. Iuramentum autem de re non illicita iuranti adimplendum est. Simile est in promissione, quæ fit cum iuramento de soluendis vsuris, quæ sine dubio propter diuini nominis reuerentiam implenda est, vt habetur. c. debitores. de iureiurando, quamuis si iuramentū non interesset, non obligaretur, qui promissit seruare fidē; quando autem secluso iuramento culpa esset saltem venialis id soluere, quia esset in detrimentum bonorum vxoris, aut alia ratione: quia tunc iuramentum est vinculum iniquitatis non tenetur id soluere.

Vtrum autem, qui ita iurauit facta solutione, licite quod soluit possit repetere Nauar. vbi supra. Lopez. 2. p. Instruct. conscientiæ c. 33. concl. 4. & alij affirmant non solum licite posse id repetere, sed licite petere, & obtinere posse relaxationem iuramenti antequam soluat, eaque obtenta non soluere, non secus, ac qui iurauit se soluturus vsuras potest illas repetere, postquam eas soluit, & quam illas soluat obtinere relaxationem iuramenti illaque obtenta illas non soluere, vt constat ex c. debitores. de iure iurand. Nam beneficio legis, & auctoritate publica iuramentum irritante, seu dispensante super tali iuramento potest quis retinere promissum, non autem auctoritate propria, quemadmodum recte resoluit Nauar. loco citato, quicquid non satis circumspecte dixerit circa hoc Sotus loco etiam citato. & hæc de primo.

Quo ad secundum est magna dissensio inter doctissimos viros, Alij aiunt, Alij negant. Et quidem si lex decerneret, quascumque promissiones, obligationes, & fideiussiones, quæ ad id præstarentur esse irritas & nullas, videretur quod qui talem pecuniam solueret non transferret dominium. Quapropter Sotus vbi supra, & Barth. Med. in sua instruct. Confess. non solum affirmant, qui credito aliquid ludo amisit posse tuta conscientia illud non soluere, sed etiam, qui illud accipit peccare accipiendo, & in conscientia teneri illud restituere danti, nulla expectata sententia, atque etsi non repetatur. Eorum fundamentum est: quoniam lex illa nullū, & irritum efficeret eum contractum, ac promissiones, & obligationes ad soluendum id, quod credito fuit amissum; sed ex contractu nullo, neque dominium, nec ius potest cōparari; cum ergo accipiens neque dominium, neque ius cōparet rei, quam ita accipit, sed dominium permaneat apud dantem sequitur necessario, quod accipiens continuo teneatur in foro conscientiæ illam danti restituere.

Sed mihi verisimilius videtur, quod qui soluit pecuniam, quam data fide in ludo perdidit, transfert dominium ita vt is, qui lucrifecit non teneatur ante iudicis sententiam eam restituere, probatur primo, qui soluit huiusmodi pecuniam videtur renunciare beneficio legis allegatæ, præsertim si nō sit ignarus illius legis, ac subinde si non alio titulo saltē per donationem voluntariam videtur transferre dominium. Præterea lex impediens translationem dominij contractibus est odiosa; ergo nulla lex, quæ istam translationem, verbis expressis, ac consuetudine sic interpretante nō impedit, non esset sic interpretanda late, vt impediat transferre dominium: quia odia sunt restringenda. l. cum quidam. de libe. ris, & posthumis, sed eiusmodi lex si eodem modo lata fuisset, vel ederetur, nec verbis expressis translationem dominij impedit, nec consuetudo intercedit, quæ eam ita interpretetur. ergo &c. probatur minor, quo ad primam partē. Nam lex sub ea forma verborum solum obligationem tolleret soluendi a perdente credito, eo modo quo sublata erat de iure communi: quia tamen ea de re sunt opiniones stando in iure communi explicatius id statueret municipalis illa lex, irritas efficiendo promissiones illas, & obligationes dumtaxat ad effectum, vt promittens soluere non teneretur, & absolueretur in foro exteriori; non vero, vt si sua spōte solueret, & lucrans id acciperet, non esset translatum dominium, accipiensque in animæ foro teneretur id restituere, quod legislatores Reipub. sæcularis non solent curare.

Secunda pars probari non potest, nisi in illis regnis, vbi lex huiusmodi lata est, prout latam esse dicitur in Regno Castellæ a Carolo. V. (vt testantur. Couar. Nauar. & Sotus) in eo tamen regno lex illa, quo ad hoc non est vsu recepta, vt dicunt Bannes. 2. 2. q. 32. art. 7. & Medina de contract. disput. 514. Quoniam numquam auditum est quemquam qui ita esset lucratus restituisse, quod ei fuisset solutum, aut Confessarios id iniunxisse, cum tam nobiles sæpe credito ludāt, ac soluant, quod amittunt. leges autem non plus obligant, quam vtentium vsu fuerint comprobatæ, consuetudoque est optimus earum Interpres. Verum est tamen, quod potest is, qui soluit pecuniam istam vti beneficio legis repetendo intra tempus præscriptum a lege non secus, immo multo magis, quam si soluisset pecuniam positam, quam in ludo perdidit; quoniam magis prohibitus est in iure ludus pecunia credita, quam pecunia posita: Neque si renunciauit beneficio legis quantum ad solutionem, censendus est renunciasse eidem beneficio quo ad repetitionem. Couar. Nauar. Sotus. Bannes. Medina.

Nostra hæc sententia ni fallor est etiam Nauar. vt patet ex eius verbis hic fideliter expressis quibus sic ait. Secundū veriorem opinionem, quicquid dicat Panor. in d. c. Clerici. & in c. plerique. de immun. eccl. & Gabr. vbi supra, nemo lucrifacta in ludo etiam illicito ab eo, qui donare potest ea, quæ perdit absque metu, dolo, & fraude tenetur restituere de præcepto etiam pauperibus, vt satis vterque sentit Thomas. 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. & explicant Maior, & Adrianus, vbi supra, & Caiet. in summa verbo ludus. tum quia nihil accipit contra iustitiam, cum nō accipiat inuito domino; quia cum ludo, & sine ludo donare ea poterat. Tum quia neque quod sponsionibus sine fraude lucrifit, neque quod emptionibus, & venditionibus in diebus festis, aut locis sacris, quamuis in eo mortaliter delinquatur, est necessario restituendum, non obstante illo peccato iuxta Glos. sing. c. decet. §. cessent. de immun. eccl. in 6. Hæc Nauar. Nauar.

Ex quibus verbis conijcitur esse huius sententiæ, tum quia loquitur post mentionem factam Caroli. V. iam dicta lege annullante huiusmodi promissiones soluendi in ludo factas; tum quia primo ait, quod est lucrifactum in ludo etiam illicito, qualis est pecunia credita a potente donare id, quod perdit absque metu, dolo, & fraude non esse restituendum. Tum quia ne quis obiiceret, quod Nauar. loquitur hic, quādo luditur pecunia posita, & non ex sponsionibus postea soluendi, ideo adiecit Nauar. quia neque quod sponsionibus idest promissionibus soluendi lucrifit, est necessario restituēdum, quicquid sit de peccato. Quid clarius? quia inquit non fit contra iustitiam, cum inuito domino non sit acceptum.

ARTICVLVS V.

Vtrum ludere ad quæstum sit peccatum mortale.

PRo huius difficultatis explicatione obseruādum est omnium ludorum species, siue modos, quos præcedēti ar. enumerauimus reduci ad tria genera. Primum est in quo natura, siue ars multum valet; fortuna vero parum, aut nihil certe valet, vt in ludo latrunculorum, siue scaccorum, in ludo palestræ, pilæ, globorum, & huiusmodi. Secundum genus est in quo fortuna, seu casus multum valent, cōtra vero ars, aut natura nihil, aut certe parum, vt in ludo taxillorum, & in ludo chartarum quantum ad aliquas ludi species. Tertium genus est, in quo fortuna habet primas, & potiores partes, sed ratio, & consilium habet etiam suas partes, vt in ludo tabularum, quæ iactu taxillorum ducuntur, in quo fortuna quidem valet, quantum ad taxillorum iactum, sed ratio & consilium quantum ad ordinem tabularum. Idem est in ludo chartarum quantum ad aliquos modos. *Ludi tria sunt genera.*

Secundo obser. est, quod inter hæc ludorum genera primum ludi genus non est interdictū aliqua lege simpliciter, & absolute, sed solum quantū ad excessum, & modum, at-

que

que ita præscribitur summa pecuniæ, quę in tali ludo amitti potest. Iure quidē Cęsareo præscriptum est vnū solidū, at secundum, & tertium genus, absolute prohibentur legibus Canonicis,& Ciuilibus, prohibentur aūt,& Clericis,& sæcularibus,& sacratis personis. Sacratis in Can. Episcopus. 35.d. qui est Canō inter Apost. 43 vbi sic legitur. Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, aleę, aut ebrietati deseruiēs, aut desinat, aut certo dānetur. Subdiaconus aut lector, aut Cantor similia faciens, aut desinat, aut cōmunione priuetur, similiter,& laicus & in c. clerici, de ui.& honest. Cler. dicitur Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint, & in c. inter dilectos, de excess. Prælat. Qui publice aleator est, repellitur a promotione. Et in Concil. Triden. sess. 22. in decreto de refor. c. 1. Instaurantur Canones antiqui de hac re decernentes. Item in Authen. de sanct. Episc. §. interdicimus. Interdicitur ludus tabularum sub pœna, vt tribus annis arceantur à Monasterio, & in Monasterium redigantur, ita tamen, vt si intra id tempus pœnituerint, liceat Episcopo minuere illis tempus, & ante triennium suo monasterio illos restituere; verum cum ea pęna sancita non sit iure Canonico, non tenentur prælati mandare illa executioni. Sæcularibus autem personis interdicitur hoc ludi genus. c. Episc. d. 35. & in ff. tit. de aleæ vsu & aleatoribus, & in Authent. Aleatum vsus cap. de relig. sump. fune.

Concil. Trid.

Torneamētorū ludus prohibetur. Tertio obser. est, quod sunt etiam quidam ludi prohibiti, in quibus exercetur humanum ingenium, vt sunt torneamenta, vt patet ex. de torneam. cap. 1. vbi expresse prohibentur, & ibidem morientes iubentur carere ecclesiastica sepultura.

Ludus ex circunstantiis deprauatur. Quarto obser. est quod ludus, qui secundum communissimam lui rationē non est ex natura sua illicitus, sed potius actus cuiusdā virtutis, vt vidimus supra, tamen ex materia speciali, vel exercitatijs, vel ex humanę legis phibitiōe fit vel mortaliter, vel venialiter illicitus pro ratione eius, ex quo vitiatur. Fit aūt ludꝰ illicitus ratione materię si materia ludi sit obscœna, aut irreligiosa, vel periculosa, & de hoc genere ludi pōt intelligi illud D. Chrisost. hom. 6. in Matt. Nō dat Deus ludere, sed Diabolus, quod cōfirmat illud Exo. 32. sedit populus māducare,& bibere,& surrexerūt ludere.

D. Chrisost.

Secundo vitiatur ludus ratione circunstantiarū, vt si instituatur cum aliorum scandalo; si adeo cupide ludo detur opera, vt propter illum negligantur diuina, aut humana pię cepta, vt audiendi sacrū, procurandi,& sustentandi familiā, soluendi debita &c. si ludus instituatur cū Dei irreuerentia in loco sacro, aut si ludo immisceantur blasphemiæ, & alia peccata, quotū ipse ludus solet esse aliquando, vel plurimū causa. Itē si ludus inimiceatur irreuerenter rebus sacris, vt cōcionī, &c. Itē si dolus, vel fraus in ludo adhibeatur, vel quis inuitus ad ludēdū trahatur. Itē si quis pro lucro rei ludat, quā alter nō possit alienare, vt minor, religiosus &c. Et demū si quis principaliter ludat nō propter recreationē, sed propter lucrum: nā erit id ludo abuti, vt notauit Nauar. c. 19. num. 8.

Nauar.

Ludus prohibitione vitiatur. Tertio vitiatur ludus ratione prohibitionis ex humana lege, quemadmodum prohibentur ludi, in quibus lucrum vel omnino, vel magis ex fortuna, seu casu, quam ex arte, vel industria pēdet, vt vidimus supra de ludo alearum &c. quæ iura non prohibent huiusmodi ludos, si instituantur principaliter propter recreationem, vt colligunt Doct. ex l. quod in conuiuio. ff. de aleæ vsu, & aleatoribus, sed si principaliter exerceantur ob lucrum, vt notat ex cōmuni doctrina Nauar. num. 6. quod num. 11. recte explicat tunc fieri, quando vel pluris, vel tanti, quis facit lucrum quam recreationem. His obseruatis.

Nauar.

Ludens ad aleas, vel taxillos peccat. Dico primo, quod qui ludunt ad aleas vel taxillos, quod peccant, & grauiter, quod patet ex his, quæ in huiusmodi ludis attenduntur, vt optime notat Alex. de Ales p. 4. q. 11. m. 2. art. 2. §. 4. quæstiun. 5. & q. 33. m. 2 art. 5. Etenim in huiusmodi ludis, hac omnia interueniunt. Primum est desiderium lucrandi, ecce cupiditas, quæ est radix omnium malorum. 1. Timo. 6. Secundum est volūtas expoliandi proximum, ecce rapina. Tertium est votum, & status maximus quia 11. pro. 12. frequenter in huiusmodi ludo conceduntur non solum in anno, vel in mēse, sed in eadem die. ex. de excess. Prælat. Canter di celos. Quartum est multiplicatio mēdaciorū, & verborū ociosorum,& iniuriorum. Quintum est blasphemia, ecce hæresis. Sextum corruptio proximorum ad ludum venientium. Septimum est scandalum bonorum audiētis blasphemiis ludentium. Octauum est contemptus prohibitionis Matris ecclesiæ. Nonum est omissio boni tum, quæ illo tempore fieri debebent. Ex quibus patet, quod ludus aleæ est graue peccatum. Quod confirmari potest ex c. Episcopus. d. 35.

Alex. de Ales.

Ludens principaliter propter lucrum peccat. Dico secundo, quod ludens principaliter non propter recreationem sed propter lucrū peccat, nihilominus propter hanc solam circumstantiam, non peccat lethaliter: quoniā auaritia ea, quæ consistit solum in cupiditate augēdi res suas sine alterius iniuria, & liberalitati opponitur, non est ex suo genere peccatum mortale, nisi eo vsque animum occupatet vt opera charitatis necessaria impediret. sed ea, quæ est appetitus iniquus rei alienæ, & opponitur iustitiæ, vt docet D. Thom. 2. 2. q. 118. art. 4. In proposito autem, quod collusor lucrari exoptet nullum est peccatum, non solum quia pugnantis victoria dulcis est, verum & amore lucri, neque si ardentissime id cupiat, dum tamen iustitiæ iura non violet, peccatum mortale non est, vt patet, dum cum illo non ludat, qui sui iuris non est ad alienandum bona sua, neque vim inferat, neque fraudem nectat. Ita D. Thom. 2. 2. q. 32. art. 7. ad 2. Hæc conclusio est contra Panorm. c. penult. de vit. & honest. cler. nu 12. & Gabr. in 4. d. 15. q. 5. art. 2. concl. 3. existimantes, vsque adeo ludum reddi vitiosum, si ita ad lucrum ordinetur, quod ludens præcipue lucrum intendat ludo, vt affirmenti culpam esse lethalem, modo lucrum intentum notabile sit. Tum quia intendunt damnum notabile proximi; tū quia cum eiusdem proximi damno res illius contra decimū Decalogi præceptum concupiscitur. Neque refert, inquiunt, quod colludens voluntarie legibus ludi se subiiecerit, & voluntarie soluat, quod alius lucratur: quoniam in ea solutione cernitur inuoluntarium mixte, non secus atque in solutione vsuræ.

D. Thom.

D. Thom. Panormit. Gabriel.

Cæterum hæc sententia merito ab omnibus refellitur. In decimo enim præcepto prohibetur concupiscentia rei proximi medio, ac via iniusta; non autem medio, & via iusta. In ludo autem cernitur contractus æqualis, & iustus, vt ex superius dictis constat, nec omne inuoluntariū mixte translationem dominij impedit, & illicitam reddit acceptionē; sed quando datur aliquid gratuito, at non quando datur citra, cū non gratuito, sed in recompensationem pro alio, quod alter vel dat, vel subiicit simili periculo, vt in re proposita euenit, etenim, quod qui dominum vendit inuoluntarie mixte eam vendat, quatenus si aliunde pecuniam haberet minime eam venderet, non reddit vitiosum contractum ex parte emptoris; Præterquam quod damnum propter, vt Doctores, c. qua sæpe, de elect. lib. 6. notant, non est quæcunque imminutio patrimonij, ac bonorum; sed est illa, qua fit contra domini voluntatem, & iniuste. Quin si, vt proprie, quēdo negandum sit cum, qui via iusta intendit lucrum, intendere damnum proximi; solum quippe intendit lucrum, & commodum suum, & per accidens tactum illius via iusta, atque consensu illius interueniente, quemadmodum donatarius, quando donum petit indirecte in tactutam in bonis donantis via iusta incedit.

Ex quo sequitur neq. venialem culpam ex eo præcise euenire, quod quis magis ordinet ludum ad lucrum iustū quā ad oblectationem ex ludo accipiendam, vt docet Medina. q. 22. de rest. Dixi ex eo præcise: quoniam si appetitus lucri immoderatus sit, vt esse in multis solet, esse potest peccatum auaritiæ ex suo genere veniale, & in causa esse potest, vt ludens eo effrenato appetitu, quo ad multa alia decurrerur, id tamen non prouenit ex eo, ꝙ lucrum ludo appetatur, sed ꝙ nimis, & inordinate appetatur. & hac ratione Arist. 4. Ethic. c. versus finem, Aleatores, hoc est, eos qui fortunos ex lucri eo cupiscentia ludo tradunt, illiberales appellat atque eos circa turpe lucrum versari affirmat, & omnia agere quæstus, lucrique causa ab amicis, quibus potius dare oporteret.

Medina

Arist.

Luso magna ratione vix sine ex mortali. Dico tertio, ꝙ si in ludo ampla pecunia exponitur ludenda vix exercetur sine peccato mortali talis ludus. hæc concl. est Soti de iust. lib. 4. q. 5. art. 4. probatur: quia huiusmodi ludus vix exercetur absq. litibus, & periuriis, & blasphemiis, aut fraudibus præsertim inter viros nulla ingenuitate præstantes, ergo vix vacat culpa lethali.

Sotus

Ludens mortaliter peccat. Dico quarto, ꝙ mortaliter peccat ludendo, qui ludit cum notabili irreuerentia Dei, blasphemando, periurando, notabiliter in ludo fraudando, vel cum mortalibus circunstātiis, vel taliter, ꝙ propter ludum transgreditur aliquod præceptum, vt pote omittit audire sacrum in die festo, vel creditoribus

tibus non fit satis soluendo debita, vel quia cum detrimento graui filiorum, & vxoris ludit subtrahendo eis alimenta debita omnia in lusus insumendo, vel quia ludit bona ad ius vxoris attinentia, dotalia, paraphrenalia, vel quia vacat ludo cum scandalo mortali, vel quando propter lucrum exponit se, vel vxorem periculo probabili peccandi mortaliter, vel filias exponit periculo prostituendi, vel se exponit periculo rapiendi, vel furandi, vt suppetat sibi pecunia pro ludo. Ita *Nauar.* Nauar. c. 19. nu. 4. & probatur: quia hæc ingruentia mala, atque dispendia, pericula, vel scandala, tenetur lusor sub culpa mortali vitare: quia qui amat periculum (vt testatur scriptura) peribit in illo, ergo non caret culpa lethali in omnib. his casibus ludo vacare.

Lusor cum circunstantijs mortalibus non est absoluendus.

Dico quinto lusor, qui propter ludum subtrahit suę familiæ, scilicet vxori, & filijs necessaria ad uictum, & vestitum, vel eius lusus est in causa, quod vxor, vel filiæ se exponant periculo amittendi pudorem, vel in vsu habet admiscere fraudes in ludo, vel peierare, vel blasphemare, dum male cedit alea sibi, vel odium solitus est concipere aduersus a se lucrantes, & tandem omnis quicunque ludit cum prędictis circunstantijs mortalibus superiori dicto relatis, dū omnia ista mala non cauet, non est absoluendus a confessoribus: quia si noluerit ab eis desistere non est absolutione dignus. Ita *Medina.* Medina in instruct. Confess. cap. 13. & patet: quia isti sunt in statu damnationis, quam diu non dolent de his prætentis, & cauent ab his mortalibus circunstantijs in futurum, ergo dū isto proposito carent incapaces sunt absolutionis sacramentalis.

Dico sexto Laici magnam pecuniarum summam etiam ludo si exponant principaliter propter lucrum, dum absint prædictæ circunstantiæ mortales a Confessarijs absolui possunt. *Nauar.* Ita Nauar. loco citato, probatur quia his mortalibus seclusis circunstantijs, tantum est veniale, etiam ad quęstum ludere, ergo cum obicem non ponant absolutioni, & gratiæ, quæ cōfertur in Sacramento, etiam si in hoc casu conclusionis animo abstinendi a tali ludo careant, absoluendi sunt: quia absolutionis sunt capaces.

Religiosi, et Clerici beneficiati, et sacris initiati ludentes aleis, & taxillis peccant mortaliter. Nauar.

Dico septimo Religiosos, & Clericos beneficiatos, aut initiatos sacris peccare mortaliter vacantibus huiusmodi ludis aleatum, & taxillorum prohibitis in notabili quantitate, & gratia quæstus. Secus est si secluso scandalo modicum quid gratia solatij, & recreationis luserint. Ita Naua. ex 35. dist. c. Episcopus, & c. inter dilectos. de exces. Prælat. vbi ius canonicum iubet Clericum aleatorem ab officio deponi, vel beneficio, quæ pœna non infligitur nisi ob culpam mortalem, & colligi potest ex. c. non afferatis. 24. q. 1. Item *Conc. Trid.* Conci. Tri. sess. 22. c. 1. de reform. has oēs pœnas, & canones innouauit.

Cæterum cum pęnæ illæ solis publicis aleatoribus sint impositæ, qui non semel, aut raro ludunt, sed ludo sunt dediti, *Al. de Ales.* vt optime notauit Alex. de Ales, vbi supra. Ideo obserua ad hoc, quod Clericus dicatur publicus aleator, atque adeo vt pœnas illas incurrat, non esse satis, vt semel, bis, aut ter ludat. Sed sequitur, vt sępe id efficiat. Vnde *Glossa.* Glossa in d. c. Episcopus. d. 35. verbo aleæ deseruiens, ait, id est, valde seruiens, & Alex. dicit, deseruiens dicitur, qui est valde seruiens, de enim ibi est augumentatiuum. Quapropter non existimarē condemnādos esse culpæ lethalis eos Clericos, qui sine aliorum scandalo recreationis gratiam chartis ludunt quantitates modicas, quæ conditionem, ac statum ipsorum spectatis eorum redditibus, ac bonis non dedeceant. Neque hos dam*Nauar.*nari lethalis culpæ videtur Nauar. n. 9. citato, qui eos solum culpæ lethalis damnat, qui notabilem quantitatem ludunt.

Clerici vel Monachi ludis mortalibus spectantes lethaliter peccant. Nauar.

Dico octauo Clericos, vel Monachos ludos mortales spectantes, eisque assistentes mortaliter delinquere. Ita Naua. loco citato, & patet ex c. Clerici. 2. de vit. & honest. Cleric. vbi interdicitur clericis etiam his spectaculis ludorum interesse sub his verbis. Ad aleas, & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis intersint. Quod intelligendum est, quādo his mortalibus ludis diu assistunt. Nam si diu his mortalib. lusibus assistant, tum & scandalum præbent, tum etiam contra sibi prohibitum faciunt, & quia per suam præsentiam videntur hos lethales ludos authorizare, & approbare, ergo eis diu assistentes, non euadunt culpam mortalem, at multo magis tali culpa mortali implicarentur per consensum: quoniā secundum D. Paulum, non solum digni sunt morte, qui talia agunt, sed qui his consentiunt.

Ex his canonicis iuribus, atque ciuilibus patet quanta cōpositio esse oporteat in Clericis, & quanta fuerit illis tempo-ribus, quando etiam conspicere eiusmodi ludos adeo seuere prohibebantur. In Authen. enim interdicimus. C. de Episcopis, & Clericis apponuntur pęnæ Clericis ludentibus, & in c. inter dilect. de exces. Prælat. quidam Clericus, quod esset publicus aleator repellitur a quadam dignitate ecclesiastica in Gallia obtinenda, tanquam persona ea indigna. Neque illi profuit dicere cōsuetudinem esse in Gallia. vt Clerici aleis ludant. Quoniam ait ibi Summus Pontifex, esse id corruptelam, (quæ non erat tolleranda) puniendam. Est itaq; chartarum ludus, & multo magis tesserarum valde indecens Clericis, atq; omnino dissuadendus, præsertim cum multi strictius de hac re loquantur, & ego loquerer, si ecclesiasticorū mores, non adeo ab antiquo illo statu primitiuæ Ecclesię defluxissent. Tunc enim eiusmodi ludos magis illis indecens erat, & maius scandalum sæcularibus generabat, quam hodie pariat, quando non tam arctam, adeoque deditam vitam ab eis expectant, quam olim erat consueta, & expectabant.

Religiosis vero chartarum ludus longe magis indecens est, & scandalosus alijs, quam Clericis sęcularibus, eo quod est magis eis indecens, & scandalosus alijs, quo arctiorē vitam profitentur, & eo magis si in ea religione disciplina uiget, & maior est opinio in populo de ipsorum obseruantia, ac sanctitate. Similiter dicerem longe indecentius, ac maius peccatum esse Clericis secularibus, ludere chartis, aut alijs similibus ludis in regionibus, in quibus minus est id consuetum, minusq; corrupti sunt eorum mores, quā vbi sunt magis corrupti, & magis est id consuetum, & hoc forte intelligere volebant Sotus 4. de Iust. q. citata. Valentia tom. 3. dispu. 5. *Sotus Valentia.* de rest. q. 6. puncto 5. §. octauo quæritur, affirmantes Clericos sacris initiatos, & Religiosos peccare mortaliter trāsgredientes leges prohibentes ludos, vbi leges illæ per contrariā consuetudinem non sunt abrogatæ.

Susceptores lusorū mortaliter peccant. Nauar.

Dico nono susceptores lusorum in domo sua lusibus mortalibus vacantium, sternentes eis mensam aleas, ac lumina, ad ludendum die noctuq; subministrantes absque dubio mortaliter delinquunt. Ita Nauar. loco citato, n. 16. probatur: quia huiusmodi susceptores lusorum non solum videntur consentire colpæ mortali ibi mortaliter ludentium, sed ad mortale exercitium pręstant iuuamen, ergo non excusantur a culpa lethali. Neque contra hoc faciunt, quæ adducūtur a quodam doctissimo Patre, nempe quod vendere ornamenta meretrici ad se excolendum, & venustandum nō est mortale. Similiter locare domum in loco permisso meretrici ad meretricandum non est lethalis culpa, ergo non erit culpa lethalis suscipere lusores ad ludendum. Hæc inquam non obstant, tum quia vendere ornamenta meretrici, atque eis locare domos in loco sequestrato, quorum potest esse bonus, & malus vsus, nulla lege humana est prohibitū, at vero aleatores receptare domi, eisque subministrare aleas, & sternere mensam, lege humana interdictum est adiuncta pęna. ff. de aleæ lusu, & aleatoribus, vbi per tres leges, graues pœnæ statuuntur contra huiusmodi susceptores; tum quia, susceptores lusorum in domum, qui instrumenta eis ad ludum subministrant, scilicet aleas, & mensam ad peccatum mortale ludi directe opem ferunt; sed qui vendit ornamenta meretrici non ita directe ei adiumentum præstat ad concubinarus crimen. Item qui loco publico sequestrato a lege permisso locat domum meretrici, non ita directe adiumento est illi ad peccatum pro mercede prostitutionis exercendum: quia vsus domus non est ita proxime ordinatus ad malum finem, neque ita directe, sicut ministrare aleas, & mensam: quia hoc perinde est, ac si quis subministraret meretrici lectulum, vbi cubaret cum amatoribus, quod nullum habet excusationis subterfugium. Et quia locare domum meretrici, in loco permisso, & separato, est veluti consulere minus malum parato: quia perinde est ac si locator talis domus diceret. Postquam parata es fornicari, ne tuo malo exemplo honestas fęminas ad malum prouoces, en tibi separatam domum, & locum permissum.

Susceptores lusorū quādo ad restitutionem tenentur.

Dico decimo susceptores lusorum perdita ibi in domo, & ludo in duobus casibus tenentur restituere principalibus non restituentibus. Primus est, quando aliquis minor ætate sub paterna cura, vel tutore vel Curatore constitutus, ibi domi receptus est ad ludendum, siquid vltra id, quod ex licentia interpretatiua modicum ludere poterat, in ludo perdidit, lucrante id non restituente susceptor, quia ministrauit aleas, & mensam id, obligationem subijt.

V Secun-

Secundus si a recepto ibi fraudulentus lusor per standem aliquid lucri fecit ipso non restituente. Susceptor si sit conscius fraudis restituendi obligationem subit. iuxta sententiam Angeli, & Nauar. locis citatis. In cuius confirmationē suffragatur regula iuris, scilicet. Qui causam damni dat, sicut re vera dedit iste susceptor, iure super hoc eum satisfacere oportet.

Angelus. Nauar.

Postremo faciendum est satis quæstioni, quæ potius est curiosa, quam scitu necessaria. an scilicet licitum sit ludere preces sacras, id est. Aue Marias. Nam aliqui viri aliqui deuoti, qui Florentiæ vulgari nomine Bacchettoni appellantur, passim inter adolescentes hunc ludendi modum exercent. Qui ludendi modus quidam patres deuoti introduxerunt inter Domicellas deuotas. Huius quæst. meminit Nauar. loco citato, & videtur hunc modum ludendi approbare. Sed profecto negari non potest, quin sic ludere sit misceere sacra prophanis, & quod nonnulla in hoc intersit effigies irreuerentiæ, imo, & simoniæ si vellent se ciuiliter obligare Aue Marias ludentes ad eas dicendas. Sed credo ciuiliter se obligare non intendant: quare nulla admiscetur ibi vera simonia. Huiusmodi autem ludum, nec laudo, nec vitupero.

An licitum sit ludere preces sacras.

Nauar.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in cæteris alijs contractibus scilicet emptione, & venditione, locatione, mutuo, negociatione, de quibus actum est supra, iniustitia accidere possit, & quomodo.

IN hoc art. nihil est difficultatis, ex his enim quæ diximus supra satis patere potest quomodo in his contractibus iniustitia committatur. In venditione enim est iniustitia si vēditur res simpliciter plusquam valeat, siue vltra medietatem iusti pretij, siue citra, & si inuoluntarie vendatur, & contra voluntatem superioris. Similiter in mutuo est iniustitia si accipiatur aliquid vltra sortem, exceptis casibus supra relatis. Item in locatione si non seruentur regulæ superius explicatæ. Ita in venditione pro pretio soluendo, seu ad tempus est iniustitia si vendens vendat tempus, aut si ponat se, vel simpliciter, vel vt in pluribus in tuto, & pattem in periculo, & damno.

Sed circa hoc, vltra ea, quæ diximus supra, occurrit vna difficultas. Nam dictum est, quod Petrus qui nunc non est venditurus rem suam, sed determinauerat eam vēdere post Pascha, si rogat eum Ioan. vt nūc ei vendat illam, esto quod nunc valeat quinque & verisimile est, quod post Pascha valebit plus, aut minus, quia post Pascha interdum valet sex, interdum quinque, & aliquando quatuor, quod nunc potuit vendere sex ratione dubij pro pretio soluendo post Pascha. Quæritur modo si tempore solutionis nempe post pascha valeat tantum quinque an debeat restituere vnum, & accipere solum quinque. Nam licite tempore venditionis potuit vendere sex, quia excusabatur propter dubium, at per hypothecam solutionis tempore certum est, quod non valet nisi quinque an debeat subtrahere vnum a pretio inter eos conuento?

Gandauen.

Henricus de Gand. quodlibet. 3. quæstione vltima, qui est valde tutus in materia contractuum dicit, quod debet subtrahere vnum a pretio conuento, & capere solum quinque. Et ratio sua est, quod in mutua commutatione emptionis, & venditionis debet naturalis æquitas custodiri, vt videlicet neuter plus recipiat de eo, quod alterius, quam det ei de suo: & quoniam interdum non potest ementibus, & vendentibus esse certum de æquo, & medio secundum naturam, licitum est eis emere, vel vendere plus vel minus iusto pretio, dum tamen bona fide, & pura intentione, & conscientia hoc faciant, non credentes se minus dare, quam recipere, & excusantur a peccato omnino propter inuincibilem ignorantiam. Vnde propter hoc permittuntur placitationes inter ementes, & vendentes, vt scilicet venditor rem appretiet plus, & emptor offerat minus, quousque venditore auferente de appretiato, & emente apponente ad oblatum, sine omni coactione, & deceptione deueniatur ad aliquod medium, in quo ambo consistuunt, & putant esse medium, & æquale.

Adeo quod commutantes sua, siue ementes, siue vendentes debent bona fide contractus quantum possunt propinquius ad medium æqualitatis indiuisibile reducere, & ibi excusantur, vbi per eos non stat, nec est in voluntate eorum plus accipere, quam dare, atque ita sicut vendens merces suas ad statim soluendum, non debet eas vendere carius, quam secundum iustam, & communem æstimationem, ita vendentes merces suas pro pluri, quam valeant in præsenti soluendas in futuro, si certi essent in præsenti, quanti essent valituræ in futuro, non possent eas licite vendere pro pluri, & intendere illud amplius recipere in futuro: quia vsura esset: at quia non sunt certi in præsenti, quanti merces eorum valituræ sunt in futuro, & decepti sunt per communem æstimationem, vendendo ipsas pro pluri recipiendo in futuro. Tunc adueniente futuro, & cognito iusto pretio debet errorem suum corrigere, & non plus accipere eo, quod tunc valent. Quicquid enim ex certa scientia non est licitum facere, si fiat per errorem, cum error perspicitur rescindendum est, & secundum vlterius procedendum non est, sed error corrigendus iuxta rectæ sciētiæ regulam, ac si ab initio habita fuisset.

Vult ergo Henr. quod quando in aliquo contractu aliquis excusatur a peccato propter ignorantiam, ita quod si esset certitudo de re quantum valet, si vltra valorem venderet peccaret, & contractus esset illicitus, verum tamen propter dubium excusatur. Superueniente vero certa scientia illud est restituendum in tali contractu, quod accepit, & exuperauit rei valorem.

Similiter dicit, quod si Petrus locauit possessionem suam pro toto anno, quæ realiter valet centum, sed propter tempus fortuitum solum valuit octoginta, dicit, quod Petrus debet rescindere decem a cōtractu, scilicet omne illud, quod minus valet propter fortuitum euentum.

Cæterum opinio opposita est communior, scilicet, quod dubium tempore contractus excusat, & quando contractus est iustus propter quodcunque accidens non obligatur ex præcepto rescindere: imo potest totum exigere, in quo conuenerunt tempore contractus, quo tempore cōtractus erat licitus, & ita tenet Doct. Subt.

Consimiliter inquit Scotus, est iniustitia in negociatiua, si officit Reipublic. actus eius, vel si immoderate recipit a Republic. vltra industriam, diligentiam, sollicitudinem, & pericula. Item præter iniustitias istas patriales in istis contractibus, vel commutationibus est vna generalis, quando aliquis vsurpat rem alienam domino simpliciter inuito; & hoc tam domino proximo, quam remoto, scilicet Legislatore, qui non vult, imo prohibet occupari inuito domino nisi in casibus præscriptionis, & vsucapionis. In istis autem non est translatio dominij, scilicet furto, rapina, & huiusmodi, licet sit violenta occupatio rei, cuius est dominium, & ista iniustitia est manifestior, quacunque alia, vbi propter solam defectuosam conditionem est iniustitia in translatione, vel in commutatione, vt est in casibus supradictis.

Scotus.

Articulus Quartus Principalis, de restitutione.

QVoniam materiam restitutionis aggredimur eius definitionem præmitti oportet, quam apertius, & breuius, quam hactenus se definire hoc modo ait Nauar. Restitutio est actus iustitiæ specialis commutatiuæ, quo redditur alteri, quod suum est, & quod ei debetur lege iustitiæ formaliter, vel virtualiter de bonis animæ, & corporis, vel honoris, vel pecuniæ.

Nauar.

Sed certe licet Nauar. de breuitate sibi applaudat, breuius tamen D. Thomas 2. 2. quæstione 62. articul. primo. restitutionem definit, dicens. Restitutio est alicuius in sua possessione iterata statutio, vel in eius dominio. Et licet proprie fit in rebus exterioribus, tamen etiam ad actiones, vel illationes iniuriæ, infamiæ, vel damni extenditur, estque actus iustitiæ commutatiuæ. Vnde quia actus religionis, & aliarum virtutum potentialiū iustitiæ, scilicet obseruantiæ, pietatis, quibus redditur debitū, sed nō lege veræ iustitiæ: q simpliciter est inter æquales, & cuius debitū simpliciter est debitū, & nō sicut debitū liberalitatis, aut gratitudinis, ideo in

Restitutionis definitio.

in defraudatione horum actuum non interuenit restitutio. Est autem hæc definitio desumpta à nominis interpretatione: restituere enim debitū videtur quasi aliquid in pristinum statum statuere. Sic sane Cicero Roma eiectus & Reipub. restitutum dicebat; Vnde in l. restituere. ff. de verborum significatione, restitutio dicitur in pristinum statum repositio.

Explicatur definitio restitutionis. Ex quo colligitur definitio quid rei. Est enim restitutio actus iustitiæ, quo damnum proximo datum reficitur, vel quo cuiq. redditur, quod ab eo ablatum, vel acceptum est. In qua definitione quatuor particulæ continentur. Prima est, actus iustitiæ: Iustitia enim quædam est virtus, quæ dirigit hominem, ne quod alterius est rapiat, & si quid rapuit, vt reddat; & ob id dicitur iustitia facere æqualitatem in rebus; de ea autem iustitia loquimur, quæ commutatiua dicitur, cuius actus & operatio quædam est restitutio.

Secūda particula est; quo vnicuiq. redditur: Iustitia enim facit, vt quod debemus alicui, ei demus, & hoc dicitur soluere; facit etiam, vt quod ab altero accepimus, vel abstulimus reddamus, id est, iterum in sua potestate, seu dominio reponamus; & talis actus est restitutio, & ob id dicitur, quo vnicuiq. redditur; & dupliciter potest alicui reddi aliquid, priori modo cum ipsimet redditur, posteriori modo cum redditur alicui pertinenti ad ipsum, vt vxori, filijs, vel hæredibus, aut alijs, & vtroq. modo solet fieri restitutio, vt in sequentibus videbimus.

Tertia particula est; quod ab eo ablatum est; per ablationem intelligimus iniustam acceptionem, qua ab altero aliquid abstulimus, puta furando, vel rapiendo, aut damnificando in persona, fama, vita, & rebus alijs, aut iniuste, quæ illius sunt detinendo: ad restitutionem enim spectat tali ablata reddere. Quarta particula; vel acceptum est. per quod verbum iustam actionem habendi, quod alterius est intelligimus, siue per mutuum, siue per censum, aliosue contractus. Est igitur restitutio reddere cuiq. quod ab eo abstulimus, vel accepimus. De qua egregie tractat Scotus in hoc art. quem pro locupletiori doctrina more solito in sequentes diuidimus articulos.

Primus Art. Vtrum restitutio sit medium ad salutem necessarium.
Secundus Art. Vtrum præceptum de restitutione facienda affirmatiuum sit, vel negatiuum.
Tertius Art. Vtrum hoc præceptum de restituendo interdum dispensationem admittat.
Quartus Art. Vtrum restitutio sit pars satisfactionis.

ARTICVLVS I.

Vtrum restitutio sit medium ad salutem necessarium.

Circa hanc difficultatem fuit error Græcorum asserentium restitutionem non modo non esse necessariam vt medium; sed nec etiam vt præceptum, quasi integrum sit cuique pre alieno oppresso absque conscientiæ periculo illud retinere, & omnino non restituere. Ita profectò refert Alphonsus à Castro libro 18. aduersus hæreses verbo restitutio, & Guido Carmelita referente eodem Castro. Idem refert Sotus. lib. 4. de iust. q. 6. art. 2. Vnde pro furto, vsuris, & rapina non iniungunt satisfactionem, aut restitutionem; sed oleo vngunt raptorem, & furem, quem astringunt, vt aliquam pecuniæ portionem sacerdoti tribuat. *Alphonsus à Castro. Guido. Sotus.*

In hoc errore aliquando fuisse videtur Erasmus: Nam super illud verbum Christi Lucæ. 11. quod superest date eleemosynam, sit ait. Illud annotandum cum modo fecerit mentionem rapinæ in remedio non fecisse mentionem restitutionis, tantum pollicetur eleemosyna data omnia fore munda, sed in meliorem mentem mutatus in quinta editione adiecit isto modo; sed qui iubetur date ijs, quibus nihil debet, multo magis iubetur reddere, si quid cui debet.

Cæterum hic error plane conuincitur, primo communi omnium gentium consensu: quæ enim est tam inculta, & barbara natio, quæ non censeat iniuste parta teneri non posse, ac proinde esse domino restituenda?

Quod lex illa naturalis, quæ est veluti dignitas, & primū principium in moribus, lumine naturali cuique inditum docet, qua dicitur. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Quam Christus Redemptor noster confirmauit. Matth. 7. dicens. Quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. At quis est, qui spoliari velit? Vnde Apostolus. Nolumus expoliari. Quis non velit sibi ablata restitui. Vnde Cicero libro primo de natura Deorum. Ablata iustitia excellentissima virtute summa sequatur, necesse est perturbatio, atque confusio. *Cicero.*

Præterea mutua hominum societas, & dilectio est de iure naturali, sicut & iustitia, in eo enim cognoscit Christus eos, qui sunt eius, si inuicem se dilexerint. Quæ autem charitas, & dilectio esse potest in eo, qui proximi bona rapit, furatur &c. Quamobrem Tobiæ 2. cum balantem hædum audiuisset. Videte, inquit, ne furtiuus sit, reddite eum dominis suis: quia non licet nobis edere ex furto aliquid, aut contingere.

Demum consulat lector D. August. Episto. 54. ad Macedonium, vbi habetur celebratissimum illud ab eo, vsque adhuc Doctoribus axioma. Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, quod refertur a Gratiano. 14. quæst. 6. cap. si res. & in cap. peccatum. de regulis iuris in 6. Vnde Alexand. III. in cap. sicut dignum. de homicidio sic ait Quę acceperunt tenentur in integrum restituere, si in facultatibus habeant, vnde possint reddere. Neque plura in hanc sententiam conferre oportet; cum res non modo in ecclesia nostra, sed apud Barbaros ipsos certissima semper sit habita. *D. August. Gratianus. Alex. III.*

Hoc itaque errore reiecto, obseruandum est, primo, quod aliquid potest dici necessarium ad salutem dupliciter, primo necessitate finis, vel quod idem est necessitate medij. Secundo necessitate præcepti. Illud dicitur necessarium necessitate finis, seu medij, quod est simpliciter necessarium ad vitæ æternæ consecutionem, etiam si nulla extet obligatio præcepti, sicut è conuerso illud dicitur necessarium necessitate præcepti, quod nullam habet necessitatem præter illam, quam inducit præceptum. Vnde siquis excusetur ab obligatione præcepti, poterit absque tali medio consequi vitam æternam, vt siquis excusetur propter infirmitatem ab obligatione præcepti ieiunandi. *Necessariū ad salutem est duplex.*

Secundo obseruandum est, quod ea, quæ sunt necessaria necessitate finis, sunt in duplici differentia, quædam habent necessitatem intrinsecam ex intrinseca connexione, quæ reperitur inter ipsa media, & finem vltimum, nempe vitam æternam, & hoc modo gratia siue charitas sunt necessaria necessitate finis. Quædam vero sunt necessaria ex sola institutione Dei, secundum quem modum Sacramenta sunt necessaria ad salutem; imo & fides passionis Christi est hoc modo necessaria ad salutem: nam quod passio Christi esset medium necessarium ad salutem ex solo beneplacito Dei ortum habuit. Inter ista duo media est magnum discrimen: nam media prioris generis in omni statu, & omnibus modis sunt necessaria ad salutem æternam; media autem secundi generis, non item, sed pro illo statu dumtaxat, pro quo fuerunt instituta. In statu enim innocentiæ fides passionis Christi, & Sacramenta non fuissent ad salutem necessaria. *Necessariū finis est duplex.*

Tertio obseruandum est, quod ea quæ sunt necessaria necessitate finis ex Dei institutione, quædam sunt simpliciter necessaria, ita ut neque per se, neque per accidens vita æterna haberi possit absque his medijs; ita se habet fides passionis Christi saltem implicita, & Baptismus in re susceptus respectu paruulorum. Quædam verò sunt quidem per se necessaria ad vitam æternam, per accidens tamen in aliquo particulari casu, vel propter ignorantiam inuincibilem; vel quia deest copia vtendi his medijs, redduntur non necessaria, ita ut absque illis possit haberi salus, hoc modo Baptismus in re susceptus est necessarius adultis ad salutem necessitate finis per se loquendo. *Necessariū necessitate ex Dei institutione est duplex.*

His obseruatis. Circa hanc difficultatem non desunt, qui doceant restitutionem ita esse necessariam, vt medium ad salutem simpliciter necessarium, sicut fides, gratia, Baptismus, Pœnitentia & cætera. Ita docuit Gabr. in quarta dist. 15. quæst. 2. conclu. prima, cum docuent restitutionem esse *Gabriel.*

de necessitate salutis & probari potest hæc sententia primo ex illo Ezechielis 33. Si impius egerit pœnitentiam, fecerit-que iustitiam, pignus restituerit &c. vbi eisdem prorsus verbis restitutionis,& pœnitentię necessitas declarata est, at pœnitentia medium est ad salutem necessarium lapsis post Baptismum: est enim secunda post naufragium tabula, vt ostendimus supra, ergo restitutio lapsis contra iustitiam, id est, ijs qui contra iustitiam delinquerunt erit simpliciter necessaria.

Præterea restitutio videtur pars satisfactionis, Sacramentique pœnitentiæ, at Sacramentum pęnitentiæ est medium ad salutem necessarium, ergo &c. Deinde cur Baptismus,& pœnitentia sunt media necessaria ad salutē, nisi quia ita legimus. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei? Ioan.3. & alibi. Nisi pœnitentiam egeritis omnes simul peribitis? Luca.13. Si igitur ex his verbis Theologi colligunt hæc sacramenta esse necessaria vt media, cur non item de restitutione colligere debemus, cum vero sit illa sententia. Non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum?

D. Thom. Denique S. Thomas.2.2.q 62.art.2. Fatetur absolute restitutionem esse de necessitate salutis, quod non solum ratione præcepti venit accipiendum, cum re vera de nullius alterius virtutis actu, id doceat. Nusquam enim docet Diuus Thomas, vel ieiunare, vel festa colere, vel eleemosynam facere, non adulterare, non peierare esse de necessitate salutis, cum ergo specialiter de restitutione id doceat, videtur existimasse aliam necessitatem, quam præcepti, licut cum non de omni Sacramento; sed de Baptismo, & pœnitentia, imo & de Eucharistia id specialiter docuerit, cum tamen certum sit Sacramentum confirmationis, & extremæ vnctionis esse necessaria ratione præcepti. Vnde ipse plane fatetur.3.p quæst.65.art.4. Confirmationem non esse de necessitate salutis. Si igitur vbi res, vel actus est in præcepto diuino non agnoscit Diuus Thomas necessitatem finis, id est, non confitetur; sed negat potius, esse de necessitate salutis, consequens est vt vbi id plane fatetur, vt de restitutione docuit, etiam sentiat esse necessariam, vt medium vel salutem simpliciter necessarium.

Cæterum hæc sententia sustineri non potest. fieret enim ex ea, vt si quis per ignorantiam inculpabilem, aut obliuionem decederet sine restitutione, vt nostris temporibus plures, qui vel sine testamento moriuntur, vel memoria non recurrit restitutio, non saluaretur: Sine medio enim simpliciter necessario ad salutem nemo potest saluari etiam inuincibiliter ignorans; sine Baptismo enim aut pœnitentia, aut fide nemo saluus fieret, quamquam inculpabili ignorantia laboraret, licet non peccaret illa non habendo. Sic igitur esset de eo, quod licet non peccaret non restituēs inuincibili subiectus ignorantiæ, non saluaretur, quod valde durum videtur. Deinde omnium sententia, vt infra videbimus is, qui impotens est ad restituendum non est extra statum salutis, esset autem iuxta hanc sententiam, sicut ille, qui ob inopiam, aut non baptizatus re, aut voto, vt paruulus vel adultus phreneticus, vel aliter mente priuatus, qui etiam voto Baptismi impotentes sunt.

Postremo cur non æque diceretur, dare eleemosynam, venerari parentes, esse de necessitate salutis? Nam nisi quis proximo extreme laboranti subuenerit, aut nisi parentes honoret non consequetur gratiam, & gloriam, atque ita omnium præceptorum impletio diceretur ad salutē medium necessarium, quod est magna impropietate luqui, & nullam agnoscere differentiam inter necessitatem medij, & præcepti, quam certe sapientes semper agnouerunt, cum merito admonent id, quod necessarium est vt medium, tale esse, vt sine illo siue ignores, siue non ignores, siue assequi possis, siue nequeas, non consequaris finem: est enim in medio finis sicut in virtute, & causa efficiente, id vero quod tantum ex præcepto est necessarium si legitima aliqua causa non perfeceris, non ob id fine carebis. Cum igitur post lapsum primum parentis sola Dei per Christum gratia sit medium consequendi finis nostri, qui est gloria, qua sicut in radice causa, & medio necessario est in gratia gratum faciente, idcirco ea dumtaxat, quæ hanc nobis gratiam pariunt, qualis est fides dilectæ Baptismus, pœnitentia post susceptum baptismalis gratiæ, sunt media ad salutem necessaria.

Restitutio non est medium necessarium ad salutem. Dicendum est ergo, quod restitutio sicut cuiusuis alterius præcepti impletio etiam in voto non est medium, sine quo gratia Christi esse non possit nisi remote, & quodammodo indirecte ratione pœnitentiæ, & contritionis, quæ est, & fuit omni tempore medium ad salutem consequendam necessarium, ad quam pœnitentiam disponit restitutio saltem in voto, seu proposito, & cuiusque præcepti impletio; sed hac generali ratione, etiam voluntas ieiunandi, & sacrum audiendi esset medium necessarium: constat enim veram pęnitentiam esse non posse nisi, vel impleas, vel implere velis ista præcepta, & fortasse & fortasse in hoc sensu locutus est Gabriel; atque hoc aptetissime docet Scotus in hoc art. per hæc verba. Sicut necessarium est seruare præcepta negatiua, ita necessarium est non tenere alienum inuito Domino, idem docet Rubion in 4. d.16.q.2. artic.4. concluit, atque ita patet solutio primi argumenti ex Ezechiele coniungente simul pęnitentiam & restitutionem. Scotus. Rubion.

Ad secundum respondeo, quod vt omnes fatentur Doctores, & infra edocebimus, restitutio non est pars satisfactionis sacramentalis: hæc enim est in potestate Sacerdotis, quo ad quantitatem, non pęnitentis simpliciter acceptare volentis, vt explicet Doctor Subtilis non autem restitutio, sæpe etiam restitutio requiritur ante confessionem, vt infra explicabimus, sicut aliam peccandi occasionem vitare, ad satisfactio nunquam.

Ad aliud de particula (nisi) respondeo non esse efficacem argumentationem, quod vbi illa apponitur colligatur medij necessitas. De quouis enim præcepto vere dicere possumus, nisi obseruetur hominem fore damnandum, cum tamen non singulorum pęceptorum obseruatio sit necessaria necessitate finis. Vnde de Eucharistia ait Veritas. Nisi manducaueritis &c. cum tamen secundum aliquos solum sit necessaria ex ratione præcepti non ratione finis. sicut dici etiam potest, quod nisi Diues det eleemosynam extreme indigenti, non intrabit in Regnum Dei, at non est consequens talem actum esse medium ad salutem necessarium.

ARTICVLVS II.

Vtrum præceptum de restitutione facienda affirmatiuum sit, vel negatiuum.

CVm restitutionis obligatio necessaria sit ad salutem, non medij, aut finis necessitate, sed præcepti consequens est, vt videamus, vbi sit traditum illud de restitutione præceptum in decalogo, & notanter dico in Decalogo; quoniam vt superiori artic. dicebamus passim in diuinis scripturis restitutionis præceptum est traditum. Ratio vero difficultatis est: quoniam cum illud præceptum decalogi. non furtum facies sit negatiuum, restitutionis autem affirmatiuum, non videtur in eo esse inclusum.

Quapropter Sotus libro 4. de iustitia & iure, q. 6. artic.1. & 2. in fine, & q.7.artic.4. existimauit præceptum restitutionis non esse idem, ac de non furando; sed esse potius duo præcepta distincta ob rationem factam, scilicet quia alterum est negatiuum, alterum affirmatiuum, alterum obligat ad semper, alterum non nisi certo tempore, loco, & personis. Tum quia alterum est prohibitio mali, & alterum iussio boni, actiones enim malæ prohibentur negatiuis præceptis, bonæ autem affirmatiuis mandantur. Furari autem malum est, restituere vero bonum. Sotus.

Caietanus vero in summa verbo restitutio, & Nauar. capitulo 17. numero 54. existimant præceptum quidem esse positiuum, seu affirmatiuum, includere tamen negationem veluti secundario, scilicet non retineri alienum: quoniam restitutio est redditio rei in possessionem veri Domini, seu solutio damni illati, & licet pendeat ex non retinendo, tamen non retinere non est formaliter restituere, sed implicatur indirecte, igitur principaliter est positiuum pręceptum, & hinc est quod non obligat pro semper, sed certo tempore, & loco. Caiet. Nauar.

Cæterum Doctor noster Sub. artic.4. huius quæst. censuit hoc præceptum restituendi esse negatiuum: ita enim scribit sub lit. A. sicut auferre alienum est peccatum mortale cōtra præceptum diuinum negatiuum. Non furtum facies, ita & tenere alienum, & ideo sicut necessariū est seruare præcepta negatiua,

negatiua; ita necessarium est non tenere alienum Domino inuito, & per consequens vel actu statim reddere, vel saltem velle reddere cum fuerit opportunitas, & infra. Si quis teneret fornicariam, vel magis adulteram, restituere eam viro suo non est nisi cessare a peccato, vel a transgressione huius præcepti. Non mœchaberis, ita restituere alienum non est nisi cessare a peccato, vel a transgressione huius præcepti, non furtum facies.

Almayn. Adrianus. Angelus. Cano. Medina. Syluester. Paludan. Gabriel.

Sententiam Scoti secuti sunt Almaynus in 4.d.15.q.2.ar.4 Adrian.in 4. in materia de restitutione. Angelus verbo restitutio.3.§.1. Cano in relectione de pœnitentia. p.4.§.itaq; Medina. C. de pœnitẽtia. tit.1.q.6.& Syluest. restitutio, scilicet in principio. Paludan.d.15.q.2.art 6 qui id probat ex illo Leui. 16. Non remanebit apud te opus mercenarij, & Gab.in 4.d. 15.q.2.concl.2.

Vnde pro huius sententiæ explicatione obser. est primo cum Adriano loco citato, quod quamuis præcepto negatiuo directe, & principaliter prohibeatur aliquis actus positiuus, vt illo præcepto. Non occides prohibetur directe actus occidendi, & hoc præcepto Non furtum facies, prohibetur directe actus furandi, secundario tamen & indirecte etiam prohibetur quicquid æquiparatur actui illi positiuo principaliter, & directe prohibito per tale præceptum negatiuum, etiã si illud, quod æquiparatur sit pure negatiuum. atq; ita quia hoc quod est non pascere fame morientem æquiparatur actui occidendi, iuxta quod dicit Symacus Papa. 83. dist. statim in principio. Non grandis differentia est, si mortem inferas, aut non prohibeas: mortem enim languentibus probatur inferre, qui hanc cum possit non excludit, & D. Ambrosius in c. pasce. dist. 86. Pasce inquit fame morientem, quod si non paueris occidisti. Itaque quia hoc quod est non pascere fame pereuntem, quantum ad nocumentum proximi æquiparatur actui positiuo occidendi, idcirco illo præcepto negatiuo. Non occides, prohibetur vtrumque.

Præcepto negatiuo quid directe, quid ue indirecte prohibeatur.

Symacus Papa.

D. Ambro.

Et similiter in nostro proposito: quia non restituere alienum æquiparatur actui positiuo furandi per vtrunq; enim æquale nocumentum proximo infertur, idcirco istud negatiuum, quod est non restituere, etiam prohibetur illo præcepto de non furando.

Et si quis obijciat, restituere est actus positiuus, ergo si præcipitur debet præcipi præcepto affirmatiuo. Respõdet Adrianus, quod quotiescũq; aliquo præcepto prohibetur aliquod negatiuum, etiam eodem præcepto præcipitur actus positiuus illi negatiuo contrarius, vt quia hoc negatiuum, quod est non pascere fame pereuntem, prohibetur illo præcepto. Non occides, idcirco etiam eodẽ præcepto præcipitur actus positiuus illi negatiuo contrarius, qui est pascere fame morientem, & pari ratione in nostro proposito: quia, hoc quod est non restituere prohibetur præcepto de non furando, idcirco etiam eodem præcepto præcipitur actus positiuus, qui est restituere alienum.

Secundo obser. est, quod verbum restituere licet nomine videatur affirmatiuum, re tamen negatiuum est, scilicet nõ retinendi alienum, quod ex eo plane manifestum erit, si generalis regula cognoscendi præcepta affirmatiua, & negatiua obseruetur. Quando enim id quod concipimus, aut significamus per nomen est aliqua actio realis a parte rei, tunc præceptum, quo illa prohibetur est negatiuum, & quo intimatur affirmatiuum, etiam si conuersis nominibus vocibusque significetur. v.g. Præceptum audiendi sacrum affirmatiuum est, etiam si hac verborum forma tradatur. Nullus absit sacro. Nullus omittat sacrum: licet enim voce videatur negatiuum: quia tamen in re nulla realis actio negatur, sed potius negatur absentia, seu omissio, & per consequens negatur negatio, ideo præceptum re uera est affirmatiuũ: nam negatio negationis affirmatio est, vt Philosophi docent: vnde negatio tenebrarum lux est, & negatio cęcitatis visus est, & peccati negatio, siue carentiæ gratiæ, gratia ipsa præsens est. In proposito autem accipere alienum actio realis est, atque ita præceptum, quo interdicitur acceptio negatiuũ est, licet affirmatiua voce poneretur, nempe omnes tueantur, & conseruent res proximi sui; quia præceptum talis conseruationis est re ipsa non acceptionis, id est, non habẽdi actionem illam, qua res aliena auferatur a proximo, atque ita pręceptum non furandi est negatiuum.

Regula generalis cognoscendi p̃cepta negatiua, & affirmatiua.

Sic igitur de præcepto restitutionis dicendum est. Vsurpare siquidem rem alienam, & illam retinere, atque illa frui, positiuum quidem est in re, est enim quædam possessio, & fruitio illius, atque ita præceptum restitutionis, licet expresse positiuum appareat; tamen vere, & re ipsa negatiuum est, & ipsummet de non accipiendo alienum. Detentio enim nihil aliud est, quam prima acceptio continuata, atque ad præceptum non continuandi iniustam acceptionem (quod est restituendi) est negatiuum.

Quod egregie docent illa verba Doctoris. Dico quod sicut auferre alienum est peccatum mortale contra præceptũ diuinum negatiuum, Non furtum facies, ita & tenere alienum, & ideo sicut necessarium est seruare præcepta negatiua, ita necessarium est non tenere alienum inuito Domino. Quod etiam docet D. Thomas. 2.2.q.62. art. 8. ad primum, dum ita scribit. Licet præceptum restitutionis secundũ formam sit affirmatiuum; tamen includit negatiuum, & ita ad statim obligat, sicut omnia negatiua præcepta, &c. Cuius sensus planus est, quod licet forma vocis, qua traditur, affirmatiuum videatur; tamen reuera quod inclusum est in ea forma negatiuum est. Et hoc existimo significare voluisse Inn. in c. sæpe. de rest. spol. dum dicit. Non multum interest quoad forum animæ iniuste detinere, & inuadere alienũ. vbi Glossa pro eodem, inquit, reputant iura auferre, & detinere iniuste, vt habetur in d.c. sæpe. & 16.q.1.c. decimæ. qui enim decimas dare negligunt, dicuntur res alienas inuadere, & in c. sicut. 47. dist. §. 1. & 42. dist. & in c. indigne. 12. q. 2. his enim iuribus declaratur tam peccare eum, qui rem alienam retinet, quam qui furatur, quasi agunt contra eamdem legem, ac præceptum.

D. Thom.

Innocent.

Dicendum est ergo præceptum de non furando, & præceptum de restituendo non esse distincta præcepta, sed tantũ esse distinctionem secundum voces. Ex omnium enim sententia restitutio præcepta est in illo præcepto decalogi. Non furtum facies, igitur negatiuum præceptum est: fieri enim non potest, vt affirmatiuum præceptum sub negatiuo constituatur, nisi forte per accidens, cum siue sit idem præceptum, siue vnum sub altero debeat esse aliqua similitudo: asserere enim esse duo condistincta, & vnum sub altero non contineri, vt Sotus docet, dici non potest. omniũ enim confessio est, eum qui cum possit non restituit, furtum committere, & illo præcepto, Non furtum facies teneri ad restitutionem faciendam. Cum finis præcepti de non furando sit, ne proximus re sua priuetur, ideo restitutio eodẽ pręcepto indicitur.

Ad primam rationem Soti respondeo, quod id, quod est principale in hoc præcepto, est non retinere alienum inuito domino, vt docet Scotus, quod statim & semper obligat, illa enim datio, & redditio, quæ inde resultat extrinsece importatur, & minus principaliter ad finem non retinendi iniuste, sæpeque non est necessaria, si res non distat loco a Domino: nam tunc dumtaxat non retinendo dominus rem recuperat.

Ad secundam rationem, quæ habetur q. illa 7. art. 4. dico, quod friuola est, alioqui colligeret præceptum ieiunandi, & non bis comedendi esse duo præcepta: quoniam alterum est prohibitio mali, & alterum iussio boni. Respondetur ergo esse secundum voces differentiam. Restitutio enim voce bonum iubet, sicut ieiunare, sed re ipsa malum prohibet nempe retentionem iniquam, sicut non comedere bis in die, ac proinde ieiunij præceptum negatiuum est, licet secundum formam affirmatiuum videatur; non enim iubet aliquam actionem realem, (alias nisi semel comederes non ieiunares, quod dicendum non est) sed potius abstinentiam, & negationem secundæ comestionis.

Ad rationes Caiet. & Nauar. respondeo fateri eos, & nos vnicum præceptum, sed actionem illam reddendi ablatum putant ipsi esse principalem in restitutione, nos vero putamus non retinere esse principalem, ex qua illa consequitur: imo quandoque vt dicebam, non interuenit. Ex his constat præceptum de restitutione, esse iuris naturalis & diuini, tam ratione iustitiæ cuius est actus elicitus, quam charitatis a qua imperatur, contra quã vtramq; virtutem agere constat esse de iure naturali, & diuino prohibitum, quod certe probatione non eget, ac proinde relinquitur non restituere genere suo peccatum esse mortale.

ARTICVLVS III.

Vtrum hoc præceptum de restituendo interdum dispensationem admittat.

Al. de Ales

HAnc quæstionem examinat Alex. de Ales p.4. q.24. m. 5.art.2 §.1.& 2.vbi scribit, quod obligatio ad restituẽdum non recipit dispensationem, si fur, vel raptor sit in soluendo, & habeatur certa notitia personæ spoliatæ: non enim dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum, vt dicit Diuus Augustinus, & sicut habetur Iob.13. Deus non indiget nostro mendacio, vt pro illo loquamini dolos, ita non indiget nostro furto, vt illo aliquid sibi acquiratur, nec vult vt de furto vel rapina sibi seruiatur, vt enim habetur Eccles. 34 Imolantis ex iniquo oblatio est maculata.

D. August.

Præterea præcepta decalogi moralia perpetua, & immobilia sunt; ergo sicut non furari perpetuum & immobile est, ita & furtum, vel rapinam restituere perpetuum est, & immobile. ergo in nullo casu potest quis absolui a præcepto restitutionis.

Item ad Romanos 3. Aiunt nos quidem dicere faciamus mala, vt veniant bona, quorum damnatio iusta est, non ergo propter aliquod bonum intentum debet malum fieri, atque ita propter bonum subsidium Terræ sanctæ non debet alienum retineri, neque propter aliquod aliud bonum.

Deinde non licet mulierem prostituere se, vt pascat patrẽ existentem in extrema necessitate, nec etiam propter negotium fidei, vtpote si posset sic tyrannum, vel Principẽ quãtumcunque esset magnus, conuertere ad fidem, ergo a simili non licet aliena rapere, vel detinere propter negocium fidei promouendum.

Glossa.

Et si dicatur, quod id, quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit, vt dicit Glossa super illud Marci 2. Nũquã legistis quid fecit Dauid, quando necessitatem habuit, ergo non restituere alienum, quod est simpliciter alienum ex necessitate fit licitum; sed nulla est maior necessitas, quã illa, quæ est fidei, ergo in necessitate fidei licitum est non restituere habita dispensatione contra obligationem restitutionis. Dico quod aliquod est illicitum quia perpetuam habet malitiam, aliquod vero quia habet malitiam ad tempus: primum non potest fieri licitum ex aliqua causa. Secundum potest. Vnde non est simile de auulsione spicarum in sabbato de qua loquitur Glossa, & de non restituendo ablatum: quia auellere spicas in sabbato non habuit perpetuã malitiam, sed ad tempus, scilicet quamdiu durauit lex, sed furari, & rapere perpetuam habet malitiam. Vnde restituere ablatum est pure morale, & eius oppositum perpetuam habet malitiam, atque ideo circa illud non potest ecclesia dispensare.

Contra omnia bona sunt ipsius ecclesiæ, ergo summo, & generali dispensatori Ecclesiæ est licitum bona ecclesiæ rapta, & detenta ipsis raptoribus dare, & ipsos ab obligatione restitutionis absoluere. Et confirmatur ex facto Domini, qui populo Israel bona, quibus expoliauerat Aegyptios asportare præcepit, nulla eis facta restitutione. Dico quod re vera omnia bona sunt ecclesiæ, & membrorum Christi, & summus dispensator illa dispensare potest, quæ non habent certos possessores; sed bona illa, quorum sunt certi possessores, nisi exigentibus eorum peccatis dispensare non potest. Ad confirmationem dico, quod Hebræi non tenebantur ad restitutionem, quia hoc fecerunt de præcepto eius, cuius erant spolia illa, scilicet Domini, cuius sunt omnia tanquam principalissimi possessoris. Præterea Aegyptij tenebantur Hebræis in multo maioribus propter seruitium eorum, seruierant enim eis in palea, luto, & latere per multa tempora Exodi; 1. Vnde & quia Dominus, qui erat possessor principalis illa bona contulit illis, & de eius præcepto spoliauerunt illos, & quia tenebantur illis in multis maioribus, non tenebantur ad restitutionem.

Et si iterum dicatur. Necessitas absoluit filios Israel ab obseruantia sabbati, ad quam tenebantur præcepto Dei, vt patet. 1. Macha. 2. sed non minus obligat præceptum de sabbato obseruando, quam necessitas restituendi aliena, atque ita videtur, quod imminente necessitate, & maxime fidei absolui potest quis ab obligatione restitutionis. Et confirmatur, Necessitas corporis facit licitum, quod simpliciter est illicitum, sicut furari aliena in vltima necessitate; simili ratione, vel fortiori videtur, quod necessitas spiritualis, scilicet fidei faciat licitum, quod est illicitum, scilicet detinere aliena, & illa non restituere, quod autem furari aliena in vltima necessitate sit licitum, habetur de Cons. dist. 5.ca. discipulos.

Respondeo, quod de sabbato legali poterat esse dispensatio: quia inter præcepta decalogi solum illud fuit cæremoniale, eo modo quo legale fuit, vt habetur ab August. super Exo. Vnde non est simile de dispensatione, & præcepto de sabbato, & de alijs, quæ erant immobilia, & perpetua.

Ad confirmationem dico, quod quia in vltima necessitate omnia sunt communia, si in tali necessitate alienum tolleret ad sui corporis sustentationem neque rapinam committeret, neque furtum; sed quod suum est ad vsum licitum acciperet, defensio autem fidei in nullo casu proprium facit commune. Præterquam quod isto existente in extrema necessitate, certum est quod periclitatur, nisi sibi subueniatur re alterius habita furto, vel rapina. In defensione autem fidei nõ potest esse certum, quod periclitabitur fides nisi subueniatur defendentibus furto, aut rapina.

ARTICVLVS. IV.

Vtrum restitutio sit pars satisfactionis.

Restitutio, & satisfactio in iure canonico. Idem significare videtur.

RAtio dubitandi est: quia promiscue pro eodem sumi solent satisfactio & restitutio, imo etiam & in iure canonico idem significare videntur hæc duo. Siquidem Grego. IX. in c. si culpa, de iniu. & dam. dato. iubet iam pro damno dato, quam pro iniuria satisfactionem fieri, significans hoc satisfactionis nomen non solum comprehendere satisfactionem pro iniuria, sed etiam damni illati restitutionem, constat autem satisfactionem esse pœnitentiæ partem, qua satisfacimus Deo pro offensa in eum commissa inter Deum vero & nos iustitia commutatiua non reperitur, cum nihil æquale reddere possimus Deo. Vnde Arist. 8. Ethi. c. vlt. ait Dijs & parentibus æquale reddi nõ posse, restitutionem autem esse actum iustitiæ commutatiuæ, quæ constituit æqualitatem secundum se cum altero omnes docent.

Arist.

Pro huius difficultatis solutione obser. est, fateri omnes Doctores restitutionem non esse satisfactionis partem, licet enim satisfactio ad iustitiam pertineat commutatiuam, sicut & restitutio, vt fere omnes putant, attamen per multas esse inter hos duos actus, atque virtutes differentias omnes fatentur.

Al. de Ale. D. Bonaui.

Alex. n. de Ales p.4. q.24. m.5. art.1. & D. Bona. in 4 d.15. p.2. art.2. q.4. referunt vnam opinionem affirmantem restitutionem non esse partem satisfactionis, sed fundamentũ. Quædam enim requiruntur ad pœnitentiam, seu satisfactionem vt fundamenta, & talia sunt peccati dimissio, & alienæ rei restitutio. Quædam vt expedientia, vt vitare prauam societatem. Quædam vt satisfactoria, vt ieiunium, oratio, & eleemosyna, quædam vt perficientia, & securitatem inducẽtia, vt opera supererogationis Lucæ. x. Quodcuoq; supererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Et ratio eorum est: quia culpa proprie est in Deum, & quia satisfactio per pœnam arbitrariam fit arbitrio sacerdotis.

Satisfactio bifariam sumi potest.

Aliam etiam referunt opinionem dicentium restitutionẽ esse satisfactionem, si opus sit factum in gratia aliter non, sicut nec alia opera. Deinde respondentes ad quæst. secundũ mentem propriam dicunt, quod satisfactio bifariam accipi potest, nimirum communiter, & proprie. Communiter dicitur satisfactio omne opus pœnale voluntarie assumptum, ad quod tenetur siue iudicio Dei, siue iudicio sacerdotis, & sic sumendo satisfactionem extenso nomine potest dici, quod restitutio est pars illius. Dicitur autẽ satisfactio proprie pœna voluntarie assumpta arbitrio sacerdotis ad quam. s. non tenetur nisi ex culpa, & iudicio sacerdotis, & hoc pacto restitutio non est pars satisfactionis, quia raptor rei alienæ tenetur restituere secundum omne ius, etiã si sacerdos nunquã imponat. Richar. in 4. d.15. art.5. q.1. dicit, quod illud opus pœnale est pars satisfactionis, per quod secundum diuinam iustitiam soluitur, vel remittitur pars pœnæ debitæ pro peccato secundum Ansel. pro sol. cap.10. iustitia autem in Deo sub duplici ratione consideratur. Vno modo dicitur iustitia Dei condecentia bonitatis eius; alio modo rectitudo voluntatis in volendo vnicuiq; tribuere quod suũ est secundũ merita.

Richard.

Iustitia in Deo sub duplici ratione consideratur.

Est

Est ergo restitutio (inquit) aliqua satisfactionis pars per cõparationem ad iustitiam primo modo dictam: condecet. n. diuinam bonitatem, vt homini facienti actum, quem Deus præcipit non tantum imputet sibi actum illum ad meritum gratiæ, sed etiam pro illo remittat sibi aliquam partem pœnæ pro peccato debitæ. Per comparationem ad iustitiam secundo modo dictam restitutio non est pars satisfactionis. Non enim secundum rigorem iustitiæ potest satisfacere homo per illud opus, ad quod satisfaciendum erat obligatus, & si non peccasset, vel si totam pœnam pro peccatis debitam *Anselmus.* exsoluisset. vnde Ansel. 1. lib. Cur Deus homo cap. x. Cum reddis aliquid domino etiam si non peccasti non debes hoc computare pro debito, quod habes pro peccato: ad plus. n. tenetur ille, qui pœnam peccato debitam non exsoluit, quã ille qui eam exsoluit.

Ex his infert, quod si Deus pro restitutione remittat restituenti aliquam partem pęnæ peccatis suis debitæ iuste facit: quia suam condecet bonitatem; si autem pro restitutione non remittat aliquam partem pœnæ alias debitæ iuste facit, iustitia compensante valorem meritorum, & quamuis restitutio per comparationem ad iustitiam, secundo modo dictam non sit pars satisfactionis, est tamen quoddam præambulum ad satisfactionem: nõ enim sufficienter potest homo satisfacere pro peccato, quamdiu non vult rem alienã restituere, vnde etiam qui non habet vnde restituat, tenetur tamen habere voluntatem restituendi, si posset.

Clauis Reg. Quidam dicunt, quod satisfactio & restitutio conueniunt in genere, quia ad iustitiam commutatiuam vtraque spectat, & aliquo modo potest restitutio esse pars satisfactionis, quatenus satisfactio fit pro iniuria illata Deo; Nam sicut is, qui furando abstulit rem proximi, irrogat iniuriam Deo faciendo contra præceptum eius, ita restituendo ablatum proximo, Deum honorat, & iniuriam compensat, vnde late sumpto restitutionis vocabulo pro eodẽ sumi posſũt.

Cæterum Doct. noster Sub. in hoc art. oppositum docet nimirum, quod siue accipiatur satisfactio communiter seu generaliter, siue accipiatur proprie, & specialiter restitutio non est pars satisfactionis: quia satisfactio generaliter accepta est redditio voluntaria æquiualentis alias indebiti, sed restitutio est æqualitas alias debiti, quia quod redditur est debitum. Item satisfactio reddit æquiualens alias indebitum pro peccato ei, in quem peccatur. Restitutio autem potest fieri sine pęnitentia, & a manente in peccato; Nam absque omni redditione pro peccato potest reddi proximo, quod suum est, sicut in mutuis redditur creditori absque omni satisfactione pertinente ad peccatoris reconciliationem; Nam qui æs creditori debet, quod ab illo mutuatus est, restituere quidem tenetur, satisfacere vero non item; quia nullũ commisit crimen, quoad vsque non est in mora soluendi.

Secundo accipiendo proprie & specialiter satisfactionem restitutio non est satisfactio, quod ex eo patet: quia accipiendo satisfactionem pro opere voluntarie assumpto, a sacerdote iniuncto pro confessis peccatis, secundum quam acceptionẽ dicitur, tertia pars sacramenti pœnitentia, vt videbimus distinctione sequenti, vel etiam generalius pro opere voluntarie assumpto ad redimendum pœnam pro peccato per pęnitentiam, siue Sacramentum, siue virtutem dimisso debitam, vera est etiam conclusio. probatur; quia restitutio præsupponitur pœnitentiæ vtroque modo acceptæ, sicut cessatio a peccatis, saltem restitutio rei iniuste occupatæ, & hoc in actu, vel voto, ergo non est pars pœnitentiæ. probatur consequentia, quia pars sub ratione partis non præcedit totum: correlatiua. n. sunt simul natura, antecedens patet; quia detinere rem alienam est peccatum, vt probatum est art. 1. & x. sed ante pœnitentiam necessaria est cessatio a peccatis, at nõ cessatur ab iniusta detentione nisi per restitutionem factam in actu, vel voto, vt ibi ostensum est.

Ex quo sequitur restitutionem esse pœnitentiæ præambulum, sed non partem, veluti est satisfactio, vt quis. s. a peccato desistat. Etenim si quis æs alienum contraxit, quod dum est soluendum inuito domino retinet, vel iniuriam, quam illi intulit diluere recusat, non potest digne ad pœnitentiam accedere, nisi ab illo delicto per restitutionem in actu, vel voto euellatur. Itaque restitutio contritionem, quæ ordine est prima pœnitentiæ pars, antecedit, satisfactio vero etiam confessionem, quæ, secunda est, subsequitur. Item satisfactio a sacerdote iniungitur, restitutio vero non item, sed a lege diuina.

Et est simile (inquit Doct.) in alijs peccatis, si quis teneret adulteram restituere eam viro suo non est nisi cessare à peccato, & à transgressione huius præcepti. Non mœchaberis, & istud præcedit omnem partem pœnitentiæ, atque adeo sicut tenens adulteram non est capax pœnitentiæ, sed irritor, & si talis veniat ad pœnitentiæ sacramentum addit peccatum peccatu, ita detinens alienum voluntate, & facto dum talis est, non est capax alicuius partis pœnitentiæ. non enim digne ad confessionem accedit, neque est contritus, qui cum habeat vnde restituat, differt illud in aliud tempus.

Ex his colligi potest multiplex discrimen inter satisfactionem, & restitutionem. Primum restituere est reddere, quod ablatum est, satisfacere autem, quia pars est pœnitentiæ, est iniuriam resarcire, adeo quod satisfactio terminatur ad honorem læsum, vel ablatum, respicit enim proprie iniuriæ reparationem. Restitutio autem licet supponat culpam, non dicit de se dehonorationem vllam, sed damnum in rebus illatum. Secundum discrimen, satisfactio ne dum fit Deo, sed etiam hominibus, licet præcipue soli Deo fiat; quia proprie solum in Deum peccatur, vt enim docet D. August. libr. 22. contra Faustum Manichęum. cap. 27. peccatum definitur esse dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei, nec proximorum offensæ scelera forent, nisi Dei auctoritate prohibitæ fuissent. Restitutio vero proprie fit solis hominibus; quia Deo nihil proprie auferimus, neque afferri vllo modo potest, neque ei possumus quicquam reddere, cum omnia ipsius sint, nec ei reddendo aliquid accrescit; quia bonorum nostrorum non indiget. Psal. 15.

Restitutionis, & satisfactionis differentia.

D. August.

Tertium discrimen est, quod per restitutionem non remittitur peccatum, sed tantum a peccando cessatur, per satisfactionem vero remittitur, quantum ad pœnam remissa culpa, eo quod est solutio pro peccati debito, quarto differunt: quia satisfactio arbitrio sacerdotis virtute clauium constituitur, atque iniungitur. Restitutio autem non iniungitur a sacerdote, sed a lege diuina. Plura alia discrimina afferunt Doctores locis citatis: sed in his non oportet multum insudare, cum ex definitionibus vtriusque facile sit eas, & plures alias differentias inuenire inter restitutionem & satisfactionem.

De ijs, qui ad restitutionem tenentur.

EGimus in superiorib. articulis de necessitate, præcepto, atque natura restitutionis, nunc oportet vt ad particulares eius circunstantias considerandas descendamus, quæ sũt sex. s. Quis, Quid, Cui, Vbi, Quando, & Quomodo, quarũ quatuor expresse hic enumerat Scotus. s. Quis, Quid, Cui, & Quando; aliæ autem duæ ex eius dictis eliciuntur, & cum omnium prior videatur esse circunstantia personæ damnificantis, idcirco primo agendum est de ijs, qui restituere tenentur. Cum autem restitutionis obligatio ex duplici capite, & radice contrahatur, vel ratione rei alienæ iniuste acceptæ, & detentæ, vel ratione acceptionis aut detentionis iniquę, certumque sit & in confesso apud omnes alienum quocunque modo apud aliquem existat, & ad eum peruenerit restituẽdum esse, etiam si in delicto furti, aut iniquę acceptionis nõ communicauerit, de illis solum, qui ad restitutionem ratione iniquæ acceptionis obligantur, etiam si nihil rei acceptæ apud se habeant, aut retineant agendum est.

Restitutionis obligatio oritur ex duplici capite.

Quoniam vero non ij solum, qui proximum lædunt, & causæ principales damni sunt, vt fures, & homicidæ, sed ij etiam, qui lædentibus cooperantur, eis auxilium, consilium, vel fauorem præbendo, dicunturque complices, socij, participantes, causæ minus principales, causæ minus præcipuæ, vel concausæ damni illati non minus restitutionis vinculo ligari iudicantur, iuxta illud. Si videbas furem currebas cũ eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Psalm. 4. & ad Roma. 1. digni sunt morte non solum, qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus. De his omnibus qui ratione iniquæ acceptionis quouis modo restituere teneantur agendum est. Ponuntur autem communiter a Doctoribus nouem personarum genera, quæ sicut causa iniquę acceptionis sunt, ita etiam ad restitutionem faciendam obligantur, quæ his versibus explicantur.

Quilibet in solidum reddat prius iniuriato.
Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Quorum

Quorum sententia (inquit Doctor) stat in hac maxima. Quicunque abstulit, vel detinet alienum tenetur restituere. Auferre autem potest vt causa superior. s. præcipiendo, vel vt proxima. s. immediate auferendo, vel vt causa coadiuuãs vt socius in auferendo, vel vt inducens, si consuluit, vel fauet, vel adulatur, tali consilio, fauore, vel adulatione propter quam fit ablatio, & sine qua non fieret. Consimiliter de detinente, qui immediate detinet positiue, vt cum quis possidet alienum, vel priuatiue, seu interpretatiue, vt cum quis non actualiter possidet alienum, sed est in potestate sua ille, qui formaliter, seu positiue detinet, & non facit restitui, cum ei ex officio hoc competeret. v. g. seruus alicuius domini actualiter detinet alienum, & damnificatus conqueritur apud dominum de seruo, & dominus non vult illum audire, nec facere, (esto quod ei ex officio competat) quod ille non detineat. Dominus ille dicitur detinere interpretatiue. omnis ergo detinens rem alienam siue formaliter & positiue, siue priuatiue, vel interpretatiue ad restitutionẽ tenetur. Item auxilium, vel fauorem præbendo, vt si tacet requisitus in iudicio, vbi posset sententialiter res restitui domino suo, & dicendo veritatem non imminet ei periculum status, vel personæ. Et breuiter omnis obligatio ad restitutionem reducitur ad auferre, vel detinere, & hoc vel vt causa principalis, vel proxima, vel coadiuuans, vel inducens, vel non impediens, quando eius esset ad bonum Reipub. & sine periculo personæ impedire. Et hæc omnia ex quo reducuntur ad consensum efficacem, verum, vel interpretatiuum probantur per illud, 2. q. 1. cap. notum sit. vbi dicitur quod facientem & consentientem par pœna constringit. Et hoc accipitur ex dicto D. Pauli ad Roman. 2. Non solum qui talia agunt: sed qui consentiunt facientibus &c. Quibus simile est illud, dans occasionẽ damni, damnum dedisse videtur. cap. si culpa §. fine de iniur. & dam. dato. Illorum. n. quilibet tenetur ad restitutionem in solidum, sed vno restituente omnes alij liberantur a debito in comparatione ad illum damnificatum, tamen alij tenentur pro rata portionis, quæ eis contingit illi, qui pro omnibus satisfecit. Hactenus Scotus.

D. Thomas. Causam iniustæ acceptionis potest quis bifariam esse.

Pro quorum ampliori notitia obseruandum est ex D. Th. 2. 2. quæst. 62. art. 7. quod dupliciter potest quis esse causa, vt alter quid agat vel accipiat, directe. s. & indirecte. Directe quidem inducendo, seu iuuando alium ad accipiendum, & hoc quidem tripliciter, nimirum aut ex parte acceptionis mouendo ad ipsum vno quatuor modorum, nempe præcipiendo, consulendo, consentiendo, & factum laudando; aut ex parte accipientis, nempe quia ipsum quis ad se recurrentem recepiat, vel alio modo protegit, aut fouet, quod Recursus nomine significatur. Aut tertio ex parte rei acceptæ, nempe dum eiusdem furti, vel rapinæ particeps sit, aut maleficij socius, & hoc significatur hac voce, Participans. Indirecte vero poterit quis esse causa, si eum quem impedire potest ac debet non impedit, quod vno è tribus modis contingit. primo si taceat quando debet præcipere, vel consulere, ne fiat illud. Secũdo si cũ possit & debeat obstare, nõ obstat. Tertio si cum possit & debeat manifestare, non manifestat.

Secundo obseruandum est, quod ex his nouem modis, quinque ex genere suo, & communiter ad restitutionem obligant, quos his vocibus exprimimus. Iussio, consensus, recursus, participans, & non obstans, cum, s. ex officio obstare tenetur & potest: quia isti omnes sunt causæ iniustæ acceptionis. Ex alijs vero quatuor modis non semper sunt iniustæ acceptionis causa; quia qui præstat consilium nõ semper est causa actionis, sicut vel ille, qui adulatur, ideo quando non sunt vere causa non sunt obnoxij restitutioni. Idem est iudicium de muto, qui dum res fit nõ clamat, & de non manifestante, postquam factum est: quia non semper manifestare tenetur; Si quando autem contigerit eos veram esse iniustæ acceptionis causam, tunc restituere tenentur.

Præter has autem personas certum est etiam obligari ad restitutionem eum, qui damnum fecit, seu qui opus iniustũ in proximum exequitur. Vnde computato executore decẽ sunt personarum genera, quæ ex vna actione iniustæ acceptionis ad restitutionem faciendam obligari possunt. de quibus omnib. suo ordine sequẽtes difficultates explicabimus.

Primus Art. Vtrum qui accepit, aut iniuste retinet semper restituere teneatur.

Secundus Art. Vtrum iubens damnum fieri ad restitutionem teneatur.

Tertius Art. Vtrum consulens si consilio suo furem induxit ad furandum restituere teneatur.

Quartus Art. Vtrum si quis factum delictum postquam sciuit ratum habet teneatur ad restitutionem.

Quintus Art. Vtrum laudans seu adulans delinquentem restituere teneatur.

Sextus Art. Vtrum scienter recipiens furem post commissum peccatum, teneatur ad restitutionem.

Sextus Art. Vtrum quando plures concurrunt in damno faciendo singuli eorum teneatur insolidum restituere.

Octauus Art. Vtrum qui sola lege charitatis tenentur impedire loquendo, & prohibendo damnum proximi, & tacent restituere teneantur.

Nonus Art. Vtrum qui obstare tenetur ex charitate teneatur ad restitutionem si non obstat, quando id possit sine damno suo.

Decimus Art. Vtrum non manifestans furtum, aut damnum restituere teneatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum qui accepit aut iniuste retinet semper restituere teneatur.

CVm certum sit executorem ad restitutionem teneri, ipse enim vera, propria, & proxima, efficaxque causa damni est, non est quod de eo specialiter pluribus disseramus. In generali tamen obseru. est primo, quod ex sola trãsgressione iustitiæ, & non aliarum virtutum incurritur obligatio restituendi. atque adeo vt discerni possit obligatio restitutionis respiciendum in primis est; an peccatum sit contra iustitiam, aut contra charitatem; si enim contra solam charitatem est nulla, est restituendi obligatio, at si est contra iustitiam, reddit hominem restitutioni obnoxium. hæc regula est contra Caiet. in summa verbo restitutio. c. 1. §. Non manifestans. vers. Aduerte quod in his, vbi ait teneri etiam eos ad restitutionem, qui possent damnum, vel furtum proximi impedire sine proprio damno, & periculo, & non impediũt. Est etiam contra Ricard. in 4. dist. 15. art. 5. q. 4. Angelum in verbo furtum num. 26. § 9. & Tabienam verbo restitutio. numero 24. §. 23. qui id affirmant, quãdo quis dolose, & ex maleuolentia omittit impedire damnum proximi, cum sine periculo non posset, & ex charitate teneretur.

Restitutionis obligatio vnde proueniat.

Caiet.

Ricardus. Angelus. Tabiena.

Cæterum nostram regulam docent Altisiodorensis. lib. 4. suæ summæ in tract. de pœnitentia. q. 3. & Alex. de Ales. 4. par. summæ. q 24. m. 5. art. 3. §. 3. in fine, quem sequuti sunt fere omnes recentiores. Vnde sequitur vt notant Medina. Codice de rebus restituendis. q 9. & Nauar. in Manua. c. 17. num. 11. & cap. 24 num. 7. & in repetitione cap. inter verba. 11. quæst. 3. conclus. 6. & in Apologia de redditibus ecclesiæ, qu. 2. mon. 2. & 7. quod si diues videns pauperem extrema necessitate laborantem, cui ex lege charitatis per panis aut vini, vestitusque largitionem subuenire tenetur, & non subuenit, peccat quidem mortaliter, ex eo tamen quod eleemosynam largiri possit nihil eidem pauperi, aut alij restituere tenetur, multoque minus tenetur illi satisfacere, si forte pauper ex negotiatione eleemosynæ debitæ ex charitate, & misericordia, membrum aliquod corporis amisit, aut in notabilem morbum incidit. Erat enim hæc obligatio ex lege charitatis proueniens omnibus indistincte conueniens, & communis, non autem specialis, & personalis.

Altisiod. Al. de Ale. Medina. Nauar.

Cur autem ex sola violatione iustitiæ restitutionis obligatio oriatur, & non ex transgressione aliarum virtutum dissentiunt Auctores inter se. Nam Greg. de Valentia. in 2. 2. disput. 5. q. 6. puncto. 3. eam esse rationem putat. quia qui solum ex charitate omittit impedire damnum proximi, nec peccat contra præceptum affirmatiuum iustitiæ per omissionem, nec contra præceptum negatiuũ iustitiæ agit per commissionis peccatum, & ideo non tenetur ad restitutionem. Sed certe hoc non est assignare causam, & originem obligationis restituendi, vt constat, sed solum non peccare contra iustitiam. Nauar. in Man. c. 17. ait alios Doctores non reddidisse huius rei rationem, se autem nouam reddere: quia cæteræ virtutes a iustitia non versantur directe, & principaliter circa actus exteriores, sed circa interiores. Iustitia vero virtus specialis directe respicit actus externos, & ideo ille solus, qui iniuste damnum infert proximo, restituere tenetur.

Valentia.

Nauar.

Petr. Nau. Petrus Nauar. de restit. lib. 2. cap. 1. nu. 12. hanc Nauar. rationem refellit; ergo, quia etiam aliæ virtutes versantur circa actus externos, vt Religio versatur circa actum, & cultū, externum, & hoc directe, & per se primo. Item temperantia circa actus externos versatur vt ieiunium &c. ex quarum tamen virtutum transgressione non incurritur restituendi obligatio.

Petr. Nau. Cæterum Petrus Nauar. non retulit fideliter Martini Nauar. rationem. Siquidem hic Auctor ideo docet obligationem restitutionis oriri ex transgressione iustitiæ, non autem ex transgressione charitatis, misericordiæ, aut aliarum virtutum: quia transgressiones aliarum virtutum a speciali iustitia, non versantur per se, & directe circa ablationes rei alicuius exterioris. transgressio autem iustitiæ specialis per se, & directe ordinatur ad auferendum aliquid ab alio, quod causat restituendi obligationem. Quæ sane ratio sic exposita non differt ab illa, quam ibidem tradit Petrus Nauar. nu. 15. Ideo enim inquit ille, obligatio restitutionis oritur ex violatione iustitiæ: quia hæc per se, & directe versatur circa bona vtilia, vt sunt commutationes rerum temporalium pretio æstimabilium, & consequenter qui hanc legem transgreditur, vltra pœnitentiam pro peccato commisso in damnificando proximum, tenetur ad reparationem rei vtilis, cū tamen cæteræ virtutes non directe in æqualitate bonorum temporalium, & vtilium seruanda versentur, sed vel in colēdo Deo, vt religio, vel diligendo vt charitas.

Siluester. Eamdem fere rationem reddit Syluest. verb. rest. 3. q. 6. §. tertium. vbi scribit, quod ad restitutionem nullus tenetur, nisi quia causa est inæqualitatis rerum, iustitiæ vero solius est æqualitatem seruare. quæ ratio deducta est ex natura ipsius restitutionis: nam dici solet iustitiam versari inter datū, & acceptum, in quæ inclinat per se, & directe ad seruandam æqualitatem, quæ in alijs virtutibus non reperitur.

Secundo obseruandum est, quod ad substantiam restitutionis parum refert, an damni illatio sit ex culpa, seu malitia, secus tamen quo ad modum restituendi. Ratio est: quia cū restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ ex sua natura tantum intendit æqualitatem, vt diximus, in rebus ipsis; hac. n. est substantia restitutionis. Hinc fit vt qui bona fide equum emeret a fure, si viuente equo sciat eum esse furtiuum tenetur restituere. Quo ad modum autem restituendi multum refert bona, vel mala fides, culpa, vel non culpa. Qui enim bona fide equum furtiuum emit; si durante bona fide perit equus, vel alienatus sit, & postea is, qui habuerat resciuit fuisse furtiuum ad nihil tenetur, nisi ad id, in quo factum erat ditior, vt inferius dicetur.

Tertio obseruandum est, quod ad discernendam restitutionis obligationem videndum est an inæqualitas, & iniustitia in eo reperiatur, cui facienda est restitutio, vnde fiet vt etiam cognoscatur quanta est inæqualitas & iniustitia, ita vt tantundem restituatur. Cum enim restitutio actus sit iustitiæ, seu vt nomen ipsum importat, iterato aliquem in possessionem, vel dominium rei suæ statuere, constitui debet æqualitas in ipsis rebus in ordine ad personas particulares, atque ideo in restitutione videndum est, quæ & qualis, & quanta sit inæqualitas iniustitiæ, & tantundem restitui debet.

Restitutionis obligatio vnde nascatur. Quarto obseruandum est. Restitutionis obligationem in vniuersum nasci ex damno alteri illato; Damnum vero infertur proximo, vel bonum eius auferendo, vel illud non restituendo, vel malum illi inferendo; ad quem modum reducitur tertius modus, quo solemus proximos damnificare, eos ab assecutione alicuius boni impediendo, quæ omnes iniustitiæ per restitutionem sunt reparandę & emendandæ.

Duobus modis potest quis pati damnum. Quinto obseruandum est, quod cum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ constituens æqualitatem inter illum, qui damnum accepit, & eum qui intulit, sicut duobus modis pati quis potest damnū in rebus suis, vel quia iniuste ab eo auferuntur, vel quia eo inuito retinentur, ita quoque ex duplici capite, titulo, & radice nascitur obligatio restituendi. Primum caput est acceptio rei. Secundum est res accepta, quibus addi potest & tertium, scilicet & acceptio rei, & res accepta simul. Rursus acceptio rei, alia est iusta vt in mutuo, deposito, accomodato, quæ vel est in vtilitatem accipientis, vt in mutuo, vel in vtilitatem rei ipsius, & dantis, vt in deposito; Alia vero est iniusta, vt in furto, rapina, vsura, &c. Exemplum solius acceptionis rei iniuste potest esse quando quis rem alterius furto accepit, & eam amplius apud se non habet. Exemplum solius acceptæ est, quando quis apud se rem alterius habet, quam tamen a vero domino non accepit, vt qui equum a latrone emptum habet, quem tamen furatum esse ignorat, exemplum vtriusque hoc est, quando quis equum furatus est, & eum apud se retinet.

Quid nomine rei acceptæ, & acceptionis intelligatur. Sexto obseruandum est, nomine rei alienæ acceptæ non solum intelligi rem ipsam prout ipsa in se, & in sua substantia est, sed etiam in fructibus suis, quos res illa suapte natura solita est parere; dixi suapte natura: quia fructus qui prouenerunt industria accipientis, sicut non computantur in re, ita non sunt obnoxij restitutioni. Nomine vero acceptionis intelligitur quacunque acceptio non gratuita, siue ea sit iusta nempe ex voluntate domini rem dantis non gratuito, sed pro compensatione facienda suo tempore ex pacto, siue sit iniusta, vt cum domino inuito accipitur, vt per furtum, vel rapinam. Intelligitur etiam omnis actio iniuriosa, per quam infertur damnum proximo, & per quam alter minus habet, quam debet habere; siue res maneat apud accipientem, sicut in furto, siue non maneat, nec in ipsum transeat, vt cum quis comburit alterius domum, vel segetem, vel proximum lædat in bonis corporis, animæ, & famæ, &c. Vnde in hac materia abscisio brachij, combustio domus, læsio in fama, & similia damna proximo illata, nomine acceptionis intelliguntur: quia per talē actus habet proximus minus, quam debet habere.

Septimo obseruādū est, quod qui ratione acceptionis tenetur, semper restitutioni manet obnoxius, etiam si res accepta penes accipientem non sit. Vnde qui rem alterius furatus est, & eam amiserit, aut alienauerit, aut domum alterius combusserit, aut famam, vel honorem alteri abstulit, tenetur ad restitutionem. Nam quicumque alteri iniuriam intulit, tenetur eam resarcire, etiam si inde nihil lucri habuerit. Qui etiam rem accepit domino volente, sicut in mutuo, eam restituere tenetur, etiam si rem illam apud se non habeat, aut aliquo modo illam amiserit etiam sine sua culpa. Qui vero tenetur solum ratione rei acceptæ, restituere tenetur si rem illam habet, quod si illam non habet non tenetur nisi culpa sua rem illam amiserit, aut ante quam res periret illam alienauerit, vel consumpserit sciens rem esse alienam. Prior pars patet: qui habet id, quod est alterius, habet plus quam suum est; damnificatus autem habet tantundem minus cum igitur iustitiæ commutatiuæ munus sit constituere æqualitatem inter eum, qui minus habet, quam debet habere, & eum qui plus habet, quam deberet, qui rem alterius habet eam alteri restituere debet.

Secunda pars patet: quia cum teneatur solum ratione rei acceptæ sit, vt cessante causa obligationis cessat ipsa obligatio. Vnde qui est depositarius rei alienæ, quia tenetur solum ratione rei acceptæ, & non ratione acceptionis, si res illa pereat sine notabili culpa sua, non tenetur ad restitutionem. accipiens enim rem hoc modo cum non accipiat illam in suā vtilitatem, sed propter vtilitatem ipsius dantis, si pretium custodiæ non accipiat, vel aliter se seruare constrinxerit, non fit eiusdem rei custos ex iustitia, sed ex gratia, & beneuolentia, atque adeo si absque sua culpa res perdatur non ipsi, sed domino perit, atque adeo eam restituere haud tenetur. Secus autem dicendum esset si sua notabili culpa rem illam amiserit. Nam iure naturali, qui causam damni dat damnū dedisse videtur, ideoque si culpa sua res perijt, damnum resarcire tenetur.

Postremo obs. est, ꝙ cum in hac materia difficile admodū sit, quid certū sit semper affirmare, ideo nobis satis erit ea scire, & tradere, quæ morali certitudine sciri, & tradi solent, si quidem in his acquiescere debemus, quæ iuxta dicta sapientum, & communem Theologorū sententiam probabilia iudicantur. Vnde in hac materia morali ignorantia inuincibilis hominem in conscientia tutum reddit. Quo fit vt etiam si opinio aliqua falsa fortassis sit, si tamen probabilis sit, & eā sequuntur Doctores propter rationes probabiles, potest vnusquisque sententiam illam tuta conscientia in praxi sequi, E contra vero si sit opinio aliqua, quæ a parte rei vera est, & tamen Doctores communiter ob rationes probabiles oppositum sentiant, tuta conscientia quis in praxi illam sequi poterit: quia in rebus moralibus sequi debemus rationes probabiles, & Doctorum opiniones cum dicat Philos. in Topicis. Quædam falsa sunt, quæ tamen veris probabiliora videntur.

AR-

ARTICVLVS II.

Vtrum iubens damnum fieri ad restitutionem teneatur.

PRo huius art. explicatione obs. est primo, posse aliquos ad damnum concurrere bifariam nimirum positiue, & negatiue, priori modo concurrunt, qui verbo, aut opere furi cooperantur, quales sunt qui in sex primis dictionib. continentur, posteriori modo concurrunt negatiue, qui in tribus vltimis dictionibus significantur. s. Mutus, non obstans, non manifestans.

Secundo obseruandum est, quod ex his, qui positiue concurrunt, quidam sunt qui participant in actu damnificandi, seu furandi, quidam qui in re furtiua, quidam vero qui in actu simul & in re participant.

Tertio obseruandum est, quod ad hoc, vt aliquis ex supradictis nouem modis ratione iniquæ acceptionis ad restitutionem obligetur, requiritur omnino vt res aliena sit ablata. Quotiescumque enim factum non sequitur, quamuis socij, & iuuantes ex sola nocendi voluntate mortaliter peccauerint, ad restitutionem tamen non tenentur, cum damnũ actu, & re vera illatum non sit.

Causa efficax damni quæ dicatur

Quarto obseruandum est, certum esse ex communi omnium consensu teneri ad restitutionem omnes illos, qui causam damni efficacem dederint. Causa vero efficax damni ea est in proposito, qui aliquo influxu, & concursu suo moraliter concurrit, & confert ad effectum, quo proximo nocetur, quæ etsi a Doct. videatur causa sine qua non appellari, dum dicit, propter quam fit ablatio, & sine qua nõ fieret, non accipit tamen causam sine qua non eo modo, quo dicimus fenestræ aperitionem causam esse illuminationis domus, sed prout dicimus, quod causa est qua posita ponitur effectus, & qua non posita non poneretur effectus, quando ergo dicit Scotus quod inducens si consulit vel fauet, consilio, aut fauore tali propter quem fit ablatio, & sine quo non fieret, atque adeo consentientem, vel consulentem non teneri ad restitutionem, nisi quando sine ipsius consilio, & consensu non sequitur damnum, intelligit non quia est præcise causa sine qua non, sed quia talis consensus non influit, nec concurrit iam ad illum effectum, sed est consensus inutilis, & quasi frustra adhibitus.

Nam cum duo hic reperiantur alterum quod se habet, vt affirmatio, nempe re vera concurrere, & efficere, & alterum quod se habet vt negatio, nempe sine ipso nõ sequi effectũ, non sumit Scotus rationem causæ ab hac negatione, ita ꝙ illud dicatur causa, qua non concurrente non sequatur effectus, cum in effectis, qui a varijs causis possunt procedere, non sit optima illatio, hic effectus potuit procedere ab alia causa sine hac, ergo hæc a qua procedit, non est vera, & efficax causa, sed sumit rationem causæ ab illa affirmatione, quę est concurrere, cum supra dixerit auferre autẽ potest vt causa superior. s. præcipiendo, vel vt proxima immediate auferendo, vel vt causa coadiuuãs &c. Et hoc obseruaui propter aliquos male Scotum intelligentes.

Al. de Ale.

Quinto obseru. est, secundũ Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. art. 3. §. 4. vers. sic itaque quæritur in iussione considerandũ esse, an is cui præcipitur sit subditus præcipienti, nec ne. Si. n. non sit subditus, & alter alias æque paratus erat ad nocendum, non videtur causa damni, & consequenter nec ad restitutionem tenetur. Et subdit, quod si amicus præcipiat. amico pauperi vt rapiat, vel furetur vbicunque possit, & diues fiat amicus, ille præcipiens non tenetur ad restitutionẽ, ea ratione, qua pręcipit: quia non habet auctoritatem præcipiendi, vnde nec præceptum suum habet vim præcepti: quamuis ex alio capite ex ratione mali consilij ad restitutionem obligari poterit, quod alter ad furandum ex eius consilio moueatur, iuxta ea quæ infra dicemus.

His obseruatis dico, quod præcipiens ex genere suo ad restitutionem tenetur, cum sit causa præcipua, & quæ potissimum mouet ad inferendum damnum. Dixi ex genere suo: quia per accidens & ex circunstantia potest euenire, vt præcipiens non teneatur aliquid restituere. Primo ex regula in tertio notabili posita si non sequatur effectus. Secundo si is cui præcipitur ita est paratus, & præcinctus ad inferendum damnum, vt talis iussio neque illum moueat, neque confirmet in suo iniquo proposito, neque inducat vt citius faciat: quia tunc iubens nihil efficit, quod pertineat per se ad illam iniquam actionem: quod ex eo clare patet; quia præcipiens ideo est causa, & concurrit ad damnum; quia vel mouet, vel confirmat, vel accelerat ad damnum, in hoc autem casu nihil horum præstat, ergo in hoc casu nõ est causa, nec concurrit, sed est veluti permissio quædam, fac quod vis; quia dixit Christus Iudæ quem paratissimum, & firmatissimũ in suo iniquo proposito videbat, quod facis fac citius: sed dubium est, an si iussor post per actum actionem iniustam mandat restituere, illo non restituente, liber sit iubens a restitutione?

Ale. de Al. Gabriel.

Respondeo ex Alex. vbi supra. q. 24. m. 5. art. 3. §. 4. & Gabr. in 4. d. 15. q. 2. art. 3. dub. 2. quod si ex eius mandato secutum sit furtum, vel homicidium, non liberatur a restitutione nisi in effectu alter restituat, & obediat præcepto restitutionis, sicut obediuit præcepto iniustæ actionis.

ARTICVLVS III.

Vtrum consulens si consilio suo furem induxit ad furandum restituere teneatur.

Consulens quis dicatur.

NOmine consulentis hoc in loco intelligitur hortans, dirigens, instruens, vt si quis suo consilio, aut exhortatione, incitat aliquem vt furtum, homicidium, simoniam, vsuram, aliudue huiusmodi committat, aut hæc licita esse aliquando consuluit, vnde alter ex suo consilio mouetur ad id faciendum alioquin non facturus, aut exinde augetur eius voluntas, vt certius, aut velocius id faciat, tunc eo non restituente qui fecit, consulens tenetur ad restituendum in solidũ totum damnum inde secutum. Quia tale consilians vere est causa efficax damni illati. Quoniam Arist. 2. Physic. cap. 3. cõsiliatium causam efficientem vocet. Et in iure consiliatius, & consentiens eodem modo puniuntur ac ipse delinquens, vt colligitur ex c. notum sit. 2. q. 1. & ex. c. sicut dignum. de homic. & ex c. nuper. de sent. excom. & ex l. qui seruo ff. de furtis, & es. l. 1. ff. de seruo corrupto.

Sed contra hoc facere videtur: quod ille, qui dat consiliũ alicui, quod aliquid iuste acquirat, non ex hoc remunerari meretur parte rei acquisitæ, vel toto acquisito, ergo a simili videtur, quod qui consulit aliquid acquirere furto vel rapina, non ex hoc tenetur in aliquo damnificari, vt pote restituendo partem rei furtiuæ vel totam.

Item ille, qui cõsulit alicui, quod furetur aliquid, qui fuit in firmo proposito furãdi illud nec plus, nec minus facit propter consilium sibi datum, vnde consilium sibi datum non est causa, vel occasio furti commissi, non tenetur ad restitutionem, ex quo consilium eius non fuit causa, vel occasio furti commissi, ergo consulens non tenetur ad restitutionem.

Item si consulens rapere, vel furari, obligat se ipsum ad restitutionem, ergo videtur quod ille idem consulens restituere furtum, vel rapinam, absoluat se ipsum a tentione restitutionis, ergo si consilium de restitutione facienda non absoluit a tentione restitutionis, neque consilium de rapiendo vel furando aliquid obligat ad restitutionem.

Ale de Al. D. Thom. Scotus. Sayrus.

Sed his non obstantibus nostra conclusio est certissima, quam docet Alex. de Ales. par. 4. q. 24. m. 5. art. 3. §. 4 quæstiũcula. 2. D. Thomas. 2. 2. q 62. art. 7. & Scotus in hac. q. & neoterici omnes, ques refert Clauis Regia lib. 10. tract. 2. capit. 8. Quæ conclusio procedit quando consilium datum est in delicto perpetrando, tunc enim si consilium sit causa delicti tenetur consulens sic & agens, secus alias, quando alter delictum erat commissurus sine tali consilio; quæ omnia vt notat Ioan. Medina cod. de rebus restituendis quæstione 8. prima ad 2. post Angelum in verbo consil. numero primo procedunt in foro conscientiæ. Nam in foro iudiciali ex solo consilio sine opere, non tenetur saltem secundum leges, vt aperte habetur instit. de obligatio. quæ ex delicto nascuntur. §. certe qui nullam opem.

Io. Medina. Angelus.

Quia vero non ita bene ac certo fieri potest, an alter ex suo consilio motus sit ad furandum, vel damnum aliud inferendum, nisi cognito animo ipsius agentis. Ideo Medina putat interim dum animum agentis ignoratur non obligari consulentem ad restituendum sub pœna peccati mortalis, modo paratus sit restituere, quando sciuerit se causam furto dedisse. Postquam igitur quis probabiliter sciat alterum commisisse delictum ex suo malo consilio proculdubio consulens totum damnum inde secutum restituere tenetur.

Hinc sequitur primo obligari ad restitutionem eum, qui fraudulenter, & dolose consuluit fieri aliquod peccatum,

non

non tamen tenetur restituere ei, cui dedit consilium, sed ei contra quem dedit. siquidem committens delictum voluntate peccat, atq. ita ei iniuria fieri non potest, vnde sibi imputari debet: scire namque debebat sibi non expedire, nec ex impietate sua quispiam commodum reportare debet, vt habetur in l. ita fullo. ff. de furtis. At consulens excusari non potest cum scienter, & sponte consulat, tunc enim semper præsumitur dolus, vel saltem culpa lata, quæ maxime in maleficio, æquiparatur dolo atque adeo semper tale consilium est culpabile, & consulens ad restitutionem damni obligatur, vt *Gloss. Franciscus de Platea. Gabriel.* late docent Glos. in cap. nullus. de reg. iur. in 6. & Franciscus de Platea, quæ sequitur Gab. in 4. d. 15. q. 2. art. 3. dub. 2. Et quod dicitur de consilio furti, aut homicidij, habet etiam locum in consilio de collectis imponendis clericis sine licentia Papæ, in consilio vsurarum, in consilio non restituendi aliena, in consilio condendi iniqua statuta, & in eo qui fraudolenter & dolose, & sui lucri gratia consulit alicui mutuari debitori non idoneo, & in eo qui fraudolenter consuluit teneri ad restitutionem eum, qui re vera non tenetur, vel non teneri eum, qui tenetur; & denique in quocumque alio consilio damnificandi proximum scienter, vel ex ignorantia crassa. Nam quoties agens ob alterius consilium ad agendum mouetur, consulens ex tali consilio malo, doloso, & fraudolenter dato ad totius damni restitutionem obligatur, *Paludanus. Gabriel. Medina.* ita docent Palud. in 4. dist. 15. q. 1. art. 3. Gabriel. Medina, & iuniores.

Secundo sequitur, quod qui minus malum consuluit ad maius damnum euitandum, si nihil ex furto alterius accepit ad restitutionem minime teneri. verbi gratia. Si quis furi volenti centum aureos furari Petro, aut equum pretiosum, quem nullo alio modo auertere possum ab hoc magno furto, nisi consulendo ei, vt non tantum damnum inferat Petro, sed contentus sit furari quinquaginta aureos, aut equũ stigosum, & non ita bonum, non sim restitutioni obnoxius. Hoc consectarium est contra *Gabriel. Syluest. Caiet.* Gabr in 4. dist. 15. q. 11. art. 3. dub. 14. Syluest. verbo Matrimonium. 7. q. 5. § Nouu, & Caiet. in 2. 2. q. 78. art. 4. docentes non esse licitum consulere minus malum, ad maius malum vitandum, quia Roma. 3. Non sunt facienda mala, vt veniant bona. Cæterum no- *Io. Driedo. Adrianus.* strum consectarium docent Ioan. Driedo libr. 3. de libertat. Christiana in fine. Adrian. quol. 1. art 3. ad secundum principale, & in 4. sent. in materia de restit. in princ. §. secundo *Caiet.* dubitatur, & ipsemet Caiet. in opuscul. 17. responsionum responsione. 13. dub. 3. & in summa in verbo Tyrannus, & *[...]tus.* Sotus lib. 4. de iust. & iur. quæst. 7. artic. 3. & libr. 6. quæst. 1. art. 5. & cæteri Thomistæ. Et ratio est. Quia sic consulens nec peccat in animam agentis ob scandalum, seu cooperationem ad eius peccatum; quia cum alter paratus sit maius malum committere, consulendo minus malum; non tam est consulere malum, quam auocare illum a malo maiori, ne illud committat, sed potius vt expleat libidinem, minus illud malum committendo, vnde tantum abest vt sic consulendo peccet, vt potius cooperator sit, ne alter peccet ita grauiter. Nec peccat in proximum: quia consulendo minus damnum, vtiliter gerit rem proximi, nec rationabiliter potest esse inuitus, quin potius beneficij loco habere debet, quod causa fuerat, quo minus iam graue damnum pateretur, & ideo ad restitutionem aliquam Petro faciendam non tenetur.

Breuiter quo ad consulentem duo sunt attente obseruanda, primum si consilium sit causa efficax damni illati, adeoque ex alterius consilio, efficaciter mouetur & inclinatur ad inferendum damnum alias non illaturus. Secundum ex quo sequitur primum, an fur ita determinatus erat ad furãdum quod ad illud nullo modo motus fuerat ob consilium, nec in hoc voluntas eius firmior, aut maior ex consilio facta sit. Et ex his duobus obseruatis omnia dubia circa hunc art. facillime soluũtur. Nam ex hoc sequitur, quod si fur dubius est an centum sit furaturus Petro, vel ducenta, si Ioannes cõsulat ei, vt potius furetur centum, quam ducenta, vel vt potius furetur centum a Petro diuite, quam a Paulo paupere, secuto furto tenetur restituere: quia iniustitia facit ei, cui damnum factum est, & in vtroque casu voluntatem alterius dubiam determinat ad damnum inferendum: nam si non consuluisset, fortasse nec minus damnum inferret.

Secundo sequitur. quod si fur sit omnino paratus furari. verbi gratia, centum, & alter consulit, inducit, vel præcipit, vt furetur ducenta, vel vt rapiat alia centum, cum ad furandum centum nullo modo sit motus ob consilium, nec in hoc voluntas eius firmior, aut maior facta sit, non tenetur consulens nisi ad centum, quibus ipse causam dedit: quia alias fur paratus omnino erat, vt supponitur furari priora centũ. At si consilium de furando ducenta animum furis firmiorẽ, aut maiorem effecerat, respectu illorum centum, quæ prius furari decreuerat; tenebitur consulens non solum ad noua centum, sed etiam ad illa priora centum, quæ ante furari decreuerat; quia est causa efficax totius damni.

Ad argumenta in oppositum respondetur, & ad primũ dico. Quod consulens, quod aliquis iuste acquirat aliquid, non ex hoc meretur de necessitate remunerari parte rei acquisitæ, vel toto: ergo a sensu contrario, qui consuluit, quod furtiue &c. Potest dici, quod non sequitur, quia sicut plura requiruntur ad hoc, quod aliquis acquirat sibi bonum meritorium, siue gratuitum, quam ad hoc quod mereatur damnificari in bono gratuito acquisito, sic est in proposito. Ad hoc enim quod aliquis mereatur, oportet quod genus operis, quod exercet, sit de genere bonorum, quoad fiat recta intentione, & in charitate atque etiam ex charitatis inclinatione, sed ad hoc quod priuetur merito sufficit, vel quod opus sit malum, vel quod intentio agentis sit peruersa, vel quod deficiat charitas, vel non fiat ex charitate, hoc est ex inclinatione charitatis. Similiter in proposito, ad hoc quod aliquis mereatur damnificari debito restitutionis male acquisiti: sufficit vnum, scilicet prauum, vel peruersum consilium: ad hoc autem quod mereatur remunerari necessitate iustitiæ, non sufficit consilium de fideli acquisitione, sed requiritur cum hoc solicitudo, & labor in acquirẽdo: si enim aliquis det alij consilium, quod acquirat aliquid iuste, & assistat illi in labore, & solicitudine acquirendi, & in alijs, si qua necessaria sunt ad illud acquirendum, iustitia requirit, vt remuneretur parte rei acquisitæ.

Ad secundum dico, quod quando quis dat consilium alicui de rapiendo, vel furando nõ rapturus, vel furaturus nisi tali consilio esset inductus, consulens tenetur ad restitutionem: sed si nullo modo est inductus consilio, sed alias esset furaturus, vel rapturus, licet peccet sic consiliando, non tenetur ad restitutionem: quia consilium eius non est causa, vel occasio furti, vel rapinæ perpetratæ, neque proximo in aliquo damnum infert.

Ad tertium dico, ꝙ ille, qui consulit absolutus est a tentione restitutionis, si ille cui consulit furata restituat, vnde sicut qui consulit furari, tenetur ad restituendum, si alius furetur, similiter qui consulit restituere absoluitur a tentione restitutionis, si alius restituat.

ARTICVLVS IV.

Vtrum si quis factum delictum postquam sciuit ratum habet teneatur ad restitutionem.

NOmine consentientis intelligitur adiuuans, fauens, approbans, auxilians, suffragium ferens. potest autem consensus bifariam considerari, vt tradit Caiet. in summa verbo *Caietanus. Salon.* restitutio, & post ipsum Michael Salon. de iust. & iur. q. 62. art. 7. controuersia. 1. §. de consentiente. Nam aut est tantum consensus & complacẽtia quædam voluntatis, aut est simul consensus & causa effectus. v. g. agitur de bello inferendo iniuste, vocat Rex Magnates, & Principes regni, non vt consulat, an expediat bellum illud inferri: quia firmiter decreuit iam apud se illud inferre, sed vt illum comitentur, tuuent, consentiunt omnes in illud, hic consensus non est causa, sed tantum consensus & complacentia. Si autem fingamus Regem non dum decreuisse bellum illud inferre, vel ita decreuisse, vt tamen paratus sit eorum audire consilia, & vota, & cum illis plenius deliberare, tunc consensus eorum, qui ad talem consultationem vocantur, est simul consensus & causa, cum voluntas Regis non sit plene deliberata, sed eorũ consensu, & suffragijs sit confirmanda, & inflamanda. *Al. de Ale.*

Est ergo regula in hac materia vt docet Alex. de Ales p. 4. q. 24. m. 5. §. 4. quæst iun. 4 ꝙ si quis assentit furi alias non furaturo ad restitutionem tenetur, si autem alias furaretur, nõ tenetur, vel si complacet sibi post factum, eo quod in tali casu non est causa vel occasio alicuius iniustæ damnificationis; atque ita quando consensus est præcise consensus, & cõplacentia, sed non causa, non obligat ad restituendum: quia nõ

influit

influit tunc in effectum, nec aliquid efficit per se pertinens ad actionem nociuam; quando autem est simul causa, & consensus restitutionis obligationem inducit, eo quod vere tunc influit in effectum, & ad damnum inferendum concurrit.

Ex hac regula facile est explicare quid sentiendum sit, quando aliquis nihil iubens, vel consulens, aut consentiens suo tamen nomine factum delictum postquam scitur rati habet, an restituere teneatur. Nā quamuis Angelus in verbo furtum. §. 20. S. Anton. p. 2. tit. 1. c. 22. §. 12. referens Palud. Sylu. in verbo restitutio. 3. q. 5. vers. 2. & Nau. in Man. c. 17. nu. 133. affirment ad restitutionem teneri. Tamen Io. Med. C. de rebus restituendis. q. 7. ad 4. Petrus Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. 6. nu. 69. negant teneri in conscientia ad restitutionem. Et ratio est quoniam etsi non sit liber a peccato propter complacentiam in delicto commisso, non tamen tenetur ad restitutionem, quia per talem ratihabitionē, nec realiter, nec causaliter damnificatur proximus: si quidem tempore huius ratihabitionis iniusta actio perpetrata iam fuit. Nec valet regula ratihabitionis, quam adducit Nauar. de reg. iur. in 6. vbi dicitur. Ratihabitionem retrotrahi, & mandato cōparari, nec illud quod adducit ex c. cum quis. de sent. excom. in 6. vbi habetur incidere in excōicationem ipso iure eum, qui percussionem clerici suo nomine factam ratam habet: Quoniā regula illa ratihabitionem mandato comparari, nō loquitur de restitutione facienda ob iniustam acceptionem, præterq; quod regula illa multas patitur exceptiones: non. n. incurrit irregularitatem, qui ratum habet homicidiū suo nomine factum, etiamsi iubens homicidium reddatur irregularis, si opere compleatur, vt docet Alex. de Ales vbi supra, ad secundū. Nam qui assentit alicui volenti interficere hominem, & illum assensum exprimit iubens homicidium, pœnam homicidæ incurrit irregularitatis, & quantum ad hoc simile est in hoc casu, & in furto, sed quia pœna irregularitatis proprie debetur homicidio actu exercito, non homicidio voluntario, quod nulli nocet, consentiens vero furi nocet alicui, quia vt dictū est, est causa vel occasio furti, nō est simile de assentiente furi, & voluntario homicidio quantū ad reatū pœnæ irregularitatis a parte ista, & restitutionis a parte illa: reatus. n. irregularitatis debetur actui, non volūtati, assensui vero seu complacentiæ non debetur, nisi eo modo quo dictum est, sicut pœna restitutionis assensu furti, vel rapinæ, & hoc ratione damnificationis proximi, quam importat, cap. autem eū quis probat solum merito puniri ab ecclesia, ratum habentē delictum percussionis clerici suo nomine factum, non tamē probat teneri ad restitutionem damni. Et quamuis propter ratihabitionem pœna positiuæ legis retrotrahatur, non tamē causatio, & obligatio restitutionis retrottahitur, cū hæc nulla ratione causa delicti fuit. Ratihabitio igitur dicitur æqui pollere mandato, quo ad speciem peccati tantum, non autē quo ad restitutionem.

Ex eadem regula soluitur etiā alia difficultas, an scilicet, qui in capitulis, vel collegijs suffragiū habentes, cum vltimi suffragium ferunt, & videant rem determinari debere ex suffragijs iam latis præcedentium suffragatorum consentiūt illis, ad restitutionem teneantur.

Pro cuius solutione obs. est, an suffragia illa publice, & palam proferuntur, vel secreto. Rursus si secreto proferūtur, aut qui vltimo ferunt suffragia sciunt plures præcedentium ita determinatos ad iniuste suffragandum, vt suo suffragio nihil effecturi sint, nec precibus, suasionibus, aut auctoritate illos a sua sententia auertent, aut probabiliter dubitāt, aut ignorant. Item si publice ferantur, qui vltimo suffragantur, aut vident priorum vota determinata, & fixa ad iniquā electionem & sententiam, vt nulla rōne, suasione, vel auctoritate possint eos a sua sententia amouere, aut habent spem aliquam illis suadendi, vt faciant quod iustum, & æquum est. His enim omnibus modis suffragia fieri possunt, & solent.

Hac stante dist. dico primo. Si necessarius sit numerus omnium suffragatorū, vt res executioni demandetur, tunc siue publice, siue priuatim, & secreto suffragātur tam primi, quā vltimi suffragium ad iniquam electionem, aut causæ determinationem iniustam præbentes peccant mortaliter contra charitatem, & contra iustitiam, & proinde ad restitutionem tenentur: & hoc certum est apud omnes auctores. Quia omnes, causa efficiens, & efficax sunt damni secuti.

Dico secundo. Si suffragia secreto ferantur siue sciat siue ignoret, quid alij priores fecerit, aut facturi sint, & suffragetur contra æquitatē, & contra charitatē, & contra iustitiā peccat, & tenetur quilibet ad restituendū in integrum: ratio est quia non est maior ratio antecedētium, quam sequentium, & in effectu, licet quo ad sonum verborum, aut proferendi suffragium, vnus prior, & alter posterior sit, oēs tamen re ipsa æquales sunt causæ delicti, & damni secuti in suffragādo, & consentiendo iniustæ electioni. Ita sentiunt Io. Medina. c. de rest. q. 7. ad quintū, & Cordub. in sum. q. 191. Nec in hac re pōt esse difficultas, quicquid Salon contradicat vbi supra, qui certo sciebat posteriorem maiorē partem in deterius determinatā, cuius opinio falsa est, vt patet ex dictis, & rarissime occurrere pōt, vt in secreto suffragandi modo, quis certus omnino sit, quid alij fecerint, multoties. n. contrariū eius faciunt, quod exteriori facie ostendunt, vt patet experientia, & secreto suffragia ferūtur, vt alter eius votū quale sit ignoret. Nec aliter sentiūt Caiet. in summa verbo rest. c. 1. p. 4. Nau. in Manual. c. 17. nu. 34. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. puncto. 3. sed solū loquuntur de publicis suffragijs, vt legēti manifestū esse pōt.

Dico tertio. Qū suffragia publice ferūtur, & maior numerus suffragatorū sufficit ad litem dirimendā, aut ad electionē faciendā, tunc vltimi vidēties numerum iam expletū, votaq; priorū vicisse, atq; ita suffragia sua nihil prodesse, tunc licet peccent contra charitatem præbendo consensum, ea scilicet ratione, & intentione, quod dissentiendo nihil efficient, cum veritas & iustitia nullo modo in re graui deferenda sit, ad restitutionem tamen non tenentur; quia in tali casu posteriorum vota non inferunt damnum, nec ad illud concurrunt, cum ferantur iam tanquam inutilia, nullusque momenti in quamcunque partem inclinent, existant.

Excipe tamen qū posteriores suffragantes tātæ sint auctoritatis, vt probabiliter posse eos præcedentium suffragia mutare, tunc. n. tenentur iuxta æquitatē suffragari, & contradicere, & priori, quod rectum est suadere, quod si non fecerint tenentur ad restitutionem. Quo res. n. quis commode tueri potest æquitatem, & resistere iniquitati, eiusque votum videre esse potest iuxta æquitatem, toties votum in contrarium præstans, nec cum tenetur iniquitati obsistens, peccat contra iustitiam & ad restitutionem damni secuti tenetur. Ad-de etiam, quando posteriores eorumque vota ius habent cōfirmari vota præcedentiū, & electionē. Nam hoc ius est distinctum a iure suffragandi aliorum, unum, ac proinde in hoc casu eorum vota maximam causam præstant damni secuti, vnde ad restitutionem sicut alij tenentur. Ex his colligitur quid dicendum sit in electionibus beneficiorum, officiorū, dignitatum, quando sunt multorum suffragijs, & eligitur indignus. Et idē de eo, qui iniustæ liu subscribit, aut in bellū iniustū consentit, qui casus satis frequens est inter iudices, & Regis cōsiliarios, & quibus, quid sentiēdū sit, cōstat ex dictis.

ARTICVLVS V.

Vtrum laudans, seu adulans delinquentem restituere teneatur.

ADulator, qui & palpo dicitur intelligitur ille, qui laude sua & applausu incitat, procurat, vel prouocat ad damnum proximi, quamuis. n. laudatio alicuius in genere, seu adulatio furis seu raptoris, si sit tantum letificatiua non obliget ad restitutionem; si tamen sit causatiua iniustitiæ, quia. s. probabiliter credit ex sua adulatione alium esse motum ad lędendum proximum, obligat ad restitutionem, vt si quis dicat prædones esse viros strenuos, & per hoc allicit alios ad spolia facienda, quę non facerent, si talis adulator huiusmodi actus vitiosos non commendaret, vel si quis laudat furem, vel rapinam, & sic inducitur fur ad furandum, tenetur ad restitutionem insolidum fure non restituente.

Ad hoc genus reducitur qui deridet, aut vituperat eum, qui non furatur, non vlciscitur, aut non lædit proximū, vt si dicat amico indignus es, qui tali iniuria afficiaris, ignauus es si pateris te ita tractari: si. n. exinde alter pudore affectus occidit, aut percutit, aut aliud damnum proximo infert, tenetur iste ad restitutionem. Si quis exprobraret marito adulterium vxoris, quo irritatus maritus occidit adulterum tenetur iste ad restitutionem cum fure. Ita docent Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. §. 4. Palud. in 4. d. 15. q. 2. art. 3. Nauar. in Man. c. 17. nu. 131. vers. 38. & Petrus Nau. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. 7. & al. 3. Et ratio est quia commendatio actus furantis vel rapientis, aut aliud facinus perpetrantis licet sit iniusta, tamen incitat furem, vel raptorem, aut homicidam

Angelus. D. Antoninus. Paludanus. Sylvester. Nauar. Io Medina. Petr. Nau.

Al. de Ale.

Io Medina. Corduba. Salon.

Caiet. Nauar. Valentia.

Ale de Ale. Paludanus. Petr. Nau.

cidam

cidam tantum, quantum facit consilium vel assensus, vel forte plus; atque a (eo), si consulens, vel assentiens furanti, vel rapienti, vel homicidæ tenetur ad restitutionem, & adulator similiter tenetur.

Dicendum est ergo ad quæsitum, quod si adulatio si stat in generali non descendendo ad furtum, vel rapinam, sed laudando personam furis, vel raptoris, tanquam bonam, & honestam non est iudicandus teneri ad restitutionem; sed si laudat furtum vel rapinam, & hoc modo inducitur fur ad furandum, tenetur adulator restituere si fur non restituat.

Sed contra hoc arguitur adulatio, & furtum non se habent in aliqua consequentia, non enim sequitur ille adulatus est, ergo iste furatus est, ergo vt videtur nullus obligatur ex vno delicto alterius, atque adeo adulator non obligatur ad debitum furti, nimirum ad restitutionem. Respondeo, quod si inducatur fur ad furandum adulatione, adulatio se habet in aliqua consequentia ad furtum: quia est causa furti. Sed contra adulatione nihil imprimitur in voluntate furantis, ergo non potest esse causa; antecedens probatur: quia vt haberi potest a Philos. laus nihil ponit in laudato, ergo nec adulatio aliquid ponit in adulato, & per consequens adulator non tenetur ad restitutionem aliquam pro furto, quod committit adulatus.

Respondeo, quod illud dictum, laus nihil ponit in laudato, sic debet intelligi. Laus est exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis per expressionem vocis. Laus ergo nihil ponit in laudato hoc est, nihil accedit, vel accrescit in laudato virtutis ex testimonio, quod ei perhibetur: vt si dicatur de aliquo quod sit bonus, hoc dicere nihil bonitatis ponit in eo, nihilominus laus aliquid ponit in eo laudato, scilicet vanamgloriam, vel præsumptionem, vel aliquid huiusmodi. Similiter adulatio aliquam relinquit impressionem in animo adulati: licet nihil, quod in eo ponitur adulando, ponitur ex ipsa adulatione in ipso.

ARTICVLVS VI.

Vtrum scienter recipiens furem post commissum peccatum teneatur ad restitutionem.

PRo explicatione huius quæst. obseruandum est, quod inter alias personas quæ ad restitutionem obligantur est recipiens, quæ nomine recursus significatur, & est ille, qui vel nutrit, vel conseruat, malefactorem, aut audaciam delinquenti præstat; vt qui furem siue ante delictum, siue post recipiendo, vel pollicendo verbis, signis, aut nutibus securitatem præstat recipiendo eum in domum suam, aut facit vt non capiatur.

Secundo obseruandum est duobus modis posse quem apud se malefactorem recipere, vno modo materialiter; alio modo formaliter. Is malefactorem materialiter solum recipere dicitur, qui vere illum recipit, qui malefactor est, tamē aut ignorat vere illum talem esse, aut dubitat, aut licet certo sciat talem esse, non tamen eo intuitu recipit, quatenus malefactor est, sed ratione amicitiæ, consanguinitatis, aut etiam causa communis humanitatis, aut hospitii, prout domi suæ solet hospitio recipere, quoscumque aduenientes, vt stabularius. Ille autem malefactorem formaliter recipere dicitur, qui talem recipit, vt securus male agat, & in suis delictis permaneat, aut ad malefaciendum exinde moueatur.

His obseruatis dico primo, quod ille apud quem latet latro cum spoliis, dummodo habeat spolia in potestate sua tenetur illa restituere vero domino, nec est proditionis crimine redarguendus si spolia furto habita suo domino restituat, immo potius exequitur quod iustitia requirit; & hoc etiam si latro timore mortis ad domum illius confugerat vt mortem euaderet, & spolia illa bonæ fidei ipsius commisisset. siquidem in illicito voto rescindi debet fides, vt inquit Isidorus, & proinde spolia illa vero domino tacita persona furis restituere debet, immo si illa reciperet cum proposito seruandi furi, vel sibi ipsi, esset furti particeps, & reus mortis secundum legem humanam; propter quod necesse habet illa restituere. Vbi autem immineret sibi periculum aliquod, scilicet, si timeret ex restitutione, quod furtum sibi imputaretur, posset illa personę ecclesiasticę nimirum sacerdoti sub sigillo confessionis ad restituendum tradere, Ita Alex. de A- *Alex de Ales.*

les. p. 4. q. 24. m. 5. §. 4. Gabriel in 4. d. 15. q. 2. art. 3. dub. 2. & Petrus Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. 10. num. 119. *Gabriel. Petrus Nauar.*

Et ad hoc caput reuocantur hi apud quos fures, & raptores latitant cum spoliis; tum etiam hi, qui pro homine apud principem, vel iudicem interueniunt, ne male ablata restituant, vt docent Medina C. de rebus restituendis. q. 2. dub. 6. in fine, & Petrus Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. 3. num. 38. aut alias fauorem impendunt, quo minus possint aliena recuperari factum excusando, & hominem defendendo, vt aduocati passim facere solent. Vnde Vrbanus Papa. c. qui aliorum. 24. q. 3. ait. Qui aliorum defendit errorem multo amplius damnabilius est illis, qui errant; quia non solum ille errat, sed etiam aliis offendicula erroris præparat, & confirmat. Et S. Aug. epist. 54. ad Macedonium, & refertur in c. si res aliena. 14. q. 6. ait illud fidentissime dixerim, eum qui pro homine adhoc interuenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem (quantum honeste potest) ad reddendum non compellit, socium esse fraudis, & criminis. *Medina. Petrus Nauar. Vrbanus Papa. D. August.*

Dico secundo quod recipiens furem, aut malefactorem materialiter post commissum peccatum nihil de præda participans non tenetur ad restitutionem, cum non concurrat ad furtum, nec aliquid præstet per se pertinens ad iniquam actionem, sed potius opus pietatis, & amicitiæ exerceat. Vnde l. 2. ff. de receptoribus dicit, quod consanguinei latronum illos recipientes non debent ita seuere puniri sicut alii.

Dico tertio, quod qui recipit malefactorem formaliter etiam ante commissum delictum ad totius damni restitutionem tenetur, quamuis nihil de furto recipiat. quia talis vere est causa iniustæ acceptionis, vel detentionis, & suo auxilio, & securitate directe animum malefactori præbet ad malefaciendum. Ita docent Petrus de Arrag. 2. 2. q. 62. art. 7. & Michael Salon ibidem. *Petrus de Arag. Salon.*

Hinc colligitur quo sensu intelligendæ sunt censuræ, quę in bullis Cęnæ Domini contra receptores hæreticorum, & quæ in aliis bullis pontificiis contra receptores malefactorum & bannitorum feruntur. Intelligendæ namque sunt de recipientibus formaliter & materialiter; non autem materialiter solum. Siquidem censuræ istę feruntur contra receptatores, qui sunt coadiutores, & fautores, & recipiendo illos mortaliter peccant. quales solum sunt, qui hæreticos, aut alios malefactores recipiunt, qua ratione hæretici sunt, vt scilicet in hæresi maneant, & foueantur in furtis, & malefactis suis permaneant, secus autem si quis eos solum ratione communis pietatis, necessitatis, aut hospitii, vel consanguinitatis reciperet, vt recte Nauar. Manu. cap. 27. nu. 26. & 55. Caiet. in summ. verb. excommun. c. 1. Arag. & Salon vbi supra, & Gab. in 4. d. 15. q. 2. art. 3. dub. 20. in fine. Ratio est: quia isti nec peccant mortaliter, nec sunt coadiutores sua materiali receptione sola, id quod Salon bene animaduertit verum esse communiter. Si enim bulla exprimeret, nec isto modo vellet eos recipi, standum erit verbis ipsius bullæ. *Nauar. Caiet. Gabriel. Arag. Salon.*

ARTICVLVS VII.

Vtrum quando plures concurrunt in damno faciendo singuli eorum teneantur insolidum restituere.

PRo huius difficultatis solutione obseruandum est primo, quod nomine participantis intelligitur omnis, qui est socius criminis, vel mediator, vel explorator, aut quoquo modo exequendo iuuauit ad actionem iniustam committendam. Item omnis qui instrumenta, quibus damnum proximo infertur subministrat, vel donando, vel conficiendo ea intentione, vt proximo damnum inferat. *Participans quis dicatur.*

Secundo obseruandum est, quod aliquis potest esse particeps dupliciter, aut in re aliena iniuste accepta, aut in iniusta actione, & vnum potest ab alio separari, nam esse potest, vt quis particeps sit in re aliena iniuste accepta, absq. eo quod participet in crimine, idest in acceptione iniusta, vt qui accipit, vel emit aliquid a latrone bona, vel mala fide, aut etiam fide dubia: esse etiam potest, vt quis participet in acceptione iniusta absq. eo quod participet in re aliena iniuste accepta, vt iubens & consulens maleficium. In hoc art. agimus de participatione in crimine, seu de participatione iniustæ acceptionis. *Particeps potest quis esse bifariam.*

Participans dicitur quis tribus modis.

Tertio obseruandum est, quod aliquis potest tribus modis dici participans: aut ratione rei acceptæ quia accipit aliquid a fure; aut quia illi fuit socius, vt comes, adiutor, vel explorator iniquæ acceptionis, vel quia licet non simul & eodẽ actu nocuerit diuisim tamen, & seorsum vnusquisq. aliquid ex eodem loco furatus est, vt cum vnus ex domo aliqua accipit decem, alius deinde alia nocte ex eadem domo alia decem, quomodo solent plures esse participes in damno eiusdem vineæ, non quia simul illam ingrediantur, sed vno eorum hodie colligente tres, aut quatuor racemos, alio crastino die totidem, & aliis deinde similiter.

Quarto obseruandum est, quod aliud est esse causam per quam fit effectus, & aliud esse causam sine qua non fit effectus, quia hæc non computatur inter causas a Philosopho. 2. Phy. c. 3. illa vero est causa; atq. adeo siue alter, cum quo Petrus concurrit facturus fuisset, siue ille cum alio, qui sine comite non fecisset, siue omnino absq. vllo socio facturus; si nihilominus Petrus concurrit, tenetur ad restitutionem in solidum, quia re vera iniquæ actionis, atque totius damni causa, siue concausa fuit. Nam in huiusmodi moralibus euentis nõ requiritur illum, qui ad restitutionem tenetur fuisse causam sine qua res non fieret; sed attendere oportet ad causam per quam fit, nempe an tanquam causa efficax cum altero concurrit ad totum damnum, vel ad partem damni, vt teneatur ad totius damni, vel præcise partis restitutionem.

Innocenti. Panorm. Angelus.

Quinto obseruandum est; falsum esse illud discrimen, ꝙ nonnulli Iuristæ vt Inno. & Panor. in c. sicut dignum. nu. 15. de homic. & eos secutus Angelus in verb. furtum num. 16. ponunt inter consulentem damnum, & auxiliantẽ alteri in damno faciendo, quod consulens teneatur ad restitutionem totius damni; auxilians vero solum ad partem damni: quorum ea ratio est, quia consilium vagatur in totum damnum, atq. ita qui consulit videtur esse causa totius damni; Qui vero auxilium præstat nõ ita ad totum damnum concurrit, sed ad partem, cui ipse manum apponit; & ita non tenetur in solidum Cuius sententiæ videtur esse etiam Sylu. in ver. rest. 3. q. 6. vers. Quartum fuisse: eam enim refert, & non reprobat. Cæterum vt recte notaot Ioan. Med. C. de rebus rest. q. 8. dub. 1. Couar. in reg. pec. p. 2. §. 12. & Petrus Nauar. lib. 3. c. 4. p. 1. dub. 4. num. 45. & alij. hoc discrimen falsum est: quia tam consulens potest esse causa solius partis damni, quam auxilians; & auxilians potest ita esse causa totius damni, sicut consulens; maxime quando sine eius adiutorio, nec pars nec res tota furto auferretur. Vnde solum aspiciendum est an consilium sit causa totius damni, vel partis; Item an auxiliãs sit causa totius damni, vel partis. Vt autẽ cognoscatur, quando quilibet est causa totius damni, & quando non, vt proinde sciatur, quando tenetur ad restitutionem totius, vel partis tantum, attendendum, & cõsiderandum est, an eius actio, consilium, & auxilium causa fuerit positiue concurrens ad totum illud damnum, vel ad partem tantum; si enim consilio, auxilio, & e. cõcurrat quis ad damnum ab omnibus illatum, tunc ad restitutionem totius damni in solidum tenetur; sin vero solum concurrat ad partem damni, etiam si cũ aliis peragat, non tenetur nisi ad partem illam restituẽdum, cuius ablationis causa fuit.

Syluest. Medina. Couar. Petrus Nauar.

Sexto obseruandum est, quod quando plures concurrunt ad inferendum damnum aut damnificatio illa fuit lucrosa, idest si fuit aliquid positiue ablatum, vt pecunia, vestis &c. aut non fuit lucrosa, velut sunt incendium domus, segetum, occisio, vulneratio, detractio, &c.

His obseruatis dico primo, quod qui paticeps est acceptionis iniustæ, seu criminis tenetur ad restituendum, in integrum, cum sit causa efficax totius damni, & cum damnum in tali casu ab omnibus effectum sit, nec minor ratio sit vnius, quam alterius, omnes ad restitutionem damni in solidum obligantur.

Dico secundo, quod quando quilibet participans est causa totius damni, tenentur in solidum ad totius damni cõpensationem, seu ablati boni restitutionem: quia tunc quilibet est causa totius damni, & cum non sit potior ratio vnius, quam alterius omnes ad restitutionem in integrum obligantur.

Dico tertio, quod si plures ita inferunt aliquod damnũ, vt non quilibet sit causa totius damni, sed tantum partis, quisque tenebitur solum pro sua parte ad resarciendum dãnum, quod intulit, vt quando plures ciuitatem ita diripiunt, vt vnus vnam domum, & alius aliam expilet.

Ex his sequitur primo, quod in bello iniusto solus Dux respectu totius damni exercitus, & tribunus respectu damni illati a suis subditis, & Rex respectu totius exercitus, quorum consilio, imperio & occasione totum illud damnum infertur, tenentur in solidum restituere.

Secundo sequitur, quod priuati milites tantum ea restituere tenentur, quorum ipsi suis consiliis, & auxiliis, tantũ causa efficax fuerunt: nam licet eo ipso, quod ad bellum iniustum nomina dederunt, & assistunt direptioni, peccẽt mortaliter, quia tamen non sunt efficax causa damni ab aliis cõmilitonibus illati, ad integram restitutionem non tenentur. Qui enim in alia domo capit, non mouetur per eum qui alibi furatur, immo fortasse neque eum nouit, aut nunquã vidit in exercitu; immo etiam ipse nollet, vt alter eriperet, quo ipse abundantius spoliet. Ita docent Gab. in 4. dist. 15. q. 4. art. 3. dub. 6. Palud. eadem. dist. quæstione secunda, articulo quinto Angelus verb. bellum. numer. 10. Nauar. in Man. c. 18. num. 20. & num. 130. & Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. p. 1. dub. 4. num. 54. & sequentibus quicquid in contrarium doceant Caiet. 2. 2. q. 62. art. 7. Couar. in reg. peccatum p. 2. §. 12 num. 2. & Angles in floribus. 4. sent. q. de rest. ex bello. dist. 10. Nam licet verum sit milites teneri in solidum, quando plures, ceu vna manus domum aliquam spoliant, hoc est quando omnes vno consilio, vel alio genere cooperandi se excitantes concurrunt; vt bene docent Sylu. verb. rest. 3. q. 6. vers. Quartum, & Sotus lib. 4. de Iust. q. 7. art. 3. tamen de damno quod miles a me remotissimus & omnino incognitus intulit, ego teneri non possum. Alioqui si ille depredasset, incenderet, virginibus, & Monialibus abuteretur, me nesciente, & forte si scirem impediente & detestante, ego illa damna in integrum restituere tenerer, ꝙ est absurdum.

Gabriel. Palud. Angelus. Nauar. Petrus Nauar. Caietanus. Couar. Angles. Syluest. Sotus.

Dico quarto, quod quando plures in vineam alterius ingressi omnes eius fructus furantur, ita vt vnusquisque non nisi vnum, aut alterum racemum accipiat. Si omnes ita cõueniunt, vt alter sit alteri causa damnum illud inferendi, ita scilicet, quod altero non eunte vel alter iret, tunc vnusquisque peccat mortaliter & in solidum restituere tenetur, quia vnusquisque est causa totius damni. Immo si quilibet furando videat alios multos, singulos racemos accipere, atque ita magnum damnum futurum, etiam si non cooperatus sit acceptioni alterius peccat mortaliter & ad restitutionem tenetur, quicquid dicant Sotus lib. 4. de Iust. & Nauar. vbi supra, num. 129. Quoniam vt recte docent Medina. Corduba & Petrus Nauar. vbi supra: quia supposita scientia furti aliorum, ego plane consentio actu meo in damnum notabilem, vt constat; immo efficio damnum notabile; quia supposita illa scientia, si ego non furor illud paucum, proximus damnum illud notabile non sentiret, si autem ego furor sentiet damnum notabile; atque adeo ex actu meo infero notabile damnum, quod citra illud non inferretur. Vnde consequens est, quod vnusquisque tenetur partem suam, aut æquiualens sub pœna peccati mortalis restituere.

Sotus. Nauar. Medina. Corduba. Petrus Nauar.

Dico quinto, quod si omnes ita concurrunt, quod tamen nullus alium induxit, iuuit, aut nouit alios furari, nullus mortaliter peccauit: sed tantum venialiter, & suam partem restituere tenetur, quia eius partis leuis causa fuit, & hoc intelligas, quandiu durat ignorantia inuincibilis; nam si postea notitia veritatis accesserit, idest damni notabilis dati cognitio, tenebitur vnusquisque quantum accepit in se, vel in æquiualente restituere, & non restituendo peccat mortaliter, in ipsa solum retentione, non autem in ipsa vsurpatione.

Ex his colligitur quid dicendum sit, quando Petrus de vinea proximi paulatim omnes racemos transeundo colligat singulis horis, aut diebus vnum, aut alterum racemum colligendo sine voluntate lædendi notabiliter; quamuis enim in primo, secundo tertio, aut quarto actu non peccet nisi venialiter, quando tamen primo peruenit ad damnũ notabile, peccat mortaliter, & tenetur restituere totum damnũ sub pœna peccati mortalis.

Dico sexto, quod quando damnificatio illata est lucrosa, tunc principalis in restitutione est ille, qui illicite habet rem illam apud se, siue habeat ex illicita acceptione, siue alio quocumque illicito contractu, vel actione, & mala fide, hic enim, vt constat tenetur tam ratione rei acceptæ, quam iniustæ acceptionis, & idem dicendum est si eam non habeat, sed eam consumpsit,

vel

vel alienauit: quia cum ex ea lucrum deportauerit mala fide perinde est, ac si eam iam haberet, atq. adeo tenetur personaliter ad restitutionem, vt expresse docent Petrus Nau. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. 7. num. 73. & Couar. in regula pec. p. 2. §. 12. nu. 3. de reg. iur. in 6. & colligitur ex D. Thoma. 2. 2. q. 62. art. 7. ad secundum vbi ait. Illi qui sunt principales in facto, & ad quos res peruenit tenentur aliis restituere, qui restituerunt.

Dico septimo. Si damnificatio non sit lucrosa. Tūc primo tenetur iubens, Secundo exequens: quia maior malitia, & damnificatio residere videtur apud iubentem, quam penes exequentem. Quoniam instrumentum non operatur nisi quatenus mouetur a principali agente. Hoc tamen intelligendum est quando imperans habet vim coactiuam respectu exequentis, vt docte colligitur ex Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. art. 3. §. 4. *Alex. de Ales.* Si vero imperans talem vim coactiuā non habet, tunc quidem imperium non est causa principalis respectu exequentis, sed tunc exequens tenetur primo loco restituere, quia eo euentu tale præceptum non habet vim præcepti, sed consilij, cum nullo modo cogat exequentem timore saltem rationabili ad ita iniuste operandum.

Sed dubium est an quando plures ad idem damnum concurrunt, & vnus eorum in integrum restituit, cæteri qui in solidum tenebantur liberi sint a restitutione, ita vt nihil vel damnificato, vel restituenti resarcire teneantur. Dico primo, quod si is, qui restituit rem ablatam, totam prædam accepit, siue fuerit principalis, siue inductus ab aliis; tunc cæteri neque domino vero, neque ipsi aliquid reficere tenentur; quia iam domino satisfactum est ad æqualitatem, & qui rem accepit, vel tenet est principalis, & ex restitutione facta nihil habet minus in bonis suis, cum totum quod restituit erat alterius, & alij vt supponitur nihil de re illa acceperunt. Vnde non apparet qua ratione ad restitutionem aliquam vero domino, aut ipsi restituenti faciendam obligari possint.

D. Thomas. Scotus. Dico secundo, quod quando plures tenentur in solidum vno illorum restituente vero domino cæteri nihil eidem restituere tenentur: quia iam dominus habet totum quod debet habere. Ita docet D. Thomas. 2. 2. q. 62. ar. 7. ad secundū, & Scotus hic, quos sequuntur omnes.

Dico tertio, quod cæteri pro rata restituere tenentur ei, qui primus totum damnum domino restituit. hæc conclusio est contra Angel. verb. furtum. q. 16. *Angelus.* tenentem partem negatiuam, ea ratione, quia vbi est par causa turpitudinis non resultat actio vnius contra alterum, vt habetur expresse in l. 2. & 3. ff. de conditionibus ob turpem causam atque adeo cum illi turpiter egerunt furando, vnus non tenetur alteri. Tum etiam quia alij nihil acceperunt ab eo, qui integre restituit, ergo nullo restitutionis iure ei obligatur: Restitutio enim semper præsupponit iniustam acceptionem, vel rem acceptam, quarum neutra contingit in proposito vt supponitur. Limitat tamen Angelus hanc suam opinionem, nisi ipse fuisset causa sine qua non inducendi eum, qui soluit; tunc enim qui fuit causa inducens ad furtum tenetur inducto restituere; alij vero non item. Cæterum sententia nostra, quæ est Scoti in hoc loco certissima est. Nam licet opinio Angeli vera sit in foro exteriori, in quo non datur actio cuicumque ex participibus etiam si soluerit contra alios: quia vt habetur in l. si plures. 2. ff. de administr. tut. & in l. 1. de tutelis, & rationibus distrahendis. §. nunc retractemus, qua fronte petere potest cessionem actionis is, qui ex culpa sua damnatur. In foro tamen conscientiæ in quo expresse loquitur Angelus falsa est sua opinio & ab omnibus communiter reiecta. Vnde patet quid dicendum sit ad rationes in contrarium, suæ namque leges procedunt in foro contentioso, in quo vt diximus vni furi non datur actio contra socium. Ratio autem ex turpitudine actionis desumpta non valet, si quidem obligatio restitutionis faciendæ a sociis primo restituenti non oritur ex turpitudine furti præteriti; sed ex actione qua vnus pro se, & sociis fecit, quæ honestissima & iustissima est. Ad aliam rationem dico, non teneri socios criminis restituere primo restituenti ratione iniustæ acceptionis, sed ratione iustę recompensationis factæ vero domino, cuius vicem restituens iam gerit.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum qui sola lege charitatis tenentur impedire loquendo & prohibendo damnum proximi si tacent restituere teneantur.

HActenus de iis causis egimus, quæ positiue concurrunt ad damnum, nunc autem agendum est de iis, quæ priuatiue concurrere dicuntur, nimirum de muto, non obstante, & non manifestante. Et primo agendum est de muto; pro cuius explicatione obseruandum est primo, quod nomine Muti vt docent Palud. in 4. 15. q. 2. art. 3. & Adrianus in 4. q. 1. de rest. §. de currentibus, intelligitur ille, qui scit, vbi res est abscondita, & non reuelat; vel vt rectius docet Alex. de Ales. p. 4. q. 24 m. 5. art. 3. §. 4. intelligitur ille, qui tenetur loqui, præcipiendo, vel reprehendendo, vel dissuadendo, aut consulendo, & tacet. *Mutus quis dicatur. Palud. Adrianus. Alex. de Ales.*

Secundo obseruandum est, quod quis potest teneri impedire loquendo, aut lege charitatis, sicut quilibet dum potest lege charitatis tenetur euitare damnum proximi; aut lege iustitiæ, quia loqui sibi ex officio competit, sicut vigil in castro vel alias deputatus ad custodiam aliquarum rerum. *Impedire loquendo pōt quis bifariam.*

Ex his dico primo, quod qui sola lege charitatis tenetur impedire loquendo, vel prohibendo damnum proximi tacet, non est restitutioni obnoxius. hæc concl. est contra Angelum in summa verb. furtum. q. 26. & Caiet. in summa ver. restit. in illa parte. Non manifestans, dicentes teneri ad restitutionem, quando ex dolo, odio, aut malitia tacet; quia talis omissio est causa iniustæ acceptionis, licet indirecte; eam tamen docent Alex. de Ales vbi supra. Ioan. Medina. C. de rebus restituendis. q. 9. de currentibus cum fure negatiue. Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 3. & Adrianus in 4. q. de rest. §. de currentibus dicentes, quod licet peccet contra charitatem proximo debitam, non tenetur tamen ad restitutionem, quia non peccat contra iustitiam. Quod vero animo maleuolo, aut doloso taceat, quamuis refert ad augendum peccatum, non tamen ad restitutionem obligat, cum efficaciter nō noceat, sed solum in mente tale desiderium maneat; neq enim odium iustitiæ repugnat; sed tantum charitati. Quare is præcise qui tacet, quia ex officio suo loquendo damnum impedire tenetur, ad damni secuti restitutionem obligatur. *Angelus. Caiet. Alex. de Ales. Medina. Sotus. Adrianus.*

Illud tamen asserendum est, quod notat Petrus Nauat. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. 10. quod si aliqua ratione positiue se haberet, significans siue verbis, siue signis se taciturū, quo animus furantis dubitans, aut timens firmatur, ac determinatur, qui alioquin timore, ne suo clamore manifestaretur non ausus esset damnum dare, non esset a restitutione excusandus: quia tunc esset causa positiua damni illati, habens rationem consulentis, aut adiuuantis. *Petrus Nauar.*

Dico secundo, quod qui tacet mercede & pretio sibi dato a fure ex propriis pecuniis ipsius furis non tenetur ad restitutionem damni secuti; quia non obligatur loqui ex officio, immo etiam si interrogatus esset postea priuatim a vicino, cui res ablata fuit, num latrones vidisset, aut audisset, & respondet se non vidisse, non tenetur ad restitutionem; secus autem si interrogatur a Iudice in iudicio cui teneatur respondere; tunc enim si negat ad restitutionem tenetur.

Dico tertio, quod qui inducit clamare volentem, vt impediat damnum proximi, ad tacendum ad restitutionem nō tenetur v. g. Ioannes videt damnum inferri proximo, & paratus est illud impedire cum possit, Petrus autem suadet eidem, vt taceat, & damnum illud non impediat, & ita Ioannes tacet, dico quod nec Petrus nec Ioannes in hoc casu tenetur ad restitutionem. Hæc conclusio videtur esse contra Nauar. in Manu. cap. 17. numero 140. vers. 45. cui fauere videtur Medina. vbi supra, quæstione nona in fine. qui vult Petrum teneri ad restitutionem non autem Ioannem. Cæterum conclusio sic probatur, quia Ioannes est causa propinquior damni, quam Petrus, ergo si Ioannes ex omnium sententia non tenetur ad restitutionem, nec Petrus qui est causa remotior tenebitur. Quod enim Ioannes quamuis peccet contra charitatem, non teneatur ad restitutionem ex eo patet: quia non tenetur ex officio ad impediendum damnū proximi; ꝙ autem nec Petrus teneatur, probari potest; quia cum Ioannes nō teneatur ex iustitia clamare, *Nauar. Medina.*

mare, nec Petrus suadendo ne clamet contra iustitiam peccat, neque is, qui passus est damnum, habet aliquod ius, quo minus Petrus a' teri auxilium dissuadeat, nec Ioannes dissuasus vllam vim patitur, scienti enim, & volenti non fit iniuria; Ita docet Petrus Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. 10. nu. 136 & sequent.

Petrus Nauar.

Sententia autem Nauar. tenenda est, quãdo is, qui dissuasit, aut is, qui dissuasus est tenebatur ex iustitia, & ex officio damnum proximi impedire, & etiam quando is, qui dissuasit mendacibus verbis, & fraude fecit Ioannem tacere; Tũc enim is, qui damnum passus est, patitur inuoluntarium & iniustum, & etiam quod impeditus est ne clamaret, ac proinde est restitutioni obligatus, & in hoc sensu locutus est Medina, vt patebit legenti; ait enim. Tunc teneri Petrum ad restitutionem non autem Ioan. in casu proposito, quando Petrus fraudolenter id fecit, Ioannes autem bona fide. Sicut etiam in simili. Qui consulit alicui ne daret eleemosynam grauiter indigenti, nisi fraude, & mendacio eius animũ auerteret, licet mortaliter peccaoerit contra charitatem, ad restitutionem tamen non tenetur, vt Doctores communiter tradunt.

ARTICVLVS IX.

Vtrum qui obstare tenetur ex charitate teneatur ad restitutionem si non obstat, quando id possit sine damno suo.

Non obstans est in duplici differẽtia

PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est primo, quod non obstans in duplici differentia esse potest: Nam aut est persona priuata, cui ex nullo munere aut officio competit obstare damnis, quæ proximo videt inferri. Aut est persona publica, cui cõuenit ratione alicuius officii, vel mercedis huiusmodi damnis obuiari. Primi generis sunt omnes cuiuscumque conditionis sint. Secundi generis sunt Reges, Imperatores, Principes, Reipub. Gubernatores, Duces belli, Consiliarij Regum, & Principum, Aduocati, procuratores, Ministri Iustitiæ, Custodes itinerum, viarũ montium, vel nemorum, vinearum, aliique publici officiales, atque Medici, cæterique mercede, ac stipendio conducti, aut speciali obligatione ligati, vt aliorum saluti, & damnorum vitationi prospiciant. Item Patres non impedientes filios, ne lædant, tutores respectu pupillorum suorum. Item domini non impedientes famulos, & animalia, ne alijs damna inferant; Contingit enim per Ceruos, Cuniculos, sues syluestres, columbas sata vicinorum lædi. Item famuli, quibus est commissa custodia domus; vel rerum ipsius domus, vt ianitores, custodes vestium, vasorum &c.

Secundo obseruandum est maximum esse discrimen inter eum, qui officium accipit sine mercede, & non in suam, sed in aliorum tantum vtilitatem, & eum qui ex mercede & in vtriusque vtilitatem officium accepit.

Negligentia est triplex.

Tertio obseruandum est, quod qui ad obstandum ex officio tenentur, peccare possunt aut ex negligentia lata & grauis, aut ex leui, vel ex leuissima; est autem negligentia lata, & grauis; qua quis ab ea diligentia deuiat, quam communiter homines eiusdem professionis in tali re adhibere solent, etiã qui parum circumspecti sunt, qualis est eius, qui extra domum, vel in limine domus librum sibi commodatum reliquit, vbi statim a transeuntibus fuit furto ablatus. Leuius vero est, qua quis ab ea diligentia deuiat, quam homines diligentes, & circumspecti in similibus rebus adhibent, qualis est eius, qui librum commodatum intra domum seu cameram, ostio tamen aperto reliquit. Leuissima est, qua quis deuiat ab ea diligentia, quam homines diligentissimi adhibent, qualis est eius, qui librum commodatum intra cameram reliquit, & ostium clausit, non tamen inclusit in arca obsignata claui, nec manu tentauit an bene obserata esset.

His obseruatis dico primo, quod qui obstare tenetur ex charitate si non obstet, quando id potest sine damno suo ad restitutionem non obligatur. Ita docent Alex de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. art. 3. § 4. in fine D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. Scotus in hac q. 5. de quarto, vers. de secundo. Quos sequuntur omnes, & ratio est quia obligatio restitutionis ex sola violatione iustitiæ oritur. Et tamen hæc conclusio contra Ricar. in 4. d. 16. art. 6. q. 4. Angel. in verb. furtum. q 26. & Caietan. summa verb. rest. dicentes teneri saltem, quando quis dolose, & ex odio omittit impedire damnum proximi, cum sine

Alex. de Ales. *D. Thomas.* *Scotus.* *Ricardus.* *Angelus.* *Caietanus.*

periculo posset, & ex charitate teneretur, quod probant ex cap sicut dignum. §. illi etiam. de homic. vbi Alex. Papa. III. ait. Qui potuit hominem liberare a morte, & non liberauit, eum occidit. Et infra. Nec caret scropulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obuiare. Secundo probant ex. cap. quantæ. de sent. excom. vbi Innocen. III. docet excõmunicatum esse dolose permittentem Clericum percuti, ex quo prohibere poterat, & non prohibuit, ait enim. Eos delinquentibus fauere interpretamur, qui cum possint manifesto facinori desinunt obuiare. Tertio probant ex cap. pasce. dist. 86. Pasce fame morientem si non pauisti occidisti. Et exod. 21. legitur, habens cisternam & eam non cooperiẽs, & habens bouem cornupetam, & eum non ligans, vel includens, tenetur de damno sua negligentia dato.

Cæterum hæc testimonia explicari possunt primo quod procedant de culpa, & peccato, non autem de restitutione. Nam si non obstant, cum sine periculo possint, peccant contra charitatem proximo debitam mutus autem, non obstans, & non manifestans tenentur solum ad restitutionem, quando ex speciali officio, & mercede damna aliorum impedire tenentur.

Secundo dici potest quod in cap. sicut dignum, non est pura damni permissio, seu negatiua caussalitas, sed positiua: siquidem comitati sunt occidentem, & auctoritatem & animum ipsi homicidæ contulerunt ad homicidium perpetrandum, vt recte Medina animaduertit. cap. vero quantæ ex Glossa & Medina procedit de illis, qui ex officio, & auctoritate publica impedire tenentur. Vel si intelligatur de priuatis personis, vt alij volunt, dicit Salon, non impedientes cum commode impedire possent excommunicari; eo quod excommunicatio non solum fertur pro peccatis contra iustitiam, sed etiam pro peccato mortali contra charitatẽ, quando tamen dolose obuiare desinunt.

Medina. *Salon.*

Illud vero cap. pasce. solum probat peccare mortaliter cõtra charitatem, non tamen inde sequitur, teneri ad restitutionem. Ad illud Exodi respondetur ideo illos de damno teneri; quia speciali obligatione tenebantur super suas res inuigilare, ne alij inde damnum paterentur, & si non ratione officij, saltem ratione rei possessæ; si quidem non solum nascitur obligatio restituendi ex officio, sed etiam ex re possessa; quandoquidem vnusquisque rem suam, quam possidet ita possidere debet, vt eam sine aliorum præiudicio possideat.

Dico secundo, qui ex officio tenentur obstare, si non obstant damnum exinde secutum restituere debent; quia tales personæ tenentur speciali obligatione iustitiæ operam apponere in aliorum vtilitatem, atque adeo si eam non apponant, proinde est ac si rem debitam, idq. cum eorum, quibus debita est iactura retineant; ergo sicut debitor tenetur restituere interesse, quod creditor patitur ex non sibi soluendo, ita et qui ex officio impedire tenentur, & non impediunt, non solum restituere tenetur damnum secutum, sed etiam omne aliud interesse fructus eiusdẽ rei, quem dñs aliequi percepisset ex re illa. At vero vt teneantur ad restitutionem non solum requiritur, vt impedire debeant, sed etiam vt commode possint sine graui eorum damno, scilicet honoris, aut vitæ, vel rei eorum familiaris, alias enim non tenebuntur cum tanto dispendio lege iustitiæ, vt expresse hic docet Scotus.

Dico tertio, quod qui ex officio impedire tenetur dãna proximi, si ex omissione, & culpa graui seu lata etiam damnũ secũ ter si consecutum, tenetur resarcire damnum, secus aũt si ex culpa vel leui leuissima sit consecutũ, prima pars patet: quia ei imputatur euentus ille ex eius culpa prouenien, sicut causæ efficaci illius damni. Si enim damnum in delicto & contractu prouenicns ob culpam latam damnabile est, & restitutioni obnoxium, multo magis si ex culpa sequitur eius, qui ex officio tenetur, culpa enim lata dolo æquiparatur; Secunda pars nimium de culpa leui, est cõtra nonnullos Thomistas, qui voluot neq. teneri ex leui, sed tantum ex illa graui & lata, faciuntq. Syluest. huins opinionis in summa verb. rest. c. 3. §. 5. cum nihil minus ibi Syloest. doceat, quæ tamen sic probatur; quia conductor, siue locator tenetur ad restituẽdum etiam ex leui culpa, ergo & iste, cum receptio hmói officiorum, & munerum sit quædam locatio sui, qua pro munere, vel mercede illius officij offerũt se ad diligẽter custodienda ea, quæ ratione talis officij sibi committuntur; quod aũt conductor teneatur ex culpa leui, pro nunc supponimus.

Nõ obstans ex quo culpa ad restitutionẽ tenentur.

Tertia pars probatur sæpe, quod non teneatur ex leuissima culpa; Tum quia Resp. non intendit obligare Principes, & Guber-

Gubernatores, nec Dominus œconomum suum, nec testatur tutorem filiorum suorum, vt omnimodam diligentiam possibilem adhibeant, sed eam solum quæ a viris bonis communiter adhiberi solet, Nec vllus Princeps, nec œconomus ad tantam diligentiam, & sollicitudinem adhibendam se obligare intendit, vt etiam a leuissima negligentia cauere teneatur, nunquam enim munus commissum cum tanto onere, & vinculo susciperet. Tum quia si Principes, Iudices, & officiales etiam ex leuissima culpa tenerentur, omnia sua bona, & patrimonia in restitutionibus consumerent, cum nullus sit, qui in tales negligentias non incidat, id quod maxime verum esset in Regibus, qui diuersis regnis, & prouinciis etiam distantibus præsunt. Tum demum: quia cura & custodia ad quam isti tenentur similis est custodiæ locantis, sicut enim locatio est in vtilitatem vtriusque partis, ita etiã & ista officia in vtilitatem Reipub. & Ciuium, & etiam in vtilitatem sunt habentis ea; at vero ratione locationis nõ tenetur locator nisi de culpa lata, & leui; ergo nec isti, quibus ex officio incumbit obstare damnis aliorum. Adde quod communis opinio Doctorum quos legere licuit, docet in contractibus, qui sunt in vtilitatem vtriusque, scilicet dantis & accipientis, vt in cõducto & locato, (& qualis est etiam hic de quo agimus) teneri quem de leui culpa, id quod habetur in c. bona fides. de deposit. & in c. vnico. de commodato, vbi Greg. IX. id clare tradit.

Dico quarto, quod qui officium accipit sine mercede, & non in suam, sed in aliorum tantum vtilitatem, nempe Iudices & alij officiales, qui nec se ipsos locauerunt, aut officiũ assumpserunt, aut quæsierunt, nec operam suam sub aliqua mercede promiserunt, sed alij eos eligunt, eisque hoc officiũ imponunt, (vt multoties superiores suis subditis officiũ, & onus Confessarij imponunt) aut etiam assumunt ex sua mera liberalitate & pietate, dicentes se facturos quod poterunt, non tenentur nisi ex dolo, seu culpa lata, & graui. Ita docent Angelus in verb. culpa. q. 5. & Syluest. eodem verb. quæst. 4.

Angelus. Syluester.

Dico quinto si iudex per iniquitatem non ferat sententiam, nec condemnat reum ad pœnam pecuniariam a lege impositam, vt illam soluat cui soluere debet; ad illarum pecuniarum restitutionem tenetur. quia cum custos sit iustitiæ reddere debet vnicuiq. ius suum, atque omittens ferre sentẽtiam ex qua pœnæ illæ applicandæ essent fisco, vel accusatori, vel parti læsæ agit contra iustitiam commutatiuam, & per cõsequens pœnam illam, seu potius damnum pecuniarium, fisco, aut accusatori, aut parti læsæ restituere tenetur, hoc est totum illud, quod reus in conscientia soluere eisdem tenebatur, scilicet damnum, impensas, & alia damna, quæ passus est alter.

Dico sexto Iudex, aut quiuis alius, qui in rebus leuibus, & parui momẽti pecuniarias pœnas dissimulat, nõ tenetur ad illarum restitutionem: quia leges & supremi Iudices nõ ita solliciti sunt in rebus paruis, & proinde prudenter, & cum epicheia intelligendæ sunt leges iuxta rectam rationem. Vnde cum sæpe bono communi expediat, vt leuia delicta nonnunquam impunita relinquantur, non erunt Iudices tã stricte ad hæc leuia punienda obligati.

Cõfessarius non imponens restitutionem restituere tenetur.

Dico septimo, quod Confessarius qui non iniunxit restitutionem faciendam restituere tenetur damna tertiæ personæ, cui debetur restitutio. pro intellectu huius conclusionis obseruandum est, quod Confessores sunt in duplici differentia, Nam quidam habent officium in gratiam & vtilitatem suam & Reipub. cum ob id eis decimæ & stipendia assignẽtur, vt sunt Episcopi, & Curati omnes, quidam vero sunt qui nullum ex officio confessiones audiendi stipendium habẽt. Conclusio intelligitur de omnibus confessariis cum hoc tamen discrimine, quod confessarij qui habent officium in gratiam, atque vtilitatem suam & Reipub. tenentur de leui culpa, cæteri vero solum de lata culpa tenentur. Vnde si pœnitẽs ex lata culpa confessarij pœnitus restitutionem omisit, quã, si ei negata esset absolutio, vel certe præcepta restitutio, non omisisset, Confessarius in hoc casu tenetur ad restitutionem, ita docent Rosella in verb. rest. 2. §. 5. Angelus in verb. Rest. vlt. q. 5. Nauar. in Man. c. 17. num. 22. vers. decimo infertur, & Petrus Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. vlt. num. 124. Ratio est, quia cum ex officio teneatur consulere saluti pœnitentis, & doctrinam tradere pœnitenti necessariam, consequens est, vt omnia damna, ex tali culpabili omissione secuta, ei imputentur, sicut veræ & efficaci causæ damni secuti. Huic

Rosella. Angelus. Nauar. Petrus Nauar.

sententiæ fauẽt Syluest. in verb. culpa. q. 4. Petrus de Arrag. 2. 2. q. 62. art. 7. & Salon ibidem controuersia. 2. cum dicunt obligatos ex officio teneri ad damnum ex eorum negligentia in non obstando commissum, & exemplificant de curatis & Confessoribus.

Syluest. Aragona Salon.

Est tamen hæc conclusio contra Greg. de Valent. to. 3. disp. 5. q. 6. puncto. 3. controuersia. 3. dicentem non teneri ad restitutionem damnificatn, etiam si eius malitia, vel certe lata culpa, seu crassa ignorantia restitutio non sit facta; Quia Cõfessarius (inquit) non tenetur ex officio procurare bonũ creditoris, aut damnificati in temporalibus; nec ab eis mercedẽ accepit, nec eorum gratia officium habet, sed solum, aut principaliter ad salutem animæ pertinentis

Greg. de Valent.

Sed certe nostra sententia communior est, & conformior communi doctrinæ de restitutione facienda ab eo, cuius culpa damnum incurritur, quod ipse ex officio euitare tenetur. Nam vt recte animaduertit Petrus Nauar. & intentio fidelium decimas Ministris assignantium, & etiam ecclesiæ conferentis officium huiusmodi ea est, vt non solum saluti pœnitentis, sed etiam bono communi consulant, diligenter curando ne Respub aut alij fideles, quantum in illis est, damnũ aliquod aut iniuriam patiantur; cui sane officio minime satisfaciunt, dum ex eorum negligentia non admoneatur pœnitens de re sibi ad salutem necessaria, & alij ex inde damnũ patiuntur, vt constat. Nec eius ratio cogit: quia licet non habeant hoc officium principaliter, & immediate in gratiam creditorum, nec ab eis mercedem immediate ad hoc accipiant; quia tamen consequenter, & ratione officij curare tenentur ne Respub. aut membra eius quorum stipendiis aluntur damnum patiantur, ipsi negligentia sua in causa sunt talis damni secuti, ac proinde, aut curare tenentur, vel vt ipsi vel pœnitentes restituant, vel si ipsi in causa sint, quo minus restitutio fiat, ipsi restituere tenentur. Saltem hoc certum est in opinione omnium, quod si Confessarius tacite, vel expresse per commissionem causa sit, ne creditori fieret restitutio, dicendo, scilicet nullam esse restitutionis obligationem, aut si quod vni restituendum erat, ex malitia vel ignorantia crassa alteri restitui iubeat, tunc ea damna resarcire tenebitur, cum in hoc casu sit causa proxima damni subsecuti.

Petrus Nauar.

ARTICVLVS X.

Vtrum non manifestans furtum aut damnum restituere teneatur.

AD intelligentiam huius quæstionis obseruandum est primo, quod nomine nõ manifestantis intelligitur omnis, qui ratione officij, vel stipendij posset damnum impedire admonendo eum, qui passurus est damnum de inuasore, vel postquam damnum datum est, vt recuperaretur, & præcipue si sit custos illius rei, vt custodes ciuitatum, Montiũ, syluarum, vinearum & c. Item testes vocati in iudicium. Dixi omnis qui ratione officij, vel stipendij damnum illud impedire posset; quia si quis alius videat furem diripientẽ domum proximi, & sine magno suo detrimento posset illum manifestare, si rogetur priuatim a proximo, cui res illa ablata fuit, an aliquem vidisset & non manifestat, etiam si id ex odio, & malitia faciat, peccat quidem contra charitatem proximo debitam, ad restitutionem tamen non tenetur, vt communiter docent Doctores.

Non manifestans quis dicatur.

Secundo obseruandum est, aliud esse loqui de peccato, & aliud de restitutione: contingere enim potest, vt teneatur quis restituere rem, quam accipiendo non peccauit, atq. ẽt cõtingere potest, vt peccauerit aliquis in damno, quod alteri illatum est, nec teneatur ad restitutionem; quando scilicet peccauit & non contra iustitiam, vt cæsores lignorum, qui non deuastant syluã alienã, sed moderate accipiunt, peccant quidẽ: quia re vera est illud furtũ, nec tenẽtur ad restitutionẽ.

Tertio obs. est istos custodes esse in duplici differẽtia, quidam. n. eorum agunt custodiam pretio, ac mercede accepta a Repub. alij nullo alio pretio, quam ea pœna, quæ forte illis cõtinget ratione eorũ, quos indicabunt, vel accusabunt, quo modo constituuntur plerique custodes viarũ, & vectigaliũ.

Quarto obseruandum est istos custodes communiter præstare iuramentum, se fideliter suum munus executuros.

His obseruatis nonnullæ resoluuntur difficultates. Prima est. An testis a iudice legitime interrogatus & non manifestans teneatur ad pęnam, ad quam condemnaretur reus, si ipse veritatem dixisset.

Dico primo certum esse secundum omnes, eum teneri ad restitutionem damni, q; patitur pars læsa. v.g. Petrus debet Ioanni centum aureos, & postea eos repetit in iudicio, Petrus aūt negat se illi debere. Paulus, qui est conscius huius debiti, vocatur in iudicium, si negat se aliquid scire tenebitur ad restitutionem illorum centum aureorum ex eo, q; Ioannes in iudicio condemnatur ob defectum testimonij Pauli. Vnde cum Paulus sit causa huius damni tenetur ad eorum restitutionem Ioanni faciendam. Ita docent Io. Med. C. de rebus restituendis q. 9. ad 4. Adrian. in 4. q. 1. de rest. §. de currentibus in fine. Sotus lib. 5. de Iust. q. 7. art. 1. & de secreto tegen. m. 2. q. 7. concl. 3. dub. 4. Nauar. in Man. c. 27. nu. 40. 44. & 45. & cæteri omnes.

Medina. Adrianus. Sotus. Nauar.

Dico secundo, q; testis non tenetur ad restitutionem pœnæ pecuniariæ applicandæ fisco, accusatori vel emptori harū pęnarum, ad quas soleat delinquentes condemnari: quia testis non est minister iustitiæ; atque ita licet sit periurus negādo veritatem, ad restitutionem tamen non tenetur: quia neque tenetur ex officio, nec recipit stipendium, vt testificetur veritatem, nec concurrit, vt minister iustitiæ, sicut Iudex, & alij ministri iustitiæ, & stipendio conducti, atque ita non tenetur ad pęnam restituendam sicut illi; Deinde reus vt statim dicemus non tenetur ad pœnam legis; nisi actu condemnetur, etiam si inique, & per mendacium ab illa se eximat; ergo neque testis; consequentia patet: quia testis nō tenetur nisi ad eam pœnam ad quam teneretur reus. Ita docent Marti. Nauar. in Manu. c. 25. num. 51. Salon. 2. 2. q. 62. art. 7. controuer. quinta ad tertiū, & q. 70. art. 1. controuer. 1. Quicquid in contrarium cum Soto lib. 1. de iust. q. 6. art. 6. concl. 4. in fine dicant alij.

Nauar. Salon. Scotus.

Secunda difficultas, an reus legitime interrogatus a iudice. v.g. hæreticus negat delictum propterea non condemnatur ad pœnam pecuniariam ad quam condemnaretur si crimen confessus esset, pęnam illam soluere teneatur? Respondeo quod non: quia nemo obligatur ad soluendam pęnā ante iudicis condemnationem, quia aduersatur iuri naturali, quod idem homo sit agens, & accusator, & proditor sui ipsius; Nam pęnam soluere est pati supplicium a lege taxatū; sicut igitur reus non tenetur subire alias pęnas, vel exilij, vel carceris ante Iudicis sententiam; ita nec pęnam pecuniariam. quoniam pęna illa nō est debita fisco, vel actori ex natura rei, & simpliciter; nisi post condemnationem iudicis, quapropter nec reus, nec testis eam soluere tenentur ante condemnationem. Vnde quamuis reus iniuste in iudicio veritatem negans multis sit iniurius; nimirum Iudici, dum ei obedientiam debitam negat; accusatori, quem infamat, sociis criminis, qui maiorem forte coguntur subire pęnā, quā si veritatem dixisset, & tandem iniurius fisco, cui pęna est applicanda, pro quibus omnibus iniuriis peccat mortaliter, & penitere tenetur, tamen non tenetur soluere pęnam legis nisi post condemnationem. Si vero aliqua infamia, aut damno illos afficeret, v.g. si Iudex ex inde perdidit bonum nomen, aut officio priuatus fuit, aut aliquod aliud incommodum subijt, aut accusator aliquas fecit expensas, & sic de aliis, ad huiusmodi damna resarciēda, quorum ipse causa fuit, statim obligatur ex natura rei: quia hoc non est pęna legis; sed obligatio nata ex damno inique illato.

Reus iniuste in iudicio veritatē negās multis est iniurius.

Tertia difficultas, An Custos vinearum, Pascuorum, Mōtium, & syluarum &c. non accusando, aut non denunciādo delinquentes, teneantur soluere pęnas pecuniarias fisco, vel collectori, vel emptori illarum pęnarum. Pro solutione dico primo. Custodes agrorum, vinearum &c. non manifestātes damnum, quod non est pęna v.g. ex rebus, quæ venduntur, vel de vno loco ad alium asportantur, debetur certum vectigalis genus lege impositum, ex eo vero quod custodes non denunciant non soluitur, damnum illud soluere tenentur, si delinquentes non soluant, & hoc est certum apud omnes. Ratio est; quia ex officio tenentur cauere, & declarare documentum, & consequenter tenentur restituere damna inde subsecuta, siue illa damna sint lucra cessantia, siue damna emergentia; v.g. si ex negligentia custodis sunt pauci pisces in lacu, vel pauca ligna in sylua, vel paucæ vuæ in vinea, adeo vt propter ea loca illa vilius venduntur, vel locantur, quod non accidisset si custos debitam diligentiam adhibuisset, tenetur custos ea damna restituere. Idemque dicendum est de locis communibus deputatis ad lucra ciuitatis, quia cum eo fine accipiant stipendia, vt ea custodiant, quæ ipsis committuntur, agunt contra iustitiam commutatiuam, ea non custodiendo, atq; adeo de damno subsecuto tenentur, & vectigalia, & alia damna soluere obligantur.

An custos vineā &c. nō denūciādo delinquētes teneatur soluere pœnas fisco.

Dico secundo Custos, vel alius, qui iurauit manifestare delinquentes, si non faciat, etiam si Iudex, vel Rector Ciuitatis iuberet ne eos scriberet ad pęnam, peccat mortaliter, solus enim Princeps, aut maiores Ciuitatis, possunt id præcipere, & iuramentum relaxare, non Gubernator aut Iudex. Ratio est quia violant iuramentum præstitum, ad quod tenentur in licitis, & honestis; & quia infideliter se gerunt in re graui, quam ex iustitia seruare tenentur, nullaque existit causa ob quam aliter agere debeant. Ita docent Med. in citata, q. 12. ante finem. Syluest. ver. pena, q. 28. Nauar. in Manu. c. 25. nu. 34. & Petrus Nauar. vbi supra, nu. 123. Cord. in summa. q. 66. §. 2. Arrag. & Salon. 2. 2. q. 62. art. 7.

Medina. Syluester. Nauar. Petrus Nauar. Corduba. Arag. Salon.

Dico tertio Custos non accusans, nec manifestans illum, qui ratione sui delicti iuste condemnaretur ad pęnā, quando sibi certo constat de delicto, & in iudice potest illud probare, ad pœnam restituendam tenetur, ad quam reus ille condemnaretur: & ratio est quia licet transportātes merces prohibitas (& idem de aliis delinquentibus dicendum est) non teneantur ad pęnam nisi post iudicis sententiam custodes tamen, qui ex officio, & ratione stipendij damna illa impedire tenentur, ex sua negligentia leui non impedientes, & damnum illum restituere tenentur, vt diximus, & etiam pęnam quæ fisco regio, aut aliis applicanda erat. Dixi quando certo constat de delicto, vt cum Custos iam de facto delinquentē apprehenderit (talis enim apprehensio æquiualet condemnationi aut processui, in quo sufficienter probatum est delictum.) Nam Custos qui re existente dubia, quasi declinans in meliorem partem dimittit, vt Custos vineæ, custos vectigalium, non tenebitur ad restitutionem, nisi esset rumor, vel fama in vineis, & in vectigalibus, & similibus grauia damna inferri, tunc enim ad boni viri arbitrium, damna ex eorū negligentia exorta, restituere tenentur. Ita docent Angel. in verb. pęna. q. 26. Rosella verb. test. 4. §. 3. Syluest. verb. pęna. q. 28. Medina. C. de rebus restituen. q. 12. in fine, & q. 15. in fine. Petrus Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. vlt. n. 142. Arag. 2. 2. q. 26. art. 7. & Salon ibidem controuer. 4. & 5.

Angelus Rosella. Syluest. Medina. Petrus Nauar. Arag. Salon.

Dico quarto Custos qui ex officio tenetur ad pęnam restituendam eo modo, quo diximus, tenetur illam ipso facto sine alia iudicis condemnatione restituere. ita Salon vbi sup. controuer. 5. concl. 7. Cuius ratio est; quia non tenetur ad eā quasi soluens pęnam; sed vt soluens debitum, quod sua iniquitate contraxit, vt diximus supra de iudice; debitum autē contractum, siue per negocium, siue per iniquitatem in conscientia soluendum est non expectata iudicis sententia. Quę hactenus dicta sunt intelligenda sunt in rebus, & damnis, vel pęnis grauibus; Nam si res sit parui momenti, & custodes semel, aut bis taceant non sunt obligandi ad restitutionē, vt Petrus de Arag. & Salon vbi supra testantur.

Dico quinto custos, cui aliquod munus accipit, & non accusat, aut denunciat tenetur munus acceptum restituere. Ita Syluest. ver. rest. 3. q. 5. vers. septimum. Sotus lib. 4. de iust. q. 7. ar. 3. Corduba in summa. q. 66. Petrus Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 1. dub. vlt. n. 143. & Salon. 2. 2. q. 62. ar. 7. controu. 5. cōcl. 3. & 4. & ratio est euidens: quia ex officio denunciare tenetur, vnde contra iustitiam peccat accipiendo aliquid, ne denūciet, vnde præter pęnam quam soluere tenetur ēt munus acceptum restituere tenetur. Quod intelligimus qñ custos petit pecuniā, aut munus vt taceret; an vero teneatur quando ipse non petit, sed qui merces transportauit custodē induxit vt taceret, & pecuniam ob id tulit, Respōdeo tā custodem, quam offerentem ad restitutionem teneri; & quidē offerens in hoc casu tenetur ad pęnam fisco debitam; custos vero non solum ad pęnam eo modo debitam fisco restituere tenetur; sed etiam munus ea de causa acceptum vt taceret restituere tenetur. Vide Petrum Nauar. vbi supra. Ex hoc infert Salon vbi supra, quando ostenso chirographo vectigalis soluti custodes aliquid a viatoribus gratis accipiunt, ita, vt constet, quod vere gratis illis detur, bene accipiunt, sin vero suis importunis precibus, vel minis seruandi merces extorqueant teneri ad restitutionem, & multo magis si accipiant pecuniam, quando res est dubia ne scrutentur supellectilem Viatoris.

Syluest. Sotus. Corduba. Petrus Nauar. Salon.

Dico

Dico sexto. Si venatio, piscatio, aut cæsio lignorum, sit iniuste, & tyrannice prohibita, aut vestigalia iniuste mstituta, & postulata custodes non prohibentes aut non manifestantes nec peccāt, nec tenentur ad aliquam restitutionem, etiā si præstiterint iuramentum. Tum quia talis prohibitio, & exactio vestigalium est iniqua, atque adeo illam non exercere laudabile, & honestum; Tum quia iuramentum præstitum, cum non debeat esse vinculum iniquitatis non est seruandum in tali casu iuxta illud Ambrosij in male promissis rescinde fidem.

Dico septimo. Quāuis ista prohibitio sit iusta & licita, si tamen cædentes ligna, piscantes, aut venantes id faciant ex graui necessitate, vt suæ inopiæ succurrant, moderateque accipiant, & quantum sua necessitas exigit, custodes in tali casu dissimulantes maxime in locis communibus nec peccant, nec tenentur ad restituendum. Primo quia charitas id exigit, cui nulla promissio, aut iuramentum debet aduersari. Secundo quia lex humana debet esse conformis rectæ rationi, recta autem ratio exigit, vt sic agentes non prohibeantur accipere huiusmodi res, quas natura omnibus profert in communem vsum. Tertio quia voluntas dominorum montium, syluarum, fluminum sic debet explicari, est enim iudicanda prudens, & rationi consona, quæ cum hoc exigat interpretatiue dicenda est consentire. Quarto quia est consuetudo, vt cum custodes permittunt huiusmodi miseros homines, vel ligna sibi necessaria, vel aliquos pisces accipere, vel lepores capere non puniātur, sed iudicentur misericorditer se habuisse.

Dico Octauo. Custodes, qui non ex officio aut mercede accepta, sed per vices suas in quibusdam locis nullo præmio accepto sed ex loci consuetudine efficiuntur custodes: quia isti non obligantur custodire nisi sicut ipsa communitas custodiret tales syluas, montes, loca, &c. non tenentur ad restitutionem damni; nisi quando præcipuus acceptor, cæsor, lignorum, aut venator tenetur resarcire damnum; quando vero ille non tenebitur nec talis custos obligatus erit. v.g. est in vsu quibusdam prouincijs, vt qui ligna cædunt montium, vel piscantur, vel venantur, quibusdam temporibus damnum soluant, quod faciunt si deprehendantur, & denuncientur, & non aliter, tunc nuidem licet custodes ex officio obligati non denunciando damnum restituere tenentur, non tamen illi custodes, qui mercede stipendiati non sunt, sicut nec ipsi accipientes, quando de rehensi in delicto non fuerint, damnum illud, aut pœnam resarcire tenentur. Multa plura possent dici; sed hæc satis sint de persona quæ ad restitutionem tenetur, qui plura videre desiderat, legat supra relatos auctores, Nos autem ea tantum hic explicamus, quæ tanguntur à Doct. Sub. cuius explicationi intendimus.

De re restituenda, seu quid restituendum sit.

DE tertio scilicet quid, dico quod nō solum tenetur quis ad restituendum rem ablatam vel vsum rei, sed etiam ad interesse, & fructum conceptum de re, si res erat fructifera, sed non fructum qui prouenit ex industria eius, qui vtitur illa re. Ex quo sequitur quod lucrum acquisitum ex pecunia fenebri, non tenetur fenerator reddere. Alioquin ille qui recipere posset esse iuste vsuratius, quia recipere fructum de sua pecunia prouenientem per industriam alterius est facere vsuram, & hoc est forte quod magis posset homines inducere ad vsuram: quia de vsuris lucrantes illud, quod lucrantur non tenentur restituere; imo illud suum est: qui per suam industriam acquisitum erat, alienum autem restituendum est. Hæc Scotus.

Pro cuius explicatione obseruandum est, quod Scotus tria dicit in hac littera, primo dicit quod retinens rem alienam tenetur restituere illud, quod abstulit quantum ad capitale, et seruata tamen, quod aliter loquendum est in foro conscientiæ, & aliud in foro exteriori aut secundum leges ciuiles; Nam si furtum fuit publicum restituere tenetur quadruplum, si vero fuerit occultum restituere debet duplum, vt docet Franciscus de Platea, sed Scotus non loquitur hic in foro exteriori, sed præcise secundum conscientiam; secundum quam tantum restituere tenetur, quantum abstulit, & non plus. Secundo dicit, quod auferens vel detinens alienum, non tenetur ad principale tantum; sed etiam ad interesse, quod debebat habere ex illo, quod sibi fuit ablatum, si pro tali patiebatur interesse, vel damni emergentis, vel lucri cessantis. Tertio dicit, quod quicunque abstulit, vel detinet rem alienam tenetur vltra hoc quod dictum est ad restituendos fructus quos res illa nata erat producere si de se erat fructifera, vt ager, vinea, domus &c. Pro ampliori tamen huius materiæ intelligentia sequentes difficultates explicandæ sunt.

Primus Art. Vtrum alienum bona fide retentum sit restitutioni obnoxium.

Secundus Art. Vtrum alienum mala fide retentum sit vero domino restituendum.

Tertius Art. Vtrum tantum res iniuste retenta, vel etiam fructus debeant restitui.

Quartus Art. Vtrum ille, qui recuperat rem sibi furto, aut violentia subtractam vel æquiualentē furtiue, vel violēter; teneatur ad restitutionem rei, quam sic recuperauit.

Quintus Art. Vtrum per hypochrisiam acquisitum debeat restitui.

Sextus Art. Vtrum simulantes paupertatem, vt ex hoc acquirant pecunias restituere teneantur.

Septimus Art. Vtrum res turpiter acquisita sit restitutioni obnoxia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum alienum bona fide retentum sit restitutioni obnoxium.

PRo huius difficultatis explicatione obseruandum est primo quod res aliena restitutioni obnoxia duobus modis ab aliquo haberi, & possideri potest, nimirum aut bona fide, vt qui sana mente bonoque animo rem alienam possidet credens esse suam; aut mala fide; vt qui non sit se alienum habere, vel per iniquam acceptionem, vt fur, vel quia accepit ab eo, qui non poterat transferre dominium, vt qui emit a fure; & de vtriusque restitutione aliqua breuiter explicanda sunt. *Res duobus modis est obligata restitutioni.*

Secundo obseruandum est, quod in re restituenda hæc tria præcipue sunt consideranda, primum est ipsa rei substantia, secundum est fructus rei, tertium est expensæ factæ circa rem illam, v.g. scripsit quis in libro alieno, depinxit, ædificauit in solo, vel domo aliena, pauit animalia aliena, educauit agnum alienum &c. *In restituenda re tria sunt consideranda.*

Tertio obseruandum est, quod fructus rei sunt in triplici differentia. Nam quidam sunt fructus rei naturales, qui, les sunt qui ex re nascuntur sine vllo labore, industria, vel expensis, vt est herba nemorum, Prati, glandes, castaneæ montium, qui non coluntur, redditus annui terrarum, iurium, & huiusmodi domorum locatio, &c. Quidam sunt mixti, vt poma, qui naturaliter quidem nascuntur, sed adhibita hominum industria, vt segetes, fruges, & idem est de domorum redditibus, quæ reparatione indigent. Quidam vero sunt omnino industriales, vt lucrum ex pecunia aliena; pecuniæ enim ex se, & aliæ res vsu consumptibiles, vt panis, vinum non pariunt nisi ratione industriæ. *Fructus rei sunt in triplici differentia.*

His obseruatis, Dico primo habens rem alienam bona fide, nesciens nec credens eam male acquisitam quocunque modo eam habuit, siue per donationem liberam, siue per contractum commutationis, vel emptionis durante bona fide, nec rem illam nec fructus inde perceptos, & consumptos restituere tenetur; quia bona fides excusat eum in conscientia; Vnde si durante bona fide rem vendidit, vel commutauit, aut consumpsit, siue perdidit, vel res illa perijt ad restitutionem non tenetur vt docent Gab. in 4. dist. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. propositione. 2. Angel. verb. restit. 1. num. 4 Syluest. verb. restit. 3. q. 7. §. 7 tertium. Sotus. lib. 4. de iust. & iur. q. 7. art. 2. Medina de rest. q. 10. concl. 2. Salon. 2. 2. q. 62. art. 6. *Gabriel. Angelus. Syluester. Sotus. Medina. S. leo.*

Dico secundo qui bona fide rem habuit, quam primum sciuerit rem esse alienam, tenetur rem illam restituere si extat, & fructus rei extantes, seu id in quo factus est ditior. Ita Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. art. 3. § 5. Palud. in 4. dist. 15. q. 2. art. 5. Gab. in 4. d. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. Astensis. lib. 1. p. 1. tit. 33. art. 5 q. 6. Angel. verb. restit. 1 num. 4. Sylvest. verb rest. 3. q. 7. § tertium Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 2. Nauar. in Manu. c. 17. num. 8. & omnes quos legerim. Et ratio est; quia cum nouerit rem esse alterius, seu male perceptam fuisse incipit esse male fidei possessor, & iniuste detinet rem alienam *Alex. d Ales. Paludanus. Gabriel. Astensis. Angelus. Syluester. Sotus. Nauar.*

nam. iniusta autem detentio tantundem est quo ad mores attinet, ac iniusta acceptio, ac proinde rem illam restituere tenetur non solum ratione rei, sed etiam ratione iniustæ acceptionis.

Dico tertio. Possessor bonæ fidei licite in conscientia detrahere potest omnes expensas, quas fecit in re ipsa, eam conseruando, vel meliorando durante bona fide, si detrahi possunt absque detrimento rei, si autem separari nequeant a re, tenetur dominus rei in conscientia, vel soluere ei quicquid expenderit, vel rem illam iusto pretio vendere; expensas autem, quas fecit cessante bona fide repetere non potest. Ita Astensis. p. 1. lib. 1. tit. 33. art. 5. q. 2. Gab. in. 4. d. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. Angel. verb. rest. 1. & verb emens. num. 4. & Syluest. verb. rest. 3. q. 7. §. Tertium; & communiter summistæ in verb. expensæ.

Astensis. Gabriel. Angelus Syluester.

Dico quarto. Qui bona fide rem emit a latrone, quam postea durante bona fide vendit alteri, & deinde cognoscit rem illam esse alienam, non tenetur ad contractum rescindendum; sed licite potest sibi pretium retinere, dummodo rem alteri vendat eodem pretio vel minori quam emerat, hæc conclusio est contra Sotum lib. 4. de iust. q. 7. art. 2. Petrum Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 3. dub. 5. num. 206. Greg. de Valent. in. 2. 2. disp. 5. q. 6. puncto. 3. Arag. 2. 2. q. 62. art. 6. & Salon. ibidem controuer. 2. eã tamen docent Angelus verb. rest. 1. & verbo emens. num. 4. Syluest. verb. rest. 3. q. 7. §. 24. Caiet. 2. 2. q. 62. art. 2 & in summa verb. rest. c. 1. §. secunda vero radix. Nauar. in Manu. c. 17. num 8. & 9. Et Couar. in Reg. peccatum de reg. iur. lib. 6. p. 2. §. 12. concl. 2. nu. 3. Qui etiam pro hac opinione refert Ioan. Maior. in. 4. d. 15. q. 26. ad finem, & Ioan. Medinam lib. de rest. q. 10. concl. 2. §. si autem. Quæ opinio sic probari potest: quia emens rem a latrone bona fide si res illi ablata sit, aut consumpta durante bona fide non tenetur ad restitutionem eius, quamuis postea sciat rem illam fuisse furtiuam; ergo nec quando vendidit bona fide tenebitur rescindere contractum, nec pretium acceptum vero domino restituere, sed poterit illud sibi retinere. Præterea venditor ille non tenetur restituere ratione acceptionis iniquæ: quia bona fide emit a latrone, nec ratione rei acceptæ: quia iam non habet illam apud se, nec in ea factus est ditior vt supponimus. ergo &c.

Sotus. Petrus Nauar. Greg. de Valen. Aragona. Salon. Angelus Syluester. Caiet. Nauar. Couar.

Dixi dummodo rem alteri vendat eodem pretio vel minori. Quia si maiori pretio rem venderet, tunc excessum restituere tenebitur domino rei, sicut etiam si non emptionis titulo, sed donationis rem furtiuam, quis a fure habuerit, eamque vendiderit pretium acceptum tenebitur domino reddere. l. si rem. ff. de petit. hæredit.

Dico quinto. Qui bona fide emit a latrone, postquam scit rem esse furtiuam, potest tuta conscientia rescindere contractum cum latrone, & rem illi reddere, vt pretium ab eo recuperet, nec tenetur eam vero domino restituere. Hæc conclusio est cõ tra Sotum, Medinam & multos alios, quos refert Clauis Regia lib. 10. tract. 2. c. 2. est tamen Alensis. p. 4. q. 24. m. 5 art. 3 §. 5 Gab. in 4. d. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. Angel. verb. rest. 1. & verb. emens. num. 1. ver. 3. Syluest. in verb. rest. 3 q. 7. §. primum. Nauar. in Manu c. 17. nu. 9. Arag. 2 2. q. 62. art. 6. & Salon ibidem. controuer. 1. Et ratio est: quia cum hic emptor bona fide rem emit, non est dignus, qui pretium a se datum amittat, quod tamen amitteret si rem domino, & non latroni restitueret. Tum etiam quia vnusquisque ius habet, vt sibi potius, quam alteri consulat, non consuleret autem, si rem domino restitueret, & non furi, cum a domino non possit repetere pretium, quemadmodum a fure poterit.

Sotus. Medina. Clauis Reg. Alex. à Ales Gabriel. Angelus. Syluester. Nauar. Aragona. Salon.

Dico sexto. Qui emit rem sciens esse alienam animo reddendi eam vero domino, pretium datum latroni repetere potest a vero domino, aliter ei non daturus rem illam, & verus dominus quoties probabiliter non sit alio modo rem suam recuperaturus, aut non potest pro tam paruo pretio, toties pretium petere potest a vero domino rei, & dominus tenetur in conscientia reddere ei pretium datum: quia vtiliter gessit negotium illius. Imo tenetur dominus soluere expensas, etiam si res perierit, & ad eum non peruenerit cum alter negotium eius gesserit vtiliter, & non debet suo labore defraudari. Ita docent Hostiensis in summa lib. 5. tit. de pœnit. & remis. § quibus, & qualibus. nu. 61. Angel. verb. rest. 1. & verbo emens. nu. 5. Gab. in. 4. d. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. propositione. 1 Maior in. 4. d. 15. q. 26. Syluester verb. rest. 3. q. 7. § 4. & est communis Doctorum sententia.

Hostiensis. Angelus. Gabriel. Maior Syluester.

Dico septimo. Fructus naturales rei alienæ si extant omnes restituere tenetur, si vero consumpsit eos solum, in quibus factus est ditior; mixtos vero restituere tenetur deductis laboribus, & expensis, [quia res domino fructificat, atque ita eius sunt], cuius res est. sed fructus industriales non tenetur restituere, vt ex dictis manifestum est, de qua re vide Couar. Reg. peccatum, qui citat Caiet. 2. 2. q. 26. art. 6. & Syluest. verb. rest. 3. q. 7. Ioan. Med. C. de rest. q. 10. Ioan. Maior. in. 4. d. 15. q. 26. ad finem, & latius de hac agunt Couar. lib. 1. Var. resol. c. 3 nu. 6. & Petrum Nauar. lib. 3. de rest. c. 4. p. 3. num. 190.

Couar. Caiet. Syluester. Medina. Maior. Petrus Nauar.

ARTICVLVS II.

Vtrum alienum mala fide retentum sit vero domino restituendum.

PRo huius quæst. explicatione obser. est, quod res aliena aut est de his, quæ vsu consumuntur in quibus dominiũ ab vsu non separatur, ita quod vsus seu functio est eius consumptio. vt oleum, triticum, vinum, pecunia, quibus vti nõ possumus, (vsu inquam quem sua natura postulat) sine earum consumptione; Alia vero est de his, quæ vsu non consumuntur, idest cuius vsum (re salua manente) habere possumus; vt domus, equus, pallium &c. res dicuntur, quæ non consumuntur vsu; Quamuis enim domus, equus, pallium vsu quodam consumentur, & inueterascant: quia tamen vsus harum rerum non est totaliter, & proprie dissipatio, & consumptio, nec earum finis est consumi, ideo dicuntur vsu non consumptibiles.

Res furtiua duplex.

Secundo obseruandum est, quod res aliena quam aliquis a fure de manu ipsius furis accepit, potuit tripliciter accipi: quia vel ille cum mala fide rem illam accepit; sciens scilicet rem furtiuam esse; vel cum bona fide credens scilicet non furtiuam esse, sed eum a quo eam accepit, iure potuisse rem illam alienare; vel cum conscientia dubia, qua scilicet dubitat furtiua ne sit res illa, nec ne.

Potest aliquis a fure quippiã accipere tripliciter.

Ex his dico primo. Habens rem iniuste acquisitam scienter siue per donationem, siue per contractum, tenetur rem illam restituere, si extat, vero domino regulariter; si autem eam non habet, aut consumpta sit, valorem ei restituere tenetur, non obstante quocunque statuto humano in oppositum edito. Quia cum talis detentor sciuerit rem illam esse alienam, eam sibi ipsi appropriando, furti particeps est, iniquæ acceptionis, & iniustæ detentionis, nec minus damnificat dominum, rem eius accipiendo, & apud se retinendo, quam latro primo surripiendo, ac proinde vt iniustitia illa ad æqualitatem reducatur, necesse est hunc secundum detentorem rem illam tam ratione rei acceptæ, quam ratione iniquæ detentionis, & acceptionis vero domino restituere, ac si per se ipsum eam primitus fur abstulisset. Dixi non obstante quocunque statuto humano, siquidem si statutum esset, quod quicunque emit rem in foro publico non teneretur ad restitutionem rei, tale statutum iniquum esset, & contra bonos mores; quia restitutio rei alienæ scitæ, est de iure naturali, & diuino, atque adeo statutum humanum in oppositum esset iniquum. hæc concl. est Alex. de Ales. 4. p. q. 24. m. 5. art. 3. §. 5. quem sequuntur omnes.

Alex. de Ales.

Dico secundo. Emptor vel possessor male fidei non solum restituere tenetur rem ipsam, si eam habet, aut pretiũ eius si illam non habet; sed etiam omnes fructus rei ex se fructiferæ quos ex illa percepit, & quos diligens dominus ex illa percepisset tempore intermedio, nec non lucrum cessans, & damnum emergens, quæ dominus rei toto hoc tempore passus est; Dixi fructus rei ex se fructiferæ; quia si fructiferę solum essent ex labore & industria habentis illas, tunc non teneretur ad lucrum cessans; Vnde qui accepit pecunias ab eo: qui non erat negotiaturus, sufficit illi nudus pecunias restituere: quia cum pecunia ex se res fructifera non sit, lucrum exinde accrescens industriæ illius attribuendum est non pecuniæ. eodemque modo si res fructifera sit tantum vt decem communiter, latronis vero, vel ementis illam a latrone industria effecta sit fructifera, vt viginti restituenda erit res illa cum fructibus eius vt decem, quæ ex se tulisset, non autem cum fructibus vt viginti, qui ex industria ementis prouenjunt.

Dico tertio. Emptor aut possessor malæ fidei non potest licite detrahere expẽsas nisi necessarias, quas facit in fructibus

bus

bus acquirendis, congregandis, & conseruandis, quas dominus necessario facturus fuisset, expensas vero vtiles, & voluntarias deducere non potest; sed neque quas putauit necessarias, si vere necessariæ non erant. Necessariæ autem expensæ in hac materia illæ dicuntur, quæ si factæ non fuissent perijsset res, aut facta fuisset deterior, vtiles sunt, quæ rem meliorem faciunt, & deteriorem fieri non sinunt, voluntariæ autem, quæ rem tantum ornant, sed fructum non augent. l. impensas. ff. de verb. signifi. Angelus verbo expensæ num. 5. obserua tamen quod dictum est de expensis vtilibus & voluntarijs intelligi debet in foro exteriori, vt Medina, de rest. q. 6. concl. 1. & Couar. in Reg. pecc. p. 2. §. 6. nu. 3. notant; in quo non conceditur actio possessori malæ fidei ad vllas expensas exigendas. Nam in foro conscientiæ obligatur dominus soluere expensas vtiles & voluntarias: quia nemo debet locupletari cum iactura alterius, qualiter locupletaretur dominus rei, si deberet eidem res meliorata restitui, non deductis laboribus, & expensis quamquam in foro exteriori non debeat deduci.

Expensæ necessariæ vtiles, & voluntariæ, quæ dicantur.

Medina. Couar.

Dico quarto. Si res furtiua, quam quis de manu furis accepit si extat in specie, siue sit vsu consumptibilis siue non, siue meliorata siue deteriorata, siue sit immixta, tenetur eã in specie, siue vt loquuntur Philosophi in numero eamdem restituere domino. quia talium rerum vsu consumptibilium, siue non consumptibilium per furtum nõ acquiritur dominium furi, neque ipse transferre potest dominium in accipientem, cum sit alienum atque ita cum dominium penes verum dominum sit, potest dominus rem suam extantem, & immixtam exigere ab habente eam, & habens rem restituere tenetur, tum ratione rei acceptæ, tum ratione iniquæ acceptionis. Vnde habens dolium vini, aut olei furto sublatum, dummodo cum alijs huiusmodi ipsius furis, vel detentoris mixtum non sit, illud restituere tenetur. Ex quo sequitur quod comedens, seu aliter participans rebus mala fide, tenetur in conscientia ad æstimationem illius partis etiam si non sit factus locupletior. Ita Medina. C. de rebus rest. q. 6. propositione. 1. & q. 10. concl. 4 §. corrolarie. Couar. in Reg. pec. p. 2. §. 12. num. 2. Nauar. in Manu. c. 17. num. 24. & 25. & Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. p. 3. dub. 6. nu. 214 & lib. 4. c. 1. nu. 4. Quod si rem eamdem reddere nequeat, vel ratione infamationis, vel alia ex causa æstimationem rei reddere tenetur. vt vterque Nauar. vbi supra testatur.

Medina. Couar. Nauar. Petrus Nauar.

Dico quinto Si res eadem extat in valore, & bonitate immutata eamdem reddendo satisfacit fur, aut detentor, & dominus tali satisfactione debet esse contentus; si vero res detenta perijt etiam sine sua culpa tenetur ad restitutionem valoris rei; & hoc intelligas. quando res non fuisset peritura apud dominum rei; nam si nihil re extat, & totum esset alias periturum apud dominũ, sicut apud furem, nec ante illud tempus interitus rei, dominus rem illam vendidisset, aut aliquam vtilitatem ex illa accepturus esset, ad nihil restituendum domino fur, aut detentor obligabitur: quia fur ille nihil damni domino intulit, quod ille alias passurus non fuisset. Si autem res extat, & deterior facta est, aut in pretio diminuta, cuius deteriorationis, aut diminutionis fur causa non fuerit, & dominus læsus erat rem illam vsque tunc seruaturus satisfacit fur rem illam deterioratam reddendo: quia tunc iniustitia ex furto orta ad æqualitatem reducitur, nec aliquod damnum passus est dominus; at si tempore intermedio dominus aliquod damnum passus sit, tunc quidẽ habita ratione lucri cessantis, aut damni emergentis, quod passus est dominus ex carentia rei ſu, restituere tenetur, ita Ioan. Medina de rest. q. 6. concl. 3.

Medina.

Dico sexto. Si fur aut alius malæ fidei emptor, & possessor nolit illam pecuniam vel rem, sed aliam eiusdem prorsus bonitatis, & quantitatis reddere, satisfacit præcepto restitutionis, cum reparauerit damnum secundum æqualitatem. Imo etiam si dominus persistat, ac proterue rem suam eamdem numero expostulet; si tamen rem aliam æque bonam domino restituat, satisfacit quo ad iustitiam, vt patet, peccaret tamen contra charitatem, dando occasionem proximo contristationis, & iræ nolendo restituere rem eamdem numero, quam scit dominũ, licet proterue expostulare. ita Petrus Nauar. vbi supra lib. 4. de rest. c. 1. dub. 3. nu. 5.

Petrus Nauar.

Dico septimo. Si res ablata a fure, vel a malæ fidei detentore, vsu consumptibilis sit, vt triticũ, vinum, oleum, pecunia, &c. & immixta iam sit cum alijs suis pecunijs, tritico, &c. ita vt ab illis discerni nequeat, siue fur ipse miscuerit, siue alius detentor, non tenebitur fur, aut alter detentor eamdem rem numero domino restituere, sed satis erit æquiualentem reddere primo domino. Ita Syluest. verb. rest. 3. q. 6. §. secundum. Ioan. Med. de rest. q. 10. concl. 5. §. notanter. & Petrus Nauar lib. 3. de rest c. 4 p. 3. dub. 6. num. 216. & lib. 4. c. 1. dub. 3. nu 6. Et ratio est: quia per huiusmodi mixtionem deperditum est dominium, quod dominus in illa re habuit, & ita perinde est, ac si res omnes illæ factæ sint de dominio furis, aut detentoris eas possidentis; cum ex tali mixtione facta, non sit maior ratio vnius, quam alterius, vt illius esse iudicetur.

Syluest. Medina. Petrus Nauar.

Dico octauo. Qui rem emit, de qua est dubius tempore emptionis an furtiua sit necne, emit vero illam consulens vtilitati veri domini, & cum animo seruandi, & restituendi illam vero domino, quam nisi ipse emeret forsan verus dominus nunquam recuperaret non peccat, tenetur tamen quærere diligenter pro rei, ac dubij qualitate verum illius dominũ, interim vero dum non constat, quis sit verus dominus, retinere poterit; inuento autem vero domino rem illam ipsi restituere debet, accepto pretio, quod pro illa dedit; si autem post debitam diligentiam dominus non compareat, poterit pretium pro re datum sibi retinere, sicut illud a vero domino accipere potuisset, & reliquum quod superest in pios vsus conuertere debet. Ita Medina de rest. q. 10. concl. 3. Couar. Reg. pecca. p. 3. nu. 4. & Salon. 2. 2. q. 62. art. 6. controuer. 4.

Medina. Couar. Salon.

Dico nono. Emens aut recipiens rem alienam cum probabili dubio, non præmittens debitam diligentiam de veritate inquirenda, dummodo eam emat in suum proprium commodum, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur. dicitur autem probabile dubium, quando habet rationem dubitandi ex probabilibus signis generantibus probabilem, siue apparentem suspitionem, seu præsumptionem, ex quibus communiter a sapientibus iudicatur res esse alienas; secus vero si fuerit dubium ex conscientia scrupulosa ortum, aut ex signis leuibus, & incertis, aut indifferentibus. Ita Hostiensis in summa lib. 5. tit. de pœnit. & remis. nu. 61. §. quibus, & qualiter. Alex. de Ales. p. 3. q. 24. m. 5. art. 3. §. 4. vers. quæritur consequenter de sexto, Gab. in. 4. d. 15. q. 3. art. 3. dub. 5. concl. 3. Angel. verb. rest. 1. in verb. emens. nu. 3. Salon. vbi supra concl. 3.

Hostiensis. Alex. de Ales. Angelus. Salon.

Dico decimo. Qui rem alienam bona fide accipit a latrone, sed deinde incipit dubitare an sit furtiua, si rem illam per viam donationis accipit, & postea durante tali dubio rem vendit, tenetur pretium acceptum domino reddere, quando constiterit rem illam vere alienam fuisse, quod patet ex superius dictis; si autem eam accepit titulo emptionis, aut permutationis, si facta debita diligentia sit ex æquo dubius, vel magis declinat in suam partem, quam in oppositam, potest illam tuta conscientia retinere, aut vendere sine peccato, dummodo emptori rei conditionem exponat dicens se esse dubium an furtiua sit; quia in tali dubio potior est conditio possidentis, ac proinde potest sine peccato rem illam sibi retinere. Dixi dummodo emptori rei conditionem exponat; quia cum defectus rei ad indemnitatem emptionis spectet, tenetur venditor explicare emptori iure naturæ defectum rei, & illum indemnem seruare, alioquin emptorem defraudaret, qui vel rem illam cognito eius defectu, seu vitio nullatenus emeret, aut pretium longe minus pro ea daret. Si vero facta debita diligentia dubius sit, & magis inclinat rem furtiuam esse, quam suam inquirere tenetur verum dominũ, quem si certo inuenerit, rem integram restituere tenetur, si autem dominum non inuenerit, non tamen ita certum, sed de quo adhuc est aliquod dubium partem aliquam illi restituat, vel cum eo conuenire tenetur. Ita Salon vbi supra.

Salon.

ARTICVLVS III.

Vtrum tantum res iniuste retenta, vel etiam fructus debeant restitui.

PRo explicatione huius difficultatis videndum est primo quid in vniuersum restituendũ est, Vnde obser. est quod si rerum naturas spectemus bona, quæ restitutioni obnoxia sunt, aut sunt bona animæ, aut bona corporis, aut bona famæ, & honoris, aut bona fortunæ, de quibus cum Scoto in sequentibus quæstionibus disputabimus. Nunc vero ea solum

Bona restitutioni obnoxia.

lum explicanda sunt, quæ ad circunstantiam, quæ dicitur, quid, in communi pertinent.

Quatuor sunt quæ restitutioni subiacent.

Secundo obseruandum est, quod quatuor sunt, quæ restitutioni subiacent. Primo restituendum est omne alienum iniuste acceptum vel retentum, vel omne alienum iniuste debitum. Secundo omnis res aliena si extat in specie siue eadem numero restituenda est, nisi creditor sit alia re contentus. arg. l. cum a quo, & l. manifesti. C. de solut. Syluest. verb. rest. 7. q. 5. Nauar. in Manu. C. 17. nu. 24. & Petrus Nauar. lib. 4. de rest. c. 1. dub. 3. nu 4. quia illius rei dominium non est a domino translatum; vel nisi quando per restitutionem eiusdem rei peccator occultus manifestaretur, aut aliud incommodum magnum sequeretur: tunc enim satis erit pretium rei restituere, quod si res non extat, tunc pretium, & valorem restituere oportet. Tertio quando res aliena retenta inique est fructifera, tunc restituenda est vna cum fructibus eius extantibus, aut si nō extat res pretium eius vna cum fructibus, seu vna cum eo, quo quis ditior effectus est, restitui debet, habita ratione bonæ, aut malæ, seu dubiæ fidei iuxta ea, quæ in superiori articulo exposuimus. Quarto damna etiam omnia restituenda sunt, quæ passus est dominus rei ob rem suam acceptam, vel retentam iniuste scilicet lucrum cessans, & damnum emergens. v. g. Quis furatus est pecuniam paratam ad reficiendam domum minantem ruinam, & ob id vel corruit domus, vel compulsus est dominus pecuniam accipere ad vsuras, hæc damna omnia resarcire tenetur.

Syluest. Nauar. Petrus Nauar.

Ex his dico primo, quod fur tenetur restituere impensas, quas fecit dominus rei in quærenda re furata, dummodo sint tantæ quantitatis, & tales, quales vir bonus, & prudens in simili negocio facere debuisset; & nisi probabiliter credatur dominum rei contentum futurum restituto sibi principali. Ita Nauar, in Manu. c. 17. nu. 140.

Nauar.

Dico secundo. Quod lucrum acquisitum ex re aliena, arte, negociatione, ludo, aut industria propria non est restituendum, quicquid in contrarium dicant Baldus, & Decius, secuti Altisiodo. lib. 3. tract. 21. q. de rest. vsurarij. vers. ad primum casum, vbi docet lucrata per pecunias furtiuas, vel vsuras acceptas de necessitate restituenda esse, Tū quia si radix est mortifera, ergo & arbor, & rami. Roman. 11. Tum quia sicut dolus, ita iniuria nulli debet patrocinari, atque adeo emolumentum ex iniusta detentione restituendum est. Nostra tamen conclusio est communis Theologorum sententia, ita docet Scotus in hac quæst. & Ricar. in 4. d. 15. art. 5 q. 5. ad primum, quos sequuntur omnes. & ratio est, quia tale lucrum ex sola sua industria malę fidei possessor restituere non tenetur. Vnde vsurarius, qui lucratus est pecunia vsuraria licita negociatione, restituere non tenetur. Si enim vsui pecuniæ aliquid responderet fructus, certe vsurarius veniret excusandus, quærens ex mutuo emolumentum, vt optime hic argumentatur Scotus, & post ipsum Gabriel in. 4. d. 15. q. 2. art. 3. dub. 1 concl. 2. si igitur iniustum est ex mutuo lucrum quærere, quia pecuniæ vsus vendibilis non est, nec vllo modo de se fructuosus, sed solum ratione industriæ, consequenter fur, aut vsurarius ex vsu pecuniæ nihil debet, ex industria autem sua, vel labore multo minus, cum sua sit non alterius, ergo ex pecunia furtiua, aut fenebri partum, totaliter est ipsius furis, vel feneratoris.

Baldus. Decius. Altisiodo.

Scotus. Ricardus.

Gabriel.

Tataretus.

Cæterum hæc veritas Theologica (inquit Tataretus) non est coram vsurarijs prædicanda; quia vellent aliqui forte esse vsurarij ad tempus, & deinde de pecunijs illis lucratis viuere cum bona conscientia restituto principali; quod etiam tangit Scotus his verbis. Et hoc est forte, quod magis posset homines inducere ad vsuram; quia de vsuris lucrantes illud, quod lucrantur, non tenentur restituere, imo illud suū erit, quia per suam industriam acquisitum erat, alienum autem restituendum est.

Vnde facile est argumentis in oppositum respondere. Ad primum dico, quod pecunia fenebris non se habet ad secundum lucrum, tanquam radix ad ramos; potius enim radix est industria, sed est velut materia, aut instrumētum, rami enim ex radice lumen esse sortiontur; lucrum autem secundum non ex pecunia, sed ex industria, & arte negociationis procedit; atque adeo tale lucrum ipsius negociantis efficitur. Ad secundum dico, quod dolus, & iniuria nemini patrocinantur, quod autem lucrum ipsi vsurario suffragatur est sua industria, & ars negociandi, idcuque lucrum illud licite sibi retinere potest.

Dico tertio. Quod fructus naturales simpliciter restitui debent, qui vero ex parte naturales sunt, & ex parte industriales restitui debent, deductis tamen laboribus & expensis necessarijs factis in eis acquirendis, colligendis, & conseruandis, si extent, si vero non extent, tenetur de illis in quantum ditior factus est, quia sicut melioramenta, ita & fructus domini sunt. Fructus autem mere industriales non sunt restituendi; quia fructus isti non sunt rei; sed industriæ & laboris, & ideo eius sunt, qui eos sua industria acquisiuit. Ita Scotus hic, quem sequuntur omnes.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ille, qui recuperat rem sibi furto, aut violentia subtractam, vel æquiualentem furtiue, aut violenter, teneatur illam restituere.

Hic articulus duas tangit quæstiones, prima est, an sine peccato furti possit quis rem propriam detentam iniuste a fure, vel iuste a depositario clam, & secreto auferre. Altera est an id fieri liceat violentia, aut rapina. Ratio dubitandi, quo ad vtranque quæst. est, quia nihil iuste possidetur, quod furto, vel rapina acquiritur, (furtum enim & rapina contraria sunt iuri, & lege prohibita) ergo si quis furto, vel violentia recuperat aliquid, quo fuit damnificatus furto vel violentia alterius, illud iniuste possidetur ab illo, ergo ad restitutionem tenetur.

Pro explicatione primæ quæst. vt certa ab incertis separemus dico primo, omnes Doctores communiter docere ex rei natura, & regulariter esse peccatum occulte, & dolose rem suam propriam recuperare, & auferre ab alio, quando alia honestiori via res haberi potest: quia licet non faciat iniustitiam ex parte rei acceptæ, semper tamen quantum est ex rei natura illicitum est ex parte modi, hoc est, ratione modi accipiendi; quia nimirum facit iniuriam ministris iustitiæ vsurpando eorum officium, cum certum sit neminem posse regulariter sine peccato auctoritate propria sibi ipsi ius dicere, & rem suam recuperare. Dixi regulariter, quia concurrentibus quibusdam conditionibus nullum omnino peccatum erit rem propriam ab alio auferre: quia vt habetur in. l. si res, & in. l. si is qui rem. ff. de furt. in re propria accipienda non peccatur.

Secundo certum est quotiescunque adsunt conditiones requisitæ potest quis. v. g. creditor loco debiti tantundem in valore de bonis debitoris clam absque peccato, & absque debito restituendi, siue id, quod capit, sit res vsu consumptibilis, siue non, accipere, ita docent omnes præter vnum Panor. in. c. bona fides. de deposito.

Panor.

Secundo obseruandum est, quod septem requiruntur conditiones ad hoc, quod licitum sit rem propriam occulte, & clam accipere. Prima est, quam ponit Corduba in summa. q. 3. & Martinus Nauar. in Manu. c. 17. nu. 113. vt debitum sit ex iustitia, & non ex sola charitate, aut gratitudine: si enim debitum est tantum morale, seu gratitudinis, non licebit occulte accipere: quia sola lex iustitiæ ad restitutionem obligat. ex quo sequitur quod famuli, & seruitores, qui sponte dominis inseruiunt, cum spe acquirendi mercedem, aut beneficium sine vllo tamen pactō, aut intentione obligandi dominos, quamuis nihil accipiant, loco tamen mercedis aliquid a dominis clam surripere nō possunt, vt Alex. de Ales. p. 4. q 24. m. 5. art. 3. §. 1. vers. de seruiente vero, Sotus lib. 5. de iust. q. 3. art. 3. ad. 1. Nauar. in Manu. c. 17. num. 113. Medina de rest. q. 11. & Corduba in summa. q. 111. tradunt. Dixi si sponte dominis inseruiunt: quia si salarium aliquod illis debitum esset, ob pactum expressum, vel tacitum, aut consuetudinem patriæ, aut talis generis seruitiorum &c. illudque licitum sit, & reliquæ conditiones necessariæ adsint, sine dubio possunt se recompensare: cum hi peioris conditionis esse non debeant, quam cæteri creditores, imo tanto magis illis licitum esse debebit, quanto magis sine scandalo se compensare possunt, cum bona dominorum sæpe tractent.

Corduba. Nauar.

Alex. de Ales. Sotus Nauar. Medina. Corduba.

Secunda conditio est, vt hoc debitum sit liquidum & certum: si enim res sit dubia, & ambigua non licet aliquid occulte accipere: cum in dubijs melior sit conditio possidentis; Vnde dici solet, quod liquidi ad non liquidum non est compensatio.

Tertia conditio est, vt non plus accipiat, quam sibi debeatur

beatur ex iustitia: nam furtum esset respectu excessus cum obligatione restituẽdi, eo quod respectu excessus rem alienam inuito domino vsurpat.

Quarta conditio est, quod non possit ordine iuris debitum illud recuperare, aut etiam extra iudicium sine notabili iactura sua, puta quia ille non vult soluere ratione potentiæ, aut iudex non vult eum cogere ex iniquitate ad soluendum debitum; aut quia iuste timet rem suam petere in iudicio, propter scandalum, damnum, aut inimicitias, aut propter tantas expensas, quas faceret in re sua recuperanda, aut propter defectum testium, & probationum, & huiusmodi; quæ conditio Quarta potissima est inter alias ob quas licitum est occulte rem suam auferre.

Quinta conditio est, quod sit illi verisimile, quod ad debitum recuperandum nihil sibi proderit id petere a debitore, quam conditionem ponunt Ioan. Med. vbi supra. q. 11. Ioseph Angles in floribus 4. sent. p. 2. q. quis a restitutione sit liber. art. 2. diffi. 17. dub. 13. Lopez. p. 2. instruct. conscien. c. 8. quicquid Emanuel Sa in Aphor. suis in verb. furtum falso putet non esse mortale clam ab eo accipere, qui daret si peteretur.

Medina. Angles. Lopez. Emanuel Sa.

Sexta conditio est, vt caueat sic sibi recompensans, deinde aliquid scandali, aut damni alteri, quod debeat saltem ex charitate euitare, sequatur; & a fortiori cauere debet ne intercedat periculum mortis corporalis, vel alterius læsionis magnæ, cum iudices talia similitudinaria furta si probentur punire soleant.

Septima conditio est, vt admoneat debitorem, vel eius hæredes iam debitum esse solutum, ne debitũ iterũ sibi, aut suis hæredibus soluant, vel aliud damnum incurrant.

His conditionibus concurrentibus, dico licitum esse cuicũque rem suam occulte accipere: quia in tali casu nulli irrogatur iniuria, imo rem ad æqualitatem reducit, cum alia via commode non possit, nec sperat ad æqualitatem venire. Debitori enim non facit iniuriã, cũ ab eo solum recipiat rẽ suam, & quam illi ex iustitia reddere debet, vnde cum alter vtatur solum iure suo, non potest possessor, seu debitor esse rationabiliter læsus, aut inuitus, quo minus creditor rẽ suã recuperet. Sed neque iustitiæ publicæ iniustitiã facit: quia cum non teneatur rem suam amittere, nec eam possit commode per iudicẽ & viam iustitiæ publicæ recuperare, licite in defectum iustitiæ poterit sibi ipsi creditor ius dicere & satisfacere, atque adeo si adsint conditiones prædictæ, quando res mea est apud alium possum illam eamdem occulte accipere; quando vero non manet illa eadẽ possum æquiualentẽ accipere, nec per hanc licentiam sequitur aliquod incommodum, aut perturbatio Reipub. seruatis namque illis conditionibus omnibus incommodis occurritur.

Sotus.

Quo ad secundã quæst. Sotus lib. 5. de iust. q. 3. art. 3. ad. 1. expresse docet non licere per violentiam rem propriam recuperare, quin potius si secreto eripere nequeat, vel adire debet superiorem, aut si nullum aliud remedium supersit, iacturã rei suæ ferre debet, & non perturbare Rempub. addit tamen, quod si Respub. esset tã barbara, aut tanta tyrannide oppressa, vt nemo posset ius suũ obtinere, posset tunc quis citra armorũ sumptionẽ etiã cum violentia aliqua in suum ius se restituere. Idem sentiunt Petrus de Arrag. 2. 2. q. 66. art. 5. in fine. Bann. s. & Salon. ibidem controuer. 2.

Arragona. Bannes. Salon. Alex. de Ales. Petrus Nauar. Greg. de Valen.

Cæterũ oppositã sententiam docet Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. art. 3 §. 1. quem secuti sunt Petrus Nauar. lib. 3. de rest. c. 1. p. 4. dub. vlt. nu. 413. & Greg de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 10. puncto. 5. inquit enim Alex quod qui per apertã vim, & iniuriã rẽ alterius inuadit, eãque auferre conatur, potest alter incõtinenter rẽ suã, aut æquipollentẽ rei, etiã per vim, & violentiã illi auferre absque peccato, aut vinculo restitutionis v. g. Aufert aliquis equũ Titio, potest Titius si aliter equũ suũ recuperare nõ possit alteri vim inferre, equũq; suũ recuperare, aut æquiualentẽ equi illius ab inuasore sine peccato, aut vinculo restitutionis auferre. Quia in hoc casu spoliator vi ... ã auferendo aggressor fuit, & consequẽter ex mea parte defensio solũ est, atque adeo si aliter rẽ meã recuperare ne... ã, possum impressionẽ in eũ facere vsq; ad necẽ, non modo antequã auferat, sed etiam post incontinenter idest ... interruptione tẽporis, si nolit relinquere, fugientẽque transfigere, si res ablata alicuius momenti fuerit. Dixi sine interruptione tẽporis; quia si tempore interpollato, non ... quod possit tuta conscientia per eũ rem suã recupera... probat hoc Alex. per simile sumptũ in lege Deut. 19. vbi legitur, quod cũ aliquis non de industria interfecerit aliquem, propinquus occisi impune poterit occidere occisorem incontinenter, dummodo dolore stimuletur, licet prior occisor non fuerit reus mortis: multa enim perpetrata instãte dolore remanent impunita, quæ si cessante dolore fierẽt, essent punienda. Quapropter spoliatus re sua si incontinenti manente dolore ex damno sibi illato recuperaret rem sibi furtiue, siue violentia subtractã furto vel rapina rei æquipollentis facta, spoliatori non tenetur ad restitutionem. Si autem quis furto aut rapina rem meam occupauit, aut depositum, vel commodatum negat. Tunc inquit Alex. licitũ esse etiam tempore interpollato auferre rem suam sine obligatione restitutionis, siue furto siue violentia recuperet; peccaret tamen siue furto, siue rapina recuperet. Verum si furto aut rapina recuperet, non rem suam sed rei æquiualentiã non solum peccat, sed etiam ad restitutionem tenetur: quia inquit hæc res nunquam fuit sua. Greg. autem de Valent. existimat licitum esse res suas recuperare adhibita tali vi, quæ solum furem perturbaret citra mortem, vel vulnerationẽ, quandocunque postea latro vult illã iniuste detinere. *Greg. de Valen.*

At mihi verior videtur opinio Petri Nauar. dicentis non licere in quouis Reipub. statu res ablatas vi illata recuperare: quia id esset bellum vindicatiuum inferre, aut proximũ pro iniuria punire, quod priuato ciui nullo iure licitum est; Nemini enim licet sibi ius armata manu dicere vt constat; Cum enim detentor bonorum meorum iam mihi vim non inferat, & quodammodo iniqua occupatio in rem iudicatam transierit, velle per vim & violentiam bona mihi ablata recuperare vindicta, ac punitio censenda potius est, quã defensio, iniuriæque propulsatio, id quod aperte notauit Caiet. 2. 2. q. 66. art. 8. ad finẽ, putans etiam ab infideli res iniuste possessas auferre non posse per vim priuata auctoritate, cum iniqua rei occupatio in rem iudicatam transierit, & malefactores punire & bella vindicatiua iniuriarum receptarum exercere non ad priuatas personas, sed ad potestatem publicam spectet. Adde etiam quod non licebit vim inferre pro rebus suis recuperandis, nec cum res primo surripiuntur, nec postea quãdo ablatæ detinentur iniuste, quotiescunque quis rem suam recuperando per violentiã perturbaret Rempub. puta quia latro, aut detentor est vir potẽs &c. quia præferenda est pax, & tranquillitas Reipub. bono cuiuscunque priuatæ personæ; atque adeo in hoc casu dominus rei non habet ius, vt res suas amet cum tam magno incommodo boni communis vt recte Greg. de Valent. vbi supra annotauit. quod dixerat etiam Alex. vbi supra. *Petrus Nauar. Caiet. Greg. de Valen.*

Ad rationem dubitandi in principio positam. Cum dicitur quod nihil iuste possidetur, quod furto, vel rapina possidetur. Dico quod verum est, at ille, qui rem suam recuperat illam subtrahendo iniuste detinenti, non committit furtum, sed quod suum est accipit; Nec ille qui rem æquipollentem rei sibi furto vel rapina subtractæ incontinenti aufert, spoliator, fur, vel raptor iudicandus est; sicut nec ille homicida, qui occidit occisorem proximi sui, dum dolore mortis proximi stimulatur. *Alex. de Ales.*

ARTICVLVS V.

Vtrum per hypochrisim acquisitum debeat restitui.

RAtio dubitandi est, quia si episcopus conferat alicui præbendam, qui malus est scilicet fornicator, quem credebat bonum & castum; talis retinens præbendam licet sit malus, & credatur esse bonus, non tenetur ad restitutionem beneficij accepti, siue resignationem. ergo a simili videtur, quod licet simulatione hypochrisis aliquis credatur bonus esse, cum sit malus, & aliquid acquisiuit, non tenetur ad restitutionem acquisiti.

Item aliquis acquisiuit aliquid fornicando, vel adulterando, & tamen non tenetur ad restitutionem, ergo a simili videtur idem dicendum de illo, qui acquirit aliquid simulando se esse religiosum.

Præterea licet cupiditas deformet actum acquisitionis, cupidus tamen non tenetur ad restitutionem illorum, quæ acquirit. Similiter (vt videtur) licet simulatio hypochrisis deformet actum acquisitionis aliquorum, non tamen tenetur hypochrita ad restitutionem illorum. Deinde quare tenetur magis hypochrita ad restitutionem acquisitorum, quam peccator alterius peccati?

De

De hac re ſunt duæ extremæ opiniones & vna media. Prima opinio extrema eſt Angeli verb. reſt. 1. §. 8. quem refert Adrianus de reſtit. qui affirmat nullam eſſe obligationẽ reſtituendi; Altera, & extrema opinio eſt Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. art. 3. §. 1. verſ. conſequenter quæritur, & Altiſiodorenſis. lib. 8. cap. de reſt. quos citat & ſequitur Adrianus in 4. q. de reſt. qui aſſerunt hypochritam, & quemuis alium religionis ſimulatorem ad reſtitutionem teneri: Tũ quia ſimulans ſe religioſum cum non ſit, fraudem committit hac ſimulatione, & proximum decipit; fraus autem & deceptio nulli debet patrocinari; ergo ſic acquirere, patrocinari non debet ſic acquirenti, atque adeo ſic acquiſita tenetur reſtituere. Tum etiam quia nihil quod ſic acquiritur ſimulatione hypochriſis, acquiritur iuſto titulo, vnde nec iuſte poſſidetur, ac proinde ſic acquirẽs aliquid furto, quod eſt ſimplex iniquitas, tenetur ad reſtitutionem.

Angelus. *Alex. de Al.* *Altiſiodoren.* *Adrianus.*

Sotus. Tertia opinio media eſt Soti. lib. 9. de iuſt. q. 7. art. 3. in fine aſſerentis ſolum teneri, quando eleemoſynæ ſunt pinguiores, non autem quando tenuiores. Si inſignis impoſtor inquit eximiam vel ſanctitatem, vel neceſſitatem effingeret, vt graue æris pondus exprimeret, crediderim talem peſſimum ad reſtitutionem teneri: nam tunc ingens eleemoſyna illa non eſſet cenſenda ſpontanea, ſed per fraudem extorta. Vnde pro ſolutione huius difficultatis obſer. eſt. aliud eſſe quidquam alteri porrigere ſub conditione, hoc eſt, do ſi ſis talis qualis appares, aliud vero abſolute donare, & ſi motiuum ſit illa qualitas, quæ apparet; primum enim eſſet donationis cauſa finalis; ſecundum vero motiuum tantum. quando autem cauſa finalis eſt vera, licet motiua ſint falſa translatio dominij non impeditur, vt patet in alijs negotijs. Hoc ſuppoſito.

Dico primo. Qui ſimulata ſanctitate aliquid acquirit grauiter peccat: nam tali viſco ineſcare populum ad extorquendã eius ſubſtantiã. nemo dubitat quin ſit culpa grauis.

Dico ſecundo. Qui ſimulata ſanctitate eleemoſynã pinguem, ſiue tenuem obtinuit ad eius reſtitutionem tenetur; ſi modo finalis cauſa donantis fuerit hypochritæ ſubuenire non propter eius paupertatem; ſed ob ſanctitatem, vt particeps ſuffragiorum eius efficiatur. v. g. ſi diceret accipe eleemoſynam vt pro me ores. Et ratio eſt, quia ceſſante cauſa finali donatio eſt inuoluntaria, & eleemoſyna ex conſequẽti reſtituenda. Nam ille qui dat alicui hypochritæ quẽ exiſtimat bonum & religioſum, hoc eſt, quia credit ipſum eſſe bonum & religioſum. non dat (inquit Alex.) per ſe loquendo hypochritæ, ſed interpretatiue viro religioſo: vnde non transfertur dominium rei datæ ad hypochritam, quapropter hypochrita non eſt poſſeſſor iuſte rei datæ; ſed vſurpatiue, & inuito domino, atque adeo rei alienæ contrectator, ac proinde ad reſtitutionem tenetur. Si autem ſimulata ſanctitas fuit tantum cauſa impulſiua, nulla eſt facienda reſtitutio, & vt ſic vera eſt opinio Angeli, v. g. ſi quis libentius, & facilius fingenti ſanctimoniam, quam cæteris pauperibus eleemoſynam tribuat.

Ad argumenta in oppoſitum. Ad primum dico, quod obtinens beneficium ſimulata ſanctitate ad illius reſignationem non obligatur; ſed ſatis erit deprauatos mores in bonos, & fictam in veram ſanctitatem conuertere: Nam Epiſcopus, vel Patronus conferens beneficium hypochritæ habet duplicem cauſam, vnam impellẽtem, ſeu impulſiuam, & eſt ſimulata ſanctitas, alteram finalem, quæ eſt, vt in eccleſia optimum miniſterium, & miniſtrum conſtituat, vnde ſi hypochrita optimum gerat miniſterium, optime miniſtrat prædicando, conſulendo, & confeſſiones audiendo, nõ erit irrita beneficij collatio, cum non ceſſet finalis cauſa concedentis. Adde quod ille, cui confertur beneficium nullam fraudem committit, propter quam illi conferatur, quia non ſimulat ſe religioſum tali intentione, vnde licet ingrediens ſit malus, vt pote fornicator; licitus tamen eſt ingreſſus ad præbendam, vnde non tenetur reſtituere. Sed acquirens aliquid per hypocriſim, tenetur, quia ingrediens eſt vitioſus, & vitioſus ingreſſus, quia fraude, & dolo ingreditur; ſed ſi ingrederetur per fornicationem; ſicut ſi Epiſcopus matrẽ, vel ſororẽ clerici cognoſceret, & ob hoc ei daret, tenetur clericus reſignare, cognita veritate. vt docet Alex. vbi ſupra.

Alex. de Ales. *D. Auguſt.*

Ad ſecundum dico quod non eſt ſimile: quia vt dicit D. Auguſt. Meretrix turpiter agit quia meretrix; ſed non turpiter agit: quia accipit vnde licet acquirat meretrix meretricando, non tenetur tamen reſtituere: quia non committit fraudem acquirendo; recipit enim pretium corporis ſui locati ad fornicationem perpetrandam. Vnde ſecus eſt de illo, qui acquirit per hypochriſim, qui eo quod acquirit per fraudem iniuſte poſſidet, quod acquirit, & acquiſitum inuito domino contrectat.

Ad tertium dico, quod deformatio actus acquiſitionis nõ eſt cauſa quare debeat acquiſitum reſtitui; ſed potius fraus commiſſa in acquiſitione, qua efficitur, quod rei acquiſitæ non transfertur dominium, & acquiſitum inuito domino contrectat. Et per hoc patet reſponſio ad vltimum: vt enim dictum eſt, dominium rei acquiſitæ per hypochriſim non transfertur ad hypochritam, ſicut dominium rei acquiſitæ per aliud peccatum, ſicut per cupiditatem, vel fornicationem, & alia genera peccatorum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum ſimulantes paupertatem, vt ex hoc acquirant pecunias reſtituere teneantur.

ARguitur quod non: quia huiuſmodi dona, & illa maxime quæ dantur obtentu paupertatis benedictiones dicũtur in ſacra ſcriptura. Vnde Gen. 33. dixit Iacob. ad Eſau, ſuſcipe benedictionem quam attuli tibi. Item 2. Corint. 9. Neceſſarium exiſtimaui rogare fratres: vt præueniant nos, & præparent repromiſſam benedictionem &c. & loquitur de collectis, quæ fiebant in ſanctos. Sed ſimulatio alterius perſonæ in benedictionibus non irritam facit benedictionem. Vnde Gen. 28. Iacob ſimulauit ſe eſſe Eſau, & recepit benedictionem; nec ſuit irrita illa benedictio, licet per fraudem fuerit obtenta; Vnde Iſaac dixit. Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. Item ſi epiſcopus credit ordinare Socratem, & ordinat Platonem; ordinatus eſt Plato non Socrates, ergo ſimulatio non facit benedictionem irritam, licet fraus interuenerit: atque ita videtur, quod non teneantur prædicti ad reſtitutionem.

Ad oppoſitum arguitur per hoc, quod talis dolo, & fraude acquirit, quare tenetur ad reſtitutionem; Item ſimulator alterius perſonæ ſi per ſimulationem acquirit aliquid temporale, illud tenetur reſtituere. Sicut ſi promiſi Petro centũ marcas, & Ioannes ſimulet ſe eſſe Petrum, & obtineat a me centum marcas, tenetur ad reſtitutionem; ergo ſi ſimulator alterius fortunæ, ſicut cum diues ſimulat ſe eſſe pauperem, obtineat per illam ſimulationem multa bona, quæ debentur dari pauperibus, tenetur illa reſtituere.

Solutio huius difficultatis pendet ex præcedentis ſolutione. Vnde breuiter dico primo, quod licet non ſit penitus ſimile, de errore perſonæ, & de errore fortunæ, vt patet in matrimonio, vbi ſimulatio alterius perſonæ impedit matrimonium, & ſimulatio alterius fortunæ non impedit, tamẽ in propoſito caſu (inquit Alex.) dicimus, quod diues, qui ſimulat ſe eſſe pauperem, tenetur ad reſtitutionem eius, quod per ſimulationem acquiſiuit.

Dico ſecundo. Quod hęc ſententia Alex. intelligenda eſt, quando ficta paupertas fuit cauſa finalis tribuendi eleemoſynam, quia propter deceptionem in cauſa finali talis donatio eſt inuoluntaria propterea quod ignorantia inuoluntarium efficit; cæterum ſi paupertas exiſtimata non fuerit cauſa finalis, ſed cõpulſiua, pauper ad reſtitutionẽ nõ tenebitur.

Dico tertio. Quod reſtitutio eleemoſynæ propter ſimulatam ſanctitatem, vel paupertatem collatæ, non danti ſed cæteris pauperibus facienda eſt. Ratio eſt quia donans ad ſubueniendum pauperi propter Deum, & reſpiciendo perſonam huius hypochritæ, dedit, imo Chriſto illa elargitus fuit dicenti. Quod vni ex minimis meis feciſtis &c. atque adeo habuit ille meritum apud Deum.

Ad argumenta ad primum dico, quod ſicut dictum eſt hypochrita, qui acquirit per hypochriſim tenetur reſtituere; ſimiliter & iſte qui mentitur ſe eſſe pauperem cum ſit diues, & ſic mentiendo doloſe, & fraudulẽter acquirit ea, quæ danda erant pauperibus. Vnde obſer. eſt, quod non eſt ſimile de benedictione ſpirituali, & corporali: quia benedictio ſpiritualis a Deo eſt, vt habetur Nume. 6. Inuocabũt ſacerdotes nomen meum, ſuper filios Iſrael, & ego benedicã eis. Vnde per ſimulationẽ alterius perſonæ non irritatur ordo, & benedictio ſpiritualis: cui. n. Deus benedicit, benedictus eſt, Nõ enim Deus poteſt decipi. Iob. 13. Aut decipietur vt homo, noſtris fraudulentijs? quaſi diceret, non. Sed benedi-

ctio

ctio corporalis siue datio eleemosynę, hominis opus est, qui decipi potest. Quod vero dicitur. Venit germanus tuus &c. non fuit ista fraudulentia sonans in malum: licuit enim Iacob surripere primogenita Esau tanquam violento possessori: quia dominus contulerat primogenita Iacob, quod intellegit Isaac confirmando benedictionem, dicens, & erit benedictus. sicut dictum est supra, quod qui recuperat rem suam furtiue, non facit furtum simpliciter. Et per idem patet ad secundum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum res turpiter acquisita sit restitutioni obnoxia.

HAec quæst. varie a Doctoribus explicatur. Nos autem prætermissa opinionum varietate, vt quod verius est inquiramus. obser. est primo debitum restituendi in his, quæ retinere non licet non oriri ex eo, quod res, pro qua pretiũ accipitur non habeat pretium; multa n. sunt, quæ pretiũ non habent, & tamen sunt ita pretio æstimabilia, vt illud in quo a præsenti æstimabuntur accipere liceat, cuiusmodi sunt vita, salus, libertas, scientię, sed sumitur debitum restituendi ex his radicibus. Primo si habens rem alterius cuius dominiũ in te translatum non est, nec voluntate veri domini, nec auctoritate legis, qua nemini licet alienum tenere. Secundo si dedisti sub pretio, quæ non habent pretium nec vllo pretio, æstimari possunt, vt tempus, vsum pecuniæ; hæc. n. omnium gentium iure, & consensu nec habeat pretium, nec sunt pretio æstimabilia, vnde illud commune omnium axioma, pecunia non potest parere pecuniam. Tertio si accipias pretium pro re, quæ quamuis pretio æstimabilis sit iure tamen aliquo diuino naturali, vel humano gratis & sine vllo pretio præstanda sunt, vt in collatione sacramentorũ de qua Christus. Gratis accepistis gratis date.

Debitum restituendi vnde oriatur.

Secundo obseruandum est donationem illicitam tribus modis illicitam esse posse, primo ex parte solius recipientis vt quando datur alicui pecunia, vt exerceat id, ad quod tenetur, vel abstineat a malo, a quo tenetur abstinere, vt si des iudici, vt seruet tibi iustitiam, testi, vt verum dicat, & Petro ne homicidium vel sacrilegium committat. Secundo modo potest esse illicita ex parte vtriusque tam dantis, quam recipiẽtis, quia vnus dat ob malum finem, vt cum tam dans quã recipiens malum, & turpem finem intendunt, quod potest bifariam contingere, vel ita vt res pro qua pretium accipitur, quamuis sit pretio æstimabilis, sit tamen in iniuriam, & damnum proximi, vt cum dantur iudici, vel testi, aut scribæ munera, vt corrumpantur, vel assasinio, vt occidat aliquẽ; vel ita vt res pro qua fit donatio, non sit quidem in iniuriam vel damnum alterius, sit tamen res nullo pretio æstimabilis, vt in simonia. tum dignus beneficio do Episcopo pecuniam, hæc datio nulli est nociua, nec contra alicuius iustitiã, est tamen iniqua, quia do pro re, quæ nullo pretio est æstimabilis, sed gratis iure diuino conferenda.

Donatio quibus modis sit illicita.

Tertio obseruandum est ad exercẽdum bonum, vel dimittendum malum, ratione alicuius aliquid datur, recipientem illud bifariam teneri posse, vel ex iustitia, quomodo tenetur iudex reddere vnicuique suum ius, testis vocatus in iudiciũ verum dicere. & quiuis abstinere a furtis, homicidijs &cet. Rursus in seruandis huiusmodi præceptis, aut parum, aut nihil laboris, & operę impendi, vt in negatiuis. Non occides, Non furaberis, &c. aut vt seruentur laborem, operas, vel expensas esse exhibendas, vt cum iudex multum debet laborare, & consulere libros, vt recte ius dicat in causa proposita, cum testis e loco distanti, cum labore, & expensis cogitur accedere, cum sacerdos cum labore, & expensis ducitur ad prędicandum, ad audiendas confessiones, vel ministranda aliẽnis ouibus sacramenta.

Bifariã potest quis se abstinere ab aliquo, vel facere aliquid.

Quarto obseruandum est, quod donatio vt legitima sit debet fieri ex re propria, & similiter venditio vt legitima sit debet fieri de re, quæ natura sua emi possit, & quæ gratis non debeatur, & quod acceptio eius vel datio non sit lege prohibita; vnde infertur quod quando id, quod datur, vel accipitur est alienum, & acceptio, vel datio est lege prohibita, aut id quod venditur non est venale, aut gratis debeatur, sic acquisita sunt necessario restituenda: quia talis requisitio est de materia indebita, & illicita, quia ratione acquisita per simoniam sunt obnoxia restitutioni, tum quia emitur & venditur in ea, quod venale non est, tum etiam quia res spirituales natura sua gratis sunt conferendæ. Quando autem quod datur eius est qui dat, & quod venditur est pretio æstimabile, nec lege prohibitum est pro huiusmodi dare, aut accipere quamuis alias sit malum & peccatum, sic acquisita non sunt restituenda: quia talis acquisitio non est de se mala, cum fiat de materia debita, & detur in ea quod proprium est, vel vendatur, quod est venale, neque est lex aliqua in contrarium, & in hoc genere est quæstus meretricius, est. n. res quæ emi potest, & vendi, ac precio æstimari. dixi primo nec res illa debeatur gratis: quia acquisita per simoniam, nõ solum restituenda sunt: quia res spirituales non sunt pretio æstimabiles, & venales secundum se, sed etiam quia natura sua gratis conferendæ sunt. Dixi secundo ne acceptio, vel datio sit lege prohibita; quia quæ dantur falsis testibus, aut iniquo iudici, vel sicario ex proprijs dantur, & pro re venali, & tamen restituẽda sunt; quia lege prohibitum est aliquid pro huiusmodi dare, vel accipere.

Quid requiritur ad hoc, quod donatio, vel venditio sit legitima.

His obseruatis dico primo, stipendia tam publica, & regia, quam particularia, quæ vel præcepta, & approbata consuetudine vel statutis Reipub. aut Ecclesiæ. Iudicibus, Tabellionibus, Consiliarijs, Sacerdotibus, Concionatoribus, & similibus sunt conferenda, etiam in casu, quo ex præcepto charitatis teneantur sua munera exercere, iuste posse exigere, accipere, & retinere; quia sunt stipendia & mercedes sui laboris & operę & dignus est operarius mercede sua. Si tamen aliquid vltra taxationem, & stipendium debitum ratione muneris illius exercendi in pretium recipiant, non solum contra iustitiam peccant, sed etiam ad restituendum illud obligantur; quia ex tacita, vel expressa cõuentione cum Repub. tenentur ex iustitia munus illud exercere pro illo stipendio sibi assignato, quod ex vtriusque partis consensu censetur pretium iustum, ergo vltra illud accipientes transgrediuntur pretium iustum, & consequenter ad restitutionẽ illius obligantur. Et confirmatur: quia quod hoc modo vltra stipendium debitum datur non censetur dari voluntarie. Vnde sic accepta dicuntur a Doctoribus extorta per cõcussionem, vtentes verbo Ioan. Bapt. qui consulens militibus, vt suis stipendiis contenti sint, ait: Neminem cõcutiatis, sed contenti estote stipendijs vestris. Quare restituenda sunt.

Dico secundo. Peccare mortaliter exigentem aliquid, vel accipientem pro re facienda, vel dimittenda ad quam simpliciter tenetur ex iustitia, vel charitate sub præcepto; vt si quis accipiat pecuniam, ne occidat fratrem, vt non iuret, vt audiat missam in festo, vt persoluat debitum, vt testetur, aut vt iuste iudicet, & statim ex natura rei ad restitutionem teneri. Quod restituere teneatur ex eo patet: quia cum illud facere, aut omittere ex iustitia teneatur, dans dare non debuit, imo nec dare voluit, si alter facere voluisset, quod facere debebat, vnde coacte dat, & rationabiliter inuitus, cum alter vexationem suam iniustam redimere non posset, & consequenter non transfertur dominium rei datæ, atque adeo accipiens illud restituere tenetur. Quocirca iudex aliquid accipiens vt iuste iudicet peccat, & restituere tenetur, & similiter testis aliquid accipiens pro dicenda veritate, vt habetur in c. non sane. 14. quæst. 4. & qui sufficientia habent stipendia suorum munerum, si vt illa exequantur aliquid aliud accipiant, tenentur illud restituere. Quod autem restituere teneatur statim, & ex natura rei, & ratione iniustæ acceptionis ante omnem repetitionem, probatur; quia sic acceptum vere contra iustitiam accipitur, & per consequens sic accipiens simpliciter & ex natura rei illud restituere tenetur. Et confirmatur, quia pretium acceptũ pro re gratis debita, & facienda restituendum est necessario ipso facto ex natura rei, quia res quæ necessario gratis faciẽda est, eo ipso quo gratis fieri debet, nec habet pretium, nec est pretio æstimabilis quo ad contractus humanos, etiam si secundum se sumpta possit pretio æstimari, atque adeo sumere aliquid pro illa est sumere pretium pro nihilo, & est maxima inæqualitas, quæ necessario, & ex natura rei reducenda est per restitutionem ad æqualitatem. Et confirmatur quia sic accipiens facit vt alter habeat minus, quam debet habere; quia cum sic accipiens deberet iam gratis ex iustitia illa præstare, qui aliquid propterea ei dat, dat quod re vera non debebat illi dare, vnde in eo, quod sic illi dat habet hic minus, quam deberet habere.

Dico tertio, posse exigi pretium pro re quamuis ex iustitia debita proximo, quando ad eam præstandã, labore,

opera, & expensis opus est, nec pro his sunt a Repub. statuta stipendia, quo nomine Medicus, & Aduocatus possunt vendere suas operas, etiam si ex charitate tenerentur eis præstare: quia illæ sunt pretio æstimabiles, nec alia via remunerantur, vt habetur c. non sane. 14. q. 5. quod ita est accipiendum, vt isti proximo indigenti sub mortali succurrant, non tamen gratis, sed accepta solutione, si indigens habeat vnde soluat, vel expectata, si iudicatur deinde habiturus, quod si tam inops sit, vt neque in præsenti habeat, nec postea sit habiturus, tunc simpliciter debet illi gratis succurrere, vt patiẽti extremam necessitatem. Similiter iudex, & scriba si operas extraordinarias, & labores, ac expensas facturi sunt, possunt accipere, & exigere pecuniam seruata æquitate præter sua stipendia, ratione laboris, & operæ quæ in solitis stipendiis nõ includuntur. Testis quoque, qui vt verum dicere accedat, laborem, & expensas passurus est, potest iuste exigere, & accipere solutionem, sui laboris, & expensarum, vt habetur in c. statim. §. pro testimonio. extra de rescriptis, etiam si præcepto charitatis, aut iustitiæ teneretur illud testimoniũ ferre, vt habetur l. si Pater. ff. de donat. & l. Nemenius, & l. alimenta. ff. de rebus gestis.

Dico quarto, quod acceptum a iudice, aut teste pro sententia iniusta, & testimonio falso, aut ab alio quocunque pro committendo peccatum cõtra iustitiam, nempe pro alterius inimico occidendo, pro comburenda domo alterius, pro incutiendo alteri alapam, & pro similibus iniuriosis damnis perficiendis, statim & in conscientia restituendum est ante omnem repetitionem, & condemnationem in iudicio latam. sic Alex. de Ales. p. 3. q. 40. in 6. art. 3. dub. 1. Palud. in 4. d. 15. q. 3. art. 5. in fine. Adrian. in 4. q. 19. de rest. qu e incipit restat inquirere vbi Angel. refert, & refellit. Sotus lib. 4. de iust. q. 6. art. 1. ad 2. Medina. C. de rest. q. 2. dub. 2. & concl. 4. qu. 20. versic. est itaque, & est communis opinio. Quicquid dicant Nauar. in Man. c. 17. nu. 3. & c. 25. num. 35 Toletus lib. 5. instruct. Sacerd. c. 21. in fine, & c. 59. Petrus Nauar. lib. 4. de resti. c. 2. post dub. 12. nu. 132 & Emanuel Rodoriquez in summa. p. 2. c. 40. concl. 2. Ratio autem nostræ conclusionis est: quia ad eamdem virtutem iustitia pertinet præcipere opera iustitiæ, & prohibere opera iniustitiæ. Nam sicut ad iustitiã pertinet ius suum vnicuique reddere, ita ad eam pertinet ne inferatur damnum, vel iniustitiam prohibere. sicut igitur iudex tenetur gratis facere iustitiam, ita quoq; vitare iniustitiam gratis, sicut qui debitor est mille aureorum, tenetur ex iustitia illa restituere gratis, nihil accipiendo a domino pro restitutione illi debita, ita tenetur gratis abstinere ab iniustitia ea retinendo.

Ale de Al
Paludanus
Adrianus
Sotus
Medina.
Nauar.
Toletus.
Petr Nau.
Rodoriquez.

Neque solum iure ciuili, vt patet ex l. 2. & 3. ff. de condit. ob turpem causam, & l. iuris gentium. §. si ob maleficium. ff. de pactis, & l. generaliter. ff. de verb. obligationibus, & ex. l. mulcta. C. de modo mulctandi, quibus irritatur talis cõtractus, nullusque censetur, quo pro mittitur, aut accipitur aliquid pro actione iniuriosa, & contra iustitiam tertij, sed etiã ipso iure naturali annullatur, & solum per leges humanas explicatur vis in hoc genere maleficiorum contra naturam. Id quod satis clare Sanctus August. epistola 54. ad Macedonium (quicquid in contrarium dicat Salon. 2. 2. q. 62. art. 5. controuer. 3. conclus. 5.) his verbis expressit. Cum iudicia & testimonia, quæ nec iusta, nec vera vendenda sunt, iniqua & falsa venduntur, multo sceleratius vtique pecunia sumitur, quia scelerate etiam quamuis a volentibus datur. & idẽ, iustius (inquit) dicitur aduocato redde, quod accepisti, quã do contra veritatem extitisti, iniquitati affuisti, iudicem fefellisti, de falsitate vicisti, nisi forte (quæ verba intelligenda, & annotanda sunt) restituendum est alienum, quod per furtum clanculum aufertur, & non est restituendum alienum, quod in ipso foro vbi peccata puniuntur legibus circunuentis obtinetur. Quibus verbis aperte indicat D. August. contineri in eiusmodi acceptione deformitatem non solum contra præscriptum legum humanarum, sed etiam contra ius naturæ, sicut in ipso furto, atque adeo sicut iure naturæ restituendum est, quod est furto ablatum, ita etiam quod loco mercedis pro actione iniuriosa accipitur.

D. August.
Salon.

Dico quinto. Non posse aliquid licite accipi in pretium pro re quam tenemur ex charitate, vel alia virtute præter iustitiam facere, aut omittere: dixi in pretium: quia dono gratuito, & liberali, potest quis ex beneuolentia, & animo grato dare alicui pro re aliqua, etiam si ex charitate teneretur, nisi in his quibus lex vel Princeps, neque via gratuita donationis vult aliqua conferri, vt iudicibus, testibus & similibus, ita docent Medina. C. de restit. quæst. 25. conclus. 2. & Nauar. in Manual. cap. 17. numero 34. vbi ait valere regulariter hanc consequentiam, iste tenetur gratis facere, ergo turpiter accipit aliquid, quo faciat illud. Item valet inquit hæc consequentia, potest accipere pecuniam, quo hoc agat in mercedem illius actionis, ergo non tenetur id gratis facere, quam etiam consequentiam, & axioma in hac materia esse certissimum docet Salon vbi supra controuer. 3. cõclus. 4. Vnde concludit, quod quæ aliquo iure præstare tenemur, non possumus vendere, nec pro eis pecuniam accipere, quia esset aperta contradictio. Hæc concl. est contra Sotum, lib. 4. de iust. quæst. 7. art. 1. ad 2. & Greg. de Valent. tom. 3. disp. 5. quæst. 6. puncto. 5. dub. 4. eam tamen vltra relatos Auctores docent Couar. in reg. pec. p. 2. §. 3. nume. 6. Petrus Nauar. libro 4. de rest. capit. 2. dub. 12. numero 102. Arrag 2. 2. quæst. 62. art. 5. in respons. ad 2. concl. 1. Molina. tom. 1. de iust. tract. 2. disp. 113. Et probatur ratione: quia licet maior obligatio consurgat ex debito iustitiæ, quam ex debito charitatis, nihilominus tamen, quæ ex præcepto charitatis debemus gratis facere tenemur, quæ autem gratis fieri debent, pro pecunia vendi non possunt, nec pro eis faciendis, aut omittendis pretium aliquod dari potest. atque adeo cum quilibet christianus vi præcepti ecclesiæ sacrum diebus festis audire teneatur nullo postulato pretio, & abstinere a carnibus diebus ieiunii, & ieiunare, nullum potest recipere pretium, vt omnia hæc præstet teneturque id restituere si recipiat. Hæc sufficit si dicat se id recipere pro molestia, & labore quem subit; quia eam tenetur subire ex præcepto, tanquam quid annexum, & coniunctum cum opere ad quod ex præcepto tenetur.

Medina.
Nauarr.
Salon.
Sotus.
Valent.
Couar.
Petr. Nau.
Arragona.
Molina.

Dico sexto. Meretrix siue publica, siue occulta, quæ habet dominium sui corporis ad restitutionem non tenetur, atque adeo non solum licite retinet, quod ob vsum corporis sui gratuita donatione, aut in pretium iustum accepit; sed etiam post peractam fornicationem conceditur ei actio in foro exteriori ad repetendum pretium moderatum ipsi ante fornicationem promissum: immo si nullo constituto pretio copiam sui corporis fecit, cogetur fornicarius soluere pretiũ consuetum, & quod illa non gratis, sed pro consueto pretio copiam sui corporis fecisse censensa est, idque attendere debebat fornicarius. Huius cõclusionis singula verba explicanda sunt, dixi primo meretrix publica, siue occulta. quia non nulli iuristarum censent meretricem occultam neque accipere, neque retinere posse pretium sui corporis, sed acceptum restituere debent, & fiscus illa bona occupare potest, per l. inuitus. ff. de iure fisci. Ita Cinus in l. 2. & ibi Angelus. C. de cond. ob turp. causam, Panorm. in c. quia plerique. nume. 14. de immun. ecclef. & loquuntur tam de foro interiori, quam exteriori. Quod tamen nos diximus tenendum est: quia cũ meretrix occulta sit domina sui corporis, si de facto illud vendiderit iuste retinet pretium, venditio enim non est prohibita, licet peccet propterea quod actus prohibetur, & sola inter occultam, & publicam meretricem differentia est, quod publicis meretricibus datur actio in foro exteriori ad petendum pretium promissum; eis autem, quæ non sunt publicitus expositæ denegatur actio, imo si delictum eorũ cognitum sit post sententiam, priuabuntur pretio recepto, ante iudicis tamen condemnationem iure naturæ, sicut alijs pretium iustum & moderatum debetur. Ita Monaldus in summa tit. de restit. male acquisitorum, quem omnes fere secuti sunt.

Cinus.
Angelus.
Panorm.
Monaldus

Dixi secundo. Quæ habet dominiũ sui corporis, vt excludam meretricem coniugatam occultam, monialem, filiam, atque eam, quæ habet simplex continentiæ votum, quæ non sunt sui corporis dominæ, quæ licet pecuniam pro adulterio, vel sacrilegio, aut stupro, titulo donationis ab adultero recipiant iuste eam retinere poterit, propterea quod talis donatio nulla lege prohibetur, si autem titulo vẽditionis acceperint, non tenentur sic acceptum restituere pauperibus, neque danti, dummodo non acceperint ab eis, qui non sunt sui iuris, sed maritis, Monasterijs, & parentibus, si amplam supellectilem hac via acquisiuissent, vbi autem modicum quid lucratum fuerit, sibiipsis illud retinere possunt.

Dixi tertio, aut in pretium iustum accepit: quia etsi Medina, C. de restit. quæst. 20. secutus Angelum. Baldum & Iasonem in l. 4. §. sed & quid meretrici. ff. de cond. ob turpem causam, tenet non posse meretricem datum tanquam

Medina
Angelus.
Baldus.
Iason.

pretium

Nauar. Al. de Ale. D Thom. Ricardus. Adrianus.

pretium accipere, aut retinere, sed solum, vt gratis datum, quam senten. secutus est etiam Nau. in Man. c. 17. nu. 24. & 25. tamē id quod diximus est communis sent. omniū Theologorum. Ita enim docent Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. ar. 3. §. 6. & q. 33. m. 2. art. 3. D. Thomas 2. 2. q. 62. art. 5. ad 2. & expositores ibi, Ricar. in 4. d. 15. art. 5. qu. 8. ad 1. & Adrianus in 4. de rest. c. 21. cum omnibus neotericis. Dixi pretium iustū: quia pretium excessiuum a meretrice acceptum, habita ratione facultatis, & conditionis tum persoluentis tum recipiē tis ad arbitrium prudentis confessarij, restituendum est.

Dico septimo. Si fornicaria quæcunque vi, metu, fraude, aut dolo aliquid superfluum extorqueat ab eo, qui potestatem habet alienandi, dicendo. ver. gra. se esse virginem cū non sit, aut dicendo se non esse cognitam ab vllo nisi semel, aut non nisi a tali illustri viro, vel aliquid simile, & neutrum illorum verum est propter quod maius pretium accipit, quam ex natura rei sit dignum, & quā accepisset si fraus illa non interueniret, in his casibus restituere tenetur, non totum pretium, quod acceptum est, sed solum augmentū iusti pretij, quod solutum est illi, eo quod mentita est se talem esse, talis enim receptio, & solutio in eo superfluo iniusta est, & furtum, siquidem inuitus soluisse censetur amasius, & fraus, & dolus nulli patrocinari debet. Sic etiam si femina petat ab amatore aliquod pretiosum coram alijs personis, coram quibus cogitur concedere, alias amittet honorē suum, non potest illud recipere, sed restituere tenetur: quia inuoluntarie mixte datum est. At si fraude seclusa & dolo, aliquas blanditijs, & verbis amorosis solum extorqueat, dicendo, v. g. se valde ipsum amare, aut solum in gratiam illius se velle id facere, cum tamen id falsum sit; in his casibus ad restitutionem non tenetur: quia huiusmodi mendacia, & allecebræ sunt vsitatissimæ inter amatores, & notissimæ, & sibi imputet fornicatius, qui se his solitis mendacijs, & blanditijs decipi permittit, atque adeo quicquid confert sponte, & voluntarie contulisse iudicatur.

Dico octauo. Id, quod dictum est de meretricibus locum etiam habere de eo, quod promittitur scurris, mimis, parasitis, histrionibus, & ioculatoribus, vt sinat se alapis, vel verberibus cædi. Quod enim illis promissum est in conscientia soluendum est secuta conditione mala, & illicita: sunt enim huiusmodi actus, quamuis turpes, pecunia tamen æstimabiles, non minus quam vsus corporis meretricis, atque adeo non peccant in petendo promissum sibi, & qui promiserunt secuta actione soluere tenentur quicquid iuste promiserunt. iuxta ea, quæ tradit Alex. de Ales. p. 4. q. 24. m. 5. ar. 3. § 6. in fine, & q. 33. m. 2. art. 4. Couar. in Reg. pec. p. 2. § 2. nu. 5. Greg. de Valent. tom 3. disp. 5. q. 5. §. Quidnam restituendum sit. ante concl. 6. in argumento. 1. & Lud. Carbo. tract. de rest. qu. 48. conclus. 11.

Ale de Al. Couar. Gre de Val. Carbonus.

Dico nono Lucrans pecuniam in ludo neque iure naturali, neque diuino neque humano ad restitutionem tenetur, demptis casibus infra exponendis, probatur primo quod nō teneatur iure naturali, neque diuino, quia neutro iure tenetur aliquis ad restitutionem nisi propter iniustam acceptionem alieni, aut detentionem, quæ fit inuito domino, sed lucrans pecuniam in ludo non retinet illam inuito domino, ergo ad nullam restitutionem tenetur. Item quod acquiritur per intentionem pacti inter partes, & obligatione condicti iuste acquiritur, nec restitui tenetur; alioquin neque pactum, neque veritas condicti obligaret, sed pactum interuenit inter lusores, & assertio condicti siue veritatis, ergo acquisitum per ludum iuste possidetur, & per consequens nō est restituendum, sed secundum pactum illud & obligationem condicti, nec ille qui amisit potest repetere, nec ille qui lucratus est de iure tenetur restituere.

Quod autem non teneatur iure humano, canonico aut ciuili ex eo patet; quia leges prohibentes ludum dominij trāslationem non prohibent, quemadmodum leges venditionem a minori factam impediunt: nam quando lex prohibet dominij translationem, non imponit pœnam, quemadmodum lex Cano. imponit ludentibus vt constat ex Cano. Episcopus. 35. d. & in c. Clerici, de vit. & honest. Clericorū. Atque adeo leges quæ iubent acquisitum per ludum restitui, & concedunt actionem repetendi, vt constat per Auth. alearum vsus. c. de resc. magis videtur esse quasi ciuilis satisfactio pro peccato, quam obligatio ad restitutionem.

Casus autem in quibus lucrum acquisitum per ludum est restitutioni debitum, sunt sequentes. Primo tenetur restituere ludens, quando a quo lucratur non est dominus pecuniæ amissæ hinc qui lucratur a filiofamilias, qui est in potestate patris tenetur restituere, nisi sit parua quantitas pecuniæ deperditæ, vel habeat patrem diuitem, vel ex voluntate patris luserit, vel nisi sint bona castrensia, vel quasi castrensia: nam eorum dominium habet, item qui lucratur pecuniam a seruo, siue a religioso est quoque restitutioni obnoxius; quia nullus istorum dominium bonorum habet.

Secundo si ludens habet dominium bonorum, tamen eorum administratio est sibi interdicta non potest in ludo pecuniam amittere, & qui lucratur ad restitutionem tenetur, item qui lucratur a minore existente sob tutela ad restitutionem tenetur. Item qui lucratur a coniugata; quia non habet administrationem bonorum sibi & marito communium, neque etiam dotis, restituere tenetur nisi paruitas materiæ excuset.

Tertio quando persona, cui prohibetur alienatio, vt filius familias, aut minor pecuniam a collusore hoc ignorante lucratur, tenetur ad restitutionem, non autem si collusor volens, ac lubens ad ludendum cum prohibito accesserit. Tum quia volenti & consentienti non fit iniuria; tum etiam: quia filiusfamilias non prohibetur dominium acquirere.

Quarto quando alter ludentium in ludo fraudem commisit: quicquid fraudulenter lucratus est, restituere tenetur: non collusor intentionem transferendi dominium interueniente fraude numquam habuit, etsi fraudem nouisset ad ludum non accessisset, committitur autem fraus quoties leges inter ludentes constitutæ non seruantur.

Quinto ludens peritissimus cognita imperitia collusoris, tenetur aut a ludo recedere, vel tantum palmam aduersario concedere, quanta vt par sit vtrinsque conditio desideratur, alias fraudulenter lucraretur, & teneretur restituere, dixi cognita imperitia collusoris: quia si ambo sint ignoti, quod peritissimus tunc lucratur, quamdiu imperitiam aduersarij ignorat, restituere non tenetur, sicut si imperitus perito dixerit, lude, quicquid lucratus fueris tibi condono, non tenebitur peritior ad restitutionem: volenti enim & consentienti non fit iniustitia, at si imperitus volens & sciens ad ludum accedat & non dixerit quicquid lucratus fueris condonare volo, peritor restituere tenebitur: quia cupiditas lucri excæcat illum ne excessum peritiæ aduersarij animaduertat, tum etiam quia non vult transferri dominium, nisi seruatis ludi legibus, præsertim ludentium æqualitate.

Sexto qui dicit alteri ego te interficiam si mecum non luseris, vel non soluam pecuniam, quam lucratus es, vel coram alijs dixerit, si non luseris mecum miserrimus iudicaberis; ad restitutionem tenetur, quia decet libertas in inductio, quæ est potissima radix iustitiæ translationis. Hæc S. Tho & Caiet. vbi supra Syluest. & Patris a Castro de lege pœnali.

D Thom. Caiet. Syluest. Castro.

Cui facienda est restitutio.

DE quarto. s. cui. Dico quod damnificatio, si tamen sit possibile Possibile inquam, vt si nouit eum, si habeat eum præsentem, vel habere potest, vt sibi mittatur sine maiori incommodo, quam illud quod mittendum est, esset vtile ei, cui mittitur, & intelligo de ipso, vel aliquibus eius propinquis, si mortuus est, vel si absens est: quia præsumitur lege naturæ, quod ille magis velit restitutionē fieri suis propinquis. &c. Ex hac litera Doct. habetur, quod ille cui facienda est restitutio, aut est notus, aut incognitus, si notus, aut præsens, aut absens, si absens, aut id quod restituēdum est esset maius incommodum, quam illud, quod mittendum est, esset sibi vtile, ita quod maiores sumptos essent ponendi in mittendo quam illud valeat illi, cui mittitur, & de omnibus his, quid sit dicendum, explicabitur in sequentibus articulis.

Primus Art. Vtrum oporteat semper vero domino à quo res ablata est restitutionem fieri.

Secundus Art. Vtrum domino petente rem suam depositam in damnum suum vel alterius restituenda sit.

Tertius. Art. Vtrum qui accepit rem de manu eius, qui non est verus dominus illius, teneatur vero domino eam restituere.

Quartus. Art. Vtrum quando creditor, & debitor simul sunt in extrema necessitate teneatur debitor restituere, vel possit debitum quo indiget sibi retinere.

Quintus Art. Vtrum adultera habens ex adulterio filium spurium, qui potest in bonis viri succedere teneatur legitimis restituere & quomodo.

Sextus Art. Vtrum quando dominus ignoratur, aut est incertus, detinens possit rem sibi retinere.

Septimus Art. Vtrum bona incerta debeant auctoritate Episcopi pauperibus restitui.

Octauus Art. Vtrum res inuentæ debeant pauperibus restitui.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum oporteat semper vero domino, a quo res ablata est restitutionem fieri.

Regula cui debeat fieri restitutio.

PRo explicatione huius artic. obseruandum est, quod omnes DD. hanc regulam generalem tradunt. Restitutio communiter facienda est vero domino rei. Cuius regulæ ratio est: quia restitutio est actus iustitiæ commutatiuæ, per quam æqualitas constituitur inter personas, quæ inæqualia habent, at vero hæc adæquatio rerum constitui legitime non potest, nisi recompensatio damni illati fiat ei, cui damnum illatum est; ille enim est, qui minus habet, ob iniustam ablationem, aut detentionem, quam habere debet. damnificato ergo (vt hic dicit Scotus) communiter restitutio fieri debet.

Nomine veri Domini quis intelligatur.

Secundo obseruandum est nomine veri domini intelligi omnem iustum possessorem illius rei, etiam si dominium rei illius non habeat, siue sit administrator, procurator, dispensator, aut custos rei, vt habens pignus sibi datum in assecuratione, vel depositarius pecuniæ, aut alterius rei sibi in custodiam datæ, & commodatarius rei commodatæ, conductor rei, locator, curator, tutor, & denique omnis, qui iusto titulo rei illius possessor est, aut ius habet ad rem, vel possessionem illius, qualis est vestis conseruandæ sartor, vestis lauandæ ablutor &c. hi enim omnes, & si non sint domini rei, habent tamen ius ad rem retinendam, & custodiendam, vt constat.

Nauar. Syluest. Medina. Sotus. Arragona. Salon. Valent. Petrus de Nauarra.

Ex his dico primo, quod si quis surripuit rem a latrone, non illi, sed domino, cui latro surripuerit reddenda est, hæc conclusio est contra Nauar. in Manual. cap. 17. numero 29. eam tamen docent Syluest. verb. restit. 4. quæst. 3. Ioan. Medina de restitut. quæst. 2. dub. 2. Sotus libro quarto de iustit. quæst. 7. artic. 1. Arrag. & Salon. 2. 2. quæst. 18. art. 5. Gregor. de Valent. tom. 3. disput. 5. quæst. 6 puncto 4. & Petrus Nauar. libro quarto de restit. cap. 2. dub. 3. numero 17. quæ in hunc modum probatur illi facienda est restitutio, cui damnum illatum est, at damnum illatum est vero domino, ergo illi & non latroni restituenda erit, cum hac ratione vtriusque. i. domini, & latronis res vtiliter geratur. Hoc tamen intelligas velim quando quis bona fide, & sine contractu onerosio rem illam a fure accepit: si enim rem illam bona fide accepit per emptionem, aut alium contractum onerosum, tunc non tenetur rem vero domino reddere, sed eam furi reddere potest, vt pretium illi datum recipiat, potest enim se seruare indemnem: maxime cum ipse sit innocens, vt latius explicauimus supra.

Dico secundo, quod qui aliquid aufert a sartore, aut a fullone, seu lotore eidem, & non domino in conscientia reddere tenetur: quia hic censetur dominus rei, cum illi custodia rei commissa sit: vnde qui rem vero domino & non illi restitueret, non solum peccaret contra charitatem, sed etiam contra iustitiam priuando illum iusta possessione rei, & auferendo laborem suũ in illa re impensum, & dum exinde sartori molestia accedat, aut difficultates in labore suo recuperando, & de negligentia in seruando accusetur, contra charitatem faceret, qui rem illam auferret, & vero Domino restitueret, & idem iudicium est de similibus.

Dico tertio. Qui rem aufert depositorio, & illam vero domino reddit peccat contra charitatem, & iustitiam; quia cum depositarius rem illam iuste possideat, & ea vtatur, iniuriam sibi facit, qui rem illam ei aufert, dum iniuste eum possessione & vsu rei priuet, siquidem vsus rei vtilis fuit, atque adeo rationabiliter iniurius est, eo ipso, quod alter rem illi abstulit, & domino reddidit. Vnde vt notant Medina vbi supra q. 1. dub. 2. concl. 2 & Petrus Nau. dub. 1. nu. 5. in iudicio depositarius rem illam repetere potest, & ei restitui debebitur. Quare illi & non vero domino est restituẽda. Quin imo qui rem abstulit illi, & vero domino reddidit, si ali-

Medina. Petr Nau.

quod damnum passus est depositarius tenebitur auferens de damno. v. g. si quis erat depositarius mille aureorum per annum, & cum eis negociaturus erat, & cẽtum probabiliter lucraturus, tenebitur sic depositario, & mille aureos, & interesse reddere, & damnum: quia pecunia illa data erat ei in deposito per annum, vnde liberum erat depositario, (dum modo non defuisset domino petenti depositum) cum ea negotiari, & lucrum reportare, & proinde illi tale verisimile interesse, & pecuniam restituere tenetur, quod tamen interesse domino non debetur, cum dominus cum ea negociaturus non erat, quãdoquidem eam depositarium habuerat. Et quod dictum est de depositario, pari modo de commodatario dicendum est.

Illud vero annotandum est, quod quandocumque res ablata non redditur ei, a quo ablata est, sed vero domino admonendus est ille, a quo ablata fuerat, iam esse restitutam vero domino, ne eidem bis restitutio fiat. v. g. si quis rem ablatam a latrone, vero domino restituerat, tenetur eum, & latronẽ etiam admonere, ne forte latro pœnitentia ductus rursum restituat, & ne dominus alia via a latrone rursum exigat, quod semel restitutum est; in quo casu cauendum est, vt qui rem a latrone ablatam vero domino restituit, quantum fieri potest, iuris personam non prodat.

Dico quarto, quando ille a quo ablata est res nõ est capax dominij vel administrationis, vt sunt vxor, Monacus, Religiosus, seruus, filiusfamilias, minor, non illis sed viro, Prælato Conuentus, Patri, Domino, Curatori, aut tutori restituẽda est: quia non sunt veri domini, vnde veris dominis, aut vicem dominorum gerentibus, & rerum illarum administrationem habentibus restitutio facienda est.

ARTICVLVS II.

Vtrum domino petente rem suam depositam in damnum suum vel alterius sit ei restituenda.

DIfficultas in hoc art. in hoc consistit, an habens rem depositam, ex sola charitate teneatur differre aut denegare restitutionem rei, an vero ex iustitia; Nam si ex charitate solum teneatur differre, quamuis contra charitatem peccet, reddendo rem domino petenti rem suam ad sibi, & alijs nocendum, non tamen tenebitur ad damnum, quod exinde sequetur, at si ex iustitia teneatur, tunc si restituat non solũ peccabit, sed etiam tenebitur ad restitutione damnorũ, quę ipse intulerit. Caiet. 2. 2. art. 5. solum docet non esse restituendũ depositum, an vero tale peccatum contra iustitiam sit, necne, & an reddens teneatur ad restitutionẽ damni subsecuti, non explicat. Verum quia in summa verb. rest. c. 1. §. Nõ manifestans, dicit non defendentem proximum a morte, vel rapina cum commode possit, peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem colligunt Arrag. Salon, Petrus Nauar. & alij locis infra citandis, multo magis peccare contra iustitiã, & teneri ad restitutionem, quando quis gladium furioso occidere volenti reddit, eo quod magis concurrit positiue reddendo gladium, quam qui negatiue tantum non defendendo proximum: quæ illatio etiam si vera sit, id tamen, quod in auctores illi tribuunt Caiet. non asserit.

Caiet.

Aragon. Salon Petr. Nau.

Cęterum quicquid sit de mente, & opinione Caiet. communis & vera omnium aliorum opinio his duobus dictis recte meo iudicio comprehendi & explicari potest.

Primum est, quãdo dominus rei a depositario rem suam petit, vt sibi vel alteri damnum, seu iniuriam inferat, puta vt se, vel aliũ occidat, percutiat, mutilet, aut ẽt alijs in bonis fortunæ noceat, tenetur depositarius vtraque lege, charitatis. s. & iustitiæ illam non reddere, quod si reddat ad damni subsecuti restitutionem tenetur. Ita Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 1. ad 1. Petrus Nauar. lib. 4. de rest. c. 2. dub. 6. Salon 2. 2. qu. 62. artic. 5. controuer. 1. & 2. Petrus de Arrag. ibidem in resp. ad arg. 1. S. Thomæ eiusq; explicatione. dub. 2. & Greg. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. puncto 4. Et quidem quod lege charitatis teneatur, res est certissima, eo quod vnus quisque proximum sicut seipsum diligere tenetur. Esse vero contra iustitiam ex eo patet: quia reddendo, causa est damni, si non præcipua, saltem secundaria, & cooperans damno fratris, qui autem ita consentit, & concurrit peccat contra iustitiam, & ad restitutionem tenetur, iuxta regulam illam communem, quæ in cap. fin. de iniu. & dam. dato. habetur. vbi c. F. Si culpa tua, datum est damnum, vel iniuria irrogata, seu alijs

Sotus Petr. Nau. Salon. Aragon. Valent.

irregau-

arrogantibus opem forte tulisti &c. iure super his satisfacere te oportet. Hæc Greg. Papa IX.

Hoc dictum intelligi debet, Primo, quando sine graui damno suo potest retinere rem depositam & non retinet. Nam quodcunque damnum alteri immineat ex restitutione rei, si depositario non restituente simile, vel grauius etiā illi immineat non tenetur alterius damnū cum tanto damno suo vitare; in pari enim casu tenetur quis sibi potius, quā alteri consulere.

Secundo intelligi debet, quando præcepto iudicis reddere gladium aut rem depositam nō constringitur. Nam si Iudex præciperet reddi, tunc debet depositarius certiorem reddere Iudicem, quo sine gladium suum repetat, vt sic aut damnum impediat, aut præceptum suum reuocet, quod si iudex persistat, & præcipiat depositum reddere, illi parendum esse, & damnum inde subsecutum iudici nō reddenti erit imputandum, cum in hoc euentu damnum quod sequitur nullo modo voluntarium illi sit.

Secundum dictum est, quando dominus rei petit rem suā in aliquem aliū abusum citra alterius iniuriam, puta ad scortandum, ludendum, aut alio modo malo expendendū, tunc quamuis ex charitate teneretur impedire peccatum illius, & rem depositam non reddere, sed in aliud commodum tēpus restitutionem differre, si tamen reddat non peccat contra iustitiam: sicut nec dominus ipse rem suam in huiusmodi malos vsus conuertens citra alterius iniuriam contra iustitiam peccat. Ratio est quia dominus petendo rem suam in hoc casu vtitur iure suo, venti autem iure suo res sua restituenda est, & sicut non licet alicui detinere alium ut, ne intret ad scortum, ita non licet vi pecuniam retinere, quam sibi datutum scorto. Et quamuis nemo ius habeat ad peccādum, & proinde nec ius habere videtur ad petendum rem suam in malum finem: quia tamen ius habet in rem suam, quo iure non expoliatur ex malo fine, & malitia, quam animo concepit, ideo petenti iuridice, vel quasi iuridice rem suam in damnum suum spirituale per peccatum, aut temporale, prodigendo sua, non licet rem illam domino inuito detinere. atque adeo quamuis dominus petat rem suam ad expendendum cum scortis, & viris sceleratis, tenetur depositarius illam reddere, quia petens vtitur iure suo.

Vnde qui solueret debitum empturo Cardinalatum vel aliam rem spiritualem, etsi tenetur ex charitate non reddere, si tamen soluat, (quicquid dicat Caiet. 2.2.q.62.art.2.) cōtra iustitiam non peccat ex eo quod debitum illi soluatur; sicut nec contra iustitiam faceret, qui vero domino pecunias debitas redderet, quas certo sciret dandas ab ipso ad vsuram, si quidem dare pecunias volenti fenerari causa est multum remota ad acquirendas vsuras, cum vltra redditionem necessaria sit voluntas ipsius mercatoris, atque etiam voluntas illius, qui vsuras persoluere debet. Caiet.

Eodem etiam modo quamuis fortassis peccaret, qui mutuaret pecunias volenti comparare beneficium, aut ecclesiasticas dignitates, eoque sic mutuans, minus compellitur sic mutuare, & proinde magis peccare censetur, non tamen id erit contra iustitiam, vt falso putauit Caiet. quia nulli in hoc casu inferior iniuria, & multo minus contra iustitiam erit reddere debitum ei quem scio male vsurū re sua citra tamē iniuriam alterius. Quoniam cum ille meæ curæ specialiter non sit commissus, non interest mea, an ille ad pios, vel nefarios vsus petat, an ad abutēdum & prodigendum: sed mea interest restituere, & soluere, quod debeo sine alicuius iniuria, cum enim tertius non damnificetur, sed ipse qui suo iure renuntiare potest, nulli fit ex mea restitutione iniuria, atque adeo rem depositam restituere teneor, sibiq; imputet, quod re sua in finem malum abusurus sit, scienti enim & volenti non fit iniuria. Caiet.

ARTICVLVS III.

Vtrum qui accepit rem de manu eius qui non est verus dominus illius teneatur vero domino eam restituere.

PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est, q; accipiens rem ab aliquo duobus modis accipere potest. vno modo ab eo qui illam possidebat bona fide, altero modo ab illo qui mala fide eam retinebat, & vtroque modo dupliciter: aut enim accipit eam titulo depositi, vel commodati, aut donationis, vel eam accipit contractu emptionis.

Ex his dico primo, quod accipiens rem de manu eius, qui non est verus dominus illius, sed bona fide eam possidebat, si accepit eam per modum depositi, vel commodati, postquam nouit rem esse alienam restituere eam tenetur ei, qui bona fide possedit eam, vel vero domino de eius consensu, ita Gabriel in 4.d.15.q.2.art.3.dub.3.& ratio est, quia ille iusto titulo possedit, ergo non potest re illa iniustus & inuictus priuari. & quidem hoc certum est, quod qui rem illam redderet tali bonæ fidei possessori, satisfaceret, an vero teneatur ei restituere, ita vt vero domino reddendo peccet, id satis difficile, & controuersum est, in quo casu hæc mihi dicenda videntur. Gabriel.

Primo. Si dubium sit, an res sit aliena, tunc necessario dicto possessori restituenda est: in dubio enim melior est conditio possidentis, atque adeo illi iniuria fieret, si ei non redderetur, etiam si dubium esset, an sit esset ei, a quo rei illa accepta sit, vt recte post Sotum lib.4.de iustit.quæst.7.art. 1.5. quæstio huius articuli. Petrus Nauar. libro 4. de restit. c. 2.dub.4.num.22.& Petrus de Aragon.in 2.2.q.62.artic.5. in principio annotarunt. Sotus. Petr. Nau. Aragona.

Secundo Si certus sit verus dominus, tunc quando probari non potest rem esse alienam, & si ego certo sciam alienam esse tali bonæ fidei possessori restituenda est: quia cum ille iusto titulo rem illam possidet, nullo iure ab eo auferri potest, neque ipsemet possessor durante bona fide illam in conscientia restituere tenetur, & in hoc sensu vera est sententia Gabrielis.

Tertio, Si probari possit rem esse alienam, tunc valde probabilis est Petri Nauar. sententia, dicentis quod habens rē primo dictum possessorem admonere debet rem alienam esse, quia admonitione facta, rem illam vero domino restituere potest, cum iam possessor incipiat esse malæ fidei, & in mora: si rem accipiat sine animo reddendi vero domino. Addit que Nauar. vbi supra, quod sicut dominus ipse si rem inuenisset, quam certo sciret esse suam, a quocunque tuta conscientia accipere posset, ita etiā quilibet eum iuuare in eo actu, & cooperari poterit, vt proinde vero domino rem illam reddēdo non peccet.

Dico secūdo, si quis a iure bona fide accepit rem alienam pretio emptam, si fur non comparet quia est mortuus, vel quia abijt in longinquum, vel non vult reddere pretium, tenetur qui emit, reddere domino, si vero dominus rei non cō paret, potest rem furi reddere, vt pretium ab eo recuperet: est enim probabilis opinio, quæ dicit licere reddi posse rem, ne pretium amittatur. si vero dominus compareat, probabile valde est posse furi rem restituere, si ab eo pretium recuperaturus sit: quia quisq; tenetur sibi potius prouidere, quā domino rei, at vero reddendo rem furi, vt recuperet pretium, sibi prouidet faciendo actum iustum, si quidem dat rē ei, a quo bona fide accepit, quod de se non est malum nec ex parte recipientis nec ex parte dantis. Non ex parte recipientis: quia licet non sit illius dominus, cum tamen ipse principaliter teneatur illam restituere, potest, & sancte recipere animo restituendi eam domino. Non etiam ex parte dantis: quia cum ille cui dat principaliter teneatur eam domino restituere, illam ei reddens iuuat eum, vt restituere possit atque ita actio ex se licito sibi consulit. Quod fur postea non restituat est per accidens, & quod per accidens est, non ita attendendum, & consequenter iste proprie non cooperatur peccato illius; si vero nec dominus, neque fur a quo pretium suum repetat compareāt rem pauperibus eo modo quo inferius dicemus in bonum domini restituere debet.

Dico tertio si accepit rem sibi gratis a latrone donatam tenetur vero domino restituere, quia latro non potuit transferre rei alienę dominium, atque adeo non satisfacit restituendo latroni.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quando creditor & debitor simul sunt in extrema necessitate teneatur debitor restituere vel possit debitum quo indiget sibi retinere.

DE hac re tractat Scotus in hac quæst ad 5. principale sub lit. li. §. Ad aliud aut detinens. Pro cuius explicatione obser. est, quod quidam ad hanc difficultatem respondentes in hunc modum distinguebant, quæ aliquis debet, aut debet quia inique accepit, vt fur, vsurarius &c. vel accepit sine vlla iniuria alterius, vt qui mutuo, vel depositorem habet prior (inquiunt) debitor posita æquali necessitate ipsius, & creditoris tenetur restituere, non. n. debet ex sua iniquitate reportare bonum, & subuentionem propriam cum damno veri domini; Quod si absque iniustitia illud accepit, & habet, potest sibi subuenire, & non creditori, quia in pari necessitate potior est ratio possidentis.

Vt autem quæ in hac difficultate sunt certa ab incertis separemus. Dico primo quod si debitor sit in extrema necessitate, & non creditor, tunc debitor non tenetur restituere, cum res sit debitoris eo iure, quo omnia sunt communia in extrema necessitate. Nam iure poli in extremæ necessitatis articulo ad prouidendum sustentationi naturæ via omnibus in extrema necessitate detentis est concessa. extra de verb. signif. exijt qui seminat. in 6.

Dico secundo si ambo sunt in extrema necessitate. i. tam debitor, quam creditor, tunc aut dominus rei prius venit ad eam necessitatem, quam detentor, & tunc reddi debet domino duplici iure, tum quia prius erat suum, tum quia iam ex ista necessitate factum est suum, aut secundo detentor venit prius ad istam necessitatem, & sic domino venienti ad eamdem necessitatem postea, non tenetur reddere, quia cessauit dominium eius in re ista, & facta est detinentis iure poli.

Dico tertio, si debitor esset persona publica, & valde vtilis & necessaria Reipub. & detentum est sibi simpliciter necessarium, non tenetur debitor restituere. ver. gratia, sint Petrus, & Paulus, & Petrus sit debitor, & Paulus creditor, Petrus tamen est maxime Respub. necessarius, ita quod sine il lo nō potest saluari Res pub. & si restituat non poterit saluare eam in isto casu non tenetur restituere, quia bonum commune diuinius est, & præferendum bono particulari. Dixi, & detentum est sibi simpliciter necessarium; quia si esset sibi necessarium propter saluationem sui status, ita quod non pos set saluare rempublicam cum tanto apparatu, vt prius, tunc dicit Scotus in respon. ad 4. tenetur restituere: quia magis vtile est Reipub. quod iste sine tanta honestate sui status restituat alienum, quam cum magna solemnitate, & decentia sui status detineat alienum: quia primum est iustitia, secundum iniustitia: Nam non licet alicui statum solemnem tenere de bonis alienis, nec tantum valet reipub. istius status solemnis, quem tenet per non restitutionem; quantum valet fidelitas eius, & iustitia communis. Scotus.

Dico quarto. Si creditor sit persona publica, & valde vtilis, & necessaria Reipub. & sit æque in extrema necessitate cum debitore, itaque ambo simul deuenerunt ad istam necessitatem, tenetur debitor ad restituendum saltem ratione boni communis, quod cum omni damno proprio omni iuri priuato præferendum est.

Dico quinto. Si Petrus sit in extrema necessitate, & habet vnum panem, & Ioannes sit in extrema necessitate, non erit licitum Ioanni panem illum e manibus suis rapere, quia eum panis ille tunc sit communis melior est conditio Petri primo occupantis, seu possidentis, atque adeo panem illum rapere non solum esset furtum, sed etiam homicidium, & teneretur etiam cum iactura, & periculo vitæ suæ Petro illum reddere. Quicquid dicat in contrarium Tabiena asserens non teneri illi reddere in hoc casu. Id autem quod in hac difficultate controuersum est, hoc est, si ambo. s. debitor, & creditor deuenerant ad istam necessitatem, an debitor teneatur reddere creditori. Tabiena verb. rest. q. 4. Caiet. 2. 2. q. 62. art. 5 ad 4. Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 1. ad 4 & art. 4. ante finem, quos secuti sunt omnes Thomistæ, dicunt non obligari ad id, sed licite tunc sibi retinere posse: quia vt dicunt in extrema necessitate cessat ius gētium, quod diuisit dominia, & sumus in iure naturali, quo omnia sunt communia, atq; adeo creditor, qui alias erat eius dominus, nec poterat tunc rationabiliter inuitus ea tanquam propria carere, cum vero modo debitor sit in possessione rei, & in pari necessitate melior sit conditio possidentis, ideo potest absque vlla iniustitia sibi potius, quam creditori subuenire. Et addunt hoc verum esse siue debitum illud iuste contractum sit, siue cum iniuria, siue creditor prius in extremam necessitatem inciderit, siue non; peccauit quidem grauissime non restituē do, quando poterat, & creditor indigebat, at si deinde antequam reddat incidat ipse in extremam necessitatem, non tenetur tunc restituere, sed potest sibi subuenire ex illis. Tabiena. Caiet. Sotus.

Oppositum docet Scotus vbi supra, & Ricard. in 4. d. 15. art. 5. q. 4. ad 5. Quos secuti sunt Gabriel eadem d. q. 2. art. 2. post concl. 2 §. ad 3. Angelus verb. rest. 3. §. 3. Syluest. verb. rest. 5 q. 2 Medina Cod. de rest. q. 3. causa 4. in responsione ad 4 & vt credo Nauar. in Manu. c. 17. num. 60. vers. Quinto infertur, & si hic auctor non ita clare locutus sit. Nam isti dicunt quod si debitor & creditor simul in extremam necessitatem inciderunt, debitor non obstante periculo propriæ vitæ creditori in eodem periculo existenti tenetur restituere. quę sententia maxime vera est, si creditor subtractione illius rei coniectus est in illas angustias, quia subtrahere alicui rem qua ille extreme indiget, perinde est atque occidere, tum quia in pari causa melior est conditio possidentis præsertim domini. Si vero creditor subtractione illius rei non est coniectus in extremum illud discrimen, sed aliunde incidit, licet Auctores alterius sententiæ dicant debitorem non teneri ad restitutionem, Scoti tamen sententia probabilior mihi videtur, dicentis esse restitutioni obnoxium; tum quia cum ambo sint pares, & præter hoc habeat etiam creditor ius dominij, quia nunquam cecidit a dominio, tenetur debitor creditori, quod suum est restituere. Tum etiam quia in casu æqualis necessitatis non est licitum pro releuanda propria necessitate alium simili necessitate laborantem rebus suis spoliare, ita nec in æquali hinc inde necessitate est licitum aliena, seu alteri debita retinere. Scotus. Ricard. Gabriel. Angelus. Syluest. Medina. Nauar.

Quod si arguas, quod magis debet quilibet se diligere, quam proximum, & per consequens magis vitam suam corporalem, quam vitam proximi, & per consequens istam rem simpliciter necessariam sibi magis retinere, quam dare proximo. Respondet Doct. quod magis debet diligere vitā suam ordinate, vt est diligibilis ad vitam æternam, atq; ita magis conseruationem iustam vitæ suæ, quam conseruationem iustam vitæ proximi, sed non magis conseruationem iniustam vitæ sua, quam conseruationem iustam vitæ proximi. Sic. n. magis debet latro sustinere suspendium, quam occidere suū iudicem vt euadat, cuius ratio est quia dilectio vitæ corporalis iniuste custoditæ non est dilectio ordinata; quia non est ad dilectionem animæ, nec Dei. Istius autem detinentis in nostro casu custoditio vitæ de re aliena est iniusta, & cum hoc est etiam homicida: quia iniuste occidit alium, quia subtrahit rem sibi necessariam, quod sibi debetur.

Ex hoc sequitur secundum Scotum, quod existente patre in extrema necessitate, & creditore in eadem existente præferendum esse creditorem: quia habet maius ius ad rem suam, quam habeat pater in re aliena, tū quia tenemur subuenire parentibus solum ex nostris non ex alienis, solumque conceditur iure naturæ vius rei alienæ ad vitam propriam conseruandam, non alterius. Ita etiam docent Martinus Ledesm. 24. quæst. 18. art. 5. fol. 267. colum. 2. Ludouicus Carbo. tract. de restit. quæst. 4. & Tolet. lib. 5. instruct. Sacerd. cap. 24. Martinus. Ludouicus. Toletus.

Sed dubium est, An qui necessitatem extremam passus est, si ad pinguiorem postea fortunam venerit, teneatur rem alterius, vel æquiualens, & valorem restituere. Adrianus in quarta qua stione de restitut. Ioan. Med. C. de restitut. quæst. 3. causa prima, tenent partem affirmantem: quia iudicant pauperi extreme indigenti sufficienter subueniri per mutuum, sed cum hoc fundamentum iudicetur falsum ab omnibus fere Doctoribus dicendum est breuiter cum Scoto in hac. quæst. sub litera kk. §. Sed nunquid. Ricar. in quarta d. 15. art. 5. q. 4. ad quintū. Palud. eadem d. & Soto lib. 4. de iust. quæst. 7. art 1. ad 4. & cum communi Theologorum schola hęc duo. Primo aut debitorem accepisse tempore extremæ necessitatis, vt ab ea se eriperet, aut cōtraxisse iam debitum ante quam in illam incideret, & il- Adrianus. Medina. Scotus. Ricar. Palud. Sotus.

la

la adueniente propter eam non soluisse. Rursum si priori modo se habuit, aut indigebat simpliciter, & omnino, aut non quidem simpliciter, sed in eo tantum loco, & tempore. Si accepit ipso tempore necessitatis, simpliciterque indigebat: non tenetur restituere quia extrema necessitas reddit res necessarias communes, & tunc accipit illas, vt suas, quia desinet esse Domini primi, atque adeo non est sibi reddenda. Quod si non indigebat simpliciter, sed in eo tantum loco & tempore, cum primum facultas ei suppeter tenebitur restituere. Similiter si debitum iam erat contractum, vt alicuius præcedentis obligationis, transacta illa necessitate, & veniens ad pinguiorem fortunam tenetur restituere: quia extrema necessitas tantum concessit, vt rebus illis vteretur quamdiu indiguit, non tantum liberauit eum, qui quando poterit soluat debitum, quod aliquando contraxit: nam obligatio ad æquiualens videtur ortum habuisse per comparationem ad illam occupationem primam rei alienæ, quæ fuit iniusta ante extremam necessitatem, & illa obligatio per extremam necessitatem non est extincta, sed sopita.

Ex hac sententia Scoti possunt elici sequentes propositiones. Prima propositio. Existens in extrema necessitate si accipiat solum id, quod necessarium est ad vitæ conseruationē, resque accepta vsu consumptibilis sit, & parui momenti, etiamsi postea ad pinguiorem fortunam venerit ad nullam restitutionem tenetur.

Secunda propositio quando res, qua ille extreme indiget sit magnæ æstimationis & valoris, & ille constitutus in extrema necessitate simpliciter est indigens, puta: quia nec hic habet vnde necessitati suæ subueniat, neque alibi habet, vnde soluere possit, tunc citra controuersiam nulli manet obnoxius restitutioni si rem qua indigebat insumpsit.

Tertia Propositio. Si ille talis nō est simpliciter indigens: quia scilicet, quamuis non habeat hic, & nunc, alibi tamen habet bona, vel proxime speret probabiliter habere, aut per amicum se iuuare potest mutuo petendo, tunc sopita tantū, & non extincta censetur obligatio, & obnoxius manet ad restituendum, quod insumpsit pro sua extrema necessitate: quia fatetur huic mutuum accepisse: sola enim absoluta necessitas ius in tali casu accipiendi alienum facit.

Quarta propositio. Quando res, quæ in extrema necessitate capitur, non est vsu consumptibilis, tunc cessante necessitate restituenda erit, cum in tali casu satis sit concedere alteri vsum rei, quatenus eo indigebit ad subueniendum præsenti necessitati.

Quinta propositio. Qui debitum ante contraxit, & postea in necessitatem extremam inciderit transacta illa necessitate, & veniens ad pinguiorem fortunam ad restitutionem tenetur. & colligi potest hæc propositio ex cap. Odoardus. de solutio. vbi Greg. Papa IX. docet clericum illum, qui non habuit vnde solueret, non debuisse excommunicari, aut molestari, sed solum præstare debuisse cautionem saltem iuratoriam de soluendo, cum ad pinguiorem venerit fortunam.

ARTICVLVS V.

Vtrum adultera habens ex adulterio filium spurium qui potest in bonis viri succedere teneatur legitimis restituere & quomodo.

TRactatur hæc quæst. à Theologis in 4. sent. d. 15. à Summistis in verb. adulterium; & à Canonistis in cap. officij. de pœnitentijs & remissionibus, de qua varie sentiunt Doctores.

Innocen. Hostien. Panor. & plerique Canonistæ in illud. cap. officij. & Sylu. in verb. Adulterium dub. 1. volunt mulierem adulteram nō teneri ad se prodendum, quando imminet illi periculum infamiæ, vel mortis, quando alia via damnum refici non potest; quia etsi adultera peccauit contra honestatem, & fidem debitam viro, nil tamen egit contra veritatem; atque ita non tenetur cum tanto periculo, & scandalo se prodere.

Andreas Alciatus lib 3. de præsumptionibus præsumptione. 37. vt refert Couar. in reg. pec. p. t. ... 1. nu. 3. docet. matrem de qua loquimur, si non habet bona propria, vnde reficiat veris hæredibus, nec ei credet filius, si illi dicat spurium esse; debere illos secreto vocare, & admonere vnum illorum esse spurium; ac vt nulla lis circa eos in hæreditate existat, hortari illos vt omne ius, quod vnus quisque illorum in alium habet, ipsi renuntiet, consentiatq. in eam partem hæreditatis paternæ, quæ sibi competeret: quia hac via, & conuentione spurius nihil retinebit alienum.

Alij censent debere matrem istam causam offensionis, & discordiæ quærere inter illum filium, & patrem, ita vt pater exosum illum habeat, & quasi rebellem, & improbum excludat ab hæreditate, vel vt legitimis faciat viuens donationes hæreditatis alio omisso; quia hac via occultabit suum adulterium, & occurret damno, quod legitimi poterant pati in hæreditate paterna.

Ioannes Maior. in 4. d. 15. q. 17. dicit si solum periculum infamiæ illi immineat, nullum autem vitæ, teneri ad se prodendum, quando aliter non potest; si vero immineat quoq. ipsi periculum vitæ, nō teneri: quia cum vita sit maximum bonum naturale, cui nullæ diuitiæ, nullaq. bona temporalia valent comparari, non est exponenda, vt restituantur diuitiæ, famam vero, licet præstet diuitijs: quia tamen est eiusdē ordinis, & computatur inter bona temporalia, vbi hęreditas est magni momenti, debet mulier exponere, ne veris hæres sua hæreditate expolietur.

Adrianus in 4. de rest. & ante ipsum Palud. in 4. d. 15. q. 2. art. 1. volunt si hæreditas sit alicuius momenti, vt inter viros nobiles, & diuites, adulteram, quę nec potest filio spurio persuadere ipsum esse spurium, & expedire illi ingressum religionis, nec ipsa habet bona propria; vnde reficiat legitimis damnum, quod causa spurij patiuntur, teneri ad manifestandum suum adulterium, & filium spurium, etiam cum periculo famæ vel vitæ, ne legitimorū hæreditas detur spurio, quamuis, vt dicit idem Adrianus. quol. 1. art. 3. ad 2. posset adultera differre per aliquod tempus huius criminis manifestationem, non tamen potest illam perpetuo omittere.

In hac quæstione adeo graui, & tot opinionum multitudine difficili, dicam cum Scoto quid sentiam explosis aliorum sententijs. Dico primo, quod mulier debet laborare quantum potest adhoc vt hæreditas reddatur vero hæredi, atq. adeo si habeat bona propria ex quibus valeat sufficienter reficere filijs legitimis damnum, quod propter spurium recipiunt, debet illud reficere ex proprijs, de quibus libere potest disponere, tum quia hac via custodit propriam famā ad quod, quandiu commode potest, tum quia quando restitutio potest fieri commode in eodem genere boni, non sunt exponenda alia, quæ superiora, vel preciosiora sunt.

Dico. Secundo adulteram, quādo probabiliter iudicat vel dubitat se non profuturam, nec suo dicto effecturam, vt filius spurius excludatur ab hæreditate non teneri ad se prodendam hoc patet: quia ratio mediorum sumitur ex fine, & eum tota ratio, & finis propter quam deberet se prodere est, vt suo dicto impediat, ne hæreditas legitimi detur spurio, quando videt suo dicto nihil effecturam, non tenetur se ipsam prodere; filius autem regulariter & communiter non credet, nec tenetur credere matri tale asserenti. Quia ex regulis iuris, Allegāti suam turpitudinem nulla debetur fides, tū quia potest filius prudēter suspicari, & timere matrē, (cū sit ingenium mulierum aliquos ardenter amare, & alios capitaliter odisse) ipsum ita odisse, vt vellet eum omnibus excludi ab hæreditate, & alios ita diligere, vt eos solos vellet esse hæredes, & hoc fine fingere adulterium, quod non cōmisit. Rebecam enim quamuis sanctissimam legimus, ita dilexisse Iacob, & odisse Esau, vt hunc optarit à benedictione & hæreditate paterna excludi, solumq. Iacob esse benedictum, & hæredem. Tertio legibus cautum est, ne tali matri adhibeatur fides, nec à iudice, nec à viro, nec à filijs. l. pnsumus. ff. de liberis, & posthu. l. filium. ff. de his qui sunt sui, vel alieni iuris. l. miles. ff. de adulterijs, quarum legum ratio est, quia filius natus in domo paterna, matre & viro suo simul cohabitantibus, à viro, & non ab adultero præsumendus est esse genitus, & esse legitimus; & contra hanc legis præsumptionem filius credere non tenetur; nisi veritas iam euidenter probetur, vt nulla possit tergiuersatione celari. Tunc enim licet in foro exteriori posset iuxta præsumptionem legis agere, in conscientia tamen obligatur agere iuxta veritatem sibi euidenter probatam: quia veritas semper est præferenda præsumptioni. Quarto quia & si filius teneatur credere matri, veritatem dicenti & probanti, cupiditate tamen hæreditatis & honoris sollicitante, & vrgente, forte magis præsumptionem sequetur quam veritatem, ne hæreditatem

ditatem & honorem amittat: quoniam vt dicit hic Scotus pauci inueniuntur ita perfecti, vt propter iustitiam seruandam in foro Dei dimittant magnas possessiones, quam possunt tenere iure exteriori, & si non crederet tunc essent duo mala: quia & ipsa esset diffamata, & ipse cũ mala fide teneret hæreditatem vt prius, imo fortius tenacius teneret concipiens diffamationem sui: quia per illam dimissionem notaretur spurius, & talem notam multum cauent male nati. Cũ igitur sit liberum filio spurio non credere matri dicenti non esse mariti sui filium, conuincitur vanum, & frustraneum esse, quod vxor adultera reuelet marito suo crimen: quia licet maritus ob dictum vxoris excludat illum in testamento ab hæreditate sua, filius tamen poterit si velit contra testamentum ex iuris præsumptione agere.

Dico tertio quando magna certitudine morali, & prudẽter videret se profuturam admonẽdo secreto filium spuriũ, & filium crediturum, vsurumque consilio, & admonitione ipsius; tunc teneri ad reuelandum secreto crimen illi filio, quia illi soli, & secreto se prodere posita tali certitudine est exiguam infamiam subire pro maiori bono: maius enim bonum est, vt hæreditas illa vero hæredi concedatur, quam sit malum illa infamia adeo secreta, & apud filium, apud quẽ tantum auctoritatis, & fidei videt mater se habere, non posset tamen hoc mater præsumere (inquit Scotus) nisi multũ prius experta fuisset voluntatem filij sui.

Dico quarto, Adultera illustris, quæ non laborat infamia non tenetur se prodere cum periculo famæ, vel vitæ, vt spurius excludatur ab hæreditate, & loquor etiam si dictum ipsius sufficeret, vt spurius excluderetur: nam quando profutura non est, nec infamis mulier tenetur se prodere. Probatur conclusio. Nullus tenetur restituere pecuniam, vt infra dicemus cum grauissimo damno, & maxima iactura suorũ bonorum, sed fama & honor, & multo potius vita Reginę nobilissimę pręstat ipsi regno intelligendo nomine regni dignitatem temporalem, & diuitias regias: dignitati & diuitijs Regni, in magno excessu, ergo nõ debet mulier illustris & honesta, quæ semper bene audiuit cũ periculo famæ, aut vitæ se prodere, hoc solo fine ne filius legitimus expolietur sua hereditate. Dixi hoc solo fine: quia si immineat damnũ Regni, nimirũ si spurius, licet fuerit educatus summa cura, vt filius Regis vel Principis, nihilominus nil deprehenditur illa bona educatio illi prodesse, sed ad mores spurios, & infimæ sortis esse propensum, iam non agitur de dignitate aut diuitijs, quæ sunt bona temporalia, sed de bono communi, quod cuiuis famæ, & priuatæ personæ vitæ pręferendum est, atq; adeo teneretur tunc si dictum eius profuturũ sit, se ipsam prodere etiam cum periculo famæ & vitæ, ne succedat spurius in illo regno secluso vero & legitimo hærede, qui animo nobili, & regio gubernaret cũ vtilitate ciuiũ, non male, & tyrãnice, sicut ille spurius ignobilis, & male natus, tunc enim adultera non exponit vitam suam, & famam pro hæreditate, & bono priuato filij legitimi, sed pro bono communi regni, vel prouinciæ, ad quod tenetur quilibet iure naturæ, quod si tale periculum non existat non tenetur, vt dictum est.

Sotus. Couar. Ex hoc infertur non bene dixisse Sotum lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. & art. 2. q. 7. Et Couar. in reg. pec. p. 1. §. 1. n. 37. debere mulierem adulteram se prodere, etiam cum periculo vitæ, quando regnum, vel principatus, vel eximia domus transiret alias a legitimo hærede ad spurium: nam quo ad vitam falsum est, nisi bonum commune Regni, aut Reipu. vel subditorum id exigat, sublata enim necessitate boni communis solo titulo dignitatis, & diuitiarum præstat vita Reginæ, Ducisse aut mulieris nobilis cuiuis hæreditati. Quod vero spectat ad famam, si mulier sit ita illustris, & nobilis, ac bonæ famæ, vt prudentum iudicio præstet fama & nobilitas eius hæreditati, non tenetur se prodere, si vero præstat hæreditas famæ illius, quia non illa ita nobilis, aut illustris, vel bonæ famæ, tenetur. cæteris autem paribus dico non teneri: quia ipsa possidet actu famam, legitimus vero nondum possidet hæreditatem, & sicut legitimus habet ius ad hæreditatem, ita mater ad suam famam in re occulta, vbi autem iura paria sunt, melior est ratio possidentis.

Dico quinto, quod Mulier debet meliori via qua potest satisfacere de damno, quod intulit his, quorum bona filius suus spurius retinet, quod omnium iudicio melius esse iudicatur, est, vt filio suadeat ingressum religionis. Sed certe nisi Religionem fratrum minorum, aut aliam similem ingrederetur non euitatur damnum magis quam mansisset in sęculo, nisi ante ingressum hæreditati renuntiaret: quia in alijs religionibus monasterium succedit in hæreditate, quæ monacho iure contingere posset. Si religio monachatus illi filio non placet, sed potius illam odio habet, inquit Alphonsus a Castro lib. 2. de potestate legis pœnalis. c. 11. ad primũ. quod melius esse puto est, vt illa si alios habet ex marito filios, eo pacto testamentum disponat, vt alijs filijs tertiam, & quintam sui patrimonij partem relinquat, suadeatque marito vt tantundem ille faciat, quod in regno Castellæ iuxta eiusdẽ Regni leges fieri optime potest, quod si impetrauerit a marito, minimum erit, aut forte nihil in quo reliquos filios lædet. Si vero ipsius adulteræ patrimonium tantum non est, vt hoc præstare possit, suadeat marito, vt non plus filio spurio relinquat, quam ipsa libere alijs filijs testamento reliquerit. Quod si nullo modo possit legitimis compensare, pęniteat de suo adulterio, habeatque se vt debitor, qui non habet vnde restituat. Ita docet hic Scotus. Gabriel in 4. d. 15. q. 2. Syl. in verb. adulterium circa principium. Ita enim Med. cap. de rest. q. 3. causa. 4. Couar. loco citato Caiet. 2. 2. q. 62. art. 6. In summa in verb. adulterium, & in opusc. 12. quæst. respon. 14. dub. 2. Et Alphonsus a Castro lib. 2. de lege pœnali. c. 11. Alphonsus. Scotus. Gabriel. Syluest. Medina. Couar. Caiet. Alphonsus.

Ex his patet, quod modus ille & cautela Alciati remittendi sibi inuicem ius, non est accomodatus: quia licet mater nõ explicet priuatim quis illorum sit spurius nihilominus se ipsam infamat adulterij, ad quod non tenetur, nec debet, tum quia ista renunciatio, cum fiat ab vno quoque ignorante, & timente ne ipse sit ille spurius, alioquin illam non facturus; est inuoluntaria, & velut coacta, & ex consequenti inutilis, & inualida.

Modus quoque secundus Iuristarum, vt mater quærat occasiones discordiarum, & odij inter patrem & illum filiũ, non est legitimus, & optimus: quia in prouinciis, in quibus patres non possunt exhæredare filios nisi ex causis in lege contẽtis est inutilis. Præterea in terris vbi primogenitus est hæres pater si crederet vxori dicenti talem filium esse spurium non posset a spurio auferre hæreditatem nisi in foro publico probaret eum talem, & tunc oporter mulierem diffamari, non tantum apud maritum, sed apud totam patriã, vt scite hic docet Scotus. Adde etiam quod mater moraliter loquendo non potest istas lites, & discordias seminare sine peccato mortali, nec pater potest filium, quem credit legitimum ita exhæredare, quin habeat illum maximo odio, & mortali.

Sed esto, quod mater possit filium legitimum compensare, vel quod filius assentiat, & credat matri dicenti ipsum esse spurium, tenebitur ne mater totum legitimo restituere, vel spurius proprio hæredi totam restituere hæreditatem? Respondet Scotus, quod non tenetur mater restituere æquiualens toti hęreditati: nam multum differt inter habere, & prope esse: ille enim dicitur habere, vel tenere qui actualiter habet, & tenet, ille autem dicitur prope esse, & quasi habere, qui habet proprium ius ad habendum, legitimus autem nunquam habuit hæreditatem, licet fuerit prope secundum iustitiam, & ideo minus quam æquiualens hæreditati sufficit sibi pro restitutione, & illud minus determinetur secundum arbitrium boni viri, & quod dictum est de matre, dicendum est de fratre spurio. Videtur tamen ad minus, quod debeat sibi prouidere de victu honesto, & vestitu si sui hæreditas pinguis, vt possit sufficere hæredi ad duplum, vel ad triplum illius. Quod si hoc non potest, faciat, quod dicitur in illo c. Odoardus.

Sed dubium est an adultera non restituente, teneatur ipse adulter restituere damna illata patri putatiuo, & alijs filijs legitimis ratione spurij. In hac difficultate hæc tria certa sunt.

Primo certum est adulterum non debere facile credere mulieri asserenti illum spurium esse filium eius, vel quia vidit illam simul agere cum viro suo, nec minus potuisse concipere ex viro, quam ex se ipso, vel si probabiliter, & prudenter potest suspicari, illam alijs quoque fecisse sui copiam: solent enim istæ mulierculæ nonnũquam filium spurium tribuere ditiori, aut sibi magis dilecto, vnde non temere, & facile est ipsis credendum; sed mature, & in re maxime manifesta.

Secundo certum esse debet, ipsum non teneri ad aliquid restituendum cum periculo famæ, vel vitæ, sicut nec tenetur adultera; quia in hoc par est vtriusque ratio.

Tertio

Tertio certum est, teneri ad restituendum, si ipse consuluit adulteræ, vt illum spurium supponeret viro suo vt legitimum: nam qui suo consilio est in causa alicuius damni tenetur etiam ad illius restitutionem. Difficultas est ergo, an adulter qui sine periculo famæ, vel vitæ potest restituere damna illata marito adulteræ, & filijs legitimis ratione spurij, nec consuluit, vt illum adultera viro suo supponeret, teneatur restituere ex eo solo, quod genuerit.

Sotus. Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 2. dicit tria. Primo adulterum non debere credere, nisi sit maxima certitudo illum spuriũ esse filium suum. Secundo etiam si credat, non teneri ad restituenda illa damna ex iustitia: quia ipse non est proxima causa illorum damnorum, sed remota, cum non intenderit generare; sed solum explere suam libidinem, adulteram vero esse causam proximam: quia viro supponit filium illum. Tertio debere adulterum, qui potens est, & diues ex quadã æquitate illa damna reficere marito, qui fecit expensas cum illo spurio educando, & filijs legitimis, quorum hæreditatem vsurpat: quia licet iste adulter non sit causa proxima, est tamen aliquo modo causa illorum damnorum.

D. Antoni. Angelus. Syluester. Caietanus. Nauar. Sed communis sententia, quæ multum probabilior est, vult adulterum, cui probabiliter constat illum spurium suũ esse, teneri ad damna illa ex suis bonis reficienda. ita D. Antoninus. 2. p. tit. 2. c. 17. Angelus verb. adulterium. nu. 4. Sylu. ibidem q. 5. Caiet. in summa Adulterium. Nauar. c. 27. n. 48. & 49. & fere omnes recentiores, quod probatur ex ca. finali. de iniur. & damno dato, vbi qui in causa est, vt alicui damnum inferatur, obligatur ad illius damni restitutionem, certum autem est, adulterum in causa esse illorum damnorum, cum genuerit spurium, ob quem illa damna secuta sunt. Nec valet ratio Soti: quia damna illa sequuntur ex procreatione, & generatione filij spurii, cuius non minus causa est qui genuit, quam ipsa adultera, quæ concepit, & peperit, quæ etiã non intendit generare, sed solum suam libidinem explere sicut adulter. imo minus intendit adultera generare, vt de se patet.

Ex quo seqnitur Adulteræ, quæ viro, & alijs filijs restituit in integrum damna illata ratione spurijs ex suis bonis proprijs, & liberis; teneri adulterum partem illam satisfactionis reddere, quia vt supra diximus, quando plures idẽ damnum inferunt, vno in integrum restituente, tenentur alij suas partes illi exhibere.

ARTICVLVS VI.

Vtrum quando dominus ignoratur aut est incertus, detinens possit rem sibi retinere.

Quando verus dominus dicatur ignotus. PRo explicatione huius difficultatis obser. est primo verum dominum nõ dici ignotũ, aut incertum, nisi postquam quis debitam inquisitionem fecerit pro rei qualitate ad eum cognoscendum, & tamen nec ipse, nec hæres aliquis illius inuenitur. Dixi pro qualitate rei, quia si quis mille aureos incerti domini haberet, nõ sufficit illum in loco vbi inuenti sunt semel, vel bis voce præconis inquirere, sed idipsum in alijs etiam locis, ciuitatibus, & pagis vicinis, & remotis, in quibus prudenter suspicari potest forsan dominũ aut hæredem reperiri posse, facere tenetur, imo etiam & per annum, aut longius tempus ad prudentis viri arbitrium expectare debet, vt dominus reperiri non dicatur, id quod locum habet in re magni momenti, si enim res parui pretij sit, v. g. pallium, gladius, decem aurei, aut quid simile, satis est loco vel ecclesiis vbi reperta res est, inquisitionem facere.

Diligens inquisitio quæ sit. Secundo obseruandum est, quod diligens inquisitio est, quam homo diligens accurate inuestigandũ, vbi, quãdo, per quos, a quibus &c. faceret, & cum ad terminum, i. ad dominum ignotum non perueniatur nisi pertransita via non debet rei dominus pro omnino ignoto haberi, nisi postquam diligens inquisitio præcesserit.

Dominus quot modis dicatur ignotus. Tertio obseruandum est, per talem inquisitionem factã dominum adhuc ignotum, & incertũ varijs modis dici posse, vno modo in particulari, & non in vniuersali, seu cõmuni, vt contingit, quando in bello iniusto duces, & milites inuadunt ciuitatem, & eam deprædantur, tunc enim in particulari ignorant, quod vnusquisque a singulis acceperit, & quæ res huius, vel illius sit; in communi tamen, & in vniuersali sciunt dominum bonorum illorum, nempe ciues illius Ciuitatis; sic etiam qui minutim vendunt carnes, & vinum, & similia quando pauci, & certi ipsis emunt nesciunt in particulari a quo rapuerunt, sciunt tamen in communi ab his tribus vel quatuor se rapuisse. Et idem de exercente vsuras. Alio modo quando ignoratur dominus, tam in vniuersali, quam in particulari, vt qui innumeris, & incertis promiscue vẽdunt itne rei dominum nec in particulari, nec in vniuersali cognoscunt.

Quorum expensis diligens inquisitio facienda sit. Quarto obseruandum est, quod si res restituenda bona fide acquisita sit, diligens inquisitio facienda est expensis ipsius domini rei restituendæ, sin autem habeatur per iniquã acceptionem facere eam debet proprijs suis expensis. His annotatis.

Quibus restituendum est quando Dominus rei ignoratur. Dico primo, quod quando dominus rei omnino ignoratur, tunc ante omnia debitam diligẽtiam adhibere tenetur, vt verus rei dominus inueniatur, qua facta si nõ compareat dominus restitui debet pauperibus in bonum Domini sic. *D. Thomas.* S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 5. ad tertium vbi ait. Quod si ille cui fieri debet restitutio sit omnino ignotus, debet homo restituere secundum quod potest, scilicet dando eleemosynas pro salute ipsius, siue sit mortuus, siue sit viuus, præmissa tamẽ diligenti inquisitione de persona eius, cui est restitutio facienda. *Scotus.* Similia scribit Scotus in hac q. sub lit. D. d. §. de quarto vbi dicit, & in istis si quæras cui? dico quod pauperibus vice illius: quia cui non potest temporaliter reddi, redditur spiritualiter, redditio spiritualis fit maxime reddendo pauperibus pro illo. Quod probari potest primo ex ca. cum tu. de vsur. vbi Alex. III. præcipit restituere vsuras his, a quibus sunt extortæ, vel eorum hæredibus, vel his non superstibus pauperibus erogare.

Secundo id videtur ratio naturalis dictare, siquidem cũ certum sit rem illam non esse possidentis, & præterea certũ sit eam rem Dominum, quamuis ignotum, habere, facienda est diligens inquisitio ad sciendum, quis sit eius Dominus, cui sit facienda restitutio, quod si ea præmissa is non appareat, tunc iuris naturalis ratio dictat, rem illam non ad pium possidentis, sed potius in bonum & vtilitatem Domini expendendam esse, cuius ea præsumitur mens, vt si ei non possit propria res restitui, expendatur quidem in eius vtilitatẽ, cedit autem in bonum si in vsus pauperum, vel in alia opera pia expendatur, sic enim datur quodammodo ipsi, dum in bonum eius spirituale cedet, quod non potest ei reddi, vt sit vtile corporaliter, vt recte annotauit Scotus in responsione ad 3. vbi ait. *Scotus.* Ad aliud patet, quod non est maior sumptus ponendus in missione, quam valear illud, quod mittitur, sed expectanda est præsentia personæ, si quando credatur haberi, si tamen non credatur haberi, nec nuncius interueniat sine nimijs sumptibus: tradendum est parentibus, qui si non adsint, dandum est pauperibus; vniuersaliter enim dando eleemosynam pauperibus pro aliquo, datur ei bonum spirituale, & in hoc fit sibi restitutio possibilis, quando non potest sibi reddi bonum temporale.

Dico secundo, quod diligẽti inquisitione præmissa in inquirendo Domino, & non apparente, si restituerit rem pauperibus, aut in alios pios vsus erogauerit, etiã si Dominus postea compareat non tenetur ad aliam restitutionem, cum iam semel, ac licite restituerit rem male possessam & retentam, sed neque pauper ipse, cui res tributa est, tenetur quicquam restituere, etiam si ad pinguiorem fortunam venerit: nõ enim eis mutuo data sunt bona illa, sed in eleemosynam vtraque donatione secus vero si quis absque debita inquisitione, rem alterius pauperi dedisset non satisfecisset, sed teneretur postea inuento Domino eidem restituere, & sibi ipsi imputet, quod imprudenter rem alienauerit, vt expresse Caiet. 2. 2. q. 62. art. 5. ad 3. & Petrus Nauar. lib. 4. de rest. c. 2. dub. 7. nu. 56. animaduertunt. *Caiet. Petr. Nauar.* & probari potest ex c. si. ut di gnũ. §. eos insuper. de homic. vbi Papa Alex. III. docet, occupantem bona alterius a restitutione non liberari, quod fateatur se aliena bona pauperibus erogasse, cum ipsa ei bona restituere potuisset, puta si diligentiam debitam ad inueniendum Dominum adhibuisset, & Glo. ibidem in verbo Non tamen aliena.

Dico tertio, quando Dominus in particulari, & in vniuersali est incertus, & ignotus tunc res illa in pia opera expendenda est in bonum, & vtilitatem veri Domini. dixi in particulari, & in vniuersali: quia si aliquam habeat notitiam generalem non excusatur, nisi procedat vlterius ad particularia: si enim sciat vnum de tali loco illius rei Dominum, tene

tur

tur vlterius inquirere, vt licite possit rem illam pauperibus erogare.

Dico quarto, quando dominus in particulari est incertus, certus tamen in communi, v.g. incertum est, an res sit Petri, an Pauli, vel Andreæ &c. certum tamen est esse vnius eorum, tunc diuidenda res est inter ipsos, de quibus dubitatur magis, vel minus pro ratione dubij, nec sufficit consensus vnius eorum, vt pauperibus erogetur sicut neq; sufficit remissio vnius ipsorum, vt ab obligatione restitutionis excusetur.

Hinc sequitur primo, quod ea quæ in præda ciuitatis per iniustum bellum auferuntur restituenda sunt Magistratib. vt sic melius ab illis pro sua conscientia, vel inter eos, qui iudicabantur plus passi, vel inter omnes distribuantur.

Secundo Comes & Dux, qui inuenit, aliquem prędecessorem suum in iuste aliqua a suis subditis accepisse, tenetur populo communiter distribuere, nisi tota Respub. illi dimittat, aut iam suo prædecessori dimiserit.

Tertio si Ciuitas triticum depositum haberet in vsum, & vtilitatem ciuium, vt plerumq; contingit, & curam illius gerens illud vendat, vnde ciues carius panem emunt, tenetur venditor excessum solitum pretij panis restituere, puta panem pretio solito vendere: cum enim extant etiam damnũ passi, & aliquo modo cogniti, ijs quantum fieri potest restitutio facienda est, melior autem restituendi modus vix excogitari potest, quam procurando vt in distributione per Ciuitatem facienda panis pretium minuatur.

Quarto idem dicendum est de eo, qui vel vsuras exercuit aut vinum, carnes, aut similia aliquibus ad suam tabernã venire solitis vendens eos defraudauit, tenetur enim vsuras illas restituere, a quibus eas accepit si probabiliter sciat a quib. eas habuerit, & eisdem ad suam tabernam venientibus minori pretio res vendere, vt sic damnum passis quantum fieri potest satisfaciat.

Quinto quod bona Peregrini morientis ab intestato nisi aliqua lex specialis sit loci, vbi moriuntur in contrarium, iure ciuili statutum est talia bona esse pauperibus, vel pijs vsibus erogãda, vt habetur in Autheotica omnes peregrini. C. de success. Et quidem vt plurimum hospitalia priuilegia habent vt omnibus ibi morientibus ab intestato succedant tanquam legitimi hęredes, id quod sancte, & iuste fit, tum in fauorem morientis ab intestato, & animæ illius, tum etiam in fauorem piæ causæ, & hospitalium, in quibus peregrini recipiuntur.

Dixi nisi specialis aliqua constitutio loci aliud disponat. *Petr. Naua.* Quia Petrus Nauar. lib. 4. de rest. c. 2. dub. 7. n. 61. testatur in Hispania Regem morienti ab intestato sine hæredibus vsq; ad decimum gradum succedere, & apud Gallos statutũ est, vt Peregrini bona in ea prouincia acquisita Regi deferãtur, *Couar.* vt Couar. in reg. pec. p. 3. §. 1. n. 3. & 4. scribit referens pro hac re Guhel. Beord. in c. Rayn. verb. & vxorem nomine Adelasiam. nu. 1041. de Testa. Boerium in consuetu. Bituricensib. rub. de testa. §. vlt. & Rebuffum in proemio ad leges regias Glos. 5. nu. 82.

ARTICVLVS VII.

Vtrum bona incerta debeant authoritate Episcopi Pauperibus restitui.

Qui nomine pauperis intelligantur. PRo explicatione huius ar. obser. est primo, quod nomine pauperum non solum intelliguntur personæ pauperes, sed etiam Ecclesiæ, Xenodochia, Monasteria, & alia, ornamentis, ædificijs, luminaribus, & huiusmodi indigentia, nec etiã solum intelliguntur personæ pauperes mendicantes, sed etiã alij indigentes, quæ suor eis ad decentiam necessaria, & denique nomine pauperum intelliguntur, quæcunque alia opera pia, vt Nauar. in Manu. c. 17. n. 95. Petrus Nau. li. 4. de rest. c. 2. du. 7. nu. 40. & nu. 50. & alij communiter tradunt. *Nauar. Petr. Naua.*

Secundo obser. est quosdam sensisse bona incerta non solum iure humano, sed etiam naturali restituenda pauperib. *D. Thomas.* vel in alios pios vsus conuertenda, quod expresse dixisse videtur D. Tho. in 4. d. 15. q. 1. vbi ita scribit. Quando incertus est dominus rerum ablatarum, pauperes hæredes sunt, ideo non deobligatur a restitutione nisi det pauperibus pro anima eius, cui restitutio debetur, adhibita tamen prius diligentia debita pro illo cognoscendo, aut reperiendo, idem sere repetit 2. 2. q. 62. ar. 5. ad 3. vbi ait, quod si ille cui debet fieri restitutio sit omnino ignotus, debet homo restituere secũdum quod potest, scilicet dando eleemosinas pro salute ipsius siue sit mortuus, siue sit viuus, similia fere docet Scotus *Scotus* bis in hac quęst. semel sub lit. D d. §. In alio si maiores sumptus, vbi dicit. Et in istis si quæras cui? dico quod pauperibus vice illius: quia cui non potest temporaliter reddi, redditur spiritualiter &c. & iterum in respons. ad 3. vbi dicit, quod si ignoratur verus dominus tradendum est parentibus, qui si non adsint dandum est pauperibus &c. Quibus verbis videntur D. Tho. & Scotus docere hominem illum ignotum non amisisse dominium illorum bonorum, siquidem expendenda esse dicunt in eo, quod ei magis vtile erit, & in hoc fit sibi restitutio possibilis, quando non potest sibi reddi bonum temporale, eiusdem sententiæ videtur esse Caiet. 2. 2. q. *Caietanus* 62. ar. 5. & clarius in summa verbo rest. c. 4. dicẽs, quia dominus est nimium ignotus, restitui debet Christo, qui est hæres vniuersorum. Heb. 1. eamdem sent. docent Syluest. in verb. *Syluester.* rest. 8. q. 2. Medina. C. de rest. q. 3. causa. 10. opinione. 3. Coua. *Medina* in reg. pecca. p. 3. nu. 2. Angles in floribus. 4. p. 2. q. 2. art. 1. diff. *Couar.* 4. & eam ex professo defendunt Arrag. 2. 2. q. 62. ar. 5. ad 3. & *Angles.* Emanuel Rodoriquez in summa. p. 2. ca. 41. conclu. 8. Sotus *Arrag.* *Rodoriquez.* vero lib. 4 de iust. q. 7 ar. 1. ad 3. Medina. C. de rest. q. 3. causa. *Sotus.* 11. vers. verum si, licet Coua. vbi sup. oppositum dicat, volunt *Medina.* huiusmodi bona iure naturæ, & gentium deuolui ad communitatem Reipub. conferriq; Pauperibus consensu principum Reipub. qui bonorum communium sunt dispensatores, Regum scilicet, & Papæ. Vnde colligunt duo, primum ista bona, dari pauperibus iure humano positiuo, vt habetur in c. cum tu, extra de vsuris, c. quanquam de vsuris in 6. vbi acquisita per vsuram, quorum dominus omnino ignoratur definitur conferenda esse pauperibus, neque est hoc nouum in ecclesia, vel incępit ab Alex. III. in illo cap. Cum tu anno domini 1170. cum iam prius fuerit obseruatum temporib. D. August. vt patet can. Non sane, & Can. Qui habetis. 14. q. 5. Quæ sunt verba D. August. ex sermone 35. de verbis domi- *D. August.* ni. Sed habuit ortum ex illo verbo Euangelij. Quod superest date pauperibus lucæ. 11. sunt enim quæ nullius domini agnoscuntur quasi superflua communitatis, vnde & l. 1. 4. & vltima. C. de rebus vacantibus, habentur ista bona tanquam ad communitatem redacta dispositioni Reipub. subiacere, posseq; Rempub. in hunc, vel illum vsum conuertere, atq; ita conuertisse in subsidium pauperum. Et hoc est secundũ, quod colligunt, nimirum posse Summum Pontificem, Reges, & Rempub. vt veros & legitimos administratores horũ bonorum, conuertere illa in quoscunque vsus bono communi vtiles, & necessarios; non secus ac alia bona cõmunia suæ Reipub. Vtraque istarum opinionum probabilis est, licet mihi secunda probabilior uideatur, ea ratione motus: quia aut hæc bona redeunt in dominium Reipub. aut manent sub dominio ipsorummet dominorũ, licet ignorentur, aut transeunt in dominium pauperum, non hoc ultimum; sequeretur enim quod quando illis dantur non fieret eis eleemosina nec esset opus pium; sed opus debitum ex iustitia; sicut quę dantur fisco, quando ille succedit. Nec secundum quia si manerent sub dominio ipsorummet dominorum, cum illos nemo debeat expoliare suo dominio inuitos, si pecunia incerti domini esset data pauperi, domino illius deinde comparẽte, esset repetenda ab illo paupere, & restituenda domino comparenti, quod nullus dicet, imo omnium consensu rite data est, & in dominium pauperum translata; sequitur ergo simpliciter, & iure naturali bona ista esse Reipub. iure autẽ canonico dari pauperibus.

Hæc D. Thom. & Scotus oppositum docent, imo supposita consuetudine ecclesiæ docent restituendam esse rem domini ignoti pauperibus: quia omnis restitutio facienda est, aut uero domino, aut hæredibus, aut designatis a lege, vel Repub. quando verus dominus omnino ignoratur, ignorantur quoque eo ipso hæredes, atq; ita ut restitutio fiat quead potest restituendum esse designatis a lege & Repub. cuiusmodi sunt pauperes, & hoc est quod docet Scotus, & quando dicit quod datur ei bonum spirituale, hoc non est de necessitate, quasi restituendo pauperibus restituat illi, sed ex quadam congruentia, & æquitate: uidetur enim æquissimũ ut qui erat uerus dominus, & sine culpa sua illis expoliatus est, saltem commodum spirituale ex eis reportet.

His obseruatis de proposita difficultate sunt duæ sententię, prima est dicentium necessariã esse ad hoc Episcopi, aut Parrochi, uel confessarij authoritatem. Sic olim. S. Th. in 4. d. 15. *D. Thomas.* q. 1. ar. 5. quæstiun. 4. ad tertium ubi agens de eo, qui deprædatio

dando ciuitatem aliquid iniuste accepit ait faciendam esse restitutionem, consilio Episcopi, aut domini Ciuitatis, & in opusc. 21. ad Ducissam Barbantiæ, agens de restitutione eorū quæ Iudei per extorsionem vsurarum acceperunt, docet ꝙ si inueniuntur certæ personæ, a quibus vsuram extorserunt, debet eis restitui, alioquin inquit debet in pios vsus secundū consilium diœcesani Episcopi, & aliorum proborum erogari. Idem docet Paludan. in 4. d. 15. q. 2. ar. 4. vers. tertio. Et inter Canonistas Hostiē. in c. cum tu de vsuris, & in c. cum sit, de Iudeis, vbi dicitur, officiali huiusmodi tam diu Christianorum communio in commercijs, & alijs denegetur donec in vsus pauperum secundum prouidentiam diœcesani Episcopi conuertatur, quicquid fuerit a christianis adeptus occasione officij sic suscepti, & in c. quāquam. de vsuris in 6. habetur restituendas esse vsuras, aut illis quibus faciendæ sunt, si præsto sint ipsi, aut alijs, qui eis possint acquirere, vel eis absentibus loci ordinario, aut eius vices gerenti, siue rectori parochia &c. vt illis quibus debentur postea restituantur. Et confirmatur quia huiusmodi bona, cum restituantur pro salute spirituali domini ignoti, induscunt rationem spiritualium, bonorum autem spiritualium distributor est Episcopus, ergo eius consilio & nutu distribuenda sunt. Tum etiam quia Episcopus est pater pauperum. Episcopus enim curam pauperum, pupillorum, & viduarum gerere debet. c. licet. c. defensionis, & c. diuinæ. dist. 87. & c. Episcopus. 4. dist. 88.

Paludan.
Hostiensis.

Altera sententia est asserentium non esse ordinarie necessariam auctoritatem Episcopi, aut confessarij, sed posse vnū quemq; debitorem auctoritate propria, & per se rem ignoti domini pauperibus restituere: ita Scotus in hac quæst. sub lit. D d. §. si quæras per manus cuius &c. & Richar. eadem dist. 15. ar. 4 q. 2. ad secundum vbi dicit, quod quando dominus est ignotus, illud, quod restituendum est, erogari debet pauperibus auctoritate ordinarij, qui est pauperum pater, vbi est consuetum per ordinarium talia fieri, addit tamen ꝙ per ius scriptum non interdicitur illi, qui restituere tenetur, erogare pauperibus per se ipsum, si hoc faciat fideliter, & de consilio bonorum. Quos secuti sunt Gab. in 4 d. 15. q 2. at. 3. dub. 1. Angel. in verb. resti. 2. §. 14. Syluester. verb. rest. 8. q. 5. vbi multos pro hac sent. refert Sotus lib. 4. de iust. q. 7. ar. 1. ad 3. & Nauar. in Manu. c. 17. nu 92. qui ait regulariter Episcopum alicui prohibere non posse, ne per se ipsum sine suo cōsilio, aut sine consilio sui confessarij restituat. Et ratio esse potest, quia vt dictum est, bona ista ex iure positiuo humano naturali restituenda sunt pauperibus, at nullo iure, aut lege humana statutum est, vt requiratur auctoritas Episcopi in istis restituendis. Vbi autem nulla est lex diuina aut ecclesiastica sequenda est ratio naturalis, quæ potius suadet vt persona per se ipsam restituat, quam per alium: nam cum ipse sit debitur conuenit vt per se ipsum restituat, quandoquidem hac ratione melius conscientiam suam exonetare, & obligationi suæ satisfacere possit.

Scotus.
Richar.
Gabriel.
Angelus.
Syluester.
Sotus.
Nauar.

Potest tñ & expedit aliquando alicuius boni, & prudētis viri, & maxime cōfessarij sui in hac re sequi cōsiliū, id tamē non est necessarium: si enim post debitam suam inquisitionem non inueniatur dominus, dummodo ea in pauperes, aut opera pia restituat, ad nihil amplius faciendū obligatur.

Dixi ordinarie non requiri auctoritatem Episcopi, quia licet regulariter Episcopus contrarium præcipere nequeat; vt tamen Ang. Sylue. Gab. Nauar. locis proxime cıtatis notant, in quatuor casibus poterit Christus se intromittere circa bonorum incertorum restitutionem. Primus est, quando mortuo illo qui restituere debebat nullus est relictus hæres, vel executor ad restituendum. Secundus quando is qui debet restituere non vult, tunc enim potest in iudicio contra illum procedi, atque adeo tunc episcopus se intromittere potest. Tertius quando restituens male distribueret, puta amicis, qui non indigent, & huiusmodi, tunc enim potest Episcopus tanquam pauperum pater se intromittere, & curare, vt iterum dispensaret. Quia non dicitur factum, quod aliter factum est, quam debuit, arg. c. ēgu. qui ex timore de reg. iur. quod intelligendum est ex Syluest. si male dispenset dolo, vel lata culpa: quia alia culpa ex Inno. in c. sicut dignum. de homic. in foro pœnitentiæ non arctat ad restitutionē. Quartus est quando talia incerta fuerunt vsurariorum manifestorum, qui testamentum condiderunt, aut iam mortui sunt: quia tunc ex dispositione iuris dispensatio fieri debet per Episcopum, vt habetur in c. quamquam. de vsuris in 6. & hic casus quartus est certus, reliqui enim in iure non exprimuntur, & sola Doctorum auctoritate recensentur.

Angelus.
Syluester.
Gabriel.
Nauar.
Innocent.

Hæc, Secunda sententia est probabilior & in vsu, ac proinde sequenda est. Ex qua colligitur quid dicendum sit de illa consuetudine Episcoporū, qui in constitutionibus synodalibus reseruant sibi ipsis restitutionem horum bonorum; imo aliquando sacerdotes dispensantes talia excommunicant. De qua reagunt Glos. in cap. 1. in verbo reseruantur de pœnit. & remis. in 6. Angel. in verb. rest. 2. §. 14. Syluest. verb. rest. 8. q. 6. Gab. in 4. d. 15. q. 2. art. 3. Salon. 2. 2. q. 62. ar. 5. controuer. 7. Bannes ibi. dub. 7. concl. 3. Nauar. in Manu. cap. 17. num. 92. Lopez. p. 2. instru. conscien. cap. 137. Valen. tom 3. disp. 5. q. 6. pūcto. 9. Quamuis enim Ioan de Lign. in c. cum sit de Iudæis, & Ioan. Cald Hugo, Clarus. Gab. Angel. & aliqui alij negant episcopis hanc facultatem, & Syluest. dubius est in hac, Imo Bannes etiam dubitat an leges, & constitutiones illæ iustæ sint; nihilominus tamen verior mihi videtur contraria opinio, posse scilicet Episcopum prohibere confessarium ne absque consilio suo absoluat eum, qui huiusmodi bona nondum restituit, atq. eorum absolutionē sibi reseruare, vt Nauar. Salon, & Valen. testantur, ita vt per constitutiones illas reseruetur absolutio a peccato, quod cōmiserunt non reddentes pauperibus bona incerta. Addunt tamen Nauar. & Lopez prohibere non posse parti, vt si per se velit non restituat, nec conscientiam suam prout debet nō exoneret. Nam vt hic dicit Scotus: quia tali mediatori posset dare, de cuius fidelitate præsumeret. & tamen ille sibi ipsi applicaret. vel alijs vsibus quam deberet. Obser. est, tamen quod cum Papa tanquam pater pauperum, & qui curā habet spiritualem eorum applicauerit hæc bona incerta pauperibus, neminem posse priuata auctoritate conuertere illa in alios vsus. Quod dico propter aliquos confessarios qui illa conuertunt in celebrationem missarum. leges enim ecclesiasticæ possunt disponere de bonis huiusmodi, & sic disposuerunt in c. illo cum tu, & locis adductis.

Glossa.
Angelus.
Syluester.
Gabriel.
Salon
Bannes.
Nauar.
Lopez.
Valent.
Ioan de Li.
Hugo.
Clarus.
Scotus.

Ad argumenta in contrarium allata respondetur, & quidem c. cum sit. de Iudæis. casum particularem continet, ex quo non licet legem generalem colligere. Ad aliud ex c. cū tu. respondetur potius esse pro nobis, cum ibi solum dicatur vsurarios esse cogendos restituere ijs, a quibus eas acceperunt, vel hæredibus suis, aut eis deficientibus pauperibus erogare. Quibus verbis significatur potius non competere Episcopis ius erogandi bona incerta pauperibus, licet eis cōpetat ius compellendi vsurarios, vt vsuras incertas pauperibus distribuant, vnde solum procurare debeat, vt distribuantur, non tamen requiritur eorum auctoritas in distribuēdo.

Et ad c. quanquam. de vsuris in 6. eodem modo respondetur sicut ad c. cum sit, scilicet vsurarium illum de quo ibi agitur tantam ostendisse cupiditatem, & auaritiam, vt prudēter timeretur ipsum non esse fideliter restituturum, vt propterea res sit Episcopo aut Parocho reddenda, qui postea restitutionem fieri procurent. Nam quando probabiliter dubitaretur de fidelitate eius, qui restituere debet, sicut poterat dubitari de illo Iudæo in c. cum sit, tum ob auaritiā suā, tum ob odium contra Christianos quos expoliauerat, tunc episcopum illum compellere posset, vt eius interuentu restitueret, aut saltem cū consilio Parochi, vel confessarijs. quinimo, vt notat Salon confessarius talem absoluere non debet nisi ipso interueniente, aut certam cautionem habente.

Ad rationem dico. Ad episcopum pertinere tanquam patrem pauperum, vt dispenset bona sui patrimonij, & ecclesiæ suæ, Iudæorum & vsurariorum publicorum, & quando nullus est a testatore deputatus executor testamenti, non tamen exinde colligere licet, quod habeat ius ad eas eleemosynas distribuēdas quas alij sponte sua, vel ex debito fideliter facere proposuerūt. Est inquam episcopus pater pauperum, non vt ex alienis bonis illos alat, sed quia debet de suis redditibus illos alere. sunt enim bona Episcoporum bona pauperum. Et quamuis bona restituenda sint pro salute & vtilitate dominorum, ac proinde inducant rationem bonorum spiritualium, ex hoc tamen non sequitur eorum distributionem ad episcopum pertinere: quia ea ratione diues qui superflua sua vellet in eleemosynas dare pro salute animæ suæ, cum talia bona ratione huius finis inducant quoque rationē spiritualium teneretur illa consilio, & nutu Episcopi distribuere, quod nullus vnquam docuit.

ART.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum res inuentæ debeant pauperibus erogari.

HAnc difficultatem tangit Scotus in hac quæst. in respõs. ad secundum, & tertium principale. Pro cuius explicatione obser. est Res quæ inueniuntur triplices esse, primi generis sunt, quæ nunquam habuerunt dominum, vt sunt gēmæ pretiosæ, quæ sunt in littore maris, quibus similes sunt mineralia, & metalia fossilia. Secundi generis sunt, quæ aliquando habuerunt dominum, quando tamen inueniuntur probabiliter iudicantur iam nullum habere, cuiusmodi est thesaurus absconditus in visceribus terræ, vel communi loco occultus, qui deinde inuenitur. Tertij generis sunt, quæ in vijs, & alijs locis inueniuntur perditæ a veris dominis, & ratione loci temporis & aliarum circunstantiarum, quando inueniuntur iudicantur, veros habere dominos.

Secundo obseruandum est duplicem esse thesaurum, aliũ qui proprie dicitur thesaurus, alterum vero qui improprie thesaurus proprie est, quædam vetus depositio pecuniæ, vel diuitiarum in aliquo loco, cuius non extat memoria, ita ut jam dominum non habeat. ita definitur. ff. de acquiren. rerũ domini. l. nunquã §. thesaurus. & C. de thesauris. l. vnica, & institut. de rerum diuis. §. thesaurus. Improprie vero thesaurus est, vt ex eisdem iuribus colligitur depositio alicuius pecuniæ, vel diuitiarum in aliquo certo loco, vel lucri faciendi gratia, vel custodiæ, vel honoris, vt in sepulchris defunctorum, vel alia de causa; quæ depositio ex circunstantijs, vel aliqua alia probabili ratione appareat a quo facta sit, habetque dominum, vel ipsum me, qui ibi deposuit, vel ipsius successores, & hæredes.

Tertio obser. est thesaurum primi generis, qui proprie est thesaurus, aliquando inueniri in proprio fundo, & agro; aliquando in alieno; Rursus in alieno aliquando cum industria, & arte, interdum casu, & fortuito. Rursus tam in proprio agro, quam in alieno aliquando diligentia, & industria debita, aliquando vero iniqua, & illicita, vt arte magica.

His annotatis dico primũ, res inuentæ primi generis, vt gemmæ & lapilli, qui inueniuntur in littore maris producti a natura stando in iure naturæ, & iure cõmuni sunt inuentoris, ita habetur institut. de rerum diuisione §. item lapilli, & ff. de rerum diuisione. l. item lapilli, & ratio est: quia quæ nunquam fuerunt in bonis alicuius sunt primo occupantis iure naturæ, vt habetur institut. de rerum diuisione. § fere. ita docent S. Tho. & Caie. 2. 2. q. 66. art. 5. ad 2. D. Anton. 2 p. tit. 1. c. 5. §. 2. Sotus lib. 5. de iust. q. 3. art. 3. ad 2. Naua. in Manu. c. 17. nu. 170 Couar. in reg. pec. p. 3. §. 1. nu. 1.

D. Thomas Caietanus. D. Antoni. Sotus Nauar. Couar.

Dico secundo, Thesaurus improprie dictus, & secundi generis non est inuentoris, sed totus est domini, qui deposuit illum vel hæredis: patet quia quæ in nullius bonis sunt, vtique sunt inuentoris, ergo quæ in bonis alicuius sunt, non sunt inuentoris, sed tenetur inuentor restituere vero domino, aut hæredibus; modo iste thesaurus secundi generis est in bonis alicuius: non enim habetur pro derelicto, nec periit omnino memoria illius, qui illum deposuit cum ex circunstantijs, vel aliqua via vt supponimus, intelligatur, qui illum deposuerit, aut quos successores habeat, ergo est restituendus vero domino, aut transit cum hæreditate ad hæredes eius, qui illum deposuit, aut abscondit. Et confirmatur ex l. nunquam. ff. de acquiren. rerum domin. §. thesaurus, vbi dicitur. Si quis pecuniam suam, vel bona deponat lucri causa, metus, vel custodiæ non est thesaurus eius, qui inuenit, sed eius qui deposuit, ita ut si accipiatur furtum fiat.

Dico tertio thesaurus proprie dictus inuentus arte magica non est inuentoris, sed totus est applicandus fisco stando in iure communi ciuili, ita habetur in l. vnica. C. de thesauris. li. 10. & l. nemo. C. de maleficis quamuis Naua. in Man. c. 27 nu. 176. & multi viri docti sentiant has leges cum sint pœnales in odium & detestationem Magiæ non obligare nisi adueniente iudicis condemnatione. Aduerte tamen quod si hic thesaurus quæsitus sit in fundo alieno arte magica solum per eam partem adiudicandum est per sententiam fisco quæ fuisset inuentoris: quia dominus loci per maleficium alterius non debet suo iure priuari.

Nauar.

Dico quarto, Thesaurus proprie dictus inuentus sine vlla arte magica, aut illicita, stando in iure naturæ, & communi ciuili, si inueniatur in loco, qui ad nullius particulare dominium pertineat, totus est inuentoris: quia cum talis thesaurus in nullius bonis sit, iure naturæ & communi, est primo occupantis, & inuenientis. Nec refert si sciri posset a quorum maioribus sit conditus: quia quod tanto temporis spatio desijt possideri, desijt etiam esse in dominio cuiusquam. Nam thesaurus, vt habetur. ff. de acquiren. rerum domin. l. nunquam, est vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum habeat, & nomine pecuniæ intelligũtur quæuis opes mobiles, vt catenæ, gemmæ, vasa, nummi aurei, & argentei, quod si non sit vetus non censebitur thesaurus.

Definitio Thesauri.

Dico quinto, Thesaurus inuentus in proprio fundo totus est inuentoris. Inst. supra vbi dicitur. Thesauros, quos quis in agro suo inuenerit. D. Adrianus naturalem æquitatem secutus ei concessit, qui eos inuenerit, & l. vnica. C. de thesauris, idem habetur addita ratione, ne Dei beneficium inuidiosa calumnia prosequatur.

Dico sexto Thesaurus inuentus in fundo alieno (etiam si is fundus principis fuerit) si fortuito sit repertus dimidium est inuentoris, & dimidium domini fundi, si autem de industria, quæsitus sine consensu domini totus erit domini. Prior pars aperte habetur vtroque loco citato, estque seruanda in foro conscientiæ ante omnis iudicis sententiam: quia hæc definitio iuris non est pœnalis; sed definitiua proprietatis rerum, vt recte docet Nauar. cap. 17. num. 175. & Caiet. 2. 2. q. 66. art. 5. & alij. Secunda pars vt totus sit domini si de industria quæsiuisti; non videtur obligare in conscientia ante sententiam iudicis, sed sufficit dare dimidiam partem domino fundi, parte altera dimidia retenta. Ratio est quia ista dispositio est pœnalis ad puniendam iniuriam, quam inuentor domino loci intulisse videtur, quærendo absque eius consensu in eius fundo. Cæterum si dominus consensit vt quæreret, sciens quid ille quæreret, standum est pacto, si quod initum est, si autem nullum sit pactum, totus thesaurus erit inuentoris. quia tunc videtur partem suam condonasse, nisi forte inuentor certo sciuerit ibi latere thesaurum, & simulauerit se nihil scire, tunc enim dominus ita deceptus nõ censetur condonasse. Ita Syluest. verb. inuentum q. 3. & Nauar. in Man. c. 17. nu 172. & alij.

Nauar. Caiet.

Syluest. Nauar.

Obser. est hic vocari dominum fundi habentem propriũ, & verum dominium illius, nam si habeat conductum, vel locatum non est dominus. Vocatur enim verus dominus secundum iuristas, qui habet proprietatem, & dominium rei, etiam si alius habeat vsum, vel administrationem illius, vnde dominus directus in hac materia nõ est dominus nec debetur ei pars thesauri solo titulo dominij directi, nec qui habet solum vsumfructum, quia iste quoque vsufructuarius non est dominus.

Obseruandum est etiam ex Turrecremata & Soto, nomine loci alieni intelligendum esse locum sacrum, vel religiosum, qui est proprius alicuius ecclesiæ, religionis, vel prælati, quia de inueniente thesaurum in tali loco idem est dicendum, quod de inueniente in loco alieno, qui esset alicuius particularis laici. Ex his sequitur primo, quod quando fundus habet duos dominos nimirum directum & vtilem dimidium thesauri erit inuentoris, & alterum dimidium inter illos ex æquo est diuidendum tanquam inter dominos loci.

Turrecremata. Sotus.

Secundo sequitur si dominus vtilis (vt feudatarius, vel Emphyteuta) inueniat thesaurum reddet domino directo tantummodo quartam partem, & sibi reseruabit alterã quartam partem, quatenus est loci dominus, dimidium vero quatenus est inuentor, quod est contra Nauar. & quosdam alios, & ratio est: quia idem est inuentor, & sic debetur illi dimidium, & est etiam dominus loci ex parte, vnde ei debetur altera quarta, conducturis autem, & vsuarij nulla habetur ratio: quia nullo modo sunt domini, idem dicendum de pignoratore vide Molinam de iust. disp. 56. Idem etiam dicẽdum puto de nudo vsufructuario cum non censeatur dominus loci, quicquid dicat Nauar. vbi supra nu. 174. Sed quod dixi colligitur ex l. fructus. 7. ff. soluto matrimonio, vbi dicitur, thesaurum inuentum in fundo dotali in quo vir habet vsumfructum non deberi viro, sed vxori: cuius est fundus: quia thesaurus non est fructus fundi.

Nauar.

Tertio sequitur, quod si thesaurus inueniatur in loco sacro, vel religioso casu fortuito totus est inuentoris, vt patet. §.

tet. §. thesauros. Inst. de rerum diuisione. Idem habet Glos. ad cap. si quid inuenisti. 14. q. 5. & summa Rosella verb. furtum. num. 21. licet contrarium censuerit Couar, & alij, qui docent dimidium deberi ecclesiæ vel prælato: quia ecclesia, vel prælatus habentur pro domino loci Sacri. Verius tamen puto quod dixi. Quia Iustinianus & si optime nouerat conditionem locorum sacrorum apud christianos, tamen in suis institutionibus confirmauit legem Adriani, cuius hæc est dispositio. Vnde cum ius canonicum ei non derogauerit, videtur seruanda. Intelligo autem hæc de locis sacris, & religiosis omnino publicis, quæ in iure dicuntur esse nullius; secus de monasterijs, & similibus, quæ specialis dominij iure possidentur. In quibus si data opera inuentus sit dimidium cedet ecclesiæ: quia ecclesia censetur dominus talis loci; quod patet, quia si quis inueniat thesaurum in loco principis vel Regis tenetur illi medietatem tribuere, vt vero domino; sicut habetur in inst. de rerum diuis. §. citato. Qui thesaurum inuenerit in loco Cæsaris, dimidium det Cæsari, qui in loco fiscali dimidium det fisco. Idem habetur in lege non intelligitur. ff. de iure fisci. §. si in locis.

Nauar. Sotus. D. Thomas.

Dico septimo. Qui scit alicubi thesaurum latere, & emit locum antequam eruat, efficitur dominus totius thesauri ita Nauar. num. 175. Sotus lib. 5. de iust. q. 3. artic. 3. ad 2. & indicat D. Thom. 2. 2. q. 66. artic. 5. Idem insinuatur in parabola domini Matth. 13. ratio est: quia eruit illum ex loco proprio, nec tenebatur domino priori indicare, sed poterit vti sua scientia emendo agrum illum secundum communem æstimationem, ad quam æstimationem nihil facit thesaurus absconditus, cuius nulla habetur suspicio. Nota quod Salon. 2. 2. q. 66. artic. 5. de thesauris absconditis concl. 5. oppositum huius conclusionis tribuit Soto, sed non bene, vt legenti & intelligenti patere potest.

Salon.

Dico octauo. Mineralia & venæ auri, & argenti & cuiusque metalli stando in iure naturæ sunt domini fundi, & in bonis ipsius: Quia ista non sunt velut thesauri absconditi supra hominum memoriam; sed velut fructus, & partus terræ; fructus autem terræ sunt domini terræ, & bonis ipsius sunt, sicut & ipsa terra cuius est dominus. Ex quo sequitur primo, stando in iure naturæ, nō posse aliquem emere agrum alterius in quo sit aliquod minerale, quin manifestet illud domino vendenti; quia cum sit fructus terræ, est res ipsius venditoris, & in quam habet ius dominij, sicut & in agrum, quamuis eum lateat. Sequitur secundo inuenientem in proprio fundo tale minerale in iure naturæ posse illud reseruare, vt rem suam, in agro autem alieno, siue casu id inueniat, siue adhibita industria totum esse domini agri: quia est in bonis ipsius domini, & res eius, sicut diximus de thesauro improprie dicto, qui est in bonis alterius. Dixi semper in superioribus conclusionibus stando in iure naturæ, & communi; quia potest Rex vel Respub. constituere legem sanctam, & iustam, qua statuatur vt thesaurus quoque inuentus in proprio & peculiari agro, vel domo alicuius priuati Ciuis sit totus Regis seruata aliqua parte inuentori, vel domino loci, in quo inuenietur. Vt docent Couar. in reg. pec. p. 2. §. 9. vbi adducit pro se D. Ant. p. 2. titul. 3. c. 1. & Palud. in 4. d. 15. q. 3. art. 5. Idem tenet Alphon. de Castro de lege pœnali. lib. 2. c. 2. corrol. 3. & fere omnes recentiores. Potest etiam Rex, vel Respub. condere leges, vt mineralia omnia cuiuscunque generis metalli vbicunque inueniantur sint Regis deductis expensis, & aliqua parte data inuentori, & domino agri.

Couar. D. Anton. Paludanus. Alphonsus.

Dico nono. Rem inuentam, si post diligentem inquisitionem dominus inuentus non fuerit, pauperibus vel alijs pijs operibus esse erogandam; ita docet D. Thom. 2. 2. q. 62. art. 3. ad. 3. & Scotus hic ad secundum vbi ita scribit. dico, quod res inuenta debet tradi alicui personæ publicæ custodienda, & in locis publicis proclamari, vt sic dominus qui amisit possit ad eam pertingere; sed si post talem clamationem nullus appareat dominus faciendum est sicut de restitutione vaga: Idem omnino docet Gab. in 4. d. 15. q. 3. art. 2. dub. 7. nisi quod addit hoc dictum Scoti de tradenda re personæ publicæ custodienda ante proclamationem, esse consilij tantum, & securum, non autem præcepti: sic enim liberatur, si rem postea per iniuriam perderet. ita etiam docent Ricar. in 4. d. 15. artic. 5. q. 7. Palud. eadem. d. q. 2. art. 2. concl. 5. D. Anton. p. 2. titul. 1. c. 15. §. 2. Angel. verb. inuentum. q. vltima & verb. furtum. §. 30. Syluest. verb. inuentum. q. 2. Caiet. verb. furtum in fine. Couar. in reg. pecca. p. 3. §. 1. numer. 2. Nauar. in Manu. c. 17. numer. 170. & 171. & Greg. de Valen. tom. 3. disp. 5. q. 10. puncto. 3. oppositum tamen docent cum Soto lib. 5. de iust. q. 3. artic. 3. ad 2. Salon. 2. 2. q. 66. artic. 5. controuer. 1. Petrus de Arragona. 2. 2. q. 62. artic. 5. & q. 66. artic. 5. & ibi Bannes. Cæterum priorem sententiam in praxi, iudico esse sequendam. Primo quia est fere communis. Secundo quia magis fauet pietati. Tertio quia possim apud pios est, consuetudo, vt pijs operibus hæc impendantur, quæ consuetudo videri potest habere vim legis: orta enim est ex praxi communis sententiæ, quæ vsque ad Sotum viguit, vnde magnum scrupulum plerique si hæc sibi retinuerint concipiunt. Quarto quia est magis consentanea iuri communi. Nam Authen. omnes peregrini. C. communia de success. statuitur. Si peregrinus intestatus decesserit, ad hospitem nihil perueniet; sed bona ipsius per manus Episcopi loci, si fieri potest, hæredibus tradantur, vel in causas pias erogentur, &c. quæ constitutio magis pia est, quam quæ huiusmodi fisco applicet. Quinto quia hæc videtur esse domini voluntas, vt sic ei res sua aliquo modo prosit, & quisque de rebus suis perditis ita fieri cuperet.

D. Thomas. Scotus. Gabriel. Ricar. Palud. D. Anton. Angelus. Syluester. Caiet. Couar. Nauar. Valent. Sotus. Salon. Arragona. Bannes.

De tempore quando facienda est restitutio.

DE quinto scilicet quando dico, quod non licet aliquo tempore detinere alienum inuito domino, id est nolente, & secundum rectam rationem nolle debente; & per consequens regulariter restitutio est statim facienda, sicut statim cessandum est ab actu cuiuscunque peccati mortalis, non tantum exteriori, sed interiori.

In hoc art. cum in præcedentibus egerit Scotus de alijs circunstantijs restitutionis, agit de tempore, quo debet fieri. de qua retractant D. Thom. 2. 2. q. 62. artic. 8. & Scholastici omnes in 4. d. 15. Caiet. 2. 2. q. 62. art. 9. & q. 96. artic. 3. ad 6. & in summa verb. rest. c. 5. Sotus lib. 4. de iust q. 6. artic. 1. & q. 7. artic. 4 & lib. 5. q. 3. articul. 1. ad 2. & in 4. d. 17. q. 6. Syluest. Rest. 5. per totum. Adria. in 4. q. de rest. Medina. C. de rest. q. 2. §. quo ad 4. Nauar. in Manu. c. 17. a num. 54. vsque 68. Scotus autem duo dicit in hoc artic. primum, quod nunquam licet detinere alienum inuito domino. Secundum quod actu interiori debet quis immediate alienum restituere, quia semper, & pro semper obligatur ad illud; actu vero exteriori non semper tenetur immediate restituere, sed in casu potest restitutionem differre. Pro cuius sententiæ ampliori explicatione sequentes difficultates sunt examinandæ.

Primus Art. Vtrum statim restituendum sit.
Secundus Art. Vtrum ignorantia, aut dubium excuset ad statim restituendum.
Tertius Art. Vtrum si restitutio putetur creditori, vel alteri nocitura possit differri.
Quartus Art. Vtrum teneatur quis restituere cum detrimento propriæ famæ.
Quintus Art. Vtrum inopia, vel impotentia excuset debitorem a restitutione.
Sextus Art. Vtrum remissio creditoris a restitutione excuset.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum statim restituendum sit.

RAtio dubitandi est. quia restitutionis præceptum iuxta plurimorum Doctorum sententiam affirmatiuum est: præcepta autem affirmatiua non semper, aut ad statim obligant. Et confirmatur. quia S. Thomas 2. 2. q. 62. artic. 8. comparat præceptum restitutionis cum præcepto pœnitentiæ, & contritionis; adæquat enim hæc duo detinere alienū, & manere in peccato; exinde inferens statim esse restituendum: quia non est licitum nec per breue tempus manere in peccato; sed nemo tenetur statim conteri de peccato, ergo nec statim restituere.

D. Thomas.

Præterea detinens aliquid iniuste non tenetur ad restituendum, ergo nec statim, consequentia patet, & antecedēs probatur: quia alias multi, q̄ habēt beneficia tenerentur illa restituere: q̄a multi impediūt aliū a cōsecutione bñficij, q̄d

Z erat

erat habitnrus in breuiss. mosnis impediretur; & talis impediens iniuste obtinuit.

In oppositum est communis sententia omnium Doctorum nimirum teneri vnumquemquam statim restituere, quam primum commode potest, aut dilationem ab eo petere, cui restitutio facienda est. Ratio est quia præceptum restitutionis, vel est negatiuum (vt ostendimus supra) vel saltem secundum omnes habet negatiuum sibi annexum, scilicet non retinendi alienum, ratione cuius reducitur ad illud Decalogi præceptum. Non furaberis, præcepta autem negatiua semper, & ad semper obligant, ergo nec momento temporis rem alienam inuito domino detinere licebit; Nā sicut aliquid inuito domino accipere peccatum est contra iustitiam, ita etiam aliquid inuito domino retinere. Cum igitur in peccato manere non liceat, statimque cessandum est ab actu cuiuscunque peccati mortalis, ita nec momento tēporis rem alienam inuito domino retinere licet, sed statim ac commodem potest, restituenda erit. Quo circa Leuit. 16. præcipitur solutio mercedis debitæ seruo, cum dicitur. Nō morabitur apud te opus mercennarij vsque mane, ac si aperte diceret, mercedem debitam seruo statim reddes, & si quid alienum retines statim domino restitues. Vnde solet dici, quod debetur sine termini præfixione, statim debetur. ff. de re iudic. & in. l. eum qui. §. quoties. de verb. obligat.

Quod vero statim dicitur restituendum esse, vt scite hic notat Scotus aliter de actu mētis interno aliter vero de exteriori actu intelligendum est. Quantum enim ad actū internum, seu præparationem animi, & voluntatem restituēdi, intelligitur mathematice idest quam primum in mente cuique venerit in debito esse rei alienæ, tenetur statim animū restituēdi habere data opportunitate ad hoc, vt excat, arg. reg. pecc. reg. 4. de reg. iur. in. 6. cum sine tali animo pœnitētia esse nequeat, imo etiam idipsum necessarium est ad cessandum a peccato. Quo ad actum vero exteriorem, & executionem restitutionis, illud statim, non mathematice idest quasi in instanti; sed moraliter intelligendum est; potest namque expectare opportunitatem restituendi absque dolo, & fraude; Non enim tenetur quis surgere media nocte vt restituat debitum, quod tunc recolit, vel discedere a cœna, aut inter missarum solemnia exire, sed satis est tempore opportuno restituere. Qui autē statim restituere possunt data opportunitate, & non restituunt incipiunt esse in mora, ac subinde in culpa; quia enim redditio exterior est quidam actus positiuus egens mora temporis ad suam executionem, ideo est necessarium quod præceptum restituendi, quantum ad hoc nō obliget pro tempore indiuisibili, sed pro illo, quod moraliter sufficit ad reddendum alienum.

Quo circa vniuersalis regula est ad hoc vt debitor restitutioni a peccato, quod commisit, alienum inique occupando, liberetur; opus est vt peccati admissi dolorem habeat & statuat propter amorem Dei se non amplius peccaturum; at vero vt nouum peccatum, nunc cum recordatur, euitet, satis est si non habeat animum, & voluntatis affectum retinendi, vel non restituendi alienum; sicut vt nouum peccatū furandi, vel occidendi euitet, non exigitur vt affectum habeat non furandi, vel non occidendi; sed satis est, vt voluntatem furandi, vel occidendi proximum non habeat. Vnde sequitur omissionem restitutionis quouis tempore iustitiæ repugnare; cum tam diu iniuria domino inferatur, quādiu res ipsius eo rationabiliter inuito detinetur. dixi rationabiliter inuito, quia vt dicemus art. 3. sicut non quæuis acceptio rei alienæ est furtum, vt cum pauper extreme indigēs aliquid accipit, sed quando fit domino rationabiliter inuito; ita neque quæcunque rei alienæ detentio peccatum est, sed quæ fit domino illius rationabiliter inuito. Quia igitur cum non adest opportunitas loci, & temporis ad restituendum dominus non est rationabiliter inuitus, ideo non existente opportunitate præceptum restitutionis non obligat, quando autem adest statim obligat, vt supra diximus.

Ad argumenta in oppositum; Dico præceptum restitutionis esse negatiuum, vt ostendimus supra de rest. art. 2. vel saltem intrinsece, & fundamentaliter negationem continet, propter quod se habet, & obligat ad modum negatiui statim, & ad semper habita opportunitate, cum pro semper & statim teneamur damnum, & iniuriam proximo non inferre.

Ad confirmationem dico præceptum pœnitentiæ & contritionis cum sit affirmatiuum non obligat statim sed pro tempore necessitatis, aut statuto ab ecclesia, præceptum autem restitutionis cum sit negatiuum, obligat vt negatiuum statim, & pro semper. Neque S. Thomas comparat pœnitentiam, & restitutionem, quo ad obligationem præcepti, vt similiter obligent, & simili tempore; sed solum quo ad exitum a peccato: sicut enim non est licitum vel per modicum tempus manere in peccato; sed statim a peccato cessandum est; ita nec per minimum temporis spatium licitum est detinere alienum cum commode restituere possit. atque ita restitutio regulariter (vt dicit Scotus) est statim facienda, sicut statim cessandum est ab actu cuiuscunque peccati mortalis, non tantum exteriori, sed interiori; hoc est non tantum debet quis cessare ab actu peccati mortalis actu, exteriori; sed etiam actu interiori.

Ad secundum. Hoc argumentum petit solutionem illius difficultatis, an qui alteri est causa damni siue impediendo ab aliquo bono, siue aliqua alia ratione, teneatur ad restitutionem, circa quam omissis opinionibus, obseruandum est. dupliciter posse aliquem petere beneficium, officium vel aliud commodum. Primo si habeat ius in re, vel ad rem, (de quibus supra dictum est. q. 1. huius d.) ita vt res ei ex iustitia sit debita scilicet per iustam promissionem, stipulationem, venditionem, præsentationem, oppositionem, expectatiuam, regressum, accessum, coadiutoriam, primogenituram &c. aut alium titulum per quem datur actio ad rem petendam. Qui talem impediret etiam solum suadendo sine vi, & fraude, ne res ad quam ius habet ei detur, teneretur ad restitutionem, non quidem quanti illa res valebat, sed quanti illud ius, illaque spes iudicio boni viri consideratis omnibus circunstantijs æstimaretur.

Secundo si nullum habeat ius in re, vel ad rem propinquum quod ei tribuat actionem in iudicio: sed solum remotum: quia dignus est vel benemeritus; & de hoc est tota difficultas. Vnde breuiter dico primo, qui vi aut fraude impedit aliquem a consequendo aliquo beneficio, vel officio, quo dignus erat, vel ne instituatur hæres, vel ne fiat ei donatio, legatum &c. tenetur ad restitutionem, quanti iudicio prudentis ea spes sibi valebat; quia fraus & vis, vel exercentur circa eum, qui beneficium sperat; vt si quis illum vi detineat, vel minetur ei ne solicitet, vel litteras intercipiat, vel fraude auertat a re prosequenda. sic enim manifeste fit ei iniuria, ex qua sequitur damnum: nam contra voluntatem suam modo iniusto impeditur a prosecutione, ad quam ius habet. licet enim non habeat ius ad illud bonum, quod prosequitur; habet tamen ius ad illud prosequendum, rogando, solicitando; ergo damnum, quod inde sequitur, censetur per iniuriam datum. Vel exercet circa ipsum collatorem, vt minando ne conferat tali, aut persuadendo ipsum esse indignum, ignarum &c. idque falso; & sic etiam fit iniuria petenti: quia violatur ius ipsius quod habet ad illud bonum; quod ius non est quidem absolutum, sed conditionatum: quia in libera voluntate collatoris positum: si enim velit res tibi debetur, si nolit non debetur. Vnde si quis voluntatem eius, qui proposuit vel deliberat tibi dare per vim aut fraudem directe impediat, aliomue inflectat, veram tibi iniuriam facit: nam ius tuum in libertate collatoris constitutum violat.

Dico secundo. Si is, qui petit nullo modo est dignus, seu idoneus officio vel beneficio, non teneris ei restituere pro illo incommodo, etiam si vi, aut fraude impediuisti: quia tunc nullum ius habebat in libera collatoris voluntate positum: non enim poterat ei conferre; teneris tamen ad famæ restitutionem; nisi ratione mali impediendi potueris eius crimen detegere; si vero erat dignus & idoneus, tamen nulla spes erat in ipsum fore conferendum, tunc & si vi, aut fraude nisus fueris impedire, non teneris ad restitutionem: quia tuus conatus est inefficax, nam ex illo re vera nullum damnum obueniet: æque enim illi collatum non fuisset. Quod si dignus erat, & spem habebat, sed eam impediuisti, vt conferretur digniori, vel aptiori; non teneris ad restitutionem: quia officia, & beneficia secundum rectam rationem, & Reipub. & ecclesiæ intentionem debent conferri dignioribus, & contra rationem est conferre ea digno relicto digniore, quando collatio est libera. Secus autem si procurasti, vt æque digno conferretur, tunc enim teneris illi, quem iniuste impediuisti: nam respectu alterius æque digni ius habebat, vt collatori sua libertas relinqueretur.

Dico

Dico tertio. Si inique impediuisti dignum, vt daretur indigno, teneris non solum digno, sed etiam ecclesiæ, vel Reipub. quæ inde damnum patitur, idque iuxta damni æstimationem iudicio prudentum faciendam: patet quia es causa vtriusque damni; pari ratione teneris ecclesiæ, si dignior quærebatur, & tu vi aut fraude impediuisti, ne id fieret, vt conferretur ei, qui erat minus dignus: quia ecclesia vis habet quærendi optimos ministros, quod ius tu inique impediuisti.

Dico quartò. Qui sine vi aut fraude precibus, blanditijs, muneribus impedit dignum vel digniorem ab officio, beneficio, & similibus non tenetur illis ad vllam restitutionem, etiã si illud malo animo & ex odio faciat. Est contra Caiet. 2.2.q.62.art.2. Couat. in Reg. pecca. p.2.§.7.nu.8. Maiorem in 4.d.15.q.16. qui docent eum qui quouis modo impedit dignum vel digniorem teneri si id faciat ex odio; secus si vt sibi, vel alteri consulat. & quidã etiam dicunt esse contra Scotum in hac quæst. in respon. ad ult. sed nõ rectè: Nam Scotus dicit quod si quis directè, aut indirectè abstulit alicui beneficium cum intentione damnificandi tenetur ad restitutionem, quia fraude intendit sibi damnum inferre; sed si tantummodo propriæ vtilitati intendebat prouidere & sic procurat sibi, & ex consequenti alium præter intentionẽ illius damnificatur; iste ad nihil tenetur illi: quia licet vnicuique sibi ipsi prouidere alio neglecto. quod confirmat per illud. ff. de aqua, & aquæ pluuiæ arcẽde. l.2.§ Idem Labeo, vbi dicitur. Qui auertit torrentem, ne sibi noceat, vnde factum sit, vt vicino noceatur, cum eo aquæ pluuiæ arcendæ agi non posse a vicino, si modo non hoc animo facit, vt vicino noceat, sed ne sibi noceat; dat Scotus aliud exemplum. Si præcido venas in fundo meo per quas deriuabatur aqua ad puteum alterius intentione nocendi sibi, teneor ad restitutionem damni; sed si hoc facio sine fraude, intendens consulere vtilitati propriæ, vt quia mihi est vtile facere murum, qui non potest conuenienter fundari sine præcisione illarum venarum, non damnifico alium: quia ius habeo faciendi vtilitatem meam in fundo meo. & ff. de reg. iur. Nemo damnum facit: nisi qui illud facit, quod facere ius non habet, iste autẽ habet ius procurandi sibi beneficium, seruatis circunstantijs iustis, & honestis; vnde patet quod Scotus non dicit quod teneatur restituere si malo animo faciat, sed si habeat animũ iniuste damnificandi. Nam dicit si hoc facio sine fraude &c. & iterum habet ius procurandi sibi beneficium seruatis circunstantijs iustis, & honestis.

Ad arg. ergo potest sic responderi impedire alium a consecutione beneficij potest dupliciter intelligi aut directè, aut indirectè, impediens alium primo modo tenetur ad restitutionem, non quidem beneficij quod nunquam habuit, sed quanti iudicio prudentis ea spes ipsi valebat. Secundo modo damnificans alium non tenetur ad restitutionem: quia non habuit intentionem ipsum iniuste damnificandi. negatur ergo antecedens.

ARTICVLVS II.

Vtrum ignorantia aut dubium excuset ad statim restituendum.

QVamuis regulariter restitutio statim facienda sit (vt docet hic Scotus, & ex dictis in superiori art. constat) sicut statim ab actu cuiuscunque peccati mortalis cessandum est non tantum exteriori, sed interiori: quia tamen restitutionis præceptum non ita obligat, quin certæ circunstantiæ requirantur, quæ per incidentes causas mutari possunt, ideo (posita tamen semper interiori voluntate restituendi) fieri quandoque potest, vt aliquibus de causis, vel omnino, vel ad tempus actus restitutionis non sit ex præcepto necessarius, pro vt causæ ipsæ vel ad tempus, vel perpetuo durauerint, vt scite hic docet Scotus sub lit. E.e.§. sed in casibus, & post ipsum Gab. in 4.d.15.q.2.art.2.concl.2. quæ causæ a nobis breuiter quantum rei dignitas, & necessitas patitur, explicandæ sunt. non tamen omnes sed quæ faciunt pro intelligenda sententia Doct. Sub. *[margin: ...tus s. Gabriel.]*

Prima causa excusans est ignorantia probabilis, seu inuincibilis, (vt Theologi loquuntur) facti, aut iuris, quod res sit aliena. Est autem in proposito ignorantia probabilis facti; si quis rem alienam bona fide acquisiuisset hæreditate; sicut esset ignorantia probabilis iuris, quando ius esset obscurum, & controuersum circa aliquem contractum, aut quando viri scientia, & conscientia præditi consulunt ei, quod ad restitutionem non tenetur. Secus autem de consulente eos, quos credit sibi placita responsuros, & nisi hoc crederet eos non consuleret, talis enim non excusatur a peccato. Ignorantia igitur inuincibilis seu probabilis tam iuris scilicet obscuri, quam facti, quamdiu manet, & a restituendo & a tempore restituendi excusat. Secus autem quando esset ignorantia crassa, vel facti, qualis esset illa, qua quis emeret a milite missale, vel calicem, aut a vili famulo, & rustico vas argenteum, aut ab aliquo iuuene pannoso sericum, aut alterius generis pannum, quæ crederet, aut credere debuit, aut dubitare per furtum, & rapinam ab his vendentibus fuisse sublata; vel ignorantia iuris clari, qualis est illa, qua quis ignorat rem furto ablatam non iustum esse emere, vt quis sibi eam retineat.

Hinc Ludouicus Lopez. p.1. instruct. consciẽ. c.132. & Emanuel Rodoriquez. p.2. summæ. c.47. concl.9. inferunt, quod licet hæredi constet per vnum testem omni exceptione maiorem, testatorem alicui certæ personæ legatum reliquisse, non tamen propter ea tenebitur hæres ille in consciẽtia legatum illud legatario illi restituere. Quamuis enim si res legata parui esset momenti, & legatarius adduceret in testem voluntatis testatoris testimonium adeo fide dignũ, quod pro valore tam modici legati, nec ipse nec legatarius petens censeretur se velle deierando mentiri, teneretur in hoc casu legatum tam modicum soluere. Et licet deponere quis possit scrupulum conscientiæ ad dictum vnius testis fide digni, vt potest mulier secundo nubere ad certum testimonium vnius testis asserentis & testificantis mortem sui mariti se præsentem exhibuisse; non tamen tenetur, nec necessitatur ad vni duntaxat fidem præstandam testi, quando inde sequitur detrimentum notabile suum, aut tertij. Vnde quando legatum est magni momenti, dum aliter non sibi certo constet, legatario petenti sibi debitum esse propter testimonium vnius testis etiam omni exceptione maioris dicentis, & testificantis de voluntate testatoris, non tenetur hæres tale legatum sibi adimere, illique reddere, adeo verum est quod dicitur. vnus vir, nullus vir. *[margin: Lopez. Rodoriquez.]*

Eadem ratione causa sufficiens non restituendi est dubium æquale pro parte æquali, quod possidens habet, quod res sit sua, vel alterius post adhibitam diligentiam ad id indagandum. In dubio enim melior est conditio possidentis. arg. Reg. 65. Reg. in pari. de reg. iur. in 6. vnde licite potest quis rem retinere, quamdiu dubitat solum speculatiue de re ipsa quam possidet, sit ne propria, vel aliena, vt constat ex his quæ diximus supra de præscriptione. & ita expresse docent, & de ignorantia, & de dubio Adrian. in 4.q.28. & 19. Caiet. in summa verb. rest. c.6. Nauar. in Manu. c.17. nu.85. in fine. Toler. lib.5. cap.20. Ludouicus Lopez. p.1. inst. consciẽn. c.131. & 132. concl.2. Greg. de Valen. tom.3. disp.5. q.6. puncto.7. Rodoriquez. p.2. summæ. c.47. concl.7.8. & 9. & Ludouicus Carbo tract. de rest. q.85. dub.5. & alij. *[margin: Adrianus. Caiet. Nauar. Toletus. Lopez. Valent. Rodoriquez. Carbo.]*

ARTICVLVS III.

Vtrum si restitutio putetur creditori vel alteri nocitura possit differri.

PRo huius difficultatis, & sequentium explicatione oportet hic prius proponere ob oculos regulam notabilem, quam statuit hic Scotus. sub lit. E e.§. alij autem ca us. Quæ est talis. Nunquam aliquis tenetur ad restitutionem alicui certæ personæ faciendam, quando multo maius damnum patietur pro illius restitutione, quam valere possit res ipsa illi, cui est restituenda. Quia eo euentu ipse dominus rei debet velle, ne res sua, quæ modica est, cum maximo damno alterius sibi restituatur. Debet enim quilibet magis velle (inquit Scotus) quod vitetur magnum incommodũ proximi restituentis, quam modicum incommodum suum; & hinc deducit ille, quod quando dominus rei est absens, & qui debet rem restituere multo maiores expensas facturus est, si illam mittat ad ipsum dominum, quam res ipsa possit illi cui mittitur valere, non tenetur illi mittere; sed satisfacit si illam dederit pauperibus ad vtilitatem spiritualem illius, cui mittenda erat: quia (vt ille inquit) *[margin: Regula notabilis.]*

cum corporaliter non potest redditur spiritualiter dando illam pauperibus pro vero illius domino.

Ex eadem ratione colligit, posse restitutionem differri, quando ipsa restitutio vergeret in infamiam restituentis; Tunc enim optime salua conscientia potest expectare temporis opportunitatem, vt sine suæ famæ detrimento possit rem alienam suo domino reddere: hac tamen conditione dicit restitutionem posse differri, vt semper in voto habeat restituere, cum primum sua fama seruata, id facere poterit; etsi non speret sine suæ famæ læsione id facere posse, erit prorsus liber ab obligatione restitutionis, quia vt Salomon dicit Prouer. 22. Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ, atque adeo creditor ipse cui res ipsa restitui deberet ex lege charitatis obligatur magis velle se re illa carere, quam illam cum tanto damno restitui. Debet enim velle quilibet restitutionem sibi non fieri tunc, quando est in præiudicium communitatis, vel ipsius recipientis restitutionem: quia debet minus velle bonum suum, quam bonum commune, & ita dilationem aliqualem illius restitutionis boni vtilis, vt seruetur maius bonum; littera Scoti est corrupta: sic enim communiter legitur, quia debet velle bonum suum bonum commune, & ita dilationem aliqualem &c. quæ littera nullum habet sensum; posset ergo & hoc modo corrigi. Debet enim velle secundum rectam rationem velle bonum commune; sibi etiam debet velle bonum proprium; nollet autem nec bonum commune, nec etiam bonum proprium nisi aliquibus casibus vellet sibi restitutionem fiendam differri; vt igitur seruetur maius bonum, vt bonum commune, debet velle pro aliquo tempore differre restitutionem rei propriæ sibi. Ita legitur in quodam exemplari manuscripto.

Hoc supposito respondeo ad difficultatem, si restitutio putetur creditori, vel alteri nocitura, posse differri, & interdum debere, vel lege charitatis, vel etiam iustitiæ. Prior pars patet, quia qui differt solutionem, vt creditorem a malo in quod alioquin incurret, auocet, vtiliter, & salubriter negotium eius gerit; ergo ille non potest iure id ægre ferre. Altera quod interdum debeat differri patet, vt si dominus repetat rem suam, v.g. depositum, vel mutuum, vt insumat in libidines, vel vt emat beneficium, & dilata solutione spes sit, malum illud fore impediendum, tunc enim lege charitatis teneor differre; nisi inde aliquod notabile incommodum metuam, vt diximus supra; & ratio est: quia teneor impedire malum proximi spirituale, etiam cum aliquo ipsius incommodo temporali, vt patet in correptione fraterna dum adhibentur testes, & indenunciatione tendente ad emendationem, vbi læditur fama proximi, ergo si differendo restitutionem, possim tale malum impedire teneor ex charitate.

Et si dicas ille habet ius petendi rem suam, ergo nisi restituo facio ei iniuriam. Confirmatur quia nemo potest iniuriis impediri, ne se inebriet, ne scortetur, ne per aleam decoquat.

Dico quod habet quidem ius petendi, si illud per se spectes, sed quando vult re illa, ad quam ius habet in suum, vel alterius damnum abuti, ex charitate teneor obsistere si commode, possim, & quamuis illi spes eum impediendi non facio iniuriam: quia salubriter eius negotium gero: Nam debet velle quilibet restitutionem sibi non fieri tunc, quando est in præiudicium communitatis, vel ipsius recipientis restitutionem. Neque quouis modo agere contra ius alterius est iniuria; vt patet in eo, qui negat depositum furenti, sed sine iusta causa, vel debito modo agere: quamuis proprie & formaliter, quando iusta causa subest, non agatur quippiam contra ius alterius, cum ille ius non habeat, vt id non agatur; sed solum materialiter, quatenus res aliqua denegatur, vel tollitur, ad quam petenda illa praua intentione ius habet.

Ad confirmationem; Non potest ita impediri, vt vis ei a priuato inferatur; sed alijs modis bene potest. obserua tamē si ex dilatione solutionis est periculum maioris, vel paris incommodi non possumus illam differre: quia non est ius differendi nisi quatenus est spes mali impediendi. Item quando tergiuersatio parum proderet; vt si te vocaret in ius. Deinde si tibi inde aliquid incommodi notabilis metuas, non teneris, vt si idcirco vel illius amicitiam, vel aliqua emolumenta amitteres; non enim teneris proximi peccata cum notabili tuo incommodo impedire. Addo vt diximus supra, quod quando creditor vult abuti rebus fidei tantummodo in suum damnum, vt in aleam, compotationes, libidines, debitorem non obligari ad solutionem differendam: quia non est ipsius curare, quomodo ille res suas sit impensurus; itaque cum ex iustitia debeat, non est differendum.

Tertia pars, quod interdum tenearis ex iustitia differre restitutionem, patet; vt si furens ira in inimicum repostat depositum gladium; tunc enim reddere censetur esse propinqua cooperatio. Vide Nauar. in Manu. c. 17. num. 62. & 63. & l. si pignore. 54. §. 4. ff. de furtis. vbi dicitur. Qui ferramenta sciens commodauerit, ad effringendum ostium, vel armarium, vel scalam sciens accomodauerit ad ascendendum licet nullum eius concilium principaliter interuenerit ad furtum faciendum, furti tamē actione tenetur. quod intellige nisi ex recusatione graue malum tibi impenderet; tunc enim illa reddere, vel commodare non censetur cooperatio: quia est actio per se indifferens. *Nauar.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum teneatur quis restituere cum detrimento propriæ famæ.

De hac re disputat Adrianus q. 1. de rest. & in q. an auferens alteri famam, qui ponit exemplum de adultera habente filium spurium, qui legitimus esse censetur, vnde solutio huius difficultatis pendet ex his quæ diximus supra. art. 5. atque adeo nunc breuiter respondeo, quod communis opinio est non esse restitutionem faciendam statim cum propriæ famæ detrimento, sed expectandum esse tempus, quando tale detrimentum non timeatur, ita docet hic Scotus quem omnes sequuntur, & ratio est: quia irrationabiliter inuitus esset dominus, si magis vellet proximum infamari quam pati modicum modum incommodum in rebus suis ex dilatione restitutionis faciendæ; cum fama ex genere suo bonum sit altioris ordinis, quam sint bona externa. Vnde communiter docent Doctores, qui furatus est rem alterius, posse restitutionem differre, eo si timeat statim restituendo latrocinij notam contrahere. Nam vt dicit Scotus sub litt. F f. §. vnus specialis est; Quando ablatio fuit occulta, tunc non tenetur ablator se prodere, nec per consequens per seipsum restituere, sed per aliam personam secretam, & fidelem; & expedit quod per Confessorem: quia est sibi crimen detectum in confessione, & de eius fidelitate, quod restituat fideli sua commissum, satis debet credi. Potest ergo differri restitutio, quousque voluntas talis personæ, & opportunitas illi eueniat. Si autem restitutio non cederet et in infamiam, posset per seipsum restituere. *Adrianus*

Et si dicatur restituere est actus præcepti negatiui: quia non tenere alienum; ad obseruationem autem præcepti negatiui tenetur quilibet semper & pro semper. ergo &c. Respondet Doct. quod tenere alienum inuito id est inuito domino est semper prohibitum; & ideo semper, & pro semper oportet non tenere isto modo; sed quando aliquis habet voluntatem restituendi pro tempore opportuno, ex tunc tenet domino volente, & si non actu elicito, tamen actu debito, id est etsi actu non habeat velle tem. uia detineri, pro tunc tamen debet velle; quia dominus debet velle, quod qui suum habet teneat, quousque possit reddere opportune.

Quod si dicas dominus, hic est inuitus, quia non vult, quod per quantumcunque tempus teneatur suum. Respondet Scotus, quod domino male & in ordinate volente statim rehabere suum, & per consequens inordinate nolente proximum suum illud tenere: non est tenens inuiustus: quia etiam depositum, de cuius redditione est lex strictissima potest teneri licite domino inuito voluntate inordinata. Ex his sequitur quod quando restitutio esset damnosa Reipub. vel et cui fit, vel diffamatiua restituentis, vel omnis notabiliter damnosa non teneri ad statim restituendum, sed sufficit, quod statim ex affectu restituat id est habeat votum restituendi, & actu restituat cessantibus inconuenientibus hinc inde.

Sed dubium est an teneatur quis cū iactura, & amissione suæ libertatis bona externa restituere. Respondent Ricar. in 4. d. 15. *Ricardus.*

Angles. Lopez. Rodoriquez. Valentia. Toletus. Carbo. d.15.art.5.q.4.in fine. Ioseph Angles in floribus.4.sent.q.2. de rest.art.2.diffi.10. Lopez.p.2.instruct.conscien.c.116.con cl.4. Rodoriquez.p.2.c.45.concl.9. Greg. de Valent. tom.3. disp.5.q.6.puncto.7.causa.5. Toletus.lib.5.summæ.cap.27. & Lud. Carbo tract. de rest.q.85.dub.7 & q.87.ante finem; quod non, & ratio est, quia ius ciuile, aut diuinum quod suaue est neminem ad hoc obligat, imo iura ciuilia vetant hominem liberum dari in pignus debiti. Et quamuis alij communiter hanc rationem assignēt ex eo scilicet quod libertas sit maius bonum, quam res externæ. Mihi tamen magis placet illa, quam Lopez, & Rodoriquez afferunt; quia sicut vis conseruandi vitam, (eo quod talis inclinatio insita est a natura) obstat quominus putandum sit hominem obligari ad restituenda bona externa regulariter cum periculo, & iactura vitæ: ita quia appetitus libertatis a natura insitus est, eam apud omnes vim habet, vt nullus in conscientia cum illius iactura obligandus sit, vt se addicat, & subeat perpetuam seruitutem, qua hæc debita inferiora compenset. Nec obstat quod Exodi.22.statutum sit, vt qui furto sublatum reddere non posset venderetur: Quia licet lex illa Iudæos pro illo tempore obligaret, cum propter cōditiones illius populi data fuerit illis lex illa tanquā vtilis, vt notat Ricar. vbi supra, nos tamen non obligat cum lex moralis non fuerit. Durum quippe esset, vt persona nobilis, quæ nūquam seruiuit, ad seruitutem obligaretur donec restituerct; quamuis secus dicendum erit de eo, qui aliquando seruiuit. Sicut enim durum, & inhumanum esset eum, qui antea laborare solitus non esset, obligare ad laborandum manibus vt restituat; sin autem solitus erat laborare, tunc laborare quidem debet, & restituere si quid superest ex labore vltra victum cōgruum; ita si seruire prius solitus erat, ad tempus cogi potest ad seruiendum, non autem per totā vitā, vt sic restituere possit; prout Lopez.p.1.c.129 Angles. q.2.de rest.ar.2.diffi.13.& Lud. Carbo loco citato annotarūt.

Intelligendum est autem quod diximus de rest. ob bona externa; vt enim Ricar. vbi supra tradit, qui alium iniuste damnificauit in sua libertate, hoc est iniuste ipsum in seruitutem redigi procurauit, habita ratione personæ tenetur se seruum pro eo facere, si illum aliter libertati restituere non possit.

ARTICVLVS V.

Vtrum inopia, vel impotentia excuset debitorem a restitutione.

Pro solutione difficultatis obser. est, quod a restitutione statim facienda excusat primo magnum periculum salutis animæ tuæ vel tuorum. Secundo magnum detrimentū rerum non debitis, Tertio notabilis iactura decentiæ status. Primum docet. D. Ant.2.p.tit.2.cap.8.ex Scoto hic, & Henrico de Gand.quol.6.q.24.& idem tenet Nauar. in Manu.c.17.nu.57.vt si periculum sit ne vxor, vel filię præ inopia se prostituant, ne filij fiant latrones, ne ipse in desperationem præ impatientia incidas, vt recte D. Anton. magnæ enim sunt infirmitates animorum: quæ non quouis modo vinci possunt. Ratio est: quia quisque magis tenetur animæ suæ, & suorum consulere, quam debita soluere. Debet autem hoc periculum esse notabile, ita vt non suppetat alia cōmoda ratio eius auertendi, nisi differendo solutionem.

D. Anton. Henricus. Nauar.

Couar. Medina. Secundum, & tertium docent ijdem Auctores, & Couar. reg.pec.p.1.nu.2. Medina.q.2.dub.4.& alij, & ratio est: quia in his casibus creditor secundum rectam rationem tenetur consentire in dilationem: contra enim æquitatem, & charitatem faceret, si vellet sibi cum tanto alterius incommodo statim satisfieri, ergo non peccas contra iustitiam etiam si differas, patet consequentia: quia cum omnis iniustitia sit contra rectam rationem; vbi rectæ rationis dictamen non læditur non peccatur contra iustitiā, vt hic docet Scotus. & confirmatur: quia nemo tenetur restituere, quando dominus non potest iure esse inuitus circa detentionem, atque hic non potest iure esse inuitus, ergo &c.

Hinc infertur primo, eum qui debet 100. aureos si nō potest statim soluere, nisi domum, vel prædium aliquod vendat multo minoris, quam valeat, non teneri statim, sed posse differre. Idque verum est non solum quando debet ex cō tractu, sed etiam quando ex delicto, vt Nauar. supra ex D. Anto. docet. & in Caiet. in summa ver.5 q 6. & Sotus lib.4. de iust.q.7.art.4 cōtrarium sentiant. Ratio est quia etsi creditor, quando debitum est ex furto non teneatur ex iustitia dilationem concedere; tenetur tamen ex æquitate, & charitate: æquum enim est vt creditor permittat differri restitutionem, quæ suo debitori iam est damnosa, cum id fine suo notabili incommodo facere possit. Itaque quando is est rerum mearum status, vt non possim debitum præstare statim, sine cum magna aliarum rerum mearum iactura, licitum est mihi ex quadam æquitate iuris naturalis differre, nisi forte creditor simile detrimentum accepturus crederetur. Secus est, quando tales sunt circonstantiæ, vt nullo modo restitutio fiat, nunquam sit futura; tunc enim si res iniuste ablata est, statim restitui debet, etiam si magni sumptus essent faciendi, vt diximus supra.

Nauar. Caiet. Sotus.

Dixi aliarum rerum mearum, quia si non pateretur iacturam nisi in rebus debitis, quibus me spolio dum soluo, non possem idcirco differre restitutionē; hoc enim non est proprie damnum pati in rebus suis, sed relinquere alienas & debitas. Simili er si ex restitutione pateretur solum damnum in lucro, quod intendo consequi, non possem idcirco differre: quia tunc nihil amitto de meo, sed solum desino lucrum facere de alieno seu alteri debito; atqui aequitas non dictat alteri carendum esse rebus suis debitis, vt ego ex illis lucrū capiam. Quod tamen intelligendum est, nisi illud lucrum quæram, vt etiam alijs creditoribus meis satisfaciam, quibus alioquin si. lucrenon potero, tunc enim charitas postulat, vt creditor permittat dilationem si cōmode possit; quia contra rationem est, vt velis tibi statim restitui cum tanto aliorum creditorum incommodo, quod dilata solutione posset vitari.

Secundo infertur si vir nobilis non posset statim soluere, nisi priuet se omni obsequio famulorum, & equorum, cogaturque abstinere consortio suorum similiū: etsi eius primarius non possit statim nisi ita se priuet, vt cogatur obire artem mechanicam sibi insuetam posse differre restitutionē, donec absque iactura status sui possit restituere. Quod intellige si statum suum iuste obtinet. debent tamen sibi detrahere quantum possunt intra limites decentiæ status, quæ non consistit in indiuisibili, vt sensim restituant, vt notat. D. Anton. vbi supra. Et quamuis si debita sint ex delicto, plerique existiment statim esse soluenda, etiam cum amissione status. Verius tamen & æquius videtur posse differri restitutionem, si statum illum iuste obtinent, & ex improuiso calamitas incidēs, ad eas angustias redegerit, vt debita olim ex delicto conflata nō possint dissoluere sine sui status amissione. Ita Nauar. c.17.nu.63.& Syluest. rest.5.q.1.5.& 4. vbi dicit hanc sententiam esse veriorem, & humaniorē, & pro ea citat Scotū, Archidiac. & Ioan. Nyder. videndum tamen est, an creditores sint in pari angustia.

D. Anton. Nauar. Syluester.

Et si quæras quid si ad eas angustias sua culpa sit redactus, v.g. ludis, comessationibus, superfluis sumptibus &c. Dico tunc non meretur dilationem, neque debitorum ex contractu, neque ex delicto, sibi enim imputare debet: quod iam sine status amissione non possit satisfacere secus est, quando infortunium sint improuisum, ita docet Sotus lib.4. de iust. q.7.art.4. & Petrus Nauar. lib.4. de rest.c.4.nu.44. quod est notandum pro quibusdam nobilibus, qui debita sine fine contrahunt, vt supra conditionem sui status expendant.

Sotus. Petrus Nauar.

Dixi si statum illum iuste obtinent: quia si quis rapinis, vsuris, & similibus fraudibus ad aliquem honorabilem statum peruenisset, teneretur etiam cum eius amissione confestim restituere; vt communiter docent Doctores: quia hoc non est iam statum suum amittere, quam alienum dimittere, & ad suum reuerti. Hoc tamen intelligendum est, nisi debitor iste passim habeatur vir probus, & honestus, & non possit subito statum mutare, nisi de suis fraudibus se infamet, tunc enim sensim posset restituere: quia periculum infamia excusaret (vt diximus ex Scoto in superiori articulo) ne statim teneatur.

Si quæras, quid si creditor ex dilatione par damnum accepturus sit in re familiari vel statu? Respondent communiter Doctores, debitorem teneri statim restituere: quia iactura rei familiaris, vel status, non tribuit tantum iuris quantum extrema, vel grauis necessitas, nec facit vsum rerum communem, itaque in causa paris damni potior est conditio creditoris.

Hæc omnia eliciuntur ex Scoto in hac q. sub litt. E e. & G g. §. alius est casus. vbi dicit quod quando debitor est impotens pro tunc non tenetur: & ratio est quia sicut impotentia simpliciter excusat a restitutione facienda simpliciter; ita impotentia pro tali tempore excusat ab obligatione restituendi pro tali tempore, & statim. Qui enim restituere nequit statim sine iactura sui status, & maximo bonorum suorum damno, in casu quo dilatio per aliquod tempus parum noceret creditori, & prodesset debitori censetur moraliter loquendo impotens pro tali tempore, ac proinde tunc excusatur a restitutione. Et certe esset dominus irrationabiliter inuitus, si vellet debitorem cum tanto suo incommodo statim restituere, cum maius fere damnum alicui accidere non possit, quam statum suum mutare, vnde durus nimis & iniquus esset creditor, qui cum non egeat nisi leuitet, vellet tamen sua sibi cum tanto debitoris detrimento restitui.

Subdit tamen Scotus, quod restituere tenetur post cum peruenerit ad pinguiorem fortunam; sicut probatur extra de solutionibus. Odoardus. Sicut etiam in glossa notatur, quod illa actio non expirat per inopiam debitoris sed sopitur; Vnde illud. Inanis est actio, quam inopia debitoris excludit, sed ius agendi manet, sicut obligatio in debitorem, licet sopita.

ARTICVLVS VI.

Vtrum remissio creditoris à restitutione excuset.

Tres conditiones requiruntur vt remissio creditoris excuset. PRo solutione obseruandum est, quod tres requiruntur côditiones ex communi Doctorū sententia ad hoc quod remissio creditoris excuset. Prima est vt hæc remissio sit omnino libera id est non extorta metu, vel fraude; tunc enim & si forte aliquo modo sit valida tamen ad arbitrium donantis est reuocabilis, & donatarius tenetur vim, & fraudem tollere, & donatorem in suam libertatem restituere, vt ratum habeat, vel irritum quod deceptus, vel compulsus fecit.

Metu extorta censentur si expresse, vel implicite debitor minetur creditori nisi integre, vel ex parte remittat, quod interdum fit, quando potentes debent mechanicis, aut mercatoribus. Similiter si cogeret eum subire multas molestias in solicitando, sæpe venire frustra, dici expectare &c.

Fraus esset si fingeret se longe pauperiorem, quam re vera sit; blanditiæ autem & preces non obsunt: quia non reddunt condonationem inuoluntariam; nisi forte præter modum essent importunæ; ita vt quis mallet sua pecunia priuari, quam tanta importunitate solicitari, tunc enim remissio non valeret in conscientia; quia causa redimendæ iniustæ vexationis fieret. Non tamen hic opus est præsentem exhibere pecuniam, vt quidam putant; imo vt recte notat *Caietanus.* Caiet. expedit vt pauper non offerat diuiti rem debitam, quando petit remissionem: quia forte præsentia rei moueretur ad non condonandum, vel certe esset difficilior: facilius enim remittimus non habita, quam ea, quæ iam habemus in potestate: quandocunque tamen creditor ex signis præsumitur non libere condonasse debitor non liberatur.

Secunda conditio est, vt possit condonare; nemo autem potest condonare, nisi qui donare, vnde paterna debita non potest filius remittere, sicut nec vxor mariti.

Casus in quibus non valet condonatio. Tertia conditio est, vt condonatio non fiat in casibus iure exceptis, qui tres inueniuntur. Primus casus est. Si Episcopus, vel Archiepiscopus visitans ecclesias aliquid accipiat ab eis præter sumptus, qui necessarij sunt ad victum illis diebus, quibus visitat, tunc enim tenetur ad eius restitutionem intra mēsem; & quidem in duplum, etiam si libera eis fiat remissio à dantibus. Quod si intra mensem duplum nō restituerint, Archiepiscopis, & Episcopis est interdictus ingressus ecclesiæ: inferiores autē ab officio, & beneficio sunt suspensi, quousque grauatis Ecclesijs de duplo huiusmodi satisfactionem impendant. Ita habetur cap. exigit, de censibus & exactionibus, quod est Greg. X. in Concil. Lugdu. & cap. sequēti, quod est Bonifacij VIII. quod nō nihil moderatur caput præcedens, quia permittit, vt sumptus necessarios recipiant in pecunia, cum Gregorius solum esculenta permitteret.

Notandum hic est legem pœnalem de duplo obligare ante sententiam, quod pertatum est, nec vnquam præsumitur, nisi ex modo loquendi sit euidens.

Secundus casus est. Si Iudex delegatus aliquid receperit a partibus, nisi forte esculentum aut poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis diebus possit consumi: vel si dum cogitur extra domicilium proficisci, acceperit plusquam moderatas expensas, vel denique si aliquid acceperit, quando partes sunt notabiliter pauperes tenetur ad restitutionem non obstante quauis remissione, vt patet ex c. statutum. §. insuper, iuncto. §. si quid. de rescriptis in 6.

Tertius casus est, si Inquisitores prætextu officij Inquisitionis pecunias extorserint tenentur restituere, nullis priuilegijs, pactis, vel remissionibus super hoc valituris. clemen. nolentes. de hæreticis in 6. His adde quartum. Si Canonicus qui officio non interest, accipiat distributiones, tenetur ad restitutionem, nec prodest remissio cæterorum, quibus illæ accrescunt, vt habetur in Concilio Trident. sess. 24. cap. 12. de reformatione.

Ex his dico quod sicut dilatio concessa a creditore excusat ne statim restituere tenearis, ita remissio seruatis relatis conditionibus ne vnquam tenearis, est communis sententia Doctorum. & ratio est; quia si creditor potest ius suum quod habet in debitorem alteri donare; ita etiam ipsi debitori, quod est remittere: quia remissio est quædam donatio; nec refert etiam si debitor non haberet animum restituendi; quia etsi peccet, tamen debitum extinguitur, si alter libere remittat.

QVAESTIO III.

Vtrum damnificans alium in bonis personæ scilicet corporis, vel animæ teneatur restituere adhoc, quod possit vere pœnitere.



CVm in superioribus satis abunde de restitutione in communi dictum sit atque etiam de restitutione bonorum temporalium & fortunæ, Nūc, de restitutione in particulari, bonorum animæ & corporis agit Doct. noster Sub.

Vnde obser. est ex Arist. lib. 7. politicorum, c. 1. quod bona hominis in triplici sunt differentia, quædam enim sunt spiritualia bona, quæ nimirum ad animam pertinent, eamque perficiunt; quædam sunt corporalia, & propriè ad corpus spectant; quædam denique sunt & dicuntur bona externa, & fortunæ, de quibus supra egimus. In hac quæst. Scotus agit de bonis personæ humanæ, quæ cum constet exanima & corpore eius sunt bona in duplici differentia, nimirum bona animæ & bona corporis. *Bona hominis sunt in triplici differentia.*

Secundo obser. est, quod bona animæ sunt in duplici differentia, quædam sunt, quæ immediate spectant ad animā, vtpote ad consequendam fœlicitatem, & vitam æternam, vt gratia. & quibus ipsa acquiritur, nutritur, conseruatur, & augetur, virtutes aliæ. Quædam vero quæ non ita imme diate ordinantur ad salutem animæ spiritualem: quæ rursus duplicia sunt; quædam enim sunt naturalia ipsius animæ, vt potentiæ interiores, memoria, voluntas, & intellectus, quædam vero sunt acquisita, vt scientia, ars, & similia, quæ ordinantur ad perfectionem intellectus, & aliæ virtutes morales acquisitæ, quæ voluntatem perficiunt. & de omnibus his bonis spiritualibus tractandum est. *Bona animæ sunt in duplici differentia.*

Tertio obser. quod per damnum in bonis corporis illatū intelligitur læsio corporalis vitæ, aut organorum corporis, aut membrorum, quæ sane legio vt recte notat Gabriel in 4. d. 14. q. 1 s. art. 1. notab. 1. duplex est, quædam enim infert damnum vitæ scilicet mortem, vel mutilationem membrorum, aut vulnerationem talem, vnde redditur quis inutilis ad exercitium operationum naturalium sibi debitarū. Quædam vero est læsio citra mortem, aut huiusmodi mutilationem, aut vulnerationem extremam, qualis est vulneratio, aut debilitatio organi, vel membri curabilis, & non in toto tollens operationem naturalem, sed aliquantulum eā impediēs; in quo genere etiā reputātur verbera, iniqua detentio in carcere, in seruitute, aut aliquo simili modo, & loco. *Damnum corporale est duplex. Gabriel.*

Quarto obser. est, quod in his omnibus duplex damnum potest proximo inferri, vnum naturale scilicet priuatio boni naturalis, nimirum vitæ, membrorum, libertatis & huiusmodi; alterū tēporale in bonis externis, & hoc vel propter expēsas, quas cogitur facere ratione illius læsionis; vel quia cessat lucrari, qd fuisset lucratus, si sic læsus nō fuisset, aut in *Duplex damnum potest proximo inferri.*

carcere

carcere detentus, patet de artificibus, & aliis qui suis operibus, & industria lucrari solent, de quibus omnibus agendum est in hac quæst.

Quinto obseruandum est, quod cum obligatio restitutionis vt sæpius dictum est nulla sit nisi quando violatur iustitia, inde est quod in hac quæst. solum agit Scotus de eo, qui iniuste alium occidit, aut mutilat; qui enim iuste occidit legem iustitiæ non violat, aliquando tamen contra charitatẽ peccat, vt qui aggressorem etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ interficit, mutilat, si ex odio & appetitu vindictæ faciat, & iudex, qui iustitia exigente hominem occidi facit ex odio, aut alia passione inordinata annexa; sed quia in his, aut aliis similibus casibus solum charitatis, non autem iustitiæ leges violantur, nulla exinde restitutionis obligatio consequitur. Ex his patet titulus quæst. quam Doct. in duos articulos partitur. In primo agit de damnificante alium in bonis animæ. In secundo de damnificante alium in bonis corporis.

De restitutione damni in bonis spiritualibus per sequentes articulos.

Primus Art. Vtrum aliquis damnificari possit in bonis animæ.

Secundus Art. Vtrum grauius peccatum sit proximo nocere in spiritualibus quam in corporalibus.

Tertius Art. Vtrum qui nocet in spiritualibus teneatur ad restitutionem.

Quartus Art. Vtrum facienda sit restitutio in bonis spiritualibus, tam naturalibus quam supernaturalibus.

Quintus Art. Vtrum retrahens aliquem ne religionem ingrediatur, vel profiteatur, aut professum extrahens a conuentu teneatur ad restitutionem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum aliquis damnificari possit in bonis animæ.

Bona animæ sunt in duplici differentia. PRo solutione huius difficultatis obseruandum est primo, quod quædam sunt bona animæ connaturalia, vt sunt perfectiones eius, quæ vocantur bona naturalia, vel intrinseca, vt intellectus, voluntas, & liberum arbitrium, quod includit vtrunque; alia sunt bona animæ acquisita, vt sunt actus & habitus, & omne illud, quo dicimur bene operari, & ista dicuntur extrinseca; quemadmodum sunt habitus infusi, & acquisiti.

Damnificare aliquẽ bifariã contingit. Secundo obseruandum est quod damnificare aliquẽ contingit bifariam, scilicet directe aut indirecte; damnificare alium directe in bonis est formaliter corrumpere bona illa, vel esse bonorum illorum causa corruptiua; sed damnificare indirecte in talibus bonis est conari in aliquid, quo conatu disponitur ille ad corruptionem illorum bonorum.

Ex his dico primo, quod nemo potest alium damnificare in bonis naturalibus primo modo: cum illa naturalia bona sint bona incorruptibilia: quia nec peccatum alienum nec proprium possunt corrumpere intellectum, nec voluntatẽ, nec liberum arbitrium: quia licet peccatum alteret illa delectando, non tamen corrumpit destruendo.

Maleficæ no damnificant in naturalibus. Et si dicas malæ mulieres, nempe maleficæ & maghæ interdum damnificant nos in naturalibus; quia aliquando maleficiis aliquis deuenit in dementiam vel propter nimium amorem, vel propter aliquid simile, vt patet per experientiam. Respondetur, quod in dementibus manet ita integer intellectus, sicut in sapiente formaliter loquendo, licet non possit exire in suas operationes propter impedimentum in parte organica, quod organum lædi potest, & de facto læditur, itaque phantasia non potest operari, quo facto non potest intellectus in actus suos exire, quia pro statu isto necesse est intelligentem phantasmata speculari, & hoc modo mulieres istæ nequam in naturalibus lædunt non corrumpendo, sed organa operantia lædendo.

Dico secundo, quod nullus potest damnificare alium directe & formaliter in bonis animæ extrinsecis, & accidentalibus: quia omne peccatum est voluntarium, & adeo est peccatum, quo voluntarium, vt dicit D. August. in libro de vera religione, atque adeo sola voluntate propria potest aliquis *August.* sic damnificari, nullus ergo quantumcumque malus potest habitum studiosum alterius corrumpere, nec aliquid aliud.

Dico tertio, quod bene potest quis damnificare alium indirecte in bonis morum vel acquisitis, vel acquirendis, quorum acquisitio impeditur, vt patet de peccatis, & vitiis; quibus virtutes requisitæ corrumpuntur, vel tandem vitia generantur, & quæ deberent generari ex actibus bonis impediuntur, inducendo nimirum ad peccatum, & actus vitiosos, quibus virtutes corrumpuntur, & vitia generantur, vt quando malus socius suadet alteri, vt non ieiunet, vel non dicat officium, aut fornicetur &c. hoc modo suadendo, persuadendo, vel rogando dicitur damnificare alium in bonis animæ accidentalibus indirecte & dispositiue, licet non effectiue, & formaliter.

ARTICVLVS II.

Vtrum grauius peccatum sit proximo nocere in spiritualibus, quam in corporalibus.

SOtus lib. 4 de iust. q. 6. art. 3. respondens ad hanc quæst. duo dicit. *Sotus.* Primo, illum, qui inducit alium ad peccandum ex odio vel Dei, idest vt Deus offendatur, vel proximi, vt cadat a gratia grauius peccare eo, qui alium occidit, quia maius est tale nocumentum in anima, quouis homicidio; eum vero qui inducit alium ad peccandum non ex odio, sed ob suum commodum, & voluntatem, leuius peccare eo, qui furatur bona aliena. quia hic, cum accipiat inuito domino, infert illi damnum, & iniuriam, qui vero inducit ad peccandum ob voluptatem, nõ infert iniuriam cum alter volens peccet.

Dicit secundo eum qui fraude vel vi inducit alium ad peccandum teneri ad aliquam restitutionem, hoc modo, vt qui induxit fraude proximum suadens illi, illud non esse peccatum tenetur se ipsum retractare, & admonere fratrẽ, quem decepit fraude, illud esse peccatum. Qui autem induxit vi, minis, vel metu, teneri ad dimittendum illum liberum, & extra omnem vim, vel metum, vt possit resipiscere, non tamen teneri ex iustitia, sed ex sola charitate ad curandum ipsius emendam, cum iam sit in facultate ipsius relicti in sua libertate resipiscere, quod si nolit sibi imputatur: vt qui rapuit bona, si illa libera remittat coram domino, non tenetur ad amplius, nec debet illi suadere vt accipiat.

Cæterum hæc doctrina sic absolute tradita aliqua indiget correctione vt notat Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. controuet. 2. Nam *Salon.* illud primum dictum, nimirum inducere aliquem ad peccatum, quocumque fine fiat, esse grauius peccatum homicidio voluntario, est cõtra communem Theologorum sententiam asserentium inter peccata, quæ sunt contra proximum, omnium maximum & grauissimum esse homicidium voluntarium. Secundum dictum nempe inducentem alium ad peccandum mortaliter leuius peccare fure rapiente bona tẽporalia, hoc dictum nullo alio addito est aperte contra doctrinam sanctorum patrum. Nam D. Gregorius 6. q. 1. c. *D. Gregor.* ex merito, & Anacletus epist. 3. & habetur in c. detetiores. *D. Anaclet.* 6. q. 1. vterque dicunt. detetiores sunt, qui vitam moresque *D. August.* corrumpunt, iis qui substantias aliorũ prædiaque diripiunt, quibus subscribit D. August. primo Retract. Tertio peccat Sotus non distinguens inter illum, qui inducit multis suasionibus ad peccandum eum, qui non erat paratus, nec tale habebat in animo; vt qui inducit mulierem honestam ad fornicandum, & eum qui inducit illum, qui iam paratus erat & expositus, vt qui inducit meretricem, inter hos enim necessario distinguendum est: nam hic secundus vnicum tantũ peccatum committit contra Deum, nempe fornicationem; ille vero prior peccauit contra Deum sua fornicatione, & contra proximum inducendo ad peccatum eum, qui tale nõ instituebat, quemadmodum qui accipit ab vsurario, qui paratam habet, & expositam pecuniam ad vsuram non peccat, qui vero inducit alium, qui tale officium non exercet, vt det sibi ad vsuram peccat grauiter, vt dictum fuit supra.

Quarto peccat Sotus asserens eum, qui vi, vel metu induxit alium ad peccandum ad hoc solum teneri, vt illum dimittat liberum, vt libere si velit possit resipiscere; ex iustitia autem nõ teneri ad curandum illius emendam, hoc est aperte falsum; nam vbi vis, ibi iniuria, vbi iniuria, & iniustitia,

ibi

ibi & vinculum restitutionis, vnde a primo ad vltimum, qui vi alium induxit tenetur ad aliquam satisfactionem. Exemplum autem quod adduxit de eo, qui dormierit cum virgine: si vi, & metu mortis ipsam ad stuprum induxerit ex ipsa lege Dei. Exod. 22. non teneri nisi aut illam dotare, aut vxorem ducere, non autem vt curet eam emendare: ipsi repugnat, primo quia ibi non est sermo de stuprante virginē vi, & metu illato, sed simpliciter, & ea consentiente: quia illata vi virginem corrumpere probat, praecipiebatur in lege occidi. Secundo quia ibi aperte praecipitur satisfactio ad bonum illius, nempe vt illam ducat, vel docet vt nubat alteri, & via illa sic corrupta honeste viuat. ita vt damnificatio illata Virgini contra castitatem requirit (vt hic docet Scotus in.2.arg ad oppositum) restitutionem castitatis coniugalis reddendę pro ea. Scotus.

Pro solutione ergo huius quaest. Dico primo. Qui inducit alium ad peccandum ex odio, & malitia in Deum, vt Deus offendatur, grauius peccat, quam si committeret homicidiū probatur quia talis inductio est actus elicitus procedens ab odio D.; sed odium Dei est grauissimum peccatum inter omnia, & grauius homicidio, ergo talis inductio est grauior homicidio; praemissae sunt certissimae, & consequentia patet: quia actus imitatur naturam, & rationē formae, & principij a quo eliciuntur.

Pro ampliori notitia huius rationis obseruandum est, peccati grauitas, tum ex obiecto, tum ex parte malitiae peccantis, tum etiam ex damno, quod infertur oriri potest, adeo vt quamuis interdum obiectum sit nobilius, fieri tamen potest vt peccatum illud sit leuius, aut ratione malitiae peccātis, aut ratione maioris dāni, vnde si vt habita ratione obiecti grauius peccatum sit blasphemia, quam homicidiū: quia blasphemia est directe peccatum in Deum, homicidium vero peccatum est contra proximum; & in hoc sensu intelligēda est praefatis conclusio, & in hoc sensu verum est etiam q dicit Sotus, quod qui ex intentione, hoc est ex odio, & malitia in Deum inducit alium ad peccandum, & offensionem Dei, grauius peccat, quam qui proximum in bonis corporalibus offenderet: etiam eum occidendo. At si peccatum consideretur ratione effectus, scilicet damni illati, contra quē peccatur, sic homicidium est grauius peccatum, quam blasphemia: plus enim homicidium nocet proximo, quā blasphemia Deo, quia vero in grauitate culpae magis attenditur intentio voluntatis peccantis, quam effectus operis, ideo cum blasphemus intendat nocumentum inferre honori diuino, grauius peccat quam homicida simpliciter loquendo, vt docet D.Thom.2 2.q.73.art.3 & 2.2.q.13.art.2. D Thomas.

Dico secundo, qui inducit alium ad peccandum ex odio, & malitia in proximum, vt frater cadat a gratia minus peccat, quam qui committeret homicidium. probatur, quia occidens alterum est totalis, & efficax causa mortis illius, inducens autem ad culpam non est totalis causa peccati; cum nemo nisi volens, & consentiens peccet. Praeterea hominem occidens licet damnum inferat corporale, quia tamen damnum hoc irreparabile est grauius censetur, quam inducere ad peccatum; Nam in peccatis quae respiciunt proximum, illa sunt grauiora, in quibus reperitur maius damnum; occidens alium corporaliter infert illi damnum irreparabile in corpore; & exponit etiam illum miserum damno etiam irreparabili in anima, cum possit eum occidere in peccato, q est valde contingens; qui vero inducit ad peccandum, & si inferat damnum graue in anima, est tamen reparabile, potest n. reparari libere per poenitentiam, & corpso consēsu omnis dānum, eo quod omnino reparabile est. Non igitur aestimanda est peccati grauitas ex eo quod vnus nocet in corpore, & alter in anima inducendo illum ad peccatum; quia ex hac ratione sequeretur grauius peccatum esse inducere vnum hominem ad peccatum, quam committere mille homicidia; cum dignior sit anima vna quam mille corpora, & pretiosior sit vita spiritualis vnius animae, quam mille vitae naturales. immo grauius esset inducere ad vnum peccatum veniale, quam committere homicidium, quia maius damnum, & maior iactura, vel vnum peccatum veniale, quam mors corporalis, qua de causa dicitur non esse peccandum venialiter nec pro vita totius mundi: Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, quae verba aliqui de peccato veniali exponunt.

Dico tertio. Qui inducit ad peccandum meretricem, aut alium iam paratū & expositum ad malum leuius peccat, quam qui rapit alienum. probatur: quia in illo casu talem inducens cum iam esset paratus, exiguum, & fere nullum damnum illi infert, rapiendo autem bona illius damnum illi infert; sicut leuius peccatum est accipere ab vsurario, qui paratū & expositum habet pecuniam ad vsuram, quam inducere alium, qui tale officium non exercet, vt det sibi ad vsuram, cum in priori casu aliquando nullum sit peccatum; scilicet si petens vsuram sit coactus ex necessitate.

Dico quarto, qui inducit ad peccandum mulierem honestam, & virginem aut illum, qui nihil tale habebat in animo, immo studebat virtuti, grauius multo peccat, quam rapiens bona illius. probatur, qui grauius nocet proximo, grauius peccat; sed virum studiosum, mulierem honestam maxime virginem a virtute retrahere, est grauissimum nocumentum, & cui nullo modo comparantur bona temporalia, ergo grauius iste peccat. Et confirmatur. scandalum grauius peccatum est quam furtum, nullibi enim legitur de fure, q dixit Christus de scandalum seminante, & inducente viros probos ad peccandum; Vae mundo a scandalis, & melius erat homini illi si natus non fuisset, & iterum qui scandalizauerit vnum ex pusillis istis &c. Vbi vt obseruat Chrysost. D. Chrysost. & alij DD. eo modo locutus est Christus de scandalizante, quo de Iuda proditore. Ex quibus constat, quod ratione scandali grauius peccat, qui alium non paratum ad peccandum inducit, quam si bona eius furaretur, cum in hoc casu scandalizet proximum, & causa efficax sit illius peccati, & ruinae. Quamuis enim postquam persuasus est, libere peccat, quia tamen antea nihil tale habebat in animo, iniuria illi fit, dum quasi inuitus retrahitur a virtutis studio, & incitatur ad peccandum, quod grauius peccatum, & damnū est, quam eius bona furari; quo sensu intelligi debet Canon ille detractores. 6. q. 1.

ARTICVLVS III.

Vtrum qui nocet in spiritualibus teneatur ad restitutionem.

PRo huius quaest. solutione obseruandum est primo bifariam posse aliquem induci ab alio ad peccandum vno modo precibus vel suasionibus sine vlla fraude vel violentia, Secundo modo per fraudem vel violentiam, per fraudē decipiendo illum, & docendo falsum, ita vt ille credat nō esse peccatum, vel errorem, quod re vera peccatum est, & errorem; per violentiam si aliquam inferat vim, vel metum, vt alter peccet, vel maneat in peccato.

Secundo obseruādum est plurimum differre grauitatem peccati, & vinculum restitutionis, grauitas enim peccati sumitur ex multis radicibus, ex obiecto, ex malitia peccantis, & ex damno quod infertur, vt diximus in superiori articulo. Vinculum autem restitutionis sumitur etiam ex damno nō quouis, sed iniuste illato; Est enim restitutio rei iniuste ablatae, & actus iustitiae oppositus semper alicui iniustitiae. Vnde vbi non est iniuria neque iniustitia, neque vinculum, & obligatio restituendi.

His obseruatis vt certa ab incertis separemus. Dico primo, qui alterum metu vel fraude pertraxit in peccatum tenetur ex iustitia, ipsum suae libertati restituere, & vim fraudemque tollere, ne ille in posterum simili modo peccet, est communis sententia Doctorum. Probatur quia minari, aut vim inferre est contra iustitiam, si sine iusta auctoritate fiat, quae nunquam iusta esse potest, dum quis ad peccatum cogitur. Similiter decipere alterum falsā doctrina circa fidem, mores, vel artes humanas; sicut enim quisque habet ius in stitiae, ne ab alio laedatur in corpore, ita etiam ne in anima laedatur inuitus errore; sed is, qui facit aliquid contra iustitiam tenetur lege iustitiae cessare, & quantum in se est illud retractare, & iniuriam, infectumque reddere, ergo ex iustitia tenetur vim tollere, minas remittere, fraudemque patefacere. Vnde non est verum quod Sotus docet lib.4. de Iust. q.6. ar. 3. Sotus. enim, qui fraude pertraxit aliquem in errorem, si ille error non versetur in materia iustitiae (v.g. circa contractum, vel restitutionem) sed in materia fidei vel temperantiae non teneri errorem tollere lege iustitiae, sed solum lege illius virtutis circa cuius materiam decepit: quia eodem praecepto quo quis tenetur nihil contra aliquam virtutem sciens facere, eodem tenetur nihil contra illam suadere, aut docere: nam enim est contra rationem malum scienter consulere, quam face.

facere, sed hæc ratio & si optime probet eum, qui suadet falsum sciens in materia fidei, vel temperantiæ, peccare contra has virtutes, tamen non probat eum non peccare etiam contra iustitiam: Nam etsi non inuitum, & sine fraude inducteret peccaret contra has virtutes, ergo quando fraude vtitur idest, quando scit vel dubitat se male docere, & consulere, & alterum ex simplicitate decipi inuitum, peccat contra iustitiam.

Hinc sequitur hæresiarcham & qui disseminauit aliquos errores teneri illos retractare, lectorem, qui aliquid falsum docuit, teneri ex iustitia docere verum, & palinodiam recantare, Medicum qui aliquod medicamentum nociuum consuluit, si malitiose statim, si ignoranter quam primum id intellexerit teneri oppositum suadere, & dare operam ne sumatur illud medicamentum, quod si hoc renuit, ne habeatur ignarus, & periclitetur eius fama & opinio, peccat grauissime contra iustitiam, & tenebitur reficere omnia damna illata.

Dico secundo, qui paratum ad peccandum inducit ad actum peccati, non tenetur ad curandam eius emendam maiori vinculo charitatis, quam aliorum. Qui vero non paratum ad peccandum induxit, vt Virginem, aut mulierem honestam tenetur maiori vinculo charitatis curare vt emendetur hic, quam alij patet quia illi parato ego nullum fere damnum intuli; si vero qui non erat paratus, & si non fecerim forte iniuriam formaliter, quia peccauit sciens & volens, feci tamen re vera, & moraliter iniuriam maximam; quia damnum intuli, & si non vt totalis causa, tamen vt cõcausa, quæ culpa certe ad aliquid me obligat, erga hunc ad quod non teneor cum cæteris saltem ex maiori vinculo charitatis. Vnde est argumentum ad aliquid teneor ergo illum cui damnum intuli, vel affeci iniuria saltem materialiter, ad quod non teneor erga illum, cui nullum fere damnum intuli, neque vllo modo affeci iniuria, sed ad illum, quem non induxi teneor communi lege charitatis, ergo & ad illum, quem cum non esset paratus induxi, & cui vere nocui cum iniuria saltem moraliter, tenebor cum maiori vinculo charitatis. Hæc quæ dicta sunt fere certa sunt apud omnes.

Id quod controuertitur est, an qui sine fraude, & vi non paratum ad peccandum, consulendo, persuadendo & rogando ad peccatum inducit tenearur lege iustitiæ ad aliquam restitutionem illi faciendam Sotus vbi supra. Corduba in sũma. q. 172. quem refert & sequitur Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 2. num. 59. Nauar. in Man. c. 14. num. 45. Arrag. 2. 2. q. 62. art. 2. & ibi Salon controuer. 2. & Greg. de Valent. to. 3. disp. 5. punct. 5. tenent partem negatiuam nempe talem ad nullam teneri restitutionem ex vi iustitiæ; sed solum lege charitatis ob fraternam correctionem, ita vt obligatio nõ sit specie distincta ab ea, quam alius habet, vel ipse haberet, si non induxisset, licet sit maior in eadem specie. Ratio pro hac opinione est, quia restitutionis obligatio proprie loquendo oritur ex iniuria, at vero peccatum adeo voluntarium est, vt nisi sit voluntarium non sit peccatum, & præterea scienti, & consentienti non fit iniuria, de reg. iuris in 6. ergo qui alium inducit, vt se infamet, aut mutilet, aut vt aliquod peccatum committat, quamuis grauiter peccet, nullã tamen ei iniuriam infert, cum alter sciens & volens peccet, & consequenter ad restitutionem aliquam non tenetur.

Sotus. Corduba. Petrus Nauar. Nauar. Arragona. Salon. Valentia.

Deinde obligatio restitutionis oritur vel ratione rei acceptæ, vel ratione iniustæ acceptionis, vel ratione vtriusque simul, exemplum primi, Petrus qui rem alterius furatus nõ fuit, eam tamen apud se habet, vel quia fur gratis ei rem illam donauit, vel quia eam a fure emit, tenetur rem illam restituere ratione rei acceptæ apud se detentæ, exemplum secundi. Idem Petrus furatus est rem alterius, & postea perdidit illam, aut alius fur ab eo furatus est, tenetur nihilominus eã restituere, non ratione rei acceptæ: quia eam apud se non habet, sed ratione iniustæ acceptionis. At vero inducens aliũ ad peccatum nihil rei alterius apud se habet, aut aliquid ab eo accepit, ergo ad nullam restitutionem ex iustitia tenetur.

Oppositam sententiam docent Scotus in hac. q. sub litt. B. §. de isto dico. Ricar. in 4. d. 15. art. 5. q. 2. Palud. eadem dist. q. 2. art. 2. concl. 1. Gabriel. q. 17. art. 2. concl. 1. & 2. Adrianus in 4. de rest. in propria quæst. quam mouet de hac re. Ioan. Maior eadem. d. q. 17. dub. vlt. Angelus verb. rest. 1. in princ. Syluest. verb. rest. 3. §. 5. summa Pisanella. verb. rest. 7. §. præ-

Scotus. Ricardus. Paludan. Gabriel. Adrianus. Maior. Angelus.

dicta D. Anton. p. 2. tit. 2. c. 2. Et Ioan. Gerson in sermone de pœnitẽtia, quem habuit in Cœna Domini: vbi inter quatuor sordidas transgressiones, quæ vix ad fundum emergi possũt primam ponit corruptionem aliorum in moribus, super qua inquit. Accipite quid Berengarius moriens in die Epiphaniæ dixerit. Hodie mihi apparebit Dominus meus Iesus Christus, vel ad gloriam, sicut spero propter pœnitentiam meam, vel ad damnationem sicut formido propter aliorum corruptionem, quos ad viam veritatis reducere non potui. Hæc Berengarius. Addit autem Gerson. Horreant & caueant, qui ad similitudinem dæmonum gaudent alios secum trahere ad interitum præsertim iuuenes, & pueros, tales nescio si poterunt vnquam satis pœnitere; sufficere eis debuerat damnatio propria. Hæc & alia similia Gerson vbi supra.

Syluester. Pisanella. D. Antonin. Gerson

Sententia Scoti & sequacium est, qui nocet in spiritualibus teneri ad restitutionem; non quidem eadem bona spiritualia conferendo, cum hoc sit impossibile, sed procurando salutem eius, scilicet inducendo eum efficaciter ad pœnitentiam, & ad actus studiosos, in vt nimirum meliori modo, & via qua potest conari debet persuasionibus, & monitis talem ad bonum statum reducere; quod si tamen inductio nõ sufficiat: quia vt ait Scotus, propter naturam nostram vulneratam & procliuem ad malum ab adolescentia facilius est peruertere quam conuertere, tenetur & per se orando, & per orationes aliorum procurare impetrare sibi conuersionem, dum tamen illis non prodeat peccatum occultum decepti, & ad hoc efficiendum inquit Gabriel tenetur lege iustitiæ.

Et ex hoc infert Scotus colligi potest quantum periculum est alium sollicitare & inducere ad peccatum: quia vix potest inducens digne restituere; cum voluntatem iam ad peccatum allectam, vix possit persuasionibus, & aliis quibusuis reducere ad virtutem, ex quo infert Tatarettus, quod lenones, & lenonæ sunt a Repub. exterminandi; quia suadent, & persuadent puellis, vt meridant in peccatum luxuriæ. Ratio autem præcipua huius sententiæ est: quia bona animæ digniora sunt bonis temporalibus, & malus nocumẽtum infertur in spiritualibus, quam in corporalibus, ergo sicut inferens damnum in corporalibus tenetur restituere, ita etiam a fortiori, qui in spiritualibus nocet. Vnde in c. deteriores. 6. q. 1. deteriores dicuntur illi, qui in spiritualibus nocent, quam ij, qui substantiam & facultates furantur. & D. August. 1. Retract. c. 9. inquit virtutum bona esse maxima, atque adeo plus damnificat qui in istis damnificat, quã qui in quibusdam aliis, & per consequens plus secundum iustitiam tenetur ad restituendum proximo tale bonum, quantum sibi possibile est.

Tatarttus.

D. August.

Hæc sententia Doct. videtur mihi probabilior quam opposita. Vnde pro solutione rationum alterius opinionis obseruandum est primo, quod sub consilio fraudulento comprehenditur consilium malum, etiam datum ex ignorantia, si homo debitam diligentiam non adhibuit ad sciendũ, quia negligentia crassa proprie dolus est. arg. ad hoc decre. dist. 1. sæpe.

Secundo obseruandum est, quod sicut ea quæ per preces importunas ab aliquo obtenta sunt voluntate illius repugnãte, & solum ad repellendam molestiam illam concedente restituenda sunt, vt tradunt Syluest. rest. 2. dicto. 7. & meius. 5. q. 12. Nauar. c. 16. num. 17. & Sanchez lib. 4. de matrimonio. disp. 10 vbi citat plures auctores pro hac sententia, ita qui aliũ importunis precibus & persuasionibus molestiis ad peccandum trahit fere inuoluntarie trahit vt molestiam illam repellat, atq. ita qui ita molestè ad peccandum inducit iniuriam facit, quia tali modo illum affligit. Preces enim importunæ dicuntur, quibus aliquis vehementer, & crebro vrget, cum ingenti molestia eius, qui rogatur; atque adeo si hic vt illam molestiam depellat, & ille finem vexandi faciat consentiat, consensus iste per iniuriam videtur elicitus, atq. adeo non plene voluntarius.

Syluester Nauar Sanchez.

Tertio obseruandum est non censeri quempiam cedere iuri suo, si aliquo modo inuoluntarie, & renitente affectu consentiat, inductus ab eo qui læsurus est; sicut enim donatio debet omnino esse libera, ita etiam cessio iuris, quæ tollit iniuriam. Ex his respondetur ad rationes ad primam nego minorem, Nam licet peccans voluntarie peccet, inductio tamen ad peccandum non fuit omnino voluntaria, sed precibus importunis extorta, atque adeo talis importu-

fortune ad peccandum illectus est passus iniuriam.

Ad secundum dico quod si concluderet, probaret etiam inducentem fraude & vi ad peccandum non teneri ad restitutionem, qui enim ita inducit, quid rei alterius apud se habet; aut quid ab eo accepit? dices quod tenetur restituere: quia illum decipiens aut cogens ei irrogauit iniuriam. Ita est qui precibus molestisue persuasionibus ad peccandum inducit inducto facit iniuriam; nam non loquimur hic de eo qui est ad peccandum paratus, præterquam quod malum consilium continentur sub consilio fraudulento vt patet in primo notabili.

Ex his sequitur a fortiori. Prælatos monentes subditos suos ad peccandum, & contra charitatem, & contra iustitiā peccare, & ideo non solum ex maiori vinculo charitatis, sed etiam ex adiuncta obligatione iustitiæ, qua tenentur ratione officij, & status consulere bono communi, & bono priuato subditorum emendam, & conuersionem eorum procurare omnibus modis tenentur. Ideo enim obligatur specialiter prælatus ex iustitia curare salutem subditorum: quia est prælatus, & habet auctoritatem officij, ob quam etiam cō ditionem officij, & status, abstrahendo etiam ab illa obligatione iustitiæ, tenetur ex charitate multo strictius, quam alij salutem subditorum consulere: quia prælati, pastores, & vigiles animarum constituti sunt, & ideo ex institutia ratione status & officij salutem suorum subditorum curare tenentur, sine quantum in illis est, subditi peccent, aut alicui scandalo subiaceant, aut si quis illorum cadit, vt a peccato resurgat. Vt inqt

D. Gregor. S. Greg lib. 2. Registri epist. 52. ad Ioan. episcop. Constantin. Quæ potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedit, &

D. August. Pastor nescit, Vnde D. August. lib 1. de Ciuit. c. 9. de obligatione hac loquens ait, In hac re non vtiq. parem, sed longe grauiorem habent causam, quibus per Prophet. ādicitur (Ezech. 33.) ille quidem in peccato suo morietur, sanguinē aūt eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc. n. speculatores, hoc est populorum propositi constituti sunt in ecclesiis, vt non parcant obiurgando peccata. Hæc D. Augustinus.

ARTICVLVS IV.

Vtrum facienda sit restitutio in bonis spiritualibus tam naturalibus quam super naturalibus.

PRo solutione difficultatis obseruandum est bona spiritualia naturalia appellari, perspicacitas intellectus, memoria, doctrina, scientiæ, & artes, supernaturalia vero, fides, instructio circa ea quæ sunt fidei, & oīs alia bona cognitio.

Hoc supposito dico primo, quod is, qui ex officio, vel stipendio tenetur docere, non docens, omnia damna inde secuta restituere tenetur, quæ ob notabilem eius negligentiā proximus patitur. ita docent Caiet. in summa verb. rest. c. 7. in fi-

Caiet. Nauar. Petrus Nauar. de Aragona Salon. ne. Nauar. in Man. c. 14. nu. 45. Petrus Nauar. lib 2. de rest. c. 2. nu. 4. Petrus de Arag. 2. 2. q. 62. art. 2. & Salon ibi controu. 2. concl 3. & alij communiter. Vnde habens docendi officiū si sua negligentia ignorantem patit, siue sit vera scientia vt Theologia, Phylosophia &c. siue ars, vt Grammatica, Rectorica &c. & qui accipiunt famulos, vt eos, vel scribere, vel suā artē doceāt texendi, pingēdi, faciendi &c. siue ēt sit supernaturalis instructio vt cathetizare; prædicare, confessiones audire, & sacramenta conferre, tenetur restituere damna ex eius notabili negligentia secuta in proximis.

Dico secundo, Hæresiarcha, qui disseminauit errores aliquos tenetur illos non solum reuocare, sed etiam veritatem docere, & hoc siue ex officio, siue non haberet legendi munus, quando errores illos docuit, & siue sciens, siue scire debens falsitatem docuit. Est tamen hæc differentia inter eum, qui sciens falsitatem docuit, & eum, qui putans dicere verū, falsitatem docuit; quod is, qui formaliter decepit, idest sciēs, & prudens falsum docuit, non solum ex charitate, sed etiam ex iustitia errorem suum reuocare tenetur, etiam si ex officio non habeat. Qui vero materialiter solum decepit, hoc est putans docere verum docuit falsum, si postea verum nesciuerit respectu pristini erroris, tenetur saltem ex charitate suam sententiam reuocare; at vero respectu futuri mali, tenetur etiam ex iustitia remedium adhibere, alioquin reus est damnorum, quæ inde fuerint subsecuta. Sic Lector, Doctor, Aduocatus, Confessor, Prædicator, cum hi veritatem ex officio docere teneantur, si falsum doceant, tenentur ex iustitia veritatem docere, & errorem reuocare. Medicus etiam (vt diximus supra) qui aliquod medicamentum consuluit, si malitiose statim; si ignoranter, quam primum id intellexerit oppositum suadere tenetur, & dare operam ne sumatur illud medicamentum: quod si hoc negligit ne ignarus, & indoctus habeatur, & periclitetur eius fama, & opinio, peccat mortaliter contra iustitiam, & dāna inde subsequuta resarcire tenetur.

Dico tertio, quod si Medicus non potest iam reuocare errorem suum. v. g. quia sumptum est medicamentū tenetur satisfacere pecunia, vel aliis bonis sicut in nocumentis corporis ad arbitrium boni viri secundum qualitatem & quantitatem nocumenti illati; ratio est, quia in omnibus prædictis illata est iniuria, & iniustitia contra Domini voluntatem, & ideo ratione talis iniuriæ, & iniustitiæ, tenetur ad satisfactionem, ad arbitrium prudentis viri, vt dictum est.

Dico quarto, quod lædens aliquem in bonis animæ naturalibus, vt in memoria, & intellectu, & aliis potentiis, quæ per accidens lædi possunt ex læsione sensus, & Phantasiæ. v. g. si quis potione dementet aliquem, vel sit causa q memoriam perdat, restitutionem facere debet sicut in bonis corporalibus.

Sed petes an qui negant pœnitentiam damnatis ad mortem, cum damnificent eos in bonis animæ, teneantur ad restitutionem, Dico primo q tales peccant mortaliter, Secūdo q tales sunt cogendi per censuras ecclesiasticas vt hoc non faciant in Clemen. c. 1. Tertio, quod ita tenentur restitutioni, q si talis patiatur animæ dispendium animam illius dominus requiret de manibus illorum.

Si iterum quæras an sacerdos absoluens de aliquo peccato, de quo non potest absoluere, teneatur ad restitutionem, cum damnificet pœnitentem in bonis animæ. Dico quod ille sacerdos siue scienter, siue ignoranter id fecerit, sēper peccat mortaliter, quia ignorantia non excusat illum, quia ius scire tenetur.

Dico secundo, quod talis tenetur ad restitutionem, vt dicit Franciscus de Platea, dicendo illi, quod cum absoluit a peccato, a quo non potuit absoluere; si non fuerit mortuus, vel in partibus remotis, quia tunc debet pœnitere & orare Deum, vt absoluat illum ab illo peccato, a quo non fuit absolutus in foro ecclesiæ. Postremo si quæras. Vtrum religiosus vel clericus non dicens officium ad quod tenetur, teneatur ad restitutionem, idest teneatur dicere illas horas, quas non dixit. Dico primo, quod Religiosus omittendo officiū peccat mortaliter: quia ex præcepto tenetur. Dico secundo, q si talis omisit dicere horas solum ex obliuione, quod non peccat mortaliter, nec tenetur ad restitutionem secundum Henricum, & de Platea; sed si omittat scienter, & libera negligentia, non est dubium quin peccet mortaliter; cæterum non est simpliciter necessarium imponere sibi vt horas omissas iterum dicat, sed imponenda est ei pœnitentia ad arbitrium Confessarij, vt docent Hostiensis, & Gulielmus Parisiensis. Franciscus.

ARTICVLVS V.

Vtrum retrahens aliquem, ne religionem ingrediatur, vel profiteatur, aut professum extrahens a conuentu teneatur ad restitutionem.

PRo solutione huius quæstionis obseruādum est primo. Neminem in conscientia teneri ad maiorem, ampliorēue restitutionem, aut satisfactionem pro damno aliquo illato, quam obligaretur in foro exteriori, secundum leges ciuiles iustas, quia lex iusta, & sententia omnino iusta cum seruent æquitatem, id ipsum pronunciant in foro exteriori, q ius naturæ, & recta ratio postulabunt in interiori; imò, & q ius diuinum præciperet, quia ius diuinum non destruit naturale, neç dictamen rectæ rationis, maxime in his, quę pertinent ad æquitatem, & iustitiam cum proximis.

Secundo obs. est, ad reficiendum damnum aliquod illatū proximo ea virtute nos teneri contra quam cum illi nocuimus, peccauimus, vt si peccaui contra charitatem tantū, teneor reficere damnum ex charitate sola; si vero peccaui non solū cōtra charitatem, sed ēt contra iustitiam; teneor tunc ex charitate & ex iustitia, cum contrariorum eadem sit ratio.

Tertio obseruandum est, quod duobus modis potest quis a religione auocari, vno modo directe persuadēdo vt exeat, aut non intret; Alio modo indirecte persuadendo exitum vnius Religionis, vt transeat ad aliam, & hoc vltra tripliciter contingere potest, primo ante ingressum, Secundo post

post ingressũ, sed ante professionẽ; Tertio post professionẽ.

Quarto obseruandum est, rettactio alicuius a religione tripliciter fieri potest, vno modo ita vt fiat bono animo, & intentione recta, Secundo neq. vi neq. deceptione, sed blanditiis, & mediis illicitis contra charitatem, Tertio modo vi vel fraude.

Quinto obser. est, ꝙ in huiusmodi extractione a religione duplex po est considerari iniuria, vna respectu ipsius extracti, alia respectu ipsius religionis a qua est extractus, & consequenter duplex consideranda est restitutio.

Sexto obseruandum est, quod interdum licet retrahere aliquem ab ingressu huius, vel illius religionis, vel etiam religionis cuiuscumq. in generali pro qua re vide Gersonem in regulis moralibus, alphab. 24. litt. k. & Alphab. 67. B. tract. de religionis perfectione consider. 2. vbi dicit, quod potest sincero, & recto consilio religionis ingressus dissuaderi, quibusdam ad tempus, aliis in æternum; sicut de prælaturæ susceptione, aut status virginitatis diceretur, quamuis modestissima cautela in dissuadendo adhibenda sit. hæc ille.

Gerson.

His obseruatis. Dico primo, qui Nouitium sine vi, & fraude extraxit, non tenetur ex iustitia aliquid religioni restituere, etiam si malo animo id fecerit, & grauissime peccarit; hæc concl. est contra Adrianum in 4 in materia de restit. bonorum animæ in responsione ad 5. & quidam dicunt esse etiam contra Ricar. in 4. d. 15. art. 5. q. 4. ad 8. & contra Doct. Sub. in hac. q. in resp. ad secundum. sed falsò; Nam Scotus & Ric. dicunt, ꝙ retrahens aliquem dispositum ad intrandum Religionem tenetur ad aliquam restitutionem, si illum retrahit intentione damnificandi religionem, secus autẽ si hoc fecit sine dolo, vel fraude; & idem est iudicium de disposito ad intrandum, & de Nouitio: nam ante votorum acceptationem Religionum habet ius ad personas, quamuis ipsæ voto se astrinxissent, vt in votis realibus, & in omni promissione accidit; ex quo sequitur illum nõ teneri ad compensandum vtilitatem temporalem, quã religio sperabat a nouitio, quia non habet ius ad eam, nisi mediante libertate Nouitij, ꝗ ille in sua libertate reliquit, dũ nullã vim, vel fraudẽ adhibuit.

Adrianus. Richar. Scotus.

Dixi non teneri ex iustitia, quia ex æquitate quadam, seu decentia, tenetur illum hortari ad bonum propositum resumendum, vt reparet magnum illud bonum, quod nefarie in animo eius destruxit spiritum Dei extinguens.

Dico secundo is, qui vi, aut fraude abduxit a Religione siue professum, siue nouitium, non tenetur ex iustitia aut alio præcepto ipse ingredi, sed tenetur vi tollere, & fraudem aperire, suadereq. reditum, quod si ille redire nolit, vel procul absit, vt conueniri non possit, tenetur ex iustitia, vel saltẽ ex quadam æquitate ad aliqualem inductionem alterius æquiualentis ad ingressum illius religionis si commode potest;

Hæc concl. quo ad primam partem est contra Palud. in 4. d. 15. q. 2. art. 1. concl. 1. & quidam vt Salon. 2. 2. q. 62. ar. 2. controuer. 3. & Clauis Regia lib xi. c. 2. dub. 4. dicunt esse contra Ricar. & Doct. nostrum, sed falsò. Nã Ric. & Scotus ita sentiunt. Si extraxit de Religione aliquem iam obligatum ad religionem obligatione professionis, tenetur agere ad restitutionẽ, vt. s. ille redeat ad Religionẽ, sed nunquã dixerunt ꝙ extrahens ipse teneatur religionem ingredi. Quicquid dixerit Tataretus.

Paludanus. Salon. Pras. Car. Scotus. Taretus.

Prima pars, ꝙ non teneatur ipse seductor ingredi, probatur, tum quia forte ipse nõ est aptus; tum quia status religionis debet libertime acceptari; est. n. status perfectionis, quæ nõ nisi libertis minimeq. coactis functionibus acquiritur, vnde par est, vt eius obligatio non nascatur ex vllo debito; sed tantum ex spontaneo voto; quo fit, ꝙ & si ob delictũ possit quis concludi in monasterio ad agendam penitentiã: tamen non possit cogi, vt religionem profiteatur. Secũda pars, ꝙ teneatur ex iustitia, vel saltẽ ex quadã æquitate aliũ inducere patet ex dictis, cũ. n. Deo, & Religioni subtraxerit obsequiũ illud, ꝙ ille præstabat par est vt compenset eo mõ quo pot.

Dico tertio, qui nouitiũ vi, vel fraude seduxit, auertitq. a Religione profitenda tenetur ex iustitia monasterio cõpensare, quanti spes illa temporalis commodi, quod ex ipsius hereditate, donatione, vel industria, expectabatur, valebat. Probatur generali ratione: quia qui aliquem impedit vi, fraude mendacio, metu, ne tibi relinquat legatum, vel hæreditatem, aut ne tibi conferat beneficium, quod propõsuerat cõferre, tenetur tibi ad restitutionem, quanti illa spes iudicio prudẽtum æstimatur. Et si. n. tu non habeas ius ad beneficium, vel legatum istud, habes tamen ius, ne alteri vis, aut fraus fiat in tuum detrimentum. Pari modo Religio ius habet, ne vi, aut fraude, eum qui statuit ingredi, auertas. Vnde qui ita auertit violat ius religionis, ac proinde tenetur ad restitutionẽ dãni consequentis, qua parte pretio illud est æstimabile.

Dico quarto, qui vi, vel fraude abduxit a Religione professum, tenetur monasterio compensare quantũ emolumẽtũ temporale ex ipso prouentens æstimabitur; nõ tamen si precibus, vel consilio absq. vi, & fraude id fecit, hanc cõclusionẽ docet Doctor in hac. q. ad secundum, & prior pars patet, qa est efficax causa damni modo iniusto, idq. multo magis quã qui nouitium abduciti; qui. n. professum vi, vel fraude abducit, non potest id ita facere vt non censeatur velle nocere religioni: cum ipse iam sit astrictus religioni, & teneatur saltẽ ex voto obedientiæ pro religione laborare, & habeat voluntatem laborandi, ex quo labore prouenit emolumentum; tum etiam quia Religio ius habet ad percipienda commoda temporalia, ex eius functionibus; vt si erat Concionator, vel Doctor, a quo magnus prouentus, vel eleemosynæ Religioni prouenire poterãt, atqui hoc ius impedit is, qui vi, aut fraude ipsum a Religione abducit, atq. adeo cõtra iustitiã peccat.

Altera pars probatur: quia religiosus non tenetur ex iustitia procurare illa emolumenta, sed solum ex virtute obedientiæ, & Religionis. Vnde & si nolit laborare, & cõmoda monasterio conquirere non peccat contra iustitiam; ergo is, qui illi suadet absq. vi, & fraude, vt nõ procuret, non peccat peccato iniuriæ in monasteriũ, sed peccato irreligiositatis. Si. n. ipse Religiosus non facit proprie iniuriam nolendo laborare, cum tamen sit principalis auctor damni, ergo neq. consultor cum solum teneatur secundario.

Dico quinto qui bono animo & intentione volentem ingredi religionẽ impedit, & dissuadet, intentione consulendi vtilitati propriæ, neq. peccat, neq. ad restitutionem aliquam religioni, aut dissuaso ex iustitia obligatur. Ratio pro priori parte est, quia fieri potest vt potius quis mereatur dissuadẽdo religionem, puta quando ex iusta causa id faceret. Iustæ autem causæ esse possunt, si parentes ingressuri essent in aliqua magna necessitate, & eius opera indigerent, Item si ingressurus esset debilis & infirmus, ita vt labores, & onera religionis sustinere non posset, Item si ob aliquid impedimentum esset inhabilis ad religionem, vt si esset coniugatus, & sine cõsensu vxoris religionem ingredi vellet. In his. n. & aliis similibus casibus nullum est peccatum dissuadere alicui Religionem neq. incideret in Cano. Concil. Trid. sess. 25. de Regular. c. 18. Vbi excommunicantur omnes, qui sanctarũ virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittẽdi quoquo mõ sine iusta causa impedierint;

Conc. Trid.

Ratio pro secunda parte est: quia vbi non est iniuria aut iniustitia, ibi nulla est restitutionis obligatio ex iustitia, at vero in hoc casu nulla infertur iniuria, vel ipsi dissuaso, vel religioni, vt constat non ipsimet dissuaso, quia scienti consentienti, & volenti non fit iniuria de reg. iur. in. 6. & semper si vult, non obtemperet meo cõnsilio, aut dissuasione potest ingredi. Sed neq. aliqua Religioni infertur iniuria, cum Religio non dum ius aliquod acquisierat in eum, qui religionem ingredi voluit, sicut neq. ius aliquod acquisiuit in nouitium, ita vt ex iustitia oriatur obligatio restitutionis, quando bono animo dissuadet professionem.

Cæterum qui vi, aut fraude, dispositum ad intrandum religionem ab ingressu abduxit tenetur ex iustitia vim & fraudem tollere, idest dimittere eum liberum, vt libere possit intrare, & explicare veritatem, vel dignitatem religionis, & illum ad ingressum suadere; & vltra hoc tenetur ad arbitriũ boni viri restituere illi religioni vtilitatem, quam ex illo habuisset, vt diximus supra; Qui vero sine vi, & dolo ab ingressu Religionis aliquem abduxit, tenetur personæ quam retraxit, in personalibus, & aliis bonis spiritualibus, ad æquiualentiam bonis illis in quibus illum retrahendo damnificauit, i. oret Deum pro ipso, vt det illi bona opera agere; & hoc intelligas de eo, cui nõ licet Religionem dissuadere.

De restitutione damni in bonis corporis.

POst explicationem eorum, quæ ad restitutionem bonorũ animæ pertinẽt, ordo postulat, vt de bonis corporis seu de damnis, quæ in corpore inferuntur cũ Doct. nostro Sub, pari modo, & breuitate dicamus. Pro quorum dilucida explicatione sequentes articulos examinabimus.

Primus

Primus Art. Vtrum licite introduci posset in ecclesia lex talionis.
Secundus Artic. Vtrum quis possit alterum iuste occidere.
Tertius Art. Vtrum lex, quæ præcipit furem suspendi, sit iusta.
Quartus Art. Vtrum iniuste occidens restituere, & ad quam restitutionem teneatur.
Quintus Art. Vtrum iniuste mutilans, restituere teneatur, & quid.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum licite introduci posset in ecclesia lex talionis.

RAtio dubitandi est, quia cum lex talionis inter præcepta iudicialia contineretur: nam in lege veteri iudicialia instituta erant vt fierent secundum legem talionis, videlicet oculum pro oculo, pedem pro pede, mortem pro morte, at iudicialia cessauerunt & abrogata fuerũt in morte Christi, nec licitum est ea seruare in lege noua, vt diximus in prima parte huius quarti in quæst. de cessatione legalium, quia alias licitum esset Iudaizare, quod est absurdum.

Pro solutione huius quæst. obser. est, quod iste terminus talionis secundum Iuristas significat retributionem pœnæ similis pro pœna simili, Vnde lex statuta de retributione pęnę similis pro pęna cõsimili lex talionis appellatur, vt si quis eruat oculos Petro, eruantur etiam ab illo.

Hoc supposito dico, quod si lex talionis statueretur contra damnificantes alios in bonis corporis, quocunque modo esset lex illa iusta esset. hæc concl. est Scoti in hac. q. sub lit. C. §. de primo dico, quam in hunc modum probat. quia de facto multa talia in decretalibus sumuntur ex iudicialibus legis Mosaycæ, vt patet extra de iniur. & damn. dato. c. 1. & sequentibus, quæ omnia sumuntur ex Exo. 22. & 24. & seruanda sunt hodie, vt iura canonica, non vt præcepta Mosayca.

Hoc patet etiam per quatuor exempla. Nam communitas aliqua, videns aliam bene legibus ordinatam potest illas leges, quas iudicat rationales, & vtiles sibi assumere, ita vt ille qui habet auctoritatem condendi leges in ista Communitate, statuat istas hic obseruari; & tunc obseruabuntur hic; non quia leges illius communitatis: sed quia statutæ sunt a legislatore, in ista communitate, hoc est: quia a Principe decretum est illas in hac Communitate seruari; ita vt non habent vim obligandi nisi quia statutum est eas in hac Communitate seruari.

Secundo patet hoc in Ciuitatibus, vbi est regimen per potestatem, & intrinsecum præsidentem, & vna accipit leges alterius, & ordinat eas in Ciuitate ista seruandas.

Tertio hoc idem patet in Regnis, sicut leges Franciæ posset alius Rex accipere, & statuere eas in suo regno seruãdas. Patet etiam in Religionibus: quia constitutiones, & ordinationes vnius religionis, Alia Religio videns esse honestas, & bene conuenientes ad obseruationem vitæ regularis, posset statuere, vt illæ in ista religione obseruarentur; nec obligarent tunc Prædicatores: quia sunt ordinationes fratrũ minorum, sed quia a capitulo generali prædicatorum approbatæ sunt.

Sic in proposito de Iudiciis legis Moysi. Nec mirũ quia Deus non fuit fatuus vt daret illa iudicia contra rationem. Immo legendo leges imperiales codicis multa inueniuntur satis consona multis iudiciis legis Mosaycæ. Et licet dederit aliqua valde dura, quæ non oportet in Euangelio seruare, tamen multa dedit rationabilia valde, etiam pro statu quocunque in hac vita mortali. Atque adeo si ista statuantur a legislatore obseruanda pro quocunque tempore, iuste statuitur. Et hoc modo si statueretur ab aliquo, blasphemũ, adulterum, Idolatram debere occidi; multo iustius ordinatur, q̃ quod fur suspendatur, vt post patebit. Et ex hoc patet (inquit Scotus) ad quid magis aspiciant Principes; plus enim aspiciunt ad commodum temporale, quam ad honorem Dei; & per hoc plus puniunt, & reprimere volunt peccata in proximum, quam in Deum, vt patet.

Ad rationem dubitandi respondetur, quod lex aliqua potest habere robur, vel a legislatore in cõmunitate in qua statuitur; & tunc vndequaq. accipiatur ratio statuendi, non habet robur vt statuta ab alio, sed vt statuta ab isto; & hoc modo Iudicialia multa legis Mosaycæ, possent a Papa, & ab Imperatore statui a Christianis obseruanda, nec obseruarentur, vt a lege Moysi statuta; sed vt a legislatore Euangelico nec hoc esset iudaizare: quia non seruatur lex Iudicialis: q̃a Mosayca, sed quia eadem statuitur a Principe, qui potest statuere leges in Repub. Christiana. Iudicialia ergo veteris legis possunt bifariam considerari; vno modo, vt instituta, & in lege veteri per Moysen promulgata, & sic cessauerunt, & abrogata fuerunt per euangelij promulgationem, & sic in lege noua seruanda sunt minime; Alio modo possunt considerari, vt instituta in lege noua, per Pontifices, Reges, & Imperatores, & isto modo Iudicialia possunt obseruari in noua lege, Ad rationem ergo dico quod Iudicialia non seruarẽtur, vt instituta, & promulgata ĩ lege veteri; sed vt acceptata, seu instituta in lege noua, atq. ita obseruando ea, vt sic, non esset iudaizare.

ARTICVLVS II.

Vtrum quis possit alterum iuste occidere.

PRo solutione huius quæst. obser. est primo, quod non licet priuata auctoritate etiam maleficos interficere; sed dumtaxat publica, quod intellige de occisione ad punitionẽ, non ad necessariam sui defensionem, & ratio est: quia non licet interficere peccatores nisi ob bonum Reipub. sicut non licet amputare membrum, nisi ob salutem corporis; procuratio autem boni publici pertinet ad publicam potestatẽ, quæ est in principe, vel magistratu, ergo ad solum principem pertinet malefactores ẽ medio tollere. Vide D. August. lib. 1. de Ciuit. c. 17. 21. 26. & Gratianum. 23. q. 5. *D. August. Gratianus.*

Secundo obser. est, Donatistas, qui dicti sunt Circumcelliones, censuisse esse genus martyrij se ipsum interimere, vnde passim se variis modis perimebant, vt refert D. August. de hæresibus hæresi 69. & alibi, contra hos disputat toto fere lib. 2. quem scripsit contra epistolam Gaudentij, & lib. 1. de Ciuit. a cap. 17. vsque ad 28. & alibi. *D. August.*

Tertio obs. est August. de Ancona tract. de potestate ecclesiæ q. 52. art. 3. docuisse occidere inuasorem non esse licitum; sed solum permissum, Idem videtur sensisse Gerson tract. de Eucharistia. Ratio eorum est: quia tenemur potius corporalem mortem oppetere, quam vt proximum in ęternam damnationem præcipitemus. *August. de Ancona. Gerson.*

Ex his dico primo absq. diuina auctoritate non esse licitũ se ipsum directe, seu ex intentione occidere: quia est contra illud Exo. 20. Non occides, vbi prohibetur occisio cuiusuis hominis sine legitima auctoritate, vt docet hic Scotus sub litt. G. § sed quis est iustus occisor. ex diuo Aug. lib. 1. de Ciu. c. 17. atqui nemo habet auctoritatem in se ipso, cum non sit se ipso superior. Tum quia est contra illud præceptum. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, vbi dilectio nostra constituitur mensura dilectionis proximi, sed proximum non licet occidere sine auctoritate in ipsum, ergo neq. se ipsum: nam hoc est summi odij signum, Adde quod occidens se ipsum facit iniuriam Reipub. & Deo: Reipub. quia illa in vita, veluti, quoddam illius membrum abscindit. Deo, quia rem eam, quæ ipsi soli subiecta est absq. auctoritate destruit, nam ipse solus vitæ, & mortis potestatem habet, vt Sapientiæ. 16. dicitur. Dixi absq. diuina auctoritate, quia vt martyres colũtur illæ fęminæ, quæ cum ad Tyrannum essent adductæ se in flumen præcipitauerunt, ne pudicitiam amitterent. de quibus Eusebius. lib. 8. c. 12. & 17. & Ambro. lib. 3. de Virginibus ante medium, & S. Apollonia se ipsa in rogum iniecit vt refert idem Eusebius lib. 6. c. 33. Nam hoc fecerunt diuina inspiratione; ita eas excusat D. Aug. loco citato, possent etiam excusari per ignorantiam inculpatam. Nam se occidere ob patriæ salutem, aut pudicitiæ custodia, non est ita euidens esse malum, quin inculpate posset ignorari, & putari licitum, cum multi Christiani etiam doctissimi ita videantur sensisse, lege D. Hieronymum in c. 1. Ionæ versus finem, vbi scribit Vnde in persecutionibus non licet propria perire manu absq. eo vbi castitas periclitatur, vbi aperte insinuat in periculo castitatis id licere. Ambros. etiam & Eusebius supra laudãt mulieres illas, quod se occidissent, ne violarentur, neq. id tribuunt diuinæ inspirationi, sed factum laudant, tanquam honestum, ob talem finem. *Scotus. August. Eusebius. D. Ambr. D. Aug. D. Hieron.*

Ex quo infertur quod nullus Iudex potest condemnare aliquem vt se ipsum interficiat, quia vt dicit hic Tataretus peccaret mortaliter, quidquid in contrarium doceant Franciscus *Tataretus*

Victoria. Arag. Corduba. riscus Victoria relect. de homicidio, nu. 30. Arag. 2 2. q. 69. ar. 4 & Corduba. lib. 1. q. 35. quia contraria sententia est communis omnium Doctorum, a qua in rebus practicis non facile est recedendum. *Cla. Regia.* Vide Clauem Regiam lib. 7. cap. 9. dub. 7. nu. 26.

Dico secundo in foro animæ non esse licitum occidere filiam in adulterio deprehensam, vel ipsum adulterum, ante sententiam, tum quia ita docet omnes Doctores, vt affirmat *Couar.* Coua. de matri. 2. p. c. 7. §. 7. nu. 15. a qua in quæst. practica tanti momenti non est recedendum, tum quia leges ciuiles cōtrariū affirmantes videntur improbatæ per Canones. nā 33. q. 2. c. inter hæc. Nicolaus Papa consultus, vtrū marito liceat secundum legem mundanā, (nempe Longobardorum vt ait *Glossa.* Glossa quæ tunc in Italia seruabatur) vxorem, quæ adulteriū perpetrauit interficere, respondit, Sancta Dei ecclesia mūdanis nunquam constringitur legibus; gladium non habet nisi spiritualem, quo non occidit, sed viuificat, vbi occulte insinuat improbare illam legem. Hic tamen aduerte iure cæsareo non permitti maritis vt occidant vxores suas adulteras, vt quidam Theologi recentiores putant, sed tantum vt occidant adulterum, & tunc vxorem accusent in iudicio, vt puniatur, vt docet Couar. supra, & colligitur ex l. 2. ff. de adul- *Suetonius.* terijs, vt refert Suetonius in Augusto, patri tamen permittitur, vt occidat filiam simul & adulterum. Pro confirmatione *D. August.* concl. vide D. August. lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 15. Dixi ante sententiam, quia post sententiam legitime latam, potest parens occidere filiam, & maritus vxorem, si per Iudicem ei occidenda tradatur, vt fit in quibusdam regnis; tūc enim committitur executio iustæ sententiæ, quæ sicut cuiuis alteri, ita etiam ipsis concedi potest.

Dico tertio fas est occidere iniustum inuasorem ob defensionem vitæ suæ, & integritatis membrorum cum moderamine inculpatæ tutelæ. Tum quia Exo. 22. dicitur Eum qui furem nocturnum occiderit, non esse reum homicidij, nempe quia discerni nequit an venerit animo occidendi, an furā- *D. August.* di tantum, vt D. Augu. q. 84. in Exodum exponit. Tum quia vim vi repellere leges, omniaque iura permittunt, vt in ca. si vero. 1. de sent. excom. & in c. significasti. 2. de homicidio. Vnde & Clericis, & Monachis hoc concessum est, sicut & Laicis, idque contra quoscunque etiam contra superiores, vt Monacho contra Abbatem, filio contra parentem, seruo cōtra dominum, Vasallo contra Principem, & in quocūq; officio sit quis occupatus, vt si celebret & inuadatur potest se tueri, & occidere inuasorem, si necesse sit, & postea sacrum con- *D. Antoni. Syluest.* tinuare, vt docet D. Anton. 3. p. tit. 4. cap. 3. §. primo, & Sylue. verbo bellum. 2 § 7. & 5. & alij.

Dixi cum moderamine inculpatæ tutelæ. sic enim loquitur Alex. III. in c. si vero, attenditur autē moderamen inculpatæ tutelæ. Primo in factorum æqualitate. Secundo in temporis congruitate. Tertio in necessitate ineuitabili, exemplū primi, vt si aggrediens me est inermis, & pugnat contra baculo, ego autem armatus ense ipsum interficio, tunc non excusor: quia debeo ei reddere vicem cum baculo, nam alias non seruatur æqualitas virium, defensio enim debet esse moderata, hoc est, non debet excedere id, quod solum est necessarium ad euitandum damnum, adeo vt fiat dumtaxat ad se defendendum, vnde qui cum leui percussione potest se ab aggressione defendere, non poterit tunc illum occidere, cū illic excessus secundum regulas prudentiæ non possit dici factus cum moderamine inculpatæ tutelæ, eodem modo qui potest commode fugere, aut clamare, & implorare auxiliū, ad id tenetur. Quod si dum hæc considerat possit ne fugere, aut clamare, videat se exponi graui periculo inuasoris, non est quod in his considerandis se occupet, sed vt se (cum occisione etiam inuasoris) defendat: quia semper est melior ratio patientis iniuriam.

Exemplum secundi ita ut fiat in eodem tempore, & non cum interruptione, id est, quod fiat in ipso actu defensionis, non autem postea interueniente tēporis interuallo, aut postquam iam cessauit aggressio, vt dicitur in c. significasti. 2. de homicidio. Quare si aggressor videns se deficere viribus fugeret, vel durante rixa dicat se nolle amplius rixari, non potest aggressus illum occidere, tum quia iam cessauit violentia, atque adeo non esset propulsatio violentiæ, sed vindicta, tum quia talis occisio iam non est necessaria ad propriam occisionem.

Exemplum tertij, quia non potest aliter fugere, aut euadere mortem nisi interficiendo, & si quæras an expediat magis fugere, quā armis se defendere. Respondeo quod in duobus casibus non debet fugere, sed armis se defendere. Primo cum timet, quod si fugeret interficeretur, secūdo quod si fugeret dissiparentur res suę in tali casu nō tenetur fugere, imo armis se defendere, sed licetne aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ ob defensionem honoris? Ta- *Tataretus.* taretus hic credit in foro conscientię non esse licitum: quia vt inquit non licet alicui peccare mortaliter propter honorem. Cæterum communis opinio Doctorum est, quod non *Bart. Bal. Car. Imola. Sotus. Salon. Aragona. Petr. Nauar. Gre. de Val. Caiet. Philiarcus, Lopez.* tenetur fugere, id quod non solum docent Iuristæ, vt Bar. & Bald. in l. 1. C. vnde vi, Card. & Imo. in Clem. si furiosus. de homic. vt existimauit Tatar. sed etiam Theologi vt Sotus, li. 5. de iust. & iur. q. 1. ar. 8. Salon. 2. 2. q. 64. art. 7. controuer. 2. corrol. 2. concl. 1. & ibi. Aragona. Petrus Nauar. li. 2. de rest. c. 3. nu. 369. & seq. Greg. de Valen. tom. 3. disp. 5. q. 8. puncto. 4. dub. 3. Caiet. in summa verb. excom. c. 10. vbi explicat huiusmodi hominem non incurrere excommunicationē, quāuis aggressor occisus esset Clericus. Cosmus Philiarcus de officio sacerd. p. 2. libro 4. cap. 9. Lopez p. 1. Instru. conscien. ca. 61.

Intelligas tamen, quod dictum est, non habere locum in Clericis, aut Religiosis, quia eis non licet ad honoris defensionem interficere aggressorem siue ante siue post acceptam iniuriam, quia honor clericorum non consistit in armis: cū enim isti humilitatem, & mansuetudinem profiteantur, nullum eis dedecus accrescit eo quod fugiant, sed potius summa gloria, & bonum nomen, nec parui habentur, sed magni potius a populo, quod iniurias patienter Christum imitātes sustineant. Nec etiam locum habet in omnibus laicis, sed in nobilibus dumtaxat, siquidem plebeius non potest aliū occidere, ne ipse fugiat; non enim fuga est illi adeo ignominiosa, vt pro illa vitanda possit alterum licite interficere, secus est de Nobilibus, qui ad leuem alapam manu vel fuste repellendā, aggressorem occidere possunt. Est enim hæc iniuria apud nobiles, & maxime vt notant. Arag. & Salon vbi sup. *Aragona. Salon.* apud Hispanos adeo grauis, vt pro illa vitanda, si alia non restat via aggressorem occidere licitum iudicatur.

Si iterum quæras si aggressus possit licite aggressorē præ- *Tataretus.* uenire. Respondet Tata. quod secundum scientiam habitam de inuadente potest iudicare hoc; quia si timeat, eo quod nouit ipsum esse maleuolum, non debet expectare vt ipse aggrediatur primo, sed debet eum aggredi (vt dicit Fran. de *Franciscus.* Platea) quoniam ex tali expectatione posset sequi exterminatio propria. Quod dictum in hunc modum explico, si probabiliter ipse occidendus esset, si non præueniret.

Ex quo infertur primo, quod si aliquis reclusus in domo, (esto quod prius non sit offensus, neque læsus) videret inimicum irruentem, vel arma parantem, atque insidias, vt eū interficiat, quando exiret; poterit si aliud remedium euadēdi non habeat, antequam e domo exeat inimicum occidere, quippe qui in tali casu censetur potius, se defendere, quam præuenire.

Secundo infertur, quod si mulier accumbēs cum viro inueniat sub puluinari gladium paratum a viro ad eam occidendam, quam primum fuerit excitatus, si consideratis omnibus nullo modo possit mortem euadere nisi occidendo virum, potest illum occidere, quia illud non est præuenire inimicum, quod non licet, sed tueri, & defendere se ipsam a viro aggressore, a quo aliter se liberare non potest, in qua re tamen magna opus est prudentia, si enim vel fugiendo, vel clamando, vel occultando pugionem, & resistendo, aut alia quacunque via possit ipsa euadere, non potest illum occidere, quia tunc non esset se ipsam tueri, aut defendere cum inculpata tutela, sed præuenire inimicum, quod non licet.

Dico quarto licitum esse in actu defensionis intendere omne id, quod iudicauit ad vitæ, membrorumque defensionem necessarium, ac proinde interdum etiam læsionē mortiferam, & consequenter ipsam mortem, quicquid in *Caietanus. D. Antoni. Sotus. Victoria. Nauar.* contrarium dicant Caiet. & plerique Thomistarum: ita docent D. Anton. 3. p. tit. 4. c. 3. § 1. Sotus vbi supra Victoria relectione de homic. num. 17. & Nauar. c. 15. num. 3. & Ratio est: quia nisi liceret eam sic intendere, defensio sui sæpe redderetur impossibilis, sæpe enim fieri nequit, vt te defendas, nisi inuasori vulnus læthale infigas, vt sclopo, vel hasta.

ARTICVLVS III.

Vtrum lex quæ præcipit furem suspendi sit licita.

PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est primo, quod cum legislator aliquam legem pœnalem condere voluerit, summo studio cauere debet, ne pęna per legem imponenda sit nimium atrox, & crudelis, & quæ culpæ grauitatem transcendat, sed pęna sit semper minor culpa, prout Deus nostra peccata puniens facit, qui (vt communi Theologorũ prouerbio dicitur) semper punit citra cõdignum. Vide pro hoc sententiam Marcelli Iurisconsulti, quæ habetur in l. respiciendum ff. de pęnis.

Marcellus.

Secundo obser. est, quod pęna mortis non nisi pro valde graui delictu, & quod vehementer Reipub. nocere possit, statuenda est, atque aliæ etiam pęnæ iuxta delicti mensurã, quæ potissimum ex proximi nocumento, aut publicæ pacis turbatione capietur, sunt infligendæ. Qualiter autem pęnarum diuersitas statuenda sit, aptissimo exemplo explicat noster Alphonsus a Castro lib. 1. de potestate legis pęnalis. c. 6. Cum enim alicui corpori humano læso, & male habẽti vult subuenire Chirurgus & mederi, non statim membrum illud læsum, quod corporis quouis modo nocet a corpore abscindit, nisi tam putridum sit, aut tam male habens, vt iuste timeatur ex coniunctione sua, facile alijs membris posse nocere. Nam si pars illa corporis infecta non est adeo corrupta, vt in corpore manens possit alijs membris valde nocere, illam seruare nititur, & leuioribus, quibus potest remedijs, iuxta vulneris qualitatem illi mederi procurat, nunc oleo, nunc vino, nunc mordaciori, & corrosiuo vnguento, nunc adustione curat. Ad eundem prorsus modum, in quauis humana, & mundana Repub. quæ corporis humani similitudinem gerit, faciendum est; ita ut legislator, qui in hac parte Chirurgum imitatur, nullum hominem, quamuis Reipub. noxium, a toto communi corpore, per mortem naturalem, aut ciuilem auferat, vel auferri iubeat, nisi illius culpam tam grauem esse censeat, vt si viuere permitteretur in graue totius Reipub. damnum cederet. Alios autem sceleratos homines, qui suis delictis leue, aut non multum graue damnum non inferunt Reipub. contra pęnam capitis leuiter, aut grauiter iuxta delicti mensuram, punire oportebit.

Alphonsus.

Tertio obseruandum est, quod non licet Iudici mortis supplicio aliquem punire nisi in solis illis casibus, in quibus ex sacris literis colligi potest esse illi a Deo concessam: nam cum solus Deus sit dominus vitæ & mortis, solus qui occidere potest, & viuificare, solus qui vere dicere potest, ego occidam, & ego viuere faciam, ideo solus ille est, qui potest pro arbitrio suo quem voluerit iuste occidere. Cęteri autem omnes nunquam hoc licite possunt, nisi quando a Deo, qui supremus est dominus, est illis permissum, lege siquidem diuina prohibitum est occidere hominem, & inde sequitur, vt nullus iudex possit aliquem hominem occidere, nisi pro illis peccatis, pro quibus est illi a Deo concessum. Quia inferior non potest aliquid contra legem superioris statuere, vel illam quomodolibet violare. Et hinc apertissime deducitur, tyrannos esse eos Principes, qui pro leuissima causa, vt puta, quia ceruum in sylua sua inclusum occidit, statim illũ morte punire iubet, pluris ceruum, quam hominem existimantes, ex eadem etiam radice conuincitur quosdam iudices tyrannice agere, qui cum scelestum aliquem hominem, alicuius grauis flagitij patratorem, capere nõ possunt, ad mortem alios, qui minimam delicto occasionem dederunt mortem, quam non merebantur punire non verentur, vt vel hac via se alijs terribiles faciant.

Quarto obseruandum est, quod in lege veteri per Moysen data multæ fuerunt causæ expressæ propter quas tunc homines morte puniebantur, in lege autem Euangelica, quæ est lex gratiæ, & multo minor in sola vna causa exprimitur, quæ est homicidium, propter quod Christus Saluator noster, iustitiæ ministris occidendi potestatem dedit per Mat. Apost. c. 26. sic dicens, omnis qui occiderit gladio, gladio peribit. Nec tamẽ ob hoc prohibuit, vt pro nullo alio casu, quis possit occidi, quia licet omnia præcepta iudicialia fuerint per Christi mortem reuocata, non tamen sic reuocata fuit, vt cẽseantur fuisse iniusta, sed quia noluit Deus homines deinceps ad illa obligare, quamuis olim fuissent iuste mandata. Et hinc aperte infertur, vt diximus in 1. art. Principes posse nunc leges statuere quibus præciperent eos sceleratos homines morte punire, quos olim lex Mosayca morte puniebat. vt docet Sco. in hac q. sub litt. E.

Quinto obseruandum est, vt legem de homine occidẽdo iustam esse cognoscere valeamus, cognoscere oportere prius iustam mortis causam; causa autem iuste occisionis duo in se complecti debet, alterum res ipsa, pro qua reus occidendus est, quæ talem esse oportet, vt vergat in Dei iniuriam, aut damnum proximi, quod si nec Deo sit iniuriosa, nec proximo quouis modo noceat, res erit prorsus indigna, vt pro illa quis possit occidi. Alterum quod exigitur est ex parte ipsius delinquentis, vt videlicet sit incorrigibilis, nam qui aliter corrigi potest iniuste occiditur. Incorrigibilem autem aliquem esse duplici præsumptione dignosci posse dicit Hẽricus de Gand. quol. 11. q. 18. videlicet aut magnitudine delicti, aut ex frequenti illius iteratione. Henricus.

Sexto obseruã. est in lege Mosayca pro grauioribus furtis pęnam mortis fuisse statutam, furti vero grauitas æstimabatur dupliciter, aut ex ratione rei furtiuæ, aut ex consideratione personæ, in cuius possessione erat, quando furto sublata est. Propter primum, videlicet propter rationem rei furtiuæ, qui furatus fuisset hominem, & vendidisset eum, conuictus lege Mosayca iubebatur occidi. Propter secundam causam, quæ est consideratio personæ, a qua res furto sublata est, Acham lapidatus est: quoniam quæ ille in destructione ciuitatis Iericho ex spolijs illius spoliatus fuerat, domino iã dedicata fuerant ex præcepto Iosuæ ducis eorum, qui antequam ciuitas caperetur hoc edictum voce publica promulgauit dicens. Sit Ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt domino, & paucis interpositis subdit, vos autẽ cauete, ne de his, quæ præcepta sunt quippiam contingatis, & sitis præuaricationis rei, & omnia castra Israel sub peccato sint, atque turbentur. Iosuæ 6.

Septimo obseruandum est, quod in lege Mosayca furno[c]turnus occidebatur impune, non ob aliam causam, quam quod præsumebatur inuasor, & paratus ad occidendum eũ, qui res suas defendere vellet. Quæ præsumptio, quia non iuste habetur contra furem diurnum, ideo ille prohibebatur occidi, sed in furtis minoribus solum instituit talionis pęnã, vt puta dupli, aut quadrupli restitutionem, pro grauiorib. vero vt diximus pęnam statuit mortis. Ratio autem quare in furis diurni punitione pro minoribus furtis non fuit in lege Moysis pęna mortis statuta, ea forte fuit, quia cũ illa lex soli populo Israeli data fuerit iuxta illius populi mores, & inclinationes fuit a legislatore ordinata, & ideo illa crimina, ad quæ populus erat pronus, vt sunt Idolatria, blasphemia, rebellio, schisma acerbo rigore punire decreuit, vt pęnarum metu a talibus criminibus deterreret. Furtum vero, quia ad illud non erat sic populus ille procliuis, non tanto rigore punire decreuit; postea vero: quia successu temporis furta in populo illo frequentiora erant sapientissimus Salomon pęnam legis augere decreuit. Nam lege ab eo statuta (vt ex Prouer. lib. cap. 6 constat) qui aliquid furatus fuisset septuplum reddere, & omnem substantiam domus suę tradere iubebatur, cum tamen lege Mosayca pro boue furtiuo solum quinque boues, & pro vna oue solum quatuor oues reddere iubebatur.

Postremo obseruandum est, Principes non solum posse leges statuere, quibus præciperent sceleratos homines morte punire, quos olim lex Mosayca morte puniebat, sed etiã de omnibus illis legem mortis statuere possunt, in quibus iuxta legem naturalem, causam mortis iustam inuenire valeat: quoniam ea quæ conformia sunt legi naturæ etiam diuinæ voluntati placere noscuntur. omnis autem lex quæ vel descendit a lege diuina, sicut conclusiones practicæ a principijs practicis, vel quæ concordat legi diuinæ, vel ad minus non discordat iusta est, vt docet hic Scotus sub litt. G. §. quę autem sit lex iusta ex D. August. lib. 1. de libero arb. quæ autem sunt consona legi naturæ non discordant a lege diuina, his obseruatis. D. August.

Dico primo, quod nulli licet iuste occidere hominẽ, nisi lex iusta permittat, hæc conclusio est Scoti in hac q. sub litt. G. §. sed quis est iuste occidens, & probatur ex D. August. lib. 1. de Ciui. Dei, vbi postquam c. 20. dixerat, per hoc præceptũ nõ occides prohibitũ esse, ne quis se, aut alterũ occidat iãdẽ c. 21. hæc ait. Quasdã vero exceptiones eadẽ ipsa diuina fecit auctoritas, vt liceat hominẽ occidi. sed his exceptis, D. August.

quos

quos Deus occidi iubet, siue data lege, siue ad personā pro tempore expressa iussione, non autem ipse occidit, qui ministerium debet iubenti, sicut adminiculum gladius est vtenti. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est. Non occides, qui Deo auctore bella gesserunt, aut personā gerentes publicæ potestatis secundū eius leges, hoc est iustissimæ rationis imperium sceleratos morte punierunt, & Abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum ēt laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium nequaquam scelerate, sed obediēter occidere. Hæc August. in quibus verbis id potissimū annotandū est, quod Dei iussionem ab hominis iussione hac ratione distinguit, quod Deus potest iubere occidi, aut per legem ab eo datā, aut per particularem eius iussionē ad personam pro tēpore expressam. Homo aūt, & si personam publicæ potestatis gerat, hoc non pōt iubere nisi secundum leges iustas, quæ secundum iustissimæ rationis imperium institutæ sunt. ex quo sequitur iudicem, vbi lex non statuit non posse aliquem morte punire, quia faceret contra Dei præceptum, quo præcipit non occidere.

Dico secundo, quod nulla lex de occidendo hominem est iusta nisi deriuetur a lege diuina, vel nisi sit consona legi diuinæ, vel saltem, quod non sit ei contraria, illud autem deriuatur a lege diuina, quod potest concludi per principia sua, tanquam conclusio practica, vt dicimus quod adoratio Dei est lex iusta, quia deriuatur, & concluditur ex hoc principio legis diuinæ, Diliges Dominū Deum tuū: quia bene sequitur Deus est diligendus super omnia, ergo est adorandus latria, & huiusmodi lex dicitur immediate descendere a lege diuina, illa autem vocatur legi diuinæ consona, quæ mediate per multas alias conclusiones a lege diuina deducitur, vt quod prima gratia confertur in baptismo, illa vero lex est iusta, quia nō est contraria legi diuinæ, vt leges positiuæ sacrorum canonū, & ordinationes religionum, ac etiam leges ciuiles quæ legi diuinæ non contrariantur, non si contrarientur iniustæ essent.

Dico tertio, quod secundum legem iustam licitum est occidere hominem in illis casibus, quos excipit lex diuina a lege prohibente occidere hominem: nam hæc diuina lex non occides habet exceptiones in aliquibus casibus, primo excipit blasphemum, quē iubet lapidari. Secundo excipit adulterium, vt 1. Exo. 21 & inde: quia vterq; morte puniebatur. Tertio excipitur inobedientia filiorū in parentes: quia filius inobediens præcipiebatur lapidari, ideo in istis & consimilibus casibus, qui in lege Mosayca excipiebātur, possunt Principes leges iustas statuere de occidendo hominem.

Dico quarto, quod nulla lex iusta statuere potest hominē pro simplici & solo furto licite occidi. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub lit. C. §. Et si obijcias. cui omnes Doctores vno ore contradicunt, affirmantes Scoti sententiā esse falsam, periculosam, & erroneā, sed si Scoti intentionem attentius considerassent, non ita seuere censurassent: Nam Scotus secutus

Al. de Ale. Ale. Alensem. 3. p. summæ. q. 47. m. 4 ar. 3. ad secundum dicit neminem pro simplici, & solo furto licite posse occidi, simplex & solū furtum illud ab eis dicitur, quod nullā habet circunstantiā notabiliter aggrauantem, circunstantiæ aūt aggrauantes sunt, magnitudo rei furtiuæ, quæ etsi non mutet speciem furti, illud tamen eo magis aggrauat quo maioris valoris, & æstimationis est res furtiua, idem faciunt furti frequētia; dignitas etiam loci, in quo cōmissum est furtū, & magna rei furtiuæ necessitas, etsi quæ aliæ circunstantiæ furto cōtingere possunt, vnde furtum, quod aliqua ex his circunstantijs vestitur, non simplex, nec solū furtum dicetur, sed furtū cū homicidio, aut cum incorrigibilitate, aut cum contumacia, aut cum contēptu, aut cum irreuerentia loci, aut persona, & propter has circunstantias adiunctas poterunt pœnæ augeri vsque ad membri abscisionem, imo etiā vsque ad mortē iuxta circumstantiæ grauitatem, pro furto ergo nullam habente circunstantiam aggrauantem, quod simplex, & solum furtum appellant, dicunt Alex. & Sco. neminem esse morte plectendum, & quidem bene: nam si furtum nullū habeat grauem circunstantiam durissimū, & nimis crudele esset, si pro

Iustinianus illo quis occidatur, atque adeo Iustinianus Imperator in Authentica, vt nulli iudicium. §. quia verum, collatione noua sancitum huiusmodi furem non esse morte plectendum his verbis. Pro furto autem nolumus omnino quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed aliter eū castigari, hæc ille, quæ vtique de furto simplici intelligenda sunt: nam de furto circunstantijs aggrauantibus vestito idem Imperator diuersā a præcedenti legem statuit sub his verbis. Eos vero, qui violenter aggrediuntur, aut cum armis, aut sine armis in domos aut itineribus, aut in mari pœnis eos legalibus subdi iubemus. hæc ille. & de omnibus talibus intelligendū est, quod dicitur in l. capitalium. §. famosos. ff. de pœnis: nam famosi latrones (vt ego censeo) non solum dicendi sunt illi, qui frequenter furtum iterauerunt, aut magnum aliquod furtum commiserunt; sed omnes illi, qui furtum notabili aliqua, & multum aggrauante circunstantia vestierunt.

Sed videamus quid de hac re scribat Ale. Alen vbi supra. Ad aliud de punitione furti dicendum, quod nec tempore legis, nec nunc furtū punitur morte; sed aut pro præsumptione homicidij, sicut fur nocturnus, de quo incertum est; vtrum venerit ad furandum, an ad occidendum, & ideo propter præsumptionem, quæ solet accidere in nocturnis furibus, quia interficiunt homines, lex dicit Exod. 22 Quod percussor furis nocturni non esset reus sanguinis. Simili modo fures diuini, qui procedunt cum armis, & gladijs. & si debeant deprehendi defendunt se, vel impetunt gladijs. Pro contumacia, sicut fures a iudice signati & cauteriati, semel vel secundo, tertio deprehensi in furto suspenduntur secūdum illā legem Deuter. 17. Qui noluerit obedire decreto iudicis, morietur. Aliter enim fur non punitur morte, nisi præsumatur, latro enim est, qui vi, & gladio, si facultas datur spoliat, vnde etiam in regionibus, vbi fures solent latrones esse, iuste morte puniuntur. hæc Alex. quem vt dixi secutus est hic Scotus. atque adeo non est vt tantum laboraret Salon. 2. 2. q. 64. art. 2. controu. 1. vt ostenderet contra Scotū esse in Repub. & apud Principes potestatem occidendi malefactores, cum Scotus nunquam hoc negauerit, imo in hac q. sub lit. E. §. sic in proposito, in fine; habet hæc verba, & hoc modo si statueretur ab aliquo blasphemum, adulterum, idolatram debere occidi, multo iustius ordinatur, quā quod fur suspendatur, & tamen Salon dicit Scotum asserere iniquam esse legem, quæ morte punit adulteros, quam quod sit falsum ex verbis supra relatis apparet, de simplici autem & solo furto alia est ratio, cum Deus in lege Moysi, vel Euangelica explicite non excipiat peccatum furti ab illo præcepto non occides. Et cum infert Salon, quod nemini liceret cum debita tutela occidere inuasorem, quia hic casus non est exceptus in lege, dico quod satis est exceptus, cum homo lege naturæ teneatur vitam suam iuste conseruare, & lex naturæ non est legi diuinæ contraria, sed valde consona. atque adeo tenetur homo non permittere, quando commode, potest se iniuste perimi. Et per idem respondetur ad illud, quod infert non licere nunc occidere incendiarios, hæreticos. committentes crimen læsæ maiestatis, & Proditores Reipub. cum hi & similes non sint excepti in lege diuina: nam vt supra diximus Principes non solum possunt leges statuere, quibus præciperent eos sceleratos homines morte punire, quos olim lex Mosayca morte puniebat, sed de omnibus illis legem mortis statuere possunt, in quibus iuxta legem naturalem causam mortis iustam inuenire valent, quoniam ea, quæ sunt conformia legi naturæ, etiam diuinæ voluntati placere noscuntur, quod autem quis pro solo & simplici furto suspendatur, ratio naturalis non dictat. atque adeo cum non sit a lege non occides simplex furtum exceptum, nec ratio naturalis dictet, vt pro eo quis occidatur, durissimum esset, ac nimis crudele simplicem furem occidere, non est ergo simile de simplici furto & incendiarijs &c. Præter quam quod non existimo verum incendiarios, hæreticos, &c. non esse in lege diuina exceptos saltem in simili, legat quæso lector Alexand. de Ales. 3. parte q. 47. m. 4. de lege occisionis, artic. primo, secundo, & tertio.

Ad illud vero, quod dicit quod Scotus non bene colligit ex Euangelio Christum reuocasse præceptum de occidendo adulteros, qn̄ dixit mulieri adulteræ, neq; ego te condemnabo. Ioan. 8. quia eo loco Christus non egit iudicem, sed fuit tanquam Doctor priuatus consultus, an illa esset lapidanda, dico quod Christus nedum erat Doctor priuatus, sed legislator & iudex, & vtroq; modo in illa causa Adulteræ processit, si tantū personā Doctoris gessisset, satis fuisset respondere Mulieri (quando dixit. respondens Christo interroganti, Mulier nemo te condemnauit, nemo domine) Vade in pace, sed vt ostenderet se legislatorem esse, nouæ legis, & iam iam legem veterem, quo ad iudicialia, & cœremonialia fuisse reuocatam, dixit, Neque ego te

condemnabo, vade in pace. atque adeo si adulteri modo in lege noua occiduntur, eo prouenit quod Principes legem illã de occidendis adulteris statuerunt seruandam in lege noua, quod potuisse facere docuit supra Doctor Sub.

Non est ergo sententia Scoti falsa, neque periculosa, nec temeraria, imo vera catholica, atque pia, a qua non recedunt si recte intelligantur Syluest. verb. furtum. q. 3 & Sotus. li. 5. de iust. q. 3. art. 3. vbi reprehendit Baldum tanquam auctorẽ huius supplicij. Imo videtur etiam fuisse sententiam D. Th. 2. 2. q. 66. ar. 6. vbi dicit non esse infligendam pœnam mortis pro quolibet peccato mortali, sed pro eo, quo damnum datur irreparabile, quale non est furtum.

Syluester. Sotus. D. Thomas

ARTICVLVS IV.

Vtrum iniuste occidens restituere, & ad quam restitutionem teneatur.

IN hac re aliqua certa sunt, aliqua vero incerta. Primo certum est, quod occidens hominem non potest restituere vitam homini mortuo, hoc enim solus Deus restituere potest. Secundo certum est quoties restitutio fieri non potest rei ablatæ, vt in prædicto casu contingit satis est restituere quantum possibile est, æquiualens enim vix videtur posse restitui ita docent S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad primum. Richar. in 4. d. 15. ar. 5. q. 2. Gabriel. in 4. d. 15. q. 15. ar. 1. nota. 2. Syluest. verb. Rest. 3. q. 2. §. Primum. Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. art. 2. ad tertium. Arrag. 2. 2. q. 62. art. 2. & ibi Salon controuer. 4. Gre. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6 punct. 5.

D. Thomas. Richardus. Gabriel. Syluester. Sotus. Arragona. Salon Valentia.

Difficultas sola est quid restituere teneatur. Pro cuius explicatione obseruandum est, ꝙ damnificans in corpore, aut intulit vltimum damnum, scilicet mortem, aut aliud damnũ citra mortem, & hoc dupliciter, vel irremediabile, vt mutilatio, vel remediabile, vt vulneratio, & alia læsio curabilis. Secundo obser. est, quod mutilatio potest esse duplex: quia vel est enormis, quæ impedit ex toto actum humanum aliquem, qui competeret homini secundum illam partem amputatã, vt in manus dexteræ amputatione, vbi aufertur omnino actus humanus natus competere secundum illam manum, vel non est enormis, id est, non impediens actum humanum, vt amputatio digiti, vel alicuius partis digiti vel auris. In hoc ar. quærimus de damnificante in corpore, ita quod intulit vltimum damnum puta mortem.

Et circa hoc Scotus in hac quæst. sub litt. C. §. de primo dico, inquit, quod vbi lex talionis iure sancita est, illa est sancta & legitima, atque adeo vbi sancitum est, vt occisus occidatur, teneri homicidam si comprehendatur a iudice (sic enim intelligendus est Scotus cum se ipsum offerre sit contra omne ius naturæ) illam pœnam subire patienter: quia sic commode satisfacit damno illato, & seruat legem iustã talionis, quæ in multis communitatibus statuta est, & rationabiliter: quia est maxime consona legi naturæ, & Mosaycæ Exo. 21. atq; etiã legi Euangelicæ Mat. 26. omnis qui gladio occidit gladio peribit. Quæ lex si alicubi nõ sit statuta nullus debet eam sibi inferre, quia nemo debet esse homicida sui sine præcepto Dei, qui dominus est vitæ & mortis, atq; adeo ne etiã se ipsum iudici offerre tenetur, hoc enim idem fere esset, ac si mortem sibi inferret, & in hoc dicto sic explicato conueniunt cum Scoto omnes Doctores.

Secundo inquit Scotus. Quod expedit tali homicidæ, vt exponat vitam suam in causa iusta, vt pote contra inimicos ecclesiæ pro restitutione facienda illi, cuius vitam abstulit, vult dicere quod vbi talis lex talionis non esset, aut homicida a iudice non capitur, expedire tũc tali homicidæ vt exponat vitam suã in causa iusta, vt in bello iusto pro patria, vel in bello fidelium contra Turcas. Vnde obser. est, quod Scot. non dicit teneri homicidam exponere vitam suam pro bono communi, sed dicit expedire, hoc est esse saluberrimum cõsilium, & quod expedit in hoc loco, non dicat necessitatẽ sed congruitatem, patet ex his, quæ subdit, dicens. Qui si nec iãtam restitutionem facere velit, &c. quib. verbis patet, quod liberum est homicidæ exponere vitã pro bono communi si velit, aut non exponere si nolit, non dicit ergo illud verbum expedit necessitatem, sed congruentiam, ex quib. patet quã falso retulerit Salon vbi supra verba Scoti, non. n. dicit Scotus tenetur homicida &c. sed et expedit vt exponat. patet ẽt Sotum loco supra relato & si verba Scoti fideliter retulerit, male tamen ipsum intellexisse, cum ex verbis Scoti inferat ego vero fateor, quod neminem possem sic obligare. Patet etiam quam leuiter Sayrus in sua claue regia. lib. 11. cap. 11. hoc dictum Scoti impugnet dicens, ꝙ homicida potest esse talis, vt sit ineptus ad bellum: nã Scotus loquitur de idoneo & apto ad bellũ non de inepto & impotenti, & cum dicit, ꝙ restitutio debet fieri hæredibus particularibus, aut filijs, non autem communitati: quia obligatio restituendi sequitur dominium particulare, non commune, tum quia exponendo vitã pro bono communi in bello, nulla ex inde aduenit vtilitas occiso vel hæredibus. Dico primo, quod Scotus non dixit, quod expediat homicidæ exponere vitam pro bono cõmuni, vt satisfaciat Respu. cuius partem, scilicet occisum hominem ea iniuria abstulit. Et esto quod hoc dixerit, vel saltẽ posset ex dictis eius elici. Dico secundo, rationes Sayri non concludere oppositum, & ad primum dico, quod Respub. habet dominiũ particulare super singulos suos ciues, quẽadmodum habet particulare dominiũ, quarundam Syluarũ, nemorum & lacuum &c. licet dominium commune dici posset, quia non est vnius tantum personæ, sed plurium, atq; ita sicut scindentes ligna, vel piscantes in lacu communitatis sine licentia, si faciant magnam stragem, & non ad propriam vtilitatẽ, sed vt ditentur, peccant mortaliter, & ad restitutionẽ tenentur pretij & valoris lignorũ & piscũ, ita hominẽ occidens super quẽ Respub. particulare habet dominiũ, ipsi Reipub. satisfacere tenetur. Ad secundum cum dicit, ꝙ exponendo vitã pro bono cõi in bello, nulla ex inde aduenit vtilitas occiso vel hæredib. Dico ꝙ nec ẽt cum homicida a Repu. in pœnã homicidij interficitur nulla ex inde vtilitas occiso aduenit hæredib. Vnde si præcise restitutio hæredib. particularibus fieri deberet, expediret vt Respub. homicidã demitteret, vt hæredibus occisi satisfacere posset. Ceterum Respub. pœnã Reo infligit, non vt damnũ parti læsę cõpẽsetur, sed vt iniuria Reipub. & legib. illata vindicetur, alijsq; terror incutiatur, vnde ẽt ea crimina, quæ nemini damnũ inferunt pœna mortis puniũtur vt sodomia, grauis blasphemia, hæresis. Ex his tñ non intelligo in ferre teneri homicidam exponere vitam suam pro bono cõi, quia oppositũ teneo, cũ Scoto, & cũ cõi Theologorũ sententia, sed ostendere volui quã infirmæ sint rationes Sayri contra id ꝙ Scoto imponit.

Tertio dicit Scotus, ꝙ si tantã restitutionem nolit facere nimirũ exponere vitã in causa iusta, nõ põt omnino esse immunis a restitutione: sicut quidã fatui faciunt, qui absoluũt homicidas, non eis ostendentes restitutionẽ necessario incũbentem: quasi facilius posset transire homicida, quã (vt ita dicã) canicida, vel bouicida, quia si occidisset quis bouẽ proximi sui, vel canẽ, nõ absolueretur sine restitutione, tenetur ergo ad restitutionẽ spiritualem æquiualentẽ vitæ quã abstulit, sicut põt esse æquiualẽtia in talibus. atq; adeo tenetur ex iustitia orare pro illo defuncto, indulgentias illi cõparare, & oẽa suffragia spiritualia, quæ poterit in eũ conferre. Hoc tertiũ dictum, inquit Sotus vbi sup. saluberrimũ est consilium, vt in confessione sacramentali iniungatur, cæterũ addit ad id nõ teneri, vel aliquã satisfactionem pro damno naturali ex iustitia, sed satis esse vt pro damno naturali satisfaciat Deo per pœnitentiam, cũ solus Deus vitæ Dominus sit. Quam Soti sententiam secutus est Lessius lib. 2. de iust. cap. 9. dub. 25. & Nauar. in Manu. c. 15. nu. 22.

Sotus
Lessius. Nauar.

Sed falluntur: quia vt docet S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad primũ. pro damno naturali, pro quo æquiualens restitui nequit, fiat satisfactio & cõpensatio possibilis ad arbitriũ boni, & prudentis uiri, sicut Deo & parentib. non valemus reddere æquiualens, nec parem gratiã, dicimur aũt satisfacere debito, ꝙ illis debemus, cum reddimus & præstamus ꝙ possumus. Et confirmatur, quia ad iustitiã cõmutatiuã pertinet nõ solũ reddere iustũ, ꝙ cõsistit in indiuisibili. i. æquiualens, verũ ẽt possibile in eodẽ genere rerũ, aut in alio, vt docet Aris. 5. Eth. c. 5. sed homicida etsi non possit reddere occiso æquiualens, nec in eodẽ genere, quia non põt illi restituere vitã, nec in alio: quia nulla re tẽporali põt vita cõpensari ad æqualitatem, põt tñ alia ratione satisfacere in alio genere rerũ, aut pecunia aut beneficijs spiritualibus. Confirmatur secũdo ex c. 21. Exo. vbi pecuniæ cõpensationes taxatæ sunt pro damno corporali, qui. n. percusit oculũ serui, aut ancillæ & luscos eos fecerit, iubetur illũ dimittere, pro oculo quẽ eruit, vbi vt constat pro damno tẽporali recõpensatio libertatis iniungitur. Et certe si occidens bouem alterius, vt dicit Scot. ex natura rei obligatur ad restitutionẽ, quanto magis qui hominem occidit? Vnde iure & merito Doc. cõfessarios reprehendit, qui tam facile absoluunt homicidas, sicut si canicidã absoluerent. De iure ergo naturæ est, vt pro damno corporali vitæ recompensatio fiat ad arbitrium viri boni, & prudentis.

D. Thomas.
Arist.

Nec

Nauar. Lessius.

Nec contra hoc sunt leges, quas Nauar. & Lessius adducunt; nimirum. l. qua actione. §. si quis. ff. ad legem Aquiliã, & l. ex hac. ff. si quadrupes. & 1. ff. de his, qui deiecerunt, & l. vlt. ff. de his qui effuderunt. Nam huiusmodi leges solũ determinant compensationem fieri debite in expensis factis in medicatione, & damnis, quæ passus est læsus in opera, & alijs modis, nihil autem docent de restitutione facienda pro damno corporali, quia non potest condigna pro eo compensatio fieri, non tamen ex inde colligitur, non teneri ad restitutionem aliquam pro illo faciendam; sicut nec ex eo, quod Deo æquiualens reddere non possumus, inferre licet, quod nihil ei reddere debeamus. Solum igitur docent illæ leges non posse fieri condignam, & æquiualentem compensationem pro corpore hominis liberi, vel pro vita hominis, quod concedit Scotus in hac q. sub litt. C. §. de primo dico, non tamen affirmant non teneri homicidam ad aliquam pro damno illato compensationem, quod docet Scotus sub litt. F. & G. vbi inquit, & quia vix posset aliquis digne recompensare per actiones illud, quod abstulit homicida, expedit simpliciter animæ talis, scilicet homicidæ, quod solueret per passiones voluntarias vel patienter susceptas, vt scilicet occideretur pro homicidio, & ideo optime prouisum est communitati, vbi statuta est lex talionis in causa homicidij. Patet enim quantum Deus detestetur homicidium. Quando Dauid (qui tamen iuste occiderat) voluit ædificare sibi domum, sed quia fuit effusor multi sanguinis humani prohibitus est a Deo, si ergo iustus occisor non acceptatur, iniustus occisor vbi apparebit? hoc ergo quod dictum est ibi, est dictum de iniuste occidente, hæc Scotus. Quem secuti sunt

Gabriel. Syluester Adrianus Caietanus Arragona. Salon Valentia D. Thomas Richardus.

Gab. in 4. d. 15. q. 15. ar. 2. Syluest. verb. rest. 3. q. 2. §. primum. Adrianus in 4. de rest. q. vlt. Caiet. verb. rest. c. 2. Arrag. 2. 2. q. 62. ar. 2. & ibi Salon. controuer. 4. concl. 3. Gre. de Valẽt. tom. 3. disput. 5. q. 6. puncto 5. § 1. & ante ipsos D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. & Richar. in 4. d. 15. ar. 5. q. 2.

Quarto dicit Scotus, quod tenetur homicida ad omnes expensas, & damna tam in vulnere, quam in medicinis, & alere filios, & quos occisus alere solebat. Pro cuius explicatione nota, homicidam teneri restituere omnia damna ex tali homicidio data in temporalibus, vt v. g. quę insumpta sunt ante mortem eius, cum chirurgis, Medicis, & medicinis, & cibis carioribus, & denique quæcunque insumpta sunt in eius curatione, detrahendo tamen ea, quæ alias ipsemet occisus in cibo, & potu insumpturus erat. Secundo debet compẽsare damna, & lucra quæ occisus, passurus est, aut lucraturus, & hoc ad arbitrium boni, & prudentis viri, consideratis omnibus circũstantijs, ætatis, valetudinis &c. vt explicatius dicemus in sequenti art. Tertio tenetur refundere damna cunctis per hanc occasionem læsis, vnde si occisus sustẽtabat aliquos, puta patrem, matrem, liberos, vel alios, quos occisor ex iustitia, & necessitate alere tenebatur, vt sunt vxor, maritus, & parentes pauperes, tenetur interfector omnibus illis ad tantam restitutionem, quãtum eis abstulit per illius personæ interfectionem, quod intelligas secũdum tempus, quo occisus verisimiliter, fuisset victurus, & operaturus, aut tales sustentaturus, arg. l. hæreditatum computationem, ff. ad legẽ Falcid. & l. cum hi §. modus quoque. ff. de transact. & idẽ docent Panor. in t. c. de iniur. & dam. dato, & Nauar. in Man. c. 15. nu. 24. & Petrus Nauar. lib. 4. de rest. c. 1. dub. 10. n. 76.

Panormit. Nauar. Petr. Nau

Sed dubium est an aliquid restituendum sit pro expensis funeris. Dico ordinarie nihil pro his expensis restituendum quamuis contrarium affirmet Nauar. c. 15. nu. 22. quia etiã si naturali morte obijsset, nihilominus hæ expensæ fieri debuissent, vnde per occisionem nihil damni ex hac parte est illatum, nisi forte ex acceleratione, eo quod citius isti sumptus fieri debuerunt, quibus adhuc aliquid lucri facere potuisset, sed hoc sub lucro cessante comprehenditur, vel nisi extra patriam, vel alieno loco occisus sit, vbi maiores sumptus, quam domi fieri debuerunt.

Secundo dubitatur an quando homicida sustinuit pęnam talionis debeat fieri damnorum compẽsatio. v. g. occidit quis opificem sua industria alentem familiam, & postea homicida ille suspenditur a iudice, an teneatur etiam vxori, & liberis aliquid restituere pro expensis factis ante mortem occisi, & pro alijs damnis temporalibus inde subsecutis. Nauar. cap. 15. nu. 25. Gabriel in 4. d. 15. q. 15. art. 1. notab. 2. Couar. lib. 2. var. resol c. 10. nu. 7. circa medium. Petrus Nauar. lib. 4. de rest. c. 1. dub 10. nu. 41. & Arrag. 2. 2. q. 62. art. 2. docent in rigore omnia damna ex homicidio secuta esse resarcienda:

Nauar. Gabriel. Couar. Pet. Naua. Arragona.

quia pœna non infligitur a Iudice vt damnum parti læsę cõpensetur, sed vt iniuria Reipub. & legibus illata vindicetur, alijsque terror incutiatur: cum ergo lex naturalis, & diuina obliget talem occisorem ad restitutionẽ damni illati, sequitur vltra pęnam temporalem, quam patitur, teneri in conscientia restituere damnum temporale illatum. Cęterũ oppositam sententiam tenet hic Scotus. Quem secuti sunt Gabriel. in 4. d. 15. q. 15. art. 2. Angelus. Rest. 1. 9. homicida, Adrianus, q. vlt. de rest. & Salonus. 2. 2. q. 62. ar. 2. controuer. 4. concl. 1. & ratio est quia sicut iusta sententia dat ius actori contra reum ad exigẽdam pœnã, cui adiudicatus est pro delicto. ita quoque iusta sententia absoluit reum cum primũ patitur pęnam. cui adiudicatus est ab omni debito ratione illius delicti. Tum quia omnes leges pro homicidio cõdemnant reum. aut ad pęnam talionis, aut ad simile, & æquiualens in alio genere rerum, facta autem solutione in æquiualenti, vel simili, aut in eodem genere rerum, aut in alio satisfacit abunde homicida pro suo delicto, & damno naturali illato nempe occisione.

Scotus. Gabriel. Angelus. Adrianus. Salon.

Verum quamuis hæc sententia in rigore sit vera, & consentanea æquitati, tamen contraria est probabilis ideo sententia Scoti posset hac limitatione glosari, vt hæredes homicidę quando ipse in corpore plexus fuit in conscientia non teneãtur quidquam soluere, nisi hæredes occisi id exigant, ita enim fere habet vsus, vt pœnæ talionis censeantur acquiescere, & iniuria illata videatur sic esse compensata, at si hæredes occisi exigant aliam compensationem præter pęnam homicidæ (quod tamen honesti non solent) tunc hæredes homicidæ videntur teneri: quia damnum iniuste datum non est per pęnam talionis separatum. Certum tamen est hæredibus occisi nihil debeti pro ipsa vita ablata, etiam si alias pro ea restitutio debeatur: ratio est, quia damnum vitæ censetur pęna talionis abunde compensatio vt docet hic Scotus, & Gabriel. vbi supra & alij.

Tertio dubitatur an restituendi obligatio transeat ad hæredes si homicida viuens non satisfecerit, v. g. si Petrus homicida non restituit, vt debuit, teneantur Petri hæredes ad quos bona eius peruenerunt, occisi hæredibus aliquid restituere. Respondeo cum Nauar. in Manu. c. 15. nu. 25. & cum alijs neotericis teneri hæredes homicidæ ad restitutionem tam damni naturalis, quam temporalis; sicut etiam tenẽtur soluere debita, quæ occisor debuit ex iustitia, aut ex contractu, imo addit Nauar. & Arrag. quod fiscus ad id tenetur, si bona fuerint confiscata, vt colligitur ex. l. 1. C. ne ex delict. defunct. & ex. l. non possunt, & ex l. in summa. ff. de iure fisci. Quæ omnia intelligi debent, quando homicida reliquit bona libera, in quibus hæredes successerunt, alias non tenetur. qui solum iure successionis primogenituram habet, ad id nõ obligatur. At vero iniuriam compensare non tenentur, nisi homicida viuens condemnatus esset, & transiret in rem iudicatam, vt pro iniuria tantum in alijs bonis fortunæ solueret, vt Sotus & Arrag. vbi supra notarunt. Et quæ diximus procedunt, ita ut hæredes sub peccato hæc restituere, & cõpensare teneantur.

Nauar.

ARTICVLVS V.

Vtrum iniuste mutilans restituere teneatur, & quid.

ET videtur quod non. quia impossibile est damnificanti in bonis personæ satisfacere, igitur talis damnificans non tenetur: consequentia patet, quia ad impossibile nemo tenetur, & antecedens patet, quia non potest restituere: quia sicut non potest restituere si damnificat in bonis animæ, quia talia non sunt in potestate damnificantis, ita eadem ratione non potest satisfacere in bonis corporis quia non est in potestate mutilantis restituere vsum, membrorum, vel membra ablata ergo &c.

Hanc quæst. tangit Scotus sub lit. I. §. de alia autem damnificatione in corpore. Pro cuius explicatione obseruan. est, quod mutilans compensare debet damna, & lucra, quæ vulneratus passus est, aut erat lucraturus, & hoc ad arbitriũ boni viri, & prudentis, consideratis omnibus circunstãtijs personæ, ætatis, valetudinis &c. v. g. considerari debet, vt hic breuiter notat. Scotus persona mutilantis sitne diues nec ne? diuiti enim maior satisfactio est imponenda, quam pauperi, itẽ considerari debet persona mutilati, an diues erat, aut pauper, plus. n. est ponderanda mutilatio pauperis, quã diui

 tis,

tis, si magis egebat parte abscissa ad victum necessariũ: quia vsus fuisset parte illa ad necessaria procuranda. Item an mutilatus vtilis erat suæ familiæ, honorem, & dignitatem illi afferens dum sanus erat; quoniam nihil habebit post mutilationem. Nam pro inutili minus satisfaciendum est. Itẽ an iuuenis, senex, vegetus, infirmus, aut sanus, doctus & peritus in aliqua arte, an ignarus erat, pro iuuene enim, & sano, & docto maior satisfactio facienda est. item considerari debet modus mutilationis, an scilicet prouocatus mutilauerit, aut data opera, an per insidias, & quas; an aperto marte: quia maior iniuria est, vbi data opera, aut per insidias mutilauit, & proinde maior satisfactio debetur.

Item an mutilatio fuit ita iniuriosa, vt etiam hæredes iniuria sint affecti, sic etiam probabile est etiam teneri compẽsare iniuriam illatam, est enim honor res temporalis. Item considerari debent lucra cessantia, & damna emergentia, in qua tamen re minor satisfactio facienda est ex eo, quod illud, quod est in spe minus est, ac minus valet, quã quod est actu, & in se: vnde non sunt soluendæ omnes operæ, quot quot futuræ esse possent, sed quæ moraliter esse possent, vel futuræ essent, habita etiam ratione ætatis, & qualitatis personæ & impedimentorum, quæ alias accidere poterant; poterat enim mutilatus mutare vitam, coniici in carcerem, ægrotari &c. & ideo attento hoc, quod minus sit habere quippiã in spe, quam in re minor satisfactio requiritur ex hac parte, & in hoc sensu intelligenda sunt verba Scoti cum inquit, ꝙ satisfactio debet respondere non solum damno, quod incurrit; quis per mutilationem pro toto tempore futuro, quo vsurus esset quis membro abscisso, sed etiam expensis appositis in curatione, & hoc dicit cap. allegatum supra extra de iniu. & dam. dato.

Maior. Nota tamen quod Ioan. Maior in 4. d. 15. q. 19. dub. vltimo duo docet. Primum est, quod non tenetur lædens nisi ad illa damna, quæ incurrit læsus in bonis fortunæ, adeo vt si læsus recuperet sanitatem, tenetur lædens curare eum suis expensis, & vltra tenetur restituere illud, quod læsus illo tempore lucraretur, & non amplius. Secundum est. Quod si sit læsus irremediabiliter, tenetur lædens illum alere, & restituere alia damna, quæ læsus incurrit deductis laboribus, quantum mutilatus iudicio prudentum in tota vita fuisset lucraturus, deductis tamen laboribus: quia loquit non est æquum, vt tantum detur quiescenti, quantum daretur laboranti. Cæterum hæc sententia non placet Soto lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad tertium. Naua. in Man. c. 15. nu. 26. Arrag. 2. 2. q. 62. art. 2. Petro Naua. lib. 4. de rest. c. 1. dub. 10. nu. 67. & Gre. de Valen. to. 3. disp. 5. q. 6. puncto. 5. §. 1. Qui docent cũ Doct. Sub. non solum teneri ad restitutionem expensarum, quæ rationabiliter factæ sunt in curatione, sed etiam operarũ, quib. læsus priuatus est, propter læsionem; quia est causa horum omnium damnorum, quod enim mutilatus tunc non laboret, non est aliquod eius commodũ; sed potius id ei per iniuriam, & contra voluntatem accidit, vnde quicquid mutilatus sibi, aut suis alioqui propria industria, vel opere lucraturus erat, mutilato restitui debet; nec aliquid debet de lucro futuro detrahi, propterea quod mutilatus non sit laboraturus; quia læsus vellet laborare, & laboraret nisi alius fecisset vt non laboraret. Et certe si verum esset quod ait Maior, deducendos esse labores, sequeretur aliquando nihil restituendum fore: quia contingere potest, quod nihil superesset restituendum, si labores deducãtur, vt videre est in eo, qui mutilauit hominem, qui solo suo labore lucrum, & victũ quærebat, vineam aut agrum colendo. Tunc enim si labores deducantur, nihil restat, quod sit sibi recompensandum.

Sotus. Nauar. Arragona. Petr. Naua. Valentia.

Sed dubium est, an & quid restituendum sit si ex vulnere non sequitur aliud damnum, quam signum in facie, vel alia deformitas. Respondeo si ex ea nascatur damnum in temporalibus, resarciri debet hoc damnum, verbi gratia si quis iniuste deformat aliquam fœminam, ratione cuius deformitatis ipsa maiori dote indiget, vt æque bene nubat; talis deformans tenetur recompensare dando pecuniam, aut augendo dotem, qua damnum illatũ resarciatur, vt recte docet Coua. lib. 2. variarum. c. 10. nu. 5. & Petrus Nauar. lib. 4. de rest. ca. 1. dub. 10. nu. 90. Immo puto etiam in omnibus hanc deformitatem esse compensandam, attenta tamẽ qualitate personę, in qua deformitas illa inest; siquidem pulchritudo, & decentia corporis est bonum quoddam corporale, & ęstimari potest vt alia bona corporalia, quod etiam innuit hic Scotus cum inquit, & vltra placationi ipsius læsi, quæ requireretur etiam si non esset talis mutilatio, & consolationi ipsius afflicti: quia perpetua est sibi desolatio de tali mutilatione.

Couar. Petr. Naua.

Ad rationem in principio positam respondet Scotus ad primum dicens. quomodo possibile est restituere bonum animæ, patet in primo art. & bonum corporis in secundo restituendo bona exteriora correspondentia, vel pro occisione bona spiritualia ipsi occiso. Ad rationem ergo negatur antecedens, & cum probatur vtraque pars negatur: nam de bonis animæ potest fieri satisfactio per orationes, & persuasiones deducendo illum ad bonum, atq; adeo bona animæ sunt in potestate nostra dispositiue disponendo nempe ad illa ossensum orationibus, & persuasionibus, & de bonis corporis potest aliquo modo satisfacere sicut statutum est per iura.

QVAESTIO IV.

Vtrum damnificans aliquem in bono famæ teneatur ad restitutionem, ita quod pœnis ere vere non possit, nisi famam restituat.

HActenus de nocumentis, quæ inferuntur in bonis animæ & corporis, nunc se offert disputatio de damnis, quæ inferuntur in honore, & fama, & quomodo reficienda sint, pro cuius explicatione obseruandum est primo, honorem & famam omnium bonorum exteriorum pręstantissimum esse, quod patet primo ex sacris litteris. Nam prouer. 22. ita legimus. Melius est nomen bonum, quã diuitiæ multæ; super argentum enim & aurum gratia bona, & Eccle. 7. Melius est nomen bonum, quam vnguenta pretiosa, quibus simile est illud Eccle. 41. Curam habe de bono nomine: hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi, & magni, bona vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum. Secundo patet auctoritate Ethicorum. Nam Cicero de oratore perfecto ita scribit. Rumoris publici auctoritas instar oraculi est. Et Publius Mimus. Honestus rumor, inquit, alterum est patrimoniũ. Quibus simile est illud Isocratis. Honestus thesaurus est gratia, quæ bono viro debetur: ex publicis ergo administrationibus habeas non opibus cumulatior, sed gloria onustior: multis enim opibus præstantior est multitudinis laus. & Plautus in Mustellario. Ego, inquit, si bonam famam mihi seruabo, sat ero diues, & denique Liuius decad. 1. lib. 4. famæ damna maiora sunt, inquit, quam vt æstimari possint. Et ratio est: quia bona ipsa externa, vt potentatus & diuitiæ propter honorẽ, & famam tanquam propter finem appetuntur teste Aristo. 4. Ethic. c. 5. Vnde merito sapientes bonum nomen vtilitati prætulerunt. Vnde Ouidius lib. 3. de arte amandi ait.

Cicero. Publ. Mim. Isocrates. Plautus. Liuius. Arist. Ouidius.

Quid petitur sacris nisi tantum fama poetis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.

Adde quod honor & fama virtutis pręmium est, & eius comes indiuiduus iuxta ea quæ tradit Arist. 4. Ethic. ca. 5. & sanè experientia constat eos, qui virtutem colunt, ab omnib. tam sapientibus quam insipientibus honorari, & perpetuis laudibus celebrari, hinc illud Virgilij.

Arist.

Sum pius Aeneas fama super æthera notus.

& S. Greg. lib. 12. Moral. c. 7. Bonum opus fama laudabilis sequitur, & ab eo vires accipit vt a sole luna splendorem.

D. Greg.

Secundo obseruandum est, quod fama a fando dicitur vt linguæ periti tradunt, ex quo deducitur famam non esse nisi vbi est locutio, licet ergo credulitas sit, vel locutio interior de aliquo, quousq; tamen hæc verbis manifestetur fama dici non potest vt dicunt aliqui, verum licet sermo, & rumor de vita & moribus alterius fama dici possit nempe a fando, potissimum tamen consistit in ipsa opinione, & iudicio interno. Est autem fama (vt Iurisperiti definiunt) illęsæ dignitatis status legibus & moribus comprobatus. ff. de var. & extraord. cognit. l. cognitionum. §. existimatio; sed hic tantũ bona fama describitur. In genere autem sic describi potest, fama est multorum existimatio de vita, & moribus alterius. Estque duplex bona, & mala, nos hic solum de bona agimus, quæ potissimum consistit in opinione virtutis, & sapientiæ, hæc enim duo sunt propria hominis bona, ob quę sola est laude dignus, secundario autem in opinione ingenij, eloquentiæ, nobilitatis, roboris, pulchritudinis, potentiæ opum, & similium, quæ etiam magni æstimantur apud homines, qui & famam ex hisce quærunt.

Quid est, & quotuplex sit fama.

Tertio

Honor quid sit.

Tertio obseruandum est, quod honor nihil aliud est quã testificatio quædam excellentiæ alterius, immediate tamen est testificatio nostræ opinionis de excellentia alterius, cum quadam nostra submissione, & mediate ipsius excellentiæ; nam signa externa immediate significãt nostros conceptus, & affectus, mediate res ipsas. Hoc autem fit vel verbis, vel signis. Verbis vt quando quis alterum honorifice compellat, vt sapientem eximium, magnificum, clarissimum &c. signis vt genuflexione, corporis inclinatione, cessione primi loci, &c. Qui enim cupiũt honorari, nihil aliud optant, quã talia signa suæ excellentiæ exhiberi, excellentia autem, quã respicit honor, potissimum consistit in sapientia & virtute, quæ etiam sanctitas dicitur, hæc enim habent præcipuam excellentiam.

Honor & fama differunt.

Quarto obseruandum est, quod honor & fama differunt. Nam fama & opinio virtutis sapientiæ, & rerum praclare gestarum alterius, honor autem est testimonium excellentiæ, fama igitur consistit in interna opinione, & dum exit in opus externum dicitur laus, aut vituperatio. Honor autem consistit in externa testificatione nostræ existimationis de excellentia alterius & submissionis nostri. Vnde supponit opinionem excellentiæ, & intentionem exterius per aliquod signum eam testandi, in quo cõsistit honor, idque ideo, quia hoc excellentiæ est debitum. Hinc fit, quod honor sit excellentius quid quam fama; nam includit famam seu opinionẽ excellentiæ, & præterea eius testificationem, & manifestationem, vnde merito Arist. lib. 4. Ethic. c. 3. docet honorem esse maximum inter bona externa, cuius signum est, vt ipse ait, Principatus & diuitiæ propter honorem sunt optabilia.

Aristot.

Fama quomodo lædatur.

Quinto obseruandum est, quod fama læditur per verba, & detractionem, nam detractio est oblatio seu iniusta denigratio famæ per verba occulta cum intentione nocendi saltẽ in fama: atque adeo detractione aliorum vita vere, vel falso traducitur, & denigratur. honor vero proprie non læditur per detractionem, sed per contemptum, contumeliam, vel irreuerentiam, quæ potest fieri conuitijs aut factis.

Sexto obseruandum est, quod principalis difficultas in hac quæst. non est, an fama inique ablata sit restituenda, sed qua ratione: prius enim illud certissimum est ex dictis in superiori quæst. Nam si fama præstat omnibus diuitijs iuxta illud Prouer. 22. Melius est nomen bonum quam diuitię multæ, ergo plus lædit proximum, qui aufert ei nomen bonum; quam qui aufert diuitias si ergo ibi tenetur secundum iustitiam restituere, multo magis hic. Non enim minus habet locum in restitutione famæ regula illa. Si tua culpa &c. quam in restitutione bonorum temporalium. Tota ergo quæstio est & difficillima, qua ratione debeat fieri famæ restitutio. Pro cuius faciliori, & completa explicatione diuido hanc quæstionem in sequentes articulos.

Primus Art. Vtrum crimen falsum alteri imponens, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur.

Secundus Art. Vtrum qui iniuste proximum infamauit, teneatur ei famam restituere.

Tertius Art. Vtrum qui inique proximum infamauit, teneatur omnia damna temporalia ex tali infamia subsecuta restituere & resarcire.

Quartus Art. Vtrum infamans se ipsum peccet, & ad restitutionem aliquam teneatur.

Quintus Art. Vtrum damnificans alium in bono famæ verum crimen, quod est occultum propalando teneatur ad restitutionem.

Sextus Art. Vtrum accusatus aut denunciatus iuste negans delictum obiectum peccet mortaliter.

Septimus Art. Vtrum accusatus aut denunciatus de crimine vero, illud negans, & per consequens accusatorem ac calumnia notans, teneatur ad restitutionem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum crimen falsum alteri imponens peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur.

DVo postulat explicari hic articulus. primum an falsum crimen alteri imponens peccet mortaliter. Secundum an ad restitutionem teneatur. Quo ad primum est communis Doctorum sententia esse peccatum mortale ex genere suo alicui crimen falsum imponere siue in iudicio siue extra iudicium. ita docent Alex. de Ales. 2. p. summæ. q. 129. m. 3. D. Thomas. 2. 2. q. 73. art. 2. & Caiet. ibi. Sotus lib. 5. de iust. q. 2. Angelus in verb. detract. nu. 2 Syluest. eodem verb. q. 1. Nauar. in Man. c. 18. num. 24. & alij, & ratio est quia hoc est pessimum genus detractionis, vt patet ex Psal. 100. Detrahẽtem secreto proximo suo hunc persequebar. & Roma. 1. detractores dicuntur Deo odibiles. & Iacobi. 4. Nolite detrahere alterutrum fratres mei, qui detrahit fratri detrahit legi, idest vt exponit S. Thomas. 2. 2. q. 74. art. 2. ad 3. contemnit præceptum de dilectione proximi. Imo expresse peccat contra octauum decalogi præceptum. Non falsum testimonium dices.

Al. de Ale.
D. Thomas.
Caietanus.
Sotus.
Angelus.
Syluester.
Nauar.

D. Thomas.

Præterea facit etiam contra ius naturæ, faciendo alteri, & imponendo ei crimen, quod sibi fieri, aut imputari nollet. deinde graue damnum infert proximo in re magni momenti, cum damnum famæ grauius sit, quam damnum rerum externarum, iuxta illud Eccles. 4. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni, ergo mortaliter ex genere suo peccat. Dixi esse peccatum mortale ex genere suo: quia vt notat. S. Thomas. 2. 2. q. 73. art. 2. Quamuis detractio communiter sit mortale peccatum: aut quia cum intentione lædendi famã proximi aut quia ex facto reipsa læditur fama, licet non intendatur explicite. Nonnunquam tamen erit peccatum veniale. s. quando imponitur illi res leuis, & hoc maxime quando illam imponit ex leuitate quadam animi, & defectu plenæ deliberationis, quam sæpe linguæ celeritas præcurrit: si enim materia sit grauis, etiã si ex leuitate procedat, erit mortale peccatum. Imo Nauar. in Man. c. 18. num. 15. ait peccatum esse mortale imponere peccata venialia falsa, aut defectus naturales, vel pęne falsos cum talibus circunstãtijs Cuius opinio, vt vera sit, intelligi debet, quoties ex inde sequitur damnum aliquod notabile in fama, aut etiam in consecutione alicuius rei vtilis, prout contingere solet, quando quis ob huiusmodi peccata, & defectus falsos impeditur ab adipiscendo aliquo officio, & gradu, aut ab amicitia, vtili & honorabili repellere, vt si quis ob culpas veniales vanitatis & iracundiæ impeditur ab aliquo officio consequendo, quod sæpe locum habere potest inter religiosos, qui cum perfectionis statum vel habere, vel ad eum tendere teneantur; nonnunquam aliquid suæ famæ, & boni nominis ex venialium culparum falsarum impositione amittunt, vt docet Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. num. 320. & hoc maxime cum grauius peccatum sit falsum alicui imponere, quã verum alicuius crimen occultum detegere. Quod etiam docere videtur. S. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 2. in corp. qui postquã docuit non esse peccatum mortale detrahere, quando profertur verbum ex animi leuitate, vel ob causam non necessariã, subdit. Nisi forte verbũ, quod dicitur, sit adeo graue, quod notabiliter famam alicuius lædat, & præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ; quod maxime verum esse cõstat, quando sermo sit de personis, quæ vitæ sanctitate colut aut voto profitentur vt recte Greg. de Valent. to. 3. disp. 5. qu. 17. punct. 2 animaduertit.

Nauar.

Petr. Nau.

Valentia.

Quo ad restitutionem conueniunt omnes Doctores, si falsum imponendo cum infamauit tenetur ad restitutionẽ famæ ablatæ sub peccato mortali. Id quod videtur de fide, tũ propter consensum omnium Doctorum: tum quia sequitur ex altera præmissa de fide. s. bonum nomen, & famam præferri diuitijs Prouer. 22. Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Cum igitur restitutio pecuniæ iniuste ablatæ necessaria sit ad salutem, quanto magis restitutio famæ, quæ præstantior est, & cuius ablatio maius damnum infert quã damnum diuitiarum. hæc ratio est Scoti, & est secundum arg. post oppositum.

Et confirmatur quia damnum famæ serpit vt cancer iuxta illud

Fama malum quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

damnum namque famæ, non ita sicut damnum corporis, aut rei familiaris, cuius quantitas cognoscitur a damnificatione, & nõ est maius quã ille vult; non sic de fama, cum non sit postea in potestate infamantis apud quos postea solum remaneat mala illa opinio, aut quam diu duratura sit illa sinistra opinio. Præterea ad bona temporalia multum conducit fama; in quibus quantum ad multa non parum patitur detrimentum amissa fama, imo etiam & ad spiritualia conducit, quandoque præ timore infamiæ multi a peccato retrahuntur.

tur. Vnde quando se infamatos conspiciunt irrefrenate peccant. Hinc D. Hieron. in Matth. 18. ait. Corripiendus est seorsum frater, ne si semel pudorem, vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato. Contingit etiam nonnunquam, vt alij innocentes ob alterius infamiam plura amittant bona spiritualia, & temporalia, quæ ob illius bonam existimationem, & nomen consequerentur, vt patet de Prælatis, Prædicatoribus, populi Rectoribus, & patribusfamilias, quorum bona fama multa commoda spiritualia, & tẽporalia affert subditis & familiæ, quos omnes lædit vnus detractor; id quod maxime in religiosis verum esse docet. S. Augustinus in epist. 137. c. 2. ad plebem Hipponensem his verbis. Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. ex quibus omnibus manifestum est sic lædentem alterius famam sub mortali peccato ad restitutionem obligari. Quoniam vt docet D. Augustinus ad Macedonium epist. 2. & habetur. 14. q. 6. c. 1. si res. Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

D. Hieron.

D. August.

Dicitur autem nisi restituatur ablatum, quod intelligendum est inique, aut iniuste ablatum: quoniam inter alias cõditiones ad restitutionẽ famæ necessarias, vna hæc est, quod vere & re ipsa fama ablata sit, & læsa; quamuis enim quis conatus sit alium infamare, si tamen id minime assequatur, puta si vir qui infamatur, eiusmodi est, vt licet quæ de ipso dicũtur secundum se turpia sint & mala, in illo tamen non iudicentur turpia, nec ipse iudicat per illa famam suam minui, vt si de aulico, vel iuuene lasciuo dicas ipsum ardenter amare aliquam puellam, de milite vel nobile descendisse in duellum, hæc enim in istis non iudicantur communiter turpia, nec ipsi putant talia sibi esse infamiæ, sed honori potius, in hoc casu qui talia diceret etsi falso cum ab eis famam nõ tolleret, illam restituere non tenetur. vel quando is cui detrahit erat iam persona infamis in illo genere vitij, vt si dicam & si falso de publica meretrice, concubuisse cum suo Lenone, aut si id quod dicitur est leue, per leuia enim delicta nõ læditur fama, voco autem leuia non venialia, sed quæ tali personæ habentur pro leuibus, ne propterea minuitur optima eius opinio, aliquod enim veniale quod in laicis nullo modo læderet ipsorum opinionem, in religioso & honesto viro plurimum potest nocere vt diximus supra, aut denique quia detrahenti non adhibetur fides, vel quia certo iudicatur ab audientibus mendax, vel iocose loqui, cum inquam in his casibus non sit ablata fama, nec læsa non tenetur ad restitutionem; quia in his casibus nullum ei intulit damnum, aut inæqualitatem, & consequenter nullum ex inde restitutionis vinculum nascitur, sicut fur qui conatus est alienũ rapere si frustratus suo conatu nil accepit, peccauit quidem mortaliter, nihil tamen restituere tenetur: quia nullum intulit damnum, nec fecit aliquam inæqualitatem; ita si per inuidiam odium vindictam, quæstum. falsum ei imposuit, si tamen alij malam de illo opinionem non conceperint, quamuis mortaliter peccauerit ad restitutionem tamẽ non tenetur.

Dixi inique, vel iniuste ablatum, quia ad famæ restitutionem requiritur. secundo vt fama lædatur iniuste, Nam cum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, qua reficitur iniustitia, & inæqualitas, vbi nocemus quidem proximo iuste tamen, & sine vlla iniuria, ibi non est debitum restitutionis. Vnde non tenetur ad restituendam famam iudex, qui per allegata, & probata condemnauit innocentem: quia licet nocuerit non tamen iniuste, nisi iam alia via iusta & iuridica constaret de illius innocentia. Nec tenetur ad restituendã famam, qui iuste aliquem in iudicio accusauit, aut qui vt frater corripiatur seruato ordine euangelico crimen illius aperuit testibus, vel detulit ad prælatum: quia hic non infamauit fratrem iniuste. Similiter nec qui verum delinquentem dignum supplicio, & cuius crimina iuridice probari possunt accusat apud iudicem, etiamsi id faciat non ex desiderio iustitiæ, sed ex odio, & liuore, peccat quidem grauiter contra charitatem, non tamen contra iustitiam. Dixi verum delinquentem, etenim qui existimat se accusare verum delinquentem fallitur, accusans innocentem, tanquam nocentem, debet cum primum nouerit se deceptum fuisse, se ipsum retractare.

Sed quid si infamatus alia via recuperauit suam famam tenetur ne infamator ad restitutionem. Adrianus in 4 de restitutione famæ. q. 1. §. contra præ dict. in resp. ad 2. & 3. & Nauar. in repet. cap. inter verba. num. 863. docent teneri ad restitutionem: quia vere iste causam efficacem damni dedit, ergo lege iustitiæ tenetur se retractare, sed communior & verior est opposita sententia. Soti. 3. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. & eiusdem Nauar. in Man. c. 18. numero 43. sibi contrarij. Petri Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. p. 3. dub. 3. num. 372. Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. ante controuers. 13. & Greg. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. puncto 4. dicentium non teneri infamantem ad restitutionem aliquam, aut retractationem. Quia postquã alter perfecte famam suam recuperauit, non amplius patitur aliquod damnum, aut inæqualitatem, nec iuste conqueri potest de altero, nec alius ei facit iniuriam non restituendo; veluti si Petrus recuperasset per se ipsum rem furto ablatam, non tenetur fur ad restitutionem, vt si ego pallium quod Petrus furatus sit, mea diligentia recuperauerim, non tenebitur Petrus aliquid mihi restituere. Vnde si infamaui aliquem de concubinatu, videamque illis quibus dixi constare iam certo falsum esse, quod dixi, non teneor iam famam illi restituere.

Adrianus. Nauar.

Sotus. Nauar. Petr. Nau. Salon. Valent.

Dixi de aliquo capto ab inquisitoribus esse hæreticum, vel suspectum in fide, constat deinde ille perfecte esse purgatũ, & publica sententia ostensum vere catholicum, & liberum ab omni suspicione hæresis, non tenetur famam illi restituere: quia iam cessat omne damnum a me illatum. Infamasset, verbi gratia, aliquis Susannam, quando agebatur eius causa de adulterio, quando deinde tam certo & euidenti miraculo, ac testimonio constitit eius innocentia, & castitas, non tenebatur aliquid illi in fama restituere. Quod si dicas qui nocet in bonis, etiamsi alter habeat aliunde tenetur nihilominus illi restituere, ergo qui infamaui tenebitur, etiam si fama fratris alia via reparata sit, seipsum retractare. Respondeo non esse idem iudicium: quia quando quis nocet in bonis Petro, etiamsi Petrus aliunde habeat, manet tamen semper damnum illatum Petro cum iniuria, manetque Petrus expoliatus re sibi accepta donec restituatur, at si quis nocuit in fama, ea quacunque via recuperata, cessat omne damnũ, atque ita restitutionis obligatio.

Si rursus mittes deflorantem virginem inuitam non liberari onere restitutionis ex eo, quod illa æque bene nupsit, ac si deflorata non esset, ergo nec qui alterum infamaui etiãsi infamatus suis optimis factis, & alia via famam suam bonam sit adeptus. Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 3. num. 452. & c. 4 num. 372. tenet sic deflorantem a restitutione liberum esse, atque adeo eamdem esse rationem putat in vtroque casu, oppositum tamen videtur verius. dispar enim est ratio in hoc casu & illo. quia in casu proposito de fama recuperata, nullum omnino patitur damnum, qui ablatam famam perfecte recuperauit, vt diximus. At vero, quæ per vim deflorata fuit, quamuis æque bene nupserit, ac si deflorata nõ esset, proinde deflorans a tam magna restitutione liberatur, a qua alias liber non fuisset, quia tamen nihilominus ipsa damnũ integritatis virginalis passa est inuita, ad restitutionem et faciendam obligatur. Addas tamen, quod si sic infamatus ob talem diffamationem damna aliqua incurrisset antequam famam recuperaret, siue illud sit interesse damni emergentis, siue lucri cessantis tenebitur infamator illa restituere etiã post famam recuperatam, sicut in re furtim sublata, quæ postea restituitur. quod solum voluit Adrianus vbi supra non satis vt videtur a Nauar. in Manu. loco citato intellectus, quamuis id aliquo modo insinuat, quod fusius explicabitur in 3. art.

Petr. Nau.

ARTICVLVS II.

Vtrum qui iniuste proximum infamauit teneatur ei famam restituere.

RAtio dubitandi est, quia ordine charitatis bona propria præferenda sunt alienis eiusdem ordinis, vt vita propria famæ alterius, at se ipsum retractare, & affirmare se esse mentitum, esset præferre famam alienam famæ propriæ, & contra ordinem charitatis. ergo &c.

Præterea restitutio fit ad constituendam hanc æqualitatẽ, vt sicut expoliando fratrem aliquo bono, illud mihi creuit, & fratri decreuit, ita per restitutionem recipiat frater, quod illi deest, & detrahatur mihi, quod in me inique abundat, at quando infamaui fratrem nil mihi accreuit honoris & famæ ergo non teneor famam meam minuere, vel potius exponere asserendo me mentitum vt illi fama restituatur.

His

His tamen non obstantibus de hac re communis opinio Doctorũ est, quod infamans alterũ, imponens ei falsum crimen, tenetur ei famam restituere, dicendo se fuisse mentitum, aut dixisse falsum, & intelligunt siue in iudicio siue extra iudicium alterum falsè infamauit. Ita expresse docent. S. Thom. 2.2.q.62.art.2.ad secundum, & ibi Caiet. Ricar. in 4. d.15.art.5.q.3. & Scotus in hac.q.sub lit.B.§.in primo dico, quos sequuntur omnes, & addit Scotus quem sequuntur Gab. in 4.d.15.q.16.art.2.concl.2. & Adrianus in 4. de rest. q.1.§. An autem pecul. quod teneatur retractare id, quod falso imposuit ita publice, & coram illis, sicut & coram quib. diffamauit. quia alias non seruat iustitiam in reddendo proximo, quod suum est. Et ratio est quia diffamans alterũ falsum imponendo, tenetur restituere famam secundum æqualitatem iustitiæ etiam in eodẽ genere; sed in hoc casu ille æquiualenter reddere non potest nisi retractando falsè impositum, ita publice, & coram illis sicut sibi imposuit, & hoc nõ palliare, sed ita clare & publice sicut imposuit, alioquin non seruaretur æqualitas iustitiæ, reddendo vnicuique quod suũ est: ergo ad retractãdum se tenetur etiam cum damno propriæ famæ.

D. Thom. Caiet. Ricard. Scotus. Gabriel. Adrianus.

Præterea nemini licet consulere proprijs bonis cum iactura, & damno proximi, at si iste infamator in hoc casu vellet cessare ab hac restitutione famæ illi, quem læsit, ne ipsius fama periclitaretur, esset velle consulere sibi cum damno proximi, ergo &c. Deinde in hoc casu necesse est alterum manere infamatum aut detractorem ipsum, aut illum, cui detraxit, sed omni iure potior est ratio, & conditio innocentis, & patientis iniuriam, quam inferentis iniuste, ergo qui ita detraxit tenebitur restituere, & cum damno propriæ famæ. ergo &c.

Conclusio tamen huius art. duplici indiget limitatione. Prima est, quando alter non posset satis prospici famæ alterius, quam dicendo se falsum dixisse, aut fuisse mentitum, si enim satis esset dicere deceptus sum, aut male feci in eo asserendo, & alter illud dicendo famam suam recuperaret, non opus esset plane confiteri se mentitum fuisse, aut falsum dixisse. Quia hæc retractatio requiritur solum, vt alter famam ablatam recuperet, vnde si sic dicẽdo eam recuperet, sine dubio id sufficiet.

Secunda limitatio est: quando fit æqualitas inter infamãtem & infamatum; si enim tantæ esset dignitatis infamator, vt inter eius famam, & famam alterius esset maximus excessus, & inæqualitas non tenebitur infamator in hoc casu dicere se mentitum fuisse, aut falsum dixisse, sed satis erit vel pecunia vel alia compensatione ad arbitrium boni, & prudentis viri illi satisfacere. verbi gratia. Si is qui infamauit esset Episcopus, Prælatus, Rex, aut vir illustris, & infamatus esset vassalus, subditus, aut vir plebeius, non enim tenetur Rex aut Prælatus, restituere famam plebeio, aut subdito dicendo se esse mentitum, sed satisfaciet ei via pecuniaria, aut alia simili ad boni viri arbitrium, quod si alter noluerit hanc compensationem acceptare, non tenebitur infamator amplius facere, ita docent omnes iuniores Theologi; Ratio autem huius limitationis est: quia fama illustris personæ plus valet, quam fama alterius inferioris classis, nemo autem tenetur restituere aliquid cum notabili maiori iactura, quam intulit, vt in casu proposito contingeret. Vnde quando Auctores docent, quod cum æquali infamia tenetur quis restituere alterius famam, quam denigrauit intelligendi sunt pensatis conditionibus vtriusque partis, & considerata quantitate nocumentorum, quæ inde sequuntur. His autem duobus casibus exceptis tenetur infamator se ipsum retractare, & asserere se mentitum.

Sed quid si intelligat sua retractatione non esse plene cõpensatum cui nocuit, sed illos qui audierunt non adhibere fidem simplici verbo eius dicendo se mentitum esse, (quod frequenter accidit cum procliuiores sint homines ad credenda mala, quam bona) tenetur ne iurare se esse mentitum? Respondetur teneri si opus sit iureiurãdo confirmare se fuisse mentitum: quia tenetur omni via possibili facili saltem & licita famam alterius restituere, atque adeo si credere noluerint simplici eius retractationi, tenetur adhibere iuramentũ cum hæc via facilis, & licita sit, in hoc enim casu non assumitur nomen Dei in vanum, cum in veritate iuret se esse mentitum: & iniustitia, quia exercet actum iustitiæ commutatiuæ, & cum necessitate ad bonum adeo necessariũ fratri, imo Sotus lib.4. de iust.q.6.art.3.ad 4. & Salon.2.2.q.62.artic.2. controuer.13.concl.2. docent teneri adhibere testes, si opus sit ad persuadendum se fuisse mentitum, adeo vt inquit Salon si oportuerit facere expensas in adhibendis illis testibus, & mittendis nuncijs tenetur illas facere, nisi illæ expensæ adeo excederent, vt iudicarentur a prudente maius bonum, quã fama alterius, sed circa hoc vide Greg. de Valent. to. 3. disp. 5.q.6 puncto 5. Quod si facta hac diligentia alij nihilominus sinistre iudicent de fratre, infamator non tenetur ad amplius; quia his adhibitis iam fecit hic quod in se est, vt tollatur sinistra opinio fratris, quod si alij sua malitia volunt adhuc sinistre iudicare, imputetur ipsis, non huic. Sed dices adhuc fama illius manet læsa, & mea culpa, ergo teneor adhuc aliquid vltra facere. Respondeo in hoc casu me iam fecisse quod in me est, & culpa illorum manere adhuc læsam non mea.

Sotus. Salon.

Gregorius.

Sed quid de eo, qui diffamat aliquem manifestando ea, quæ audiuit, vt si dicat audiui Petrum fecisse fornicationẽ; itaque sic loquendo non imponit in publico tale crimen Petro, sed murmurat, vel indiscrete loquitur, vel alicui coram multis narrat, sed non tanquam sibi certum, sed sic se audiuisse, nunquid tenetur restituere, hoc dubium mouet Scotus in hac.q.sub litt. D. §. Et si quæratur. Pro cuius solutione obseruandum est quod qui dicit se audiuisse & vere audiuit tale, vel tale, vel hoc refert, ex quadam inconsideratione, & leuitate, vel animo maleuolo, & cum intentione lædendi illũ de quo est sermo. vel tertio refert se audiuisse quod tamen non audiuit. supposita hac distinctione Dico primo, quod qui refert primo modo. s. ex inconsideratione & animi leuitate, peccat quidem venialiter; quia scandalizat audientes, & a scandalo pusillorum cauere oportet iuxta illud D. Paul. 1. ad Corint. 8. Si Proximum scandalizem non manducabo carnes in æternum, & multi sunt tales pusilli leues ad credendum mala, ideo est periculosum eis talia audita ex relatu referre: quia tamen eiusmodi relatio ex inconsideratione vel leuitate fit, durum est (inquit Scotus) quod excat genus peccati venialis: quia lingua in lubrico posita est, & qui non offendit in verbo hic perfectus est vir, Iacobi. 3. Cæterum ita referens non tenetur restituere: quia dicens se tantum audiuisse, nisi ex modo dicendi ostendat aliquam maiorem certitudinem, quam ex communi relatione, non aufert ex natura actus in opinione aliorum famam ipsi, tum quia audientes non debent simplici relationi fidem adhibere: nam rara fides ideo est, quia multi multa loquuntur. quod si audientes firmiter concipiant illum, de quo est sermo, criminosum esse, leues sunt: quia qui cito credit leuis est corde.

Dico secundo, quod si referat animo maleuolo & cum intentione nocendi, volendo. s. diffamare proximũ peccat mortaliter: quia non est facile excusare, quin sit contra charitatẽ, & per consequens mortale peccatum, sed ad restitutionem minime tenetur: quia ipse falsum crimen non imponit, sed refert se audiuisse.

Dico tertio, quod si talis refert se audiuisse, & non audiuit, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, peccat quidem mortaliter: quia perniciose mentitur, & ad restitutionẽ tenetur, quia falsum crimen imponit, & iniuste famam proximi lædit.

Ad rationes dubitandi ad primam respondeo cum Scoto in hac.q.sub lit.B.§.respondeo sicut dixi &c. quod bona corporis, vel exteriora non sunt diligenda nisi in ordine ad bonum animæ, & ad Deum, hoc autem non est nisi vt possint iuste competere illi, qui diligit, & ideo sicut supra.qu. 2. sub lit. h.§. Respondeo. dictum est de dilectione vitæ propriæ corporalis, ita dico hic de dilectione famæ propriæ, quod quilibet, cui potest iuste competere in se fama, debet magis diligere illam, quam alteri, cui non potest iuste competere. Sed si sibi non potest competere nisi iniuste, alteri autem iuste, magis debet diligere alteri, cui iuste cõuenit, quam sibi, cui iniuste. Et ita est hic; accusato. n. de falso crimine iuste cõuenit fama; accusanti aũt post talem accusationem iniuste: non solum quia mentitus est in accusando, sed quia publice mentitus est, in quo sufficienter, & iudicabiliter se diffamauit. Et ideo postea directe ostendens innocentiam alterius, cui tenetur in hoc, & indirecte nocentiam suam, non tunc proprie diffamat se, sed tunc amouet falsam laudem, qua iste post accusationem mendacem indignus est. Exemplum quis fornicatur tibi videntibus, illi postea accusantibus non diffamãt illum, sed ipsemet se diffamauit in facto illo publico; quia breuiter committendo quodcũq; crimen publice incur

rit

rit læsionem dignitatis, & sic amittit famam quantum est ex se, nec publicatio illa postea, per quam notificatur illa læsio, aufert sibi famam, sed tantummodo facit deuenire magis in publicum illud, quod ex natura actus commissi prius simpliciter erat publicum. hæc Scotus.

Sed breuiter dicendum est, quod ex ordine charitatis simpliciter loquendo bona propria præferenda sunt bonis alienis eiusdem generis, quando propria mihi iuste competunt, nec proximo sunt debita, quod si contra accidat debeo ad restituendum debitum & propria exponere, vt si iniuste accepi 10. aureos Petri, teneor ex meis illos restituere: quia iniuste mihi competunt, Petro vero iuste debentur, ita in proposito infamato debetur fama iuste, detractori vero competit iniuste: quia eo ipso, quo detractor est, amisit ius in bonum nomen; & consequenter debet infamato, & cum damno propriæ famæ famam restituere. Et ex hac respõsione Scoti hęc regula elicitur, simpliciter mea bona præferēda sunt alienis, & quando nocui alienis præferenda est satisfactio alienorum: quia potior est conditio innocentis, & patientis iniuriam, quam inferentis.

Ad secundũ dico inæqualitatem non solum fieri, quando quod vni detrahitur, & decrescit, alteri additur, & accrescit, sed etiam quando iniuste detrahitur fratri, quod suum est. Etenim expoliare verũ dominum re sua, etiamsi illa nulli alteri conferatur, est in iustitia, & eo ipso inæqualitas necessario reficiēda, vt cum comburo domum, vel segetes alicuius, nihil mihi crescit, feci tamen inæqualitatem priuando illũ iniuste re sua, teneorque ad restituendum; sic in proposito, etsi ex infamia alterius nihil mihi famæ, aut lucri accrescat, quia tamen illum sua fama inique expoliaui, feci inæqualitatem in fama, quam teneor restituere.

ARTICVLVS III.

Vtrum qui inique proximum infamauit teneatur omnia damna temporalia ex tali infamia subsequuta, restituere, & resarcire.

QVoniam hæc difficultas non solum esse poterit de eo, qui infamat alterum imponendo illi falsum crimē, sed de eo etiam, qui infamat alium reuelando alterius crimē verum, sed occultum, de quo erit sermo art. 5. ideo de vtroque in hoc art. agemus.

Gabriel. Sotus. Salon.

Quoad primum. Gab. in 4. d. 15. q. 16. art. 2. concl. 1. dicit teneri ad damnum restituendum, non tamen explicat an teneatur in integrum, nec ne. Sotus autem lib. 4. de iust. q. 6. ar. 3. ad 4. & Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. controuer. 20. expresse docēt teneri in integrum omnia damna ex ea infamia subsecuta resarcire; & loquuntur tam de damno dato, quam de bono impedito, vt v. g. qui falso aliquem infamauit, dignum officio, Episcopatu beneficio, quod propter diffamationem nō consequitur, tenetur ei ad totius damni restitutionem. sic qui virginem diffamat, si propterea necesse habet vt dos ei augeatur, vt aque bene nubat, ac ante diffamationem, tenetur dotem augere. Item scholastici infamantes aliquem dignum cathedra propter quam priuatur illa, tenentur illi restituere.

Idem dicendum de religiosis, qui impediunt aliquem ab alicuius gradus consecutione. Et ratio est quia qui sic infamauit causa est efficax & directe per se omnium illorũ damnorum. Qui vero causam damni dat, damnum dedisse censetur, cap. si culpa tua. de iniurijs, & damno datu.

Deinde hęc īfamia est omnino iniuriosa. Impositio. n. falsi criminis duplicem continet iniuriam, primo calumniā, eo quod crimen impingatur ei, qui scitur innocens. Secūdo infamationem, quod hoc alijs persuadeatur, itaque hæc actio omnino est iniuriosa, atq; omne damnum, quod alicui sequitur ex actione in ipsum iniuriosa, est restituendũ ergo &c.

Dices, hoc damnum per accidens sequitur, v. g. infamasti Petrum adulterij; vnde præter intentionem tuam factũ est vt excideret officio, vel beneficio, quod ambiebat. Respõdeo non censeri per accidens sequi: quia etsi non intendebat, tñ labes infamiæ, quam intulisti, est quædam veluti praua dispositio moralis apta impedire commoda, & accrescere incōmoda, ita vt hæc crebro ex ea sequantur, qui ergo hanc per iniuriam infert, censetur esse causa iniusta damnorum, quæ inde sequuntur. Aduerte tamen non esse tantundem restituendum, quanti officium, vel beneficium iam obtentum valet (nisi forte obtento priuatus fuisset) sed quanti spes illa obtinendi valebat, & quo ad hanc primam partem difficultatis omnes Doctores conueniunt.

Sed maior difficultas est de secundo nempe de manifestatione criminis veri, sed occulti, vt quando quis iniuste reuelat crimen verum alterius, sed occultum ad quantam restitutionem damnorum teneatur, quod enim ad restitutionem teneatur omnes cōcedunt, an vero in integrum teneatur restituere, vel solum ad partem pro ratione damni illati, & malitiæ ad arbitrium boni viri, & prudentis, non ita conueniũt Doctores. Nam Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 3. sentit damnũ, quod hinc sequitur non esse integre compensandum, sed partem dumtaxar arbitrio boni viri definiendā. Ratio est, quia si ille priuetur officio, vel impediatur ab eo consequendo, id non tam prouenit ob criminis manifestationem, quæ est iniuriosa, quam ob ipsum crimen, quod vere commissum est, manifestatio autem est solum conditio, quædam veluti applicans, & adducens crimen occultum tanquā causam principalem in cognitionem; Hæc sententia non est improbabilis, præsertim cum multi recentiores illam sequantur, cōtraria tamen est communior. Pro qua dico. Verius videri eum, qui patefacto crimine occulto alteri fuit causa damni, teneri ad integram restitutionem, sicut qui imposuit falsum, vt si impediuit a beneficio, ab optimo matrimonio, ab eleemosynis, cum esset probe dignus. Ita Nauar. c. 18. nume. 45. & alij passim, qui in genere dicunt infamatorem teneri ad restitutionem omnium damnorum, nec distinguunt inter crimen falsum & verum. Ratio est, quia est causa principalis (moraliter) illius damni sicut, qui ignem occultum cineribus detegit, & applicat straminibus vnde vento flante accenditur domus. Deinde ipsum crimen non potest esse causa damni, nisi accedente cognitione, vnde quamdiu crimen manet occultum, non potest inferre damnum, & ita se habet ac si non esset, ergo qui illum manifestat tribuit illi veluti vim nocendi, atq; adeo censetur causa principalis damni secuti.

Sotus. Nauar.

Ex quo sequitur reuelantem occultum fratris crimen nō solum esse causam sine qua non, sed causam etiam directe, & per se, ac efficienter concurrentem ad illa damna: cum illa non sequantur proprie ex crimine, sed ex mala opinione, q̄ cōcipit is, apud quem infamatus est, quam sinistram opinionem non minus generat efficienter, & directe, qui verum occultum manifestat, quam qui falsum imponit.

Et hæc, quæ dicta sunt, tam in priori casu, quam in hoc posteriori procedunt, siue alterum infamet malo animo, siue ob proprium interesse, siue inconsiderate, sed culpabiliter sciens, vel scire debens alterum passurum ex tali infamia, siue bono animo, & zelo id faciat: in his. n. omnibus casibus tenetur restituere; est. n. causa efficax damni cōtra iustitiam, nec bonus nec malus animus ad rem facit: iustitia. n. cuius actus est restitutio, respicit iniustum, vt æqualitatem restituat, nec curat de bono, vel malo zelo, vt expresse testatur Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. part. 3. dub. 6. num. 384.

Petr. Nau.

Sed dubium est an hæredes infamatoris teneantur ad famæ restitutionem, si ipse eam non restituit. Dico primo hæredes loco defuncti non teneri ad famæ restitutionem: quia hæc obligatio est mere personalis: (non enim est ad aliquid dandum, sed ad aliquid agendum) vt obligatio voti personalis, & restitutionis honoris orta ex contumelia, quæ nō transit ad hæredes, cum nullo modo afficiat, vel respiciat bona. in quibus ipsi succedunt, sed nudam personam.

Dico secundo tenentur tamen ad reparationē damnorũ, quæ ex infamia illa secuta sunt. ita Nau. c. 18. n. 45. & Adrianus. quol. 11. Ratio est, quia hæc obligatio non est pure personalis, sed afficit quodammodo bona infamatoris, vnde cũ ea affectione, seu obligatione perueniũt ad hæredes, velut si defuncti domum alterius per iniuriam incendisset, hæredes tenerentur damnum ex bonis illius rependere. Dices, quid si is, qui ratione infamiæ damnum passus est iam obierit: respondeo tunc restitutio facienda est hæredibus ipsius, quia ij succedunt in omnia iura defuncti: sunt enim hæc veluti partes hæreditatis. Petes vtrum defuncto sit fama restituenda. Respondeo affirmatiue: quia fama est bonum, quod homo etiam post mortem censetur possidere, per hāc enim uiuit quodammodo in memoria hominum, vnde maxime solent homines famam appetere post mortem, quasi per hāc consequantur quandam immortalitatem.

Nauar. Adrianus

ART.

ARTICVLVS IV.

Vtrum infamans se ipsum peccet, & ad aliquam restitutionem teneatur.

Caietanus. PRo explicatione huius difficultatis obser. est primo, quod Caiet. 2.2. q. 73. art. 2. negat hominem habere dominium suæ famæ; cum. n. fama sit bonum medium inter vitam, & res externas, potius censet eam collocandam cum vita, cuius domini non sumus, quam cum rebus externis, quarum domini sumus. Et ex hoc fundamento tria infert. Primum esse peccatum mortale ex genere suo infamare se ipsum, & grauius quam si alium infamaret, eo quod magis tenetur famã suam diligere, propter commune bonum, quam famam proximi.

Secundum quod infert est, quod peccatum hoc non solũ est contra charitatem, qua quisque se tenetur diligere, sed ẽt contra iustitiam: quia homo non est ita suus, quin sit pars alterius. s. ecclesiæ & Reipub. cuius membrum est, & proinde ita se disponere tenetur, vt iniuriam non faciat alteri, idest toti cuius est pars.

Tertium, quod infert est, qui in iudicio propter metũ, & tormẽta se ipsum infamat peccat mortaliter, quia nullus metus mortis, aut tormentorum excusat actum, qui ex genere suo est peccatũ mortale ab hoc. q. est peccatum mortale, alioquin pp tormẽta liceret fornicari, & alia huiusmodi facere.

Sententia Caiet reijcitur. Secundo obs. est hanc sñiam Caiet. nõs recentiores Theologi reijcere, & affirmare hominẽ esse vere dominum famæ suæ, sicut rerũ externarũ. Tũ quia homo famam & honorẽ post vitã diuinitus acceptam sibi acquirit, & auget, sicut res ceteras, atq; adeo eius est dñs, vt ceterũ, tum quia nisi esset dominus non posset eius restitutionem cõdonare, (nemo. n. condonare potest, quod non est suum) atqui certum est posse condonare eius restitutionem. Tum demum quia in multis casibus possumus nos infamare. *Quis potest se licite infamare* Primo ad petendum cõsilium. secundo ad nostri humiliationem, sicut latro ille apud Climacum gradu 4. qui publice grauissima crimina cõfessus est, tertio, ad vitandum peccatum superbiæ, vel aliud, quarto, quando iniuste aliquem infamauimus tenemur restituere ipsi famam, ẽt cum nostra infamia si opus est, atqui si non essemus famę domini nihil horum liceret, sicut non licet se ipsum occidere, mutilare, vulnerare ob horum finium aliquem.

Fama nostra potest tribus modis esse proximis necessaria Quarto obs. est, quod fama nostra tripliciter põt esse proximis necessaria. primo quando ex nostra fama ita pendet fama proximi, vt ex nostra infamia illius infamia consequatur, sicut ex infamia. Monachi sequitur infamia quædam Monasterij. Secundo quando fama nostra est necessaria, vt proximo præstemus officium ei stricto iure debito, sicut fama personæ publicæ. Episcopi Parochi. Abbatis necessaria est vt bene regat subditos, & in his duobus euentis, multorum iudicio contra iustitiam peccat, qui se infamat, non quia præcise se ipsum fama priuat, sed quia ex consequenti proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum debitũ officium. Tertio qñ non ex officio, sed solũ ex charitate proximo prodesse tenemur, & per infamiam ad hoc reddimur inepti, tunc solum cõtra charitatẽ peccat, qui se infamat, sicut contra charitatẽ peccat, qui pecuniam, qua pauperibus prodesse poterat abijcit.

Famam propriam nemini negligere licet. Quinto obs. est, Nemini licere famam propriam negligere sine iusta cãe, atq; adeo quamuis homo sit suæ famæ dominus, eam tñ prodigere cũ graui aliorũ scandalo nõ põt sine peccato mortali, & maxime quando infamaret se de turpi, graui, & atroci crimine, vt si se hæreticum, sacrilegum, & Reipub proditorem se esse diceret, propter insignem peccati turpitudinem etiamsi citra iuramentum id affirmaret.

Sexto obs. est. Ad vitandum tormenta valde grauia, quib. quis posset merito celerẽ mortẽ peroptare nõ peccare mortifere. si quis falsum sibi crimen imponat, quamuis certo ob id sit morte plectendus, sicut etiam ad leuia vitanda tormenta confiteri crimẽ suum occultum, vel imponere sibi falsũ si nullum aliud grauius malũ inde metuitur, secus vero si ad vitandum leuia tormenta falso sibi crimen imponeret, ob qđ esset ille morte plectendus dicendum est lethaliter peccare. *Nauar.* Prima pars est cõtra Nauar. in Man. c. 18. nu. 29. & in c. inter verba 11. q. 3. cõcl. 6. corol. 44. nu. 568. & quosdam alios. Sed ita tenet Angelus. detract. 5. nu. 6. Syluest. eodem verb. qu. 3. *Angelus. Syluester. Sotus.* Sotus lib. 5. de iust. q. 10. art. 3. Toletus. lib. 5. c. 6. & multi recẽtiores hoc tempore. *Toletus.* Vnde hæc sententia est tenenda, quam etiam ipsemet Nauar. in c. inter verba. 11. q. 3. concl. 6. corol. 43. nu. 559. tenuit sibi contrarius. Fauet enim multis miseris, qui alioquin non solum corpore, sed etiam anima perirent, confitendo crimina falso contra conscientiam, quæ non audent reuocare metu tormentorum, & ratio est, quia nõ tenetur homo cum tanto cruciatu vitam tueri, ne alius eam eripiat, sicut non tenetur permittere tibiam sibi abscindi, cum tanto dolore. Non. n. (ait ille) tanto dolore digna est salus. Secunda pars sequitur ex dictis, quia quisq; famæ suæ est dominus, ergo sicut eam sine causa prodigere ex genere suo non est mortale, ita multo minus mortale erit, si ob aliquam causam, licet non omnino iustam, & parem eam prodigat. Tertia pars patet, quia ad vitanda tormenta leuia falso sibi crimen imponere, ob quod morte sit plectendus, est peccatũ mortiferum. Tum quia vnus quisque tenetur vitam suam conseruare, & tueri etiam cum aliquo dolore, & incommodo, maxime quando mortem non est commeritus. Tũ quia in hoc casu censeretur sibi sponte mortem immeritam accersere, & se ipsum quodammodu occidere sine causa dando occasionem suæ mortis.

His obseruatis dico primo. Infamare se ipsum non est cõiter contra iustitiã. Ratio est quia ad se ipsum non est iustitia, nec iniustitia, & volenti non fit iniuria, ergo reuelare proprium crimen non est contra iustitiam, & quia homo est dominus suæ famæ, sicut pecuniæ, & aliarũ rerum temporalium. Dixi cõiter non esse contra iustitiam: quia ex accidẽti hoc peccatum esse poterit contra iustitiam, quando per hanc infamiam quam quis infert oritetur notabile nocumentũ alicui tertio, vel in spiritualibus, vel in temporalibus, vt patet ex dictis in quarto notabili.

Dico secundo, qui in tormentis positus, & iniuste rogatus falsũ sibi crimen imposuit, si priuata sit persona non tenetur sibi famam restituere, secus autem si persona fuerit publica, tum quia per mortem eius fit iniuria Reipub. cuius ciuis e medio tollitur, tum quia ex confessione falsi criminis impositi iniuria irrogatur ijs, quibus necessaria erat fama ipsius.

Dico tertio, quod non tenetur restituere sibi famam dicẽdo se ob vim tormentorum imposuisse sibi falsum crimen: Ratio est quia non tenetur id facere, vt saluet vitam, quæ ex priori confessione erit auferenda sibi, licet. n. custos sit vitæ suæ, & non dominus, eam tamen cum tantis tormentis, & iactura custodire nõ tenetur: imo si dominus esset vitæ, mallet semel mori, & suspendi, quam sæpius mori per torturã; neque tenetur id facere, vt restituat famã familiæ ablatam, aut Reipub. Quia fama est principaliter propter ipsum, qui infamatur, & secundario propter alios, principalis autem libere vti potest iure suo, & cedere, nec tenetur cum tam graui suo damno alijs consulere, maxime si nihil se ex huiusmodi retractatione profecturum putet.

Angelus. Syluester. Aliqui tamen volunt & non improbabiliter, quibus tandem consentiunt Angelus, verb. detract. §. 6. & Syluest. eodem verb. q. 3. consultius esse, vt huiusmodi homines in vltimo vitæ, quando sunt supplicio afficiendi populo circunstãti aperiant se vi tormentorum admisisse crimen falso impositum, nec vnquam commissum; quia tunc non adest amplius periculum patiendi noua alia tormenta. Quod si alius crimẽ falsum ex vi tormentorum imponat reus, ob quod alius sit diffamandus, aut damnificandus, absque dubio in patibulo positus dictum suum recantare, & veritatem fateri tenetur, ex Angelo, & Syluestro vbi supra & alijs.

ARTICVLVS V.

Vtrum damnificans alium in bono famæ verum crimen, quod erat occultum propalando teneatur ad restitutionem.

Peccatum secretum celandum est. PRo explicatione huius art. obseru. est, peccatum secretũ, seu occultum alterius celandum esse prout ius naturale, diuinum, & humanum docet; quo ad ius naturale patet; quia sicut ius naturale dictat opera virtutum eo quod mala non sunt non celantur, nisi ex necessitate correptionis, aut punitionis ea detegere oporteat. virtutes. n. a naturali lumine procedunt & ideo natura sua dignæ sunt, vt palam fiant, peccata vero ab ignorantia procedunt: vt. n. 3. Ethic. 1. dicitur. Omnis prauus ignorat. & prou. 14. Errant, operantur malũ,

idest

id est ignorant, imo peccata contra naturam sunt, vt docet S. Thom. 1.2.q.71.art.2. & ideo peccata celari merentur. Quæ ratio etiam satis manifeste in primo homine significata est, qui postquam peccauit statim se abscondit. Gen.3. Vnde in scripturis peccata tenebræ, virtutes vero lux appellantur, vt Io.3. Dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem: erãt enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit odit lucem &c. est ergo iuxta ius naturale vt peccata celentur.

Quo ad ius diuinum id colligunt Doctores ex illo dicto Saluat. Matth.18. Si peccauerit in te frater tuus corripe illũ inter te, & ipsum solum. Ius etiam humanum expresse statuit, ne quis alterius crimen prodat, nisi iuris ordine seruato, vt. C. de famosis libel. l. vnica. Vbi Valentinianus, & Valẽs Imperatores monent, ne quis alium nisi in iudicio diffamet, & facientibus libellos famosos pœnam capitis decernunt, & refertur in c. si quis famosum libellum. 5. q. 1. Et tales in Concilio Elibertino excomunicantur. c. si quis. 5. q. 1. & C. de probat. l. fi. prohibetur ne quis crimen in iudicium deferat, nisi testibus illud probare possit, id quod etiam in c. sciant. 2. q. 8. habetur. Nam crimen, quod non probatur pro falso habetur in iure.

Valentinian.

Conc. Elibert.

Hoc supposito dico. Qui crimen occultum alterius manifestauit, quatuor modis potest famam restituere. Primo si dicat se quidem tale quid narrasse, sed in eo fuisse mentitum, aut dixisse falsum, hoc modo restitui posse probatur; quia & si vno sensu dictum tuum falsum non fuerit, nempe quia erat conforme rei (vere enim commiserat crimen, quod eũ commisisse dixeras) alio tamen sensu falsum fuit, idq; dupliciter. Primo quia non fuit conforme legi diuinæ, vt pote peccatum, quod in scripturis vocatur mendacium, & falsitas, sicut omne opus bonum, quia conforme legi diuinæ vocatur veritas. Secundo quia non fuit verum veritate publica, licet veritate occulta verum fuerit. hoc modo reus cuius crimen est occultum potest negare se fecisse; quia non fecit publice, ita vt teneatur fateri; atque adeo vti potest verbis ambiguis, vt passim notant Doct. vt Scotus hic sub lit. G §. quid ergo? & Adrianus in 4. q. de sigillo confessionis. §. ad argumenta principalia. vers. ad 2. principale. Vbi quamuis præcipue loquatur de confessario producto in testem, agit etiam de reo, & ait reum adiuratum de crimine occulto, de quo iuridice interrogari non potest, respondere posse vrgenti iudici. Non feci crimen, intelligendo, quod possis a me iuridice inquirere. Et Caiet. tom. 1. opusc. septemdecim responsionum, responsione. 5. ait, licere interrogato inique, vtrum habeat complices respondere. Non habeo complices, etiamsi habeat, & dat rationem: quia responsionum verba intelligẽda sunt iuxta sensum interrogationum, quæ fieri debent intra iuris limites. Idem docet Nauar. in Man. c. 12. nume. 8. Hoc et modo testis contra ordinem iuris interrogatus vt testimonium ferat in vero delicto fratris, vti potest ambiguis, quibus ab ipso in vno sensu, vel vero prolatis, decipiat iudicem in alio sensu illa accipientem. Nam quamuis audiẽs in communi sensu verba accipiat, proferens autẽ in alio: quia tamen proferens illa verba non tenetur aperire veritatem audientibus excusatur a mendacio si in eo sensu vera sunt, in quo ab ipsomet proferente intelliguntur.

Quo modo infamator possit famam restituere.

Scotus. Adrianus.

Caiet.

Nauar.

Et confirmatur; quia sicut iudex aliquem condemnans ex allegatis, & approbatis contra suam priuatam scientiam pronuntiat illum reum, & criminosum, quamuis vere nõ sit: quia secundum publicam probationem talis est, pari modo potest iste dicere, se dixisse falsum, vel mendacium: quia non est verum secundum publicam scientiam; Hunc modũ dicendi docent Petrus Nau. lib. 2. de rest. c. 4. p. 3, dub. 5. nu. 380 Melchior Canus & Magister Mansius, quos refert & sequitur Salon. 2.2.q.62. art. 2. controuers. 15. & Greg. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. puncto. 5. propo. 2.

Petr. Nau. Canus. Mansius. Salon. Valent.

Verum & si hic modus sit valde bonus & efficax. tamẽ ad illum non teneris, tum quia non teneris te infamare, tanquã qui falsum crimen imposueris, cum verum dixeris: tũ quia multi putant hunc modum illicitum, vt qui continere videatur mendacium, quorum sententia est probabilis, quãuis contraria sit probabilior.

Secundo modo potest famam restituere si dicat deprehendisse, se fuisse deceptum, vel errasse. v.g. si dicat, quando tale delictum de tali dixi, illud verum existimabam, sed adhibita postea diligentia inueni me praue locutum: ita docet Io. Maior. in 4. d. 15. q. 16. Qui modus est etiam bonus, sed non tenetur eo vti; quia etsi fortasse hoc modo se non infamet, tamen videtur decipere auditores specie quadam mendacij, quod non tenetur facere: imo non potest secundum Caiet. & Sotum.

Maior.

Caiet. Sotus.

Tertio modo potest famam restituere laudando infamatum, & honorifice de eo loquendo: ita vt is, qui infamauit non amplius de re illa apud eosdem homines loquatur, aut apud alios, sed pro occasione, & opportunitate etiam quæsita; bonam famam eius apud eosdem, & alios quo ad fieri poterit citra mendacium inducat, honorifice (vt dixi) & decenter de illo loquendo, & virtutes eius referendo, & familiariter, & amice cum eo agendo. Hunc modum tradunt Caiet. 2.2.q.62. art. 2. ad secundũ, & q. 72. art. 3. Sotus lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad quartum. Nau. in Man. c. 18. nu. 45. & Petrus de Aragon. 2.2.q.62. art. 2. Qui modus restituendi vtique apud prudentes bonus est, cum hic nullum sit mendacium, & infamator agit quantum potest, vt bonam de eo habeant opinionem; Non tamen videtur sufficiens apud doctos, & sapientes: quia cum sciant teneri infamatorem ad se retractandum, nunquam opinionem illã sinistram de illo ob eius reuelationem conceptam deponent, quousque se retractauerit etiam si fratrem illum laudet, & commendet: non enim tollitur opinio de vitio, & de peccato diuulgato ex eo, quod alias ab eodem laudetur, vt constat. Quartus modus restituendi famam est quem docent S. Thom. 2.2.q.62. art. 2. ad secundum, & Scotus hic sub litt. E. §. de 2. quos secuti sunt Gabr. in 4. d. 15. q. 16. art. 2. concl. 3. Sotus lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. Angelus verb. detract. num. 3. Syluest. verb. eodem. q. 4. Nauar. in Man. num. 45. c. 18. vers. Addo quinto. Arago. 2.2.q.62. art. 2. ad secundum notab. 4. Bart. Medina lib. 1. instruct. confes. c. 24. § 33. vers. septimum cap. est. omnes isti docent infamantem non posse dicere se mentitum esse: quia hoc esset dicere mendacium, quod intrinsece malum est. Vnde Scotus hic docet infamatorem non teneri retractare verbum suum, quod proposuit in publico: quia hoc esset dicere mendacium, cum sciat illud, quod proposuit esse verum, & non tenetur mentiri per quodcunque bonum reddẽdũ alij, sed tenetur alio modo licito reddere sibi famam, vt pote per huiusmodi verba. Non credatis eum esse talem, male. n. dixi, & fatue dixi, & hęc quidem vera sunt male dixi, fatue dixi: quia non seruato ordine iuris proposui etiam in publico, quod non est verum publicum. Et persuasio ista non reputetis illum malum, bona est: quia quilibet præsumendus est bonus, donec probetur contrarium iuxta illud extra de scrutinio in ordine faciendo. c. vnico. Humana fragilitas illum, quem indignum esse non nouit, dignũ debeat æxistimare. Sed iste non est probatus malus coram istis, ergo bonum est persuadere eis, quod ipsi non reputent eũ indignum & malum. Verum hic modus videtur quibusdam parum vtilis apud ingeniosos, inde. n. magis confirmabuntur illum crimen commisisse, apud simplices tamen sæpe est vtilis & vsurpandus. Posset autem dici quod differentia est inter infamiam tollere, & infamiam alleuiare, nam quis potest teneri ad vnum, & non ad aliud. Nam qui diffamauit alium falsum crimen imponendo, tenetur tollere infamiam, & nõ solum alleuiare; qui vero infamat alium per veri criminis detectionem non tenentur tollere propositam infamiã, quia ille perpetrando crimen diffamauit se, & alius dumtaxat infamiam illius ampliauit; quare solum tenetur infamiam alleuiare, & non tollere: atque adeo satisfacere tenetur modo debito & possibili, vt docet Scotus in littera.

Caietanus; Sotus. Nauar. Aragon.

D. Thomas. Scotus. Gabriel. Sotus. Angelus. Syluester. Nauar. Aragona. Medina.

Sed petes an teneatur infamator reuocare apud eos, quibus ipse non dixit, seu alij qui ab ipso acceperant. verbi gratia narrasti tribus, illi vero narrant alijs. Respondeo si ab illis tribus stipulatus est silentium, vel putauit omnino rem tacitam fore, non tenetur nisi apud eos reuocare: quia infamia per illos irrogata censetur quasi fortuita respectu ipsius. secus vero si aduertit probabile periculum vlterioris infamiæ, & maxime si crimen sit falsum; tunc enim si isti non restituant, tenetur tanquam causa, vt recte docet Petrus Nauar. lib. 2. cap. 4. nu. 433.

Petr. Nau.

ART.

ARTICVLVS VI.

Vtrum accus[a]tus aut denunciatus iuste negans delictum obiectum peccet mortaliter.

Reus non tenetur fateri veritatem, si Iudex nō interrogat iuridice. PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est primo, reum non teneri fateri veritatem, aut iurare de calumnia (idest se in omni parte litis veritatem dicturum) si iudex non interroget iuridice, seu iuris ordine seruato; colligitur ex cap. qualiter, & quando, &c. cum oporteat, & c. inquisitionis. de accusat. estque communis sententia. DD. vide Henricum quol. 1. q. 34. Angelum, & Syluest. confessio delict. 5. q. 1. Petrum Nauar. lib. 2. q. 4. num. 136. & idem docet expresse S. Thomas. 2. 2. q. 69. art. 2. Non tenetur, inquit, aliquis o[mn]em veritatem fateri; sed illam solum, quam ab eo potest, & debet requirere iudex secundum ordinem iuris. Et ratio est, quia quando non procedit iuridice non potest reo vllam obligationem imponere ad crimen aperiendum, aut ad iurandum, cum ius ei hanc potestatem non concedat. Vnde sequitur reum non teneri ad eius mentem respondere, aut iurare, sed artificio posse eludere.

Henricus. Angelus. Syluester. Petrus Nauar. D. Thomas

Secundo obseruandum est tres esse euentus, quibus iudex potest inquirere secundum ordinem iuris, & etiam debet primus est cum præcessit infamia. secundus cum suppetunt indicia expressa. tertius cum habetur probatio semiplena. sub infamia intellige etiam notorium, cum videlicet delictū cū suo auctore est publice notum. Debet autem hæc fama esse legitime probata per duos testes omni exceptione maiores, nimirum vt iuridice constet esse talem famam, eamque ortam non a maleuolis (vt diximus in nostra practica criminali canonica) atque ita si reus potest accipere contra testes, vel ostendere famam a maleuolis spar[s]am, vel ex errore aliquo natam nō tenebitur fateri, vt recte notat Salonius 2. 2. q. 69. art. 2. controuer. 2. Similiter indicia debent esse legitime probata. Semiprobatio criminis fit per vnum testem iuratum omni exceptione maiorem. hæc non sufficit ad interrogandum iuridice, nisi sit coniuncta cum formali accusatione, vel cum eo, quod vicem accusatoris supplet, vt sunt notorium delicti, fama de auctore, & denunciatio iuridica; quia Iudex ea se iudicium inchoare non potest; sed aliquo horū modorum ad id debet prouocari; atque adeo si nihil horum præcesserit non potest reū obligare in conscientia ad respondendum vt docet Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. & Sotus de secreto. m. 2. q. 6. & alij.

Iudex in tribus euentis potest inquirere secūdū ordinem iuris.

Salon.

Caietanus. Sotus.

Ex hoc sequitur primo quod Iudex interrogat non iuridice siue reum siue testem, quando de crimine occulto interrogat, de quo neq. est fama contra reum, neque indicia competentia, neque probatio semiplena. Vt enim reo possit imponi obligatio a iudice ad fatendum crimen, requiritur, vt iam aliquo horum modorum deductum sit ad notitiam publicam, ita vt reo non suppetat probabilis ratio celandi, seq. defendendi; quamdiu enim delictum est ita occultum, & incertum; vt ipse possit se probabiliter tueri, & depellere obiecta contra omnem rationem, atq. adeo contra ius naturæ est, vt ipsi imponatur obligatio in foro conscientiæ ad illud in suā perniciem pandendum, tale enim præceptum est nimis durum, vt docet Scotus in hac q. sub lit. F. § sed remanet difficultas, & minus consentaneum cum sitioni hominum, eum nemo, vel nisi paucissimi illud sint seruaturi.

Scotus.

Secundo sequitur Iudicem teneri aperire reo statum causæ, probationes, indicia, & testes, vt videat iuridice contra se procedi, seque interrogari posse, & vt si quid contra habeat, possit opponere, & excipere, vt docet Caiet. vbi supra & alij.

Caiet.

Tertio obseruandum est, reum non teneri fateri crimen, quando dubitat vtrum Iudex iuridice (idest ordine iuris seruato) interrog[e]t. Ita Caiet. & Sotus vbi supra, & Adrianus quol. 2. probatur primo: quia nemo tenetur parere superiori cum graui suo, vel alterius incommodo, nisi constet eum legitime præcipere, & habere auctoritatem obligandi; cur enim tantum onus teneatur suscipere ab eo, de quo dubitat, an possit imponere? Secundo in dubio fauendum est reo, quando nullum inde notabile incommodum metuitur.

Caietanus. Sotus. Adrianus.

His obseruatis dico primo. Accusatus & denunciatus iuste negans delictum obiectum in casu, quo tenetur veritatē propalare, vt si essent indicia, vel semiplena probatio peccat mortaliter: Cum enim iuridice interrogatus sit, negando veritatem agit contra iustitiam, & obedientiam iudici debitā, & proinde peccat: Nam obedientia est pars iustitiæ legalis præcipiens, vt quis superiori iuste & iuridice præcipienti obediat, atque adeo iudice iuste rogante teneatur subditus obedire, & veritatem confiteri sub reatu peccati mortalis, quam primum constat ei quod iuridice interrog[a]tur, alias contra iustitiam peccat non seruando alteri ius suum, hoc est non respondendo iudici iuridice roganti; Probatur ea illo Iosue. 7. vbi Iosue interrogauit Acham de crimine suo dicens. Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. & Eccle. 4. dicitur. Pro anima tua (idest vt peccatum vites mortale) ne confundaris dicere verum: Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Ea quibus locis manifestum est licitum esse iudici de crimine interrogare, & delinquentem confiteri teneri, & vtrumque in Dei gloriam cedere sicut alia opera studiosa & iusta, & proinde incentiri ad excusandum peccatum, esse peccatum mortale. Vnde est illud Psal. 140. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Hinc S. Greg. lib. 22. moral. c. 13. ea ponens illud Iob. 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum & c. ait vsitatum humani generis vitium est, & habendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare.

Dico secundo reus contra iuris ordinem de vero crimine occulto accusatus, aut denunciatus respondendo simpliciter se crimen obiectum non commisisse, non mentitur, nec peccat mortaliter. Quia quando quis per eter ius interrogatus est, ista negatio, Non feci, aut non commisi crimen hoc, quamuis videatur in vniuersum crimen negare; dicta tamen in tali loco, coram tali persona, & ad talem interrogationem facta accipi potest restricte, & non in vniuersum. Iudex enim in iudicio vt persona publica reum interrogat, & quamuis in vniuersum interroget, interrogatio tamen eius restricte accipi debet secundum ordinem iuris, scilicet an fecit illud publice, hoc est fecisti crimen, quod potest in iudicio probari, vnde cum interrogatio eius intelligi non debeat de peccato occulto recte, & sine mendacio respondet reus, Non feci, aut non commisi crimen, scilicet probabile in iudicio, seu crimen, de quo tu me iuste interrogare potes. Sicut enim ideo Iudici iuridice procedēti veritatem respondere teneor: quia iudex secundum iuris ordinem ius habet ad interrogandum; ita cum non habet ius ad interrogandum non teneor ei veritatem respondere; sed illam occultare possum. Nec sic respondendo Non feci, aut non commisi crimen mētior. Quia cum iniqua interrogatio neminem obliget, non mentior vtendo huiusmodi verbis, quæ verum sensum habere possunt in mente proferentis: mendacium enim per se in hoc consistit, vt quis verbis intendat negare eam veritatem, quam concipit loquens cum altero; id quod non contingit in proposito: ipse enim verum sensum in mente sua concipit, nimirum, Non feci, aut non commisi crimen probabile in iudicio, aut de quo iuridice interrogari, aut denūciati possum, quod est verum: & hoc est quod dicit hic Scotus sub lit. G. §. Quid ergo, vbi dicit quod cauta est responsio iurista tum, nego proposita vt proponuntur, & hæc quidem sine mendacio possunt dici in proposito: quia proponuntur in publico, & vt publica, & publice probanda, sic autem negare ea potest quis, si scit ea non posse probari in publico idest vt iure publico. Quod si iudex vrgeat eum, vt confiteatur propositum, vel vt publice neget, respondere potest, quod iam sufficienter respondit ad accusationem, & sicut est modus Iurisperitis respondere nec ab illa responsione vult declinate, faciat Iudex erga accusantem quod iuris est. *Scotus.*

Quod si iudex ex sua malitia ita vrgeret. Dic num hoc feceris? siue ego de crimine hoc inquirere possum, siue non? Non tenetur subditus aliter, quam dictum est: quia iniquitas iudicis non gignit nouam obligationem, nec debet introducere nouum sensum, nec debet reus illi respondere secundum suam iniquitatem; sed ad sensum, quem iuridica interrogatio secundum se nata est facere quicquid sit de malitia iudicis.

Sed contra hoc arguitur, qui negat tale crimen verum, sed priuatum in publico sibi oppositum mentitur mendacio pernicioso; quia contra accusantem, & Rempub. quia Respub. propter eius mendacium publicum impeditur

condemnabo, vade in pace. atque adeo si adulteri modo in lege noua occiduntur, eo prouenit quod Principes legem illā de occidendis adulteris statuerunt seruandam in lege noua, quod potuisse facere docuit supra Doctor Sub.

Non est ergo sententia Scoti falsa, neque periculosa, nec temeraria, imo vera catholica, atque pia, a qua non recedunt si recte intelligantur Syluest. verb. furtum. q. 3 & Sotus. li. 5. de iust. q. 3. art. 3. vbi reprehendit Baldum tanquam auctorē huius supplicij. Imo videtur etiam fuisse sententiam D. Th. 2. 2. q. 66. ar. 6. vbi dicit non esse infligendam pœnam mortis pro quolibet peccato mortali, sed pro eo, quo damnum datur irreparabile, quale non est furtum.

Syluester. Sotus. D. Thomas

ARTICVLVS IV.

Vtrum iniuste occidens restituere, & ad quam restitutionem teneatur.

IN hac re aliqua certa sunt, aliqua vero incerta. Primo certum est, quod occidens hominem non potest restituere vitam homini mortuo, hoc enim solus Deus restituere potest. Secundo certum est quoties restitutio fieri non potest rei ablatæ, vt in prædicto casu contingit satis est restituere quantum possibile est, æquiualens enim vix videtur posse restitui ita docent S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad primum. Richar. in 4. d. 15. ar. 5. q. 2. Gabriel. in 4. d. 15. q. 15. ar. 1. nota. 2. Syluest. verb. Rest. 3. q. 2. §. Primum. Sotus lib. 4. de Iust. q. 6. art. 2. ad tertium. Arrag. 2. 2. q. 62. art. 2. & ibi Salon controuer. 4. Gre. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6 punct. 5.

D. Thomas. Richardus. Gabriel. Syluester. Sotus. Arragona. Salon Valentia.

Difficultas sola est quid restituere teneatur. Pro cuius explicatione obseruandum est, quod damnificans in corpore, aut intulit vltimum damnum, scilicet mortem, aut aliud damnū citra mortem, & hoc dupliciter, vel irremediabile, vt mutilatio, vel remediabile, vt vulneratio, & alia læsio curabilis. Secundo obser. est, quod mutilatio potest esse duplex: quia vel est enormis, quæ impedit ex toto actum humanum aliquem, qui competeret homini secundum illam partem amputatā, vt in manus dexteræ amputatione, vbi aufertur omnino actus humanus natus competere secundum illam manum, vel non est enormis, id est, non impediens actum humanum, vt amputatio digiti, vel alicuius partis digiti vel auris. In hoc ar. quærimus de damnificante in corpore, ita quod intulit vltimum damnum puta mortem.

Et circa hoc Scotus in hac quæst. sub litt. C. §. de primo dico, inquit, quod vbi lex talionis iure sancita est, illa est sancta & legitima, atque adeo vbi sancitum est, vt occisus occidatur, teneri homicidam si comprehendatur a iudice (sic enim intelligendus est Scotus eum se ipsum offerre sit contra omne ius naturæ) illam pœnam subire patienter: quia sic commode satisfacit damno illato, & seruat legem iustā talionis, quæ in multis communitatibus statuta est, & rationabiliter: quia est maxime consona legi naturæ, & Mosaycæ, Exo. 21. atq; etiā legi Euangelicæ Mat. 26. omnis qui gladio occidit gladio peribit. Quæ lex si alicubi nō sit statuta nullus debet eam sibi inferre, quia nemo debet esse homicida sui sine præcepto Dei, qui dominus est vitæ & mortis, atq; adeo nec etiā se ipsum iudici offerre tenetur, hoc enim idem fere esset, ac si mortem sibi inferret, & in hoc dicto sic explicato conueniunt cum Scoto omnes Doctores.

Secundo inquit Scotus. Quod expedit tali homicidæ, vt exponat vitam suam in causa iusta, vt pote contra inimicos ecclesiæ pro restitutione facienda illi, cuius vitam abstulit, vult dicere quod vbi talis lex talionis non esset, aut homicida a iudice non capitur, expedire tūc tali homicidæ vt exponat vitam suā in causa iusta, vt in bello iusto pro patria, vel in bello fidelium contra Turcas. Vnde obser. est, quod Scot. non dicit teneri homicidam exponere vitam suam pro bono communi, sed dicit expedire, hoc est esse saluberrimum cōsilium, & quod expedit in hoc loco, non dicat necessitatē sed congruitatem, patet ex his, quæ subdit, dicens. Qui si nec istam restitutionem facere velit, &c. quib. verbis patet, quod liberum est homicidæ exponere vitā pro bono communi si velit, aut non exponere si nolit, non dicit ergo illud verbum expedit necessitatem, sed congruentiam, ex quib. patet quā falso retulerit Salon vbi supra verba Scoti, non. n. dicit Scotus tenetur homicida &c. sed ei expedit vt exponat, patet ēt Sotum loco supra relato & si verba Scoti fideliter retulerit, male tamen ipsum intellexisse, cum ex verbis Scoti inferat ego vero fateor, quod neminem possem sic obligare. Patet etiam quam leuiter Sayros in sua claue regia. lib. 11. cap. 11. hoc dictum Scoti impugnet dicens, quod homicida potest esse talis, vt sit ineptus ad bellum: nā Scotus loquitur de idoneo & apto ad bellū non de inepto & impotenti, & cum dicit, quod restitutio debet fieri hæredibus particularibus, aut filijs, non autem communitati: quia obligatio restituendi sequitur dominium particulare, non commune, tum quia exponendo vitā pro bono communi in bello, nulla ex inde aduenit vtilitas occiso vel hæredibus. Dico primo, quod Scotus non dixit, quod expediat homicidæ exponere vitam pro bono cōmuni, vt satisfaciat Respu. cuius partem, scilicet occisum hominem ex iniuria abstulit. Et esto quod hoc dixerit, vel saltē posset ex dictis eius elici. Dico secundo, rationes Sayri non concludere oppositum, & ad primum dico, quod Respub. habet dominiū particulare super singulos suos ciues, quēadmodum habet particulare dominiū, quarundam Syluarū, nemorum & lacuum &c. licet dominium commune dici posset, quia non est vnius tantum personæ, sed plurium, atq; ita sicut scindentes ligna, vel piscantes in lacu communitatis sine licentia, si faciant magnam stragem, & non ad propriam vtilitatē, sed vt ditentur, peccant mortaliter, & ad restitutionē tenentur pretij & valoris lignorū & pisciū, ita hominē occidens super quē Respub. particulare habet dominiū, ipsi Respub. satisfacere tenetur. Ad secundum cum dicit, quod exponendo vitā pro bono cōi in bello, nulla ex inde aduenit vtilitas occiso vel hæredib. Dico quod nec ēt cum homicida a Repu. in pœnā homicidij interficitur nulla ex inde vtilitas occiso aduenit hæredib. Vnde si præcise restitutio hæredib. particularibus fieri deberet, expediret vt Respub. homicidā demitteret, vt hæredibus occisi satisfacere posset. Ceterum Respub. pœnā Reo infligit, non vt damnū parti læsę cōpēsetur, sed vt iniuria Reipub. & legib. illata vindicetur, alijsq; terror incutiatur, vnde ēt ea crimina, quæ nemini damnū inferunt pœna mortis puniūtur vt sodomia, grauis blasphemia, hæresis. Ex his tñ non intelligo in ferre teneri homicidam exponere vitam suam pro bono cōi, quia oppositū teneo, cū Scoto, & cū cōi Theologorū sententia, sed ostendere volui quā infirmæ sint rationes Sayri contra id quod Scoto imponit.

Tertio dicit Scotus, quod si istam restitutionem nolit facere nimirū exponere vitā in causa iusta, nō pōt omnino esse immunis a restitutione: sicut quidā fatui faciunt, qui absoluūt homicidas, non eis ostendentes restitutionē necessario incūbentem: quasi facilius posset transire homicida, quā (vt ita dicā) canicida, vel bouicida, quia si occidisset quis bouē proximi sui, vel canē, nō absolueretur sine restitutione, tenetur ergo ad restitutionē spiritualem æquiualentē vitæ quā abstulit, sicut pōt esse æquiualētia in talibus. atq; adeo tenetur ex iustitia orare pro illo defuncto, indulgentias illi cōparare, & oīa suffragia spiritualia, quæ poterit in eū conferre. Hoc tertiū dictum, inquit Sotus vbi sup. saluberrimū est consilium, vt in confessione sacramentali iniungatur, cęterū addit ad id nō teneri, vel aliquā satisfactionem pro damno naturali ex iustitia, sed satis esse vt pro damno naturali satisfaciat Deo per pœnitentiam, cū solus Deus vitæ Dominus sit. Quam Soti sententiam secutus est Lessius lib. 2. de iust. cap. 9. dub. 25. & Nauar. in Manu. c. 15. nu. 22.

Sotus

Lessius. Nauar.

Sed falluntur: quia vt docet S. Tho. 2. 2. q. 62. ar. 2. ad primū. pro damno naturali, pro quo æquiualens restitui nequit, fiat satisfactio & cōpensatio possibilis ad arbitriū boni & prudentis uiri, sicut Deo & parentib. non valemus reddere æquiualens, nec parenti gratiā, dicimur aūt satisfacere debito, quod illis debemus, cum reddimus & præstamus quod possumus. Et confirmatur, quia ad iustitiā cōmutatiuā pertinet nō solū reddere iustū, quod cōsistit in indiuisibili. i. æquiualens, verū ēt possibile in eodē genere rerū, aut in alio, vt docet Arist. 5. Eth. c. 5. sed homicida etsi non possit reddere occiso æquiualens, nec in eodē genere, quia non pōt illi restituere vitā, nec in alio: quia nulla re tēporali pōt vita cōpensari ad æqualitatem, pōt tñ alia ratione satisfacere in alio genere rerū, aut pecunia aut beneficijs spiritualibus. Confirmatur secūdo ex c. 21. Exo. vbi pecuniæ cōpensationes taxatæ sunt pro damno corporali, qui. n. percuerit oculū serui, aut ancillæ & luscos eos fecerit, iubetur illū dimittere, pro oculo quē eruit, vbi vt constat pro damno tēporali recōpensatio libertatis iniungitur. Et certe si occidens bouem alterius, vt dicit Scot. ex natura rei obligatur ad restitutionē, quanto magis qui hominem occidit? Vnde iure & merito Doc. cōfessarios reprehendit, qui tam facile absoluunt homicidas, sicut si canicidā absoluerent. De iure ergo naturæ est, vt pro damno corporali vitæ recompensatio fiat ad arbitrium viri boni, & prudentis.

D. Thomas

Arist.

Nec

Nauar. Lessius.

Nec contra hoc sunt leges, quas Nanar. & Lessius adducunt, nimirum. l. qua actione. §. si quis. ff. ad legem Aquiliã, & l. ex hac. ff. si quadrupes, & 1. ff. de his, qui dicecerunt, & l. vlt. ff. de his qui effuderunt. Nam huiusmodi leges solũ determinant compensationem fieri debite in expensis factis in medicatione, & damnis, quæ passus est læsus in opera, & alijs modis, nihil autem docent de restitutione facienda pro damno corporali, quia non potest condigna pro eo compensatio fieri, non tamen ex inde colligitur, non teneri ad restitutionem aliquam pro illo faciendam; sicut nec ex eo, quod Deo æquiualens reddere non possumus, inferre licet, quod nihil ei reddere debeamus. Solum igitur docent illæ leges non posse fieri condignam, & æquiualentem compensationem pro corpore hominis liberi, vel pro vita hominis, quod concedit Scotus in hac q. sub litt. C. §. de primo dico, non tamen affirmant non teneri homicidam ad aliquam pro damno illato compensationem, quod docet Scotus sub litt. F. & G. vbi inquit, & quia vix posset aliquis digne recompensare per actiones illud, quod abstulit homicida, expedit simpliciter animæ talis, scilicet homicidæ, quod solueret per passiones voluntarias, vel patienter susceperas, vt scilicet occideretur pro homicidio, & ideo optime prouisum est communitati, vbi statuta est lex talionis in causa homicidij. Pater enim quantum Deus detestetur homicidium. Quando Dauid (qui tamen iuste occiderat) voluit ædificare sibi domum, sed quia fuit effusor multi sanguinis humani prohibitus est a Deo, si ergo iustus occisor non acceptatur: iniustus occisor vbi apparebit? hoc ergo quod dictum est ibi, est dictum de iniuste occidente, hæc Scotus. Quem secuti sunt Gab. in 4. d. 15. q. 15. art. 2. Syluest. verb. rest. 3. q. 2. §. primum. Adrianus in 4. de rest. q. vlt. Caiet. verb. rest. c. 2. Arrag. 2. 2. q. 62. ar. 2. & ibi Salon. controuer. 4. concl. 3. Gre. de Valẽt. tom. 3. dispnt. 5. q. 6. puncto 5. § 1. & ante ipsos D. Th. 2. 2. q. 62. ar. 2. & Richar. in 4. d. 15. ar. 5. q. 2.

Gabriel. Sylvester Adrianus Caietanus Arragona Salon Va'entia. D Thomas Richardus.

Quarto dicit Scotus, quod tenetur homicida ad omnes expensas, & damna tam in vulnere, quam in medicinis, & alere filios, & quos occisus alere solebat. Pro cuius explicatione nota, homicidam teneri restituere omnia damna ex tali homicidio data in temporalibus, vt v. g. que insumpta sunt ante mortem eius, cum chirurgis, Medicis, & medicinis, & cibis cariotibus, & denique quæcunque insumpta sunt in eius curatione, detrahendo tamen ea, quæ alias ipsemet occisus in cibo, & potu insumpturus erat. Secundo debet compẽsare damna, & lucra quæ occisus, passurus est, aut lucraturus, & hoc ad arbitrium boni, & prudentis viri, consideratis omnibus circũstantijs, ætatis, valetudinis &c, vt explicatius dicemus in sequenti art. Tertio tenetur resundere damna cunctis per hanc occasionem læsis, vnde si occisus sustẽtabat aliquos, puta patrem, matrem, liberos, vel alios, quos occisor ex iustitia, & necessitate alere tenebatur, vt sunt vxor, matrus, & parentes pauperes, tenetur interfector omnibus illis ad tantam restitutionem, quãtum eis abstulit per illius personæ interfectionem, quod intelligas secũdum tempus, quo occisus verisimiliter, fuisset victurus, & operaturus, aut tales fustentaturus, atq. l. hæreditatum computationem, ff. ad legẽ Falcid. & l. cum hi §. modus quoque. ff. de transact. & idẽ docent Panor. in r. c. de iniut. & dam. dato, & Nauar. in Man. c. 15. nu. 24. & Petrus Nauar. lib. 4. de rest. c. 1. dub. 10. n. 76.

Panormit. Nauar. Petr. Nau

Sed dubium est an aliquid restituendum sit pro expensis funeris. Dico ordinarie nihil pro his expensis restituendum quamuis contrarium affirmet Nauar. c. 15. nu. 22. quia etiã si naturali morte obijsset, nihilominus hæ expensæ fieri debuissent, vnde pet occisionem nihil damni ex hac parte est illatum, nisi forte ex acceleratione, eo quod citius isti sumptus fieri debuerunt, quibus adhuc aliquid lucri facere potuisset, sed hoc sub lucro cessante comprehenditur, vel nisi extra patriam, vel alieno loco occisus sit, vbi maiores sumptus, quam domi fieri debuerunt.

Secundo dubitatur an quando homicida sustinuit pęnam talionis debeat fieri damnorum compẽsatio. v. g. occidit quis opificem sua industria alentem familiam, & postea homicida ille suspenditur a iudice, an teneatur etiam vxori, & liberis aliquid restituere pro expensis factis ante mortem occisi, & pro alijs damnis temporalibus inde subsecutis. Nauar. cap. 15. nu. 25. Gabriel in 4. d. 15. q. 15. art. 1. notab. 2. Couar. lib. 2. var. resol c. 10. nu. 7. circa medium. Petrus Nauar. lib. 4. de rest c. 1. dub 10. nu. 41. & Arrag. 2. 2. q. 62. art. 2. docent in rigore omnia damna ex homicidio secuta esse resarcienda:

Nauar. Gabriel. Couar. Pet Naua. Arragona.

quia pœna non infligitur a Iudice vt damnum parti læsę cõpensetur, sed vt iniuria Reipub. & legibus illata vindicetur, alijsque terror incutiatur: cum ergo lex naturalis, & diuina obliget talem occisorem ad restitutionẽ damni illati, sequitur vltra penam temporalem, quam patitur, teneri in conscientia restituere damnum temporale illatum. Cęterũ oppositam sententiam tenet hic Scotus. Quem secuti sunt Gabriel. in 4. d. 15. q. 15. art. 2. Angelus. Rest. 1. §. homicida, Adrianus, q. vlt. de rest. & Salonus. 2. 2. q. 62. ar. 2. controuer. 4. concl 1. & ratio est quia sicut iusta sententia dat ius actori contra reum ad exigẽdam pœnã, cui adiudicatus est pro delicto, ita quoque iusta sententia absoluit reum cum primũ patitur pęnam, cui adiudicatus est ab omni debito ratione illius delicti. Tum quia omnes leges pro homicidio cõdemnant reum, aut ad pęnam talionis, aut ad simile, & æquiualens in alio genere rerum, facta autem solutione in æquiualenti, vel simili, aut in eodem genere rerum, aut in alio satisfacit abunde homicida pro suo delicto, & damno naturali illato nempe occisione.

Scotus. Gabriel. Angelus. Adrianus. Salon.

Verum quamuis hæc sententia in rigore sit vera, & consentanea æquitati, tamen contraria est probabilis ideo sentẽtia Scoti posset hac limitatione glosari, vt hæredes homicidæ quando ipse in corpore plexus fuit in conscientia non teneãtur quidquam soluere, nisi hæredes occisi id exigant, ita enim fere habet vsus, vt pœnæ talionis censeantur acquiescere, & iniuria illata videatur sic esse compensata, at si hæredes occisi exigant aliam compensationem præter pęnam homicidę (quod tamen honesti non solent) tunc hæredes homicidæ videntur teneri: quia damnum iniuste datum non est per penam talionis separatum. Certum tamen est hæredibus occisi nihil deberi pro ipsa vita ablata, etiam si alias pro ea restitutio deberetur: ratio est, quia damnum vitæ censetur pena talionis abunde compensatio vt docet hic Scotus, & Gabriel. vbi supra & alij.

Tertio dubitatur an restituendi obligatio transeat ad hæredes si homicida viuens non satisfecerit, v. g. si Petrus homicida non restituit, vt debuit, teneantur Petri hæredes ad quos bona eius peruenerunt, occisi hæredibus aliquid restituere. Respondeo cum Nauar. in Manu, c. 15. nu. 25. & cum alijs neotericis teneri hæredes homicidæ ad restitutionem tam damni naturalis, quam temporalis; sicut etiam tenẽtur soluere debita, quæ occisor debuit ex iustitia, aut ex contractu, imo addit Nauar. & Arrag. quod fiscus ad id tenetur, si bona fuerint confiscata, vt colligitur ex. l. r. C. ne ex delict. defunct. & ex. l. non possunt, & ex l. in summa. ff. de iure fisci. Quæ omnia intelligi debent, quando homicida reliquit bona libera, in quibus hæredes successerunt, alias non tenentur, qui solum iure successionis primogenituram habet, ad id nõ obligatur. At vero iniuriam compensare non tenentur, nisi homicida viuens condemnatus esset, & transiret in rem iudicatam, vt pro iniuria tantum in alijs bonis fortunæ soluteret, vt Sotus & Arrag. vbi supra notarunt. Et quæ diximus procedunt, ita vt hæredes sub peccato hæc restituere, & cõpensare teneantur.

Nauar.

ARTICVLVS V.

Vtrum iniuste mutilans restituere teneatur, & quid.

Et videtur quod non, quia impossibile est damnificanti in bonis personæ satisfacere, igitur talis damnificans non tenetur: consequentia patet, quia ad impossibile nemo tenetur, & antecedens patet, quia non potest restituere: quia sicut non potest restituere si damnificat in bonis animæ, quia talia non sunt in potestate damnificantis, ita eadem ratione non potest satisfacere in bonis corporis qua non est in potestate mutilantis restituere vsum, membrorum, vel membra ablata ergo &c.

Hanc quæst. tangit Scotus sub lit. I. §. de alia autem damnificatione in corpore. Pro cuius explicatione obseruan. est, quod mutilans compensare debet damna, & lucra, quæ vulneratus passus est, aut erat lucraturus, & hoc ad arbitriũ boni viri, & prudentis, consideratis omnibus circunstãtijs personæ, ætatis, valetudinis &c. v. g. considerari debet, vt hic breuiter notat. Scotus persona mutilantis sit ne diues nec ne? diuiti enim maior satisfactio est imponenda, quam pauperi, itẽ considerari debet persona mutilati, an diues erat, aut pauper, plus. n. est ponderanda mutilatio pauperis, quã diui

tis, si magis egebat parte abscissa ad victum necessariũ: quia vsus fuisset parte illa ad necessaria procuranda. Item an mutilatus vtilis erat suæ familiæ, honorem, & dignitatem illi afferens dum sanus erat; quoniam nihil habebit post mutilationem. Nam pro inutili minus satisfaciendum est. Itẽ an iuuenis, senex, vegetus, infirmus, aut sanus, doctus & peritus in aliqua arte, an ignarus erat, pro iuuene enim, & sano, & docto maior satisfactio facienda est. item considerari debet modus mutilationis, an scilicet prouocatus mutilauerit, aut data opera, an per insidias, & quas; an aperto marte: quia maior iniuria est, vbi data opera, aut per insidias mutilauit, & proinde maior satisfactio debetur.

Item an mutilatio fuit ita iniuriosa, vt etiam hæredes iniuria sint affecti, sic etiam probabile est etiam teneri compẽsare iniuriam illatam, est enim honor res temporalis. Item considerari debent lucra cessantia, & damna emergentia, in qua tamen re minor satisfactio facienda est ex eo, quod illud, quod est in spe minus est, ac minus valet, quã quod est actu, & in se: vnde non sunt soluendæ omnes operæ, quot quot futuræ esse possent, sed quæ moraliter esse possent, vel futuræ essent, habita etiam ratione ætatis, & qualitatis personæ & impedimentorum, quæ alias accidere poterant; poterat enim mutilatus mutare vitam, conijci in carcerem, ægrotari &c. & ideo attento hoc, quod minus sit habere quippiã in spe, quam in re minor satisfactio requiritur ex hac parte, & in hoc sensu intelligenda sunt verba Scoti cum inquit, ꝙ satisfactio debet respondere non solum damno, quod incurrit; quis per mutilationem pro toto tempore futuro, quo vsurus esset quis membro abscisso, sed etiam expensis appositis in curatione, & hoc dicit cap. allegatum supra extra de iniu. & dam. dato.

Maior. Nota tamen quod Ioan. Maior in 4. d. 15 q. 19. dub. vltimo duo docet. Primum est, quod non tenetur lædens nisi ad illa damna, quæ incurrit læsus in bonis fortunæ, adeo vt si læsus recuperet sanitatem, tenetur lædens curare eum suis expensis, & vltra tenetur restituere illud, quod læsus illo tempore lucraretur, & non amplius. Secundum est. Quod si sit læsus irremediabiliter, tenetur lædens illum alere, & restituere alia damna, quæ læsus incurrit deductis laboribus, quantum mutilatus iudicio prudentum in tota vita fuisset lucraturus, deductis tamen laboribus: quia inquit non est æquũm, vt tantum detur quiescenti, quantum daretur laboranti. Cæterum hæc sententia non placet Soto lib. 4. de iust. q. 6. art. 3. ad tertium. Naua. in Man. c. 15. nu. 26. Arrag. 2. 2. q. 62. art. 2. Petro Naua. lib. 4. de rest. c. 1. dub. 10. nu. 67. & Gre. de Valen. to. 3. disp. 5. q. 6. puncto. 5. §. 1. Qui docent cũ Doct. Sub. non solum teneri, ad restitutionem expensarum, quæ rationabiliter factæ sunt in curatione, sed etiam operarũ, quib. læsus priuatus est, propter læsionem: quia est causa horum omnium damnorum, quod enim mutilatus tunc non laboret, non est aliquod eius commodũ; sed potius id ei per iniuriam, & contra voluntatem accidit, vnde quicquid mutilatus sibi, aut suis alioqui propria industria, vel opere lucraturus erat, mutilato restitui debet; nec aliquid debet de lucro futuro detrahi, propterea quod mutilatus non sit laboraturus; quia læsus vellet laborare, & laboraret nisi alius secisset vt non laboraret. Et certe si verum esset quod ait Maior, deducendos esse labores, sequeretur aliquando nihil restituendum fore: quia contingere potest, quod nihil superesset restituendum, si labores deducãtur, vt videre est in eo, qui mutilauit hominem, qui solo suo labore lucrum, & victũ quærebat, vineam aut agrum colendo. Tunc enim si labores deducantur, nihil restat, quod sit sibi recompensandum.

Sotus. Nauar. Arragona. Petr Naua. Valentia.

Sed dubium est, an & quid restituendum sit si ex vulnere non sequitur aliud damnum, quam signum in facie, vel alia deformitas. Respondeo si ex ea nascatur damnum in temporalibus, resarciri debet hoc damnum, verbi gratia si quis iniuste deformat aliquam fœminam, ratione cuius deformitatis ipsa maiori dote indiget, vt æque bene nubat; talis deformans tenetur recompensare dando pecuniam, aut augendo dotem, qua damnum illatũ resarciatur, vt recte docẽt Coua. lib. 2. variarum. c. 10. nu. 5. & Petrus Nauar. lib. 4. de rest. ca. 1. dub. 10. nu. 90. Immo puto etiam in omnibus hanc deformitatem esse compensandam, attenta tamẽ qualitate personę, in qua deformitas illa inest; siquidem pulchritudo, & decentia corporis est bonum quoddam corporale, & ęstimari potest vt alia bona corporalia, quod etiam innuit hic Scotus cum inquit, & vltra placationi ipsius læsi, quæ requireretur etiam si non esset talis mutilatio, & consolationi ipsius afflicti: quia perpetua est sibi desolatio de tali mutilatione.

Couar. Petr Naua.

Ad rationem in principio positam respondet Scotus ad primum dicens. quomodo possibile est restituere bonum animæ, patet in primo art. & bonum corporis in secundo restituendo bona exteriora correspondentia, vel pro occisione bona spiritualia ipsi occiso. Ad rationem ergo negatur antecedens, & cum probatur vtraque pars negatur; nam de bonis animæ potest fieri satisfactio per orationes, & persuasiones deducendo illum ad bonum. atq; adeo bona animæ sunt in potestate nostra dispositiue disponendo nempe ad illa offensum orationibus, & persuasionibus, & de bonis corporis potest aliquo modo satisfacere sicut statutum est per iura.

QVAESTIO IV.

Vtrum damnificans aliquem in bono famæ teneatur ad restitutionem, ita quod pœnitere vere non possit, nisi famam restituat.

HActenus de nocumentis, quæ inferuntur in bonis animæ & corporis, nunc se offert disputatio de damnis, quæ inferuntur in honore, & fama, & quomodo reficienda sint, pro cuius explicatione obseruandum est primo, honorem & famam omnium bonorum exteriorum pręstantissimum esse, quod patet primo ex sacris litteris. Nam prouer. 22. ita legimus. Melius est nomen bonum, quã diuitiæ multæ; super argentum enim & aurum gratia bona, & Eccle. 7. Melius est nomen bonum, quam vnguenta pretiosa, quibus simile est illud Eccle. 41. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri preciosi, & magni, bona vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æuum. Secundo patet auctoritate Ethicorum. Nam Cicero de oratore perfecto ita scribit Rumoris publici auctoritas instar oraculi est. Et Publius Mimus. Honestus rumor, inquit, alterum est patrimoniũ. Quibus simile est illud Isocratis. Honestus thesaurus est gratia, quæ bono viro debetur: ex publicis ergo administrationibus habeas non opibus cumulatior, sed gloria onustior: multis enim opibus præstantior est multitudinis laus. & Plautus in Mustellaria. Ego, inquit, si bonam famam mihi seruabo, sat ero diues, & denique Liuius decad. 1. lib. 3. famæ damna maiora sunt, inquit, quam vt æstimari possint. Et ratio est: quia bona ipsa externa, vt potentatus & diuitiæ propter honorẽ, & famam tanquam propter finem appetuntur teste Aristo. 4. Ethic. c. 5. Vnde merito sapientes bonum nomen vtilitati prætulerunt. Vnde Ouidius lib. 3. de arte amandi ait.

Cicero. Publ. Mim. Isocrates. Plautus. Liuius. Arist. Ouidius.

Quid petitur sacris nisi tantum fama poetis?
Hoc votum nostri summa laboris habet.

Adde quod honor & fama virtutis pręmium est, & eius comes indiuiduus iuxta ea quæ tradit Arist. 4. Ethic. ca. 5. & sanè experientia constat eos, qui virtutem colunt, ab omnib. tam sapientibus quam insipientibus honorari, & perpetuis laudibus celebrari, hinc illud Virgilij.

Arist.

Sum pius Aeneas fama super æthera notus.

& S. Greg. lib. 12. Moral. c. 7. Bonum opus fama laudabilis sequitur, & ab eo vires accipit vti a sole luna splendorem.

D. Greg.

Secundo obseruandum est, quod fama a fando dicitur vt linguæ periti tradunt, ex quo deducitur famam non esse nisi vbi est locutio, licet ergo credulitas sit, vel locutio interior de aliquo, quousq; tamen hæc verbis manifesteiur fama dici non potest vt dicunt aliqui, verum licet sermo, & rumor de vita & moribus alterius fama dici possit nempe a fando, potissimum tamen consistit in ipsa opinione, & iudicio interno. Est autem fama (vt Iurisperiti definiunt) illęsæ dignitatis status legibus & moribus comprobatus. ff. de var. & extraord. cognit. l. cognitionum. § existimatio; sed hic tantũ bona fama describitur. In genere autem sic describi potest, fama est multorum existimatio de vita, & moribus alterius. Estque duplex bona. & mala, nos hic solum de bona agimus, quæ potissimum consistit in opinione virtutis, & sapientiæ, hæc enim duo sunt propria hominis bona, ob quę sola est laude dignus, secundario autem in opinione ingenij, eloquentiæ, nobilitatis, roboris, pulchritudinis, potentiæ opum, & similium, quæ etiam magni æstimantur apud homines, qui & famam ex hisce quærunt.

Quid est quotuplex sit fama.

Tertio

Honor quid sit. Tertio obseruandum est, quod honor nihil aliud est quã testificatio quædam excellentiæ alterius, immediate tamen non est testificatio nostræ opinionis de excellentia alterius, cum quadam nostra submissione, & mediate ipsius excellentiæ; nam signa externa immediate significãt nostros conceptus, & affectus, mediate res ipsas. Hoc autem fit vel verbis, vel signis. Verbis vt quando quis alterum honorifice compellat, vt sapientem eximium, magnificum, clarissimum &c. signis vt genuflexione, corporis inclinatione, cessione primi loci, &c. Qui etiam cupiunt honorari, nihil aliud optant, quã talia signa suæ excellentiæ exhiberi, excellentia autem, quã respicit honor, potissimum consistit in sapientia & virtute, quæ etiam sanctitas dicitur, hæc enim habent præcipuam excellentiam.

Honor & fama differunt. Quarto obseruandum est, quod honor & fama differunt. Nam fama & opinio virtutis sapientiæ, & rerum præclare gestarum alterius, honor autem est testimonium excellentiæ, fama igitur consistit in interna opinione, & dum exit in opus externum dicitur laus, aut vituperatio. Honor autem consistit in externa testificatione nostræ existimationis de excellentia alterius & submissionis nostri. Vnde supponit opinionem excellentiæ, & intentionem exterius per aliquod signum eam testandi, in quo cõsistit honor, idque ideo, quia hoc excellentiæ est debitum. Hinc fit, quod honor sit excellentius quid quam fama; nam includit famam seu opinionẽ excellentiæ, & præterea eius testificationem, & manifestationem, vnde merito *Arist.* Arist. lib. 4. Ethic. c. 3. docet honorem esse maximum inter bona externa, cuius signum est, vt ipse ait, Principatus & diuitiæ propter honorem sunt optabilia.

Fama quomodo læditur. Quinto obseruandum est, quod fama læditur per verba, & detractionem, nam detractio est oblatio seu iniusta denigratio famæ per verba occulta cum intentione nocendi saltẽ in fama: atque a deo detractione aliorum vita vere, vel falso traducitur, & denigratur. honor vero proprie non læditur per detractionem, sed per contemptum, contumeliam, vel irreuerentiam, quæ potest fieri conuitijs aut factis.

Sexto obseruandum est, quod principalis difficultas in hac quæst. non est, an fama inique ablata sit restituenda, sed qua ratione: prius enim illud certissimum est ex dictis in superiori quæst. Nam si fama præstat omnibus diuitijs iuxta illud Prouer. 22. Melius est nomen bonum quam diuitiæ multæ. ergo plus lædit proximum, qui aufert ei nomen bonum; quam qui aufert diuitias si ergo ibi tenetur secundum naturam restituere, multo magis hic. Non enim minus habet locum in restitutione famæ regula illa. Si tua culpa &c. quam in restitutione bonorum temporalium. Tota ergo quæstio est & difficillima, qua ratione debeat fieri famæ restitutio. Pro cuius faciliori, & completa explicatione diuido hanc quæstionem in sequentes articulos.

Primus Art. Vtrum crimen falsum alteri imponens, peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur.

Secundus Art. Vtrum qui iniuste proximum infamauit, teneatur ei famam restituere.

Tertius Art. Vtrum qui inique proximum infamauit, teneatur omnia damna temporalia ex tali infamia subsecuta restituere & resarcire.

Quartus Art. Vtrum infamans se ipsum peccet, & ad restitutionem aliquam teneatur.

Quintus Art. Vtrum damnificans alium in bono famæ verum crimen, quod est occultum propalando teneatur ad restitutionem.

Sextus Art. Vtrum accusatus aut denunciatus iuste negans delictum obiectum peccet mortaliter.

Septimus Art. Vtrum accusatus aut denunciatus de crimine vero, illud negans, & per consequens accusatorem ac calumnia notans, teneatur ad restitutionem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum crimen falsum alteri imponens peccet mortaliter, & ad restitutionem teneatur.

DVo postulat explicari hic articulus. primum an falsum crimen alteri imponens peccet mortaliter. Secundum an ad restitutionem teneatur. Quo ad primum est communis Doctorum sententia esse peccatum mortale ex genere suo alicui crimen falsum imponere siue in iudicio siue extra iudicium, ita docent Alex. de Ales. 2. p. summæ. q 129. m. 3. D. Thomas. 2. 2. q 73. art. 2. & Caiet. ibi. Sotus lib. 5. de iust. q. 2. Angelus in verb. detract. nu. 2 Syluest. eodem verb. q. 1. Nauar. in Man. c. 18. num. 24. & alij, & ratio est quia hoc est pessimum genus detractionis, vt patet ex Psal. 100. Detrahẽtem secreto proximo suo hunc persequebar. & Roma. 1. detractores dicuntur Deo odibiles. & Iacobi. 4. Nolite detrahere alterutrum fratres mei, qui detrahit fratri detrahit legi. idest vt exponit S. Thomas. 2. 2. q. 74. art. 2. ad 3. contemnit præceptum de dilectione proximi. Imo expresse peccat contra octauum decalogi præceptum. Non falsum testimonium dices. *Al. de Ale. D. Thomas. Caietanus. Sotus. Angelus. Syluester. Nauar. D. Thomas.*

Præterea facit etiam contra ius naturæ, faciendo alteri, & imponendo ei crimen, quod sibi fieri, aut imputari nollet. deinde graue damnum infert proximo in re magni momenti, cum damnum famæ grauius sit, quam damnum rerum externarum, iuxta illud Eccles. 4. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri pretiosi & magni, ergo mortaliter ex genere suo peccat.

Dixi esse peccatum mortale ex genere suo; quia vt notat. S. Thomas. 2. 2. q. 73. art. 2. Quamuis detractio communiter sit mortale peccatum: aut quia cum intentione lædendi famã proximi aut quia ex facto re ipsa læditur fama, licet non intendatur explicite. Nonnunquam tamen erit peccatum veniale. s. quando imponitur illi res leuis, & hoc maxime quando illam imponit ex leuitate quadam animi, & defectu plenæ deliberationis, quam sæpe linguæ celeritas præcurrit: si enim materia sit grauis, etiã si ex leuitate procedat, erit mortale peccatum. Imo Nauar. in Man. c. 18. num. 15. ait peccatum esse mortale imponere peccata venialia falsa, aut defectus naturales, vel pene falsos cum talibus circunstãtiis Cuius opinio, vt vera sit, intelligi debet, quoties ex inde sequitur damnum aliquod notabile in fama, aut etiam in consecutione alicuius rei vtilis, prout contingere solet, quando quis ob huiusmodi peccata, & defectus falsos impeditur ab adipiscendo aliquo officio, & gradu, aut ab amicitia, vtili & honorabili repellere, vt si quis ob culpas veniales vanitatis & iracundiæ impeditur ab aliquo officio consequendo, quod sæpe locum habere potest inter religiosos, qui cum perfectionis statum vel habere, vel ad eum tendere teneantur; nonnunquam aliquid suæ famæ, & boni nominis ex venialium culparum falsarum impositione amittunt, vt docet Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. num. 320. & hoc maxime cum grauius peccatum sit falsum alicui imponere, quã verum alicuius crimen occultum detegere. Quod etiam docere videtur. S. Thom. 2. 2. qu. 73. art. 2. in corp. qui postquã docuit non esse peccatum mortale detrahere, quando profertur verbum ex animi leuitate, vel ob causam non necessariã, subdit. Nisi forte verbũ, quod dicitur, sit adeo graue, quod notabiliter famam alicuius lædat, & præcipue in his, quæ pertinent ad honestatem vitæ; quod maxime verum esse cõstat, quando sermo fit de personis, quæ vitæ sanctitate colunt aut voto profitentur vt recte Greg. de Valent. to. 3. disp. 5. qu. 17. punct. 2 animaduertit. *Nauar. Petr. Nau. Valentia.*

Quo ad restitutionem conueniunt omnes Doctores, si falsum imponendo eum infamauit tenetur ad restitutionẽ famæ ablatæ sub peccato mortali. Id quod videtur de fide, tũ propter consensum omnium Doctorum: tum quia sequitur ex altera præmissa de fide. s. bonum nomen, & famam præferri diuitiis Prouer. 22. Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ. Cum igitur restitutio pecuniæ iniuste ablatæ necessaria sit ad salutem, quanto magis restitutio famæ, quæ præstantior est, & cuius ablatio maius damnum infert quã damnum diuitiarum. hæc ratio est Scoti, & est secundum arg. post oppositum.

Et confirmatur quia damnum famæ serpit vt cancer iuxta illud

Fama malum quo non aliud velocius vllum,
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

damnum namque famæ, non est sicut damnum corporis, aut rei familiaris, cuius quantitas cognoscitur a damnificatione, & nõ est maius quã ille vult; non sic de fama, cum non sit postea in potestate infamantis, apud quos postea solum remaneat mala illa opinio, aut quam diu duratura sit illa sinistra opinio. Præterea ad bona temporalia multum conducit fama; in quibus quantum ad multa homo patitur detrimentum amissa fama, immo etiam & ad spiritualia conducit, quandoque præ timore infamiæ multi a peccato retrahuntur.

tur. Vnde quando se infamatos conspiciunt irrefrenate peccant. *D. Hieron.* Hinc D. Hieron. in Matth. 18. ait. Corripiendus est seorsum frater, ne si semel pudorem, vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato. Contingit etiam nonnunquam, vt alij innocentes ob alterius infamiam plura amittant bona spiritualia, & temporalia, quæ ob illius bonam existimationem, & nomen consequerentur, vt patet de Prælatis, Prædicatoribus, populi Rectoribus, & patribusfamilias, quorum bona fama multa commoda spiritualia, & tẽporalia affert subditis & familiæ, quos omnes lædit vnus detractor; id quod *D. August.* maxime in religiosis verum esse docet. S. Augustinus in epist. 137. c. 2. ad plebem Hipponensem his verbis. Cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi sonuerit, vel veri potuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. ex quibus omnibus manifestum est sic lædentem alterius famam sub mortali peccato ad restitutionem obligari. Quoniam vt docet D. Augustinus ad Macedonium epist. 2. & habetur. 14. q. 6. c. 1. si res. Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

Dicitur autem nisi restituatur ablatum, quod intelligendum est inique, aut iniuste ablatum: quoniam inter alias cõditiones ad restitutionẽ famæ necessarias, vna hæc est, quod vere & re ipsa fama ablata sit, & læsa; quamuis enim quis conatus sit alium infamare, si tamen id minime assequatur, puta si vir qui infamatur, eiusmodi est, vt licet quæ de ipso dicũtur secundum se turpia sint & mala, in illo tamen non iudicentur turpia, nec ipse iudicat per illa famam suam minui, vt si de aulico, vel iuuene lasciuo dicas ipsum ardenter amare aliquam puellam, de milite vel nobile descendisse in duellum. hæc enim in istis non iudicantur communiter turpia, nec ipsi putant talia sibi esse infamiæ, sed honori potius, in hoc casu qui talia diceret etsi falso cum ab eis famam nõ tolleret, illam restituere non tenetur. vel quando is cui detrahit erat iam persona infamis in illo genere vitij, vt si dicam & si falso de publica meretrice, concubuisse cum suo Lenone, aut si id quod dicitur est leue, per leuia enim delicta nõ læditur fama, voco autem leuia non venialia, sed quæ tali personæ habentur pro leuibus, ne propterea minuitur optima eius opinio, aliquod enim veniale quod in laicis nullo modo læderet ipsorum opinionem, in religioso & honesto viro plurimum potest nocere vt diximus supra, aut denique quia detrahenti non adhibetur fides, vel quia certo iudicatur ab audientibus mendax, vel iocose loqui, cum inquam in his casibus non sit ablata fama, nec læsa non tenetur ad restitutionem; quia in his casibus nullum ei intulit damnum, aut inæqualitatem, & consequenter nullum ex inde restitutionis vinculum nascitur, sicut fur qui conatus est alienũ rapere si frustratus suo conatu nil accepit, peccauit quidem mortaliter, nihil tamen restituere tenetur: quia nullum intulit damnum, nec fecit aliquam inæqualitatem; ita si per inuidiam odium vindictam, quæstum. falsum ei imposuit, si tamen alij malam de illo opinionem non conceperint, quamuis mortaliter peccauerit ad restitutionem tamẽ non tenetur.

Dixi inique, vel iniuste ablatum, quia ad famæ restitutionem requiritur secundo vt fama lædatur iniuste, Nam cum restitutio sit actus iustitiæ commutatiuæ, qua reficitur iniustitia, & inæqualitas, vbi nocemus quidem proximo iuste tamen, & sine vlla iniuria, ibi non est debitum restitutionis. Vnde non tenetur ad restituendam famam iudex, qui per allegata, & probata condemnauit innocentem: quia licet nocuerit non tamen iniuste, nisi iam alia via iusta & iuridica constaret de illius innocentia. Nec tenetur ad restituendã famam, qui iuste aliquem in iudicio accusauit, aut qui vt frater corripiatur seruato ordine euangelico crimen illius aperuit testibus, vel detulit ad prælatum: quia hic non infamauit fratrem iniuste. Similiter nec qui verum delinquentem dignum supplicio, & cuius crimina iuridice probari possunt accusat apud iudicem, etiamsi id faciat non ex desiderio iustitiæ, sed ex odio, & liuore, peccat quidem grauiter contra charitatem, non tamen contra iustitiam. Dixi verum delinquentem, etenim qui existimat se accusare verum delinquentem fallitur, accusans innocentem, tanquam nocentem, debet cum primum nouerit se deceptum fuisse, se ipsum retractare.

Sed quid si infamatus alia via recuperauit suam famam tenetur ne infamator ad restitutionem. *Adrianus. Nauar.* Adrianus in 4 de restitutione famæ. q. 1. §. contra prædict. in resp. ad 2. & 3. & Nauar. in repet. cap. inter verba. num. 863. docent teneri ad restitutionem: quia vere iste causam efficacem damni dedit, ergo lege iustitiæ tenetur se retractare, sed communior & verior est opposita sententia. Soti. 3. de iust. q. 6. art. 3. ad 4. & eiusdem Nauar. in Man. c. 18. numero 43. sibi contrarij. Petri Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. p. 3. dub. 3. num. 372. Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. ante controuers. 13. & Greg. de Valent. tom. 3. disp. 5. q. 6. puncto 4. dicentium non teneri infamantem ad restitutionem aliquam, aut retractationem. *Sotus. Nauar. Petr. Nau. Salon. Valent.* Quia postquã alter perfecte famam suam recuperauit, non amplius patitur aliquod damnum, aut inæqualitatem, nec iuste conqueri potest de altero, nec alius ei facit iniuriam non restituendo; veluti si Petros recuperasset per se ipsum rem furto ablatam, non tenetur fur ad restitutionem, vt si ego pallium quod Petrus furatus sit, mea diligentia recuperauerim, non tenebitur Petrus aliquid mihi restituere. Vnde si infamaui aliquem de concubinatu, videamque illis quibus dixi constare iam certo falsum esse, quod dixi, non teneor iam famam illi restituere.

Dixi de aliquo capto ab inquisitoribus esse hæreticum, vel suspectum in fide, constat deinde ille perfecte esse purgatũ, & publica sententia ostensum vere catholicum, & liberum ab omni suspicione hæresis, non tenetur famam illi restituere: quia iam cessat omne damnum a me illatum. Infamasset verbi gratia, aliquis Susannam, quando agebatur eius causa de adulterio, quando deinde tam certo & euidenti miraculo, ac testimonio constitit eius innocentia & castitas, non tenebatur aliquid illi in fama restituere. Quod si dicas qui nocet in bonis, etiamsi alter habeat aliunde tenetur nihilominus illi restituere, ergo qui infamauit tenebitur, etiam si fama fratris alia via reparata sit, seipsum retractare. Respondeo non esse idem iudicium: quia quando quis nocet in bonis Petro, etiamsi Petrus aliunde habeat, manet tamen semper damnum illatum Petro cum iniuria, manetque Petrus expoliatus re sibi accepta donec restituatur, at si quis nocuit in fama, ea quacunque via recuperata, cessat omne damnũ, atque ita restitutionis obligatio.

Si rursus instes deflorantem virginem inuitam non liberari onere restitutionis ex eo, quod illa æque bene nupsit, ac si deflorata non esset, ergo nec qui alterum infamauit etiã si infamatus suis optimis factis, & alia via famam suam bonam sit adeptus. Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 3. num. 452. & c. 4 num. 372. tenet sic deflorantem a restitutione liberum esse, atque adeo eamdem esse rationem putat in vtroque casu, oppositum tamen videtur verius. *Petr. Nau.* dispar enim est ratio in hoc casu & illo, quia in casu proposito de fama recuperata, nullum omnino patitur damnum, qui ablatam famam perfecte recuperauit, vt diximus. At vero, quæ per vim deflorata fuit, quamuis æque bene nupserit, ac si deflorata nõ esset, proinde deflorans a tam magna restitutione liberatur, a qua alias liber non fuisset, quia tamen nihilominus ipsa damnũ integritatis virginalis passa est inuita, ad restitutionem ei faciendam obligatur. Addas tamen, quod si sic infamatus ob talem diffamationem damna aliqua incurrisset antequam famam recuperaret, siue illud sit interesse damni emergentis, siue lucri cessantis tenebitur infamator illa restituere etiã post famam recuperatam, sicut in re furtim sublata, quæ postea restituitur. quod solum voluit Adrianus vbi supra non satis vt videtur a Nauar. in Manu. loco citato intellectus, quamuis id aliquo modo insinuat, quod fusius explicabitur in 3. art.

ARTICVLVS II.

Vtrum qui iniuste proximum infamauit teneatur ei famam restituere.

Ratio dubitandi est, quia ordine charitatis bona propria præferenda sunt alienis eiusdem ordinis, vt vita propria famæ alterius, at se ipsum retractare, & affirmare se esse mentitum, esset præferre famam alienam famæ propriæ, & contra ordinem charitatis. ergo &c.

Præterea restitutio fit ad constituendam hanc æqualitatẽ, vt sicut expoliando fratrem aliquo bono, illud mihi creuit, & fratri decreuit, ita per restitutionem recipiat frater, quod illi deest, & detrahatur mihi, quod in me inique abundat, at quando infamaui fratrem nil mihi accreuit honoris & famæ ergo non teneor famam meam minuere, vel potius exponere asserendo me mentitum vt illi fama restituatur.

His

His tamen non obstantibus de hac re communis opinio Doctorũ est, quod infamans alterũ, imponens ei falsum crimen, tenetur ei famam restituere, dicendo se fuisse mentitum, aut dixisse falsum, & intelligunt siue in iudicio siue extra iudicium alterum falsè infamauit. Ita exprefse docent. S. Thom. 2.2.q.62.art.2.ad fecundum, & ibi Caiet. Ricar. in 4. d 15.art.5.q.3.& Scotus in hac.q.sub lit. B. §. in primo dico, quos sequuntur omnes, & addit Scotus quem sequuntur Gab. in 4.d.15.q.16.art.2.concl. 2. & Adrianus in 4. de rest. q.5.§. An autem pecul. quod teneatur retractare id, quod fal so imposuit ita publice, & coram illis, sicut & coram quib. diffamauit. quia alias non feruat iustitiam in reddendo proximo, quod suum est. Et ratio est quia diffamans alterũ falsum imponendo, tenetur restituere famam secundum æqua litatem iustitiæ etiam in eodẽ genere; sed in hoc casu ille æquiualenter reddere non potest nisi retractando falfè impositum, ita publice, & coram illis sicut sibi imposuit, & hoc nõ palliare, sed ita clare & publice sicut imposuit, alioquin non seruaretur æqualitas iustitiæ, reddendo vnicuique quod suũ est: ergo ad retractãdum se tenetur etiam cum damno propriæ famæ.

Præterea nemini licet consulere proprijs bonis cum iactu ra, & damno proximi, at si iste infamator in hoc casu vellet cessare ab hac restitutione famæ illi, quem læsit, ne ipsius fama periclitaretur, esset velle consulere sibi cum damno proximi, ergo &c. Deinde in hoc casu necesse eft alterum manere infamatum aut detractorem ipsum, aut illum, cui detraxit, sed omni iure potior est ratio, & coditio innocentis, & patientis iniuriam, quam inferentis iniuste, ergo qui ita detraxit tenebitur restituere, & cum damno propriæ famæ. ergo &c.

Conclusio tamen huius art. duplici indiget limitatione. Prima est, quando aliter non posset satis prospici famæ alterius, quam dicendo se falsum dixisse, aut fuisse mentitum, si enim satis esset dicere deceptus sum, aut male feci in eo asse rendo, & alter illud dicendo famam suam recuperaret, non opus esset plane confiteri se mentitum fuisse, aut falsum dixisse. Quia hæc retractatio requiritur solum, vt alter famam ablatam recuperet, vnde si sic dicẽdo eam recuperet, fine du bio id sufficiet.

Secunda limitatio est: quando fit æqualitas inter infamãtem & infamatum; si enim tantæ esset dignitatis infamator, vt inter eius famam, & famam alterius esset maximus excessus, & inæqualitas non tenebitur infamator in hoc casu dice re se mentitum fuisse, aut falsum dixisse, sed tatis erit vel pecunia vel alia compensatione ad arbitrium boni, & prudentis viri illi satisfacere. verbi gratia. Si is qui infamauit esset Episcopus, Prælatus, Rex, aut vir illustris, & infamatus esset vassalus, subditus, aut vir plebeius, non enim tenetur Rex aut Prælatus, restituere famam plebeio, aut subdito dicendo se esse mentitum, sed satisfaciet ei via pecuniaria, aut alia simili ad boni viri arbitrium, quod si alter noluerit hanc com pensationem acceptare, non tenebitur infamator amplius facere, ita docent omnes iuniores Theologi; Ratio autem huius limitationis est: quia fama illustris personæ plus valet, quam fama alterius inferioris classis, nemo autem tenetur restituere aliquid cum notabili maiori iactura, quam in tulit, vt in casu proposito contingeret. Vnde quando Auctores docent, quod cum æquali infamia tenetur quis restituere alterius famam, quam denigrauit intelligendi sunt pensa tis conditionibus vtriusque partis, & considerata quantitate nocumentorum, quæ inde sequuntur. His autem duobus casibus exceptis tenetur infamator seipsum retractare, & asserere se mentitum.

Sed quid si intelligat sua retractatione non esse plene cõ pensatum cui nocuit, sed illos qui audierunt non adhibere fidem simplici retractationi eius dicendo se mentitum esse, (quod frequenter accidit cum procliuiores sint homines ad credendα mala, quam bona) tenetur ne iurare se esse mentitum? Respondetur teneri si opus sit iureiurãdo confirmare se fuis se mentitum: quia tenetur omni via possibili facili saltem & licita famam alterius restituere, atque adeo si credere noluerint simplici eius retractationi, tenetur adhibere iuramentũ cum hæc via facilis, & licita sit, in hoc enim casu non assumi tur nomen Dei in vanum, cum in veritate iuret se esse mentitum: & iniustitia, quia exercet actum iustitiæ commutatiuæ, & cum necessitate ad bonum adeo necessariũ fratri, imo Sotus lib.4. de iust.q.6.art.3.ad 4.& Salon.2.2.q.62.artic. 2. contouet.13.concl.2. docent teneri adhibere testes, si opus sit ad persuadendum se fuisse mentitum, adeo vt inquit Salon si oporteret facere expensas in adhibendis illis testibus, & mittendis nuncius tenetur illas facere, nisi illæ expensæ adeo excederent, vt iudicarentur a prudente maius bonum, quã fama alterius, sed circa hoc vide Greg. de Valent.10. 3. disp. 5.q.6 puncto 5. Quod si facta hac diligentia alij nihilominus sinistre iudicent de fratre, infamator non tenetur ad am plius; quia his adhibitis iam fecit hic quod in se est, vt tollatur sinistra opinio fratris, quod si alij sua malitia volunt adhuc sinistre iudicare, imputetur ipsis, non huic. Sed dices adhuc fama illius manet læsa, & mea culpa, ergo teneor adhuc aliquid vltra facere. Respondeo in hoc casu me iam fecisse quod in me est, & culpa illorum manere adhuc læsam non mea.

Sed quid de eo, qui diffamat aliquem manifestando ea, quæ audiuit, vt si dicat audiui Petrum fecisse fornicationẽ; itaque sic loquendo non imponit in publico tale crimen Petro, sed murmurat, vel indiscrete loquitur, vel alicui coram multis narrat, sed non tanquam sibi certum, sed sic se audiuisse, nunquid tenetur restituere, hoc dubium mouet Scotus in hac.q.sub litt.D. §. Et si quæratur. Pro cuius solutione ob feruandum est quod qui dicit se audiuisse & vere audiuit ta le, vel tale, vel hoc refert, ex quadam inconsideratione, & le uitate, vel animo maleuolo, & cum intentione lædendi illũ de quo est sermo. vel tertio refert se audiuisse quod tamen non audiuit, supposita hac distinctione Dico primo, quod qui refert primo modo, f.ex inconsideratione & animi leuitate, peccat quidem venialiter; quia scandalizat audientes, & a scandalo pusillorum cauere oportet iuxta illud D. Paul.1. ad Corint.8. Si Proximum scandalizem non manducabo carnes in æternum, & multi sunt tales pusilli leues ad credendum mala, ideo est periculosum eis talia audita ex relatu referre: quia tamen eiusmodi relatio ex inconsideratione vel leuitate fit, durum est (inquit Scotus) quod exeat genus pec cati venialis: quia lingua in lubrico posita est, & qui non offendit in verbo hic perfectus est vir, Iacobi.3. Ceterum ita re ferens non tenetur restituere: quia dicens se tantum audiuisse, nisi ex modo dicendi ostendat aliquem maiorem certitudinem, quam ex communi relatione, non aufert ex natura actus in opinione aliorum famam ipsi, tum quia audientes non debent simplici relationi fidem adhibere: nam rara fides ideo est, quia multi multa loquuntur. quod si audientes fir miter conciperint illum, de quo est sermo, criminosum esse, leues sunt: quia qui cito credit leuis est corde.

Dico secundo, quod si referat animo maleuolo & cum intentione nocendi, volendo. f. diffamare proximũ peccat mortaliter: quia non est facile excusare, quin sit contra charitatẽ, & per consequens mortale peccatum, sed ad restitutionem minime tenetur: quia ipse falsum crimen non imponit, sed refert se audiuisse.

Dico tertio, quod si talis referet se audiuisse, & non audiuit, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur, peccat quidem mortaliter: quia perniciose mentitur, & ad restitutionẽ tenetur, quia falsum crimen imponit, & iniuste famam proximi lædit.

Ad rationes dubitandi ad primam respondeo cum Scoto in hac.q.sub litt.B.§.respondeo sicut dixi &c. quod bona cor poris, vel exteriora non sunt diligenda nisi in ordine ad bonum animæ, & ad Deum, hoc autem non est nisi vt possint iuste competere illi, qui diligit, & ideo sicut supra.qu. 2. sub litt.I.§. Respondeo. dictum est de dilectione vitæ propriæ corporalis, ita dico hic de dilectione famæ propriæ, quod quilibet, cui potest iuste competere in se fama, debet magis diligere illam, quam alteri, cui non potest iuste competere. Sed si sibi non potest competere nisi iniuste, alteri autem iuste, magis debet diligere alteri, cui iuste cõuenit, quam sibi, cui iniuste. Et ita est hic; accusato.n.de falso crimine iuste cõ uenit fama; accusanti aũt post talem accusationem iniuste: non solum quia mentitus est in accusando, sed quia publice mentitus est, in quo sufficienter, & iudicabiliter se diffamauit. Et ideo postea directe ostendens innocentiam alterius, cui tenetur in hoc, & indirecte nocentiam suam, non tunc proprie diffamat se, sed tunc amouet falsam laudem, quã iste post accusationem mendacem indignus est. Exemplum quis fornicatur tribus videntibus, illi postea accusantibus non diffamãt illum, sed ipsemet se diffamauit in facto illo publico: quia breuiter committendo quodcũq; crimen publice incur

rit læsionem dignitatis, & sic amittit famam quantum est ex se, nec publicatio illa postea, per quam notificatur illa læsio, aufert sibi famam, sed tantummodo facit deuenire magis in publicum illud, quod ex natura actus commissi prius simpliciter erat publicum. hæc Scotus.

Sed breuiter dicendum est, quod ex ordine charitatis simpliciter loquendo bona propria præferenda sunt bonis alienis eiusdem generis, quando propria mihi iuste competunt, nec proximo sunt debita, quod si contra accidat debeo ad restituendum debitum & propria exponere, vt si iniuste accepi 10. aureos Petri, teneor ex meis illos restituere: quia iniuste mihi competunt, Petro vero iuste debentur, ita in proposito infamato debetur fama iuste, detractori vero competit iniuste: quia eo ipso, quo detractor est, amisit ius in bonum nomen, & consequenter debet infamato, & cum damno proprię famæ famam restituere. Et ex hac responsione Scoti hęc regula elicitur, simpliciter mea bona præferēda sunt alienis, & quando nocui alienis præferenda est satisfactio alienorum: quia potior est conditio innocentis, & patientis iniuriam, quam inferentis.

Ad secundū dico inæqualitatem non solum fieri, quando quod vni detrahitur, & decrescit, alteri additur, & accrescit, sed etiam quando iniuste detrahitur fratri, quod suum est. Etenim expoliare verū dominum re sua, etiamsi illa nulli alteri conferatur, est in iustitia, & eo ipso inæqualitas necessario reficiēda, vt cum comburo domum, vel segetes alicuius, nihil mihi crescit, feci tamen inæqualitatem priuando illū iniuste re sua, teneorque ad restituendum; sic in proposito, etsi ex infamia alterius nihil mihi famæ, aut lucri accrescat, quia tamen illum sua fama inique expoliaui, feci inæqualitatem in fama, quam teneor restituere.

ARTICVLVS III.

Vtrum qui inique proximum infamauit teneatur omnia damna temporalia ex tali infamia subsequuta, restituere, & resarcire.

QVoniam hæc difficultas non solum esse poterit de eo, qui infamat alterum imponendo illi falsum crimē, sed de eo etiam, qui infamat alium reuelando alterius crimē verum, sed occultum, de quo erit sermo art. 5. ideo de vtroque in hoc art. agemus.

Gabriel. Sotus. Salon.

Quo ad primum. Gab. in 4. d. 15. q. 16. art. 2. concl. 1. dicit teneri ad damnum restituendum, non tamen explicat an teneatur in integrum, nec ne. Sotus autem lib. 4. de iust. q. 6. ar. 3. ad 4. & Salon. 2. 2. q. 62. art. 2. controuet. 20. expresse docēt teneri in integrum omnia damna ex ea infamia subsecuta resarcire; & loquuntur iam de damno dato, quam de bono impedito, vt v. g. qui falso aliquem infamauit, dignum officio, Episcopatu beneficio, quod propter diffamationem nō consequitur, tenetur ei ad totius damni restitutionem. sic qui virginem diffamat, si propterea necesse habet vt dos ei augeatur, vt æque bene nubat, ac ante diffamationem, tenetur dotem augere. Item scholastici infamantes aliquem dignum cathedra propter quam priuatur illa, tenentur illi restituere.

Idem dicendum de religiosis, qui impediunt aliquem ab alicuius gradus consecutione. Et ratio est quia qui sic infamauit causa est efficax & directe per se omnium illorū damnorum. Qui vero causam damni dat, damnum dedisse censetur, cap. si culpa tua. de iniurijs, & damno dato.

Deinde hęc īfamia est omnino iniuriosa. Impositio. n. falsi criminis duplicem continet iniuriam, primo calumniā, eo quod crimen impingatur ei, qui scitur innocens. Secūdo infamationem, quod hoc alijs persuadeatur, itaque hæc actio omnino est iniuriosa, atq; omne damnum, quod alicui sequitur ex actione in ipsum iniuriosa, est restituendū ergo &c.

Dices, hoc damnum per accidens sequitur, v. g. infamasti Petrum adulterij; vnde præter intentionem tuam factū est vt exciderit officio, vel beneficio, quod ambiebat. Respōdeo non censeri per accidens sequi: quia etsi non intendebat, tñ labes infamiæ, quam intulisti, est quædam veluti praua dispositio moralis apta impedire commoda, & accersere incōmoda, ita vt hæc crebro ex ea sequantur, qui ergo hanc per iniuriam infert, censetur esse causa iniusta damnorum, quæ inde sequuntur. Aduerte tamen non esse tantundem restituendum, quanti officium, vel beneficium iam obtentum valet (nisi forte obtento priuatus fuisset) sed quanti spes illa obtinendi valebat, & quo ad hanc primam partem difficultatis omnes Doctores conueniunt.

Sed maior difficultas est de secundo nempe de manifestatione criminis veri, sed occulti, vt quando quis iniuste reuelat crimen verum alterius, sed occultum ad quantam restitutionem damnorum teneatur, quod enim ad restitutionem teneatur omnes cōcedunt, an vero in integrum teneatur restituere, vel solum ad partem pro ratione damni illati, & malitiæ ad arbitrium boni viri, & prudentis, non ita conueniūt Doctores. Nam Sotus lib. 4. de iust. q. 7. art. 3. sentit damnū, quod tunc sequitur non esse integre compensandum, sed partem dumtaxat arbitrio boni viri definiendā. Ratio est, quia si ille priuetur officio, vel impediatur ab eo consequendo, id non tam prouenit ob criminis manifestationem, quæ est iniuriosa, quam ob ipsum crimen, quod vere commissum est, manifestatio autem est solum conditio, quædam veluti applicans, & adducens crimen occultum tanquā causam principalem in cognitionem; Hæc sententia non est improbabilis, præsertim cum multi recentiores illam sequantur, cōtraria tamen est communior. Pro qua dico. Verius videri eum, qui patefacto crimine occulto alieni fuit causa damni, teneri ad integram restitutionem, sicut qui imposuit falsum, vt si impediuit a beneficio, ab optimo matrimonio, ab eleemosynis, cum esset probe dignus. ita Nauar. c. 18. nume 45. & alij passim, qui in genere dicunt infamatorem teneri ad restitutionem omnium damnorum, nec distinguunt inter crimen falsum & verum. Ratio est, quia est causa principalis (moraliter) illius damni sicut, qui ignem occultum cineribus detegit, & applicat straminibus, vnde vento flante accenditur domus. Deinde ipsum crimen non potest esse causa damni, nisi accedente cognitione, vnde quamdiu crimen manet occultum, non potest inferre damnum, & ita se habet ac si non esset, ergo qui illum manifestat tribuit illi veluti vim nocendi, atq; adeo censetur causa principalis damni secuti.

Sotus. Nauar.

Ex quo sequitur reuelantem occultum fratris crimen nō solum esse causam sine qua non, sed causam etiam directe, & per se, ac efficienter concurrentem ad illa damna: cum illa non sequantur proprie ex crimine, sed ex mala opinione, q̄ cōcepit is, apud quem infamatus est, quam sinistram opinionem non minus generat efficienter, & directe, qui verum occultum manifestat, quam qui falsum imponit.

Et hæc, quæ dicta sunt, tam in priori casu, quam in hoc posteriori procedunt, siue alterum infamet malo animo, siue ob proprium interesse, siue inconsiderate, sed culpabiliter sciens, vel scire debens alterum passurum ex tali infamia, siue bono animo, & zelo id faciat: in his. n. omnibus casibus tenetur restituere; est. n. causa efficax damni cōtra iustitiam, nec bonus nec malus animus ad rem facit: iustitia. n. cuius actus est restitutio, respicit iniustum, vt æqualitatem restituat, nec curat de bono, vel malo zelo, vt expresse testatur Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 4. part. 3. dub. 6. num. 384. Petr. Nau.

Sed dubium est an hæredes infamatoris teneantur ad famæ restitutionem, si ipse eam non restituit. Dico primo hæredes loco defuncti non teneri ad famæ restitutionem: quia hæc obligatio est mere personalis: (non enim est ad aliquid dandum, sed ad aliquid agendum) vt obligatio voti personalis, & restitutionis honoris orta ex contumelia, quæ nō transit ad hæredes, cum nullo modo afficiat, vel respiciat bona. in quibus ipsi succedunt, sed nudam personam.

Nauar. Adrian.

Dico secundo tenentur tamen ad reparationē damnorū, quæ ex infamia illa secuta sunt. ita Nau. c. 18. n. 45. & Adrianus. quol. 11. Ratio est, quia hæc obligatio non est pure personalis, sed afficit quodammodo bona infamatoris, vnde cū ea affectione, seu obligatione perueniūt ad hæredes, veluti si defuncti domum alterius per iniuriam incendisset, hæredes tenerentur damnum ex bonis illius rependere. Dices, quid si is, qui ratione infamiæ damnum passus est iam obietit: respondeo tunc restitutio facienda est hæredibus ipsius, quia ij succedunt in omnia iura defuncti: sunt enim hæc veluti partes hæreditatis. Petes vtrum defuncto sit fama restituenda Respondeo affirmatiue: quia fama est bonum, quod homo etiam post mortem censetur possidere, per hāc enim viuit quodammodo in memoria hominum, vnde maxime solent homines famam appetere post mortem, quasi per hāc consequantur quandam immortalitatem.

ART.

ARTICVLVS IV.

Vtrum infamans se ipsum peccet, & ad aliquam restitutionem teneatur.

Caietanus. PRo explicatione huius difficultatis obser. est primo, quod Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. negat hominem habere dominium suæ famæ, cum. n. fama sit bonum medium inter vitam, & res externas, potius censet eam collocandam cum vita, cuius domini non sumus, quam cum rebus externis, quarum domini sumus. Et ex hoc fundamento tria infert. Primum esse peccatum mortale ex genere suo infamare se ipsum, & grauius quam si alium infamaret, eo quod magis tenetur famā suam diligere, propter commune bonum, quam famam proximi.

Secundum quod infert est, quod peccatum hoc non solū est contra charitatem, qua quisque se tenetur diligere, sed & contra iustitiam: quia homo non est ita suus, quin sit pars alterius, scilicet ecclesiæ & Reipub. cuius membrum est, & proinde ita se disponere tenetur, vt iniuriam non faciat alteri, id est toti cuius est pars.

Tertium, quod infert est, qui in iudicio propter metū, & tormēta se ipsum infamat peccat mortaliter, quia nullus metus mortis, aut tormentorum excusat actum, qui ex genere suo est peccatū mortale ab hoc. q. est peccatum mortale, alioquin pp tormēta liceret fornicari, & alia huiusmodi facere.

Sententia Caiet reijcitur. Secundo obs. est hanc sniam Caiet. oēs recentiores Theologi reijcere, & affirmare hominē esse vere dominum famæ suæ, sicut rerū externarū. Tū quia homo famam & honorē post vitā diuinitus acceptam sibi acquirit, & auget, sicut res ceteras, itq; adeo suus est dñs, vt ceterū, tum quia nisi esset dominus non posset eius restitutionem cō donare, (nemo. n. condonare potest, quod non est suum) atqui certum est posse condonare eius restitutionem. Tum demum quia in mul-

Quis potest se licite infamare. tis casibus possumus non infamare. Primo ad petendum cōsilium. secundo ad nostri humiliationem, sicut latro ille apud Climacum gradu 4. qui publice grauissima crimina cōfessus est, tertio ad vitandum peccatum superbiæ, vel aliud, quarto, quando iniuste aliquem infamauimus tenemur restituere ipsi famam, & cum nostra infamia si opus est, atqui si non essemus famæ domini nihil horum liceret, sicut non licet se ipsum occidere, mutilare, vulnerare ob horum finium aliquem.

Fama nostra potest tribus modis esse proximis necessaria. Quarto obs. est, quod fama nostra tripliciter pōt esse proximis necessaria. primo quando ex nostra fama ita pendet fama proximi, vt ex nostra infamia illius infamia consequatur, sicut ex infamia, Monachi sequitur infamia quædam Monasterij. Secundo quando fama nostra est necessaria, vt proximo præstemus officium ei strictu iure debito, sicut fama personæ publicæ. Episcopi Parochi. Abbatis necessaria est vt bene regat subditos, & in his duobus euentis, multorum iudicio contra iustitiam peccat, qui se infamat, non quia præcise se ipsum fama priuat, sed quia ex consequenti proximo nocet, vel inferendo infamiam, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum debitū officium. Tertio qñ non ex officio, sed solū ex charitate proximo prodesse tenemur, & per infamiam ad hoc redderemur inepti, tunc solum cōtra charitatē peccat, qui se infamat, sicut contra charitatē peccat, qui pecuniam, qua pauperibus prodesse poterat abijcit.

Famam propriam nemini negligere licet. Quinto obs. est, Nemini licere famam propriam negligere sine iusta rōne, atq; adeo quamuis homo sit suæ famæ dominus, eam tñ prodigere cū graui aliorū scandalo nō pōt sine peccato mortali, & maxime quando infamatet se de turpi, graui, & atroci crimine, vt si se hæreticum, sacrilegum, & Reipub proditorem se esse diceret, propter insignem peccati turpitudinem etiamsi citra iuramentum id affirmaret.

Sexto obs est. Ad vitandum tormenta valde grauia, quib. quis posset merito celerē mortē peroptare nō peccare mortifere, si quis falsum sibi crimen imponat, quamuis certo ob id sit morte plectendus, sicut etiam ad leuia vitanda tormenta confiteri crimē suum occultum, vel imponere sibi falsū si nullum aliud grauius malū inde metuitur, secus vero si adu itandum leuia tormenta falsō sibi crimen imponeret, ob qd esset ille morte plectendus dicendum est læthaliter peccare. *Nauar. ... Syluester. ...* Prima pars est cōtra Nauarr. in Man. c. 18. nu. 29. & in c. inter verba 11. q. 3. cōcl. 6. corol. 44. nu. 568. & quosdam alios. Sed ita tenet Angelus. detract. 5. nu. 6. Syluest. eodem verb. qu. 3. Sotus lib. 5. de iust. q. 10. art. 3. Toletus. lib. 5. c. 6. & multi recētiores hoc tempore. *Toletus.* Vnde hæc sententia est tenenda, quam etiam ipsemet Nauar. in c. inter verba. 11. q. 3. concl. 6. corol. 43. nu. 559. tenuit sibi contrarius. Fauet enim multis miseris, qui aliquin non solum corpore, sed etiam anima perirent, confitendo crimina falso contra conscientiam, quæ non audent reuocare metu tormentorum, & ratio est, quia nō tenetur homo cum tanto cruciatu vitam tueri, ne altus eam eripiat, sicut non tenetur permittere tibiam sibi abscindi, cum tanto dolore. Non. n. (ait ille) tanto dolore digna est salus. Secunda pars sequitur ex dictis, quia quisq; famæ suæ est dominus, ergo sicut eam sine causa prodigere ex genere suo non est mortale, ita multo minus mortale erit, si ob aliquam causam, licet non omnino iustam, & parem eam prodigat. Tertia pars patet, quia ad vitanda tormenta leuia falsō sibi crimen imponere, ob quod morte sit plectendus, est peccatū mortiferum. Tum quia vnus quisque tenetur vitam suam conseruare, & tueri etiam cum aliquo dolore, & incommodo, maxime quando mortem non est commeritus. Tū quia in hoc casu censeretur sibi sponte mortem immeritam accersere, & se ipsum quodammodo occidere sine causa dando occasionem suæ mortis.

His obseruatis dico primo. Infamare se ipsum non est cōtra iustitiā. Ratio est quia ad se ipsum non est iustitia, nec iniustitia, & volenti non fit iniuria, ergo reuelare proprium crimen non est contra iustitiam, & quia homo est dominus suæ famæ, sicut pecuniæ, & aliarū rerum temporalium. Dixi cōter non esse contra iustitiam: quia ex accidēti hoc peccatum esse poterit contra iustitiam, quando per hanc infamiam quam quis infert oritur notabile nocumentū alicui tertio, vel in spiritualibus, vel in temporalibus, vt patet ex dictis in quarto notabili.

Dico secūdo, qui in tormentis positus, & iniuste rogatus falso sibi crimen imposuit, si priuata sit persona non tenetur sibi famam restituere, secus autem si persona fuerit publica, non quia per mortem eius fit iniuria Reipub. cuius ciuis e medio tollitur, tum quia ex confessione falsi criminis impositi iniuria irrogatur ijs, quibus necessaria erat fama ipsius.

Dico tertio, quod non tenetur restituere sibi famam dicēdo se ob vim tormentorum imposuisse sibi falsum crimen: Ratio est quia non tenetur id facere, vt saluet vitam, quæ ex priori confessione erit auferenda sibi, licet. n. custos sit vitæ suæ, & non dominus, eam tamen cum tantis tormentis, & iactura custodire nō tenetur: imo si dominus esset vitæ, mallet semel mori, & suspendi, quam sæpius mori per torturā; neque tenetur id facere, vt restituat famā familiæ ablatam, aut Reipub. Quia fama est principaliter propter ipsum, qui infamatur, & secundario propter alios, principalis autem libere vti potest iure suo, & cedere, nec tenetur cum tam graui suo damno alijs consulere, maxime si nihil se ex huiusmodi retractatione profecturum putet.

Aliqui tamen volunt & non improbabiliter, quibus tandem consentiunt Angelus, verb. detract. §. 6. & Syluest. eodem verb. q. 3. consultius esse, vt huiusmodi homines in vltimo vitæ, quando sunt supplicio afficiendi populo circunstāti aperiant se vi tormentorum admisisse crimen falsō impositum, nec vnquam commisisse; quia tunc non adest amplius periculum patiendi noua alia tormenta. *Angelus. Syluester.* Quod si alius crimē falsum ex vi tormentorum imponat reus, ob quod alius sit diffamandus, aut damnificandus, absque dubio in patibulo positus dictum suum recantare, & veritatem fateri tenetur, ex Angelo, & Syluestro vbi supra & alijs.

ARTICVLVS V.

Vtrum damnificans alium in bono famæ verum crimen, quod erat occultum: propalando teneatur ad restitutionem.

PRo explicatione huius art. obseru. est, peccatum secretū, seu occultum alterius celandum esse prout ius naturale, diuinum, & humanum docet; quo ad ius naturale patet; *Peccatum secretum celādum est.* quia sicut ius naturale dictat opera virtutum eo quod mala non sunt non celantur, nisi ex necessitate corruptionis, aut pu nitionis ea detegere oporteat, virtutes. n. a naturali lumine procedūt & ideo natura sua dignæ sunt, vt palam fiant, peccata vero ab ignorantia procedunt: vt. n. 3. Ethic. t. dicitur. Omnis prauus ignorat. & prou. 14. Errant, operantur malū,

tiden

ARTICVLVS VI.

Vtrum accusatus aut denunciatus iuste negans delictum obiectum peccet mortaliter.

Reus non tenetur fateri veritatem, si Iudex nō interrogat iuridice.

PRo explicatione huius difficultatis obseruandum est primo, reum non teneri fateri veritatem aut iurare de calumnia (idest se in omni parte litis veritatem dicturum) si iudex non interroget iuridice, seu iuris ordine seruato; colligitur ex cap. qualiter, & quando, &c. c. cum oporteat; & c. inquisitionis. de accusat. estque communis sententia DD. vide Henricum quol. 1. q. 34. Angelum, & Syluest. confessio delicti. 5. q. 1. Petrum Nauar. lib. 2. q. 4. num. 136. & idem docet expresse S. Thomas. 2. 2. q. 69. art. 2. Non tenetur, inquit, aliquis omnem veritatem fateri; sed illam solum, quam ab eo potest, & debet requirere iudex secundum ordinem iuris. Et ratio est, quia quando non procedit iuridice non potest reo vllam obligationem imponere ad crimen aperiendum, aut ad iurandum, cum ius ei hanc potestatem non concedat. Vnde sequitur reum non teneri ad eius mentem respondere, aut iurare, sed artificio posse eludere.

Henricus.
Angelus.
Syluester.
Petrus Nauar.
D. Thomas

Secundo obseruandum est tres esse euentus, quibus iudex potest inquirere secundum ordinem iuris, & etiam debet primus est cum præcessit infamia. secundus cum suppetunt indicia expressa. tertius cū habetur probatio semiplena. sub infamia intellige etiam notorium, cum videlicet delictū cū suo auctore est publice notum. Debet autem hæc fama esse legitime probata per duos testes omni exceptione maiores, nimirum vt iuridice constet esse talem famam, eamque ortam non a maleuolis (vt diximus in nostra practica criminali canonica) atque ita si reus potest excipere contra testes, vel ostendere famam a maleuolis sparsam, vel ex errore aliquo natam nō tenebitur fateri, vt recte notat Salonius. 2. 2. q. 69. art. 2. controuer. 2. Similiter indicia debent esse legitime probata. Semiprobatio criminis fit per vnum testem iuratum omni exceptione maiorem. hæc non sufficit ad interrogandum iuridice, nisi sit coniuncta cum formali accusatione, vel cum eo, quod vicem accusatoris supplet, vt sunt notorium delicti, fama de auctore, & denunciatio iuridica; quia Iudex ex se iudicium inchoare non potest; sed aliquo horū modorum ad id debet prouocari; atque adeo si nihil horum præcesserit non potest reū obligare in conscientia ad respondendum vt docet Caiet. 2. 2. q. 69. art. 2. & Sotus de secreto. m. 2. q. 6. & alij.

Iudex in tribus euentis potest inquirere secūdū ordinem iuris.

Salon.

Caietanus.
Sotus.

Ex hoc sequitur primo quod Iudex interrogat non iuridice siue reum siue testem, quando de crimine occulto interrogat, de quo neq. est fama contra reum, neque indicia competentia, neque probatio semiplena. Vt enim reo possit imponi obligatio a iudice ad fatendum crimen, requiritur, vt iam aliquo horum modorum deductum sit ad notitiam publicam, ita vt reo non suppetat probabilis ratio celandi, seq. defendendi; quamdiu enim delictum est ita occultum, & incertum; vt ipse possit se probabiliter tueri, & depellere obiecta contra omnem rationem, atq. adeo contra ius naturæ est, vt ipsi imponatur obligatio in foro conscientiæ ad illud in suā perniciem pandendum, tale enim præceptum est nimis durum, vt docet Scotus in hac. q. sub lit. F. §. sed remanet difficultas, & minus consentaneum conditioni hominum, cum nemo, vel nisi paucissimi illud sint seruaturi.

Scotus.

Secundo sequitur Iudicem teneri aperire reo statum causæ, probationes, indicia, & testes, vt videat iuridice contra se procedi, seque interrogari posse, & vt si quid contra habeat, possit opponere, & excipere, vt docet Caiet. vbi supra & alij.

Caiet.

Tertio obseruandum est, reum non teneri fateri crimen, quando dubitat vtrum Iudex iuridice (idest ordine iuris seruato) interroget. Ita Caiet. & Sotus vbi supra, & Adrianus quol. 2. probantque primo: quia nemo tenetur parere superiori cum graui suo, vel alterius incommodo, nisi constet eum legitime præcipere, & habere auctoritatem obligandi; cur enim tantum onus teneatur suscipere ab eo, de quo dubitat, an possit imponere? Secundo in dubio fauendum est reo, quando nullum inde notabile incommodum metuitur.

Caietanus.
Sotus.
Adrianus.

His obseruatis dico primo. Accusatus & denunciatus iuste negans delictum obiectum in casu, quo tenetur veritatē propalare, vt si essent indicia, vel semiplena probatio peccat mortaliter: Cum enim iuridice interrogatus sit, negando veritatem agit contra iustitiam, & obedientiam iudici debitā, & proinde peccat: Nam obedientia est pars iustitiæ legalis præcipiens, vt quis superiori iuste & iuridice præcipienti obediat, atque adeo iudice iuste rogante tenetur subditus obedire, & veritatem confiteri sub reatu peccati mortalis, quam primum constat ei quod iuridice interrogatur, alias contra iustitiam peccat non seruando alteri ius suum, hoc est non respondendo iudici iuridice roganti; Probatur ex illo Iosue. 7. vbi Iosue interrogauit Acham de crimine suo dicens. Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas. & Eccle. 4. dicitur. Pro anima tua (idest vt peccatum vites mortale) ne confundaris dicere verum: Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam & gratiam. Ex quibus locis manifestum est licitum esse iudici de crimine interrogare, & delinquentem confiteri, teneri; & vtrumque in Dei gloriam cedere sicut alia opera studiosa & iusta, & proinde mentiri ad excusandum peccatum, esse peccatum mortale. Vnde est illud Psal. 140. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Hinc S. Greg. lib. 22. moral. c. 13. exponens illud Iob. 31. Si abscondi quasi homo peccatum meum &c. ait vsitatum humani generis vitium est, & habendo peccatum committere, & commissum negando abscondere, & conuictum defendendo multiplicare.

Dico secundo reus contra iuris ordinem de vero crimine occulto accusatus, aut denunciatus respondendo simpliciter se crimen obiectum non commisisse, non mentitur, nec peccat mortaliter. Quia quando quis præter ius interrogatus est, ista negatio, Nō feci, aut non commisi crimen hoc, quamuis videatur in vniuersum crimen negare; dicta tamen in tali loco, coram tali persona, & ad talem interrogationem facta accipi potest restricte, & non in vniuersum. Iudex enim in iudicio vt persona publica reum interrogat, & quamuis in vniuersum interroget, interrogatio tamen eius restricte accipi debet secundum ordinem iuris, scilicet an fecit illud publice, hoc est fecisti crimen, quod potest in iudicio probari, vnde cum interrogatio eius intelligi non debeat de peccato occulto recte, & sine mendacio respondet reus, Non feci, aut non commisi crimen, scilicet probabile in iudicio, seu crimen, de quo tu me iuste interrogare potes. Sicut enim ideo Iudici iuridice procedēti veritatem respondere teneor: quia iudex secundum iuris ordinem ius habet ad interrogandum; ita cum non habet ius ad interrogandum non teneor ei veritatem respondere; sed illam occultare possum. Nec sic respondendo Non feci, aut non commisi crimen mētior. Quia cum iniqua interrogatio neminem obliget, non mentior vtendo huiusmodi verbis, quæ verum sensum habere possunt in mente proferentis: mendacium enim per se in hoc consistit, vt quis verbis intendat negare eam veritatem, quam concipit loquens cum altero; id quod non contingit in proposito; ipse enim verum sensum in mente sua concipit, nimirum, Non feci, aut non commisi crimen probabile in iudicio, aut de quo iuridice interrogari, aut denūciari possum, quod est verum: & hoc est quod dicit hic Scotus sub lit. G. §. Quid ergo, vbi dicit quod cauta est responsio Iuristarum, nego proposita vt proponuntur, & hæc quidem sine mendacio possunt dici in proposito: quia proponuntur in publico, & vt publica, & publice probanda, sic autem negare ea potest quis, si scit ea non posse probari in publico idest vt iure publico. Quod si iudex vrgeat eum, vt confiteatur propositum, vel vt publice neget, respondere potest, quod iam sufficienter respondit ad accusationem, & sicut est modus Iurisperitis respondere nec ab illa responsione vult declinare, faciat Iudex erga accusantem quod iuris est.

Scotus.

Quod si iudex ex sua malitia ita vrgeret. Dic num hoc feceris? siue ego de crimine hoc inquirere possum, siue non? Non tenetur subditus aliter, quam dictum est: quia iniquitas iudicis non gignit nouam obligationem, nec debet introducere nouum sensum, nec debet reus illi respondere secundum suam iniquitatem; sed ad sensum, quem iuridica interrogatio secundum se nata est facere quicquid sit de malitia iudicis.

Sed contra hoc arguitur, qui negat tale crimen verum, sed priuatum in publico sibi oppositum mentitur mendacio pernicioso; quia contra accusantem, & Rempub. quia Respub. propter eius mendacium publicum impeditur

Sotus.

a punitione eius iusta, & contrà personam accusantem: quia per hoc notatur de calumnia. Respondet Doctor præmittendo illud Deuter. 16. Iuste quod iustum est exequeris. Respub. autem non debet omnia mala punire; sed ea dumtaxat, quæ cum hoc quod sunt punienda potest ita potestas iuste punire: talia autem sunt, quæ corã iudice sæculari sufficienter possunt probari. Et ideo non læditur Respub. si diuinum iudicium excedat iudicium eius, vt aliqua reseruentur iudicio, super quæ non potest esse iustum iudicium Reipub. quia homo videt ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor 1. Reg. 16. & per hoc patet ad obiectionem cum dicitur quod est contra Rempub.

Et cum dicitur quod est perniciosum contra accusantem; Dico quod non est verum; sed ipsemet est sibi perniciosus, qui eo modo proponit, quo non deberet proponere, immo deberet non proponere, & ideo imputet sibi si aliqua infamia sequitur: quia ipse est causa, non autem ille negans: quia defendit innocentiam suam in publico, vbi non est nocens, nec habendus est pro nocente, donec fuerit conuictus.

Sed remanet difficultas si peccat mentiendo pro se? idest esto quod non peccet contra Rempub. nec contra accusantem, vtrum peccet mentiendo pro se, idest in animam suã, vel contra se ipsum. Respondet Doctor, durum videretur, quod quilibet accusatus in publico ab vno, statim teneretur de necessitate salutis in publico confiteri illud, & sic statim exponere se patibulo in iudicio sanguinis; sed habendo oculum non tantum ad pœnam; sed ad honestum, & inhonestum; non apparet quod iste honeste, & secundum rectã rationem debeat confiteri coram tali iudice: quia ipse plusquam quicumque alius accusans singularis auferret sibi famam: quia confitenti contra se in iudicio creditur. atq. adeo respondendo non feci, aut non commisi non peccat mortaliter: quia non tenetur de necessitate salutis in publico confiteri crimen occultum, & auferre sibi famam.

Scotus.

Sed nunquid si neget intendens tamen negare illud, vt propositum est, scilicet, vt publicum; sicut Sacerdos facit de confesso dicens nihil mali scio istum fecisse: quia loquitur vt in publico, audiuit autem in alio foro, scilicet pœnitentiæ. Nunquid tenetur iste, qui negauit de illa negatione pœnitere. Respondet Scotus, quod bonarum mentium est culpam agnoscere vbi culpa non est, dist. 5. ad eius. & sunt verba D. Greg. & ideo multo magis vbi dubitatur, an sit culpa, & qualis culpa bonæ mentis est culpam agnoscere; & ideo in tali casu tutum est post talem negationem pœnitere indistincte de hoc, tanquam de tali, quale est, vt pote sub tali indistinctione si mortale tanquam de mortali, si veniale tanquam de veniali. his verbis videtur Scotus significare timere in tali negatione culpam, non iam esse ex iniquitate negationis, quam ex priuilegio bonæ conscientiæ; quæ solet timere etiam vbi culpa non est; propter quod pœnitere in eo casu, quidem tutum est, non tamen debitum. Nec docet (vt vult Sotus de tegendo secreto. m. 3. q. 4. concl. 5.) non licere reo negare se fecisse; quando iniuste interrogatur, sed consuluit, non præcipit, vt ad maiorem cautelam pœniteat reus, qui sic negauit, Quia bonæ conscientiæ solent etiam culpam timere, vbi culpa non est: maxime cum hæc res sit dubia inter Theologos, & alios Doctores, & licet opinio, quam docet Adrianus in 4. in quæst. de sigillo confessionis ad secundum a multis iudicetur vera; non tamen est vsquequaque certa, quin ad maiorem securitatem animæ; sit optimum de tali negatione confiteri. Immo mihi videtur ex Scoto dicendum, quod negans crimen propositum intendens illud negare, vt propositum, scilicet, vt publicum non peccet nec etiam venialiter. Quia si semel dicamus id esse peccatum veniale, seu mendacium officiosum, tunc certe nullo modo licitum erit respondere. Non feci, aut non commisi crimen; quia nemo habet ius ad defendendum se cum peccato, si igitur peccatum esset veniale negare crimen occultum, nullo modo licitum esset sic respondere.

Scotus. *Sotus.* *Adrianus.*

Reus ergo iniuste contra ordinem iuris interrogatus, aut denunciatus vere, actuta conscientia, ac sine vllo peccato asserere potest, se non fecisse crimen illud. Id, quod non solum verum est, quando interrogatur sine iuramento, sed etiam quando adhibuit iuramentum, vt expresse docent Tataretus hic Petrus Nauar. lib. 2. de rest. c. 4 dub. num. 136. par. 2, & par. 3. dub. 15. num. 149. Salon. 2. 2. q. 69. art. 1. concl. 2. & art. 2. controuet. 11. & controuet. 13. concl. 2. Greg. de Valer. tom. 3. disput. 5. quæst. 13. puncto. 2. & præterea Henricus de Gand. quodl. 1. quæst. 33. Angelus in verbo Confessio delicti in princ. Syluest. eodem verb. quæst. 1. & Nauar. in Manu. cap. 12. numero 9. & habetur in cap. qualiter & quando, de accusat. Non enim vt diximus talis mentitur. Neque etiam vane nomen Dei vsurpat. Siquidem ad se, famamque suam tuendam id facit. Et probatur: *quia licet* mendacium quantumuis leue apposito iuramento sit mortale, ratione periurij, & irreuerentiæ, quæ in eo irrogatur Deo, adducendo Deum in testem mendacij; in casu tamen nostro nullum est mendacium, cum nihil falsi dicat secundum mentem suam, nec iuramentum adhibitum prohibet occultare veritatem, quam non manifestare tenemur, nec ad aliquid nos obligat in iudicio, ad quod simpliciter, & ex iustitia tenemur, sed solum auget illud debitum.

Tataretus. *Petrus Nauar.* *Salon.* *Valent.* *Henricus.* *Angelus.* *Syluester.* *Nauar.*

ARTICVLVS VII.

Vtrum accusatus aut denunciatus de crimine vero illud negans, & per consequens accusatorem de calumnia notans, teneatur ad restitutionem.

Ricardus.

De hac re sunt quinque opiniones. Prima est Ricardi in 4. dist. 15. art. 5. q. 3. vbi scribit, quod negans verum crimen sibi impositum ab alio peccat: quia mentitur, & de mendacio pœnitere tenetur, tamen postea non tenetur ratione necessaria ad salutem alij restituere famam recognoscendo verum crimen sibi impositum esse verum: quia cum alius non seruauerit iustitiam in accusando, vel denunciando, & proposuit coram iudice, quod proponendum nõ erat, & quod probare non poterat, ipsemet est principalis causa suæ infamationis.

Caiet.

Secunda sententia est Caiet. 2. 2. q. 62 art. 2. dub. 1. vbi tria docet. Primum est accusatorem hunc dupliciter considerari, primo vt accusator est, seu denunciator, & sic inquit non afficitur iniuria, quando reus, cuius crimen occultum est, illum asserit mentiri: quia reus non tenetur confiteri crimen; & accusator, seu denunciator meretur talem infamiã eo ipso, quod accusauit eum de crimine, quod probare non potuit. Secundo prout est homo priuatus, & sic infertur ei iniuria, si a reo asseratur mendax, reputatur autem mendax eo ipso, quod alter crimen obiectum negat. Secundum est vtrumque ad restitutionem teneri, hoc est tam accusantem, quam accusatum teneri ad restituendam sibi inuicem famã, accusatorem quidem, quia iniuste reuelauit crimen fratris; accusatum vero quia infamauit accusatorem de mendacio cum dixerit verum. Tertium est non posse fieri remissionem iniuriarum ad inuicem, cum nemo sit dominus suæ famæ, & proinde vterque ad restitutionem famæ tenetur diuersimode tamen, accusator quidem dicendo se iniuste fecisse, accusatus vero dicendo accusatorem non esse mentitum, aut calumniatorem esse, sed male, & inique locutum fuisse.

Caietani sententia reprobatur.

Cæterum hæc sententia Caiet. in multis peccat. Primo in illa distinctione accusatoris, quæ Methaphysica est, & in sola operatione intellectus consistens, cum re vera vnus & idẽ sit accusator, & homo qui accusat, sicut fur, & homo qui rapit; In moralibus autem non habent locũ distinctiones istæ Methaphysicæ; in quibus tractantur res quatenus se habẽt re vera, & a parte rei; Vnde si licet infamare iniustum accusatorem, licet etiam infamare illum hominem, qui est iniquus accusator; sicut si licet occidere inuasorem, licet etiam occidere illum hominem, qui est inuasor, & si licet suspendere furem, licet suspendere illum, qui rapuit. Secundo peccat asserendo non licere vtrique remittere sibi vicissim, & reciproce suas infamias; cum vterq. sit dominus suæ famæ, vt diximus supra, & contra ipsum Caiet. communiter docent omnes Doctores.

Scotus. *Nauar.*

Tertia sententia est Scoti lib. 4. de iust. & iure. q. 6. ar. 3. ad 4. & Nauar. in Manu. c. 18. nu. 39. Qui docent accusatũ iniuste, si neget crimen simpliciter, & sine iuramento peccare venialiter tantum, quia est mendacium officiosum, si vero asserat accusatorem mentiri, aut neget crimen cum iuramento peccare quidem mortaliter dupliciter. tum quia mentitur cum iuramento, & omne mendacium, quantumuis officiosum, cui apponitur iuramentum est peccatum mortale; tum

rum etiam, quia infamare proximum de mendacio cum verum dicat est etiam peccatum mortale, non tamen teneri ad restituendam famam accusatori: quia licet peccet non tamē cum iniuria; cum habeat ius tuendi se ipsum in occultis, tuetur autem se ista via vel negando, vel asserendo accusatorem dicere falsum; & qui vtitur iure suo nulli infert iniuriam.

Verum hæc opinio iuris peritis non placet: quia licet verum sit illum, qui vtitur iure suo, nulli inferre iniuriam, attamen cum nullus habeat ius ad tuendum se cum peccato, aut damno proximi si negare crimen occultum est peccatū siue mortale, siue veniale sit, & asserere accusatorem esse mētitum est peccatum, qui hac via seruatur, nō vtitur iure suo, & per consequens infamat illum cum iniuria, tenebiturque ad restitutionem famæ.

Syluester. Adrianus. Maior. Quarta opinio est Sylu: st. verb. rest. 3. §. Tertio quæritur. Adriani in. 4. in. q. 1. de rest. famæ §. pro responsione, & §. deinde respondeo. & Maioris in. 4. d. 15. q. 16. Qui docent huiusmodi reum accusatum contra ordinē iuris tuta conscientia negare crimen suum occultum: neq. teneri propterea restituere famam accusatori.

Scotus. Quinta opinio est Scoti in hac. q. sub litt. F. §. In tertio mēbro dicto &c. Vbi scribit, quod accusatus iniuste negans sibi obiectum crimen non tenetur retractare negationē suā, qua negauit in publico verum crimen sibi impositum: quia non tenetur, quicunque statim in iudicio confiteri se reum non dum conuictus; tenetur tamen per quædam verba sobria, vt dictum est in proximo articulo restituere famam illi accusanti, quem indirecte notauit de calumnia; dicendo non habeatis eum pro calumniatore: quia credo, quod habuit bonam intentionem proponendo; & forte se credidit probare intentum suum, & deceptus fuit. Quibus verbis vult dicere Scotus. Quod accusatus si defendendo se ipsum negauit delictum, vel dixit accusatorem esse mentitum teneri ad restituendam illi famam, non concedendo crimen cum habeat facultatem, & ius celandi crimina occulta, & si vera, nec dicendo accusatorem non esse habendum pro mendace: quia hoc idem est, quod concedere crimen; sed dicendo accusatorem illa dicere bono quidem animo, & ex zelo iustitiæ, ac bona fide putando se dicere verum; sed re vera ipsum decipi, & errare; hac enim via restituit illi famam, & crimen suum occultat sine vlla assertione falsi; quia licet Accusator verum dixerit, cum tamen dixerit illud contra ordinem iuris peccauit grauiter, & eo ipso deceptus est: quia omnis peccans ignorans. 3. Ethi. c. 1.

Hanc Doct. sententiam tutam esse, & salubre consiliū inquit Sotus vbi supra si accusatus illo vti vellet; non esse tamen ad id cogendus, quando negauit crimen occultū quod omni iure potest. Nam qui vtitur iure suo nulli infert iniuriam; & vbi iniuria non est nec debitum restitutionis. Ego autem existimo ne dum hanc Scoti sententiam tutam esse, & salubre esse consilium; sed in aliquo casu necessariū, Pro cuius explicatione obseruandum est primo. Mentiri nullo modo licere siue quis iuridice, siue contra iuris ordinem de crimine accusetur, aut denuncietur; quia mendacium adeo intrinsece malum est, vt nullo modo possit licite fieri, aut ex aliqua circumstantia cohonestari, vt diximus in 2. p. tertij. d. 38. art. 8.

Accusatus iniuste varijs modis potest respōdere crimini obiecto. Secundo obseruandum est. Accusatum iniuste varijs modis posse respondere crimini obiecto. Primo nihil omnino negando vel affirmando, sed postulando solum, vt accusator probet iuridice crimen illud, sicut debet. Secundo negando quæ ibi proponuntur, prout proponuntur, & iacent, quod potest adhuc bifariam accidere: nam vel negat sibi proposita: quia vna cum veris proponit, & miscet simul accusator ille aliqua falsa, in quo casu vere negat reus sibi proposita prout proponuntur; quia in oratione coniuncta ex

Arist. Arist. altera parte falsa, tota oratio est falsa, vel negat: quia proponuntur tanquam ea, quæ iuridice proponi, & probari non possunt, & talis negatio est etiam vera; quia occulta non sunt ea, quæ iuridice interrogari possunt, aut probari. Tertio modo respondendo simpliciter se nihil tale commisisse. Vel quarto modo asserendo accusatorem illud crimen commisisse, & falso imponere, ac in eo omnino mentiri.

Tertio obseruandum est, quæ non tenemur, nec possumus tuta conscientia reuelare, posse nos & cum iuramento affirmare illa nescire: quia nescimus illa ad reuelandum; atque adeo quamuis simpliciter, & in genere ego sciam peccatum occultum Petri: vere tamen dico illud me nescire, quando inique, & contra ordinem iuris compellor, vt illud reuelem: quia in genere moris tantum illud scio ad reuelandum, quod iure aperire possum, quod vero iure aperire non possum rogatus vt reuelem omnino nescio. Ita ex Scoto hic, & Adriano quodl. 11. Syluest. verb. mendacium §. 6. Soto de ratione detegen. sect. m. 3. q. 3. & Gers. Alphabeto. 34. lit. E. *Scotus. Adrianus. Syluester. Sotus. Gers. n.*

Ex his dico primo. Reus saltem ex charitate ita tenetur respondere, & se defendere, vt quam minimum accusatorem lædat, vt si de occulto accusetur sufficit, vt simpliciter neget; quare abstinendum est ab illa verborum asperitate, qua calumniæ, vel mendacij crimen accusatori ingeritur: nam contra charitatem est; si proximo maius malum inferas, quam ad tui defensionem sit necessarium.

Dico secundo. Reus accusatus de crimine, quod iudice probari nequit, non peccat contra iustitiam etiam si neget crimen, immo etiam si dicat accusatorem mentiri, & calumniari, ita Sylucst. rest. 5. q. 3. Nauar. in Manu. capit. 18. numero 49. Petrus Nauar. lib. 2. cap. 4. numero 348. & colligitur ex D. Thoma 2. 2. q. 69. articul. 2. vbi dicit reum se posse tueri quacumque via, modo non dicat mendacium, atqui dum dicit talem accusatorem mentiri, & calumniari non dicit mendacium: Nam qui accusat de eo, quod probare non potest calumniator præsumitur, vt docet Glossa in cap. 2. de calumniatoribus, ac proinde etiam censetur mentiri: tum quia contra mentem, seu contra dictamen conscientiæ suæ loquitur: tum quia falsum præsumitur in iudicio, quod probari nequit. *Syluester. Nauar. Petrus Nauar. D Thomas. Glossa.*

Dico tertio. Accusatus de crimine contra ordinem iuris si respondeat primo, vel secundo modo ex illis quatuor explicatis in secunda obseruatione, quando ipsi sufficienter prosunt in tali iudicio, neque peccat, neque accusatori aliquam infert iniuriam. patet, & de primo quidem modo res est aperta. Exigit enim reus sic respondens, quod iustum est, & nempe probetur crimen, de quo accusatur, cum sine probatione nemo sit condemnandus, qui vero quod iustum est exigit, nec peccat, nec infert alicui iniuriam.

De secundo modo constat etiam: quia si reus neget, quod proponitur prout proponitur, & iacet; vel propterea quod veris miscentur falsa, vel quia proponit, vt iuridice interrogabile, & probabile, quod tale non est, talis negatio, vt explicatum est, est vera; vero autem potest quiuis vti in iusta causa, & in sui defensione, qualis est hæc, citra omne peccatum, vel aliorum iniuriam.

Dico quarto, qui vtitur tertio modo respondendi, quando primo, vel secundo, nec sufficienter, nec commode se tueretur, nec peccat, nec vllam infert accusatori iniuriam, & consequenter ad nullam tenetur restitutionem, probatur, quod potest iudici vere, & tuta conscientia negare testis, potiori iure potest negare ipse reus, cui magis incumbit sui defensio; sed testis contra ordinem iuris interrogatus potest vere & tuta conscientia, & cum iuramento asserere, se illud omnino nescire, aut non vidisse ex tertia obseruatione, ergo multo potius reus contra ordinem iuris interrogatus, potest vere, & tuta conscientia, ac sine vllo peccato asserere, & cum iuramento, se nihil tale commisisse, & ex consequenti nullam sic respondens infert iniuriam accusatori, cum neget quod potest tuta conscientia negare, nec tenebitur ad aliquam restitutionem.

Dico quinto. (& si secundum assertum sit valde probabile.) Reum qui diceret suum accusatorem mentiri peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem famæ. Probatur primo. Accusator dixit verum; ergo reus asserens ipsum mentiri ipse potius mentitur, & suo mendacio infamat accusatorem de mendacio; huiusmodi autem infamia est grauis, ergo mortalis, & cum debito restituendi. Secundo (& hæc ratio est valde efficax.) Cum possit reus se ipsum tueri primo, Secundo & tertio modo ex illis propositis, vtens quarto infamat accusatorem de mendacio sine vlla necessitate, infamare autem aliquem sine necessitate peccatum est mortale, & obligans ad restitutionem. Denique in nullo casu licet imponere alicui falsum crimen; ac quando accusator verum dicit, quamuis inique, asserere illum mentiri est imponere illi falsum crimen, ergo hoc non licet.

Dixi secundam rationem esse valde efficacem; quia licet primum & vltimum argumentum facile dilui possit, si dicamus Deum iuxta secundum assertum non mentiri, nec imponere falsum crimen, cum accusatio eius cordis, quo iniqua est, sit mendacium practicum, & crimen, quod in iudicio non probatur, habeatur pro falso; secundum tamen argumentum est efficax; etenim cum negando delictum & respondendo aliquo ex illis tribus modis sufficienter se meatur quivis reus in quocunque iudicio, sine vlla necessitate asserit accusatorem mentiri, sine vlla vero necessitate infamare accusatorem de mendacio non potest liberari a peccato mortali: Sed dices negando delictum consequenter, & interpretatiue asseritur accusator mendax. Respondeo directe & affirmatiue non licere aliquem infamare de mendacio, indirecte tamen licere: quando ita exigit iusta defensio, quemadmodum nulli licet directe & ex intentione proximum interficere, licet autem indirecte in sui defensionem, quando aliter ab illius inuasione se ipsum liberare non potest. Et in sensu huius quintæ conclusionis intelligendus est Scotus in hoc. 3. art. huius quæst.

Distinctio. XVI.



De tribus quæ &c. Hæc est distinctio decimasexta, in qua Magister postquam determinauit de pœnitentia in generali determinat de partibus eius specialiter diuiditur in tres partes. In prima ostendit quomodo pœnitentia ex tribus partibus integratur. In secunda quanta pœnitentia pro quolibet peccato digne iniungatur. Et in tertia quomodo veniale peccatum, eleemosyna, & oratione dominica expiatur. In speciali sententia Magistri tribus complectitur propositionibus, quarum prima est hæc.

Diuisio.

Perfectio pœnitentiæ in quo cõsistat.

Perfectio pœnitentiæ consistit in tribus, s. in cordis contritione, oris confessione, & operis satisfactione. Nã bisce tribus, s. corde, ore, & opere peruersa operationis cõsuetudine Deum offendimus, & spiritualiter morimur, in cuius rei signum Christus tres suscitauit mortuos, vnũ in domo, alium extra portam, tertium iam fœtidum in sepulchro. Tres ergo mortes, vna quasi in domo, s. cum in corde consentitur libidini; altera quasi prolata iam extra portam, cum in facto procedit assensio; tertia cum vi malæ cõsuetudinis animus premitur, quasi iam fetens in sepulchro. Huic aũt triplici morti triplici remedio occurritur, contritione, confessione, & satisfactione. compunctio nobis commendatur ibi, Scindite corda vestra, & nõ vestimenta vestra. Confessio ibi. Iustus in principio sermonis accusator est sui. Satisfactio a Ioanne præcipitur vbi ait. Facite dignos fructus pœnitentiæ.

Modus veræ pœnitentiæ explicatur.

D. August.

Modum veræ pœnitentiæ in hunc modum explicat Magister, & primo quantum ad cordis compunctionẽ in pœnitentia necessariam. dicẽs. Qui vult perfecte peccata delere, circumstantias peccati consideret, quas D. Aug. innuit. s. criminis qualitatem, in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, nec non quasi hoc fecerit tẽtatione, & in ipsius vitii multiplici executione, seu habituatione. oportet. n. fornicantem pœnitere secundum sui status excellentiam, vel officii, vel secundum modum Meretricis, & in modum sui operis; nec non qualiter turpitudinem egerit, si in loco sacro, si in tempore orationi constituto, vt puta diebus festiuis, vel in ieiunij tempore.

Insuper consideret quantum perseuerauit; tũc defleat peccator, vt sibi Deum inueniat propitium. Secundo explicat pœnitentiæ modum quo ad oris confessionem. Diuidi. n. confessio minime debet, sed integra esse. Vnde verecundia ducti diuersa diuersis sacerdotibus cõfitentes quidam non in laudem Dei; sed in hypocrisim incurrunt; sit itaque integra confessio, caueatq. peccator ad sacramentum altaris accedere, antequam per veram satisfactionem fuerit in bono eius conscientia cõfirmata, & hoc quo ad modum satisfactionis.

Confessio diuidi non debet.

Pœnitentia vera quæ sit.

Secunda propositio. Veræ & condignæ pœnitentiæ dicuntur, quæ secundum auctoritates sanctorum pro qualitate, & quantitate criminum imponuntur. Hanc Magister insinuans dicit, quod qui vult facere fructus dignos pœnitentiæ restringat se a ludis, & huius sæculi spectaculis veram pœnitentiam impedientibus, veramq. satisfactionem; alioquin fructus pœnitentiæ indignos, falsamq. pœnitentiam, nec non satisfactionem faciet ille, qui statum non dimittet primum. Ille namque indignos fructus pœnitentiæ facit, vel falsam pœnitentiam, aut satisfactionem, qui existens in statu, officio, vel negocio, in quo non potest permanere sine peccato, ad pœnitentiam accedit, & statum, officium, vel negocium non dimittit. Expedit tamen illi aliqua bona opera facere, si statum nõ dimittit, vt Deus cor eius ad pœnitentiam illustret. Est autem triplex pœnitentia. Quædam est pœnitentia, quæ agitur ante Baptismum: Adultum enim, qui baptizatur veteris vitæ, antequam nouam inchoet in baptismo, oportet pœnitere. Alia est pœnitentia, quæ post Baptismum fit, & est duplex, vna quæ agitur pro peccatis mortalibus; altera pro venialibus ex humana infirmitate prouenientibus, quæ licet leuia videantur, attamen multiplicata grauant, & opprimunt, sicut aqua paulatim intrans nauem submergit.

Pœnitentia est triplex.

Pœnitentia venialium quæ sit.

Tertia propositio. Quæ sit venialium pœnitentia declaratur hic lucida sententia. Hanc Magister ponens dicit, quod ad deletionem peccatorum venialium, & leuium, sufficiunt oratio dominica, & eleemosyna, cum contritione aliqua, addita confessione si adsit facultas: Nam non sufficit illi, qui grauia peccata commisit a malo recedere, & bonum facere; nisi etiam studeat secundum modum peccatorum suorum Deo per pœnitentiam satisfacere. Quare si habens venialia peccata hoc tenetur facere, multo fortius, & vehementius, qui grauiora commisit. Hæc Magister in hac distinctione. Circa quam Doctor mouet duas quæstiones faciles. Prima.

QVAESTIO I.

Vtrum ista tria Contritio, Confessio, & Satisfactio sint partes pœnitentiæ.



Pro explicatione tituli obseruandum est primo, quod contritio solet sumi ad similitudinem cõtritionis, quæ fit in corporalibus: nam res corporaliter conteri dicitur, quando in minutas partes conteritur. Dolor igitur de peccatis contritio dicitur, non fractio, quæ respicit partes magnas. Vnde tria sunt in contritione attendenda, primo quid sit illud, quod conteritur; Secundo a quo conteritur; Tertio ad quid contritio terminetur. Illud quod conteritur est peccatoris corpus, quod est vas quasi fictile, peccati veneno repletum. & ideo indicans auctoritate Dei contritionem Iohel dixit. Conuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, scilicet in contritione. Illud a quo conteritur cor peccatoris est duplex mola, quarum vna superior, idest sursum eleuans, & est spes veniæ proueniens ex consideratione diuinæ misericordiæ; alia mola est deorsum deprimens, & ista dicitur timor pœnæ veniens ex consideratione diuinæ iustitiæ. Has duas molas debet tenere ve-

Contritio sumitur ad similitudinem contritionis quæ fit in corporalibus.

tus

tus pœnitens, & nũquam deserere, nec eas Diabolo pignori tradere desperando de salute, nec non de peccatorum suorũ enormitate. Illud tandem, ad quod cõtritio terminari dicitur, est vt cor peccatoris durũ vt lapis emolescat, & liquefiat, vt cera iuxta illud Psal. Factũ est cor meum tanquam cera liquescens, de quo alibi dicitur. Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies. Est autem contritio dolor voluntarie pro peccatis assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi: quam definitionem supra explicauimus.

Confessionis varia sunt significata. Secundo obser. est varia secundum Theologos esse confessionis significata. Nam D. August. primo docet duplicem dari confessionem scilicet laudis, & fraudis. Confessio laudis est attestatio diuinæ perfectionis, vt cum Deum prædicamus omnipotentem, piũ, bonum, misericordem, & iustum; & sic filius confessus est patrem, & confessio hæc non pœnitẽtiam semper, sed gratiarum actionem significat, vt in Psal. Confitemini domino, idest laudate dominum, quoniam in sæculum misericordia eius. Et hac confessione nullus digne confitetur (inquit Scotus) nisi prius suscitatus: quia non est speciosa laus in ore peccatoris. *Scotus.* Confessio fraudis accusatio dicitur, qua se ipsum peccator accusat, & hæc secundum Scotum dicitur esse accepta Deo in ore peccatoris, hoc est eius, qui adhuc est peccator, dum tamen non sit peccator in voto, seu actu interiore vel exteriore. Est præterea confessio delicti, quæ fit ad interrogationem iudicis. Insuper datur confessio mentalis, & vocalis. Mentalis est illa, quæ soli Deo fit, hæc est de iure naturæ, vocalis vero illa, quæ fit sacerdoti, & hæc est de iure diuino, vt infra videbimus; quid autem sit confessio sacramentalis dist. 17. explicabimus.

Satisfactio bifariã sumitur. Tertio obser. est quod satisfactio bifariã sumitur vno modo generaliter, & sic a Scoto describitur. Satisfactio est redditio voluntaria æquiualentis alias indebiti cuius finitionis explicationem vide supra. *Gabriel.* Consistit autem hæc satisfactio (vt docet Gabriel d. 15.) regulariter magis in actibus pęnalibus, vel passionibus volũtarijs, quã in alijs actibus bonis nõ pęnalibus; culpa.n. ordinatur per debitã pęnam; & ideo sm̃ diuinã iustitiam culpæ debetur pęna, atq. ita reddendo pęnam debitam pro peccato satisfacit, & dicitur regulariter: quia potest quis quoq; per actum bonum non pęnalem satisfacere pro peccato: Nã Deus actum intensũ charitatis acceptare põt pro punitione debita vniculpæ; iuxta illud. 1. Petri. 4. Charitas operit multitudinẽ peccatorum. Secũdo modo satisfactio solet accipi stricte, vt distinguitur contra alias partes pęnitentię, quã Cortesius persolutionem vocat. & sic eãdẽ describit Scotus. *Cortesius. Scotus.* Satisfactio est operatio exterior laboriosa, seu pęnalis voluntarie assumpta ad puniendũ peccatũ cõmissum ã se & ad placandũ diuinã offensam, vel est passio, aut pęna voluntarie tollerata in ordine ad peccatũ, vel peccati remissionẽ; ordinatur ẽt (vt docet Gabriel) ad placationem diuinæ offensæ, ad remissionẽ pęnæ, ad excisionem radicũ peccatorum, & ad restitutionem minus iuste possessorum, atque ita (vt patet intuenti) ad plura dicitur ordinati. *Gabriel.*

Partes rei quæ sint, & quomodo se habeant ad totum. Quarto obser. est, quod partes rei sũt in quas materialiter totũ diuiditur; se habent.n. partes ad totum sicut materia ad formã. Vnde 2. Phy. tit. 31. partes ponuntur in genere causæ materialis; totum aũt in genere causæ formalis; sunt autem partes in duplici differentia, vt docet Arist. 5. Meth. tex. 7. s. partes essentiæ, & partes quãtitas; partes essentiæ sunt Physice forma, & materia Logice ãt genus & differentia. Hoc ãt modo oẽ sacramentũ distinguitur in materiam, & formam sicut in partes essentiæ: *Partes sunt in duplici differentia.* Partes materiales seu quantitatiuæ sumuntur bifariam primo pro partibus integrantibus. Secundo pro partibus subiectiuis, priori modo ad huc bifariã, vno modo valde fuse pro omni eo, quo res constituitur, vel quod ad rei conseruationem, vel naturalem operationem requiritur, & hoc modo etiam humores in corpore humano, existentes scilicet sanguis, colera, malancholia, phlegma dicuntur partes hominis, & potentiæ animæ etiã dicuntur partes animæ. *Aristoteles.* Vnde 3. de anima ait Phylos. De partibus aũt animæ, & per partes intelligit animæ potentias, vt ibi patet; etiam interdum ea, quæ habent ordinem, vel adiunctionem ad aliquid dicuntur partes eius; & sic D. Tho. 2. 2. virtutes adiunctas principalibus dicit earum partes potentiales. *D. Thomas.* Alio modo accipitur magis proprie pro illo ex quo res composita realiter constituitur; & hæ sunt duplices quædam homogeneæ, quæ sunt eiusdem rationis cum toto, vt partes graduales formæ intensibilis, & partes quantitatiuæ rei extensæ; quædam etherogeneæ, vt sunt membra animalis.

Secundo principaliter sumitur pars pro parte subiectiua, & sic inferior dicitur pars sui superioris, & hoc modo species sunt partes generum, & indiuidua specierum; sicut homo, Bos, Leo, &c. dicuntur partes animalis &c.

Postremo obseruandum est, quod quamuis Doctor in titulo non explicet de quibus partibus loquatur, vt tamen ex tota ista quæst. constat non loquitur de partibus essentialibus, quæ sunt materia, & forma; sed de partibus materiæ, quæ in rebus materialibus integrales appellari solent, diuiditur autem hæc quæstio in duos articulos.

Primus Art. Vtrum contritio, confessio, & satisfactio sint partes pęnitentiæ uirtutis.

Secundus Art. Vtrum contritio, confessio, & satisfactio sint partes pęnitentiæ sacramenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum contritio, confessio, & satisfactio sint partes pęnitentiæ uirtutis.

Penitentia duobus modis sumitur. PRo explicatione huius quæstionis obseruandum est, quod pęnitentia duobus modis accipitur, vno modo pro pœnitentia sacramento; alio modo pro pęnitentia virtute; & hoc modo pęnitentia seu pęnitere accipitur pro eo, quod est pęnam tenere; idque fieri potest, vel per virtutem habitum, vel actum.

In penitentia quatuor reperiri possunt. Pro cuius intelligentia notat Scotus, quod in pęnitentia quatuor possunt reperiri: primo habitus, seu virtus iustitiæ vindicatricis in voluntate, quo homo inclinatur ad puniendum se ipsum propter peccata, quæ in Deum commisit; vel ad eliciendum velle vindicatiuum sui peccati. Secundo potest reperiri velle punire se ipsum, & hic actus est proprius talis virtutis ab ipsa immediate elicitus. Tertio reperiri potest actus, qui est causa immediata pęnæ, quam sibi homo infligit. quod vt intelligatur sciendum est quod triplici pęna potest homo se ipsum punire, vna pęna est tristitia, & huius pęnæ causa proxima est detestatio peccatorum, siue contritio, seu velle non peccasse, quod idem est. *Pena triplici põt homo se ipsum punire.* Alia pęna est verecundia, cuius causa proxima est peccati confessio: ex hoc.n. quod homo confitetur peccata propria verecundia afficitur. Tertia pęna est corporalis afflictio, & huius pęnæ proxima causa est satisfactio, quæ potissimum fit, per eleemosynam, orationem, & ieiunium; isti actus, qui sunt proximæ causæ pœnæ, non sunt actus eliciti, sed imperati a tali virtute iustitiæ: quoniam ab illa procedunt mediante proprio eius actu ex eo enim quod vult se ipsum pęna afficere procedit actus ille, qui est proxima causa pęnæ. Et hoc est quod vult dicere Doctor his verbis, In tertio gradu est effectus proximus istius actus eliciti, qui effectus est actus aliquis supple imperatus, vel actus aliqui imperati, ad quem, vel ad quos sequitur pęna vindicatiua: Nam volitio illa, qua quis vult vendicare peccatum, non causat immediate illam pęnã, per quam vindicatur peccatum, sed solum imperat actum, vel actus, qui causant illam pęnam; Non.n. potest voluntas per actum volendi imperare pęnam, nisi prius imperando causam pęnam; nõ.n. potest imperare tristitiam, nisi prius imperet peccatorũ detestationẽ, nec verecundiam nisi imperet cõfessionẽ, neq. corporalem afflictionẽ nisi satisfactionẽ imperet; qa passiones nõ sunt in potestate volũtatis nisi mediãtibus actibus. Et isto tertio modo capitur pęnitentia pro illo actu imperato a volitione vindicante peccatũ, qui quidẽ actus ẽ causa proxima pęnę, per quã vindicatur peccatũ, & talis actus ẽ nolle peccasse. Quarto põt reperiri ipsa pęna, qua hõ se ipsũ punit, siue sit tristitia, siue verecundia, aut afflictio corporalis; q̃ pęna ẽ effectus remot[us] illi[us] actus eliciti pęnitẽtiæ virtutis, & imediate cõsequit actũ iperatũ ab hmõi actu elicito.

Secundo obs. est, quod ista quatuor distinguuntur, quod ex eo patet: quia separari possunt ab inuicem: Primum.n. potest separari a secundo hoc est virtus iustitiæ vindicatiuæ ab actu suo, quo homo vult se ipsum punire, vt in dormiente cõstat, actus etiam ille potest esse absq. tali virtute, vt patet in primo actu: tunc.n. non est virtus: quia virtus non ex vno solo, sed ex pluribus actibus generatur. ex quo sequitur quod primus modus accipiendi pœnitẽtiã virtutẽ, & secũdus distinguũtur realiter, qa prim[us] mod[us] ẽ habit[us], secũd[us] vero ẽ act[us],

habitus autem est forma permanens, actus vero transiens. Secundum etiam potest esse sine tertio, idest actus ille, quo homo vult se ipsum punire, potest esse sine actu illo, qui est proxima causa pœnæ: cum enim voluntas non sit omnipotens potest homo velle punire seipsum per verecundiã confessionis, quando non potest confiteri, vel propter linguę impedimentum, vel propter confessoris absentiam; sed dubiũ ẽ de actibus intrinsecis: cum enim voluntas sit potens producere actus suos intrinsecos in instanti: & non possit habere impedimentum ad producendum illos: quia est libera, & nihil potest ei resistere ad productionem actuum interiorũ nisi Deus, an ad velle efficaciter imperans actum interiorẽ, necessario, subito, & simul tempore, sequatur actus interior, cum non possit habere impedimentum in illis actibus producendis nisi Deus, & supponitur, quod Deus non impediat. Dico quod si omnes aliæ causæ ponantur in instanti, necessario sequitur actus imperatus interior. Potest etiam tertium esse sine secũdo: fieri enim potest, vt quis exerceat actũ contritionis, confessionis, & satisfactionis ex solo Dei amore motus, quando nihil cogitat de vindicta sumenda de seipso. Tertium etiam potest esse sine quarto, hoc est actus ille, qui est proxima causa pęnæ potest separari a pęna, vt contritio a tristitia, confessio a verecundia, ieiunium ab afflictione corporali, quia contingit aliquando hominem non esse dispositum ad pęnam suscipiendam, quando istos habet actus; vt Beatus recordans peccatum præteritum, detestatur illud, & non tristatur: quia est indispositus ad tristitiam, atq. ita illa causa proxima distinguitur ab illa tristitia: quia non semper ad nolitionem, vel odiũ peccati commissi sequitur tristitia. Quartum etiam potest separari a tertio, hoc est pęna ab actu, qui est causa pęnæ, non quidem ab actu illo absolute, sed ab actu illo ordinato & bono, sicut contingere potest hominem habere tristitiam de peccatis causatam ex detestatione, quæ sit mortale peccatum, cuius finis non est Deus, sed ipsemet peccator: & similiter afflictio corporalis oriri potest ex ieiunio, quod sit peccatum mortale, quia est perniciosum vitæ corporali; & breuiter sicut pœna potest causari per displicentiam ordinatam, ita per inordinatam, & si non est actus ordinatus nõ est actus pœnitẽtię tertio mõ captæ; atq. adeo pęnitentia quarto modo, potest causari sine pęnitentia tertio modo.

Tertio obseruandum est, quod priora istorum tria vt notat Doctor sunt pęnitentia, seu pęnitere, quod est pęnam tenere: omnia enim illa tria sunt causa tenendi, pęnam illã causando. Quartum autem, idest pęna non est pęnitentia, neque pęnitere, sed pęna teneri, siue puniri. Tenere autem includit & actionem tenentis, scilicet, quod voluntarie teneat, & applicationem pęnæ sibi, quod in se teneat. Pęnitentia ergo primo modo est quadam habitualis tenentia pęnæ, estque sicut principium habitualiter inclinans ad infligendam sibi pęnam voluntarie. Actus autem eius, quæ est pęnitẽtia secundo mõ, potest dici pęnitentia actualis, vel pęnitere: quia est quoddam velle inflictiuum pęnæ sibi ipsi. Actus vero ille proximus imperatus ab actu elicito illius, quę est pęnitentia tertio modo potest dici pęnitere: quia est voluntarie habere in se pęnam saltẽ in causa sua, nec aliter potest ęque principaliter voluntarie haberi sicut in causa, nam illa pęna non est libera nisi mediate in suis causis. His obseruatis sit

Prima conclusio. Si pęnitentia sumatur pro virtute iustitiæ vindicatiuæ contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes pęnitentiæ. Probatur virtus iustitiæ est simplex qualitas, quæ non habet partes: quia est forma simplex habens esse in anima, atque adeo spiritualis, & indiuisibilis est; cõfessio autem, & satisfactio non sunt spiritualia, sed sensibilia extra mentem; ergo non possunt esse iustitiæ vindicatricis partes; Præterea forma simplex non habet partes alterius rationis. Potest quidem qualitas intensibilis habere partes eiusdem rationis, nempe gradus per quos intenditur, sed cõtritio, confessio, & satisfactio sunt alterius rationis a pęnitentia virtute, ergo non sunt eius partes. Item virtus iustitiæ est permanens, ergo partes illius non sunt contritio, confessio, & satisfactio, quæ consistunt in fieri, & cito transeunt. Deinde virtus iustitiæ est spiritualis, confessio vero, & satisfactio sunt res corporales, & nõ sunt in voluntate, vt in subiecto, sed sunt quædam exteriora.

Secunda conclusio. Ista tria videlicet contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes pęnitentiæ, si pęnitentia accipiatur pro actu illo, quo homo vult se ipsum punire, patet quia iste actus est spiritualis, ergo confessio, & satisfactio nõ sunt partes eius, quia sunt opera corporalia, & non elicita, sed imperata ab ipsa voluntate.

Tertia conclusio. Si pęnitentia accipiatur tertio modo pro causa proxima pęnæ, sic ista tria sunt partes pęnitentię, patet quia iustitia commutatiua est in æqualitate rerum, non in ęqualitate rei secundum rem, sed secundum rationem: nam iustitia secundum Doctorem est circa medium rationis, & non rei, sicut cæteræ virtutes. Iustitia ergo punitiua spectat ad commutatiuam, quæ commutat culpam in pęnam, ideo debet esse æqualitas pęnæ ad culpam non in æqualitate rei; sed rationis supple, secundum legem, secũdũ quam illa culpa punienda venit; sed sic est quod in lege Euangelica, secũdum quam culpę veniunt puniendæ in foro pęnitentiali determinatæ sunt tres pęnæ, vna interior, s. tristitia siue compunctio, quæ commẽdatur Iohelis. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; duæ autem exteriores. s. erubescẽtia, & afflictio corporis, sed istarum triũ pęnarum, ista tria, s. contritio, confessio, & satisfactio sunt causæ immediatæ: nimirum contritio tristitiæ, confessio erubescentiæ, & satisfactio corporalis afflictionis; ideo si capiatur pęnitentia pro causis pęnarum per quas peccatum est puniendum, illa tria sunt partes pęnæ quemadmodum tres vnitates sunt partes numeri ternarij; si etiam sumatur pro pœnis possunt dici pęnitentia: nam tristitia aliqñ dr̃ contritio, & opus pęnale est ẽt pęna, atq adeo illa tria conuenienter possunt dici partes pęnitentiæ. Breuiter sensus huius conclusionis consistit in hoc. Qñ homo peccat post Baptismum, secundum præscriptum legis diuinæ constituit se debitorem trium pęnarũ, videlicet tristitiæ contritionis, verecundiæ confessionis, & corporalis afflictionis, quæ est in satisfactione, ex quibus pęnis efficitur vna totalis & adæquata, cuius pars est quælibet illarum pęnarum per se, sicut vnitates sunt partes numeri, sic ẽt ex contritione, confessione, & satisfactione, quæ sunt causæ proximæ illarũ pęnarum, efficitur vna totalis causa pęnæ adæquatæ, cuius pars est quælibet illarũ causarũ per se, videlicet contritio per se, confessio per se, & satisfactio per se.

Peccator obstituit se debitorẽ triũ pœnarum.

Contra hanc conclusionem arguitur. Simplici defectui simplex remedium debetur, at peccatũ est simplex defectus, ergo simplex debet sufficere remediũ, tale pęnitentia est, ergo illa tria, s. contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes pęnitentiæ dicendæ. R̃ndetur ꝙ non sequitur si peccatum sit simplex, ꝙ remedium simplex debeat esse: quia legislator iuste potest multas partiales pęnas statuere tanquam vnã vindictam integram vni peccato correspondentes.

Præterea si essent partes pęnitentiæ aut essent integrales aut subiectiuæ, & accipio integrales cõiter ad partes essentiales, & ad partes quantitatiuas; non integrales quia totũ non prædicatur de tali parte, conteri aũt est pęnitere; & satisfacere est pęnitere. Nec sunt partes subiectiuæ: quia in qualibet parte subiectiua perfecte saluatur ratio totius sine alia parte: nam Socrates perfecte est homo, licet plures non essent in specie humana, sicut fuit qñ Adam primo creatus est: q erat solus; sed in contritione, sine aliis non saluatur perfecte ratio pęnitentiæ, ergo &c. Respondeo ꝙ pęnitentia tertio modo accepta vel pęna quarto modo correspondens alicui peccato, potest accipi dupliciter, Vno modo pro totali adæquatæ correspondente, & sic vnica pęnitentia, & vna pęna correspondent vni culpæ; & si illud habet partes se habet ad illas sicut ad partes integrales. Alio modo potest accipi pęnitentia tertio modo dicta, vel pęna quarto modo pro generali ratione totius, quæ est teneri pęnam, vel puniri pro culpa, sed non adæquate, & hoc modo est totum vniuersale ad illas, quæ sunt partes integrales pęnitentiæ. Et illud apparet in exemplo. Esto enim, quod aliquis occidat alium. potest esse lex iusta, quod puniatur pęna corporali, & pęna pecuniaria coniunctis occisi, vtrumque istorum pęna est, & pęna pro homicidio potest dici pęna vniuersalis respectu pęnæ pecuniariæ, & respectu pęnæ corporalis, vtrunque enim istorum est pęna pro peccato isto; nec punitio corporalis est tantum pęna illa, nec punitio pecuniaria est pęna illa tantum, sed quodlibet istorum est pars integralis illius pęnæ. Et per hoc patet quomodo pęnitentia prædicatur de quolibet istorum trium diuisim accipiendo pro tenentia alicuius pęnæ correspondentis culpæ. Et totum prædicatur de parte in homogeneis, sed non adæquate & totaliter; nam quælibet pars carnis est caro, & quælibet pars aquæ

est

est aqua; & quia quodlibet istorum includit pœnam, ideo quodlibet istorum diuisim est pœnitentia, sed non totaliter & adæquate; quia constituunt vnum totum integrale constitutum ex illis partibus, & nulla istarum partium sine alia integrat pœnitentiam, & intellige, vt est æquata culpæ.

Item tertio. Pœnitentia virtus est quædam forma simplex & spiritualis in anima existens, & per consequens indiuisibilis, ergo non habet partes; Et confirmatur: quia confessio, & satisfactio non sunt spiritualia, sed quædam sensibilia extra mentem. Respondeo quod contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes pœnitentiæ virtutis, nec actus virtutis; sed actus imperati ab illa virtute: qui est actus proximus punitionis, & pœnæ concomitantes eam sunt partes effectus remoti actus pœnitentiæ; tamen actus elicitus pœnitentiæ posset aliquo modo dici habere partes istas non formaliter, sed quasi causaliter pro quanto ipse est aliquo modo distinctus vt imperet istam partem & illam, & hoc modo remotissime possunt dici partes illius virtutis pœnitentiç vt inclinat ad omnes istas infligendas.

Deinde quarto. Fructus non est pars eius scilicet arboris cuius est fructus, vt pomus non est pars arboris, & ratio est quia fructus est vltimum, quod expectatur de arbore, nulla autem pars eius est tale vltimum, sed satisfactio est fructus pœnitentiæ secundum glossam Matth. 4. Facite fructus dignos pœnitentiæ, &c.

Respondeo quod pœnitentiæ virtutis, & actus eius imperati, & actus eliciti opus exterius laboriosum est fructus, & hoc modo debet intelligi de opere exteriori operato; & concedo quod illud opus non est pars pœnitentiæ dictæ aliquo istorum trium modorum; est tamen pars eius, quod est puniri, quod est imperatum inter illa prius enumerata, & nullum est inconueniens idem esse partem prioris, & fructum posterioris.

ARTICVLVS II.

Vtrum contritio, confessio, & satisfactio sint partes pœnitentiæ sacramenti.

Aureolus. Durandus.

DE hac re nempe, quæ & quot sint partes sacramenti pœnitentiæ multiplex est Theologorum opinio Petrus Aureolus in 4. d. 16. q. 1. & Durandus. d. 14. q. 2. & d. 16. q. 1. docent duas esse tantum partes sacramenti pœnitentiæ videlicet confessionem & absolutionem, & confessionem dicunt esse materiam, & formam sacerdotis absolutionem. Explicat Aureolus suam sententiam in hunc modum. Ad essentiam sacramenti concurrit pro signo vno sensibili absolutio sacerdotis, & sacramentalis confessio peccatoris, quamuis possint alia multa concurrere; absolutio autem ista potest esse quandoque a tota pœna quandoque a parte tantum; & dico quod concurrunt alia multa: quoniam licet contritio sit necessario præuia, non tamen est de essentia sacramenti, sicut aliqua verba de essentia Baptismi. Hanc probat sic. Illud præcise est sacramentum nouæ legis, cui conuenit definitio sacramenti nouæ legis; sed confessioni, & absolutioni coniunctim conuenit definitio sacramenti nouæ legis, quoniam definitio sacramenti nouæ legis est inuisibilis gratiæ visibilis forma idest signum sensibile, vt eius similitudinem gerat, & causa existat; ista conueniunt absolutioni, & sacramentali confessioni; sunt enim signum sensibile, & causa similiter: quia denotatur quod virtute eorum culpæ remittuntur, vt sic ambo concurrant ad vnam causalitatem, & significationem remissionis culpæ, confessio per modum detegentis, absolutio per modum remittentis; alijs vero non conuenit ista definitio sacramenti; non contritioni cum non sit signum sensibile, non satisfactioni, cum in sacramento cōfessionis, non requiratur necessario pœnitentiæ impositio: tum quia alias Papa non posset absoluere, virtute sacramenti a pœna & culpa, quod est erroneum. Tum etiam quia nec sacerdos similiter tenetur pœnitentiam imponere si appareat naturaliter contritio in eo. Præterea istud sacramentum non est medicina, quæcunque & absolute, sed sacramentum iudiciarium; sed in foro quolibet iudiciario sunt duo de essentia iudicialis fori, scilicet confessio delicti, & absolutio, & sic est in proposito.

Durandus vero sic probat suam sententiam. Contritio non est pars sacramenti pœnitentiæ cum sit spiritualis, & sacramentum sit res sensibilis; neque satisfactio: quia licet aliquis non adimpleat pœnitentiam nihilominus sacramentum fuit verum, cum ergo præter illa nihil aliud sit, quam confessio, aperte sequitur confessionem esse partem sacramenti pœnitentiæ.

Sed contra hanc sententiam arguitur. Confiteri sua peccata non est nisi reuelatio suorum peccatorum; & illud nō est aliquid sacrum, cum sit actus peccatoris, atque adeo non meretur dici sacramentum. Absolutio autem in qua assistit diuina virtus, per quam fit remissio peccatorum est quid sacrum: quia illic concurrit specialis actus diuinus sacratus, qui concurrit vna cum sacerdote ministro, ideo illa meretur dici sacramentum. Et cum dicit dominus Aureolus, quod in omni foro iudiciali concurrunt duo scilicet confessio, & absolutio, concedo, sed confessio non est de essentia absolutionis, cum sit actus rei, & absolutio sit actus Dei principaliter, & sacerdotis ministerialiter; Ideo impossibile est quod constituant vnam essentiam; bene autem requiritur necessario, vt possit iudicari de peccatis suis a Iudice subdelegato a Deo scilicet a sacerdote: quia nemo potest esse iudex in propria causa: quamuis ergo requirantur contritio, & confessio; non tamen sunt de essentia sacramenti; sed sola absolutio.

Alex. de Ales. D. Bonauen. Ricardus.

Secunda opinio est Alex. de Ales. p. 4. q. 66. m. 1. artic. 2. D. Bona. hac. d. q. 1. & Ricard. 14. q. 1. art. 2. & 3. & hac d. q. 1. qui dicunt quod ista tria contritio, confessio, & satisfactio sunt partes sacramenti pœnitentiæ. Explicat Ricar. suam sententiam. quia cum in sacramento pœnitentiæ fiat voluntaria emenda per viam iudicij voluntarie suscepti, requiritur ibi quædam citatio ad voluntarie subeundum illud iudicium, & illa citatio est cordis contritio; & coram iudice veritatis confessio; & secundum arbitrium iudicis satisfactio, vel in re, vel saltem in proposito, si non potest expleri in opere exteriori. Et si dicatur, quod omne sacramentum ministratur, & confertur a Ministris Ecclesiæ; sed contritio, & confessio non ministrantur a sacerdotibus, sed a peccatore conterente, & confitente, ergo non sunt sacramenta, nec partes sacramenti. Ad hoc respondet Ricar. quod non oportet quodlibet sacramentum secundum totum, quod est de ratione sacramenti ministrari ab alio, sed secundum aliquid eius; a sacerdote autem ministratur absolutio. In sacramentis autem alijs, in quibus actus hominis non est sacramenti materia, sicut est in Baptismo, & confirmatione, omnes partes sacramenti ministrātur a sacerdote, & ministris ecclesię.

D Thomas.

Tertia opinio est D. Thomæ. 3. p. q. 90. art. 2. dicentis quatuor esse partes sacramenti pœnitentiæ tres videlicet enumeratas, & absolutionem. ait enim quod sacramentum pœnitentiæ diuiditur in materiam, & formam tanquam in partes essentiales. materiam autem diuidit tanquam in partes integrales in contritionem, confessionem, & satisfactionem, quam sententiam sequitur Castro lib. 12. contra hæreses verbo pœnitentia.

Alphonsus a Castro.

Vega.

Quarta sententia est Andreæ a Vega in Concilium Tridentinum. lib. 13. c. 15. asserentis hoc sacramentum habere quinque partes, quatuor videlicet enumeratas a D. Thoma, & cessationem a peccatis, quod probat ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 14. vbi dicitur pœnitentiam post Baptismum longe aliam esse a baptismali, continereque cessationem a peccatis, & alia quatuor videlicet, contritionem, cōfessionem, absolutionem, & satisfactionem. Caietanus autem. 3. p. q. 90. art. 1. & 2. docet canonizatam esse D. Thomę doctrinam in Concilio Florentino, tradente partes materiales sacramenti pœnitentiæ esse contritionem, confessionem, & satisfactionem, formam vero esse absolutionē; adeoque celebrat istam sententiam, quod non vereatur asserere Scoti sententiam non esse tenendam: quia est inquit contra Concilij definitionem, docentis sacramentum pœnitentiæ habere in materiam, contritionem, confessionem, & satisfactionem. Cui fauere videtur quod in Concilio Trident. sess. 14. cap. 3. dicitur. Sunt autem quasi materia huius sacramenti actus ipsius pœnitentis, nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramēti, ad plenam, & perfectā remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur. & eadem sess. can. 4. sic dicit. Si quis negauerit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur &c. Sed immerito &

Caietanus.

sine

Ene causa Doctor Subtilis a Thomistis reprehenditur.

Est ergo quinta sententia, quæ est Doct. nostri Sub. Pro cuius explicatione obser. est primo, quod licet ad confectionem alicuius sacramenti plura concurrant, tamen non omnia sunt sacramentum vt patet in Eucharistia: concurrunt enim verba consecrationis cum materia, & tamen species consecratæ sunt sacramentum; similiter in Baptismo ablutio passiua dumtaxat est sacramentum, & sic de reliquis, ratio autem quare cum de ratione sacramenti sint res, & verba, & vtrunque non esse sacramentum, sed alterum tantum prouenit ex natura ipsius sacramenti: efficit enim quod significat, & eius similitudinem gerit, cuius causa existit; & quia alterum illorum solum gerit similitudinem gratiæ, cuius causa existit, ideo alterum tantum, & non vtrunque est sacramentum. v.g. in sacramento Baptismi sola ablutio abluens sordes corporis gerit similitudinem gratiæ abluentis animam, & non verba, ideo sola ablutio passiua facta sub præscriptis verbis est sacramentum Baptismi.

Secundo obser. est, quod non est de ratione suscipientis conficere aliquod sacramentum, sed de ratione Ministri, vt patet ex Concil. Florent. affirmante ad sacramentum requiri personam ministri conferentis sacramentum; ergo ipse minister debet conficere sacramentum, & non suscipiens, alias non esset necessarius minister. Præterea conficere sacramentum est illud efficere, efficientia autem spectat ad ministrum, & non ad suscipientem: ergo per eius actionem conficitur sacramentum, & non per actionem suscipientis, qui se habet passiue respectu sacramenti, & non actiue, aliter idem esset suscipiens & minister, quod quidem constat esse falsissimum in omnibus sacramentis habentibus esse in fieri. In sacramento vero Eucharistiæ cum sit permanens idem potest esse minister, & suscipiens. & circa sacramentum Matrimonij est grandis difficultas, quæ suo loco est disputanda. *Concilium Florent.*

Tertio obser. est, quod de ratione causæ instrumentalis est quod simul sit cum suo effectu, patet ex 2 Phys. vbi dicitur quod causa efficiens in actu simul est, & non est cum suo effectu; sunt enim correlatiua; sed causa instrumentalis proprie dicitur causa efficiens, ergo &c. probatur secundo per discrimen inter causam moralem, & efficientem; illa enim non requirit quod simul sit cum suo effectu, sat est quod moueat efficientem, modo præcedat opere ipsum effectum, modo sequatur; hæc autem scilicet instrumentalis debet concurrere simul tempore cum suo effectu, aliter nõ esset efficiens, sed potius moralis.

Quarto obseruandum est, quod sacramentorum materię sunt in duplici differentia: quædam enim sunt ex quibus sacramenta fiunt, & simul manent cum ipsis sacramentis, vt in Baptismo aqua ex qua fit ablutio, quæ est verum sacramentum Baptismi, similiter de confirmatione, extrema vnctione, ordine, & Matrimonio; quædam vero materię sunt, ex quibus sacramenta fiunt, & tamen non manent cum ipso sacramento, vt in sacramento Eucharistiæ, quod fit ex pane triticeo, & tamen non manet cum ipso sacramento; similiter actus pœnitentis sunt materia sacramenti pœnitentiæ. Potest enim contingere, quod homo hodie confiteatur, & post decem dies absoluatur, veluti contingit in naturalibus, quod materia proprie dicta est materia prima: quia manet cum ipso genito; materia autem improprie dicta, vel quasi materia est terminus a quo, sicut lignum respectu ignis. His suppositis absoluitur quæstio quinque conclusionibus. *Materia sacramentorum est in duplici differentia.*

Prima conclusio. Contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes sacramenti pœnitentiæ. Probatur sacramentum pœnitentiæ est absolutio hominis pœnitentis facta legitime a sacerdote, vt dictum fuit supra d. 14 q. 4. sed neque contritio, neque confessio neque satisfactio sunt partes huius absolutionis, ergo ista tria non sunt partes sacramenti pęnitentiæ. Quod vero contritio non sit pars pœnitentiæ videlicet absolutionis patet, quia contritio est spiritualis, & insensibilis, absolutio vero sensibilis est: quia consistit in verbis sensibilibus; quod autem confessio non sit pars absolutionis est manifestum: quia confessio est accusatio pœnitentis, absolutio autem est sententia iudicis; sed accusatio non est sententia iudicis, neque pars sententiæ, ergo confessio neque est absolutio neque pars absolutionis; quod vero satisfactio non sit pars absolutionis ex eo patet, quod ipsam sequitur absolutionem, & est posterior illa.

Præterea sacerdos solus est minister absolutionis, quia contritionem, confessionem, & satisfactionem ipse non causat, sed solam absolutionem; sed sacerdos & minister totius sacramenti pœnitentiæ, ergo sola absolutio est sacramentũ pœnitentiæ. Item sola absolutio causat gratiam ex opere operato, vt constat; cum ergo sacramenta causent gratiam ex opere operato, sequitur quod sola absolutio est sacramentum; sed contritio, confessio, & satisfactio, non sunt partes absolutionis, vt de se patet, ergo contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes sacramenti pęnitentiæ. Deinde si ista tria essent partes sacramenti pœnitentiæ, sequeretur pœnitentem esse ministrum sacramenti pęnitentiæ: quia causat confessionem, contritionem, & satisfactionem. hæc conclusio est Scoti, Ocham. Ioan. Maioris, Almayn, Gabrielis, & Scotistarum. *Ocham. Maior. Gabriel. Almayn.*

Secunda conclusio opinio Scoti in superiori conclusione relata, tantum abest vt doctrinæ catholicæ in aliquo aduersetur, vt sit a nobis defendenda tanquam illi consona, & valde probabilis. probatur hæc conclusio rationibus supra adductis pro sententia nostri Doctoris. Vnde ad Concilia, & primo ad Florentinum adductum a Caiet. respondetur, quod ipse Caietanus non videt, bene exponere dum dicit ecclesiæ determinationem esse, quod pœnitentiæ sacramentum, constet ex materia, quæ sunt actus pęnitentis, & ex forma. Ego te absoluo, quia ecclesiæ determinatio in Concilio Florent. id non tradit, sed hoc quod sequitur. Quartum sacramentum est pęnitentia, cuius quasi materia sunt actus pęnitentis &c. dicens autem esse quasi materiam insinuat non esse proprie materiam, & nullum habet ibi verbum, quod constet ex actibus pęnitentis, vt ex materia: imo neque in Concil. Trid. supracitato, vbi idem repetitur dicitur, quod constet ex illis; imo in illis omnibus locis nulla fit mẽtio de eo, quod actus pęnitentis sint materia. Vere enim decernit Concil. esse quasi materiam actus pœnitentis: quia materia proprie est ex qua aliquid constat, & hæc non est actiua; sed passiua, quatenus talis. at contritio confessio, & satisfactio non suscipiunt in se formam absolutionis, sed pęnitenti impenditur absolutio.

Vnde obseruandum est, quod materia altera est ex qua, vel in qua res est, altera vero circa quam res est, vel fit. Concilia autem non docent, quod ista tria sunt materia ex qua; neque Scotus negauit vnquam ista tria esse sacramenti huius materiam circa quam: Absolutio enim sacramentalis habet in materiam circa quam ipsam confessionem, contritionem, & satisfactionem, hanc enim sacerdos iniungit, confessionem audit, & contritionem percipit ex signis pęnitentis exterioribus; negat tamen Scotus confessionem esse materiam ex qua constet pęnitentiæ sacramentum, neque concilia docent oppositum. Vnde facile respondetur Caietano, Concilium esse intelligendum de materia circa quam, non autem de materia ex qua sacramentum constituatur. Vocãt autem Concilia actus pęnitentis non materiam absolute; sed quasi materiam (non quia actus pęnitentis non sunt materia extrinsecus posita, vt aqua in Baptismo, vt existimat Sotus) sed quia illi actus non manent, quando est sacramentum videlicet absolutio: in alijs vero sacramentis, quæ habent esse in fieri, in quibus materia cum sacramento manet absolute vocant materiam: nam absolute materia est, quæ manet cum re, cuius est materia; atque ita Scotus dicens contritionem, confessionem, & satisfactionem non esse partes sacramenti pęnitentiæ intelligit proprie, vt loquitur Concilium: quia non manent cum sacramento, quod est absolutio; nihilominus tamen dicit ista tria requisita esse ad integritatem, seu perfectionem sacramenti pęnitentiæ, & vt sic generaliter possunt appellari partes, quia quicquid requiritur, vel conducit ad rei perfectionem in essendo, vel in operando, vel cõseruando dicitur illo modo pars rei, vt patet ex quarto notabili posito in titulo quæstionis. *Materia est duplex.*

Tertia Conclusio. Sacramentum pęnitẽtiæ supponit pro absolutione sacerdotis, & non pro actibus pęnitentis, licet illos consignificet: probatur, quia sacramentum pęnitentiæ est nomen connotatiuum, quod non supponit pro vtroque simul, sed pro altero tantum, vt constat ex logicis; ergo quãuis consignificet actus pęnitentiæ præuios, vel subsequentes, supponit tantum pro absolutione; idque docere videtur Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. vbi sic legimus. Docet Sãcta synodus sacramenti pęnitentiæ formam, in qua præcipue eius vis sita est, in illis ministri verbis positam esse, ego te absol- *Sacramentũ pęnitentiæ supponit pro absolutione sacerdotis.* *Concil. Trident.*

te absoluo &c. ergo absolutio est magis aspicienda ad descriptionem huius sacramenti, in qua magis esse debet ratio huius sacramenti, quam in actibus pœnitentis.

Quarta Conclusio. Hæc tria contritio, confessio & satisfactio sunt necessaria ad digne recipiendum sacramentum pęnitentiæ: patet quia confessio non est necessaria solum ad recipiendum digne, sed ad simpliciter recipiendum sacramentum; nam sine confessione absolutio est nulla, & ex cõsequenti nullum est sacramentum pęnitentiæ, quod est absolutio; neque enim confessor absoluit reum, nisi accusatum in illo foro. Contritio vero, vel saltem attritio necessaria est ad vtiliter, & digne recipiendum absolutionem, seu pęnitentiæ sacramentum; si enim aliquis nullo modo dispositus accedat, vel per contritionem vel per attritionem indigne recipit absolutionem; sufficit tamen quod attritio licet informis cum proposito non peccandi de cætero præcedat in pęnitente, vt sit capax absolutionis, per quam attritus fit contritus. satisfactio autem debet sequi sacramentum pęnitentiæ vel in re, vel in voto, excepto si confessor posset perpendere pęnas præcedentes continentis esse sufficientes ad absolutionem pęnæ totius debitæ pro peccatis: sententia namque confessoris absoluit quidem a debito pęnæ æternæ, sed ligat ad solutionem pęnæ temporalis, nisi ante sufficienter sit soluta.

Quinta Conclusio. Probabilis est satis opinio, quæ docet sacramentum pęnitentiæ componi tanquam ex partibus contritione in qua includitur cessatio a peccatis, confessione, absolutione, & satisfactione. Hanc conclusionem illa facit satis probabilem, quod videtur consona esse verbis Conciliorum, ex quo colligitur cõtra Sotum absolutionem esse partem sacramenti: quoniam auctoritates Conciliorũ non minus hoc probant, quam quod ipse intendit ex illis colligere, & pro hac sententia dicendum est, quod forma sacramenti pęnitentiæ est significatio, & ita sacramentum pęnitentiæ non est significatio, sed signum; huius autem significationis materia, sunt actus pęnitentis, & verba sacerdotis, & sic sacramentum accipitur pro his quatuor actibus simul, in hac tamen materia aliquid est, quod se habet vt forma alterius partis materialis videlicet verba absolutionis, & de hac distinctione materiæ & formæ diximus supra in primo tomo. dist. 3. q. 1. Cæterum in hoc art. illud est certum, quod actus pęnitentis sunt quasi materia sacramẽti pęnitentiæ, huius quasi materiæ partes, vel quasi partes sunt contritio, confessio, & satisfactio. Id enim definitum est in Concilio Florentino, his verbis. Quartum sacramentum est pęnitentia, huius quasi materia sunt actus pęnitentis, qui in tres partes diuiduntur, quarum prima est cordis contritio, secunda oris confessio, tertia satisfactio ad arbitrium sacerdotis.

Contra primam conclusionem arguitur. Contritio, confessio, & satisfactio, sunt partes pęnitentiæ vt definitum est in Concilio Trident. sess. 14. cap. 3. & cano. 4. sed non sunt partes pęnitentiæ virtutis: quia hæc est qualitas simplex, quæ nullas habet partes, ergo sunt partes sacramenti pęnitentiæ. Respondeo, quod concedimus cum Concilijs, quod ista tria sunt partes pęnitentiæ, & etiam fatemur, quod nõ sunt partes pęnitentiæ virtutis; negamus tamen inde colligi, quod sint partes sacramenti pęnitentiæ: quia præter ista pęnitentia significat proximam causam pęni, huius proximæ causæ partes sunt contritio, confessio, & satisfactio, & quamuis hæc requirantur ad integritatem sacramenti, non tamen inde sequitur, quod sint partes sacramenti: quia pertinere ad integritatem idem est, quod pertinere ad perfectionem sacramenti. Multa autem pertinent ad integritatem, & perfectionem rei, quæ non sunt partes rei; sicut ad integritatem, & perfectionem visus pertinet visio, cum tamen visio non sit pars visus, & ad integritatem, & perfectionem matrimonij pertinet copula, cum tamen non sit pars eius sacramenti; similiter ad integritatem, & perfectionem beatitudinis ex sententia D. Thomæ pertinet amor, cum tamen non sit pars ipsius beatitudinis, quæ sola visio est secundum ipsum.

Secundo arguitur. Sacramentum pęnitentiæ constat ex actibus pęnitentis tanquam materia, & ex verbis sacerdotis tanquam forma, vt definitur in Concil. Florent. sed nihil constat nisi ex suis partibus, ergo actus pęnitentis sunt partes sacramenti pęnitentiæ; & confirmatur, quia actus pęnitentis sunt materia huius sacramenti, a sæculo autem non est auditum, quod materia non sit pars eius, cuius est materia, ergo actus pœnitentis sunt partes huius sacramenti. Respondetur, quod Concilium nunquam dixit sacramentum constare & materia, & forma, (alioqui falsum esset quod Sotus. d. 17. q. 1. art. 2. & Cano. p. 5. relectionis de pœnitentia dicunt absolutionem non esse sacramenti partem) sed solum docuit Concilium sacramenta perfici materia, & forma, & ministro. Et quando obijcitur in confirmatione, illud est pars alicuius, cuius est materia. Respondetur hoc esse verum de materia propria; actus vero pœnitentis non sunt proprie materia, sed quasi materia sacramenti pœnitentiæ. Illud autem quod non est proprie materia, nihil obstat, quod non sit pars; quod patet in sacramento Eucharistiæ cuius materia est panis, & vinum, vt constat ex Concilio Florent. & ex superioribus; quæ tamen non sunt partes sacramenti: quia illis non existentibus sacramentum integrum manet, & illis existentibus sacramentum nullum est. Secundo respondetur, quod aliquid potest esse materia alicuius proprie absque eo quod sit pars eius; sicut materia prima non solum est materia compositi; sed etiam formæ; & similiter forma est forma compositi, & materiæ; cum tamen materia non sit pars formæ, neque forma pars materiæ; Ita dico quod actus pœnitentis sunt materia sacramenti, non tanquam compositi, sed tanquam formæ sicut sunt materia absolutionis, quæ sola est sacramentum.

Tertio arguitur. Ablutio quæ est materia Baptismi est pars sacramenti, ergo materia sacramenti est pars eius. Respondetur, quod sacramenta significant, & causant gratiam, quæ etiam causatur a ministro, vt Dei Vicario: quia ergo minister Baptismi est minister ablutionis, sicut & formæ, ideo ablutio significat & causat gratiam, estque pars sacramenti; minister vero sacramenti pœnitentiæ non ministrat actus pœnitentis, qui sunt materia; ideoque neque significant, neque causant gratiam.

Quarto arguitur. Confessio est de substantia sacramenti pœnitentiæ, ergo est pars illius. Respondetur quod confessio in se non est de substantia sacramenti pœnitentiæ; sed est ordo ad sacramentum, neque enim est sacramentum, neque absolutio nisi cadat supra confessionem, sicut patet non est de substantia filij, sed ordo ad filium.

Quinto arguitur. Contritio, confessio, & satisfactio pertinent ad integritatem sacramenti, ergo sunt partes illius. Respondetur, quod integritas est duplex, alia est substan- *Integritas est duplex.*
tialis, alia vero accidentalis; & accidentalis est, quæ consistit in assecutione finis; & hoc modo copula carnalis est de integritate matrimonij, quia illa requiritur ad procreationem prolis, quæ est matrimonij finis, vt docet D. Thomas in 4. *D. Thomas.*
dist. 46. sub finem, & hoc modo contritio, confessio, & satisfactio requiruntur ad integritatem sacramenti: quoniam requisita sunt ad consequutionem plenariæ remissionis peccatorum quantum ad culpam, & pœnam, quæ finis est sacramenti pœnitentiæ. Vnde Concil. Trident. supra relatum, sic dixit. Actus pœnitentis dicuntur partes pœnitentiæ quæ requiruntur ad integritatem sacramenti ad plenam, & perfectam remissionem peccatorum, quæ est finis illius.

Sexto arguitur ex Concilio Trident. citato pro opinione Andreæ de Vega. Vbi postquam Concilium verba fecerat de sacramento pœnitentiæ statim subiecit pęnitentiam post Baptismum continere, cessationem a peccatis, cõtritionem, confessionem, absolutionem, & satisfactionem, vnde ex antecedentibus constat, quod pœnitentia accipitur ibi pro sacramento, & quod eius quinque sunt partes: quia nihil cõtinet nisi partes suas. Respondetur, quod si Concilium vult docere has quinque partes esse sacramenti pœnitentiæ facile posset vti nomine sacramenti; sed noluit, ne se opponeret opinioni probabili Doctoris Subtilis, & sequacium. Respondetur ergo, quod ibi pœnitentia accipitur non pro sacramẽto, sed pro omnibus requisitis ad plenam remissionem peccatorum post Baptismum.

Contra tertiam conclusionem arguitur; omne connotatiuum supponit pro materiali, & non pro formali, licet connotet illud, vt patet ex logicis, ergo sacramentum pœnitentiæ supponit, pro actibus pœnitentis, qui sunt quasi materia secundum Concilia. Respondetur antecedens esse verum de connotatiuis naturalibus, vt est album; non autem de cõnotatiuis significantibus res supernaturales: quia isti supponunt pro signo gratiæ. Vnde Baptismus supponit pro ablutione facta sub certa verborum forma, quæ est signum gratiæ.

tiæ. Vnde Baptismus supponit pro ablutione facta sub certa verborum forma, quæ est signum gratiæ; similiter pœnitentia pro absolutione, quæ est signum gratiæ, & non pro actibus pœnitentis: virtute namque solius absolutionis pœnitentibus gratia confertur: claues enim solis sacerdotibus collatæ sunt, & soli ipsi dici debent remittere peccata, & per eorum absolutionem confertur gratia confessis absentibus omnibus alijs actibus ipsorum pœnitentium, & sola absolutio est signum gratiæ, & gratia ratione aliorum actuum concessa datur propter actus operantis. Ideoque Scotus definiens hoc sacramentum ponit formã in recto dicens, quod est absolutio hominis pœnitentis &c. cum in sacramento Baptismi ponat ablutionem, & in confirmatione ponat vnctionem, quæ non sunt verba, & forma, sed materia: quia videlicet posuit illud, quod erat signum sensibile efficax gratiæ, & in sacramento pœnitentiæ non est tale signum nisi absolutio, in alijs autem materiale, est magis sensibile.

Secundo arguitur. Hæc verba ego te absoluo sunt forma sacramenti, vt patet ex Concilio Trident. supra relato, sed hæc verba non sunt forma sui ipsorum, quia idem non est forma sui ipsius, ergo verba absolutionis non sunt totum sacramentum pœnitentiæ. Respondetur quod verba absolutionis sunt forma per locutionem intransitiuam, idest sunt forma quæ est sacramentum; sicut secundum sententiam Scoti Baptismus est ablutio, quæ tamen ablutio est materia Baptismi, idest materia, quæ est Baptismus. Ex dictis constat, quam sine scrupulo opinio Scoti possit defendi tanquã valde probabilis.

Vtrum peccata sint materia sacramenti pœnitentiæ. Pro ampliori huius materiæ intelligentia sunt aliqua dubia soluenda. Primum dubium est, vtrum peccata sint materia huius sacramenti. de quo conclusio est certa. Peccata non sunt materia proxima, sed remota huius sacramenti, patet, quia peccata sunt materia & obiectum circa quod versantur actus pœnitentis, videlicet contritio, confessio, & satisfactio, illæ enim tres partes circa peccata versantur, tanquam circa propria obiecta, vnde Scotus supra dist. 14. q. 2. sub litt. C. dixit, quod pœnitentia habet in obiectum peccata vindicabilia, seu emendabilia per ipsam pœnitentiam.

Vtrum hæc verba ego te absoluo sint forma sacramenti pœnitentiæ. Secundum dubium an ista verba. ego te absoluo sint forma huius sacramenti. Conclusio est certa & definita in Concilio Florent. & Trident. vbi forma huius sacramenti ponitur. Ego te absoluo. Idem docuerat Scotus supra. dist. 14. q. 4. sub litt. B Sed contra arguitur. Sacerdos dicens ego te absoluo, sæpe dicit falsum: quia multi a sacramento discedunt absque absolutione peccatorum in anima, ergo non est apta talis forma; & confirmatur quia discedunt absoluti, non a sacerdote; sed a Deo absoluti discedunt; Deus enim solus potest peccata dimittere, vt constat ex pluribus locis scripturæ, ergo solus Deus potest vere dicere. Ego te absoluo; & non sacerdos. Pro solutione huius argumenti obser. est, quod

Ablutio in Baptismo est duplex. sicut in Baptismo est duplex ablutio exterior, quæ fit aqua; & interior quæ consistit in ablutione omnium culparum, & pœnarum, quam exterior ablutio significat, & vtranque ablutionem significat forma, ego te baptizo &c. quamuis diuerso modo; quia exteriorem ablutionem significat semper & absolute fieri; quia sine tali ablutione nullum esset sacramentum; interiorem tamen ablutionem non significat semper absolute, sed significat semper interiorem fieri ablutionem, quantum est ex parte formæ, & passionis Christi; licet ille, qui baptizatur impedimentum aliquando præstet

Absolutio in sacramento pœnitentiæ est duplex. tali ablutioni; Ita in sacramento pœnitentiæ duplex est absolutio, altera exterior, quæ nihil aliud est, quam sententia iuridica, & legitima, & sacramentalis, quam fert sacerdos in fauorem pœnitentis. Vnde sensus verborum istorum. Ego te absoluo secundum D. Thomam vbi supra hic est. Ego tibi impendo sacramentum absolutionis idest ego fero sententiam legitimam, & sacramentalem in tuum fauorem. Altera vero est absolutio interior, quæ consistit in absolutione peccatorum, quæ vincula sunt animæ, & vtranque absolutionem significant ista verba. Ego te absoluo; & exteriorem quidem significant semper, & absolute fieri; quia sine tali absolutione nullum esset sacramentum pœnitẽtiæ; secundam vero absolutionem interiorem non significant semper absolute fieri; sed significant semper fieri quantum est ex parte formæ, & sacramenti; quamuis tali absolutioni pœnitens aliquando præstet impedimentum; & per hoc patet quomodo forma sit semper vera, neque obstat, vt obijcitur in confirmatione argumẽti, quod in sacris litteris Deo tribuatur peccatorum remissio: illi enim soli tribuitur, vt principali causæ, cuius virtute, & auctoritate fit peccatorũ remissio. De fide tamen tenendum est, quod sacerdotes etiã remittant peccata, vt ministri tamen, siue vt causæ ministeriales iuxta illud Ioan. 20. quorum remiseritis peccata &c. legite D. Thomam vbi supra, & Nauarrum super decretũ dist. 6. de pœnitentia. c. 1. in principio num. 18. & deinceps. *D. Thom. Nauar.*

Dubium tertium. Quæ istorum trium sit principalior pars sacramenti, an absolutio sacerdotis, vel contritio cordis. Pro solutione obseruandum est, quod sacramentum pœnitentiæ potest bifariã sumi, vno modo fuse, alio modo presse. Si fuse accipiatur sacramentum, pro omnibus sine quibus non potest esse sacramentum, hoc pacto contritio, confessio, & satisfactio sunt partes sacramenti; nam sine istis tribus absolutio fieri non potest, atque adeo ista tria sunt partes sacramenti; si autem accipiatur sacramentum presse, prout est inuisibilis gratiæ visibilis forma; tunc sola absolutio est sacramentum: quia absolutio est, in qua principaliter assistit sacra virtus Dei dans absoluenti auctoritatem absoluendi a peccatis, & infundendi diuinam gratiam per modum meriti; sic enim est signum sacræ rei inuisibilis gratiæ, & est sensibilis forma, quæ consistit in verbis absolutionis. *Sacramentũ pœnitentiæ bifariam sumi potest.*

Dubium est ergo sumendo sacramentum fuse, cum illa tria sint partes sacramenti, quæ est principalior pars absolutio sacerdotis, vel contritio cordis. Ricardus vbi supra dicit, quod in sacramento illa pars est principalior, quæ principalius cooperatur ad principalem sacramenti effectum; principalior autem effectus sacramentorum nouæ legis est sanctificare, magis quam significare; ergo pars sacramenti est principalior, quæ magis ex vi sacramenti cooperatur ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, quæ remittuntur per gratiam sanctificantem; contritio autem non tantum cooperatur ad remissionem culpæ ex vi sacramenti, sed etiam inquantum est actus virtutis, vel efficax dispositio ad virtutem. Dicit ergo Ricar. quod si compareтur contritio cum vtraque vi sua coniunctim ad absolutionem, principaliter cooperatur ad remissionem culpæ, quam absolutio; si autem considereтur præcise illud, quod cooperatur contritio ex vi sacramenti tantum; sic dicit, quod non ita principaliter operatur ad remissionem culpæ, sicut absolutio sacerdotis: quia cum sacerdos sit vicarius Christi principalius, & prius assistit verbis suis, in quibus absolutio consistit, & virtus sanctificans, quam partibus sacramenti, quæ sunt ex parte pœnitentis. Quare etiam ad actum significandi, principalior est absolutio, quam contritio, quia sensibilius, & magis per se significat peccati remissionem, quam ipsa contritio, quæ illam sensibiliter non significat per se nisi ipsi contrito, alijs autem non significat nisi inquantum manifestatur in confessione oris, & satisfactione operis. Prædictam autem cooperationem non intelligas in efficiendo gratiam, sed in disponendo ad eius susceptionem. *Ricardus.*

Hæc opinio deficit in multis. Primo quia dicit ipsam contritionem habere vim sacramenti, quod non est verum, cum non sit sacramentum, vt satis probatum est supra; nisi vellemus accipere sacramentum large pro omni illo, quod est necessarium ad sacramentum. Secundo peccat dicendo, si contritio accipiatur simul vt habet vim sacramenti, & est actus virtutis, tunc est principalior in remissione culpæ quam absolutio; hoc fallit in duobus. primo, quia vt visum est non potest esse pars sacramenti.

Secundo peccat: quia contritio non remittit peccatum nisi per modum meriti de congruo. Verum quia in casu necessitatis, si non haberet copiam confessoris, haberet tamen perfectam contritionem, & confiteretur & acciperet absolutionem si haberet copiam sacerdotis, facit quod in se est, meretur remissionem peccatorum per modum meriti de congruo; tunc enim Deus sine sacerdote suam infundit gratiam, & saluat illum: quia merebatur per modum meriti de congruo, cum fecerat quod in se est; sed contritio non meretur remissionem peccati per modum meriti de condigno cum sit dispositio ad habendum remissionem per modum meriti de condigno; & in absolutione accipit remissionem peccati per modum meriti de condigno: quia in absolutione assistit virtus diuina remittens principaliter peccatum, & infundens gratiam, & dans auctoritatem sacerdoti dimittendi peccati in confessione si iuste confessus est. Igitur nec contritio, nec confessio est causa principalis peccata dimittendi, sed ipsa absolutio, quæ sola proprie est sacramentum,

tum vt satis explicatũ est in opinione Doctoris nostri Subtilis. Contritio ergo non dimittit peccatum neque confessio nisi dispositiue, & vt necessario requisita ad sacramentum scilicet ad absolutionem, sed absolutio facta a sacerdote peccatum dimittit instrumentaliter, & sacerdos ipse effectiue saltem ministerialiter.

QVAESTIO II.

Vtrum remissio vel expulsio culpæ & infusio gratiæ sint vna simpliciter mutatio.

Peccatum multis modis sumitur. PRo huius tituli explicatione obser. est; primo ex Patre Vega lib. 11. super Concilium Trident. cap. 15. quod culpa idem est quod peccatum, peccatum autem in diuinis litteris sumitur multis modis, primo pro hostia, & sacrificio, quod offertur pro peccato, & hæc significatio est frequens in veteri testamento præsertim in Leuitico; hac significatione vtitur Oseas. cap. 4. dicens. Peccata populi mei comedent idest oblationes, & sacrificia, quæ populi offerebant pro peccatis. *D. August.* De hac significatione agit S. August. q. 12. Numerorum. Secundo sumitur peccatum pro effectu, aut sequela, vel pœna peccati, & pro inclinatione ad peccatum, siue pro eo, quod inclinat ad peccatum, & hoc modo *Concil. Trident.* concupiscentia a D. Paulo dicitur peccatum, vt declarat Concilium Trident. sess. 5. quia concupiscentia est sequela peccati, & inclinat ad peccatum; & hoc modo pœnæ debitæ peccatis etiam nominantur peccatum. vt 2. Macha. 6. sancta & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt a peccatis soluantur idest a pœnis quas propter peccata debebantur. *D. August* De hac significatione agit. S. Augus. lib. de Nuptijs & concupiscentia multis cap. & lib. 1. de Ciuit cap. 24. & lib. 14. cap. 10. Tertio peccatum sumitur pro offensa Dei, & hæc est propria significatio peccati, de qua est sermo in hac quæst.

Gratia multis modis sumitur. Secundo obseruandum est, quod quamuis nomine gratiæ aliquando sancti intelligunt omnia, quæ naturaliter habemus, vt intelligit S. Aug. super Psal. 144. vbi ait. Quædam est gratia, qua Deus fecit, & creauit nos; tamen proprie vbi in sacra scriptura & præsertim in epistolis D. Pauli nominatur gratia, non intelligitur de hoc: quia hic est quidam influxus, & concursus Dei generalis naturæ debitus; gratia autem proprie excludit omne debitum; & quamuis homini priuato, & personæ particulari Deus nihil debeat, & proinde non astringebatur Deus dare illi esse, viuere, & intelligere, & similia dona naturalia: quia hæc non sunt debita alicui personæ; sunt tamen debita naturæ: nam constituturus Deus hominem, debet naturæ ipsius, quod det illi esse, viuere, intellectum & similia; & hoc est contra Pelagium hæreticum, qui nomine gratiæ non agnoscebat intelligi, nisi hæc dona naturalia. & quando D. Paulus ad Rom. 3. aiebat. Iustificati gratis per gratiam ipsius; intelligebat hominem iustificari per liberum arbitrium sine aliquo adiutorio diuino super habito, & quod per gratiam intelligebat ibi. S. Paulus ipsum liberum arbitrium, quod nobis Deus gratis donauit nullis præcedentibus operibus. & eodem modo intelligebat illud ad Rom. 11. si gratia ex operibus iam non est gratia: quia hoc esse, quod habet anima sine operibus præcedentibus accepit a Deo. Quā sententiam Pelagij acriter reprehendit D. August. in epi- *D. August* stola. 5. ad innocentium, quæ est 95. & in epistola 2. ad Sixtum, quæ est 105. his verbis. Christus non pro nullis idest non pro illis, qui non erant, vt crearentur, sed pro impijs mortuus est, vt viuificarentur.

Gratia est donũ a Deo gratuito collatũ, & est duplex. Tertio obseruandum est, quod gratia, vt nomen præ se fert, est donum a Deo gratuito collatum, quæ est duplex, quædam dicitur gratia gratum faciens, quæ est donum Dei faciens nos gratos & amicos ipsius. Alia est gratia gratis data, vt donum linguarum, miraculorum, & similia, quæ enumerat S. Paulus. 1. Corint. 12. In hac quæst. est sermo de gratia gratificante, aut sanctificante, quæ est qualitas, seu habitus quidam animæ inhærens contra Magistrum sent. qui lib. 1. d. 17. fatetur charitatem siue gratiam non esse aliquam qualitatem in anima, sed esse ipsummet spiritum sanctum immediate cum libero nostro arbitrio, exercentem & operantem opera charitatis. Cæterum quamque hoc Deus potuerit facere vt scilicet essemus illi grati sine aliqua qualitate infusa in anima, & operaretur immediate sine aliquo habitu charitatis cum libero arbitrio opera dilectionis; tamen suppositis diuinis litteris non sumus grati Deo nisi per qualitatem infusam, quæ est gratia neque operatur opera charitatis nisi infuso iam habitu charitatis in voluntate.

Mutatio propriè tres conditiones requirit. Quarto obseruandum est, ex Sco. in 3. d. 2. q. 3. ad mutationem proprie dictam tres requiri conditiones, prima ex eadem, quod mutatio fiat inter priuationem & formam, defectu cuius creatio, quæ fit inter negationem, & formam non est mutatio. Secunda quod sit ibi aliquod subiectum, & susceptiuum, quod nunc aliter se habeat quam prius, defectu cuius in transsubstantiatione panis in corpus Christi non est mutatio: quia non est ibi subiectum; Tertia quod susceptiuum prius tempore habuerit formæ priuationem, quam ipsam formam; defectu cuius quando anima infunditur corpori non est ibi mutatio, quia in eodem instanti in quo corpus est organizatum infunditur anima. Ex quo sequitur quod quando dicimus aliquid mutari ad formam, non debemus intelligere, quod mutatio fit circa formam, sed quod susceptiuum illius formæ prius duratione sit sub priuatione, & posterius duratione recipiat illam, & tunc dicitur mutari ad formam, quam recipit. Vnde si in eodem instanti, quo susceptiuum habet verum esse, esset sub forma tunc non mutaretur ad formam, quia priuatio illius formæ non præcessisset duratione in tali susceptiuo ipsam formam. Secundo sequitur quod omnis mutatio, cui aliqua istarum conditionum deficit non est proprie mutatio.

Mutatio est duplex. Quinto obseruandum est, quod duplex est mutatio, vna deperditiua, altera acquisitiua, mutatio deperditiua, quæ etiam priuatiua appellari potest, ea dicitur, qua mutabile transit de forma ad formæ priuationem; adeoque terminus a quo est ens positiuum, terminus vero ad quem est priuatio formæ. Acquisitiua vero mutatio, quæ etiam positiua dici potest, ea appellatur, qua mobile de priuatione transit ad formam, adeo quod terminus a quo est priuatio, & terminus ad quem est forma ei opposita. His obseruatis patet titulus quæst. quæ in quatuor secatur articulos.

Primus Art. Vtrum infusio gratiæ & expulsio culpæ sint vna mutatio.
Secundus Art. Vtrum infusio gratiæ & expulsio culpæ sint duæ mutationes reales.
Tertius Art. Vtrum expulsio culpæ sit aliqua mutatio.
Quartus Art. Vtrum prior sit expulsio culpæ, quam infusio gratiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum infusio gratiæ & expulsio culpæ sint vna mutatio.

QVod remissio peccati, seu expulsio culpæ, & infusio gratiæ sint vna simplex mutatio probatur quadrupliciter, & primo sic. Transitus a priuatione ad habitum sibi oppositum non est nisi vna mutatio, sed peccati remissio, & gratiæ infusio, non est nisi transitus a culpa mortali ad gratiam, quæ sunt priuatiue opposita, ergo non sunt nisi vna mutatio; maior patet, quia inter duos terminos oppositos simul non est nisi vnica mutatio. minor probatur: quæ sunt formaliter incompossibilia nec virtute diuina possunt stare simul, sed culpa & gratia sunt formaliter incompossibilia, ergo non possunt stare simul, atque adeo expulsio culpæ est mutatio ad gratiam; minor probatur, ex opposito, si enim culpa & gratia non essent formaliter incompossibilia possent stare simul, & tunc esset contradictio scilicet quod eadem anima simul esset digna pœna æterna, & non esset digna pœna æterna, sed vita æterna, ex eo enim quod haberet culpam esset digna pœna æterna; & ex eo quod haberet gratiam, esset digna vita æterna, & per consequens esset digna pœna æterna, & non digna pœna æterna, essetque digna vita æterna, & non digna vita æterna, quæ contradicunt, & si poneretur quod talis anima in tali statu iudicetur, & fiat in termino, sequitur quod simul & semel habebit vitam æternam, & pœnam æternam; sed hoc implicat contradictionem. Nam vita æterna

est

est visio & fruitio Dei; & pœna æterna est priuatio visionis, & fruitionis beatæ, atque adeo videret & non videret Deum, frueretur, & non frueretur Deo.

Secundo arguitur sic, expulsio culpæ, & infusio gratiæ aut sunt vna, & eadem mutatio, aut plures; sed non sunt plures essentialiter distinctæ, ergo sunt vna & eadem; maior patet, & minor probatur quia tunc vna posset fieri, & esse sine alia contradictione non obstante, sicut prior sine posteriore, vel e conuerso, & ita posset esse peccati remissio, sine gratiæ infusione, & gratiæ infusio sine peccati remissione in isto peccatore, quod non conceditur.

Tertio arguitur, generatio, & corruptio in naturalibus sunt vna mutatio, & eadem simpliciter: quia idem est motus simpliciter abiectiuus contrarij vnius, & inductiuus alterius; nam eadem mutatione abijcitur frigus, & inducitur calor in aqua, & eadem mutatione expellitur priuatio formæ, & inducitur forma in materia; ergo eadem mutatione expellitur culpa, & infunditur gratia; quia eadem mutatio est expulsiua vnius formæ, & inductiua alterius sibi incompossibilis. Et quod sit idem motus inter duo contraria patet: quia motus per se respicit contraria, sicut per se terminos; in hoc enim a mutatione distinguitur, quia mutatio non habet ambos terminos positiuos.

Quarto arguitur. Si expulsio peccati, & infusio gratiæ essent duæ mutationes, haberent inter se aliquem ordinem prioris, & posterioris saltem natura, & si non duratione; consequens est falsum; ergo & antecedens, consequentia patet; quia non æque immediate ordinantur ad terminum; falsitas consequentis probatur; quia si remissio esset prior quam infusio, in illo priori esset homo non inimicus; & tamen non esset amicus: quia gratiam non haberet, in illo priori; hoc autem est impossibile: quia quilibet ex diuina ordinatione pro quolibet statu suo, vel est amicus, vel inimicus; similiter si infusio gratiæ esset prior, sequeretur quod in illo priori esset homo amicus: quia haberet gratiam; & tamen adhuc esset inimicus; quia non esset reconciliatus, eo quod peccatum non esset sibi remissum.

His tamen non obstantibus dicendum est, quod infusio gratiæ non est eadem mutatio cum exclusione, seu remissione culpæ. probatur primo sic. Idem simpliciter non potest simul plurificari realiter, & non plurificari, vel plurificari secundum rationem, & non plurificari; sed remissio culpæ frequenter plurificatur circa peccatorem secundum pluralitatem culparum, & infusio gratiæ non plurificatur; sed est vnica sicut & gratia, quæ infunditur, ergo remissio culpæ, & infusio gratiæ non sunt vna, & eadem mutatio. Probatur maior; quia ad hoc sequitur idem non esse idem, vel quod idem vt est idem esset vnum, & non vnum, quod est oppositum primi principij; verificarentur enim contradictoria de eodem. Minor patet quia contingit esse multas culpas, quarum vna quæque distincta remissione remittitur, vt quando simul multæ sunt culpæ, sicut si remitterentur separatim, quando vna est sine alia.

Secundo probatur. Idem non separatur ab eodem, accipiendo vniformiter identitatem, & separationem; puta si realiter realiter, si ratione ratione, hoc est quæ sunt. Idem realiter non separantur realiter, & quæ sunt idem ratione, ratione non distinguuntur; quia hoc includit oppositum primi principij; scilicet quod idem, vt idem simul sit, & non sit, ex quo illa separatio est secundum esse. sed remissio culpæ, & infusio gratiæ possunt adinuicem separari secundum totum ambitum suum; sic quod potest esse aliqua remissio culpæ, & nulla erit infusio gratiæ; ergo infusio gratiæ & remissio culpæ non sunt vna & eadem mutatio, maior patet, & minor probatur. Potest enim absolute remitti culpa mortalis, esto quod non infundatur gratia; & illa remissio esset eiusdem rationis cum illa, quæ fit modo, quando concomitanter infunditur gratia. Item veniale potest remitti sine infusione gratiæ, ergo & mortale. Item potest infundi gratia & si nulla culpa remittatur, & illa infusio est eiusdem rationis cum illa, quæ fit quando culpa remittitur.

Præterea potest vnus homo fieri in puris naturalibus a Deo, & postea gratia sibi infundi, & tamen non remitteretur sibi aliqua culpa. hæc ratio breuiter in hoc consistit, possibile est infundi gratiam, quando non remittitur culpa; sicut primo homini, & angelis infusa fuit gratia sine vllius culpæ remissione: quia nulla in illis præcesserat; similiter patet posse remitti culpam absque infusione gratiæ: quoniam Deus potuit talem hominem reparare, qualem potuit producere, sed potuit producere hominem in puris naturalibus sine peccato & gratia, ergo post lapsum hominis in peccatum poterit Deus remisso peccato eum reuocare ad pura naturalia, in quibus maneat sine gratia & peccato; cum igitur ista tam manifeste possint separari, infertur aperte quod infusio gratiæ non est eadem mutatio cum expulsione seu remissione culpæ.

Tertio probatur. Inter illa, quæ non sunt formaliter opposita non potest esse formaliter, & per se vna mutatio, sed culpa & gratia non sunt opposita formaliter priuatiue, ergo inter ea non potest esse formaliter, & per se vna mutatio: maior patet: quia in solis oppositis formaliter eadem motatione, qua inducitur vnum excluditur aliud; sicut eadem mutatione, qua inducitur lumen excluduntur tenebræ, & eadem qua inducuntur tenebræ excluditur lumen. Probatur minor, si gratia & culpa essent formaliter opposita priuatiue, gratia subesset agenti naturali, consequens falsum, ergo & antecedens. probatur sequela, quicquid potest super vnum oppositum effectiue, vel defectiue, potest etiam super aliud, vt patet vniuersaliter in repugnantibus & incompossibilibus oppositis priuatiue; sed voluntas creata potest super culpam, vel super esse culpæ, quia ab ipsa est culpa; igitur posset super non esse gratiæ effectiue, vel defectiue; hoc autem est falsum: quia gratia non accipit non esse nec desinit esse nisi per annichilationem, creatura autem non potest annichilare, quemadmodum nec potest creare. Secundo probatur eadem minor. Vnius habitus non est nisi vna priuatio simul, & semel in eodem subiecto, sed multæ sunt culpæ simul in eodem; gratia vero est vnus habitus ergo &c.

Item non fit proprie mutatio ad habitum nisi a priuatione; sed ad gratiam potest fieri mutatio dato quod non a culpa, vt patet in Angelis, in Adamo, in B. Virgine, & in Christo Domino, in quibus facta est mutatio ad gratiam sine omni culpa præcedente, ergo gratia, & culpa non opponuntur formaliter priuatiue; hæc ratio habet euidentiam de Angelis, & Adamo esto quod non fuerint creati in gratia; vt de B. Virg. & Christo Domino minime, quia voluntas B. Virg. & Christi Domini non fuerunt prius sub priuatione gratiæ quam sub gratia; quod tamen requiritur ad veram mutationem vt diximus supra in 4. notabili in explicatione tituli.

Quarto probatur conclusio sic. eadem mutatione, qua infunditur gratia solum excluditur priuatio gratiæ; sicut eadem mutatione, qua infunditur lumen solum excluditur priuatio luminis; at vero culpa non est priuatio gratiæ: quia gratia tantum est vna, cum contingat multas esse culpas, ergo eadem mutatione, qua infunditur gratia, licet excludatur eius priuatio, non tamen excluditur culpa, quæ est diuersa a priuatione gratiæ. Nec valet inquit Doctor instantia contra maiorem, quod aliqua mutatio habet vtrũque terminum positiuum: quia istius mutationis, quæ est ad gratiam, per se terminus a quo est priuatio, & per consequens propria priuatio terminat ad quem.

Hic Scotus tollit instantiam; posset enim quis dicere eadem mutatione, qua inducitur calor non solum priuatio caloris excluditur, sed etiam frigus quod diuersum est a priuatione caloris, ergo quamuis culpa & priuatio gratiæ sint diuersæ poterit eadem mutatione, qua infunditur gratia excludi non solum priuatio gratiæ, sed etiam culpa, Respondetur, quod quamuis omnino sit eadem mutatio inductio caloris, & priuatio caloris, non tamen excluditur eadem omnino mutatione frigus; sed alia diuersa, idque ex eo patet, quod posset esse mutatio illa, qua inducitur calor sine illa, qua excluditur frigus, si Deus cum calore nouo conseruaret frigus antiquum; Item quia manere potest eadem mutatio, qua excluditur frigus absque ea, qua inducitur calor, veluti si ab aqua Deus expellat frigus, & impediat caloris productionem; quod autem sint diuersæ mutationes patet, ex terminis ad quem, & a quo; nam terminus a quo exclusionis frigoris est ipsum frigus, terminus vero ad quem est priuatio frigoris, & terminus a quo inductionis caloris, est priuatio caloris, terminus vero ad quẽ est ipse calor, vt docet Arist. 5. Phy. cap. 1. & hoc loquendo de per se terminis, & non de terminis concomitantibus.

Cæte-

Ceterum antequam soluamus argumenta contra in principio art. posita, quia Doct. in secunda & tertia ratione supponit duo, quæ controuertuntur inter ipsum & D. Thomã, & inter Scotistas, & Thomistas quorum primum est peccatum posse remitti absque infusione gratiæ, & gratiam infundi sine remissione peccati. secundum vero gratiam & culpam non opponi formaliter priuatiue. Ideo duxi hæc duo quæsita hic breuiter examinare.

Peccatũ an possit remitti absq; gratiæ infusione.

Et quo ad primum dubitatur. An peccatum possit remitti absque infusione gratiæ, & loquor de potentia Dei absoluta. quia planum est, quod non, de potentia ordinata. Circa hoc dubium oportet primum certa ab incertis secernere, est enim certum peccatum non remitti de lege absque infusione gratiæ; est autem sub iudice an remitti possit etiam de potentia Dei absoluta. Partem negatiuam tuetur Diuus Thomas 1. 2. quæst. 113. artic. secundo, & de veritate. quæst. 28. artic. 2. & fere omnes eius discipuli. Partem autem affirmatiuam amplectitur Scotus in 2. dist. 28. & in 4. dist. 1. q. 6. & dist. 14. quæstione prima, & in hac quæst. post Diuum Bonauenturã in 2. dist. 28. quæst. 1. Quos sequuntur Gabriel Marsilius, Durandus, Gregorius Arim. & alij. Sed quia hæc quæst. solet in secundo in materia de gratia ex professo disputari, ideo breuiter vtriusque sententiæ fundamenta proponentur. Pro opinione ergo iam Diui Thomæ, quam Scoti obseruandum est, ex Aristot. in post prædicamentis capit. de oppositis, quod illa dicuntur opponi priuatiue, quorum alterum necessario inest subiecto post tempus a natura determinatum, hoc est, postquam subiectum habet aptitudinem ad formam, verbi gratia catulus ante nonum diem non dicitur cæcus, quia non est pro tunc aptus natus ad videndum, sed post nonum diem; Ex quo patet discrimen inter negationem & priuationem: negatio enim est absentia, & penuria rei, quam negat; priuatio vero est carentia rei prius habitæ, vel naturaliter habendæ. Vnde homo inquit D. Thomas in puris naturalibus creatus habet negationem gratiæ, postquam vero amisit illam habet priuationem, & per consequens implicat dari medium inter gratiam, & peccatum siquidem sunt priuatiue opposita. Scotus vero econuerso asserit gratiam, & peccatum in homine opponi contrarie, esseque contraria mediata, & non priuatiue opposita nisi de lege, atque adeo potest dari medium videlicet status puræ naturæ.

D. Thom.

Scotus. D. Bonau. Gabriel. Marsilius. Durandus. Gregorius.

Opposita priuatiue quæ sint.

Homo existens in gratia duplicẽ habet rectitudinem

Secundo obseruandum est pro maiori etiam elucidatione vtriusque sententiæ, & maxime D. Thomæ, quod homo dum est in gratia geminam habet rectitudinem, prima est naturalis, qua diligit Deum natura auctorem, & refertur in ipsum prout ex viribus naturæ diligi potest; altera est rectitudo supernaturalis qua. s. homo diligit Deum, vt obiectum supernaturale, & supernaturaliter habendum, hæc autem rectitudo est in homine per gratiam, cum ergo homo peccat manet priuatus hac duplici rectitudine, quoniam priuatur gratia, & etiam abutitur suis potentiis naturalibus, quod ita probatur, aut homo committit peccatum directe contra legem naturalem, vt quando adulteratur, vel furatur, &c vel committit peccatum contra legem supernaturalem, s. contra præceptum de suscipiendis sacramentis &c. sed in vtroque euentu amittit vtranque rectitudinem, ergo &c. probatur minor, quia de peccato contra legem naturalem cõstat, siquidem qui adulteratur non solum transgreditur præceptum naturale de non adulterando: sed etiam supernaturale charitatis, in quo negatiue continetur, vt nihil præferatur diuinæ amicitiæ, quia autem voluptatis causa transgreditur præceptum de non adulterando anteponit Deo suam voluptatem, & ideo violat, & transgreditur legem amicitiæ, & charitatis, probatur etiam minor de præcepto supernaturali, vt fidei, & spei, vel de suscipiendis sacramentis, & hoc probat contra Caiet. vbi supra: Nam supposito, quod Deus præcepit aliquod supernaturale ipsa naturalis ratio dictat, quod Deus, & conditor noster est obediẽdus, siue præcipiat, quid naturale, siue supernaturale, & ex consequenti, qui trãsgreditur aliquod præceptũ supernaturale transgreditur ẽt hoc præceptũ, & dictamen naturale, & sic illę duæ rectitudines ita sunt pro isto statu coniũctæ, vt neutra sine altera amitti possit & ex consequenti inquit D. Tho, ꝙ neq; ait vna rectitudo restituit sine alia; Scotus vero econuerso docet, quod licet concedamus contra Caiet. non posse hominem amittere rectitudinem supernaturalem, quin amittat etiam naturalem, & vtraque rectitudo restituatur ei de lege. Potest tamẽ Deus de potentia sua absoluta restituere homini rectitudinẽ naturalem tantum, & sic manebit in statu puræ naturæ. Videamus ergo breuiter vtriusque Doctoris fundamenta.

Opinio D. Thomæ probatur primo. Ad hoc vt peccatum remittatur necessario & homini vtraq; rectitudo reddẽda, sed hoc est esse in gratia, ergo &c. minor & consequentia parent, probatur maior, de rectitudine naturali patet, & ipse Scotus fatetur, probo ergo maiorẽ de rectitudine supernaturali. Quodcũq; peccatũ (vt diximus) est priuatio vtriusq; rectitudinis; sed priuatio nõ tollitur nisi per positionẽ eius, cuius est priuatio, ergo &c. & confirmatur: quia dato ꝙ posset culpa deleri sine rectitudine supernaturali, sequeretur, quod homo simul esset, & sine peccato, & auersus a Deo, & illi inimicus, quod implicat, patet sequela, qa caret rectitudine supernaturali debita, ergo est auersus a Deo, & inimicus, & præterea esset simul auersus a Deo, & conuersus ad ipsum, quod implicat.

Secũdo arguitur, & efficacius probo Deũ nõ posse restituere homini rectitudinẽ naturalẽ, quin restituat supernaturalẽ quia dato, ꝙ Deus sua absoluta potẽtia conuertat peccatorẽ ad bonum naturale rõnis, manente auersione a Deo, vt est obiectũ gratiæ & beatitudinis, adhuc peccator in illo statu non habet integritatẽ naturalẽ, nec est ordinatus ad bonũ naturale: qm̃ rectitudo naturalis hẽt Deũ pro vltimo fine naturali, & nõ habet aliquã auersionẽ ab ipso Deo, vt est obiectũ supernaturale, sed ĩ casu posito iste homo est auersus a Deo, vt obiectum beatificum, & supernaturale; ergo non habet rectitudinem naturalem, & nõ est intelligibile, quod postquã homo peccauit tollatur ab ipso auersio nisi per conuersionẽ, sicut auersio a Deo vt fine naturali tollitur per conuersionẽ, quam vocat Scotus rectitudinem naturalem.

Gratia qua homo iustificatur est duplex.

Caietanus.

Capreolus. Sotus.

Circa hanc difficultatem obseruandum, quod gratia qua homo iustificatur est duplex, altera est habitus creatus a Deo, & animæ infusus, qua homo formaliter est gratus Deo, altera vero est increata. s. ipsamet voluntas diuina gratificans, & acceptans sibi hominem effectiue, hæc difficultas de vtraq; gratia est intelligenda Caietanus interpretatur D. Tho. de priori. s. de habituali. Capreolus autem in 1. d. 17. q. 1. art. 1 Et Sotus in 4. d. 15. q. 1. art. 2. de posteriori & melius: quia si credimus Caiet. Facillima esset opinio Scoti contra D. Thomam: nam quanquam ex hypothesi: peccatum priuet ex natura sua gratia. s. gratificante, & amicitia diuina, ista qualitas quã appellamus gratiam nõ est ipsa amicitia Dei, sed est effectus ipsius amicitię q̃ tandẽ gratificat formaliter, hominem, sed quicquid habet, ex pacto Dei habet. Vnde non solum posset Deus gratificare hominem absque tali habitu: sed posset conseruare illum in peccatore. Est ergo pro opinione Scoti.

Conclusio est affirmatiua. Peccatum potest remitti de potentia Dei absoluta absque infusione gratiæ, probatur conclusio a priori. Potuit Deus creare hominem in puris naturalibus, et si hic homo peccaret restituere illum ad pristinum statum puræ naturæ, ergo & modo, patet consequentia: quia ille homo esset auersus, sicut hic & oĩa haberet, sicut qui modo peccat, ergo &c. & confirmatur; quia status puræ naturæ non repugnat ex parte hoĩs, ergo nec ex parte Dei.

Ad hoc argumentum respondet Caiet. negando consequentiam; ille enim homo habebat negationem gratiæ dũtaxat, & poterat Deus absq; contradictione reducere illum ad pristinũ statũ, hic autẽ habet priuationẽ gratiæ, & repugnat priuationem tolli nisi per formã, vt in exemplo catuli, qui ante nonum diem, nec est cęcus, nec videns, post vero nonũ diem repugnat, quin nec sit cæcus, nec videns. Similiter homo in puris naturalibus creatus habet negationem gratiæ, q autem fuit spoliatus habet priuationem. Sed contra hoc arguitur, & primo suppono ex Arist. quod priuatio est circa subiectum aptum natum, vnde homo dicitur cæcus non autẽ lapis. Secundo suppono, quod nulla apparet ratio quare homo in peccato sit aptus ad gratiam, & homo in puris naturalibus non sit aptus, siquidem in vtroque idem est subiectũ ad gratiam, & capax gratiæ, & eadem obedientialis potentia ad eam recipiendam, immo e conuerso, sicut aqua tepida est aptior ad caliditatem, quam frigida, ita homo in puris naturalibus esset aptior ad gratiã quam existens in peccato si daretur maior aptitudo, exemplum ergo de catulo non currit, etsi gratia & peccatum opponerentur contrarie circa hominem creatum in puris naturalibus, similiter circa hominem expoliatum gratia, quia si par est aptitudo parum refert habuisse illam, vel non habuisse, vt

in exemplo posito patet; quia si catulus nunquam videret diceretur cæcus post nonum diem; quia iam erat aptus, ergo cæcitas non aduenit ei per priuationem visionis, quam non habuerat vnquam. ergo si homo in puris naturalibus creatus peccaret etiam diceretur priuatus: quia per se homo in peccato est auersus, & aptus ad gratiam.

Ad hoc respondent aliqui, quod talis homo in puris naturalibus creatus si peccaret non haberet debitum recuperandi gratiam, & ideo non diceretur priuatus; sed est im pertinens euasio hæc ad nostram quæstionem: quia debitum, quod habet peccator ad gratiam est ex lege, & pacto Dei, & ridiculum est asserere, quod debitori repugnat, quod creditor soluat debitum; ergo potest Deus restituere modo homini rectitudinem naturalem, & non supernaturalem; & quando dicitur peccatum est priuatio gratiæ cum debito habendi illam, hoc est de lege, & non de formali ratione peccati, inter quod & gratiam non est maior repugnantia, quàm inter iustitiam originalem, & peccatum originale; sed peccatum originale remittitur modo in Baptismo, & non restituitur iustitia originalis, ergo &c. etiá formale peccati esset priuatio gratiæ, sequeretur quod secundum, vel tertium peccatum mortale non haberet rationem formalem peccati, siquidem (vt constat) nulla gratia priuat.

Secundo probatur nostra conclusio a posteriori, postquam Deus homini peccatum dimisit, & contulit illi gratiam, potest Deus de potentia absoluta ab eo auferre gratiam, & tūc non manebit in peccato, de cuius ratione est, quod sit voluntarium, ergo manebit in statu puræ naturæ, ecce apertissimũ medium inter gratiam, & peccatum, ergo non opponuntur priuatiue. Hoc argumentum sæpe in circulis, & dis. ptationibus audiui, & semper desiderata solutione recessi. Respondent enim propter prædicta fundamenta cōcedendo, quod potest Deus tollere gratiam ab homine absque eo, quod homo maneat peccator, vt in casu dicto; repugnat tamen quod tollat peccatum absque gratia: quia peccatum est priuatio gratiæ; sed hæc solutio nullius est momenti: implicat enim quod peccatū & gratia opponantur priuatiue, & gratia, & peccatum contrarie; liquidem per oppositum est inter cæcitatem, & visionem quæ est inter visionem & cæcitatem, & contrarium est in intelligibile. Sed de hoc plura diximus in primo tomo huius. 4. q. 1. q. 6. vide ibi.

Ad primum arg. pro opinione D. Thomæ. Respondetur negando minorem s. quod nequit remitti peccatum de potētia Dei absoluta, quin restituatur vtraque rectitudo, & ad probationem dico, quod licet concedamus, quod hæ duæ rectitudines ita sunt connexæ, quod nequeat vna sine altera deperdi, est intelligendum de lege per peccatum; quia alio modo bene potest Deus vnam rectitudinem tollere relicta altera, & si tolleret gratiam ab aliquo, tunc maneret rectus in naturalibus, non autem cum rectitudine supernaturali, quæ proficiscebatur a gratia ipsa, igitur similiter poterit restituere homini rectitudinem naturalem, non restituta gratia, & tunc manebit non auersus in supernaturalibus, sed nec auersus, nec conuersus, & tandem vt secundi argumenti etiam constet solutio, dico, quod rectitudo naturalis recuperatur per solam cessationem ab actu prauo, cessationem inquam actualem, & voluntariam, quæ sufficit, vt tollatur auersio a Deo, vt finis naturalis est. Sed dices sequeretur quod de lege etiam potest homo recuperare rectitudinē naturalem absque gratia cessando voluntarie ab actu prauo. Respondeo quod non; quia stante diuina lege, & præcepto de recuperanda gratia implicat recuperare rectitudinem naturalem, quin recuperet supernaturalem; quia tunc manebit auersus a Deo etiam in naturalibus, vt secundum argumentum probat, sed cum totum hoc pulluler a lege, pacto, & voluntate Dei, non dubium est, quin possit aliter fieri de potētia absoluta.

Gratia & peccatū an opponantur secundū naturam. Quo ad secundum dubitatur an gratia, & peccatum opponantur secundum naturam, an ex instituti one legis, quæ sic decreuit, vt qui peccat statim perdat gratiam, & ex consequēti an peccatum tollat gratiam efficienter, an potius demeritorie, adeo vt qui peccat mereatur, vt Deus auferat ab eo suā gratiam. De hac re est duplex opinio, vna Caiet. 2. 2. quæst. 24. arti. u. 10. & s. 2. quæst. 113. art. c. 1. quem multi Thomistarum secuti sunt, qui affirmant, quod gratia, & peccatum opponuntur ex natura rei; quod ita hunc modum probant, peccatum est offensa Dei, qua homo est inimicus Deo, sed gratia est qua homo est gratus Deo, ergo gratia & peccatū

Caietanus.

ex natura sua opponuntur. Item repugnantia est, quod idem homo respectu eiusdem sit gratus Deo & inuisus, igitur manifesta contradictio est inter gratiam & offensam ex natura sua. Quod autem peccatum expellat gratiam efficienter sic probant. Peccatum expellit charitatem efficienter, quę est dispositio ad gratiam, sine qua gratia consistere non potest, igitur expellit efficienter gratiam, patet consequentia; quia quamuis ignis non producat animam in corpore expellit tamen animam efficienter a corpore introducendo dispositiones, quæ sunt animæ contrariæ. Præterea peccatum est causa motiua, & inductiua, quare Deus hominem a sua gratia abijciat, igitur peccatum est causa efficiens, & motiua quare corrumpatur gratia, antecedens patet: quia hæc causalis est vera: quia homo peccat peccatum mortale priuatur gratia, ergo peccatum est causa efficiens & motiua quare corrumpatur gratia.

Altera est optimo Doctoris nostri hic, & in 2. d. 28. & in 1. d. 17. quod gratia & peccatum opponuntur solum ex diuino statuto; quia Deus de potentia sua absoluta potest acceptare peccatorem ad gloriam, & ad vitam æternam, absque gratia, item de potentia Dei absoluta potest permanere gratia, quæ est qualitas in homine peccatore, igitur gratia, & peccatum ex natura sua non opponuntur. Item opera nostra non producunt gratiam efficienter, sed Deus desuper infundit illam, igitur quomodo peccata quæ sunt opera nostra possunt corrumpere illam gratiam efficienter? Item gratia est quædam forma supernaturalis, ergo non potest corrumpi actione creaturæ, quia eleuatur super omnē creaturam, & super omnem facultatem naturæ. Praterea opera nostra non possunt esse instrumenta ad creandum, & ad annichilandum etiam secundum D. Thomam, sed gratia cum desinit esse annichilatur, quia quæ habent esse per creationem non desinent esse nisi per annichilationem, ergo opera nostra non habent vim, & energiam vt corrumpant gratiam.

Ad argumenta opposita sententiæ respondetur, & ad primum dico, quod sicut peccatum de lege est offensa Dei, qua homo est inuisus Deo, ita gratia de lege est, qua homo est Deo gratus, atque adeo non opponuntur ex natura rei sed ex lege, & decreto diuino, posset enim Deus de potentia absoluta habitum vitiosum, & actum peccaminosum acceptare in ordine ad vitam æternam, vt docet Franciscus de de May. in 1. prima dist. 17. quæstione secunda, posset etiā qualitatem illam, quam appellamus gratiam non acceptare, atque adeo negatur consequentia. & per idem patet ad secundum, nam admissu antecedente negatur consequentia. Francis. Mai.

Ad tertium dico quod supponit falsum nempe charitatem & gratiam re ipsa distingui, charitas enim, & gratia sunt idem habitus realiter, & formaliter, & tantum nomine vel ratione distinguatur, atque adeo charitas nequit esse dispositio ad gratiam. Ad quartum dico quod peccatum non est causa motiua efficienter quare Deus tollat gratiam, sed tantum demeritorie, nam peccans mortaliter demereretur habere gratiam, atque adeo Deus desinit ipsam conseruare, & statim desinit esse, vide Suarez. Tomo quarto disputatione 9. sect. tertia.

Ad argumenta in principio art. posita respondetur, quod culpa & gratia non opponuntur formaliter, aliquo genere oppositionis. Ad probationem dico, quod culpa mortalis & gratia non sunt incompossibilia formaliter ex natura rei, sed ex ordinatione diuina, quæ ordinauit, quod quilibet sit vel filius dexteræ per gratiam, vel sinistræ per culpam, atque adeo ex natura rei dicere oportet, quod Deo permittente culpam, & non remittente eam, atque etiam creante gratiam in eodem cum illa culpa ita possent stare simul loquendo de potentia Dei absoluta; qua posset non remittere culpam, & infundere gratiam, & cum infertur quod contradictio sequeretur: quia tunc eadem anima simul esset digna pœna æterna, & non digna, dico quod nulla est contradictio, quia hoc non esset secundum idem, sed secundum culpam esset digna pœna æterna, & secundum gratiam, vel inquantum habens ipsam non esset digna tali pœna, atque ita non secundum idem, & iusta hoc conceditur, quod esset dignus pœna æterna, & vita æterna. Et quando dicis vltra quod in illo, quod posset iudicari, & fieri in termino, & per consequens simul præmiari vita æterna, & puniri pœna æterna &c. negatur consequentia, & ratio est: quia visio beata, & carentia eius plane opponuntur priuatiue circa idem

subie-

subiectum: opposita autem priuatiue non possunt simul inesse absque contradictione, at non ita est in antecedente, vnde est quod ille esset simul dignus pęna, & vita æterna non tamen pro simul, nec simul possent sibi ambo inesse coniunctim, sed alterum quodcumque placeret præmianti.

Aliter dici potest quod condignitas gratiæ, vel habentis gratiam ad vitam æternam, non est ea natura gratiæ, vel ex ui talis habitus, alioquin Deus non posset non beatificare decedentem in gratia, nec damnare aliquem cum gratia, quod falsum est; sed talis condignitas est ex statuto, vel pacto, aut ordinatione diuina, cuius oppositum potest ordinare de potentia absoluta, vt. s. aliquis quantumcunque habens gratiã non esset dignus vita æterna. Potest ergo virtute diuina fieri, quod aliquis habeat gratiam, & non sit dignus vita æterna, & si cum hoc habeat culpam mortalẽ est dignus pęna æterna, & ita non sequitur aliqua cõtradictio. Posset etiã aliter dici, esto quod culpa, & gratia non sint formaliter opposita, non propter hoc tamen absolute loquendo sunt compossibilia in eodẽ subiecto, sicut patet de duabus formis substantialibus disparatis, quæ licet non opponantur tamen nõ compatiuntur se in eadem materia, & secundum alios de duabus figuris in eadẽ quanto: sed prima solutio est melior.

Ad secundum dico, quod nec sunt vna mutatio, nec plures loquendo de mutationibus realibus. Quando dicis quod si plures essent &c. dico quod licet non sint plures mutationes reales, remissio tamẽ culpæ potest esse sine infusione gratię, & e conuerso, nec est inconueniens quomodocunque accipias, de ordine tamen earum in 4. art. apparebit.

Ad tertium respondetur dupliciter, primo dicitur, quod licet sit vnus motus, & vna mutatio a contrario in contrarium, secundum quod mutatio dicit aliquid commune ad motum, non tamen generatio, & corruptio sunt vna mutatio, sed duæ. & ratio est quia motus ille habet duos per se terminos positiuos. s. illa contraria, & non sunt ibi plures termini, sed generatio, & corruptio non sic habent terminos suos, corruptio enim habet pro terminis suis formam præexistentem, & negationem eius, vel priuationem in materia, sed generatio habet pro terminis suis, formam sequentem; & negationem eius, vel priuationem in materia, atque ita sunt ibi quatuor termini, & duæ mutationes. Assumptum igitur est falsum, & probatio non valet de motu.

Secundo respondetur, quod generatio, & corruptio sunt duæ mutationes, & quãdo dicitur de motu, quod vnica mutatione per motum abijcitur forma contraria, & inducitur altera contraria, dicitur quod in quolibet motu de contrario in contrarium concurrunt duæ mutationes, quarum vna est de perditiua vnius contrarij, & alia est acquisitiua alterius contrarij & prima habet pro suis terminis contrarium quod abijcitur, & negationem eius, secũda vero habet pro terminis contrarium, quod inducitur, & negationem & priuationem eius, & quælibet istarum mutationum successiua est, & distinguitur vna essentialiter ab alia, in tantum quod virtute diuina prima posset fieri sine secunda & etiam secunda sine prima, præcipue secundum ponentes duo contraria posse simul stare, & etiam secundum hoc negantes, qui ponerent quod vnum contrarium posset per motum induci, & per motum, & mutationem successiuam in aliquo, in quo non esset nec præfuisset aliquid de contrario; verum est tamen quod naturaliter loquendo in motu concurrunt ambe istæ mutationes, nec potest aliter fieri a natura. Et secundum istos in hoc non differt motus a mutatione, nempe quod motus sit aliqua vna simplex mutatio inter terminos contrarios, sed in hoc differt, quod licet sit inter terminos priuatiuos, est tamen mutatio successiua, & non instantanea. Similiter etiam ad motum naturaliter concurrunt duæ mutationes quarum sunt duo termini positiui, terminus a quo primæ, & terminus ad quem secundæ sunt contrarij, & sic dicitur motus fieri a contrario in contrarium secundum duas mutationes, quas includit, non sic autem mutatio puta generatio, aut corruptio, vel huiusmodi, quicquid sit de hoc semper tamen dicẽdum est, quod generatio vnius, & corruptio vnius licet concomitentur se sunt duæ mutationes non tamen propter hoc concludendum est a simili, quod remissio culpæ, & infusio gratiæ sint duæ mutationes reales, vt videbimus in sequenti art.

Ad quartum de ordine ipsarum videbitur in quarto art. Pronunc quando dicitur quod non possunt habere ordinẽ negatur, & cum dicitur, quod remissio non potest esse prior, quia tunc prius esset non inimicus quam amicus, concedo consequens & consequentiam. Nam aliquis potest esse aliter nec inimicus nec amicus, etiam secundum durationem, atque ita prius duratione non inimicus, quam amicus, licet de facto secundum ordinationem diuinam, & secũdum durationem, quilibet vel sit inimicus, vel amicus, licet prius natura possit esse non inimicus quam amicus. Similiter aliquo prius natura prioritate intentionis & perfectionis potest esse prius amicus quam inimicus. Et sic etiam infusio gratiæ prior aliquo modo remissione culpæ. Præterea argumentũ supponit, quod sint duæ mutationes reales, quod tamen non est verum, licet non sint vna. nec enim sunt vna realis mutatio, nec duæ mutationes reales.

ARTICVLVS II.

Vtrum infusio gratiæ & expulsio culpæ sint duæ mutationes reales.

PRo solutione huius quæst. obseruandum est quod mutatio realis est cuius alterum extremum, nempe vel terminus a quo, vel ad quem est res positiua realis, vnde quãdo infunditur gratia est mutatio realis, quia res quæ acquiritur est res realis, at quando corrumpitur forma, quia mutatur subiectum in extremum priuatiuum, ex eo mutatio dicitur realis, quia terminus a quo est realis. *Mutatio realis quid sit.*

Hoc supposito de hac re triplex est opinio, prima est Guidonis Brianfonis in suo 4. q. 8. corrol. 1 sub lit. O. §. sed ista opinio doctoris. qui tenet gratiæ infusionem & expulsionem culpæ esse duas mutationes reales, quia vt dicit, peccatum consistit in auersione a suo creatore, & conuersione ad creaturam, iuxta definitionem peccati traditam a D. August. in lib. de vera religione. Peccatum est conuersio indebita voluntatis ad commutabile bonum, spreto bono incommutabili, & sic deordinatur anima, ex qua inordinatione voluntatis in eligendo bonũ cõmutabile, & spernendo bonũ incõmutabile sequitur actus vitiosus, ex quo actu interiori voluntatis, in quo cõsistit principaliter deordinatio, & ex actu exteriori vitioso relinquitur difformitas, quæ est aliqd positiuũ, & reale per quã actu trãseunte homo denominatur peccator, & ista difformitas non tantum dicit priuationem, sed etiam debitum habendi, quæ fundatur in aliquo positiuo; atque adeo cum terminus a quo expulsionis culpæ, sit quid positiuum, & terminus ad quem infusionis gratiæ sit qualitas positiua nimirum ipsa gratia, sequitur quod expulsio culpæ & infusio gratiæ, sunt duæ mutationes reales. *Guido.* *D. August.*

Probatur secũdo, rationibus Doct. quæ habentur in principio quæstionis & primo sic. Peccare, & gratiam corrumpi sunt duæ mutationes, ergo a simili infusio gratiæ & remissio culpæ sunt duæ mutationes, antecedens probatur auctoritate D. August. in lib. de vera & falsa pœnitentia. quæ auctoritas ponitur in litera huius dist. c. 2. dicentis. Dolendũ est peccatori non solum quia peccauit, sed etiam quia virtute se priuauit, ex quo habetur, quod non est idem peccare, & virtute seipsum priuare, & quod peccatum non est formaliter priuatio virtutis; sed infusio gratiæ, quæ est virtus si est formaliter expulsio alicuius priuationis, non est nisi priuationis propriæ, ergo non est ipsa expulsio culpæ: atque adeo est alia materia doloris priuatio virtutis, & ipsa culpa; ergo per oppositum non est idem peccatum remittere, & virtutem, vel gratiam restituere, igitur peccati remissio & gratiæ infusio sunt duæ mutationes. *D. August.*

Secundo arguitur, in moralibus expulsio vitij, & inductio, vel acquisitio virtutis sunt duæ mutationes, ergo similiter in proposito quando remittitur, vel expellitur culpa, & infunditur gratia sunt duæ mutationes; nam expulsio culpæ non est formaliter infusio gratiæ, neque e conuerso, infusio gratiæ est formaliter expulsio culpæ. Probatur antecedens: quia ibi sunt quatuor termini: quorum duo sunt positiui, scilicet virtus & vitiũ scilicet habitus vitiosus, est enim vitium qualitas quædam positiua, vt timiditas, vel parcitas: non enim omnis carens fortitudine est timidus, sed habens habitum inclinãs ad timendum; nec omnis carens liberalitate est parcus, sed qui acquisiuit habitũ ex frequenter parce agere: patet etiã inducẽdo in vitijs, quia extrema istius vitia inclinãt virtualiter potẽtias ad actus sibi cõformes, sicut media hoc est virtutes ad actus sibi cõformes, & ista inclinatio

habitus autem est forma permanens, actus vero transiens. Secundum etiam potest esse sine tertio, idest actus ille, quo homo vult se ipsum punire, potest esse sine actu illo, qui est proxima causa pœnæ: cum enim voluntas non sit omnipotens potest homo velle punire se ipsum per verecundiā confessionis, quando non potest confiteri, vel propter linguę impedimentum, vel propter confessoris absentiam; sed dubiū ē de actibus intrinsecis: cum enim voluntas sit potens producere actus suos intrinsecos in instanti: & non possit habere impedimentum ad producendum illos: quia est libera, & nihil potest ei resistere ad productionem actuum interiorū nisi Deus, an ad velle efficaciter imperans actum interiorē, necessario, subito, & simul tempore, sequatur actus interior, cum non possit habere impedimentum in illis actibus producendis nisi Deus, & supponitur, quod Deus non impediat. Dico quod si omnes aliæ causæ ponantur in instanti, necessario sequitur actus imperatus interior. Potest etiam tertium esse sine secūdo: fieri enim potest, vt quis exerceat actū contritionis, confessionis, & satisfactionis ex solo Dei amore motus, quando nihil cogitat de vindicta sumenda de seipso. Tertium etiam potest esse sine quarto, hoc est actus ille, qui est proxima causa pęnæ potest separari a pęna, vt contritio a tristitia, confessio a verecundia, ieiunium ab afflictione corporali, quia contingit aliquando hominem non esse dispositum ad pęnam suscipiendam, quando istos habet actus; vt Beatus recordans peccatum præteritum, detestatur illud, & non tristatur: quia est indispositus ad tristitiam, atq. ita illa causa proxima distinguitur ab illa tristitia: quia non semper ad nolitionem, vel odiū peccati commissi sequitur tristitia. Quartum etiam potest separari a tertio, hoc est pęna ab actu, qui est causa pęnæ, non quidem ab actu illo absolute, sed ab actu illo ordinato & bono, sicut contingere potest hominem habere tristitiam de peccatis causatam ex detestatione, quæ sit mortale peccatum, cuius finis non est Deus, sed ipsemet peccator: & similiter afflictio corporalis oriri potest ex ieiunio, quod sit peccatum mortale, quia est perniciosum vitæ corporali; & breuiter sicut pœna potest causari per displicentiam ordinatam, ita per inordinatam, & si non est actus ordinatus nō est actus pœnitētię tertio mō captæ; atq. adeo pęnitentia quarto modo, potest causari sine pęnitentia tertio modo.

Tertio obseruandum est, quod priora istorum tria vt ornat Doctor sunt pęnitentia, seu pęnitere, quod est pęnam tenere: omnia enim illa tria sunt causa tenendi, pęnam illā causando. Quartum autem, idest pęna non est pęnitentia, neque pęnitere, sed pęna teneri, siue puniri. Tenere autem includit & actionem tenentis, scilicet, quod voluntarie teneat, & applicationem pęnæ sibi, quod in se teneat. Pęnitentia ergo primo modo est quædam habitualis tenentia pęnæ, estque sicut principium habitualiter inclinans ad infligendam sibi pęnam voluntarie. Actus autem eius, quæ est pęnitētia secundo mō, potest dici pęnitentia actualis, vel pęnitere: quia est quoddam velle inflictiuum pęnæ sibi ipsi. Actus vero ille proximus imperatus ab actu elicito istius, quę est pęnitentia tertio modo potest dici pęnitere: quia est voluntarie habere in se pęnam saltē in causa sua, nec aliter potest ęque principaliter voluntarie haberi sicut in causa, nam illa pęna non est libera nisi mediate in suis causis. His obseruatis sit

Prima conclusio. Si pęnitentia sumatur pro virtute iustitiæ vindicatiuæ contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes pęnitentiæ. Probatur virtus iustitiæ est simplex qualitas, quæ non habet partes: quia est forma simplex habens esse in anima, atque adeo spiritualis, & indiuisibilis est; cōfessio autem, & satisfactio non sunt spiritualia, sed sensibilia extra mentem; ergo non possunt esse iustitiæ vindicatricis partes; Præterea forma simplex non habet partes alterius rationis. Potest quidem qualitas intensibilis habere partes eiusdem rationis, nempe gradus per quos intenditur, sed cōtritio, confessio, & satisfactio sunt alterius rationis a pęnitentia virtute, ergo non sunt eius partes. Item virtus iustitiæ est permanens, ergo partes illius non sunt contritio, confessio, & satisfactio, quæ consistunt in fieri, & cito transeunt. Deinde virtus iustitiæ est spiritualis, confessio vero, & satisfactio sunt res corporales, & nō sunt in voluntate, vt in subiecto, sed sunt quædam exteriora.

Secunda conclusio. Ista tria videlicet contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes pęnitentiæ, si pęnitentia accipiatur pro actu illo, quo homo vult se ipsum punire, patet quia iste actus est spiritualis, ergo confessio, & satisfactio nō sunt partes eius, quia sunt opera corporalia, & non elicita, sed imperata ab ipsa voluntate.

Tertia conclusio. Si pęnitentia accipiatur tertio modo pro causa proxima pęnæ, sic ista tria sunt partes pęnitentię, patet quia iustitia commutatiua est in æqualitate rerum, non in ęqualitate rei secundum rem, sed secundum rationem: nam iustitia secundum Doctorem est circa medium rationis, & non rei, sicut cæteræ virtutes. Iustitia ergo punitiua spectat ad commutatiuam, quæ commutat culpam in pęnam, ideo debet esse æqualitas pęnæ ad culpam non in æqualitate rei; sed rationis supple, secundum legem, secūdū quam illa culpa punienda venit; sed sic est quod in lege Euangelica, secūdum quam culpę veniunt puniendæ in foro pęnitentiali determinatæ sunt tres pęnæ, vna interior, s. tristitia siue compunctio, quæ commēdatur Iohelis. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; duæ autem exteriores. s. erubescētia, & afflictio corporis, sed istarum triū pęnarum, ista tria, s. contritio, confessio, & satisfactio sunt causæ immediatæ: nimirum contritio tristitiæ, confessio erubescentiæ, & satisfactio corporalis afflictionis; ideo si capiatur pęnitentia pro causis pęnarum per quas peccatum est puniendum, illa tria sunt partes pęnæ quemadmodum tres vnitates sunt partes numeri ternarij; si etiam sumatur pro pœnis possunt dici pęnitentia: nam tristitia aliqñ dr̄ contritio, & opus pęnale est ēt pęna, atq. adeo illa tria conuenienter possunt dici partes pęnitentiæ. Breuiter sensus huius conclusionis consistit in hoc. Qñ homo peccat post Baptismum, secundum præscriptum legis diuinæ constituit se debitorem trium pęnarū, videlicet tristitiæ contritionis, verecundiæ confessionis, & corporalis afflictionis, quæ est in satisfactione, ex quibus pęna efficitur vna totalis & adæquata, cuius pars est quælibet illarum pęnarum per se, sicut vnitates sunt partes numeri, sic ēt ex contritione, confessione, & satisfactione, quæ sunt causæ proximæ illarū pęnarum, efficitur vna totalis causa pęnæ adæquatæ, cuius pars est quælibet illarū causarū per se, videlicet contritio per se, confessio per se, & satisfactio per se. *Peccator obstituit se debitorē triū pœnarum.*

Contra hanc conclusionem arguitur. Simplici defectui simplex remedium debetur, at peccatū est simplex defectus, ergo simplex debet sufficere remediū, tale pęnitentia est, ergo illa tria, s. contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes pęnitentiæ dicenda. Rñdetur ꝙ non sequitur si peccatum sit simplex, ꝙ remedium simplex debeat esse: quia legislator iuste potest multas partiales pęnas statuere tanquam vnā vindictam integram vni peccato correspondentes.

Præterea si essent partes pęnitentiæ aut essent integrales aut subiectiuæ, & accipio integrales cōiter ad partes essentiales, & ad partes quantitatiuas; non integrales quia totū non prædicatur de tali parte, conteri aūt est pęnitere; & satisfacere est pęnitere. Nec sunt partes subiectiuæ: quia in qualibet parte subiectiua perfecte saluatur ratio totius sine alia parte: nam Socrates perfecte est homo, licet plures non essent in specie humana, sicut fuit qñ Adam primo creatus est, ꝙ erat solus; sed in contritione, sine aliis non saluatur perfecte ratio pęnitentiæ, ergo &c. Respondeo ꝙ pęnitentia tertio modo accepta vel pęna quarto modo correspondens alicui peccato, potest accipi dupliciter, Vno modo pro totali adæquatæ correspondente, & sic vnica pęnitentia, & vna pęna correspondent vni culpæ; & si illud habet partes se habet ad illas sicut ad partes integrales. Alio modo potest accipi pęnitentia tertio modo dicta, vel pęna quarto modo pro generali ratione totius, quæ est teneri pęnam, vel puniri pro culpa, sed non adæquate, & hoc modo est totum vniuersale ad illas, quæ sunt partes integrales pęnitentiæ. Et illud apparet in exemplo. Esto enim, quod aliquis occidat alium. potest esse lex iusta, quod puniatur pęna corporali, & pęna pecuniaria coniunctis occisi, vtrunque istorum pęna est, & pęna pro homicidio potest dici pęna vniuersalis respectu pęnæ pecuniariæ, & respectu pęnæ corporalis, vtrunque enim istorum est pęna pro peccato isto; nec punitio corporalis est tantum pęna illa, nec punitio pecuniaria est pęna illa tantum, sed quodlibet istorum est pars integralis illius pęnæ. Et per hoc patet quomodo pęnitentia prædicatur de quolibet istorum trium diuisim accipiendo pro tenentia alicuius pęnæ correspondentis culpæ. Et totum prædicatur de parte in homogeneis, sed non adæquate & totaliter; nam quælibet pars carnis est caro, & quælibet pars aquæ

est

est aqua; & quia quodlibet istorum includit pœnam, ideo quodlibet istorum diuisim est pœnitentia, sed non totaliter & adæquate: quia constituunt vnum totum integrale constitutum ex illis partibus, & nulla istarum partium sine alia integrat pœnitentiam, & intellige, vt est æquata culpæ.

Item tertio. Pœnitentia virtus est quædam forma simplex & spiritualis in anima existens, & per consequens indiuisibilis, ergo non habet partes; Et confirmatur: quia confessio, & satisfactio non sunt spiritualia, sed quædam sensibilia extra mentem. Respondeo quod contritio, confessio, & satisfactio non sunt partes pœnitentiæ virtutis, nec actus virtutis; sed actus imperati ab illa virtute: qui est actus proximus punitionis, & pœnæ concomitantes eam sunt partes effectus remoti actus pœnitentiæ; tamen actus elicitus pœnitentiæ posset aliquo modo dici habere partes istas non formaliter, sed quasi causaliter pro quanto ipse est aliquo modo distinctus vt imperet istam partem & illam, & hoc modo remotissime possunt dici partes illius virtutis pœnitentiæ vt inclinat ad omnes istas infligendas.

Deinde quarto. Fructus non est pars eius scilicet arboris cuius est fructus, vt pomus non est pars arboris, & ratio est quia fructus est vltimum, quod expectatur de arbore, nulla autem pars eius est tale vltimum, sed satisfactio est fructus pœnitentiæ secundum glossam Matth. 4. Facite fructus dignos pœnitentiæ, &c.

Respondeo quod pœnitentiæ virtutis, & actus eius imperati, & actus eliciti opus exterius laboriosum est fructus, & hoc modo debet intelligi de opere exteriori operato; & concedo quod illud opus non est pars pœnitentiæ dictæ aliquo istorum trium modorum; est tamen pars eius, quod est puniri, quod est imperatum inter illa prius enumerata, & nullum est inconueniens idem esse partem prioris, & fructum posterioris.

ARTICVLVS II.

Vtrum contritio, confessio, & satisfactio sint partes pœnitentiæ sacramenti.

Aureolus. Durandus.

De hac re nempe, quæ & quot sint partes sacramenti pœnitentiæ multiplex est Theologorum opinio Petrus Aureolus in 4. d. 16. q. 1. & Durandus. d. 14. q. 2. & d. 16. q. 1. docent duas esse tantum partes sacramenti pœnitentiæ videlicet confessionem & absolutionem, & confessionem dicunt esse materiam, & formam sacerdotis absolutionem. Explicat Aureolus suam sententiam in hunc modum. Ad essentiam sacramenti concurrit pro signo vno sensibili absolutio sacerdotis, & sacramentalis confessio peccatoris, quamuis possint alia multa concurrere; absolutio autem ista potest esse quandoque a tota pœna quandoque a parte tantum; & dico quod concurrunt alia multa: quoniam licet contritio sit necessario præuia, non tamen est de essentia sacramenti, sicut aliqua verba de essentia Baptismi. Hanc probat sic. Illud præcise est sacramentum nouæ legis, cui conuenit definitio sacramenti nouæ legis; sed confessioni, & absolutioni coniunctim conuenit definitio sacramenti nouæ legis, quoniam definitio sacramenti nouæ legis est inuisibilis gratiæ visibilis forma idest signum sensibile, vt eius similitudinem gerat, & causa existat; ista conueniunt absolutioni, & sacramentali confessioni; sunt enim signum sensibile, & causa similiter: quia denotatur quod virtute eorum culpæ remittuntur, vt sic ambo concurrant ad vnam causalitatem, & significationem remissionis culpæ, confessio per modum detegentis, absolutio per modum remittentis; alijs vero non conuenit ista definitio sacramenti; non contritioni cum non sit signum sensibile, non satisfactioni, cum in sacramento confessionis, non requiratur necessario pœnitentiæ impositio: tum quia alias Papa non posset absoluere, virtute sacramenti a pœna & culpa, quod est erroneum. Tum etiam quia nec sacerdos similiter tenetur pœnitentiam imponere si appareat naturaliter contritio in eo. Præterea istud sacramentum non est medicina, quæcunque & absolute, sed sacramentum iudiciarium; sed in foro quolibet iudiciario sunt duo de essentia iudicialis fori, scilicet confessio delicti, & absolutio, & sic est in proposito.

Durandus vero sic probat suam sententiam. Contritio non est pars sacramenti pœnitentiæ cum sit spiritualis, & sacramentum sit res sensibilis; neque satisfactio: quia licet aliquis non adimpleat pœnitentiam nihilominus sacramentum fuit verum, cum ergo præter illa nihil aliud sit, quam confessio, aperte sequitur confessionem esse partem sacramenti pœnitentiæ.

Sed contra hanc sententiam arguitur. Confiteri sua peccata non est nisi reuelatio suorum peccatorum; & illud nō est aliquid sacrum, cum sit actus peccatoris, atque adeo non meretur dici sacramentum. Absolutio autem in qua assistit diuina virtus, per quam fit remissio peccatorum est quid sacrum: quia illic concurrit specialis actus diuinus sacratus, qui concurrit vna cum sacerdote ministro, ideo illa meretur dici sacramentum. Et cum dicit dominus Aureolus, quod in omni foro iudiciali concurrunt duo scilicet confessio, & absolutio, concedo, sed confessio non est de essentia absolutionis, cum sit actus rei, & absolutio sit actus Dei principaliter, & sacerdotis ministerialiter; Ideo impossibile est quod constituant vnam essentiam; bene autem requiritur necessario, vt possit iudicari de peccatis suis a Iudice subdelegato a Deo scilicet a sacerdote: quia nemo potest esse iudex in propria causa: quamuis ergo requirantur contritio, & confessio; non tamen sunt de essentia sacramenti; sed sola absolutio.

Alex. de Ales. D. Bonauen. Ricardus.

Secunda opinio est Alex. de Ales. p. 4. q. 66. m. 1. artic. 2. D. Bona. hac. d. q. 1. & Ricard. 14. q. 1. art. 2. & 3. & hac d. q. 1. qui dicunt quod ista tria contritio, confessio, & satisfactio sunt partes sacramenti pœnitentiæ. Explicat Ricar. suam sententiam. quia cum in sacramento pœnitentiæ fiat voluntaria emenda per viam iudicij voluntarie suscepti, requiritur ibi quædam citatio ad voluntarie subeundum illud iudicium, & illa citatio est cordis contritio; & coram iudice veritatis confessio; & secundum arbitrium iudicis satisfactio, vel in re, vel saltem in proposito, si non potest expleri in opere exteriori. Et si dicatur, quod omne sacramentum ministratur, & confertur a Ministris Ecclesiæ; sed contritio, & confessio non ministrantur a sacerdotibus, sed a peccatore conterente, & confitente, ergo non sunt sacramenta, nec partes sacramenti. Ad hoc respondet Ricar. quod non oportet quodlibet sacramentum secundum totum, quod est de ratione sacramenti ministrari ab alio, sed secundum aliquid eius, a sacerdote autem ministratur absolutio. In sacramentis autem alijs, in quibus actus hominis non est sacramenti materia, sicut est in Baptismo, & confirmatione, omnes partes sacramenti ministrantur a sacerdote, & ministris ecclesiæ.

D. Thomas.

Tertia opinio est D. Thomæ. 3. p. q. 90. art. 2. dicentis quatuor esse partes sacramenti pœnitentiæ tres videlicet enumeratas, & absolutionem. ait enim quod sacramentum pœnitentiæ diuiditur in materiam, & formam tanquam in partes essentiales. materiam autem diuidit tanquam in partes integrales in contritionem, confessionem, & satisfactionem, quam sententiam sequitur Castro lib. 12. contra hæreses verbo pœnitentia.

Alphonsus a Castro.

Vega.

Quarta sententia est Andreæ a Vega in Concilium Tridentinum. lib. 13. c. 15. asserentis hoc sacramentum habere quinque partes, quatuor videlicet enumeratas a D. Thoma, & cessationem a peccatis, quod probat ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 14. vbi dicitur pœnitentiam post Baptismum longe aliam esse a baptismali, continereque cessationem a peccatis, & alia quatuor videlicet, contritionem, cōfessionem, absolutionem, & satisfactionem. Caietanus autem. 3. p. q. 90. art. 1. & 2. docet canonizatam esse D. Thomę doctrinam in Concilio Florentino, tradente partes materiales sacramenti pœnitentiæ esse contritionem, confessionem, & satisfactionem, formam vero esse absolutionē; adeoque celebrat istam sententiam, quod non veretur asserere Scoti sententiam non esse tenendam: quia est inquit contra Concilij definitionem, docentis sacramentum pœnitentiæ habere in materiam, contritionem, confessionem, & satisfactionem. Cui fauere videtur quod in Concilio Trident. sess. 14. cap. 3. dicitur. Sunt autem quasi materia huius sacramenti actus ipsius pœnitentis. nempe contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramēti, ad plenam, & perfectā remissionem peccatorum ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur. & eadem sess. can. 4. sic dicit. Si quis negauerit ad integram, & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, quasi materiam sacramenti pœnitentiæ videlicet contritionem, confessionem, & satisfactionem, quæ tres pœnitentiæ partes dicuntur &c. Sed immerito &

Caietanus.

siue

re absolutio &c. ergo absolutio est magis aspicienda ad descriptionem huius sacramenti, in qua magis esse debet ratio huius sacramenti, quam in actibus pœnitentis.

Quarta Conclusio. Hæc tria contritio, confessio & satisfactio sunt necessaria ad digne recipiendum sacramentum pœnitentiæ: patet quia confessio non est necessaria solum ad recipiendum digne, sed ad simpliciter recipiendum sacramentum; nam sine confessione absolutio est nulla, & ex cōsequenti nullum est sacramentum pœnitentiæ, quod est absolutio; neque enim confessor absoluit reum, nisi accusatum in illo foro. Contritio vero, vel saltem attritio necessaria est ad utiliter, & digne recipiendum absolutionem, seu pœnitentiæ sacramentum; si enim aliquis nullo modo dispositus accedat, vel per contritionem vel per attritionem indigne recipit absolutionem; sufficit tamen quod attritio licet informis cum proposito non peccandi de cætero præcedat in pœnitente, ut sit capax absolutionis, per quam attritus fit contritus. satisfactio autem debet sequi sacramentum pœnitentiæ vel in re, vel in voto, excepto si confessor posset perpendere pœnas præcedentes contritionis esse sufficientes ad absolutionem pœnæ totius debitæ pro peccatis: sententia namque confessoris absoluit quidem a debito pœnæ æternæ, sed ligat ad solutionem pœnæ temporalis, nisi ante sufficienter sit soluta.

Quinta Conclusio. Probabilis est satis opinio, quæ docet sacramentum pœnitentiæ componi tanquam ex partibus contritione in qua includitur cessatio a peccatis, confessione, absolutione, & satisfactione. Hanc conclusionem illa facit satis probabilem, quod videtur consona esse verbis Conciliorum, ex quo colligitur cōtra Sotum absolutionem esse partem sacramenti: quoniam auctoritates Conciliorū non minus hoc probant, quam quod ipse intendit ex illis colligere, & pro hac sententia dicendum est, quod forma sacramenti pœnitentiæ est significatio, & ita sacramentum pœnitentiæ non est significatio, sed signum; huius autem significationis materia, sunt actus pœnitentis, & verba sacerdotis, & sic sacramen non accipitur pro his quatuor actibus simul, ut hac tamen materia aliquid est, quod se habet ut forma alterius partis materialis videlicet verba absolutionis, & de hac distinctione materiæ & formæ diximus supra in primo tomo. dist. 3. q. 1. Cæterum in hoc art. illud est certum, quod actus pœnitentis sunt quasi materia sacramēti pœnitentiæ, huius quasi materiæ partes, vel quasi partes sunt: contritio, confessio, & satisfactio. Id enim definitum est in Concilio Florentino, his verbis. Quartum sacramentum est pœnitentia, huius quasi materia sunt actus pœnitentis, qui in tres partes diuiduntur, quarum prima est cordis contritio, secunda oris confessio, tertia satisfactio ad arbitrium sacerdotis.

Contra primam conclusionem arguitur. Contritio, confessio, & satisfactio, sunt partes pœnitentiæ ut definitum est in Concilio Trident. sess. 14. cap. 3. & cano. 4. sed non sunt partes pœnitentiæ virtutis: quia hæc est qualitas simplex, quæ nullas habet partes, ergo sunt partes sacramenti pœnitentiæ. Respondeo, quod concedimus cum Concilijs, quod ista tria sunt partes pœnitentiæ, & etiam fatemur, quod nō sunt partes pœnitentiæ virtutis; negamus tamen inde colligi, quod sint partes sacramenti pœnitentiæ: quia præter ista pœnitentia significat proximam causam pœnæ, huius proximæ causæ partes sunt contritio, confessio, & satisfactio, & quamuis hæc requirantur ad integritatem sacramenti, non tamen inde sequitur, quod sint partes sacramenti: quia pertinere ad integritatem idem est, quod pertinere ad perfectionem sacramenti. Multa autem pertinent ad integritatem, & perfectionem rei, quæ non sunt partes rei; sicut ad integritatem, & perfectionem visus pertinet visio, cum tamen visio non sit pars visus, & ad integritatem, & perfectionem matrimonij pertinet copula, cum tamen non sit pars eius sacramenti, similiter ad integritatem, & perfectionem beatitudinis ex sententia D. Thomæ pertinet amor, cum tamen non sit pars ipsius beatitudinis, quæ sola visio est secundum ipsum.

Secundo arguitur. Sacramentum pœnitentiæ constat ex actibus pœnitentis tanquam materia, & ex verbis sacerdotis tanquam forma, ut definitur in Concil. Florent. sed nihil constat nisi ex suis partibus, ergo actus pœnitentis sunt partes sacramenti pœnitentiæ; & confirmatur, quia actus pœnitentis sunt materia huius sacramenti, a sæculo autem non est auditum, quod materia non sit pars eius, cuius est materia, ergo actus pœnitentis sunt partes huius sacramenti. Respondetur, quod Concilium nunquam dixit sacramentum constare & materia, & forma, (alioqui falsum esset quod Sotus. d. 17. q. 1. art. 2. & Cano. p. 5. relectionis de pœnitentia dicunt absolutionem non esse sacramenti partem) sed solum docuit Concilium sacramenta perfici materia, & forma, & ministro. Et quando objicitur in confirmatione, illud est pars alicuius, cuius est materia. Respondetur hoc esse verum de materia propria; actus vero pœnitentis non sunt proprie materia, sed quasi materia sacramenti pœnitentiæ. Illud autem quod non est proprie materia, nihil obstat, quod non sit pars; quod patet in sacramento Eucharistiæ cuius materia est panis, & vinum, ut constat ex Concilio Florent. & ex superioribus; quæ tamen non sunt partes sacramenti: quia illis non existentibus sacramentum integrum manet, & illis existentibus sacramentum nullum est. Secundo respondetur, quod aliquid potest esse materia alicuius proprie absque eo quod sit pars eius; sicut materia prima non solum est materia compositi, sed etiam formæ; & similiter forma est forma compositi, & materiæ; cum tamen materia non sit pars formæ, neque forma pars materiæ; Ita dico quod actus pœnitentis sunt materia sacramenti, non tanquam compositi, sed tanquam formæ sicut sunt materia absolutionis, quæ sola est sacramentum.

Tertio arguitur. Ablutio quæ est materia Baptismi est pars sacramenti, ergo materia sacramenti est pars eius. Respondetur, quod sacramenta significant, & causant gratiam, quæ etiam causatur a ministro, ut Dei Vicario: quia ergo minister Baptismi est minister ablutionis, sicut & formæ, ideo ablutio significat & causat gratiam, estque pars sacramenti; minister vero sacramenti pœnitentiæ non ministrat actus pœnitentis, qui sunt materia; ideoque neque significant, neque causant gratiam.

Quarto arguitur. Confessio est de substantia sacramenti pœnitentiæ, ergo est pars illius. Respondetur quod confessio in se non est de substantia sacramenti pœnitentiæ; sed est ordo ad sacramentum, neque enim est sacramentum, neque absolutio nisi cadat supra confessionem, sicut pater non est de substantia filij, sed ordo ad filium.

Quinto arguitur. Contritio, confessio, & satisfactio pertinent ad integritatem sacramenti, ergo sunt partes illius. Respondetur, quod integritas est duplex, alia est substan- *Integritas est duplex.*
tialis, alia vero accidentalis; & accidentalis est, quæ consistit in assecutione finis; & hoc modo copula carnalis est de integritate matrimonij, quia illa requiritur ad procreationem prolis, quæ est matrimonij finis, ut docet D. Thomas in 4. *D. Thomas.*
dist. 46. sub finem, & hoc modo contritio, confessio, & satisfactio requiruntur ad integritatem sacramenti: quoniam requisita sunt ad consequutionem plenariæ remissionis peccatorum quantum ad culpam, & pœnam, quæ finis est sacramenti pœnitentiæ. Vnde Concil. Trident. supra relatum, sic dixit. Actus pœnitentis dicuntur partes pœnitentiæ quæ requiruntur ad integritatem sacramenti ad plenam, & perfectam remissionem peccatorum, quæ est finis illius.

Sexto arguitur ex Concilio Trident. citato pro opinione Andreæ de Vega. Vbi postquam Concilium verba fecerat de sacramento pœnitentiæ statim subiecit pœnitentiam post Baptismum continere, cessationem a peccatis, cōtritionem, confessionem, absolutionem, & satisfactionem, vnde ex antecedentibus constat, quod pœnitentia accipitur ibi pro sacramento, & quod eius quinque sunt partes: quia nihil cōtinet nisi partes suas. Respondetur, quod si Concilium vult docere has quinque partes esse sacramenti pœnitentiæ facile posset uti nomine sacramenti; sed noluit, ne se opponeret opinioni probabili Doctoris Subtilis, & sequacium. Respondetur ergo, quod ibi pœnitentia accipitur non pro sacramēto, sed pro omnibus requisitis ad plenam remissionem peccatorum post Baptismum.

Contra tertiam conclusionem arguitur; omne connotatiuum supponit pro materiali, & non pro formali, licet connotet illud, ut patet ex logicis, ergo sacramentum pœnitentiæ supponit, pro actibus pœnitentis, qui sunt quasi materia secundum Concilia. Respondetur antecedens esse verum de connotatiuis naturalibus, ut est album; non autem de cōnotatiuis significantibus res supernaturales: quia isti supponunt pro signo gratiæ. Vnde Baptismus supponit pro ablutione facta sub certa verborum forma, quæ est signum gratiæ.

tiæ. Vnde Baptismus supponit pro ablutione facta sub certa verborum forma, quæ est signum gratiæ; similiter pœnitentia pro absolutione, quæ est signum gratiæ, & non pro actibus pœnitentis: virtute namque solius absolutionis pœnitentibus gratia confertur: claues enim solis sacerdotibus collatæ sunt, & soli ipsi dici debent remittere peccata, & per eorum absolutionem confertur gratia confessis absentibus omnibus alijs actibus ipsorum pœnitentium, & sola absolutio est signum gratiæ, & gratia ratione aliorum actuum concessa datur propter actus operantis. Ideoque Scotus definiens hoc sacramentum ponit formã in recto dicens, quod est absolutio hominis pœnitentis &c. cum in sacramento Baptismi ponat ablutionem, & in confirmatione ponat vnctionem, quæ non sunt verba, & forma, sed materia: quia videlicet posuit illud, quod erat signum sensibile efficax gratiæ, & in sacramento pœnitentiæ non est tale signum nisi absolutio, in alijs autem materiale, est magis sensibile.

Secundo arguitur. Hæc verba ego te absoluo sunt forma sacramenti, vt patet ex Concilio Trident. supra relato, sed hæc verba non sunt forma sui ipsorum, quia idem non est forma sui ipsius, ergo verba absolutionis non sunt totum sacramentum pœnitentiæ. Respondetur quod verba absolutionis sunt forma per locutionem intransitiuam, idest sunt forma quæ est sacramentum; sicut secundum sententiam Scoti Baptismus est ablutio, quæ tamen ablutio est materia Baptismi, idest materia, quæ est Baptismus. Ex dictis constat, quam sine scrupulo opinio Scoti possit defendi tanquã valde probabilis.

Vtrum peccata sint materia sacramenti pœnitentiæ.

Pro ampliori huius materiæ intelligentia sunt aliqua dubia soluenda. Primum dubium est, vtrum peccata sint materia huius sacramenti. de quo conclusio est certa. Peccata non sunt materia proxima, sed remota huius sacramenti, patet, quia peccata sunt materia & obiectum circa quod versantur actus pœnitentis, videlicet contritio, confessio, & satisfactio, istæ enim tres partes circa peccata versantur, tanquam circa propria obiecta, vnde Scotus supra dist. 14. q. 2. sub litt. C. dixit, quod pœnitentia habet in obiectum peccata vindicabilia, seu emendabilia per ipsam pœnitentiam.

Vtrum hæc verba ego te absoluo sint forma sacramenti pœnitentiæ.

Secundum dubium an ista verba. ego te absoluo sint forma huius sacramenti. Conclusio est certa & definita in Concilio Florent. & Trident. vbi forma huius sacramenti ponitur. Ego te absoluo. Idem docuerat Scotus supra. dist. 14. q. 4. sub litt B. Sed contra arguitur. Sacerdos dicens ego te absoluo, sæpe dicit falsum: quia multi a sacramento discedunt absque absolutione peccatorum in anima, ergo non est apta talis forma; & confirmatur quia discedunt absoluti, non a sacerdote; sed a Deo absoluti discedunt; Deus enim solus potest peccata dimittere, vt constat ex pluribus locis scripturæ, ergo solus Deus potest vere dicere. Ego te absoluo; & nõ sacerdos. Pro solutione huius argumenti obser. est, quod sicut in Baptismo est duplex ablutio exterior, quæ fit aqua; & interior quæ consistit in ablutione omnium culparum, & pœnarum, quam exterior ablutio significat, & vtranque ablutionem significat forma, ego te baptizo &c. quamuis diuerso modo; quia exteriorem ablutionem significat semper & absolute fieri; quia sine tali ablutione nullum esset sacramentum; interiorem tamen ablutionem non significat semper absolute, sed significat semper interiorem fieri ablutionem, quantum est ex parte formæ, & passionis Christi; licet ille, qui baptizatur impedimentum aliquando præstet tali ablutioni; Ita in sacramento pœnitentiæ duplex est absolutio, altera exterior, quæ nihil aliud est, quam sententia iuridica, & legitima, & sacramentalis, quam fert sacerdos in fauorem pœnitentis. Vnde sensus verborum istorum. Ego te absoluo secundum D. Thomam vbi supra hic est. Ego tibi impendo sacramentum absolutionis idest ego fero sententiam legitimam, & sacramentalem in tuum fauorem. Altera vero est absolutio interior, quæ consistit in absolutione peccatorum, quæ vincula sunt animæ, & vtranque absolutionem significant ista verba. Ego te absoluo; & exteriorem quidem significant semper, & absolute fieri; quia sine tali absolutione nullum esset sacramentum pœnitẽtiæ; secundam vero absolutionem interiorem non significant semper absolute fieri; sed significant semper fieri quantum est ex parte formæ, & sacramenti; quamuis tali absolutioni pœnitens aliquando præstet impedimentum; & per hoc patet quomodo forma sit semper vera, neque obstat, vt obijcitur in confirmatione argumẽti, quod in sacris litteris Deo tribuatur peccatorum remissio: illi enim soli tribuitur, vt principali causæ, cuius virtute, & auctoritate fit peccatorũ remissio. De fide tamen tenendam est, quod sacerdotes etiã remittant peccata, vt ministri tamen, siue vt causæ ministeriales iuxta illud Ioan. 20. quorum remiseritis peccata &c. legue D. Thomam vbi supra, & Nauarrum super decretũ dist. 6. de pœnitentia. c. 1. in principio num. 18. & deinceps.

Ablutio in Baptismo est duplex.

Absolutio in sacramento pœnitentiæ est duplex.

D. Thomas. Nauar.

Dubium tertium. Quæ istorum trium sit principalior pars sacramenti, an absolutio sacerdotis, vel contritio cordis. Pro solutione obseruandum est, quod sacramentum pœnitentiæ potest bifariã sumi, vno modo suse, alio modo presse. Si suse accipiatur sacramentum, pro omnibus sine quibus non potest esse sacramentum, hoc pacto contritio, confessio, & satisfactio sunt partes sacramenti; nam sine istis tribus absolutio fieri non potest, atque adeo ista tria sunt partes sacramenti; si autem accipiatur sacramentum presse, prout est inuisibilis gratiæ visibilis forma; tunc sola absolutio est sacramentum: quia absolutio est, in qua principaliter assistit sacra virtus Dei dans absoluenti auctoritatem absoluendi a peccatis, & infundendi diuinam gratiam per modum meriti; sic enim est signum sacræ rei inuisibilis gratiæ, & est sensibilis forma, quæ consistit in verbis absolutionis. Dubium est ergo sumendo sacramentum suse, cum illa tria sint partes sacramenti, quæ est principalior pars absolutio sacerdotis, vel contritio cordis. Ricardus vbi supra dicit, quod in sacramento illa pars est principalior, quæ principalius cooperatur ad principalem sacramenti effectum; principalior autem effectus sacramentorum nouæ legis est sanctificare, magis quam significare; ergo pars sacramẽti est principalior, quæ magis ex vi sacramenti cooperatur ad remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, quæ remittuntur per gratiam sanctificantem; contritio autem non tantum cooperatur ad remissionem culpæ ex vi sacramenti, sed etiam inquantum est actus virtutis, vel efficax dispositio ad virtutem. Dicit ergo Ricar. quod si comparetur contritio cum vtraque vi sua, coniunctim ad absolutionem, principaliter cooperatur ad remissionem culpæ, quam absolutio; si autem consideretur præcise illud, quod cooperatur contritio ex vi sacramenti tantum; sic dicit, quod non ita principaliter operatur ad remissionem culpæ, sicut absolutio sacerdotis: quia cum sacerdos sit vicarius Christi principalius, & prius assistit verbis suis, in quibus absolutio consistit, & virtus sanctificans, quam partibus sacramenti, quæ sunt ex parte pœnitentis. Quare etiam ad actum significandi, principalior est absolutio. quam contritio, quia sensibilius, & magis per se significat peccati remissionem, quam ipsa contritio, quæ illam sensibiliter non significat per se nisi ipsi contrito, alijs autem non significat nisi inquantum manifestatur in confessione oris, & satisfactione operis. Prædictam autem cooperationem non intelligas in efficiendo gratiam, sed in disponendo ad eius susceptionem.

Sacramentũ pœnitentiæ bifariam sumi potest.

Ricardus.

Hæc opinio deficit in multis. Primo quia dicit ipsam contritionem habere vim sacramenti, quod non est verum, cum non sit sacramentum, vt satis probatum est supra; nisi vellemus accipere sacramentum large pro omni illo, quod est necessarium ad sacramentum. Secundo peccat dicendo, si contritio accipiatur simul vt habet vim sacramenti, & est actus virtutis, tunc est principalior in remissione culpæ quam absolutio; hoc fallit in duobus. primo, quia vt visum est non potest esse pars sacramenti.

Secundo peccat: quia contritio non remittit peccatum nisi per modum meriti de congruo. Verum quia in casu necessitatis, si non haberet copiam confessoris, haberet tamen perfectam contritionem, & confiteretur & acciperet absolutionem si haberet copiam sacerdotis, facit quod in se est, meretur remissionem peccatorum per modum meriti de congruo; tunc enim Deus sine sacerdote suam infundit gratiam, & saluat illum: quia merebatur per modum meriti de congruo, cum fecerat quod in se est; sed contritio non meretur remissionem peccati per modum meriti de condigno cum sit dispositio ad habendum remissionem per modum meriti de condigno; & in absolutione accipit remissionem peccati per modum meriti de condigno: quia in absolutione assistit virtus diuina remittens principaliter peccatum, & infundens gratiam, & dans auctoritatem sacerdoti dimittendi peccati in confessione si iuste confessus est. Igitur nec contritio, nec confessio est causa principalis peccata dimittendi, sed ipsa absolutio, quæ sola proprie est sacramen-

tum,

rum vt satis explicatũ est in opinione Doctoris nostri Subtilis. Contritio ergo non dimittit peccatum neque confessio nisi dispositiue, & vt necessario requisita ad sacramentum scilicet ad absolutionem, sed absolutio facta a sacerdote peccatum dimittit instrumentaliter, & sacerdos ipse effectiue saltem ministerialiter.

QVAESTIO II.

Vtrum remissio vel expulsio culpæ & infusio gratiæ sint vna simpliciter mutatio.

Peccatum multis modis sumitur

PRo huius tituli explicatione obser. est; primo ex Patre Vega lib. 11. super Concilium Trident. cap. 15. quod culpa idem est quod peccatum, peccatum autem in diuinis litteris sumitur multis modis, primo pro hostia, & sacrificio, quod offertur pro peccato, & hæc significatio est frequens in veteri testamento præsertim in Leuitico; hac significatione vtitur Oseas. cap. 4. dicens. Peccata populi mei comedent idest oblationes, & sacrificia, quæ populi offerebant pro peccatis. De hac significatione agit S. August. q. 12. Numerorum. Secundo sumitur peccatum pro effectu, aut sequela, vel pœna peccati, & pro inclinatione ad peccatum, siue pro eo, quod inclinat ad peccatum, & hoc modo concupiscentia a B. Paulo dicitur peccatum, vt declarat Concilium Trident. sess. 5. quia concupiscentia est sequela peccati, & inclinat ad peccatum; & hoc modo pœnæ debitæ peccatis etiam nominantur peccatum. vt 2. Macha. 6. sancta & salubris est cogitatio pro defunctis orare, vt a peccatis soluantur idest a pœnis quas propter peccata debebantur. de hac significatione agit. S. August. lib. de Nuptijs & concupiscentia multis cap. & lib. 1. de Ciuit. cap. 24. & lib. 14. cap. 10. Tertio peccatum sumitur pro offensa Dei, & hæc est propria significatio peccati, de qua est sermo in hac quæst.

D. August.

Concil. Trident.

D. August.

Secundo obseruandum est, quod quamuis nomine gratiæ aliquando sancti intelligunt omnia, quæ naturaliter habemus, vt intelligit S. Aug. super Psal. 144. vbi ait. Quædam est gratia, qua Deus fecit, & creauit nos; tamen proprie vbi in sacra scriptura & præsertim in epistolis D. Pauli nominatur gratia, non intelligitur de hoc: quia hic est quidam influxus, & concursus Dei generalis naturæ debitus; gratiam autem proprie excludit omne debitum; & quamuis homini priuato, & personæ particulari Deus nihil debeat, & propterea non attringebatur Deus dare illi esse, viuere, & intelligere, & similia dona naturalia: quia hæc non sunt debita alicui personæ; sunt tamen debita naturæ: nam constituturus Deus hominem, debet naturæ ipsius, quod det illi esse, viuere, intellectum & similia; & hoc est contra Pelagium hæreticum, qui nomine gratiæ non agnoscebat intelligi, nisi hæc dona naturalia. & quando D. Paulus ad Rom. 3. aiebat. Iustificati gratis per gratiam ipsius; intelligebat hominem iustificari per liberum arbitrium sine aliquo adiutorio diuino super habito, & quod per gratiam intelligebat ibi. S. Paulus ipsum liberum arbitrium, quod nobis Deus gratis donauit nullis præcedentibus operibus. & eodem modo intelligebat illud ad Rom. 11. si gratia ex operibus iam non est gratia; quia hoc esse, quod habet anima sine operibus præcedentibus accepit a Deo. Quã sententiam Pelagij acriter reprehendit D. August. in epistola. 5. ad innocentium, quæ est 95. & in epistola 2. ad Sixtum, quæ est 105. his verbis. Christus non pro nullis idest non pro illis, qui non erant, vt crearentur, sed pro impijs mortuus est, vt viuificarentur.

Gratia multis modis sumitur.

D. August.

Gratia est donũ a Deo gratuite collatũ, & est duplex.

Tertio obseruandum est, quod gratia, vt nomen præ se fert, est donum a Deo gratuite collatum, quæ est duplex, quædam dicitur gratia gratum faciens, quæ est donum Dei faciens nos gratos & amicos ipsius. Alia est gratia gratis data, vt donum linguarum, miraculorum, & similia, quæ enumerat S. Paulus. 1. Corint. 12. In hac quæst. est sermo de gratia gratificante, aut sanctificante, quæ est qualitas, seu habitus quidam animæ inhærens contra Magistrum sent. qui lib. 1. d. 17. fatetur charitatem siue gratiam non esse aliquam qualitatem in anima, sed esse ipsummet spiritum sanctum immediate cum libero nostro arbitrio, exercentem & operantem opera charitatis. Cæterum quamque hoc Deus potuerit facere vt scilicet essemus illi grati sine aliqua qualitate infusa in anima, & operaretur immediate sine aliquo habitu charitatis cum libero arbitrio opera dilectionis; tamen suppositis diuinis litteris non sumus grati Deo nisi per qualitatem infusam, quæ est gratia neque operatur opera charitatis nisi infuso iam habitu charitatis in voluntate.

Mutatio proprie tres conditiones requirit.

Quarto obseruandum est, ex Sco. in 3. d. 2. q. 3. ad mutationem proprie dictam tres requiri conditiones, prima conditio est, quod mutatio fiat inter priuationem & formam, defectu cuius creatio, quæ fit inter negationem, & formam non est mutatio. Secunda quod fit ibi aliquod subiectum, & susceptiuum, quod nunc aliter se habeat quam prius, defectu cujus in transubstantiatione panis in corpus Christi non est mutatio: quia non est ibi subiectum; Tertia quod susceptiuum prius tempore habuerit formæ priuationem, quam ipsam formam; defectu cuius quando anima infunditur corpori non est ibi mutatio, quia in eodem instanti in quo corpus est organizatum infunditur anima. Ex quo sequitur quod quando dicimus aliquid mutari ad formam, non debemus intelligere, quod mutatio sit circa formam, sed quod susceptiuum illius formæ prius duratione sit sub priuatione, & posterius duratione recipiat illam, & tunc dicitur mutari ad formam, quam recipit. Vnde si in eodem instanti, quo susceptiuum habet verum esse, esset sub forma tunc non mutaretur ad formam, quia priuatio illius formæ non præcessisset duratione in tali susceptiuo ipsam formam. Secundo sequitur quod omnis mutatio, cui aliqua istarum conditionum deficit non est proprie mutatio.

Mutatio est duplex.

Quinto obseruandum est, quod duplex est mutatio, vna deperditiua, altera acquisitiua, mutatio deperditiua, quæ etiam priuatiua appellari potest, ea dicitur, qua mutabile transit de forma ad formæ priuationem; adeoque terminus a quo est ens positiuum, terminus vero ad quem est priuatio formæ. Acquisitiua vero mutatio, quæ etiam positiua dici potest, ea appellatur, qua mobile de priuatione transit ad formam, adeo quod terminus a quo est priuatio, & terminus ad quem est forma ei opposita. His obseruatis patet titulus quæst. quæ in quatuor secatur articulos.

Primus. Art. Vtrum infusio gratiæ & expulsio culpæ sint vna mutatio.

Secundus Art. Vtrum infusio gratiæ & expulsio culpæ sint duæ mutationes reales.

Tertius Art. Vtrum expulsio culpæ sit aliqua mutatio.

Quartus Art. Vtrum prior sit expulsio culpæ, quam infusio gratiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum infusio gratiæ & expulsio culpæ sint vna mutatio.

QVod remissio peccati, seu expulsio culpæ, & infusio, gratiæ sint vna simplex mutatio probatur quadrupliciter, & primo sic. Transitus a priuatione ad habitum sibi oppositum non est nisi vna mutatio, sed peccati remissio, & gratiæ infusio, non est nisi transitus a culpa mortali ad gratiam, quæ sunt priuatiue opposita, ergo non sunt nisi vna mutatio; maior patet, quia inter duos terminos oppositos simul non est nisi vnica mutatio. minor probatur: quæ sunt formaliter incompossibilia nec virtute diuina possunt stare simul, sed culpa & gratia sunt formaliter incompossibilia, ergo non possunt stare simul, atque adeo expulsio culpæ est mutatio ad gratiam; minor probatur, ex opposito, si enim culpa & gratia non essent formaliter incompossibilia possent stare simul, & tunc esset contradictio scilicet quod eadem anima simul esset digna pœna æterna, & non esset digna pœna æterna, sed vita æterna, ex eo enim quod haberet culpam esset digna pœna æterna; & ex eo quod haberet gratiam, esset digna vita æterna, & per consequens esset digna pœna æterna, & non digna pœna æterna, essetque digna vita æterna, & non digna vita æterna, quæ contradicunt, & si poneretur quod talis anima in tali statu iudicetur, & hat in termino, sequitur quod simul & semel habebit vitam æternam, & pœnam æternam; sed hoc implicat contradictionem. Nam vita æterna

est

est visio & fruitio Dei; & pœna æterna est priuatio visionis, & fruitionis beatæ, atque adeo videret & non videret Deum, frueretur, & non frueretur Deo.

Secundo arguitur sic, expulsio culpæ, & infusio gratiæ aut sunt vna, & eadem mutatio, aut plures; sed non sunt plures essentialiter distinctæ, ergo sunt vna & eadem; maior patet, & minor probatur quia tunc vna posset fieri, & esse sine alia contradictione non obstante, sicut prior sine posteriore, vel e conuerso, & ita posset esse peccati remissio, sine gratiæ infusione, & gratiæ infusio sine peccati remissione in isto peccatore, quod non conceditur.

Tertio arguitur, generatio, & corruptio in naturalibus sunt vna mutatio, & eadem simpliciter: quia idem est motus simpliciter abiectiuus contrarij vnius, & inductiuus alterius; nam eadem mutatione abijcitur frigus, & inducitur calor in aqua, & eadem mutatione expellitur priuatio formæ, & inducitur forma in materia; ergo eadem mutatione expellitur culpa, & infunditur gratia; quia eadem mutatio est expulsiua vnius formæ, & inductiua alterius sibi incompossibilis. Et quod sit idem motus inter duo contraria patet: quia motus per se respicit contraria, sicut per se terminos; in hoc enim a mutatione distinguitur, quia mutatio non habet ambos terminos positiuos.

Quarto arguitur. Si expulsio peccati, & infusio gratiæ essent duæ mutationes, haberent inter se aliquem ordinem prioris, & posterioris saltem natura, & si non, duratione; consequens est falsum; ergo & antecedens, consequentia patet; quia non æque immediate ordinantur ad terminum; falsitas consequentis probatur; quia si remissio esset prior quam infusio, in illo priori esset homo non inimicus; & tamen non esset amicus: quia gratiam non haberet, in illo priori; hoc autem est impossibile: quia quilibet ex diuina ordinatione pro quolibet statu suo, vel est amicus, vel inimicus; similiter si infusio gratiæ esset prior, sequeretur quod in illo priori esset homo amicus: quia haberet gratiam; & tamen adhuc esset inimicus; quia non esset reconciliatus, eo quod peccatum non esset sibi remissum.

His tamen non obstantibus dicendum est, quod infusio gratiæ non est eadem mutatio cum exclusione, seu remissione culpæ. probatur primo sic. Idem simpliciter non potest simul plurificari realiter, & non plurificari, vel plurificari secundum rationem, & non plurificari; sed remissio culpæ frequenter plurificatur circa peccatorem secundum pluralitatem culparum, & infusio gratiæ non plurificatur; sed est vnica sicut & gratia, quæ infunditur, ergo remissio culpæ, & infusio gratiæ non sunt vna, & eadem mutatio. Probatur maior; quia ad hoc sequitur idem non esse idem, vel quod idem vt est idem esset vnum, & non vnum, quod est oppositum primi principij: verificarentur enim contradictoria de eodem. Minor patet quia contingit esse multas culpas, quarum vna quæque distincta remissione remittitur, vt quando simul multæ sunt culpæ, sicut si remitterentur separatim, quando vna est sine alia.

Secundo probatur. Idem non separatur ab eodem, accipiendo vniformiter identitatem, & separationem; puta si realiter realiter, si ratione ratione, hoc est quæ sunt. Idem realiter non separantur realiter, & quæ sunt idem ratione, ratione non distinguuntur; quia hoc includit oppositum primi principij; scilicet quod idem, vt idem simul sit, & non sit, ex quo illa separatio est secundum esse. sed remissio culpæ, & infusio gratiæ possunt adinuicem separari secundum totum ambitum suum; sic quod potest esse aliqua remissio culpæ, & nulla erit infusio gratiæ; ergo infusio gratiæ & remissio culpæ non sunt vna & eadem mutatio, maior patet, & minor probatur. Potest enim absolute remitti culpa mortalis, esto quod non infundatur gratia; & illa remissio esset eiusdem rationis cum illa, quæ fit modo, quando concomitanter infunditur gratia. Item veniale potest remitti sine infusione gratiæ, ergo & mortale. Item potest infundi gratia & si nulla culpa remittatur, & illa infusio est eiusdem rationis cum illa, quæ fit quando culpa remittitur.

Præterea potest vnus homo fieri in puris naturalibus a Deo, & postea gratia sibi infundi, & tamen non remitteretur sibi aliqua culpa. hæc ratio breuiter in hoc consistit, possibile est infundi gratiam, quando non remittitur culpa; sicut primo hominis, & angelis infusa fuit gratia sine vllius culpæ remissione: quia nulla in illis præcesserat; similiter patet posse remitti culpam absque infusione gratiæ: quoniam Deus potuit talem hominem reparare, qualem potuit producere, sed potuit producere hominem in puris naturalibus sine peccato & gratia, ergo post lapsum hominis in peccatum poterit Deus remisso peccato eum reuocare ad pura naturalia, in quibus maneat sine gratia & peccato; cum igitur ista tam manifeste possint separari, infertur aperte quod infusio gratiæ non est eadem mutatio cum expulsione seu remissione culpæ.

Tertio probatur. Inter illa, quæ non sunt formaliter opposita non potest esse formaliter, & per se vna mutatio, sed culpa & gratia non sunt opposita formaliter priuatiue, ergo inter ea non potest esse formaliter, & per se vna mutatio: maior patet: quia in solis oppositis formaliter eadem mutatione, qua inducitur vnum excluditur aliud; sicut eadem mutatione, qua inducitur lumen excluduntur tenebræ, & eadem qua inducuntur tenebræ excluditur lumen. Probatur minor, si gratia & culpa essent formaliter opposita priuatiue, gratia subesset agenti naturali, consequens falsum, ergo & antecedens. probatur sequela, quicquid potest super vnum oppositum effectiue, vel defectiue, potest etiam super aliud, vt patet vniuersaliter in repugnantibus & incompossibilibus oppositis priuatiue; sed voluntas creata potest super culpam, vel super esse culpæ, quia ab ipsa est culpa; igitur posset super non esse gratiæ effectiue, vel defectiue; hoc autem est falsum: quia gratia non accipit non esse nec desinit esse nisi per annichilationem, creatura autem non potest annichilare, quemadmodum nec potest creare. Secundo probatur eadem minor. Vnius habitus non est nisi vna priuatio simul, & semel in eodem subiecto, sed multæ sunt culpæ simul in eodem; gratia vero est vnus habitus ergo &c.

Item non fit proprie mutatio ad habitum nisi a priuatione; sed ad gratiam potest fieri mutatio dato quod non a culpa, vt patet in Angelis, in Adamo, in B. Virgine, & in Christo Domino, in quibus facta est mutatio ad gratiam sine omni culpa præcedente, ergo gratia, & culpa non opponuntur formaliter priuatiue; hæc ratio habet euidentiam de Angelis, & Adamo esto quod non fuerint creati in gratia; vt de B. Virg. & Christo Domino minime, quia voluntas B. Virg. & Christi Domini non fuerunt prius sub priuatione gratiæ quam sub gratia; quod tamen requiritur ad veram mutationem vt diximus supra in 4. notabili in explicatione tituli.

Quarto probatur conclusio sic. eadem mutatione, qua infunditur gratia solum excluditur priuatio gratiæ; sicut eadem mutatione, qua infunditur lumen solum excluditur priuatio luminis; at vero culpa non est priuatio gratiæ: quia gratia tantum est vna, cum contingat multas esse culpas, ergo eadem mutatione, qua infunditur gratia, licet excludatur eius priuatio, non tamen excluditur culpa, quæ est diuersa a priuatione gratiæ. Nec valet inquit Doctor instantia contra maiorem, quod aliqua mutatio habet vtrumque terminum positiuum: quia istius mutationis, quæ est ad gratiam, per se terminus a quo est priuatio, & per consequens propria priuatio termini ad quem.

Hic Scotus tollit instantiam; posset enim quis dicere eadem mutatione, qua inducitur calor non solum priuatio caloris excluditur, sed etiam frigus quod diuersum est a priuatione caloris, ergo quamuis culpa & priuatio gratiæ sint diuersæ poterit eadem mutatione, qua infunditur gratia excludi non solum priuatio gratiæ, sed etiam culpa, Respondetur, quod quamuis omnino sit eadem mutatio inductio caloris, & priuatio caloris, non tamen excluditur eadem omnino mutatione frigus; sed alia diuersa, idque ex eo patet, quod posset esse mutatio illa, qua inducitur calor sine illa, qua excluditur frigus, si Deus cum calore nouo conseruaret frigus antiquum; Item quia manere potest eadem mutatio, qua excluditur frigus absque ea, qua inducitur calor, veluti si ab aqua Deus expellat frigus, & impediat caloris productionem; quod autem sint diuersæ mutationes patet, ex terminis ad quem, & a quo; nam terminus a quo exclusionis frigoris est ipsum frigus, terminus vero ad quem est priuatio frigoris, & terminus a quo inductionis caloris, est priuatio caloris, terminus vero ad quē est ipse calor, vt docet Arist. 5. Phy cap. 1. & hoc loquendo de per se terminis, & non de terminis concomitantibus.

Cæte-

Ceterum antequam soluamus argumenta contra in principio art. posita, quia Doct. in secunda & tertia ratione supponit duo, quæ controuertuntur inter ipsum & D. Thomā, & inter Scotistas, & Thomistas quorum primum est peccatum posse remitti absque infusione gratiæ, & gratiam infundi sine remissione peccati, secundum vero gratiam & culpam non opponi formaliter priuatiue, Ideo duxi hæc duo quæstia hic breuiter examinare.

Peccatū an possit remitti absq; infusione gratiæ.

Et quo ad primum dubitatur, An peccatum possit remitti absque infusione gratiæ, & loquor de potentia Dei absoluta, quia planum est, quod non, de potentia ordinata. Circa hoc dubium oportet primum certa ab incertis secernere, est enim certum peccatum non remitti de lege absque infusione gratiæ; est autem sub iudice an remitti possit etiam de potentia Dei absoluta. Partem negatiuam tenet Diuus Thomas 1.2. quæst. 113. artic. secundo, & de veritate, quæst. 28. artic. 2. & fere omnes eius discipuli. Partem autem affirmatiuam amplectitur Scotus in 2. dist. 28. & in 4. dist. 1. q. 6. & dist. 14. quæstione prima, & in hac quæst. post Diuum Bonauenturā in 2. dist. 28. quæst. 1. Quos sequuntur Gabriel Marsilius, Durandus, Gregorius Arim. & alij. Sed quia hæc quæst. solet in secundo in materia de gratia ex professo disputari, ideo breuiter vtriusque sententiæ fundamenta proponentur. Pro opinione ergo tam Diui Thomæ, quam Scoti obseruandum est, ex Aristot. in post prædicamentis capit. de oppositis, quod illa dicuntur opponi priuatiue, quorum alterum necessario inest subiecto post tempus a natura determinatum, hoc est, postquam subiectum habet aptitudinem ad formam, verbi gratia catulus ante nonum diem non dicitur cæcus, quia non est pro tunc aptus natus ad videndum, sed post nonum diem; Ex quo patet discrimen inter negationem & priuationem: negatio enim est absentia, & penuria rei, quam negat; priuatio vero est carentia rei prius habitæ, vel naturaliter habendæ. Vnde homo inquit D. Thomas in puris naturalibus creatus habet negationem gratiæ, postquam vero amisit illam habet priuationem, & per consequens implicat dari medium inter gratiam, & peccatum siquidem sunt priuatiue opposita. Scotus vero e conuerso asserit gratiam, & peccatum in homine opponi contrarie, ecseque contraria mediata, & non priuatiue opposita nisi de lege, atque adeo potest dari medium vt deinceps status pura naturæ.

D. Thom.

Scotus. D. Bonau. Gabriel. Marsilius. Durandus. Gregorius.

Opposita priuatiue quæ sint.

Secundo obseruandum est pro maiori etiam elucidatione vtriusque sententiæ, & maxime D. Thomæ, quod homo dum est in gratia geminam habet rectitudinem, prima est naturalis, qua diligit Deum naturæ auctorem, & refertur in ipsum prout ex viribus naturæ diligi potest; altera est rectitudo supernaturalis qua, s. homo diligit Deum, vt obiectum supernaturale, & supernaturaliter habendum, hæc autem rectitudo est in homine per gratiam, cum ergo homo peccat manet priuatus hac dupliei rectitudine, quoniam priuatur gratia, & etiam abutitur suis potentiis naturalibus, quod sic probatur, aut homo committit peccatum directe contra legem naturalem, vt quando adulteratur, vel furatur, &c vel committit peccatum contra legem supernaturalem, scontra præceptum de suscipiendis sacramentis & c. sed in vtroque euentu amittit vtramque rectitudinem, ergo &c. probatur minor, quia de peccato contra legem naturalem cōstat, siquidem qui adulteratur non solum transgreditur præceptum naturale de non adulterando: sed etiam supernaturale charitatis, in quo negatiue continetur, vt nihil præferatur diuinæ amicitiæ, quia autem voluptatis causa transgredi tur præceptum de non adulterando anteponit Deo suam voluptatem, & ideo violat, & transgreditur legem amicitiæ, & charitatis, probatur etiam minor de præcepto supernaturali, vt fidei, & spei, vel de suscipiendis sacramentis, & hoc probat contra Caiet. vbi supra: Nam supposito, quod Deus præcepit aliquod supernaturale ipsa naturalis ratio dictat, quod Deus, & conditor noster est obediendus, siue præcipiat, quid naturale, siue supernaturale, & ex consequenti, qui transgreditur aliquod præceptū supernaturale transgreditur & hoc præceptū, & dictamen naturale, & sic ille duæ rectitudines ita sunt pro illo statu coniūctæ, vt neutra sine altera amitti possit & ex consequenti inquit D. Tho. neq; ut vna recti tudo restitui sine alia; Scotus vero econuerso docet, quod licet concedamus contra Caiet. non posse hominem amittere r. ctitudinem supernaturalem, quin amittat etiam naturalem, & vtraque rectitudo restituatur ei de lege. Potest tamē

Homo existens in gratia duplicē habet rectitudinem.

Deus de potentia sua absoluta restituere homini rectitudinē naturalem tantum, & sic manebit in statu puræ naturæ. Videamus ergo breuiter vtriusque Doctoris fundamenta.

Opinio D. Thomæ probatur primo. Ad hoc vt peccatum remittatur necessario & homini vtraq; rectitudo reddēda, sed hoc est esse in gratia, ergo & c. minor & consequentia patent, probatur maior, de rectitudine naturali patet, & ipse Scotus fatetur, probo ergo maiorē de rectitudine supernaturali, Quodcūq; peccatū (vt diximus) est priuatio virtutis rectitudinis, sed priuatio nō tollitur nisi per positionē eius, cuius est priuatio, ergo & c. & confirmatur: quia dato φ posset culpa deleri sine rectitudine supernaturali, sequeretur, quod homo simul esset, & sine peccato, & auersus a Deo, & illi inimicus, quod implicat, patet sequela, qa caret rectitudine supernaturali debita, ergo est auersus a Deo, & inimicus, & præterea esset simul auersus a Deo, & conuersus ad ipsum, quod implicat.

Secūdo arguitur, & efficacius probo Deū nō posse restituere homini rectitudinē naturalē, quin restituat supernaturalē quia dato, φ Deus sua absoluta potētia conuertat peccatorē ad bonum naturale rōnis, manente auersione a Deo, vt est obiectū gratiæ & beatitudinis, adhuc peccator in illo statu non habet integritatē naturalē, nec est ordinatus ad bonū naturale: qm rectitudo naturalis hēt Deū pro vltimo fine naturali, & nō habet aliquā auersionē ab ipso Deo, vt est obiectū supernaturale, sed ī casu posito iste homo est auersus a Deo, vt obiectum beatificum, & supernaturale; ergo non habet rectitudinem naturalem, & nō est intelligibile, quod postquā homo peccauit tollatur ab ipso auersio nisi per conuersionē, sicut auersio a Deo vt fine naturali tollitur per conuersionē, quam vocat Scotus rectitudinem naturalem.

Circa hanc difficultatem obseruandum est, quod gratia qua homo iustificatur est duplex, altera est habitus creatus a Deo, & animæ infusus, qua homo formaliter est gratus Deo, altera vero est increata. s. ipsamet voluntas diuina gratificans, & acceptans sibi hominem effectiue, hæc difficultas de vtraq; gratia est intellig nda. Caietanus interpretatur D. Tho. de priori. s. de habituali. Capreolus autem in 1. d. 17. q. 1. art. 1. Et Scotus in 4. d. 15. q. 1. art. 2. de posteriori & melius; quia si crederemus Caiet. Facillima esset opinio Scoti contra D. Thomam: nam quanquam ex hypothesi: peccatum priuet ex natura sua gratia. s. gratificante, & amicitia diuina, ista qualitas quā appellamus gratiam nō est ipsa amicitia Dei, sed est effectus ipsius amicitiæ φ tandē gratificat formaliter, hominem, sed quicquid habet, ex pacto Dei habet. Vnde non solum posset Deus gratificare hominem absque tali habitu: sed posset conseruare illum in peccatore. Est ergo pro opinione Scoti.

Gratia quā homo iustificatur est duplex.

Caietanus.

Capreolus. Scotus.

Conclusio est affirmatiua. Peccatum potest remitti de potentia Dei absoluta absque infusione gratiæ, probatur conclusio a priori. Potuit Deus creare hominem in puris naturalibos, et si hic homo peccaret restituere illum ad pristinum statum poræ naturæ, ergo & modo, patet consequentia: quia ille homo esset auersus, sicut hic & ita haberet, sicut qui modo peccat, ergo &c. & confirmatur; quia status puræ naturæ non repugnat ex parte hois, ergo nec ex parte Dei.

Ad hoc argumentum respondet Caiet. negando consequentiam; ille enim homo habebat negationem gratiæ dūtaxat, & poterat Deus absq; contradictione reducere illum ad pristinū statū, hic autē habet priuationē gratiæ, & repugnat priuationem tolli nisi per formā, vt in exemplo catuli, qui ante nonum diem, nec est cæcus, nec videns, post vero nonū diem repugnat, quin nec sit cæcus, nec videns. Similiter homo in puris naturalibus creatus habet negationem gratia, φ autem fuit spoliatus habet priuationem. Sed contra hoc arguitur, & primo suppono ex Arist. quod priuatio est circa subiectum aptum natum, vnde homo dicitur cæcus non autē lapis. Secundo suppono, quod nulla apparet ratio quare homo in peccato sit aptus ad gratiam, & homo in puris naturalibus non sit aptus, siquidem in vtroque idem est subiectū ad gratiam, & capax gratiæ, & eadem obedientialis potentia ad eam recipiendam, immo e conuerso, sicut aqua tepida est aptior ad calidtatem, quam frigida, ita homo in puris naturalibus esset aptior ad gratiā quam existens in peccato si daretur maior aptitudo, exemplum ergo de catulo non currit, etsi gratia & peccatum opponerentur contrarie circa hominem creatum in puris naturalibus, similiter circa hominem expoliatum gratia, quia si par est aptitudo parum refert habuisse illam, vel non habuisse, vt in

in exemplo posito patet; quia si catulus nunquam videret diceretur cæcus post nonum diem; quia iam erat aptus, ergo cæcitas non aduenit ei per priuationem visionis, quam non habuerat vnquam. ergo si homo in puris naturalibus creatus peccaret etiam diceretur priuatus: quia per se homo in peccato est auersus, & aptus ad gratiam.

Ad hoc respondent aliqui, quod talis homo in puris naturalibus creatus si peccaret non haberet debitum recuperandi gratiam, & ideo non diceretur priuatus; sed est impertinens euasio hæc ad nostram quæstionem: quia debitum, quod habet peccator ad gratiam est ex lege, & pacto Dei, & ridiculum est asserere, quod debitori repugnat, quod creditor soluat debitum; ergo potest Deus restituere modo homini rectitudinem naturalem, & non supernaturalem; & quando dicitur peccatum est priuatio gratiæ cum debito habendi illam, hoc est de lege, & non de formali ratione peccati, inter quod & gratiam non est maior repugnantia, quã inter iustitiam originalem, & peccatum originale; sed peccatum originale remittitur modo in Baptismo, & non restituitur iustitia originalis, ergo &c. etsi formale peccati esset priuatio gratiæ, sequeretur quod secundum, vel tertium peccatum mortale non haberet rationem formalem peccati, siquidem (vt constat) nulla gratia priuat.

Secundo probatur nostra conclusio a posteriori, postquã Deus homini peccatum dimisit, & contulit illi gratiam, potest Deus de potentia absoluta ab eo auferre gratiam, & tũc non manebit in peccato, de cuius ratione est, quod sit voluntarium, ergo manebit in statu puræ naturæ, ecce apertissimũ medium inter gratiam, & peccatum, ergo non opponuntur priuatiue. Hoc argumentum sæpe in circulis, & disputationibus audiui, & semper desideratã solutione recessi. Respondent enim propter prædicta fundamenta cõcedendo, quod potest Deus tollere gratiam ab homine absque eo, quod homo maneat peccator, vt in casu dicto; repugnat tamen quod tollat peccatum absque gratia: quia peccatum est priuatio gratiæ; sed hæc solutio nullius est momenti: implicat enim quod peccatũ & gratia opponantur priuatiue, & gratia, & peccatum contrarie; siquidem par oppositio est inter cæcitatem, & visionem quæ est inter visionem & cæcitatem, & contrarium est intelligibile. Sed de hoc plura diximus in primo tomo huius. 4. q. 1. q. 6. vide ibi.

Ad primum arg. pro opinione D. Thomæ. Respondetur negando minorem s. quod nequit remitti peccatum de potẽtia Dei absoluta, quin restituatur vtraque rectitudo, & ad probationem dico, quod licet concedamus, quod hæ duæ rectitudines ita sunt connexæ, quod nequeat vna sine altera deperdi, est intelligendum de lege per peccatum: quia alio modo bene potest Deus vnam rectitudinem tollere relicta altera, vt si tolleret gratiam ab aliquo, tunc maneret rectus in naturalibus, non autem cum rectitudine supernaturali, quæ proficiscebatur a gratia ipsa, igitur similiter poterit restituere homini rectitudinem naturalem, non restituta gratia, & tunc manebit non auersus in supernaturalibus, sed nec auersus, nec conuersus, & tandem vt secundi argumenti etiam constet solutio, dico, quod rectitudo naturalis recuperatur per solam cessationem ab actu prauo, cessationem inquam actualem, & voluntariam, quæ sufficit, vt tollatur auersio a Deo, vt finis naturalis est. Sed dices sequeretur quod de lege etiam potest homo recuperare rectitudinẽ naturalem absque gratia cessando volũtarie ab actu prauo. Respondeo quod non; quia stante diuina lege, & præcepto de recuperanda gratia implicat recuperare rectitudinem naturalem, quin recuperet supernaturalem; quia tunc manebit auersus a Deo etiam in naturalibus, vt secundum argumentum probat, sed cum totum hoc pullulet a lege, pacto, & voluntate Dei, non dubium est, quin possit aliter fieri de potẽtia absoluta.

Gratia & peccatũ an opponantur secundũ naturam. Quoad secundum dubitatur an gratia, & peccatum opponantur secundum naturam, an ex institutione legis, quæ sic decreuit, vt qui peccat statim perdat gratiam, & ex cõsequẽti an peccatum tollat gratiam efficienter, an potius demeritorie, adeo vt qui peccat mereatur, vt Deus auferat ab eo suã gratiam. De hac re est duplex opinio, vna Caiet. 2. 2. quæst. 24. artic. 10. & 1. 2. quæst. 113. art. 2. quem multi Thomistarum secuti sunt, hi affirmant, quod gratia, & peccatum opponuntur ex natura rei; quod in huncmodum probant, *Caietanus.* peccatum est offensa Dei, qua homo est inuisus Deo, sed gratia est qua homo est gratus Deo, ergo gratia & peccatũ ex natura sua opponuntur. Item repugnantia est, quod idem homo respectu eiusdem sit gratus Deo & inuisus, igitur manifesta contradictio est inter gratiam & offensam ex natura sua. Quod autem peccatum expellat gratiam efficiẽter sic probant. Peccatum expellit charitatem efficienter, quę est dispositio ad gratiam, sine qua gratia consistere non potest, igitur expellit efficienter gratiam, patet consequentia; quia quamuis ignis non producat animam in corpore expellit tamen animam efficienter a corpore introducendo dispositiones, quæ sunt animæ contrariæ. Præterea peccatum est causa motiua, & inductiua, quare Deus hominem a sua gratia abijciat, igitur peccatum est causa efficiens, & motiua quare corrumpatur gratia, antecedens patet: quia hæc causalis est vera: quia homo peccat peccatum mortale priuatur gratia, ergo peccatum est causa efficiens & motiua quare corrumpatur gratia.

Altera est opinio Doctoris nostri hic, & in 2. d. 28. & in 1. d. 17. quod gratia & peccatum opponuntur solum ex diuino statuto; quia Deus de potentia sua absoluta potest acceptare peccatorem ad gloriam, & ad vitam æternam, absque gratia, item de potentia Dei absoluta potest permanere gratia, quæ est qualitas in homine peccatore, igitur gratia, & peccatum ex natura sua non opponuntur. Item opera nostra non producunt gratiam efficienter, sed Deus desuper infundit illam, igitur quomodo peccata quæ sunt opera nostra possunt corrumpere illam gratiam efficienter? Item gratia est quædam forma supernaturalis, ergo non potest corrumpi actione creaturæ, quia eleuatur super omnẽ creaturam, & super omnem facultatem naturæ. Præterea opera nostra non possunt esse instrumenta ad creandum, & ad annichilandum etiam secundum D. Thomam, sed gratia cum desinit esse annichilatur, quia quæ habent esse per creationem non desinunt esse nisi per annichilationem, ergo opera nostra non habent vim, & energiam vt corrumpant gratiam.

Ad argumenta oppositæ sententiæ respondetur, & ad primum dico, quod sicut peccatum de lege est offensa Dei, qua homo est inuisus Deo, ita gratia de lege est, qua homo est Deo gratus, atque adeo non opponuntur ex natura rei sed ex lege, & decreto diuino, posset enim Deus de potentia absoluta habitum vitiosum, & actum peccaminosum acceptare in ordine ad vitam æternam, vt docet Franciscus de de May. in prima dist. 17. quæstione secunda, posset etiã qualitatem illam, quam appellamus gratiam non acceptare, atque adeo negatur consequentia. & per idem patet ad secundum, nam admisso antecedente negatur consequentia. *Francis. Mayr.*

Ad tertium dico quod supponit falsum nempe charitatem & gratiam re ipsa distingui, charitas enim, & gratia sunt idem habitus realiter, & formaliter, & tantum nomine vel ratione distinguatur, atque adeo charitas nequit esse dispositio ad gratiam. Ad quartum dico quod peccatum non est causa motiua efficienter quare Deus tollat gratiam, sed tantum demeritorie, nam peccans mortaliter demeretur habere gratiam, atque adeo Deus desinit ipsam conseruare, & statim desinit esse, vide Suarez. Tomo quarto disputatione 9. sect. tertia.

Ad argumenta in principio art. posita respondetur, quod culpa & gratia non opponuntur formaliter, aliquo genere oppositionis. Ad probationem dico, quod culpa mortalis & gratia non sunt incompossibilia formaliter ex natura rei, sed ex ordinatione diuina, quæ ordinauit, quod quilibet sit vel filius dexteræ per gratiam, vel sinistræ per culpam, atque adeo ex natura rei dicere oportet, quod Deo permittente culpam, & non remittente eam, atque etiam creante gratiam in eodem cum illa culpa ista possent stare simul loquendo de potentia Dei absoluta; qua posset non remittere culpam, & infundere gratiam, & cum infertur quod cõtradictio sequeretur: quia tunc eadem anima simul esset digna pœna æterna, & non digna, dico quod nulla est contradictio, quia hoc non esset secundum idem, sed secundum culpam esset digna pœna æterna, & secundum gratiam, vel inquantum habens ipsam non esset digna tali pœna, atque ita non secundum idem, & iuxta hoc conceditur, quod esset dignus pœna ęterna, & vita æterna. Et quando dicis vltra ꝙ in illo puncto posset iudicari, & fieri in termino, & per consequens simul præmiari vita æterna, & puniri pœna æterna &c. negatur consequentia, & ratio est: quia visio beata, & carentia eius plane opponuntur priuatiue circa idem

subie-

subiectum; opposita autem priuatiue non possunt simul inesse absque contradictione, at non ita est in antecedente, vnde est quod ille esset simul dignus pęna, & vita æterna non tamen pro simul, nec simul possent sibi ambo inesse coniunctim, sed alterum quodcumque placeret præmianti.

Aliter dici potest quod condignitas gratiæ, vel habentis gratiam ad vitam æternam, non est ex natura gratiæ, vel ex ui talis habitus, alioquin Deus non posset non beatificare decedentem in gratia, nec damnare aliquem cum gratia, quod falsum est, sed talis condignitas est ex statuto, vel pacto, aut ordinatione diuina, cuius oppositum potest ordinare de potentia absoluta, vt. s. aliquis quantumcunque habens gratiã non esset dignus vita æterna. Potest ergo virtute diuina fieri, quod aliquis habeat gratiam, & non sit dignus vita æterna, & si cum hoc habeat culpam mortalẽ est dignus pęna æterna, & ita non sequitur aliqua cõtradictio. Posset etiã aliter dici, esto quod culpa, & gratia non sint formaliter opposita, non propter hoc tamen absolute loquendo sunt compossibilia in eodẽ subiecto, sicut patet de duabus formis substantialibus disparatis, quæ licet non opponantur tamen nõ compatiuntur se in eadem materia, & secundum alios de duabus figuris in eadẽ quanto: sed prima solutio est melior.

Ad secundum dico, quod nec sunt vna mutatio, nec plures loquendo de mutationibus realibus. Quando dicis quod si plures essent &c. dico quod licet non sint plures mutationes reales, remissio tamẽ culpæ potest esse sine infusione gratię, & e conuerso, nec est inconueniens quomodocunque accipias, de ordine tamen earum in 4. art. apparebit.

Ad tertium respondetur dupliciter, primo dicitur, quod licet sit vnus motus, & vna mutatio a contrario in contrarium, secundum quod mutatio dicit aliquid commune ad motum, non tamen generatio, & corruptio sunt vna mutatio, sed duæ. & ratio est quia motus ille habet duos per se terminos positiuos. s. illa contraria, & non sunt ibi plures termini, sed generatio, & corruptio non sic habent terminos suos, corruptio enim habet pro terminis suis formam præexistentem, & negationem eius, vel priuationem in materia, sed generatio habet pro terminis suis, formam sequentem; & negationem eius, vel priuationem in materia, atque ita sunt ibi quatuor termini, & duæ mutationes. Assumptum igitur est falsum, & probatio non valet de motu.

Secundo respondetur, quod generatio, & corruptio sunt duæ mutationes, & quãdo dicitur de motu, quod vnica mutatione per motum abijcitur forma contraria, & inducitur altera contraria, dicitur quod in quolibet motu de contrario in contrarium concurrunt duæ mutationes, quarum vna est deperditiua vnius contrarij, & alia est acquisitiua alterius contrarij & prima habet pro suis terminis contrarium quod abijcitur, & negationem eius, secũda vero habet pro terminis contrarium, quod inducitur, & negationem & priuationem eius, & quælibet istarum mutationum successiua est, & distinguitur vna essentialiter ab alia, in tantum quod virtute diuina prima posset fieri sine secunda & etiam secunda sine prima, præcipue secundum ponentes duo contraria posse simul stare, & etiam secundum hoc negantes, qui ponerent quod vnum contrarium posset per motum induci, & per motum, & mutationem successiuam in aliquo, in quo non esset nec præfuisset aliquid de contrario; verum est tamen quod naturaliter loquendo in motu concurrunt ambe istæ mutationes, nec potest aliter fieri a natura. Et secundum istos in hoc non differt motus a mutatione, nempe quod motus sit aliqua vna simplex mutatio inter terminos contrarios, sed in hoc differt, quod licet sit inter terminos priuatiuos, est tamen mutatio successiua, & non instantanea. Similiter etiam ad motum naturaliter concurrunt duæ mutationes quarum sunt duo termini positiui, terminus a quo primæ, & terminus ad quem secundæ sunt contrarij, & sic dicitur motus fieri a contrario in contrarium secundum duas mutationes, quas includit, non sic autem mutatio puta generatio, aut corruptio, vel huiusmodi, quicquid sit de hoc semper tamen dicẽdum est, quod generatio vnius, & corruptio vnius licet concomitentur se sunt duæ mutationes non tamen propter hoc concludendum est a simili, quod remissio culpæ, & infusio gratiæ sint duæ mutationes reales, vt videbimus in sequenti art.

Ad quartum de ordine ipsarum videbitur in quarto art. Pro nunc quando dicitur quod non possunt habere ordinẽ negatur, & cum dicitur, quod remissio non potest esse prior, quia tunc prius esset non inimicus quam amicus, concedo consequens & consequentiam. Nam aliquis potest esse alteri nec inimicus nec amicus, etiam secundum durationem, atque ita prius duratione non inimicus, quam amicus, licet de facto secundum ordinationem diuinam, & secũdum durationem, quilibet vel sit inimicus, vel amicus, licet prius natura possit esse non inimicus quam amicus. Similiter aliquo prius natura prioritate intentionis & perfectionis potest esse prius amicus quam inimicus. Et sic etiam infusio gratiæ prior aliquo modo remissione culpæ. Præterea argumentũ supponit, quod sint duæ mutationes reales, quod tamen non est verum, licet non sint vna. nec enim sunt vna realis mutatio, nec duæ mutationes reales.

ARTICVLVS II.

Vtrum infusio gratiæ & expulsio culpæ sint duæ mutationes reales.

PRo solutione huius quæst. obseruandum est quod mutatio realis est cuius alterum extremum, nempe vel terminus a quo, vel ad quem est res positiua realis, vnde quãdo infunditur gratia est mutatio realis, quia res quæ acquiritur est res realis, at quando corrumpitur forma, quia mutatur subiectum in extremum priuatiuum, ex eo mutatio dicitur realis, quia terminus a quo est realis. *Mutatio realis quid sit.*

Hoc supposito de hac re triplex est opinio, prima est Guidonis Brianſonis in suo 4. q. 8. col. 1 sub lit. O. §. sed ista opinio doctoris. qui tenet gratiæ infusionem & expulsionem culpæ esse duas mutationes reales, quia vt dicit, peccatum consistit in auersione a suo creatore, & conuersione ad creaturam, iuxta definitionem peccati traditam a D. August. in lib. de vera religione. Peccatum est conuersio indebita voluntatis ad commutabile bonum, spreto bono incommutabili, & sic deordinatur anima, ex qua inordinatione voluntatis in eligendo bonũ cõmutabile, & spernendo bonũ incõmutabile sequitur actus vitiosus, ex quo actu interiori voluntatis, in quo cõsistit principaliter deordinatio, & ex actu exteriori vitioso resequitur difformitas, quæ est aliquid positiuũ, & reale per quã actu trãseunte homo denominatur peccator, & ista difformitas non tantum dicit priuationem, sed etiam debitum habendi, quæ fundatur in aliquo positiuo; atque adeo cum terminus a quo expulsionis culpæ, sit quid positiuum, & terminus ad quem infusionis gratiæ sit qualitas positiua nimirum ipsa gratia, sequitur quod expulsio culpæ & infusio gratiæ, sunt duæ mutationes reales. *Guido.* *D. Augusti.*

Probatur secũdo, rationibus Doct. quæ habentur in principio quæstionis & primo sic. Peccare, & gratiam corrumpi sunt duæ mutationes, ergo a simili infusio gratiæ & remissio culpæ sunt duæ mutationes, antecedens probatur auctoritate D. August. in lib. de vera & falsa pœnitentia. quæ auctoritas ponitur in litera huius dist. c. 2. dicentis. Dolendũ est peccatori non solum quia peccauit, sed etiam quia virtute se priuauit, ex quo habetur, quod non est idem peccare, & virtute seipsum priuare, & quod peccatum non est formaliter priuatio virtutis, sed infusio gratiæ, quæ est virtus si est formaliter expulsio alicuius priuationis, non est nisi priuationis propriæ, ergo non est ipsa expulsio culpæ: atque adeo est alia materia doloris priuatio virtutis, & ipsa culpa; ergo per oppositum non est idem peccatum remittere, & virtutem, vel gratiam restituere, igitur peccati remissio & gratiæ infusio sunt duæ mutationes. *D. August.*

Secundo arguitur, in moralibus expulsio vitij, & inductio, vel acquisitio virtutis sunt duæ mutationes, ergo similiter in proposito quando remittitur, vel expellitur culpa, & infunditur gratia sunt duæ mutationes; nam expulsio culpæ non est formaliter infusio gratiæ, neque e conuerso, infusio gratiæ est formaliter expulsio culpæ. Probatur antecedens: quia ibi sunt quatuor termini: quorum duo sunt positiui, scilicet virtus & vitiũ scilicet habitus vitiosus, est enim vitium: qualitas quædam positiua, vt timiditas, vel parcitas: non enim omnis carens fortitudine est timidus, sed habens habitum inclinans ad timendum; nec omnis carens liberalitate est parcus, sed qui acquisiuit habitũ ex frequenter parce agere: patet etiã inducẽdo in vitijs, quia extrema idest vitia inclinãt virtualiter potẽtias ad actus sibi cõformes, sicut media hoc est virtutes ad actus sibi cõformes, & ista inclinatio

non est per solam priuationem, sed quando sunt formæ positiuæ oppositæ, quarum vna succedit alij, sunt aliæ mutationes: quia quatuor termini duo positiui vt diximus. s. virtus & vitium. & duo priuatiui scilicet non esse vitij, & non esse virtutis.

Tertio probatur conclusio. Generatio, & corruptio naturalis, sunt duæ mutationes propter quatuor terminos. s. duas priuationes & duas formas, sed hic est corruptio peccati quod infuit, & quædam generatio in esse gratuito, quando gratia infunditur, ergo duæ mutationes.

Quarto mutatio ad dispositionem, & mutatio ad formā, sunt duæ mutationes, sed expulsio vel remotio culpæ est mutatio dispositiua ad infusionem gratiæ, ergo expulsio culpæ, & infusio gratiæ sunt duæ mutationes. Maior probatur: quia mutatio ad dispositionē est naturaliter prior mutatione ad formā, patet de alteratione, & generatione; Probatur minor: nam per remissionem culpæ fit peccator non inimicus, per infusionem vero gratiæ fit amicus, sed non esse inimicum disponit ad esse amicum. ergo &c. Et posset ex hoc formari ratio principalis. Non est idem desinere esse inimicū, & incipere esse amicū, sed per expulsionē culpæ desinit esse inimicus, & p infusionē grãæ incipit esse amicus, ergo &c.

Secunda opinio tenet expulsionē culpæ & infusionē gratiæ non esse duas mutationes: quia expulsio culpæ (vt dicūt) nulla est mutatio, nec realis, nec rationis, de qua sententia erit sermo in sequenti articulo.

Tertia opinio tenet expulsionem culpæ, & infusionē gratiæ esse duas mutationes, realem vnam, nempe infusionem gratiæ, & rationis alterā nimirum expulsionem culpæ, & hanc sententiam multi Scotistarum dicunt esse *Doctoris* in hac quæstione. Pro qua sententia ponitur hæc conclusio.

Infusio gratiæ, & remissio culpæ non sunt duæ mutationes reales. Probatur quia licet infusio gratiæ sit mutatio realis; quia procedit a priuatione realis formæ ad ipsam formā, nempe a priuatione gratiæ ad gratiam, remissio tamen culpæ non est mutatio realis. Probatur quia actu peccati transeunte nihil remanet in anima positiuū & reale, per quod homo dicatur peccator, sed solum remanet obligatio ad pęnam æternam, quæ obligatio est ens rationis, & illa deletur in remissione culpæ, ergo sequitur quod illa mutatio non est realis, sed rationis, nam est ab obligatione illa, quę est ens rationis, ad negationem illius.

Pro ampliori intelligentia huius rationis. obs. est primo, q̄ si peccatum formaliter esset corruptio seu priuatio alicuius gradus naturæ peccantis, remissio culpæ esset mutatio realis, quoniam esset restitutio illius gradus naturæ, qui fuit ablatus per peccatum, sed hoc est falsum vt docet Scotus in 2. d. 37. quia natura quæ peccat vt sic spiritualis est, & immunis ab omni corruptione. Item quia si per quodlibet peccatum corrumperetur aliquis gradus naturæ, necessarium esset peccatis multiplicatis totam naturam destrui, quod experientia docet esse falsum. Et si dicas hoc esse contra D. August. in Enchiridion dicentem. Peccatum in tantum est malum, inquantum adimit de bono, ergo quodlibet peccatū aliquid boni adimit a natura. Respondetur, quod peccatum non adimit aliquid de bono naturæ in actu primo, vt distinguitur ab operatione, qui est actus secundus, sed intelligendum est, quod adimit de bono, quod debetur operationi, & sic dicitur adimere aliquid de bono formaliter inquantum omne peccatum est priuatio bonitatis, quæ debebat inesse operationi, veluti comedere intemperate est peccatum inquantū adimit, seu priuat bonum temperantiæ, quod tali manducationi comedens debebat apponere.

Scotus.

D. August.

Secundo obs. est, quod si post actū peccati remaneret aliqua entitas realis, qua homo diceretur peccator, remissio peccati esset realis mutatio, quia esset realis corruptio illius entitatis, cuius corruptionis terminus a quo esset illa realis entitas, terminus vero ad quem esset priuatio illius entitatis, sed hoc improbatum est supra d. 14. q. 1. art. 1. vbi ostendit Scotus post actum peccati nullam realem entitatem manere, a qua homo dicatur peccator.

Tertio obs. est, quod post actū peccati nihil aliud remanet, quam dignitas inimicitiæ Dei, & obligatio ad pęnas inferni, q̄ nihil aliud est, quā peccatorem ordinari a diuina voluntate ad tales pœnas condignas, vt explicauimus in q. 1. d. 14. ar. 5. Hæc autem dignitas, & obligatio, atque ordinatio in homine peccatore solum dicit relationem rationis; quia nihil aliud est, quam peccatorem esse obiectum dignum & aptū inimicitiæ diuinæ voluntatis sic ordinantis; esse autem obiectum voluntatis diuinæ, in obiecto solum est relatio rationis, sicut esse obiectum diuini intellectus, cū ergo post actū peccati solum maneat hæc dignitas, & obligatio, infertur quod per remissionem peccati solum excluditur hæc dignitas & obligatio, quæ est ens rationis. Vnde Scotus supra. d. 1. q. 6. sub lit. F. dixit quod in iustificatione peccatoris est duplex mutatio vna priuatiua, qua de inimico fit nō inimicus, & alia positiua qua de non grato fit gratus, & quamuis ex prima mutatione non possit concludi aliqua forma noua in iustificatione, quia est mutatio ab ente positiuo rationis ad negationem illius, potest tamen ex secunda, quia est a negatione formæ realis videlicet gratiæ ad infusionem illius. Ex his probatur sic minor rationis assumptæ. obligatio ad pœnam pro culpa commissa non est aliquid reale in anima post actum præteritum, sed est tātum relatio rationis in obiecto volito, vt volitum est, ergo remissio, quæ est ab obligatione ista ad non obligationem non est mutatio realis; consequentia patet: quia non est mutatio realis nisi sit a termino reali positiuo, vel in terminum realem positiuum, antecedens declaratur. quia sicut volitum a me per hoc quod est a me volitum, nullam habet formam realem nouam absolutam, vel relatiuam, sed tantum relationem rationis correspondentē reali volitioni in me, ex hoc. n. quod volo Petrum, vel amo Petrum, nihil reale acquirit Petrus, ita per hoc quod aliquis est volitus, vel ordinatus ad pęnam a voluntate diuina postquam commisit culpam, cum culpa non remaneat, nec aliquid reale positiuum, vel priuatiuum, nec alia relatio realis fundata super culpam remanebit, sed tantum relatio rationis, & hoc indiferenter accipiendo relationem rationis pro obiecto volito, sicut pro obiecto intellecto, vt dictum est in 1. lib. dist. 45. q. 1. quia non magis est realis collatio obiecti voliti per actum voluntatis ad aliud, quam comparatio obiecti intellecti ad aliud per actum intellectus.

Pro intelligentia huius literæ obser. est, quod ens rationis capitur multis modis, primo pro ente effecto a ratione, secū do pro ente subiectato in ratione, tertio pro ente quod est obiectum rationis, & istis tribus modis non distinguitur ens rationis contra ens reale; quarto capitur ens rationis pro ente causato a potentia vitali secundum esse diminutum, & isto modo ens intellectum, ens volitum, ens visum, vt tale, i. vt intellectum, & vt volitum est ens rationis. quinto modo capitur ens rationis pro relatione fundata in ente sic diminute effecto, & terminatam ad illam potentiam vitalem, quæ etiā tale ens sic diminutum. sexto capitur ens rationis pro relatione causata per actum comparatiuum potentię vitalis comparantis vnum obiectum cognitum ad aliud, & talis relatio est duplex vna quæ causatur per comparationē intellectus, quæ proprie dicitur relatio rationis, altera quæ causatur per actum collatiuum voluntatis; nam voluntas est potentia collatiua & comparatiua ita bene sicut intellectus, sed hæc relatio quamuis non sit realis, non est tamen rationis sumendo relationem rationis proprie, & in rigore, nempe pro relatione causata ab intellectu.

Ens rationis capitur multis modis.

Vnde consideranda sunt quinque signa. In primo signo est voluntas, in secundo est actus voluntatis, in tertio ab illo actu voluntatis producitur lapis in esse volito; in quarto, in ipso lapide volito oritur vna relatio rationis, quæ terminatur ad actum voluntatis diuinæ, & hoc adhuc nulla existente, vel præcedente comparatione, in quinto signo voluntas comparat lapidem volitum ad se ipsam volentem, vel ad aliud obiectum, & sic causatur vna relatio rationis mediante comparatione ipsius voluntatis, & illa relatio magis debet dici rationis, quam præcedens. obserua tamen quod nec intellectus diuinus nec voluntas diuina possunt de nouo, seu ex tempore causare aliquam relationem rationis, sed ab æterno causatum omnes, quas poterunt causare, & de nouo nullam possunt causare. Ex his respondetur modo ad rationes.

Ad fundamentum Briansonis patet ex his quæ diximus supra dist. 14. q. 1. art. 1. 2. 3. 4. & 5. vide ibi. Ad primum argumentum principale Doctoris. Respondet Doctor, & primo dicit quod peccatum non est formaliter priuatio gratiæ, licet ad peccatum sequatur carentia gratiæ: quia peccatum & gratia de lege sunt incompossibilia, atque adeo inductio gratiæ, & cuiuslibet virtutis nō est formaliter expulsio culpæ. Si āt ex illa auctoritate. D. Aug. velis ꝓbare īfusionē gratiæ, & expulsionē peccati esse duas mutationes, per hoc

quod

quod peccare, & gratiam corrũpi, sunt duæ mutationes, peccare. n. fit cũ mutatione, nẽpe de non esse illius actus, qui dr̃ peccatum, quæ est vera res realis, ad esse illius actus, corruptio ẽt gratiæ fit cũ mutatione reali, quia fit de esse gratiæ ad non esse gratiæ, ergo a simili in proposito, dico quod consequentia non valet: quia illa culpa ad quam est motus peccãdi non manet vsque ad infusionem gratiæ, nec etiam tunc posset esse terminus a quo propriæ mutationis, sed illa culpa transeunte manet sola obligatio in isto, vt est obiectum secũdarium voluntatis diuinæ, & illa in iustificatione non põt esse terminus a quo alicuius mutationis propriæ. Vnde argumentum si aliquid concludit, est, quod peccati remissio & gratiæ infusio, vel restitutio virtutis non sunt idem, seu vna, & eadem mutatio, sed non cõcludit, quod sint duæ mutationes reales & forte quod sint simpliciter duæ mutationes.

Secundum dico ꝙ nõ est simile de corruptione habitus vitiosi, & generatione virtutis, & de remissione culpæ, & infusione gratiæ: q̃a ibi sunt quatuor termini, quorũ duo sũt reales & positiui, & alij priuatiui, vel negatiui, hic aũt nõ est sic, & ideo sunt ibi duæ mutationes reales, hic autem nõ. Et per idẽ patet ad tertiũ, de generatione, & corruptione naturali.

Ad quartũ de mutatione ad formã, & dispositionẽ: dico ꝙ sunt duæ mutationes, q̃n dispositio dicit aliquid reale positiuum aliud a forma de nouo inductum, sicut est alteratio, q̃ est dispositio ad generationem. hic aũt nihil reale positiuum inducitur per remissionem, vt dictũ est: similiter nec remissio est dispositio ad mutationem, quæ est infusio gratiæ, quia ista remissio priuatiua, quæ est carentia obligationis ad pœnam, non est aliqua dispositio realis ad amicitiã, seu gratiã, atq; adeo ipsa remissio ĩ se formaliter accepta, & quasi terminata ad hanc carentiã obligationis non est aliqua mutatio realis, quia nullum terminũ realẽ positiuũ habet. Nã terminus a quo est obligatio ad pęnã, quę est relatio rõnis, & terminus ad quẽ est carentia obligationis. Si ergo accipias ꝙ remissio mutatio est dispositio ad illã mutationẽ, quæ est infusio gratiæ; nego quia remissio non est aliqua mutatio neq; actiua, neque passiua, nec rei rõnis. vult dicere Doct. quod remissio non est dispositio nisi valde improprie, non. n. ponit circa remissum nisi ens rationis, nec est dispositio ad gratiam ex natura rei, sed tantum ex institutione diuina.

ARTICVLVS III.

Vtrum expulsio culpæ sit aliqua mutatio.

HAec quæstio mouetur propter secũdam opinionẽ in superiori art. relatam, quæ est multorũ Scotistarum, & vr̃ esse Scoti in hac quæstione in qua negare videtur expulsionem culpæ esse mutationem. Pro explicatione huius quæstionis obs. est, quod mutatio est duplex, s. realis & rationis, mutatio realis est illa cuius alterum extremum. s. a quo vel ad quem est ens reale positiuum, mutatio vero rationis est, cuius alterum extremum est ens rationis.

Mutatio est duplex.

Secundo obs. est quod remissio peccati est duplex, vna actiua quæ est ex parte Dei, & altera passiua seu obiectiua, quæ est ex parte peccatoris. his obseruatis, sit prima conclusio.

Remissio peccati est duplex.

Remissio culpæ secundum se non est mutatio realis licet ipsam concomitetur de facto aliqua mutatio realis, s. infusio gratię, secundũ ordinationẽ diuinam, quę nunc est, & quã tenemus ex scriptura; nonquã. n. Deus remittit culpã mortalẽ sine infusione gratiæ. hæc cõcl. est Scoti in hac quæst. sub lit. C. q̃ sic probatur. oĩs vera mutatio realis hẽt aliquẽ terminũ a quo, vel ad quẽ positiuũ realem, vt dr̃. 5. Phys. sed remissio culpæ per se nullũ terminũ habet positiuũ realẽ, ergo &c. probatur minor, quia terminus a quo est culpa, quæ non est aliquid positiuum, & terminus ad quem est non esse culpę, vel non imputari culpæ, quod nihil dicit positiuum.

Remissio culpa non est mutatio realis.

Secundo probatur. Cuiuscunq; mutationis vere realis terminus a quo incipiat, præexistit in subiecto illi mutationi, & durat vsq. ad talem mutationẽ, sed terminus a quo remissionis puta peccatum nõ durat in subiecto vsq. ad talem remissionẽ, ita quod non inuenitur in ipsa remissione. Nam peccatum cessante actu interiori, & exteriori cessat & desinit esse, nec durat vsque ad remissionem, vt patet, ergo, &c.

Tertio probatur si remissio esset vera mutatio realis, aut esset mutatio deperditiua, aut acquisitiua, aut vtrunq. non primo modo, quia nõ inuenitur aliquod positiuum, quod perdatur per eam, nec secundo modo: quia nihil positiuum acquiritur per eam, nec consequenter tertio modo, ergo, &c.

Secunda concl. Remissio actiua peccati, quæ est ex parte Dei, non est mutatio realis, hæc conclusio est Scoti in hac. q. sub lit. I. & O. & probatur: Tum quia in Deo non cadit mutatio realis; tum quia in Deo nõ est successio negationis actus volendi punire ad actum ipsum, vel econuerso, sed est actus vnicus simplex, & æternus, quo in æternitate vult istum esse puniendum. i. esse dignum pęna æterna pro instanti vel tempore, quo est, vel erit in peccato mortali, & puniendum in re, & in effectu, si tunc iudicetur, & in peccato moriatur, & est hoc velle de puniendo non absolutum sed conditionatũ vt patet, nimirum si tunc iudicetur peccator, vel moriatur. Et eodem actu simplici vult non punire, vel non esse dignum pęna pro alio instanti vel tempore pro quo peccatum sibi remittitur, vel quamdiu est remissum. atq; ita ipsa remissio ex parte Dei nulla est mutatio, sed ista remissio actiua est velle diuinum æternum non succedens alicui negationi, vel priuationi, nec secundum rem, nec secundum rationem, sed in æternitatem idem manens, contingenter & difformiter trãsiens super obiecta secũdaria, & extrinseca pro diuersis nũc, seu instantibus, vel temporibus ex parte illius, cuius fit remissio; pro quorum vno vult peccatorem esse dignum pęna s. pro tempore, vel instanti peccati, & secundum hoc talis actus dicitur imputatio, & pro alio vult ipsum non esse dignum. s. pro instanti vel tempore, quo deletur peccatum, vel deletum est, & pro tali instanti deletionis dicitur talis actus remissio actiua ex parte Dei.

Remissio actiua peccati nõ est mutatio realis.

Tertia conclusio remissio passiua vel obiectiua ex parte peccatoris non est mutatio realis, nec rationis: hæc conclusio est Scoti vbi supra. probatur conclusio, & primo quod nõ sit mutatio realis probatum est in prima conclusione: quod autem non sit mutatio rationis sic declaratur. Vbi actus in quo obiectum habet esse rationis nimium cognitum, vel volitum: potest esse terminus mutationis realis, ibi obiectum mutatur, vel mutari potest secundum rationem ab esse in non esse, sicut in nobis, lapis. n. interdum non est intellectus a me, nec habeo intellectionem eius, sed quando fit in me mutatio realis ad intellectione, hoc est quando fio de nõ intelligens lapidem, lapidem intelligens, tunc obiectũ quod est lapis mutatur secundum rationem a non esse intellecto ad esse intellectum: quia in me est noua intellectio lapidis, sed vbi actus nullo modo est terminus mutationis realis, vt in Deo, ibi obiectum vt in actu, & in esse obiectiuo non potest mutari, nec mutatur etiam mutatione rationis, atque ita nulla videtur concedenda mutatio in Petro nec rei, nec rationis, quando dicitur culpa sibi remitti per actum diuinæ voluntatis, & ex hoc præcise.

Remissio culpa passiua non est mutatio realis, nec rationis

Et si dicatur quod non videtur hoc possibile: quia non potest se habere Petrus aliter ad voluntatem diuinam vt puniuam, vel non puniuam, nisi quia aliter se habet secundum aliquid aliud, & in se ipso mutatur puta de non accepto in acceptum, vel econuerso; quia obiectum non variatũ in se secundum aliquid prius ipso actu, non aliter obijcitur voluntati diuinæ. Dico quod hoc est falsum; quia sicut volũtas nostra cum sui mutatione potest alio, & alio modo actualiter se habere ad obiectum non mutatum omnino, sed vniformiter se habens ante actum & si ipsa haberet vnum actũ illimitatum contingenter transeuntem tamen immutabiliter super obiecta secundaria, seu conditiones obiecti diuersas, posset sine omni mutatione sui aliter se habere ad obiectum vniformiter manens ante actum, & omnino non mutatum. Ita voluntas diuina in proposito se habet ad obiectũ, vel potius obiectum ad ipsam, quod ipsum omnino non mutatum ante actum difformiter se habet ad actum pro isto nunc vel tempore, & pro illo, dato quod omnino mutatio nec rei, nec rationis in obiecto vt obiectum est in æternitate siue in actu, vel in Deo; nam & obiectum est obiectum vniformiter se habens in tota æternitate pro tali nunc ad volitionem diuinam, & similiter diuina volitio vniformiter se habet ad obiectũ in tota æternitate pro tali nunc, & similiter de quocunque alio volito, & volitione pro illo instanti vel tempore quo volitum est: itaque non est aliqua mutatio, vel innouatio neque in actu voluntatis diuinæ, neque in subiecto secundum esse obiectiuum quod habet in æternitate, licet in esse reali extra animam multæ contingant variationes circa ipsum.

Sed contra hanc conclusionẽ arguitur, & primo sic Cuius inceptio vel inductio est mutatio, eius desitio vel expulsio est mutatio, patet quia sicut forma per generationẽ inducitur quæ est vera mutatio, ita etiam expellitur de materia

per corruptionem, quæ est vera mutatio, sed inductio peccati vel perpetratio est mutatio, vt patet saltē de peccato commissionis, ergo eius desitio, vel expulsio est mutatio.

Præterea secundo, transitus a contradictorio in contradictorium est mutatio, sed per remissionem peccati transit homo peccator a contradictorio in contradictoriū, ergo remissio peccati est aliqua mutatio, maior patet; quia ab affirmatione in negationem non est transitus sine mutatione, sed transitus a contradictorio in contradictorium est transitus ab affirmatione in negationē, ergo &c. minor probatur; quia peccator transit a dignitate, & obligatione inimicitiæ Dei in nō dignum, & non obligatum, & ab inimico Dei in non inimicum, nam ante remissionem erat peccator, & dignus pœna æterna, & post remissionem non est peccator, nec dignus pœna æterna.

Et confirmatur quia voluntas diuina non se habet aliter, quam prius ad aliquē sine quacunq; mutatione, patet quia si nulla ponatur mutatio, non videtur quomodo aliter se habeat quam prius, nec apparet ratio quare vna pars contradictionis, quæ prius non erat vera, modo vel postea sit vera plusquam prius, sed voluntas diuina se habet aliter quam prius ad ipsum, cui peccatum est remissum: quia prius volebat eum punire, post remissionem non vult eum punire, ergo est aliqua mutatio facta in peccatore: quia in Deo non potest fieri, vel esse mutatio, sed illa mutatio non videtur nisi peccati remissio, vel expulsio, ergo &c.

Et si dicatur quod non est mutatio realis sed rationis tantum in peccatore, secundum quam peccator fit de volito puniri a Deo, non volitus puniri. Contra omnis mutatio rationis reducitur ad aliquam mutationem realem, sicut omnis entitas rationis ad aliquam entitatem realem, ens. n. rationis non potest esse a se ipso, sed ab ente reali oportet quod sit, sed nō est in proposito dare aliquam mutationem realē, ad quam possit ista reduci, nec ex parte Dei, vt patet, nec ex parte peccatoris, ergo ista non est mutatio rationis sed realis, atque adeo videtur, quod remissio culpæ sit vere realis mutatio. Et confirmatur secundo quia ante remissionē culpæ intellectus diuinus scit Petrum esse puniendum, ergo illud scitum est verum, post remissionem autem scit illum nō esse puniendum, ergo illud est verum, atq; adeo est trāsitus, sed iste transitus, seu mutatio non est in intellectu diuino, nec actu eius, ergo erit in Petro, cui culpa remittitur, & per consequens remissio culpæ in Petro secundum propriam rationem eius, est aliqua mutatio.

Pro solutione istarum rationū adducit Scotus aliqua de differentia voluntatis creatæ & increatæ notanda illa certe; sed quia nonnulla continent difficultatē, explicabo ea per aliquas propositiones. Prima propositio de voluntate creata, voluntas creata licet non possit simul velle affirmationem & negationem eidem pro simul, tamen potest non simul velle illa eidem pro simul. s. per diuersos actus sibi inuicem succedentes, & potest simul velle illa eidem non pro simul. hæc propositio pōt bifariam intelligi priori modo, quod volūtas creata licet vno & eodem actu non potest velle contradictoria eidem pro alio vel eodem instanti, potest tamen velle eidem contradictoria pro simul, seu pro eodem diuersis actibus sibi inuicem succedentibus. hoc patet quia etsi non possum eadem volitione velle Petrum simul saluari, & damnari pro eodem nunc, possum tamen successiue velle nunc Petrum saluari, & deinde possum velle Petrū damnari, secundo modo intelligi potest ꝙ voluntas habeat simul plures actus, quibus potest simul velle contradictoria, i. affirmationem, & negationē. i. Petrum saluari vno velle, & altero Petrum non saluari, non quidem pro eodem instanti, vel pro simul, sed pro diuersis instantibus, vel temporibus.

Secunda propositio. Et hoc eidem nullo modo in se variato ante terminum volitionis, patet si simul consideret idem pro diuersis nunc & pro illis opposita sibi cōpetere. Et primo quidem modo planum est, quod non est necessarium aliquā mutationem realem poni in obiecto, nempe in Petro, sed Petrus nō mutatus oīno realiter pōt esse volitus sub affirmatione. i. voluntas pōt illū velle damnari, per vnum actū, & per alium actum succedentem in voluntate pōt esse volitus sub negatione. hoc est voluntas pōt illū velle nō damnari sub eodem instanti, vel tēpore sub quo prius erat volitum sub affirmatione, sed bene est realis mutatio in volūtate, in qua vnus actus realiter succedit alteri. In secundo aūt modo non oportet esse realē mutationem, nec in voluntate; quia in ea vnus actus non succedit alteri, sed ambo sunt simul ex hypothesi, nec in obiecto: quia voluntas nostra non est omnipotens causans in re illud, quod ipsa vult per suum velle, ita quod nō oportet sic fieri & esse, vel succedere realiter opposita in obiecto, sicut ipsa vult.

Tertia propositio. Sed nec necesse est illud, cui vult affirmationem & negationem pro diuersis nunc variari ex illa volitione, nisi sit causa sufficiens illorum oppositorum, & sic volitio absoluta non conditionata, si. n. non posset esse causa illorū, & sit volitio absoluta, vtpote non sint causabilia extra, quia sunt tantum entia rōnis &c. vult dicere, ꝙ voluntas nō pōt ponere realiter opposita in obiecto, esto quod velit volitione absoluta & efficaci quantūcunq; possit, nec ēt si velit volitione conditionata, similiter ēt dato, quod volibilia essēt causabilia a voluntate, si tñ non essent causabilia in re extra, sed tñ in esse rōnis, quia ambo vel alterum quod esset causabile esset ens rationis, vt respectus dominii, vel aliquid tale, vt volo huic dominium, quod non est causabile realiter in illo, vel si illud volitum isti est causabile, non tñ ab hac volūtate, vt volo illi beatitudinem, quæ est quoddam reale causabile tñ isto, sed non a voluntate mea, adhuc non oporteret in subiecto esse aliquam realem mutationem, secundum affirmationem, & negationē, taliū sibi inuicē succedētū in aliquo per volitiones efficaces & absolutas habitas de ipsis.

Quarta propositio, si ēt sit causabile realiter in isto & a voluntate mea imperante causabile illud, velim tamen sibi conditionaliter pro. a. & oppositum pro. b. cōditionaliter, nec oportet hoc oppositum pro. a. nec illud pro. b. inesse isti, nisi cōditionaliter pro vtroque, vel altero. hæc propositio intelligitur sic. Esto quod voluntas posset causare sua volita in obiecto, & hoc inesse reali per suas volitiones, si tamen volitiones nō essent efficaces, & absolutæ, sed conditionatę tantū, cōditione non stante non oporteret esse aliquam mutationē in eo cui essent volita opposita sibi inesse, sicut patet.

Ad propositum de voluntate diuina Doct. ponit tria notabilia, primū est, quod quæcūq. obiecta ordinate volibilia voluntas creata pōt velle alicui siue simul pro eodē nunc, siue successiue pro alio & alio nūc, & hoc siue vno actu, siue pluribus, volūtas diuina pōt eadem velle simul, & eodē actu eidem siue pro simul, siue pro nō simul, sicut & illa creata pro simul pōt velle, quia eodē actu illimitato, & æterno: quia limitationis, & imperfectionis est in actu arctari ad vnū obiectū secundarium, vel ad aliqua, sic quod nō possit extendi ad alia, atque adeo immutabiliter omnino ex parte sui se extendit ad omnia talia cuicunque volita, vel quomodocunque.

Secundum notabile est, ꝙ voluntas diuina potest velle affirmationem & negationem Petro pro diuersis instantibus nullo modo in se variato ante actū volitionis. hoc est dictū voluntas diuina sine omni mutatione reali ex parte illius, vsi vult affirmationem, & negationem pro diuersis instantib. vel temporibus, si volita illa non fuerint causabilia in re extra, sed sicut entia rationis tātum. dato quod velit illa sic succedere, vel inesse volitione efficaci, & absoluta, sicut vel Cæsarē esse dominum pro. a. instanti, & non esse dominum pro. b. instanti, non est mutatio aliqua realis ex hoc in Cæsare, cui vult ista absolute inesse pro diuersis instātibus: quia nullū eorū est aliquod ens reale positiuū; quia nec dominiū, nec negatio dominij, cū dominiū dicat respectū rōnis. Et esto quod affirmatio illa volita alicui, & sua negatio essent extra intellectum; & per consequens essent simpliciter causabiles a diuina voluntate (quia sunt entia realia) quę est oīpotens, adhuc non oportet esse in illo, cui essent ista volita pro diuersis instantibus aliquam realem mutationem, si volitio non esset efficax & absoluta, sed conditionata: quia voluntas, vel volitio cōditionata nō ponit effectū in re, nisi cōditione stāte, quā quidem conditio posset nō stare. Ex his ergo sequitur, quod voluntas diuina, potest velle isti. s. Petro affirmationem, quę dicatur obligari ad pęnam pro instanti. a. & eidem Petro potest velle negationem, quæ dicatur, non obligari ad pęnam pro instanti. b. absque omni mutatione in voluntate diuina, vel in actu suo, vel in obiecto, vt obiectum est, vel in aliquo extra: quia & volitio & obiectum vt voluntati obijcitur hēt esse in æternitate, neq. posset obiectū variari, & obijcitur actui sine variatione actus, & hoc maxime si inter illa opposita non sit nata esse mutatio, puta quia affirmatio non est nisi tantum affirmatio rationis, & per consequens negatio est tantum negatio entis rationis. Vel si voluntas non velit illa nisi tantum conditionaliter, vel ambo, vel alterum.

alterum. Sed quia nullum ens rationis est nouum nisi per nouum actum intellectus, vel voluntatis, ista conditio, scilicet de ente rationis non saluat transitum a contradictorio in contradictorium sine mutatione; licet non inter illa, quæ sunt rationis, tamen inter actum, & non actum est mutatio. Propter ergo omnipotentiam voluntatis diuinæ, nullo modo potest velle Petro obligari ad pœnam pro instanti. a. & non obligari ad pœnam pro instanti. b. sine mutatione aliqua in Petro, & hoc si velit illa volitione efficaci, & absoluta; sed si velit an. b. vel alterum conditionaliter, & conditio non existat, nec tunc requiritur mutatio, v. g. Deus vult ab æterno Petrum obligari ad pœnam pro. a. si Petrus peccat, ideo obligatur ad pęnam æternam si peccat. Item Deus vult Petrum non obligari ad pęnam æternam pro. b. si pęniteat, ergo si penitet non obligatur. & hoc est sine aliqua mutatione in Petro, si conditio non existat. Voluntas autẽ creata, quia non est omnipotens, potest absolute velle eidẽ non variato affirmationem pro. a. & negationem pro. b. sine aliqua mutatione præcedente vel sequente.

In proposito autem de imputatione, & remissione peccati, dico quod voluntas imputando peccatum pro instãti peccati, & pro toto tempore habito vsque ad instans remissionis, vel deletionis, vult peccatorem esse puniendum, id est, punibilem, vel dignum puniri, ita quod non accipitur puniendum prout est participium futuri temporis passiui, sed prout est nomen, id est, vult illum esse dignum puniri, & hoc voluntate absoluta, & etiam puniendum de facto, & in re non voluntate absoluta, sed conditionata videlicet si fiat in termino, & pro tunc iudicetur. Primum scilicet, esse dignum pęna, vel punibilitas ipsa non dicit aliquid reale causabile; sed tantum respectum rationis. Secundum autem scilicet punitio ipsa vel pęna licet sit aliquid causabile in re extra, & oppositum eius sit volitum isti pro instanti. b. id est, pro instanti remissionis, & pro toto tempore habito vsque ad instans noui peccati, non tamen est volitum volitione absoluta sed conditionata, puta si pro tũc fiat in termino vel iudicetur. Et ideo dico, quod nec volitio diuina de oppositis primis, nimirum de punibilitate, vel nõ punibilitate, vel de dignum puniri, & non dignum puniri circa eundem peccatorem pro diuersis instantibus, & temporibus, nec etiam volitio de oppositis secundis, scilicet de puniendo, & non puniendo, arguit in illo cui remittitur aliquãdo peccatum, vel sibi aliquando imputatur, vel e conuerso, aliquam mutationem realem. Vnde nec inter ista est transitus realis in effectu & in re, nec per consequens mutatio; sed velle affirmationis, & negationis stant simul in æternitate, licet pro diuersis instantibus, vel temporibus sine omni mutatione reali, sicut patet ex prædictis, imo etiam sine mutatione rationis.

Ex his respondetur ad argumenta, & ad primum dico, quod bene concludit cessationem actus culpabilis, vel suam desitionem essendi in esse reali extra esse mutationem, sed non concludit de remissione, quia non est talis desitio essendi, sicut patet.

Ad secundum dico, quod transitus alicuius subiecti a cõtradictorio in contradictorium reale est mutatio vera realis, accipiendo proprie transitum. sed tunc nego minorem, & dico quod in proposito non est talis transitus, neque ex parte voluntatis diuinæ: quia non est ibi successio actus ad negationem actus, vel e conuerso, quoniam quicquid est in Deo æternum est, si sit ibi ex natura rei, vel etiam per opus sui intellectus vel voluntatis, nec ex parte obiecti voliti, vel etiam illius, cuius remittitur peccatum: nam in tota æternitate obiectum vniformiter se habet pro isto nunc ad voluntatem diuinam, & pro alio etiam vniformiter, & per hoc patet ad primam confirmationem: nam quando dicitur quod in remissione peccati transit peccator ab esse peccatorem, ad non esse peccatorem, & ab esse punibile ad non esse punibile, dico quod hic nullus positiuus terminus realis ponitur, qui abijciatur, vel ponatur in peccatore per remissionẽ peccati, & ideo nulla est mutatio realis, sicut patet.

Ad secundam confirmationem dico, quod intellectus diuinus scit istum ante remissionem esse dignum pęna, & post remissionem non esse dignum, sed hoc non est aliud, quam scire illum esse ordinatum ad pęnam per actum voluntatis conditionatum pro illo instanti, pro quo sic est ordinatus, & non ordinatum pro illo instanti pro quo sic non est ordinatus.

Et si dicas, quod omnimoda simultas est incompossibilis, quia tũc simul vellet opposita, & pro simul necessario, ergo requiritur ibi vltra aliqua successio, atq; adeo aliqua mutatio. Vult dicere Doctor impossibile est incompossibilia esse simul, ergo impossibile est affirmationem istam, scilicet obligari ad pęnam æternam, & negationem istam, nempe non obligari ad pęnam æternam, esse simul in æternitate, ergo requiritur aliqua successio, & per consequens mutatio. Respõdet Doct. quod licet Deus ab æterno voluit affirmationem, & negationem pro alio, & alio nunc, nulla tamen propter istam affirmationem, & negationem est mutatio in Deo, vel in velle ipsius Dei, non enim est imaginãdum quod in Deo sit successio actus ad actum, id est, quod nunc habeat vnum velle, & postea aliud: quia velle Dei est ipse Deus, neque actus vt tendit super obiectum ad actum vt tendit super aliud obiectum, id est, non prius eodem actu tendit super vnum obiectum, & deinde super aliud obiectum, quia in æternitate tendit super vtrunq; nam per vnum & idem velle respicit simul omnia obiecta, sicut per vnam & eamdem notitiam, omnia simul cognoscit, sed nec successio vnius obiecti ad alterum in se extra: quia non requiritur ad illam Dei volitionem existentia rei extra, sicut nec temporale ad æternum. Ad hoc enim, quod Deus velit obiecta secundaria non oportet, quod res sint, sicut ad hoc quod obiecta secundaria intelligat, non oportet quod sint, quia ab æterno Deus cognoscit, & vult omnia, sed requiritur ibi aliqua successio eorum, quæ sunt obiecta in esse obiectiuo, nec hoc est idem sic habere ordine, & habere ordinem in obiecti, quia prius vt prius, & posterius vt posterius possunt simul intelligi, ita quod in obiecti ipsi intellectui non habent ordinem, & tamẽ ordo est ipsorum, vt sunt obiecta, scilicet in esse eorum obiectiuo, nec ex isto ordine obiectorum in esse obiectiuo, sequitur aliqua mutatio, quia oppositũ non succedit opposito, neque in cognosci, neq; in esse. Vult dicere Doctor quod quãuis in Deo nulla penitus sit successio, vt dictum est, tamen in rebus, quæ per vnum & eundem actum voluntatis diuinæ ab æterno sunt volitæ potest esse successio, quia sunt volita pro alio & alio nunc, & si dicas omnia quo ad obiecti diuinæ voluntati sunt simul, & ordinem non habent, ergo inter ea quæ sunt obiecta nullus est ordo, nullaque successio. Dico quod omnia entia quæ sunt, fuerunt, vel erunt sunt simul quoad obiecti intellectui, & voluntati diuinæ, quia eadem cognitione sunt cognita, & eadem volitione sunt uolita simul, quia ab æterno, cum hoc tamen stat, quod vnum quo ad suum esse succedat alteri: quia non sunt volita pro uno, & eodem nunc, hoc patet exemplo. Non ne prius, & posterius succedunt sibi inuicem, & tamẽ possunt esse simul quo ad intelligi, ita quod quoad obiici ipsi intellectui non habẽt ordinem, correlatiua enim sunt simul natura, id est, simul intelliguntur, ergo sunt simul quo ad obiici, & tamen non sunt simul quo ad esse eorum. Licet ergo nulla sit mutatio in velle diuino, nec successio in actu Dei, tamen in rebus sic cognitis & uolitis a Deo potest esse succęssio: quia licet sint simul cognita, & volita, non tamen pro eodem, sed pro alio & alio nunc.

Et si arguas contra hoc, quod semper stat difficultas rationis, quia primo, id est, ante remissionem est una pars contradictionis vera. s. iste est ordinatus ad pęnã, & secundo, id est, post remissionem peccati non est amplius vera sed altera. s. iste non est ordinatus ad pęnam, atque ita est transitus a cõtradictorio in contradictorium, sed nõ est transitus sine mutatione, ergo &c.

Respondetur (& est etiam responsio ad primam confirmationem) quod uoluntas diuina non se habet aliter ad istũ pro diuersis instantibus, quibus vult istum obligari ad pœnam, uel non obligari ad pęnam sic, quod aliquo modo mutetur, quia in æternitate illa est uera. Petrus est dignus æterna pęna pro instanti. a. & similiter ista, Petrus non est dignus æterna pęna pro instanti. b. quod est instans remissionis, & ista non sunt contradictoria simul, nec succedentia sibi inuicem in esse obiectiuo uolitionis, licet in esse reali succedant, & instantia pro quibus affirmatio, & negatio denotãtur in esse apprehendantur, ut succedentia sibi inuicem realiter, uel possibiliter saltem, & si dicas Petrus est puniendus pro uno instanti, & pro alio non, igitur mutatio realis, dico quod non oportet, quia esse puniendum uel non puniendũ, non sunt entia nisi rationis, dicunt enim habitudinem rationis, uel negationem eius ad pęnam futuram.

Secundo respondetur, quod ista nō sunt volita Petro pro diuersis instantibus volitione absoluta, sed conditionata. Nā nihil aliud est. Petrus est nunc ordinatus ad pęnam: nisi Petrus est volitus ad pęnam pro. a. si tunc iudicetur. & Petrus postea non est ordinatus ad pęnam, id est, Petrus non est volitus ad pęnam pro. b. si tunc iudicetur. & hæc non sunt contradictoria: quia diuersitas instantiam, vel temporum causa est, quare vna pars vera est pro uno nunc vel tempore, & alia non, sed pro alio tempore vel instanti, licet vtraque immutabiliter sit vera, & in æternitate. Quod autem vtraque volitio ista pertinens ad retentionem, & remissionem culpę non sit nisi conditionata patet, quia si vellet absolute peccatorem statim cum peccat punire, statim puniret.

Sed contra totum istum processum de diuersis nunc, pro quibus est offensa, & remissio arguitur: quia Deus Angelo peccanti, in eo existenti absque omni tempore potest remittere offensam, & tunc non esset dare talia diuersa nunc, pro quibus esset culpa, & remissio, maxime si ponatur æuum indiuisibile. Et si dicatur, quod aliud esset æuum peccati, vel culpæ, & aliud remissionis, licet esset idem æuum angeli, cui remitteretur peccatū, & ideo in alio æuo esset culpa & pro illo angelus esset dignus eterna pęna, & in alio esset remissio & pro illo æuo non esset dignus æterna pęna. Contra quia alterum istorum duorum, vel culpa vel remissio est tantum priuatio, & ita non habet proprium æuum, comparando etiam ad æuum angeli manentis primo sub culpa, postea sub remissione, & illo æuo eodem & pro illo instanti essent illa duo opposita. Responsio istius quæratur in 2. d. 2. q. de successione æui. pro nunc potest dici cum Bassolo, quod æuum licet sit simplex & indiuisibile formaliter non habēs partes, tamen virtualiter potest existere tempori, & partibus eius diuersis, vel diuersis instantibus, & ita possunt ista sic fieri in æuo, vt tale est, sicut & in tempore suo modo, vel diuersis instantibus temporis.

Ex Scoto.

Aliter dici potest, quod æuum Angeli est esse Angeli. atq; adeo æuum est terminus connotatiuus supponēs pro ipso angelo, vel pro esse angeli connotando ipsum angelum coassistere alteri, & alteri tempori vero, vel imaginario, & per cōsequens potest angelus obligari ad pęnam æternam, & non obligari ad pęnam æternam in eodem æuo, sed pro altera, & altera parte temporis, id est, pro quanto æuum assistit, alteri, & alteri parti temporis.

Ad quartum argumentum, dico quod non est ibi mutatio rationis, & consequenter non oportet eam reduci ad mutationem realem.

Cæterum quia hæc quæstio potest pro vtraque parte defendi. Nam Doctor in primo. d. 39. tenet quod sit mutatio de esse obligationis ad non esse obligationis, mutatio quidē non realis: quia nullum extremum est ens reale & positiuū sed rationis dumtaxat, & hoc idem docuit supra in hoc. 4. d. 1. q. 6. sub lit. F. Et in hac quæstione tenet, quod non est mutatio neque realis neque rationis. Nam in responsione ad primum argumentum post oppositum, dicit quod sicut reatus vel planius obligatio ad pęnā, quæ sola manet post transitum actus interioris & exterioris in peccatore, est ens rationis, & sic est ens positiuum, & per consequens non reatus, vel non obligatio, vel non debitum est priuatio entis rationis, atque ita si esset alicubi transitus rationis ab obligatione ad non obligationem, illa esset mutatio rationis priuatiua, vel deperditiua, sed illa nusquam est nec in actu voluntatis diuinæ, nec in obiecto vt obiectum est; nec in obiecto, vt extra. Ideo assignabo fundamenta quibus vtraque pars defendi potest.

Fundamentum primæ opinionis, scilicet quod remissio culpæ sit mutatio rationis est, quod in remissione culpæ non potest negari transitus ab affirmatione in negationem: nam ante remissionem culpæ homo est Dei inimicus, & post illā non: ergo per remissionem culpæ transit ab affirmatione in negationem.

Quid sit esse Dei inimicum.

Et si dicatur homo iste ab æterno, & vsque in æternū est ordinatus ad pęnas æternas si moriatur tunc, quādo est Dei inimicus, quia est in peccato mortali, esse autem Dei inimicum nihil aliud est, quam hæc ordinatio passiua. ergo ab æterno & vsque in æternum est Dei inimicus. Respondetur, & est valde notabile, quod esse Dei inimicum eo modo, quo loquuntur Doctores scholastici, non solum dicit ordinationem passiuam ad pęnas, vel esse obiectū ordinationis actiuę diuinæ. nam si hoc solum diceret antequam homo nasceretur esset Dei inimicus, quia antequam nasceretur, verum est dicere, quod est ordinatus ad pęnas æternas, si moriatur in peccato mortali, imo hæc eadem ordinatio manet, quando Petrus est beatus: quia cum talis ordinatio in Deo sit æterna si Deus semel habet talem ordinationem in æternum habet, certum est autem, quod habuit talem ordinationem, quando Petrus erat in peccato mortali, quia ordinabat illum ad pęnas æternas, si tunc moreretur, hæc igitur ordinatio diuina manet cum beatitudine Petri: quia tunc Deus ordinat Petrum ad pęnas æternas si moriatur in peccato mortali. Vltra hoc ergo, esse Dei inimicum requirit, vt Petrus sit in eodem tempore in quo, & pro quo est ordinatus ad æternas penas, in eo videlicet, in quo si moreretur damnaretur. Transire ergo ad id tempus, in quo si moreretur saluaretur, transitus est ab affirmatione in negationem inimicitiæ Dei, & a negatione in affirmationem amicitiæ Dei. Respondetur ergo cum Scoto quod remissio culpæ est mutatio rationis, qua homo transit ab affirmatione in negationem inimicitiæ Dei, & ad argumentum, quo dicebatur, mutatio rationis præsupponit mutationem realem &c. Respondetur, quod ad hoc quod homo transeat ex inimico in non inimicum requiritur realis mutatio temporis, & ex consequenti realis successio temporis, & realis successio motus primi mobilis: sufficit enim qđ homo transeat ex eo tempore, in quo si moreretur damnaretur, in id tempus, in quo si moreretur non damnaretur, & sic mutatur concomitanter mutatione rationis a digno in nō dignum inimicitiæ Dei: quia transit ab eo tempore, in quo erat dignus ad tempus in quo dignus nō est inimicitiæ Dei, quæ successio temporis realis mutatio est.

Ex his sequitur, quod remitti peccatum & infundi gratiam sunt duæ mutationes, quia remissio peccati habet duos terminos, vt patet, & infusio gratię alios duos: remissio enim peccati est mutatio a digno in non dignum inimicitiæ Dei, & est mutatio rationis, quia terminus a quo est ens rationis, & est mutatio priuatiua seu deperditiua. Infusio autem gratiæ est a non grato in gratum per realem qualitatem, quæ est gratia, & est mutatio realis, quia terminus ad quem est ens reale. Et si dicatur, quod terminus a quo remissionis culpæ est ipsa culpa, quæ non est aliquid positiuum, ergo &c. Concedo quod culpa non est aliquid positiuum, nec illa manet, sed obligatio sequens commissionem culpæ est aliquid positiuum, & illa manet, & est terminus a quo talis mutationis.

Remissio peccati, & infusio gratiæ sūt duæ mutationes.

Fundamentum pro secunda sententia est, quod vbi actus a quo obiectum habet esse rationis, potest esse terminus mutationis realis, ibi potest obiectum mutari mutatione rationis, sicut lapis potest fieri de non intellecto intellectus a me, quia intellectio eius in me potest esse noua, sed vbi actus nullo modo est terminus mutationis realis, ibi obiectum vt in actu non potest mutari mutatione rationis; huiusmodi est velle diuinum, non enim velle diuinum potest esse terminus realis mutationis, cū vnicum sit & æternum, atq; adeo Petrus vt est obiectum istius actus: quia ut extra habens esse nouum, non habet nouiter rationem obiecti, sed vniformiter in æternitate, & ideo nulla concedenda est mutatio in Petro nec rei, nec rationis.

Mutatio in obiecto quādo cōtingat.

Et si dicatur voluntas diuina respectu Petri non potest se habere sic, quod Petrus sit dignus inimicitiæ Dei, & non dignus inimicitiæ Dei, nisi per aliquam mutationem in ipso Petro, puta quod pęniteat, & detestetur peccatū, & sic Deus vult illum punire respectu primi, & non punire respectu secundi. ergo est in Petro aliqua mutatio. Dico quod verum est, quod in Petro est mutatio de non velle ad velle, & de nō pęnitere ad penitere, sed respectu illorum, quæ præcise illi conueniunt respectu voluntatis diuinæ, & a voluntate diuina non est mutatio, modo hæc obligatio conuenit Petro solū a voluntate diuina. Vnde tenendo hunc modū dicendi oportet respondere ad argumenta superioris art. quibus probatur quod expulsio culpæ, & infusio gratiæ sunt duæ mutationes quæ responsio habetur in hac quæst. Doct. sub lit. O. §. & per eadem posset. pro cuius intelligentia obserua, quod ex eo quod remissiones peccatorum sunt plures, quia solum sunt entia, seu mutationes rationis, & infusio gratiæ est vna, non sequitur, quod remissiones sint aliæ mutationes realiter ab infusione gratiæ, bene tamen sequitur quod non sunt eædē illi, quia vniuersaliter plurificatum in sua entitate etiam rationis non est idem non plurificato, non sunt tamen remissiones mutationes realiter distinctæ ab infusione gratiæ:

Mutatio rationis nō est alia a mutatione reali.

quia

quia non sunt entia realia, vt enim plurificatum realiter distinguatur a non plurificato necessarium est, quod vtrumq; sit ens reale. Videtur ergo Scotus negare remissionem peccati esse mutationem ex eo, quod de respectibus rationis nō potest verificari est secūdum adiacens. Cum ergo dicit, quod non est mutatio de esse obligationis ad non esse obligationis non vult simpliciter negare, quin sit mutatio de esse obligationis ad non esse obligationis, sed vult negare quod ista mutatio, sit mutatio infusionis gratiæ; quia mutatio, quæ est infusio gratiæ est realis, & hoc est quod intendebat in principio quæst. cum dicit, quod remissio culpæ, & infusio gratiæ non est vna mutatio. Lege Medinam C. de pęni. q. 2. ar. 3. & q. 7. art. 1. & 2.

ARTICVLVS IV.

Vtrum Prior sit expulsio culpæ, quam infusio gratia.

Arist. Prius alterum altero dicitur quadrupliciter

PRo titulo quæstionis obser. est primo ex Aristo. in postprædicamentis. ca. de priori, quod prius alterum altero dicitur quadrupliciter. Primo modo dicitur aliquid prius altero tempore, & hæc est potissima acceptio prioris, quia prius & posterius potissimum cernuntur in tempore, potest autem res aliqua dici prior tempore alia, vel in præterito vel in futuro, prius in præterito est id, quod magis distat ab hoc momento temporis, vt prius fuisse Noe, quam Abraham, prius autem tempore in futuro, est quod magis accedit ad hoc momentum temporis, quomodo nobis existentibus in mense Ianuarij prius tempore est mensis Februarij, quam mensis Aprilis.

Prius tempore alterū altero dicitur bifariā.

Secundo modo vocatur prius illud, a quo non conuertitur essendi consequentia: quomodo animal est prius homine, & vnitas quaternario: nam licet valeat consequentia, homo est, ergo animal est, tamen non valet animal est, ergo homo est, Item licet valeat quaternarius est, ergo vnitas est, tamen non valet vnitas est, ergo quaternarius est.

Prius ordine.

Tertio modo aliquid dicitur prius alio ordine, intellige ordine generationis, vel doctrinæ vel dicendi. v.g in naturalibus materia prius disponitur, quam forma introducatur, & ordine doctrinæ prior est liber prędicabilium, quam prædicamentorum. & in mathematicis prius traduntur elemēta, vt quid sit punctus, quid linea, quid superficies, & postea discriptiones figurarum, vt quod Triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis, & etiam prius ordine dicendi dicitur proœmium, quā narratio, & sic in numeris prior est inferior, quam superior; potest etiam intelligi in hoc modo prioritas illud, quod loco est prius, quomodo ille, qui est propinquior mihi dicitur ordine prior illo, qui est remotior.

Prius dignitate.

Quarto modo aliquid dicitur prius præstantia & dignitate: quomodo Sol est prior Luna ex hominum existimatione, & Rex est prior Prætoribus, videtur tamen hic modus prioritatis non ita proprius, aut quia pendet ex hominum arbitrio: aut quia sæpe non est vsurpatum, vt dignitota priora dicantur, ideo inquit Arist. hanc acceptionem esse improprium seu non tantopere facientem ad institutum.

Prius natura.

Secundo obseruandum, quod præter hos quatuor modos prioris, qui dicti sunt, ponit Arist. vbi supra quintum modū prioris & est, quomodo aliquid est prius natura alio, quoniam est causa illius & connectitur cum suo posteriori, quo pacto homo dicitur prior natura risibilitate: quoniam, scilicet est causa illius: quamuis enim ab homine ad risibilitatē valeat consequentia, nam si homo est, risibile est, & si risibile est, homo est, nihilominus tamen homo est prior natura risibilitate: quoniam est eius causa, dicitur autem hæc prioritas a quo, velut quia. & non prioritas in quo. v. g. homo non dicitur natura prior risibilitate, eo quod habeat prioritatem in quo, id est, eo quod habeat in aliquo instanti esse, in quo non sit risibilitas, sed quoniam habet prioritatē a quo, id est, quoniam risibile pendet ab homine tanquam a causa; homo autem non pendet a risibilitate, quare hæc est vera, quia homo est, risibile est, & non ē contra.

Prioritas est quatruplex

Tertio obseruandum est ex eodem Philos. 5. Meth. ca. de priori, quod prioritas est quadruplex, scilicet generatione, perfectione, consequentia, & causalitate, & potest ex Scoto addi quinta, quam in hac quæst. appellat prioritatem intentionis, & executionis. Prius generatione est illud, qđ prius generatur, & est imperfectius suo posteriori, vt embrio respectu animalis, prius perfectione est illud, quod est perfectius, vt animal respectu embrionis. & vniuersaliter, quæ sūt priora generatione, sunt posteriora perfectione, hoc est sunt imperfectiora, & quę sunt priora perfectione, sunt posteriora generatione, hoc est, posterius generantur. Prius consequentia est, quod infertur ab alio, & non infert illud, veluti animal respectu hominis, sequitur enim est homo, ergo animal, nō tamen è contra, & in hac prioritate id, quod est imperfectius, est prius, & vniuersaliter consequens, est imperfectius quam antecedens. Prius causalitate est ordo duorum effectuum respectu eiusdem agentis, veluti productio specierum præsupponitur ad productionem notitiæ, & vterque effectus causatur ab obiecto, vel calefacere, & ignire: nā ignire præsupponit calefacere, & ambo sunt ab eodem agente nimirum ab igne. Prius intentione est, quod prius intenditur ab agente, veluti generatio substantiæ ignis est prior intentione, quam corruptio formæ præexistentis: quia omne agens naturale prius intendit generare formam sibi similē, quam corrumpere præexistentem, hic ergo non est quęstio de prioritate temporis, quia certum quod in eodem instanti temporis est remissio culpæ, & infusio gratiæ, potest ergo esse quæstio de prioritate generationis, perfectionis, consequentiæ, causalitatis, & intentionis.

D. Thomas.

Vnde circa hanc quæ. est triplex opinio. Prima est D. Th. 1. 2. q. 113. art. 6. & 8. vbi dicit, quod in iustificatione impij hæc quatuor concurrunt, infusio gratiæ, dilectio Dei, detestatio peccati, & tandē peccati remissio. & inter hæc quatuor vnum est prius altero ordine naturę, etsi tempore sint simul.

Primum autem ordine naturæ est infusio gratiæ, deinde dilectio Dei, quæ est causa detestationis peccati, tertium detestatio peccati, quartum remissio peccatorum, comparando itaque infusionem gratię ad remissionem peccati, prior est secundum D. Thomam infusio gratiæ, quam remissio peccati, quia in omni mutatione, prius est actio agentis, quam materiæ dispositio. v.g. prius est ignem calefacere lignum, quam quod lignum sit dispositum ad combustionem, sed infundere gratiam actio Dei ad extra, culpam autem remittiti est subiectum disponi ad gratiam, ergo præsupponitur gratiæ infusio, quæ est actio Dei ad subiecti dispositionem, scilicet remissionem culpæ.

Richard Gratia duplicem habet effectū.

Secunda opinio est Richardi in 4. d. 17. ar. 4. q 4. dicentis, quod gratia duplicem sortitur effectum, scilicet remissionē culpæ, & reconciliationem Deo: nam infusio gratiæ gratum facientis est remissio peccati, per quod anima displicebat Deo, & est quædam perfectio animæ, per quam Deo placet, & prius est per rationem intelligendi animam Deo nō displicere, atque adeo remissio culpæ, quam sibi placere, atque ita quam reconciliatio peccatoris, & infusio gratiæ, est ergo gratiæ infusio prior secundum rationem intelligendi, sub ratione qua est peccati remissio, quam sub ratione, qua per eam anima placet Deo illa placentia, qua eam reputat dignam vita æterna, Cæterum hæc sententia Richardi, supponit vnum falsum, scilicet, quod remissio culpæ sit realiter infusio gratiæ, quod supra art. 2. ostēsum est esse falsum, quia illa, quæ possunt separari, & vnum esse sine alio, seu remanere, non sunt idem realiter, sed infusio gratiæ, & expulsio culpæ sunt huiusmodi, ergo non sunt idem realiter, maior est nota, & minor probatur, quia potest infundi gratia sine remissione culpæ, vt si Deus crearet vnum hominem in puris naturalibus, qui non esset ex massa Adæ, talis non haberet gratiam, nec culpam. Item Deus Angelis, Adæ, & B. Virgini infudit gratiam, absque vlla culpæ expulsione ideo opinio hæc non stat in veritate.

Scotus. Remissio culpæ est prior generatione infusione gratiæ.

Tertia opinio est Scoti in hac quæst. sub litt. E. §. Breuiter dico, quæ continetur, & explicatur quatuor conclusionibus. Prima conclusio. Remissio culpæ licet via generationis sit prior infusione gratię, infusio tamen gratiæ est prior ordine perfectionis remissione culpæ. Prima pars conclusionis patet, quia remissio culpæ est imperfectior, quia est corruptio entis rationis puta obligationis ad pœnas æternas, infusio autem gratiæ est perfectior, quia est datio qualitatis realis. ergo via generationis remissio culpæ præcedit, via autē perfectionis infusio gratiæ; non quod infusio gratiæ sit ante remissionem peccati, nam præcedere via perfectionis non est esse prius, sed est esse perfectius, sed quia infusio gratiæ ratione termini ad quem est perfectior remissione culpæ. Præcedere autem via generationis est illud saltem natura esse prius, atque adeo prius natura est remissio peccati quam infusio gratiæ, licet infusio gratię sit perfectior.

Secunda

Remissio culpæ non est ... infusione ... gratiæ

Secunda conclusio inter remissionem peccati, & gratiæ infusionem non est prioritas consequentiæ loquendo proprie de prioritate consequentiæ: quia hæc consequentia non est formalis gratia infunditur, ergo remittitur culpa, siquidem datur euidens instantia in habentibus gratiam concreatam, vt B. Virgo, & Angeli, quibus est infusa gratia absque remissione culpæ. Et si dicas esse amicum per gratiam, & esse inimicum per culpam sunt opposita immediata: quia contradictio est esse amicum Deo, & non amicum, ergo ad infusionem gratiæ sequitur necessario remissio culpæ, Respondet Doct. quod esse amicum Dei per gratiam est ordinari ad vitam æternam, esse autem inimicum per culpam est ordinari ad pœnam condignam, hæc autem possunt simul stare licet non pro eodem nunc, atque adeo negatur antecedens: nam Petrus pro. a. est ordinatus ad vitam æternam, & pro. b. nõ est sic ordinatus, quia pro. a. est in gratia, & pro. b. est in peccato, & hæc competunt ambo simul Petro ab æterno, quamuis pro alio & alio nunc.

Dixi loquendo proprie de prioritate consequentiæ, quia loquendo late, cum imperfectius sit prius prioritate consequentiæ: quia vniuersaliter consequens est imperfectius quam antecedens; sic eo modo, quo potest esse consequentia inter ista, expulsio sequitur ad infusionem gratiæ, & non è conuerso: quia remissio peccati imperfectior est, quam infusio gratiæ, vnde bene sequitur est infusio gratiæ, ergo est remissio peccati, sed non econuerso, quia non sunt opposita immediata simpliciter ex natura extremorum velut sanum & ægrum circa animal, vnde bene sequitur est sanum, ergo non est ægrum, & e contra est ægrum, ergo non est sanum: necesse est enim animal esse sanum vel ægrum, sed hæc sunt incompossibilia solum ex ordinatione diuina, non sequitur autem inductio vnius ad amotionem alterius nisi in oppositis immediatis secundum se. Cæterum quomodocunq; sint opposita: magis videtur formalis consequentia ad in esse gratiam non inesse culpam, quam e conuerso, hoc est formalior est hæc consequentia, Petrus est in gratia, ergo non habet culpam, quam ista non habet culpam, ergo est in gratia, quia in secundo antecedens nullo modo ponit consequens. Proprie tamen loquendo non est hic prioritas cõsequentiæ.

Remissio culpæ non est causa infusionis gratiæ nec econuerso.

Tertia conclusio, inter remissionem culpæ, & infusionem gratiæ non est prioritas causalitatis; probatur quia nec remissio culpæ, quæ nihil est aliud quam negatio obligationis, atque ita negatio entis rationis, est causa gratiæ, nec infusio gratiæ est causa expulsionis peccati. id est, gratia non expellit effectiue peccatum, sed sola voluntas diuina ex sua iustitia determinat illam obligationem, sed ex misericordia non obligationẽ, ita quod sicut infusio gratiæ est a solo Deo principaliter, a sacerdote ministerialiter, & a Sacramento instrumentaliter, ita remissio culpæ est a solo Deo principaliter a Sacerdote ministerialiter, & a Sacramento instrumentaliter.

Infusio gratiæ est prior secundum intentionẽ remissione culpæ.

Quarta conclusio infusio gratiæ secundum Dei intentionem prior est remissione culpæ ordine tamen executionis Deus prius remittit culpam, quam infundat gratiam. probat Scotus: quia Deus prius vult quod propinquius est fini id est, gloriæ, & ideo prius vult Petro post peccatum gratiam, quam remissionem peccati, loquendo de prioritate intentionis, ordine tamen executionis, sicut Deus prius vult Petro merita, quam gloriam, ita prius vult ordine executionis Petro remissionem peccati, quam gratiæ infusionem. Et addit Doc. quod si per in esse, vel non in esse nihil ponitur extra in illo cui culpa remittitur, sed tantum vt est obiectũ voluntatis diuinæ, potest dici consequenter quod hæc obiecta secundum perfectionem habent ordinem quendam, vt in ea tendit diuina voluntas, & quia infusio gratiæ est perfectior, remissione culpæ ideo prius a voluntate diuina intẽditur, & via perfectionis est prior, sed secundum causalitatem, vel generationem nullum ordinem habent. Hactenus Scotus.

Posset etiam ad hanc difficultatem in hunc modum respõderi prænotando quod qualitas aliqua, quæ agit in aliquid habet comparationem triplicem, primo ad principiũ a quo exit. Secundo ad contrariam formam quam expellit. Tertio ad subiectum quod perficit. Et istæ cõparationes sunt ordinatæ. Nam primo comparatur ad principium a quo producitur. Secundo ad oppositum quod expellit. Tertio ad subiectum quod perficit & informat. Subiectum enim informatum aliqua qualitate, vel vitio deformatum, nõ potest intelligi formari aliqua bona qualitate, vel perfectione, nisi prius inferatur expulsio contrariæ formæ, & impossibile est, quod aliquid intelligatur expelli ab aliquo, quin prius intelligatur egredi ab illo principio, cui coniungitur, gratiæ autẽ infusio non dicit perfectionem subiecti nisi coniungatur cũ subiecto. Ideo si consideremus causam agentem ad expulsionem culpæ, certum est quod ordine naturæ prior est infusio gratiæ, quam expulsio culpæ, cum causa agens ordine naturæ sit prior, quam patiens, si autem consideretur gratia vt perficiens subiectum, cum vt sic requirat coniunctionem cum subiecto, & duæ formæ contrariæ non possunt esse in eodem subiecto, sic ordine naturæ expulsio culpæ est prior infusione gratiæ. Nec habeo pro inconuenienti, quod vnum sit prius alio, & econuerso in alio & alio genere causæ, quia in genere causæ efficientis prior est infusio gratiæ, in genere causæ materialis subiecti, seu causæ formalis perficientis subiectũ infusio gratiæ est posterior, & expulsio culpæ prior. tamen proprie loquendo de priori temporali successiuo, nõ est ibi prioritas, quia in eadem instanti fit infusio gratiæ, & expulsio culpæ: hæc est sent. D. Bona. d. 17. ar. 2. q. 1.

Distinctio. XVII.



Ic oritur quæstio multiplex &c. Superius Magister determinauit de partib. pænitentiæ, sed quia pænitentia vt est Sacramentum ecclesiæ præcipue attenditur quantum ad confessionem; principaliter determinat de confessione, & diuiditur hæc pars in duas partes, in prima agit de confessione sacramentali vt habet rationem remedij: in secunda inquãtum habet rationem signi. infra dist. 22. Prima pars diuiditur in quatuor; in prima tractat de confessionis necessitate ex parte confitentis, in secunda quantũ ad potestatem absoluentis. infra dist. 18. in tertia quantum ad oportunitatem temporis, distinct. 20. in quarto, quãtum ad vtilitatem ex parte finis. dist. 21. Prima pars spectat ad præsentem distinctionem, quæ habet tres partes secundum tres quæstiones, quas determinat. Prima quæstio est. Vtrum ad remissionem peccati sit necessaria confessio oris, & satisfactio operis vel sola contritio sine his sufficiat. Secunda quæstio Vtrum sufficiat confiteri solo Deo sine Sacerdote. Tertia quæstio. Vtrum possit fieri confessio laicò. hæc in generali: In speciali sententia Magistri tribus conclusionibus explicatur.

Prima conclusio. In cordis vera contritione peccatũ a Deo dimittitur, si votum confitendi, & satisfaciẽdi firmiter concipitur. hanc Magister insinuans dubitat. An ad peccati remissionem confessio oris, & satisfactio operis, vel sola contritio sine his sufficiat, & circa hæc refert tres opiniones. Quidam enim dixerunt contritionem sine confessione sufficere, ad quod confirmandum plures adducunt authoritates, per quas nituntur ostendere, quod solum propositum confitendi, & interior cordis gemitus ad peccati deletionem sufficiant. Vnde & leprosi mundati sunt, quando ostenderunt se sacerdotibus, & Lazarus prius fuit suscitatus interius, quam foras prodijt. Quidam vero alij fatentur confessionem necessariã, nec sine ipsa peccatum dimitti, si adsit tempus illam faciendi. Quidam alij sunt opinati, quod sine solutione alicuius pœnæ remissio fieri queat. Magister vero ad difficultatem respondens inquit, quod sine exteriori confessione, & pœnæ solutione peccata deleantur per contritionẽ, & humilitatem cordis, & confitendi propositum, dummodo contemptus confitendi exterius, & satisfaciendi non adsit, at vbi facultas adest proculdubio necessaria dicitur esse confessio, & satisfactio, authoritates autem supra dictæ. ad cordis contritionem & interiorem pænitentiam

tentiam referendæ sunt. Hinc dicendum quod sicut peccati remissio donum Dei est, ita pœnitentia, & confessio per quam peccatum deletur a Deo est. Concludendum est ergo, quod antequam fuerit confessio in ore, si votum sit confessionis in corde, tunc peccatorum sequatur remissio; nec ob id confessionis necessitas secludenda est, si tempus adsit, alioquin claues Ecclesiæ frustra viderentur institutæ, nec peccatori contrito daretur culpæ remissio.

Secunda conclusio est hæc. Quamuis in contritione vera peccatum sit delectum, tamen absolutio est danda per Sacerdotem discretum. Ad hanc insinuandam quærit Magister. An soli Deo, & non Sacerdoti confiteri sufficiat, vel etiam Sacerdoti confiteri sit necessarium. Pro parte affirmatiua, adducunt quidam non nullas auctoritates, quarum prima est psal. 31. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti &c. Soli ergo Deo confessio facienda. Præterea D. D. Ambro. *Ambrosius super Lucam c. 22. Ideo fleuit Petrus, quia obrepit ei, non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuit, lachrymas eius lego, satisfactionem non lego, lauant lachrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri. Item Chrisostomus Homilia. 31. super Epist. ad Hebræos. Non* D. Chrisost. *tibi dico, quod te prodas in publicum, neque apud alios te accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti. Reuela Deo viam tuam, ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum Iudicem cum oratione delicta tua pronuncia non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Cæterum oppositum ostendit Magister nempe, quod præter confessionem Deo factam, oportet confessionem facere Sacerdoti si adsit facultas, & hoc probat per multas auctoritates, quæ dicunt quod satisfactionis modus, & peccatorum reconciliatio ad ecclesiæ Ministros pertinet: quæ fieri nequeunt sine confessione, & erubescentia, quæ est in peccatorum confessione, & ad eorundem operatur remissionem, vnde leprosis fuit dictum, vt ora sua ostenderent Sacerdotibus, propter quod quanto quis pluribus confitetur in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius consequitur remissionem peccatorum.*

Tertia conclusio, Si in periculo mortis copia Sacerdotis nullatenus posset haberi, tum licitum est ad cautelam Laico confiteri. Hanc Magister insinuans proponit tertiam quæst. quæ est vtrum confessio possit, vel debeat fieri Laico. & determinat quod facienda est discreto Sacerdoti, qui sciat soluere & ligare, vel qui simul cum potestate absoluendi habeat iudicium & discretionem. Vnde Diuus Augustinus libro de vera & falsa pœnitentia cap. 10. inquit. Qui vult confiteri peccata vt inueniat gratiam, quærat sacerdotem, qui sciat ligare, & soluere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab eo, qui eum misericorditer monet, & petit, ne ambo in foueam cadant, quam stultus euitare noluit. Si tamen sacerdos defuerit facienda est confessio proximo vel socio. Ipsum tamen bonum propositum & desiderium, & humiliatio confitentis valent ad remissionem peccatorũ, & specialiter facta ad ministrum ecclesiæ, quæ omnia auctoritatibus confirmat, subdit etiam quod extra Ecclesiam non fit remissio, Beda tamen super epist. Iacobi cap. 5. videtur dicere, quod leuia peccata, & quotidiana peccata licet socijs confiteri etiamsi adsit copia Sacerdotis, & sufficit, si tamen ex contemptu non prætermittatur sacerdos, grauiora autem Sacerdoti confitenda; si tamen Sacerdotum copia non adsit, grauiora etiam sunt socijs confitenda. Ac Magistro tatius, perfectiusq; esse vi
D. August.
Beda.

detur simul leuia, & grauia sacerdotibus confiteri peccata, quibus concessa soluendi, atque ligandi fuit potestas.

Postremo ex determinatione præmissorum explicat auctoritates, quæ supra adducebantur contra veritatem secundæ conclusionis. Quando enim Chrisost. dicit Peccatorem in publicum non se debere prodere, hoc ita intelligendum est, quod non expediat coram multis hominibus suum publicare peccatum; sed sacerdoti tantũ. Quod autem B. Ambros. dicit lachrymas lauare delictum, hoc debet intelligi si confessio saltem soli Sacerdoti facta sit, & si non fiat publica cõfessio criminis. Quod autem dicit, se lachrymas Petri legisse, non confessionem; ad hoc potest dici, quod propter hoc non excluditur confessio: multa enim sunt facta, quæ tamen nõ sunt scripta, vel forte nondum erat confessio instituta. Quod autem Prosper dicit, quod sufficit, quod aliqui se ipsos puniant, intelligendum est hoc sine confessione publica; at non propter hoc excluditur confessio priuata, quæ Sacerdoti fieri debet. Quare tenendum est, quod sine confessione peccatum non remittitur si facultas adsit. Necessaria est itaque confessio, & si contritione deleatur peccatum. Tum quia pars pœnitentiæ est. tum quia per confessionem peccator erubescit, & erubescentia est pœna peccati, & per confessionem sacerdos intelligit qualiter debeat de peccato iudicare, tum demum quia per confessionem redditur peccator humilior, & cautior. Et hæc breuiter de tota hac dist. Circa quam Doctor vnicam mouet quæstionem sub hoc titulo.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum necessarium sit ad salutem peccatori confiteri sua peccata omnia suo Sacerdoti.



Ro tituli elucidatione obser. est primo ex Aris. 5. Meta. cap. de necessario, quod necessarium dicitur quatuor modis, vno modo dicitur necessarium sine quo non potest animal esse, nec viuere, quod licet non sit principalis causa essendi aut viuendi, tamen est simul cum alijs causis vt respirare, & cibus in animali: nam licet vita fundetur in calido, & humido bene contemperatis, tamen calidum non potest seruari nisi temperetur per inspirationem & expirationem, nec humidum radicale, quod est subiectum caloris naturalis, potest conseruari nisi per restaurationem factam ex nutrimento, atque adeo hæc duo sunt necessaria, scilicet respirare & cibus vt concausæ vitæ animalis. *Arist.* *Necessar illi dicitur quatuor modis.*

Secundo modo dicitur necessarium illud sine quo nõ potest homo aliquod bonum consequi, aut aliquod malum expellere respectu boni, & hoc modo volenti acquirere pecuniam necessaria est nauigatio ad Aeginam & cupienti a febre liberari necessarium est bibere Pharmacum, & breuiter omne medium sine quo non potest finis intentus haberi, dicitur necessarium hoc secundo modo.

Tertio modo omne violentum, id est, omne id, quod fit contra naturalem rei inclinationem, vel contra voluntatem ab agente proposito, dicitur necessarium, & omne agens inferens violentiam dicitur necessitate, vt projiciens lapidem, necessitat lapidem ascendere, & depopulans Ciuitatem, ciues mendicare necessitat.

Quarto modo dicitur necessarium, quod non contingit, vel non potest aliter se habere, & hæc est propria ratio necessarij & iste modus, vt inquit Comentator, com. 6. Famosior est inter omnes, ad quem Arist. tres præcedentes tanquã ad principalem reducit: nam tertius modus ideo est necessarius, quia violentiam ab aliquo agente faciente impetum, vel cogente, aut impedientem non potest aliter agere, vel non potest non pati. Et secundus modus est necessarius, quia nõ potest sine tali medio acquiri bonum vel vitari malum. Primus etiam modus est necessarius: quia non potest seruari animal in esse, nec viuere sine respiratione & cibo. Et si quæ- *Auerroes.*

ras

tas in quo differat quartus modus ab alijs, dico quod in quarto est necessitas absoluta, in alijs vero est necessitas conditionata.

Et ex hac distinctione quadruplici de necessario accepit originem famosa illa distinctio de necessario, quæ passim in scholis adducunt, nimirum, quod necessarium est duplex, scilicet necessarium necessitate absoluta siue simpliciter, & necessarium necessitate secundum, vel ex hypothesi. Necessarium simpliciter est Deum esse, & hominem esse animal: quia impossibile est simpliciter aliter esse, necessarium conditionatum, vel ex suppositione, vt si Petrus currit; necessario mouetur, & animus glorificandus necessario est gratificandus, supposita enim hac conditione, quod habeat glorificari, necessario debet gratificari, & in hac significatione sumitur necessarium in titulo quæst.

Necessariũ est duplex.

Secundo obseruandum est, quod confessio a sanctis patribus distingui solet in confessionem laudis, & peccatorum seu accusationis, vt videre licet apud Hilarium exponentẽ verba illa ps. 66 Confiteantur tibi populi Deus &c. & apud August. epist. 120. cap. 24. & in id psal. 94. Præueniamus faciem eius in confessione. & inde verbis Euangelij hom. 8. vbi explicat illa verba Matth. 12. Confiteor tibi pater. In quibus locis sermo est de confessione laudis diuinæ, quæ proprie est arcellatio diuinæ perfectionis, vt cum Deum prædicamus omnipotentem, pium, bonum, misericordem, iustum, & est actus religionis, quæ ad exteriorem fidei professionem etiam pertinet, quæ nomine confessionis significari solet iuxta illud ad Rom. X. Corde creditur ad iustitiã, ore autem confessio fit ad salutem. & de hac confessione non intelligitur titulus quæst. sed de confessione peccatorum, quæ vlterius distingui potest in confessionem mete internam, quæ soli Deo fit, iuxta id ps. 31. Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, &c. & in confessionem exteriorem, quæ fit homini de qua dicitur Iacobi. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra, & de hac est sermo in hac quæst. quam Gabriel in hunc modum describit. Confessio sacramẽtalis est secreta delinquentis accusatio suorum commissorũ peccatorum coram Sacerdote iurisdictione in eum habente spe veniæ consequendæ. dicitur confessio Sacramentalis, ad differentiam internæ confessionis, quæ fit coram Deo in cubiculo cordis, & confessionis, quæ fit in iudicio contentioso. Dicitur secreta ad excludendum confessionem generalem, quæ fit in publico in officio primæ & Completorij, & in introitu Missæ, vel interdum inter missarum solemnia, quæ non est sacramentalis, licet per eam sic confitens consequi possit remissionem venialium peccatorum. Dicitur accusatio, quia qui se coram Sacerdote excusant non confitentur, sed magis se laudant exemplo Pharisei, bona sua annumerantis. Dicitur suorum peccatorum, quia non debet esse accusatio aliorum, & intelligitur de actualibus cõmissis post Baptismum, & de omnibus, quæ simpliciter, & quasi per antonomasiam peccata sunt, id est, de omnibus mortalibus non confessis. Dicitur coram sacerdote ad excludendum illam, quæ fit sodali, quæ licet quandoque sit vtilis, non est tamen sacramentalis: quoniam per illam non fit remissio peccatorum virtute clauium ecclesiæ. Dicitur iurisdictionẽ in eum habente, quia si fiat coram alieno non suo iudice, non est sacramentalis. Dicitur spe veniæ consequendæ, vbi tangitur causa finalis confessionis, quæ est remissio peccati, & excluditur confessio facta propter falsitatem, & mendacium confitentis, aut desperationem, aut infidelitatem se accusantis, quæ proprie non est sacramentalis, eo quod talem nunquam sequitur effectus sacramentalis.

Confessio est duplex.
D. Hilari.
D. Augusti.
Cõfessio peccatorum est duplex.
Gabriele.

Tertio obseruandum est, quod circa sacramentalem confessionem fuerunt sex errores. Primus fuit Vualdentium & (vt refert cap. 135. libri de Sacramentis Thomas Vualdensis ex Damas. lib. de hæresibus hæresi. 80) etiam Massilianorum, qui confessionem abstulerunt, & eam inutilem, & superfluam censuerunt, cui errori accessit Vuiclefus, qui asseruit debite contritis esse superfluam, & inanem, consensit ex parte Lutherus, cum docuit nullam gratiam in ea per absolutionem Sacerdotis conferri.

Errores circa sacramentalem confessionem.
Tom. Vual.
Damascen.

Secundus error fuit quorundam orientalium hæreticorum, qui dicuntur Iacobitæ affirmantium non esse necessarium confiteri sacerdoti, sed satis esse confiteri Deo soli, & illos inquit Petrus Castro sequutus est Lutherus, Verum Andreas a Vega, quo ad hoc Lutherum defendit, quia neque Leo decimus quidpiam tale in eo damnauit, neque Sanctus Episcopus Rophensis hoc ei impingit.

Castro.
Vega.

Tertius error fuit cuiusdam Petri Oxmensis, qui in vniuersitate Salamanticẽsi ausus est defendere confessionem non esse de iure diuino, sed tantum ex vniuersalis ecclesiæ statuto, & eundem errorem tenet Glossa in principio dist. 5. de pœnitentia, & in cap. Omni vtriusque sexus. de pœn. & remiss. dubitat & ibi Panor. de hoc; sed magis inclinat in eamdem sententiam. Qui error fuit damnatus tempore Sixti quarti in Concilio Complutensi, absque præiudicio virorum alias pijssimorum, qui hanc secuti fuerunt sententiam ante ecclesiæ determinationem inter quos fuit D. Bon. in 4. d. 17. p. 2. art. 1. q. 3. & refert Hugonem de Sancto Victore dicentem de Christo. Medicis dixit vt curarent, sed infirmis non dixit, vt ad medicos venirent.

D. Bonau.

Quartus error fuit Martini Lutheri, quod venialia peccata non pertinent ad confessionem, & hunc errorem satis ille innuit in art. 8. damnato a Leone X. Nullo modo præsumas confiteri venialia, sed apertius id docuit, cum in apologia eorum verborum impingit catholicis omnibus, quod vnanimiter dicant, venialia non pertinere ad confessionem, & ea tamen verba illa excusat, quod nihil tradiderit, quod non & omnes sui aduersarij tueantur.

Quintus error fuit eiusdem Lutheri dicentis non esse necesse omnia peccata mortalia confiteri, vt aliqua peccata relinquerentur diuinæ misericordiæ remittenda. quem errorem satis innuit Lutherus in illis verbis damnatis vbi supra a Leone X Nullo modo præsumas confiteri omnia mortalia, quia impossibile est vt omnia mortalia cognoscas. eodẽ etiam pertinet art. 9 contra ipsum damnatus ab eodem Pontifice. qui sic habet. Dum volumus omnia pure confiteri nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum. Vltimus error fuit ipsius Lutheri affirmantis, quod neque absolutio neque confessio est Sacramentum, & ita nullo modo confert gratiam. Vide Vegam lib. 13. in Concil. Trid. cap. 27. & Castro de heresibus lib. 4. verbo confessio, hos omnes computantes errores & adhuc computabuntur a nobis cum suis fundamentis in explicatione huius quæst. Quam Doctor diuidit in tres principales articulos.

ARTICVLVS PRIMVS PRINCIPALIS.

IN primo articulo supposito quod peccatori necessarium sit confiteri peccata sua, suo Sacerdoti, inquirit Doctor quo iure teneatur quis peccata sua confiteri, an iure naturali, an diuino positiuo, vel humano, & hic art. spectat ad confessionis Sacramentalis institutionem. pro cuius articuli explicatione, sequentes articulos examinabimus.

Primus Art. Vtrum confessio sacramentalis sit de iure naturæ.

Secundus Art. Vtrum confessio Sacramentalis sit de iure diuino tradito in lege Moysi.

Tertius Art. Vtrum confessio Sacramentalis sit tantum de iure humano canonico

Quartus Art. Vtrum confessio Sacramentalis sit de iure diuino in Euangelio expresso.

Quintus Art. Vtrum confessio Sacramentalis sit de iure diuino promulgato per scripturam Apostolicam.

Sextus Art. Vtrum confessio Sacramentalis sit necessaria sub præcepto.

Septimus Art. Vtrum Christus Dominus instituerit confessionem auricularem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum confessio Sacramentalis sit de iure naturæ.

PRo explicatione huius tituli notat Scotus, quod sicut in specabilibus sunt prima principia, quorum veritas ex terminis nota est cuilibet intellectui apprehendenti terminos, & etiam illorum veritas, quæ ex talibus principijs notis euidenter sequuntur, ita in practicis seu operabilibus sunt prima principia practica nota ex terminis,

De iure naturæ quæ sint.

vel

vel conclusiones necessario sequentes ex eis, quales sunt conclusiones practicæ demonstratæ; taliaque principia, & conclusiones stricte loquendo sunt de lege naturæ, vt videlicet Deum esse amandum & colendum, nullamque Deo irreuerentiam esse faciendam. extensius tamen loquendo, illud etiam dicitur esse de lege naturæ, quod est verum practicum consonum principijs, & conclusionibus legis naturæ, vt est illud, quod statim notum est omnibus esse conueniens, & consonum legi naturæ, & huiusmodi sunt præcepta secundæ tabulæ vt Non occides &c. horum enim præceptorum rectitudo valde consonat primis principijs practicis, vt constat ex Scoto in 3. dist. 39. sub lit. D. Ex his sequitur, quod tres sunt gradus iuris naturæ. In primo gradu sunt principia practica nota ex terminis; in secundo gradu sunt conclusiones, quæ sequuntur in consequentia euidenti cum aliquo principio practico, & tertio propositiones, quæ sunt euidenter consonæ primis principijs practicis, quamuis ex eis non sequantur euidenter.

Scotus.

Iuris naturæ tres sunt gradus.

Ex quo infert Scotus Dominum Gratianum non recte fuisse locutum de iure legis naturæ, quando in decretis dist. 1. capit. humanum, dixit, quod illa, quæ sunt in scriptura diuina veteris testamenti, & noui sunt de lege naturæ: quia neque illa omnia sunt principia practica nota ex terminis, neque conclusiones practicæ demonstratæ, neque vera euidenter consona talibus principijs, & conclusionibus; est ergo Gratianus exponendus, vt intelligat extendere ius naturale ad ius positiuum latum ab Auctore naturæ, vt distinguitur contra ius positiuum, & constitutum ab alio, qui non est auctor naturæ.

Gratiani error.

Hoc supposito videtur quod confessio sit de iure naturæ, & quod peccator præcepto legis naturæ teneatur confiteri peccata sua; & probatur primo ex Glossa super illud Gen. cap. 3. Adam vbi es? verba inquit increpantis sunt, & ad confessionem cogentis, non ignorantis, sed Adam non tenebatur nisi ad legem naturæ, ergo confessio est de iure naturali, confessio scilicet vocalis: quia vocaliter ei Dominus loquebatur, & ille vocaliter respondebat.

Præterea Iob. c. 31. si abscondi quasi homo peccatum meum, & celaui iniquitatem meam in sinu meo, quasi diceret, non ergo peccatum erat abscondere peccatum, & vt peccatum reprobat Iob; sed ipse non tenebatur nisi ad ius naturale, ergo ius naturale prohibet abscondere peccatum, ergo præcipit, vel suadet confessionem.

Item Gregorius ibidem in Glossa. Vere humilis, non solum mala sua cognoscit, sed etiam voce confessionis aperit; sed humilitas de peccatis commissis est de iure naturali, ergo & vox confessionis peccati.

Deinde Ius naturale est, quod in lege & Euangelio continetur, sed ex lege diuina tenentur homines peccata sua cõfiteri sacerdoti, vt probabimus infra art. 4. ergo ad confitendum peccata sacerdoti tenentur homines de iure naturæ. Maior primum in Decretis. dist. 1. circa principium.

Subinde Confessio duplex est scilicet laudis, & peccati, & vtraque est in gloriam Dei: quia dixit Iosue ad Achan Iosue 7. Cõfitere peccatum, & da gloriam Deo, sed natura dictat Deum glorificandum, & laudandum non tantum corde, sed etiam ore, ergo pari ratione dictat peccatum vtroque modo confitendum.

Rursus pœnitentia tres habet partes scilicet contritionem, confessionem, & satisfactionem; sed contritio, & satisfactio sunt de lege naturæ. ergo pari ratione & confessio.

Item omnis conclusio, quæ sequitur ex principijs naturalibus est de lege naturali; sed ista conclusio scilicet homo tenetur confiteri sua peccata alteri homini colligitur ex principijs naturalibus, ergo est de lege naturali, maior patet ex notabili; & minor probatur. Ista sunt principia naturalia, omnia reus est iudicandus per alium, & non per se ipsum; quia nullus debet esse iudex in causa propria, ergo reus per alium est iudicandus; sed non potest iudicari per alium nisi accusetur apud illum; & si peccatum sit occultum non potest accusari nisi ab ipso reo, ergo reus tenetur se ipsum accusare apud iudicem aliquem in secreto, vt ab illo iudicetur; igitur ex notis per rationem naturalem, vel saltem valde euidenter consonam legi naturæ, sequitur hanc confessionem secretam proprij peccati esse alteri faciendam, & nulli rationabilius quam sacerdoti. Magis enim consonum est rationi naturali, quod in secreto hæc confessio fiat, quam in publico si peccatum sit occultum, imo forte satis notum rationi naturali si peccatum sit occultum, quod accusatio debet esse occulta.

His tamen non obstantibus ponitur hæc conclusio. Non tenetur quis præcepto iuris naturæ ad confessionem peccati sacerdoti faciendam: probatur quia si talis obligatio esset de iure naturæ, obligaret pro statu vel tempore cuiuscunque legis; sed hoc est falsum, ergo conclusio vera. probatur minor: quia obligatio ad talem confessionem non fuit in statu innocentiæ, neque legis Mosaycæ, & multo minus in statu qui præcessit veterem legem post primi hominis lapsum.

Item non est notum de lege naturæ quod vnus homo sit iudex alterius super peccatum occulto: homo enim nõ habet iudicare nisi ea quæ patent, Deus autẽ intuetur cor. sed magis notũ est, quod vnusquisque sit iudex proprij peccati occulti, & vindicet ipsum, quod aliquis homo alius, & magis videretur sibi cõmisisse hoc Deus, quã alteri; vt sicut deordinauit seipsum in peccãdo; ita tanquã minister legis, vel iudicis superioris iudicet seipsum, & puniat, & reordinetur; & ita cõsequenter nõ est notũ, nec deducibile ex lege naturæ, quod alteri modo prædicto sit confitendum. hæc concl. est Sco. in hac. q. sub lit. C. §. Ad propositum dico. D. Bonauẽt. hac dist. p. 2. art. 1. q. 1. & Ricar. art. 2. q. 3.

Scotus. D. Bonau. Ricardus.

Ad argumẽta in oppositũ respondetur, & ad primũ dico, quod Adã nõ debebat peccatũ suũ occultare Deo, cum ipse Deus sit iudex, quẽ nullũ latet peccatũ, ante quẽ omnis reus debet recognoscere peccatũ suũ, & hãc confessionẽ Deus requisiuit ab illo, quã ipse Adã tãtũ abest vt fecerit, vt peccatũ suũ excusauerit, illud in mulierẽ retorquẽdo. Mulier inquit, quã dedisti mihi, dedit mihi, & cõmedi Gen. 3. vnde argumentũ solũ cõcludit, quod cõfessio in illo statu Deo increpãti erat faciẽda non tñ homini alicui. Vel potest dici quod requirebat solũ cõfessionẽ interiorẽ. s. detestationẽ peccati; vel si exteriorẽ & vocalẽ nõ requirebat homini faciẽdã, sed ipsi Deo, nõ vt sciret: quia bene sciebat peccatum Adæ, sed vt Adam pœniteret, & peccatum suum confitendo seipsum humiliaret, & veniam impetraret.

Ad secundum dico quod Iob loquitur de confessione mẽtali, quæ est recognitio peccati & offensæ. & per idẽ patet ad tertium. Ad quartum dico quod lex diuina non tantũ continet legẽ naturæ, sed superaddit, & ideo non sequitur quod si aliquid sit de lege diuina, quod sit de lege naturæ.

Ad quintũ dico, quod sicut in casu laudare oportet ore, tamen semper debet actu vel habitu laudare in corde, sic intelligendum est de confessione peccati. Vocaliter confiteri Deo dictat natura non simpliciter, sed in casu, vt puta quãdo Deus exigit, sicut exegit ab Adam, & Cayn. mente autem confiteri semper actu vel habitu.

Ad sexto dico quod cõtritio & satisfactio respiciũt pœnitentiã secundũ quod est virtus, & secundũ quod est sacramẽtũ, sed specialiter contritio & satisfactio respiciunt virtutẽ; sed confessio magis est pœnitentiæ vt sacramentum, Confessio enim peccati quæ fit homini ortum habet non tantũ a natura; sed etiam ab institutione diuina.

Ad vltimũ dico quod notũ est de lege naturæ vel saltem valde cõsonũ naturaliter notis, qđ reus est iudicãdus ab aliquo, & hoc ab aliquo alio: qa nullũ delictũ relinquendũ est impunitũ in vniuerso; si in illo est aliquis rector summus & iustus; qđ licet demõstrari nõ possit, tñ magis cõsonũ est naturaliter notis, quã oppositũ, sed vltra quod iudicãdus sit ab alio quã a Deo, & per ipsũ sit reus iudicãdus de peccato occulto, nõ est notũ rationi naturali, nec demõstrabile ex naturaliter notis, nec statim notũ esse consonũ talibus, nisi de eo qui vt retributor meritorũ, & punitor peccatorũ. Et cum dicis vltra, quod nõ potest iudicari nisi accuset seipsum. Dico quod non oportet quod seipsum accuset Deo, vt possit ab eo iudicari: quia Deus nouit omnia peccata antequã fiãt, sine omni accusatione. Et esto quod oporteat se accusare, & quod hoc sit consonũ naturaliter notis; nõ concluditur per omnia ista, nisi quod Deo est cõfitendũ; & cõcedo fuisse de lege naturæ confessionẽ talẽ, hoc est fuisse consonũ legi naturæ Deo confiteri: quia pro omni statu post lapsum omnes iusti, qui habuerunt fidẽ de Deo, quod erat Rector vniuersi iustus postquã peccauerũt cõtra Dei legẽ pœnitẽtes confitebãtur Deo peccata sua nõ vt sciret, sed vt remitteret, scientes quidẽ sine tali remissione Deum tanquã iudicẽ iustum vindicaturum de illo peccato; atque ita confessio interior facienda Deo est in tertio gradu iuris naturæ.

Et si arguas quod alicui alij homini debeat se accusare,

qui sit iudex eius, illud non potest probari per nota legis naturæ, hoc est ex notis; in lege naturæ non potest concludi confessio facienda homini qui sit iudex peccati occulti, nec etiam est eis euidenter consonum, Non enim est naturaliter notum, nec demonstratum ex naturaliter notis, nec statim notum est esse consonum legi naturæ, quod homo sic sit iudex alterius vel debeat esse: quia nullus homo potest esse iudex peccati hominis, nisi vt minister summi iudicis; hoc autem modo scilicet esse ministrum iudicis in vindicando, vel puniendo peccatum commissum, magis concessum est vnicuique respectu sui, quam vni respectu alterius; vnicuique enim commisit Deus, vt sit minister Dei in vendicando peccatum proprium, in infligendo sibi disciplinam, & tristitiam pro illo peccato sicut superius dicebatur dist. 14. Non sic autem notum est, quod concesserit alicui respectu alterius. Et si dicas quod homo est iudex alterius hominis in Republica; dico quod verum est de illis, quæ possunt sibi innotescere in illo iudicio, cuiusmodi sunt publica peccata, & probabilia.

ARTICVLVS II.

Vtrum confessio sacramentalis sit de iure diuino tradito in lege Moysi.

Quæ sunt de iure positiuo diuino. PRo explicatione tituli obseruandum est, quod omnia, quæ in diuina scriptura continentur obseruanda pro aliquo tempore, quæ tamen non sunt nota ex terminis, neque demonstrabilia ex talibus principijs neque illis euidenter consona; ista talia sunt mere de iure positiuo diuino, pro vt ius positiuum diuinum contra ius vel legem naturæ distinguitur, huiusmodi sunt omnes cæremoniæ Iudæorum pro tempore legis veteris obseruanda; & etiam nostra cæremonialia pura, quæ continentur in lege euangelica, vt quod Deus sit colendus in Eucharistia, vel in cantu psalmorum, & huiusmodi, licet talia non repugnēt legi naturæ. Et quod talia non sint de lege naturæ patet; quia neque ex terminis notum est, neque demonstratum, neque talibus euidenter consonum, quod Deus sit colendus in immolationibus animalium veteris legis, neque quod sit colendus cæremonijs nostris, videlicet oblatione Eucharistiæ, & psalmorum concentu, quamuis ista ita consonent legi naturæ, quod illi non repugnent. Idque etiam ex eo patet, quod illa quæ sunt de lege naturæ stricte, seu extensiue, semper sunt vniformia, quod non reperitur in huiusmodi cæremonijs, quæ variæ sunt, & diuersæ in lege veteri, & noua.

Secundo obseruandum est, quod non solum ea, quæ formaliter, & explicite continentur in sacra scriptura, sunt de iure diuino positiuo, sed etiam ea quæ deducimus euidenter lumine fidei ab illis, quæ sunt in sacra scriptura. Vnde ista est de iure diuino, Christus habet neruos, ossa, & venas, quæ tamen in propria forma non continetur in scriptura sacra; sed bene ista Christus est homo, & ad istam Christus est homo, sequitur & inducitur, Christus habet neruos &c. Et ex hoc patet defectus quorundam dicentium ius Canonicum esse de iure diuino, quia canones deducuntur ex his, quæ sunt in sacra scriptura. Nam quamuis multa, quæ sunt in decreto deducantur ex illis, quæ sunt iuris diuini, vel in sacra scriptura, non tamen euidenter, & ex lumine fidei, sed dumtaxat probabiliter; atque adeo non sequitur, quod sint de iure diuino. Et si dicatur ecclesia nulla præcepta facit nisi per potestatem sibi diuinitus concessam, ergo etiam sua præcepta sunt diuina, iuxta illud Lucæ 10. Qui uos audit me audit &c. Dico esse latum discrimē inter hæc, quod est præcepta facere per potestatem diuinitus susceptam, & hoc, quod est præcepta diuina generalia in particulari determinare. Etenim quamuis ecclesia potestatem a Deo acceperit condendi leges, quas expedire iudicauerit, nihilominus ipsa est, quæ illas condit, vt est lex quadragesimalis ieiunij, & ne bigami, aut sanguinis effusores ordines suscipiant, quæ ex sua institutione vim habent obligandi, Præterquam quod & Regibus dedit potestatem condendi leges, Prouer. 8. Per me Reges regnant, &c. & nihilominus regiæ leges humanæ sunt, lex autem diuina est, quam Deus per se immediate condidit.

Thomas Valden. His suppositis de hac re fuit opinio Thomæ Valdensis de sacramentis cap. 139. & 143. dicentis Christum non dedisse nouum præceptum de confessione, sed antiquam consuetudinem roborasse. Ac. cap. 137. refert ex quodam Iudæo se didicisse consuetam fuisse apud illos confessionem in adulterio, homicidio, & blasphemia nominis sine legis Dei occultis, & peculiarem, & distinctam pœnitentiam pro hoc imponi solitam. Potest autem hæc sententia sic probari. Leuitici 16. & deinceps legitur de Aron, & filijs eius, quod confiteri debebant peccata filiorum Israel. Nam de sacerdote, qui debeat hircum emissarium emittere dicitur. Confiteatur omnes iniquitates filiorum Israel, & vniuersa delicta, atque peccata; sed non poterat sacerdos confiteri peccata, nisi prius illi confiterentur ea; ergo videtur, quod ibi fuit confessio instituta. Et insuper in veteri lege frequenter dicitur, quod ille qui peccasset confiteri deberet peccatum suum, & aliquod sacrificium offerre. Et confirmatur ex multis auctoritatibus veteris testamenti, quibus homines inducebantur ad confessionem peccatorum faciendam, vt Prouer. 18. Iustus prior accusator est sui, & subdit Salomon. Qui abscondit scelera sua non dirigetur; constat autem quod loquitur de his, qui erant tempore legis, & constat, quod non intelligit de absconsione respectu Dei, cui omnia sunt nota, ergo respectu ministri Dei.

Item Isaias 43. Narra si quid habes, vt iustificeris, sed narratio dicit actum sermonis, & confessionem vocalem, & constat quod loquitur pro tempore legis.: quia exhortando, non prædicendo, ergo videtur, quod tempore legis esset confessio in præcepto.

. Præterea. Plus est aliquid profiteri facto, quam verbo, plus etiam confiteri peccata coram omnibus, quam coram vno, sed ipsi confitebantur se peccatores coram omnibus, dum offerebant hostiam pro peccato, ergo cum ad hanc tenerentur, videtur quod multo fortius ad cōfessionem oris.

Deinde Cyprianus sermone scilicet ad lapsos ex confessione trium puerorum in camino ignis apud Danielem probat confessionem. Et Lactantius 4. diuinarum inst. cap. 17. idem facit ex præcepto Circuncisionis. Ambros. etiam 1. epist. 3. fundat confessionem nostram in confessione omnium iniquitatum populi, quæ debebat fieri a sacerdote super hircum emissarium. August. similiter fundat confessionem in Iob, & in illis verbis. Conuulsæ sunt compagines. & tandem Chrisost. in opere imperfecto, (si tamen illius est) confirmat idem ex confessionibus, quæ iuxta Matthæū fiebant ante Baptismum Ioannis. *Cyprianus. Lactantius. Ambrosius. Augustinus Chrisost.*

His tamen non obstantibus ponitur hæc conclusio. licet in lege veteri fuerit olim typus sacramentalis confessionis, nihilominus non erat tunc instituta; prima pars conclusionis probatur. Quia prouidentissimus ille Dei spiritus perpetuo seruauit, vt quæ insignia facturus, aut instituturus erat in lege gratiæ, longe illa ante, aut in lege naturæ, vel in lege scripta adumbraret, & hoc pacto & auctoritatem eis non exiguam conciliauit, & difficultatem emolliuit, quæ ab eis credendis, aut opere perficiendis nostros animos auocare poterant: atque adeo generalis confessio omnium peccatorum fiebat olim per sacerdotem nomine totius populi, vt constat Leuit. 16. & pro diuersis peccatis iubebantur diuersa offerre sacrificia, quod de peccatis publicis intelligendum est; non de occultis, vt patet Leuit. 6. & 7. Secunda pars conclusionis probatur: quia tantum in lege Euangelica datæ sunt sacerdotibus claues regni cælorum, quibus sacramentaliter remittant peccata. Sed ante datas hominibus claues ligandi, & soluendi indubitatum est, nunquā neque indictum esse, neque consultum, neque apud aliquam omnino nationem receptum fuisse ritum clancularíæ confessionis, quem nunc obseruari scimus ab vniuersa ecclesia.

Ad argumenta in oppositum respondetur; & ad primū dicit Doct. quod in tota lege Mosayca non fiebat confessio, de qua nobis est sermo, sed Deo solum fiebat confessio de peccatis occultis; de quibusdam tamen defectibus publicis, & transgressione legalium cæremoniarum fiebat confessio ab illo, qui sacrificiū offerebat pro tali peccato, generalisque sacerdotis cōfessio pro populo hæc erat. Peccauimus, iniuste egimus, & huiusmodi; & hoc modo publica sacerdotis confessio, erat dispositio quædam ad misericordiam Dei implorandam pro populo; sicut & modo in ecclesia nos peccasse confitemur confessione generali; & non confessione ista, de qua loquimur, petimusque misericordiam nobis, & toti populo. Et ad confirmationem respondetur, quod omnes auctoritates veteris testamenti, loquuntur de confessione illa generali, quam sacerdotes faciebant, vt habetur nu.

21. & illam faciebat Daniel, vt est apud illum. cap. 1. & deinceps multi alij viri sancti; vel etiam loquuntur de confessione delicti proprij publici propter transgressionem, legalium, quales erant irregularitates contractæ, ob quas immundi habebantur secundum legem.

Itaque si hæc scripturæ testimonia expendamus deprehendemus sine dubio ea esse intelligenda, aut de confessione, quæ Deo fit in corde, aut de confessione, quæ fit iudicibus in iudicio, aut de confessione aliqua peccatorum in genere, quæ fiebat vel in templo, vel alibi coram Domino, & ipsis sacerdotibus, vel prophetis, aut de confessione, quæ indicaret, vel ex ignorantia, vel ex fragilitate hominem peccasse nulla expressa distincte specie peccati; aut denique de confessione alicuius peccati in specie opere ipso, aut sacrificio facta, non verbo.

Verum vt ad singula testimonia singillatim respondeamus. Ad primum dico, quod talis non erat confessio sacramentalis, quæ fit homini, de qua nunc loquimur, qua aliquis se accusat, sed illa fiebat Deo in generali de peccatis ipsius multitudinis, non alicuius particularis personæ.

Ad secundum dico, quod Salomon intelligit de absconsione, quæ est per peccati defensionem, & palliationem, quæ est contra legem naturæ & respectu Dei, & respectu hominis, & quamuis prohibitum sit mentiri, non tamen est præceptum dicere omnem veritatem.

Ad tertium dico, quod dictum Isaiæ intelligitur de narratione secundum linguam, & os cordis. hoc est de confessione mentali atque interiori; vel si intelligatur de confessione vocali, & secundum os corporis adhuc intelligitur de confessione, quæ fit Deo, quemadmodum fit oratio vocalis non ad instruendum Deum ad excitandum in nobis affectum pudoris, vel amoris, vel doloris, vel alicuius alterius affectionis.

Ad quartum dico, quod illa oblatio non erat professiua peccati, sed hostiæ oblationis pro peccato, & ex consequenti ostendebatur peccator; sed hoc non est in speciali, sed in generali, nec magis sacerdoti, quam alij; & hoc quidem decebat aliquando fieri: quia iam ecclesiastica vnitas in conformitate sacramentorum cultus diuini cœperat inchoari.

Ad vltimum dico sanctos Doctores nequaquam in antiquis figuris nostram confessionem fundasse, ita vt ante nouam legem crediderint Deum illam vel instituisse, vel præcepisse. Quomodo enim lex vetus, quæ vel minutissima præcepta distincte tradidit, de hoc vno grauissimo præcepto credita fuisset tacuisse? Vtebantur tamen illis, vel ad constabillendam nostram confessionem: quoniam necesse est omnes credere, in noua lege implenda esse, quæ sub nube, & figura in veteri lege præcesserant. vel fortasse intelligebant non leuiter confirmari posse confessionem nostram ex eo, quod confessiones generales, & impendio obscuræ, gratæ nihilominus Deo fuisse ostenduntur. Cui enim illæ placebant, placebit procul dubio confessio distincta, & particularis, quæ nos magis confundit, & humiliat, quæque dolorem de ipsis offensis, & conuersionem nostram in ipsum multo apertiorem facit. Seruiant igitur illa testimonia, & figuræ, vt amabilem, & coram Deo confessionem peccatorum ostendant, quam tanto ante tempore, quam multis inuolucris & delineamentis nobis ille commendauit.

ARTICVLVS III.

Vtrum confessio sacramentalis sit tantum de iure humano Canonico.

Ius canonicũ quid sit. PRo explicatione tituli obseruandum est, quod ius positiuum ecclesiasticum, quod etiam ius canonicum appellatur, est signum ab homine institutum notificatiuum voluntatis legislatoris, volentis hominem teneri ad aliquid faciendum, vel non faciendum pro consecutione vitæ æternæ, dicitur signum idest propositio notificatiua, dicitur ab homine institutum, & per hoc distinguitur a iure naturali, & diuino: nam ius naturæ est signum verum naturaliter nobis inditum, idest assensus principiorum naturaliter causatus ex notitijs terminorum, iuxta illud, quod dicitur, quod principia insunt nobis a natura, idest illæ propositiones sunt prima principia, quarum assensus causatur in nobis naturaliter ex notitijs terminorum. ius vero diuinum est signum a Deo reuelatum creaturæ rationali. Dicitur volentis hominem teneri &c. in quo conuenit cum iure diuino. & differt a iure naturali, & ciuili: nam finis iuris naturæ est conseruatio societatis humanæ, iuris vero ciuilis est conseruatio communitatis, & boni communis: Ex quo sequitur quod hæc quatuor iura conueniunt & differunt, ius naturæ differt a cæteris in principio & in fine: *Discrimen interius naturæ diuinum, canonicũ, & ciuile.* nam principium iuris naturæ est ipsa natura: nam ius naturale est, quod instinctu naturæ, & non constitutione aliqua habetur. c. ius naturale. dist. 1. vel ius naturale hominum est, quod omnes homines natura docuit; sicut ius naturale animalium est, quod omnia animalia natura docuit. l. 1. §. ius naturale. ff. de iust. & iure. finis vero est conseruatio societatis humanæ. at principium iuris diuini est Deus, iuris humani homo, finis vero diuini iuris est consecutio æternæ vitæ, & humani ciuilis conseruatio communitatis, & boni communis. Ius diuinum & canonicum conueniunt in fine, quia vtrunque est pro consecutione vitæ æternæ, & differunt in principio, quia ius diuinum institutum est a Deo, canonicum autem ab homine. Ius canonicum & ciuile conueniunt in principio: quia vtrunque est institutum ab homine, & differunt in fine: quia ius canonicum constitutum est pro consecutione æternæ vitæ; ciuile vero propter conseruationem communitatis; Ius autem diuinum & ciuile differunt in principio, & in fine, vt patet. omnes ergo constitutiones ecclesiasticæ, quæ pro beatitudinis cõsecutione constitutæ sunt ab ecclesia dicuntur de iure positiuo ecclesiastico. Ecclesia enim vt dicit Doct. multa instituit propter obseruantiam honestiorem in moribus, & propter reuerentiam maiorem in suscipiendis sacramentis, & dispensandis, quæ omnia dicuntur, & sunt iuris positiui ecclesiastici.

Hoc supposito de proposita difficultate est duplex opinio. Prima est D. Bonau. in 4. d. 17. p. 2. q. 3. art. 1. vbi scribit *D. Bonau.* quod in sacramento pœnitentiæ sunt duo. nempe absolutio, quod est formale sacramenti, & confessio, quod est materiale, quorum primum Christus instituit Ioan. 20. secundum vero non, sed insinuauit. Et ideo confessio inquit est a Christo insinuata, ab Apostolis instituta, & a Iacobo promulgata can. 5. Confitemini alterutrum peccata vestra. quam quidem doctrinam desumpsit ad literam, ex Alex. *Alex. de Ales.* de Ales. p. 4. q. 76 m. 3. art. 2. Adeo quod iuxta sent. D. Bona. confessio non est de iure diuino, sed tantum ex vniuersalis ecclesiæ statuto, Idque probat auctoritate Hugonis de sancto Victore expresse dicentis de Christo. Medicis dixit vt curarent; sed infirmis non dixit, vt ad medicos venirent. Hoc quasi certum esse voluit, quod ægri libenter salutem quærerent, & se curandos offerrent, si medicos inuenirent. Sed huic opinioni iam nullus est locus, Nam damnata fuit in Concilio Compluensi, vt patet ex Bulla Syxti quarti, quam ad verbum retulit Alphonsus a Castro lib. 4. contra *Castro.* hæreses in verbo confessio, & nouissime in Concilio Tri- *Cõcil. Trid.* dent. sess. 14. cap. 5. & can. 6. Ex quo sequitur, quod neque stare potest, quod Marsilius dicit. in 4. q. 12. art. 2. coroll. 2. *Marsilius.* nempe sacramentum confessionis non esse institutum a Christo explicite, sed implicite in hoc, quod iudices instituit, quos reliquit ecclesiæ. Et quamuis ipse pie interpretetur D. Bonau. & asserat eum non negasse confessionem esse a Christo, sed tantum dixisse non explicite, sed insinuatione quadam institutam ab eo esse; tamen Gabriel hac. d. q. 1. *Gabriel.* art. 1. & alij merito crediderunt eum sensisse non esse confessionem a Christo, sed ab Apostolis institutam. Excusari tamen possunt D. Bona. & Marsilius in opinionibus ex eis citatis, qui eo tempore illas tenuerunt, quo nihil legerant, quod eis aduersaretur, definitum esse ab ecclesia; & quicquid nos fatemur factum a Christo, & illi fatebantur, atque in hoc solum errarunt, quod non putarunt, id satis esse, quod quidem erat satis, vt explicite & non tantum implicite dicatur Christus hoc sacramentum instituisse.

Secunda sententia est Glossæ de pœnt. dist. 5. dicentis in- *Glossa.* tegrã peccatorũ cõfessionẽ ex ecclesiæ vniuersalis traditione inductã esse, & nulla veteris, vel noui testamẽti auctoritate esse institutam, & per traditionem intelligit Glos. consuetudinem ecclesiæ; quoniam paulo ante ait hac traditione om-

nes non obligari, pro quo allegat.cap. in his.t 1.dist. quod consuetudinis virtute agit. Et Glossa in hanc ita intellectam sequitur Panormitanus in cap.omnis.de Pœnit.quin & Decius cum ea concordat in cap.sane 3.de offic deleg. Adducit Glos. in confirmatione suæ sententiæ vnum argumentum, nempe, quod si sacramentalis confessio esset de iure diuino, etiam Græci tenerentur confiteri; at non est necessaria confessio apud Græcos, ergo non est de iure diuino, maior patet quia ad obseruantiam diuini iuris omnes Christiani tenentur, minorem probat, quia non est apud eos confitendi consuetudo, siue non fuit apud Græcos in vsu hæc de qua loquimur sacramentalis confessio.

Panormit. Decius.

Cæterum hæc opinio intollerabilis est, & post Concilū Florent. & Trident. hæretica, atque adeo a plerisque omnibus improbatur in 4.d.17. & Durādus inquit eam dignam, vt de volumine decretorum tolleretur. Parisienses etiam aiunt eam cum Panorm. in d.cap. omnis non solum parum eruditè, sed etiam delite loquutam; & multi qui nostra ætate in Lutheranos scripserunt viri eruditissimi eam damnāt. Ideo contra hanc sententiam hanc ponimus conclusionem.

Durandus.

Non tenetur quis ad confessionem de qua loquimur ex præcepto solo ecclesiastico, probatur primo sic, Confessio huiusmodi non solum de peccatis externis est facienda, sed etiā de internis, quæ neque verbo, neque facto foras prodierūt, & non solum ab eo, qui externa, & interna peccata commisit, sed etiam qui tantum interna. sed nulla humana potestas talem confessionem præcipere potest, & ea præcepta est, ergo diuina id potestate factum est. maior patet ex cap.omnis. ibi omnia peccata sua, & est communis sententia & recepta, & a Concil. Trident. sess. 14. cap. 5 & can. 7. de fide determinata. Minor probatur, quia nulla potestas præcipit aliquid, cuius transgressionem punire nequit; at nulla potestas humana punire potest hominem, propter peccata interna, quę nec verbo, nec scripto, nec facto foras prodierunt ergo &c. Maior patet ex Arist. Ethi 4. dum ait omnem legem habere vim coactiuam per pœnam, & illam innuit Iacobus.cap.4. suæ Canon illis verbis. Vnus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare; & probatur ex D.Paulo.1. ad Cor. 4. Nolite ante tempus iudicare, quo ad vsque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit cogitationes cordium. & 1. Reg. 16. Homo videt, quæ patent, Dominus autem intuetur cor. facit lex. cogitationis pœnam nemo meretur. ff. de pœnis. & c. cogitationis. de pœnt. dist. 1. facit etiam. c. si erubescant. 32. dist. & cap. si omnia. 6. q. 1. Quod autem hæc confessio sit præcepta probatur, quia in toto orbe Christiano ea vsi sunt, & vtuntur Christiani, quod late probat Concilium Coloniense fol. 115.

Cōcil. Trid. *Arist.* *Concilium Colon.*

Secundo probatur conclusio. Quicunque aliquam potestatem cuipiam concedit, cōcedere videtur etiā ea sine quibus illa exerceri nō potest; imo etiam illa sine quibus potest quidem, sed non satis commode. at Christus Dominus potestatem absoluendi a peccatis, & ob ea condemnandi Apostolis, eorūque successoribus dedit Ioā. 20. illis verbis. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt. ergo etiam dedit eis potestatem audiendi illa, & cognoscēdi an ligari, an vero dissolui debeāt. Vis autem huius argumenti exactius in sequenti articulo explicabitur.

Tertio probatur conclusio. Nullum sacramentum potest a puro homine institui sine commissione saltem ad id speciali, vt probauimus in primo tomo huius. 4. dist. 1. q. 3. & clare colligitur ex can. 1. sess. 7. & ex can. 1. sess. 14. Concil. Trident. ergo neque illa pars sacramenti substantialis ab homine institui potuit, & per consequens neque sacramentum pœnitentiæ, neque vlla pars eius ab homine puro instituta est; at confessio de qua loquimur scilicet secreta, & auricularis, est pars sacramenti pœnitentiæ, quia sine illa confici haud potest secundū omnes, vt definitū est in Concil. Trid. sess. 14 can. 4. ergo etiam illa instituta est a Christo Domino.

Cōcil. Trid.

Præterea quarto. Ecclesia non attentasset iam arduū præceptum, quo nullum est durius, & grauius in tota lege Euāgelica imponere cunctis Christianis, nisi illud esset præceptum diuinum. Nam patres in Concilio Lateran. eodēque generali sub Inn. III. confessionem non præcepissent nisi antea præceptum cognouissent. Quoniam refrigescente iam charitate, moribus in peius declinantibus, neque ipsi tanti oneris præceptum noue tulissent, neque a subditis vnanimi fuisset acceptum consensu; quis enim credat Papas, Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos cum toto clero. Imperatores, Reges, Duces, Comites cum omni ad vnum alio populo confessione hac perpetuo vsuros fuisse; nisi eam nouissent a Christo Domino præceptam. Cum igitur illa fuerit præcepta, neque humana potestate præcipi potuerit, constat diuina eam potestate, & lege factam.

Deinde quinto. Non inuenitur tempus in quo ecclesia tale imposuerit præceptum, ante quod sancti non reputauerint præceptum confessionis esse necessarium, & obligatorium. Nam illud cap. omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss. in quo præcipitur annualis confessio, est Inn. III. in Concil. Later. editum, cuius sæculum amplius quam per 800. annos antecessit D. August. prædicator eximius huius confessionis, vt patet in libro de vera, & falsa pœnitentia, & in alio libello de pœnitentia, cuius dicta aliqua Magister refert. dist. præsenti, & Gratianus de pœnit. dist. 5. & 6. Item Magister sent. præcessit Innocentium per L. annos, a quo Innoc. edita est constitutio, omnis; & tamen Magister determinauit confessionem esse necessariam, cuius etiam doctrinam Innoc. contra Abb. Ioachim confirmauit, vt habetur extra de summa Trinit. & fide Catholica, cap. damnamus. hæc ergo determinatio, omnis, longe post illam determinationem Magistri edita est, atque adeo Decretalis non instituit confessionem, nec præcepit tanquam prius non præceptam, sed tempus quoddam limitat, in quo omitti non debet, & quædam alia circa confessionem determinat. Nec potest Canonista inuenire vbi ab ecclesia imponatur hoc præceptum; nec facile inueniet aliquod concilium, vel præceptum propriè vbi exprimatur præceptum de confessione facienda. Vnde debuissent Glossa, & Panor. allegare locum, vel Canonem, in quo confessio ab ecclesia sit præcepta: quia turpe est dicere aliquid esse institutum ab ecclesia, & non posse ostendere vbi, vel quando; sicut turpe esset Theologo dicere aliquid contineri in Biblia, & non posse demonstrare locum. Deinde si hæc opinio Glossæ esset vera Papa non teneretur ad confessionem: quia par in parem non habet imperium, vt dicitur extra de verborum significatione cap. exijt, qui seminat, cum sit certissimum, Papam esse supra Concilium; sicut non ligatur per illud cap. omnis, ad confitendum semel in anno, quod sensit Ioan. And. in cap. significasti, de foro competenti, Felinus cap. 1. de const. col. 9. & Nauar. de pœnit. dist. 5. num. 32. Rursus postremo si vera esset hæc opinio Glossæ, non videretur, quod infideles tenerentur ad præceptum de confessione, quia secundum Apost. 1. Cor. 5. Quid mihi est de his, qui foris sunt iudicare? quod reputatur falsum, quia præcepta diuina videntur obligare omnes, & confirmatur ex cap. gaudeamus. de diuortijs, vbi habetur, quod infidelis non subijcitur ecclesiæ.

Magist. Gratianus. *Ioan And. Felinus. Nauar.*

Circa hoc argumentum obseruandum est, quod Ricar. hac. dist. art. 2. q. 4. ait omnes tam fideles, quam infideles teneri præcepto confessionis, non quatenus est pontificium, sed quatenus est diuinum, quia Deus habet plenitudinem potestatis vniuersaliter super omnes, & præceptum vniuersaliter dedit. Idem videtur innuere hic Scotus; eamdē sententiam tenet hic Tataretus explicans auctoritatem illam D. Pauli. 1. Cor. 5. Quid mihi est de his &c. vbi dicit, quod illi qui sunt extra ecclesiam, scilicet infideles, sunt extra ecclesiam quo ad institutiones positiuas ecclesiæ, & subdit D. Paulus. Dominus autem iudicabit. q.d. quod licet non subijciantur ecclesiæ institutionibus; subijciuntur tamen institutionibus Christi, & iure diuino. Notum est etiam, quod infideles iure Creationis, & redemptionis subijciuntur Deo, & Christo, quia Dominus non solum redemit nos, sed etiam omnes, atque adeo quo ad præcepta Dei subijciuntur, idest debent subijci omnibus præceptibus Christi. Et si dicas non sunt oues Christi, ergo &c. dicit quod non sunt oues quo ad adhæsionem fidei, & charitatis, sed sunt oues multæ in præscientia Dei. Vnde dicit D. August. Nulli sunt deijciendi ab ecclesia; qui hodie sunt lupi crastina die erunt oues, qui hodie sunt infideles, crastina die erunt fideles, ex quo inferet, quod cōfessio est de iure diuino, & quod infideles tenentur confiteri peccata sua, sicut & nos. Idem tenet Maior hac. d. q. 1. in articulo motus. Angelus verbo confes. 7. §. 2. & Gabriel hac. d. q. 1.

Ricardus. *Scotus.* *Tataretus.* *D. August.*

Cæterum Almaynus hac. d & q. tenet infideles non teneri ad confessionem, quod probat hoc pacto. Nunquam infidelis agit contra præceptum de confessione, ita quod

Almaynus.

peccet

peccet nouo peccato si non confiteatur, ergo numquam infidelis obligatur confiteri, pro illo tempore quo est infidelis. Item esto quod infidelis esset in periculo mortis, nunquam peccaret per hoc quod nõ confiteretur etiam habita opportunitate sacerdotis, probatur: quia detur oppositum, scilicet quod Socrates infidelis peccet quia non confitetur, vel ergo peccat, quod tenetur cõfiteri de peccatis commissis ante Baptismum, vel quia tenetur baptizari habita opportunitate sacerdotis; si detur vtrumq. ergo peccaret duplici peccato, scilicet duplici omissione, quia omittit confiteri, & omittit baptizari. non potest dici primum: quia confessio nihil ei prodesset nisi baptizatus esset: quia nullus est capax alicuius sacramenti, nisi fuerit baptizatus; ergo infidelis non peccat, quia non confitetur, sed quia pro tunc tenetur baptizari, & Baptismum omittit, sed quod non detur secundum, scilicet quod peccat omittens confessionem: quia pro tunc tenetur baptizari patet: quia bene sequitur. Socrates pro nũc tenetur baptizari; ergo si baptizetur non tenetur confiteri peccata sua ante baptismum commissa; & esto quod nunquam postea committat, sequitur quod non potest dari casus, in quo Socrates infidelis peccet peccato omissionis de nõ confitendo, antequam sit baptizatus; atque adeo non potest agere contra præceptum confessionis antequam baptizetur. Et confirmatur ex Can. Concilij, omnis vtriusq; sexus fidelis, quod quidem est expressio, & determinatio diuini iuris.

Item ius diuinum supernaturale solum obligat vniuersũ orbem ad suscipiendam euangelicam fidem; obligatio autẽ ad alia præcepta singularia sacramentorum non exurgit nisi ex ipsa professione fidei, quæ fit in Baptismo, quemadmodũ si quis fecit votum simplex religionis. licet teneatur ad religionem, non tamen ad eius cæremonias, & officia, donec illã profiteatur; infideles ergo non tenentur immediata obligatione ad confessionem, sed dum Baptismum susceperint. Et confirmatur infideles prius tenentur baptizari; quam alia eis sacramenta permittantur; per baptismum autem omnia peccata plenissime remittuntur, ergo non tenentur ad confessionem donec post Baptismum fuerint lapsi. Ex quo fit ꝙ illud Concilij Carthaginensis 4. quod refertur in cano. Baptizandi de pœnit. dist. 4. vbi habetur quod Baptizandi per aliquot dies abstineant a vino, & carnibus, & sacerdotali manuum impositione examinati baptizentur, non intelligitur, quod debeant sacramentaliter absolui, sed manuum impositio erat genus exorcismi. *Concilium Carthag.*

Et si dicatur. si infideles non tenentur confiteri, ergo præceptum de confessione non est diuinum. Dico quod sunt aliqua præcepta diuina, quæ obligant aliquem, scilicet Prælatum, vt est illud præceptum. Pasce oues meas. & non obligat omnes indifferenter; ideo non sequitur; hoc præceptum non obligat omnes indifferenter, ergo non est diuinum.

Ad illud de Græcis inquit Scotus, quod non concludit: quia Græci plures consuetudines laudabiles omiserunt, ex eo tempore quo ab ecclesia recesserunt, & similiter hanc cõfitendi consuetudinem non solum laudabilem, sed & necessariam, potuerunt omittere. Sed neque constat quod Græci nõ vtantur hac confessione: quia nullus Doctor carpit illos de hoc errore, cum plurimi alias eorum abusiones reprehendant; & esset hæc notabilior discordia ab ecclesia Romana, quam conficere in fermentato, vel vti hac forma in Baptismo, Baptizetur seruus Christi, de quibus non tacetur a Doctoribus latinis. Ad id quod dicit hic Scotus. dicit Adrianus quod Scotus loquitur ad hominẽ; quoniam Canonistæ tenent infideles teneri ad confessionem. Contra inquit Scot. si confessio esset solum de iure ecclesiastico sequeretur infideles non teneri ad confessionem, cuius oppositum Canonistę affirmant. Nam Scot. in hoc. 4. d. 4. q. 5. docet peccata commissa ante Baptismum non esse materiam confessionis. *Adrianus.*

ARTICVLVS II.

Vtrum confessio sacramentalis sit de iure diuino in Euangelio expressa.

DVplicem hic titulus potest habere sensum, vnus est an in illis verbis Christi Ioan. 20. quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. habeatur expresse confessionis sacramentalis institutio. alter est an Christus Dominus illis verbis instituerit sacramentalem confessionem vt necessariam ad salutẽ, & in vtroque sensu examinandus est a nobis.

Quantum ad primum obseruandum, est primo, quod cũ supra conclusum sit, quod non tenemur ad sacramentalem confessionem iure naturæ, nec solum iure humano, sequitur quod teneamur confiteri iure diuino positiuo, & cũ non obligemur iure diuino contento in lege Moysi; sequitur quod teneamur iure diuino Euangelico, ideo est difficultas, vtrum illud ius diuinum sit explicite positum a Christo Seruatore in Euangelio, vel solum vocetenus a Christo dictum Apostolis, & ab ipsis Apostolis successoribus suis, & tandem nobis promulgatum; vel sit explicite positum in aliqua doctrina Apostolica, vel alicuius Apostoli.

Secundo obser. est, quod in hoc artic. non quærimus de præcepto, sed de eius institutione, vbi scilicet legatur instituta sacramentalis confessio. de qua re est duplex modus dicendi. Primus inquit confessionem sacramentalem esse de iure diuino expresso in Euangelio illis Christi Domini verbis Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. Alter vero tenet præceptũ confessionis obligare ex iure diuino, promulgato a Christo Domino sanctis Apostolis, & ecclesiæ ab Apostolis absque aliqua expressa scriptura, sicut alia quã plurima tenet ecclesia oretenus ab Apostolis sibi promulgata sine scriptura, quæ traditiones diuinas vocamus, iuxta illud Ioan. 20. Multa & alia signa fecit &c. & illud Pauli. 1. Cor. 11. Cætera cum venero disponam, & habetur expresse extra de celebrat. missarum cap. cum Marthæ.

His obseruatis ponitur hæc conclusio iuxta primum modum dicendi. Confessio sacramentalis est instituta a Christo illis verbis, quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. Probatur conclusio. Hic data est potestas Apostolis, & in eis omnibus sacerdotibus remittendi peccata, non principaliter, & auctoritatiue, quia hoc est Dei proprium, sed ministerialiter, & arbitratiue; sed non possunt arbitrari in causa ignota: quia vt habetur Prouer. 12. Qui loquitur, quæ nouit iudex iustitiæ est, ergo illis manifestanda est causa, in qua debent arbitrari; & talis manifestatio est confessio, igitur ex collatione istius potestatis facta sacerdotibus in causa peccati, obligatur ad accusandum se illis per confessionem peccatorum suorum. alioquin frustra conferrentur claues & frustraretur verbum Christi, sicut dicit D. August. tract. de cura militiæ. Nemo dicat occulte. Ego pœnitentiam apud Deũ ago, nouit Deus, qui mihi ignoscit. quia in corde meo ago. Ergo sine causa dictũ est, q̃ solueritis in terra soluta erunt in cœlo, ergo sine causa datæ sunt Claues ecclesiæ. Hæc Aug. *D. August.*

Et si dicatur, quod licet illis verbis data sit Apostolis, & sacerdotibus potestas iudicandi, & cognoscendi de causa peccatoris, & instituta sit absolutio pœnitentialis; non tamẽ ex illis verbis præceptum est peccatoribus, quod sacerdotibus se submittã; quodque illis cõfiteantur. quia diceretur, quod sacramentum, & potestas clauium super peccatorem instituta sunt ibi tanquam vtilia, & bona, non tamen tanquã necessaria; sicut etiam sacramentum matrimonij institutũ est a Deo tanquam vtile, efficax, & bonum, sed non tanquã necessarium, quia alias omnes obligarentur ad matrimoniũ ex præcepto, quod est falsum. Item extrema vnctio est instituta a Christo, & confirmationis sacramentum, vt dictum est supra, & tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de illo, vel isto recipiendo. Ita in proposito diceretur, quod volentibus se subdere, & confiteri sacerdotibus, sacramentũ pœnitentiæ est bonum & efficax; non est tamẽ ex illis verbis necessarium, nec cadit confessio sub præcepto.

Et tunc ad formam argumenti, cum dicitur sunt arbitri in causa peccati, ergo alij debent se illis accusare; dicitur, quod verum est si illi volunt se eorum arbitrio submittere; & si se submittant, ipsi habent bene potestatem arbitrandi, quam non habent illi, qui non sunt sacerdotes, quantumcunque peccatores se illis submittant. Sed non sequitur ex hoc, ergo alij idest peccatores necessitate præcepti tenentur se submittere eorum arbitrio. hoc declaratur exemplo. Quatuor sunt sacerdotes, qui ex æquo habent auctoritatem absoluendi peccatorem parochianum scilicet Papa, Episcopus, Curatus, & Pœnitentiarius, quilibet habet auctoritatem absoluendi istum peccatorem, & quilibet est complete arbiter idest Iudex eius quantum ad potestatem; & tamen non sequitur Episcopus habet potestatem iudicandi, & absoluendi Petrum parochianum huius ecclesiæ; ergo parochianus de necessitate debet iudicari ab Episcopo, non sequitur quia potest accedere ad curatum.

Et confirmatur per hoc, quod Christus subiunxit. Et quorum retinueritis retenta sunt; illud verbum retinueritis retenta sunt, non est præcisum, videlicet, quod illa sola peccata sunt retenta, quæ sacerdotes retinuerint; quia non solum illa peccata retenta sunt a Deo peccatori ad pœnam, quæ retenta sunt a sacerdote: quia sacerdos non retinet aliqua nisi aliquo modo sibi accusata, licet signis indubiis pœnitentiæ. Sed etiam illa, quæ nullo modo sunt ostensa sacerdoti Deus retinet ad vindictam gehennæ. ergo nec istud verbum quorum remiseritis remittuntur erit præcisum; vnde neutri affirmationi adiunxit negatiuam denotantem remissionem factam ab Apostolis, vel retentionem esse præcisam respectu retentionis, vel remissionis a Deo faciendæ. Non enim dicitur quorum non remiseritis non remittentur; & quorum non retinueritis, non retinebuntur; atque ita videtur relinqui in potestate peccatoris, quantum est ex illis verbis, quod se submittat, vel non submittat sacerdoti in confessione; nec ex illo verbo cadit confessio sub præcepto.

Sed contra hanc responsionem arguit Doc. Nulli committitur potestas iudiciaria, vel arbitraria, nisi alicui imponatur necessitas submittendi se sibi; sed sacerdoti per te cōmittitur huiusmodi potestas in causa peccati, ergo alicui vt reo imponitur necessitas submittendi se arbitrio eius; & hoc per idem. Maior probatur: quia nullus est iudex alicuius; in cuius scilicet iudicandi voluntate est iudicari ab isto iudice, vel non iudicari; tunc enim Iudex nullam iudicandi potestatem haberet, si iste posset iudicari si voluerit, & non iudicari si noluerit. Ad quid enim est potestas iudiciaria apud aliquem, nisi vt ius dictet in illum, qui tenetur parere iuri. Tantummodo enim iudicare per modum punitionis si tu velis, non est iudicare.

Sed nec istud cogit, inquit Doctor. Concedo enim quod iste arbiter non tantum habet, vt possit dictare ius idest proferre sententiam; in causa ista; sed ex quo alius submittit se sibi, sua dictatio ligat, vel soluit illum. Nam Rex potest in Regno suo alicui committere potestatem iudicandi, ita quod sua iudicia valida & efficacia erunt, si partes coram ipso voluntarie velint procedere; itaque nullis partibus imponeret Rex necessitatem, vt agant suas causas coram illo; nihilominus si submitterent se illi, valida erit sententia sua. hæc ergo propositio est falsa, nulli datur auctoritas iudicandi, nisi alicui imponatur necessitas se subijciendi illi. Sed ista est vera, nulli datur auctoritas iudicandi, quin sententia valeat, si partes se submittant. Non sic autem dictatio alicuius scientis ius, & non habentis potestatem iudiciariam. Vult dicere Doctor, quod differentia est inter Iudicem, & iuris prudentem: quia si a iuris prudente petatur quid iustum, sententia ab eo lata non ligat, sed si petatur a Iudice, qui habet potestatem iudicandi, licet nullus habeat necessitatem se submittendi illi; si petatur ab eo iustum sententia eius ligat. Videtur ergo, quod istæ rationes non concludant nec sunt efficaces ad probandum, quod ex illis verbis quorum remiseritis &c. imponatur necessitas confessionis, nisi pœnitentes se submittant, sed bene potest probari ex illis verbis, a fortiori alijs verbis scilicet Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum.

Et arguitur sic supponendo, quod qui peccat mortaliter perdit gratiam & quod virtute huius præcepti, Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut te ipsum, tenetur agere quantum potest ad recuperandam gratiam: quia alias non diligeret Deum, nec seipsum sicut debet. hoc supposito sic arguitur Quilibet tenetur agere quantum potest ad recuperandam gratiam, ergo quilibet peccator a gratia baptismali collapsus, facere, & admitti tenetur, vt gratiam recuperet, atque adeo ne a Deo sua retineantur peccata; debet enim pro sua quisque parte satagere, vt in gratiā redeat, neque vel momēto si posset in offensa, & inimicitia Dei perseueret. Sed ex illis verbis quorum remiseritis &c. sacramentalis absolutio instituta est a Christo Domino pro recuperanda gratia, ergo quilibet tenetur post peccatū elaborare quantum potest, vt absolutionem sacramentalem consequatur, quod non potest sine confessione: Nam sacerdotes neque remittere queunt aliter peccata, quam non remittendo, neque absoluere quemquam possunt ab eis; nisi illa sibi manifestentur.

Et si dicas concesso antecedēte, scilicet quod quilibet tenetur elaborare ad recuperandam gratiam, & quod absolutio sacramentalis est instituta ad gratiam recuperandā, ergo tenetur admitti, vt consequatur absolutionem sacramētalem a sacerdote, nego consequentiam: quia est aliud remedium ad recuperandum gratiam; sed si assumeres minorem isto modo; sed absolutio sacramentalis est medium præcisum ad recuperandam gratiam, tunc argumentum concluderet, sed minor est falsa; quia est aliud remedium scilicet contritio; argumentum ergo solum concludit, quod tenetur conteri, vel confiteri sacramentaliter.

Cōtra quādocūque sunt duo media pro aliquo fine cōsequendo vnū certius, & facilius altero, semper quod est certius & facilius est eligendum; nam alias videretur contemnere, sed contritio, & absolutio sacramentalis, sunt duo media ad recuperandam primam gratiā, & absolutio sacramētalis est medium certius & facilius, ergo hoc medium est eligendum. Maior patet, quia si dimitteret medium certius, & facilius, idest quod magis est in potestate hominis exponeret se periculo salutis suæ, & videretur esse contēptor propriæ salutis. Minor probatur, quia in absolutione sacramentali non oportet nisi non ponere obicem ad gratiam, quod multo minus est, quam habere contritionem sufficientē, vel aliquam attritionem, quæ per modum meriti de congruo sufficiat ad iustificationem, vt dictū est supra dist. 14. Potest etiam aliquis esse magis certus, quod non ponat obicē, quā quod habeat attritionem sufficientem quasi per modū meriti de congruo: quia probabiliter potest scire se tunc nō peccare actualiter peccato interiori, vel exteriori, & intendere recipere, quod ecclesia intendit illo sacramento cōferre. Nō sic potest scire se habere attritionem sufficientem, vt meritū de congruo ad iustificationem. Ex illis itaque verbis Domini. Quorum remiseritis peccata &c. ex quibus sacramentalis absolutio habet efficaciā, & ex illo præcepto dilectionis Dei, & sui ipsius tenetur peccator ad sacramentalem cōfessionem. Habemus ergo ex Scoto, quod non ex vnico passu sacræ scripturæ habetur præceptum de confessione, sed ex his duobus scilicet quorum remiseritis peccata &c. & diliges Dominum Deum tuum, & proximū tuū sicut teipsum.

Hæc ratio inquit Doct. si concludat præceptū de confessione haberi ex illis verbis Euangelij. Quorum remiseritis peccata &c. & illis Diliges Dominum &c. bene quidē, sin autem proteruiendo aliquis dicat rationem non concludere præceptum. Saltem concludit hoc, quod præceptū de confessione faciēda est valde rationabile pro multitudine: quia etsi aliqua persona possit habere aliquod remediū speciale puta contritionem, de hoc tamen remedio particulari non datur præceptum, sicut datur præceptum de remedio, quod communitati est possibilius, & certius omnibus, qui sunt de communitate, vt dictum est supra d. 4. q. 6. de Baptismo. Nā licet aliquis habeat Baptismum flaminis sine Baptismo fluminis; tamen quia Baptismus fluminis est remediū facile & certū, præceptū de hoc pro tota communitate, est valde rationabile. atque ita ad minus habebo, quod rationabiliter fuisset datū præceptū generaliter de confessione facienda.

Aliqui dicunt. quod præceptum de confessione continetur non quidem in illis verbis. Quorum remiseritis &c. sed in illis quorum retinueritis retenta sunt, glossando hæc verba in hunc modum, quorum non remiseritis nō sunt remissa, ita quod sit sensus. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis idest non remiseritis, retenta sunt, idest non sunt remissa. & hoc stante glossemate, sic probant ex illis verbis præceptum confessionis; homo tenetur laborare, quod remittantur sibi peccata, ergo tenetur conteri illa, consequentia est certa. nec indiget probatione, ergo ex illis verbis imponitur necessitas confessionis; & si dicas, quod etiam contritio remittit peccata, ergo non est necessaria confessio. Respondeo vel intelligis quod contritio sola sine voto confessionis remittit peccata, & hoc est falsum, vel cū voto confessionis & sic concedo. Et est simile de Baptismo. Nā inquit Christus. Nisi quis renatus fuerit &c. supple vel in re, vel in voto; nam oportet habere Baptismum, aut in re, vel in voto. & qui habet Baptismum in voto, habita rei opportunitate tenetur ad rem. Ita in proposito. Quorū remiseritis vel in re realiter absoluēdo, vel taliē in proposito illius, cui remittuntur, ergo si tenetur ad propositum vel votum confessionis tenetur etiam ad rem ipsam habita opportunitate rei, & sic ita glossādo facile videtur quod præceptū de confessione habeatur in illis verbis. Quorum retinueritis &c.

Almayn. Brianson. tis &c. & hic modus dicendi placuit Almayno in ista quæst. & Brianſoni in ſuo. 4. q. 8. corrol. 3. documento 1. ſub litt. H. & hæc quantum ad primum modum dicendi.

Secundus modus dicēdi, quem tetigimus ſupra, eſt quorundam dicentium, quod ſub præcepto diuino cadit cōfeſſio facienda aliquando a peccatore poſt Baptiſmum ſacerdoti, ſed iſtud præceptū non eſt expreſſum in ſcriptura, nec poteſt efficaciter trahi ab aliquo verbo ſcripturæ, ſed tamē creditur fuiſſe traditum Apoſtolis a Chriſto, qui etiā iſtud præceptum publicauerunt, & eccleſiæ obſeruandū reliquerunt, ſicut & de alijs multis, quę tenet eccleſia ex traditione Apoſtolorum, quæ tamen in canone ſcripturæ non exprimuntur. Et hunc modum dicendi tangit hic Doc. ſub litt. I. & illum ſequitur Baſſolus hac. d. q. 2. art. 1. §. Quarti dicūt. *Scotus. Baſſolus.*

Tenendum eſt ergo quantum ad primum, quod explicandum erat in hoc art. quod Chriſtus ipſe per ſe, vel certe per inſpirationem factam ſuis Apoſtolis ſacramentalē confeſſionem nobis præcepit. Ipſa enim Chriſti prouidentia, & ſolicitudo ſingularis, quam perpetuo ſuæ eccleſiæ geſſit, vbi & alia omnia argumenta ceſſarent, veriſimillimū facit Chriſtum, & in hoc quoque ſuæ eccleſię, ſicut & in alijs leuioribus benigne proſpexiſſe. Tradiderunt, vt certā hanc doctrinam magno conſenſu Doctores Scholaſtici. S. Thomas, Scotus, Durādus, Paludanus, & alij in 4. ſent. d. 17. & Marſilius. q. 12. quæſt. & Adrianus. q. 2. de confeſſione. Et ne quiſpiam amplius de hoc ambigat definita eſt hæc veritas vt certa ex fide, & contraria dānata, vt hæretica a Syxto. IV. in Bulla, qua approbat Cōcilium Cōplutenſe contra Petrū de Oſma congregatum. & demum a Patribus in Concilio Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. Probantibus neceſſitatem confeſſionis ex auctoritate illa ſupra citata, quorum remiſeritis peccata &c per diſcurſum quem ſupra adduximus ex Scoto, habetur quod ſenſus germanus illius auctoritatis continet præceptū confeſſionis eſſe de iure diuino. Vnde eadem ſeſſ. canon. ſexto legimus. Si quis negauerit confeſſionem ſacramentalem, vel inſtitutam vel ad ſalutem neceſſariam iure diuino anathema ſit. *D. Thomas. Scotus. Durandus. Palud. Marſilius. Adrianus. Sixtus. 4. Conc. Trid.*

Neceſſariū dupliciter ſumitur. Quo ad ſecundum obſer. eſt, quod neceſſarium capitur dupliciter, vel neceſſitate finis ſine quo nullo modo ſalus finalis obtineri poteſt, vel neceſſitate præcepti. hoc eſt neceſſarium ad euadenda peccata, non tamen neceſſariū ad ſalutem: quia ſine obſeruatione talis præcepti poteſt aliquis ſaluari, ſi poſtea eum pœniteat peccaſſe. Exemplum vtriuſque, Baptiſmus eſt neceſſarius ad finalem ſalutē, quia ſine eo nemini patet ſalus. exemplum ſecundi, vt honorare parentes: poteſt enim aliquis ſaluari quamuis parentes iniuria affecerit: quia ſi poſtea pœniteat ſaluabitur, ergo hoc præceptū non eſt neceſſarium ad ſalutem; ſed ſolū ad cauēda peccata.

Neceſſariū neceſſitate finis quid ſit. Secundo obſer. eſt vt conſtet modus loquendi aliquorū Doctorum, quod omne illud, quod eſt inſtitutum, vt remedium præciſum ad remiſſionem peccatorum eſt de neceſſitate finis, cæterū ſi eſt actus exterior ſi nequit haberi in re, ſufficit in voto, quia alias obligaremur ad impoſſibile. his obſeruatis ſit.

Prima Concluſio. Sacramentalis confeſſio non eſt neceſſaria in re neque ad ſalutem, neque ad iuſtificationem etiā poſt Baptiſmum probatur: quia nullus obligatur ad impoſſibile, ſed poteſt contingere, quod in articulo mortis deficiat miniſter huius ſacramenti ergo &c.

Secunda concluſio. Sacramentalis confeſſio eſt neceſſaria poſt Baptiſmum ad ſalutem finalem in re, ſi adeſt facultas recipiendi hoc ſacramentum, ſin minus in voto; Eſto enim quod aliquis ſit in articulo mortis conſcius alicuius mortalis, & habeat confeſſoris copiam, & facultatem confitendi, ſi non confiteatur, quantumcunque conteratur non ſaluabitur, ſin minus, contritio ſufficiet cum confeſſione in voto. Probatur ex prædicto loco Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata &c. ex quibus verbis tale colligo argumentum, Chriſtus Dominus inſtituit non remittere peccata niſi ſacerdote remittente, ſed Deum remittere peccata eſt neceſſarium ad ſalutem; ergo ſacerdotem remittere peccata eſt neceſſarium ad ſalutem; ſed cū ſacerdos nequeat remittere peccata, ſi non præcedit confeſſio, ſequitur confeſſionem eſſe neceſſariam ad ſalutem; & confirmatur, ex definitione Concilij Trid. vbi ſupra definientis hanc veritatem ſub his verbis. Si quis negauerit confeſſionem ſacramentalem eſſe neceſſariam ad ſalutem de iure diuino anathema ſit, quod autem ſufficiat in voto in caſu propoſito nempe deficiente Confeſſore probatum eſt in prima concluſione: quia ad impoſſibile nemo tenetur. *Conc. Trid.*

Tertia concluſio. Votum confeſſionis ſiue propoſitum, quando deeſt copia confeſſoris, ſufficit virtuale aut implicitum, hæc concluſio eſt Ricardi hac. d. art. 2. q. 1. & eſt contra Canum in relectione de pęnitentia. p. 5. & probatur; quia in contritione continetur implicite votum confeſſionis, & ſufficit vt probatum eſt ſupra. d. 14. ergo &c. Sed contra hoc arguit Cano, ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem tanquam media ad hoc inſtituta, ſine quibus vita æterna obtineri nō poteſt, non ſufficit ea habere in voto implicite; huiuſmodi eſt fides Chriſti, Contritio, & Baptiſmus, de quibus certum eſt, quod non ſufficiunt ad ſalutem niſi in voto explicito, ſed cōfeſſio ſacramentalis eſt medium neceſſarium ad ſalutem, ergo requiritur in voto explicito in articulo mortis. Reſpondetur quod ad iuſtificationem impij primus actus eſt velle ſuſcipere Baptiſmum: quamuis enim ſit vltimus in executione, eſt tamen primus in intentione, & ideo non habet alium actum in quo contineatur, at vero votum confeſſionis poteſt contineri in contritione, ideo non requiritur votum actuale confeſſionis ad ſalutem finalem. Et ſi dicas, ſi ad iuſtificationem, & ſalutem finalem ſufficit contritio cum propoſito virtuali confitendi, ſequitur quod non eſt magis neceſſaria cōfeſſio ad ſalutem, quam quodcumque aliud præceptū, ſiquidem requiritur ad iuſtificationem habere propoſitum virtuale ſeruandi omnia mandata. Nego conſequentiam, & ratio diſcriminis eſt: quia ad vtrunque requiritur propoſitū virtuale diuerſimode tamen: quia propoſitum ſeruandi omnia mandata, requiritur tantum ad cauendum in poſterum peccata; propoſitum vero confitendi requiritur tanquam medium neceſſarium ad remiſſionem peccatorum, & recuperandam gratiam: quia iſtud propoſitum concurrit cum ipſa contritione ad remiſſionem peccatorum tanquam actus pęnitentiæ; propoſitum autem cauendi peccata concurrit ad iuſtificationem, ſicut actus dilectionis. *Ricardus. Canus.*

ARTICVLVS V.

Vtrum confeſſio ſacramentalis ſit de iure diuino promulgato, per ſcripturam Apoſtolicam.

De hac re triplex eſt opinio. Prima tenet cōfeſſionem ſacramentalem inſtitutam fuiſſe a B. Iacobo Apoſtolo epiſtolæ ſuæ cap. 5. per ea verba. Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini, pro qua opinione facit cap. fin. diſt. 1. quod habet, ſequendam inſtitutionem Apoſtoli dicentis confitemini alterutrum &c. Vnde ponderandum eſt verbum inſtituere, quod ſignificat nouā legem edere. cap. in altis. diſt. 4. Hanc opinionem refert Gloſſa de pen. diſt. 5. in principio. *Gloſſa.*

Secunda opinio aſſerit. Iacobum verbis illis, neque confeſſionem ſacramentalem inſtituiſſe, neque præcepiſſe ſed inſtitutam iam, & præceptam a Chriſto promulgaſſe, & ad eam iam vſitatam, & conſuetam in Eccleſia omnes Chriſtianos adhortatum fuiſſe. hanc ſententiam docent Ricardus in 4. d. 17. art. 2. q. 1. & Vega lib. 13. in Concil. Trident. c. 28. Quod in hunc modum probant. Cum enim monuiſſet Apoſtolus infirmantes, vt accerſerent ad ſe presbyteros eccleſiæ, vt orarent ſuper eos, & oleo eos inungerent, ne adhoc ſolum eos inducendos quiſpiam exiſtimaret, & non potius, vt ægrotantes eis confiterentur, & acciperent ab eis ſi in peccatis eſſent eorum remiſſionem, ſubiecit ſtatim. Confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro inuicem vt ſaluemini, quod ſi vt veriſimillimum eſt illa verba, vt ſaluemini ad confeſſionem etiam referantur ſatis illorum additione ſignificata eſt neceſſitas confeſſionis. *Ricardus. Vega.*

Vnde Hugo de ſancto Victore. 2. de ſacramen. p. 14 cap. 1. Quærit quid eſt confitemini alterutrum peccata veſtra vt ſaluemini? & ipſe ſibi ita reſpondet. Hoc eſt non ſaluemini, niſi confiteamini. Et ne particula illa alterutrum aliquem moueat, vt credat Iacobū non eſſe de confeſſione ſacramentali locutum. Rogat Hugo. Quid eſt alterutrum; Ac mox reſpondet. Non ſolum homo Deo; ſed inter vos alter alteri, homines hominibus, oues paſtoribus, ſubiecti prælatis, hi qui peccata habent, iis qui peccata dimittere poteſtatem habent. Hæc Hugo. *Hugo.*

Item D. Auguſt. 2. de viſit. Infirmorum. c. 4 eadem verba Iacobi de confeſſione ſacramentali interpretatus eſt his verbis. *D. Auguſt.*

bis Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo cui nihil est occultum, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim aut erubescunt siue dedignantur ostendere se sacerdotibus, quos tamen inter lepram, & lepram discernere per legislatorem constituit Dominus. Sed nolo vt ipsa decipiaris opinione, quatenus confundaris confiteri coram Domini Vicario, tabescens prę rubore, vel ceruicosus prę indignatione: Nam ipsius humiliter subeundum est iudicium, quem dominus sibi non dedignatur vicarium. Ergo ad te venire roges sacerdotem, & sic ipsum conscientiarum tuarum poenitus participem. Nō seducat te somniantium illa superstitio, quę in visitando confirmat, quia saluat sacerdote inconsulto ad Deum peccatorum confessio. Nos autem non abnegamus, quin sit ad Deū frequenter referenda confessio peccatorum. Beatus etenim qui tenebit, & allidet paruulos, vel maximos suos ad petrā. Petra autem erat Christus, sed testamur, & testatur, & illud sana doctrina, ne tibi applaudentium linueas auribus, quoniam prius eges sacerdotis, qui mediator sit ad Deum tuum salubri iudicio. Alioquin & sub lege, & sub gratia. Ite ostēdite vos sacerdotibus responsum diuinum quomodo consummaretur? Confitemini alterutrum peccata vestra, quomodo compleretur? Ergo cicatricum tuarum arbiter Dei vice Dominicis adhibeatur Presbyter, & reuela ei vias tuas, & ipse tibi exhibebit antidotum reconciliationis. Hæc Aug. Cyrillus etiam, dum confitetur peccator sacerdoti impleri dicit, quod Iacobus ait. Si quis infirmatur in vobis vocet presbyteros ecclesiæ &c. *Cyrillus.*

Scotus. Tertia opinio est Doct. nostri Sub. in hac q. sub lit. H §. Si omnino contendas, dicentis; hoc præceptum confessionis Iacobum non dedisse; nec præceptum a Christo datum promulgasse. Vnde duas conclusiones habet in hac littera Scotus.

Prima conclusio. D. Iacobus istis verbis, Confitemini alterutrum peccata vestra &c. sacramentalis confessionis præceptum non dedit. hæc conclusio est contra primam opinionem, & probatur primo sic. D. Iacobus non habuit auctoritatem obligandi totam ecclesiam: quia non Iacobus, sed Petrus erat supremus Christi vicarius c. ita Dominus. 19. dist. cap. in nouo. 21. dist. cap. 1. 22. dist. & ita non decebat Romanam ecclesiam cui Petrus præerat, a Hierosolymitana cui Iacobus præerat. c. Iacobus. de cōsecrat. dist. 1. lig. rit. Nisi dicatur illam ecclesiam in principio fuisse principalē, & per consequens eius Episcopum fuisse primum Patriarcham, quod non concederent Romani, nec est verum.

Secundo quia primam opinionem consequitur, confessionem iure prorsus humano inductam, & tali iure humano vt inferior pontifice superiorem obligandi dederit. Tertium consilium est pars sacramenti pœnitentiæ substantialis. cap. perfecta de pœ. dist. 1. Et neq. Iacobus, neque alius homo purus potuit, neque potest instituere sacramentum, vt diximus in primo to. nostri 4. d. 1. q. 3.

Secunda conclusio. D. Iacobus non publicauit, seu promulgauit illis verbis præceptum de confitendo. hac conclusio est contra secundam sententiam; quam sic probat Scotus. Apostoli publicantes præceptum domini in scripturis suis vtebantur modo loquendi, per quem potuit innotescere, quod erant præcones Christi, vt patet per illud Pauli. 1. Cor. 7. vbi quando vult publicare illud præceptum domini, de non dimittenda vxore, dicit, Præcipio non ego, sed Dominus. Quādo autem vult facere propriam persuasionem dicit de cohabitatione viri conuersi ad fidem cum sua vxore infideli, vel è conuerso, quia hoc licet sit sine contumelia Christi, non tamen est necessarium, inquit. Dico ego non dominus. alioquin non posset ecclesiæ constare, quod ipse vt pręco publicaret præceptum, nisi ex præcedentibus, vel sequentibus manifestaret se esse in illa publicatione præconem.

Secundo probatur vtraque conclusio per illa verba annexa, dicendo enim confitemini alterutrum non magis dicit confessionem faciendam esse Sacerdoti quam alij. subdit enim. Et orate pro inuicem vt saluemini, per quæ verba nullus diceret ipsum instituisse nec promulgasse aliquid præceptum diuinum; sed veluti per illa verba, Confitemini alterutrum &c. suadet ad humilitatem, vt videlicet generaliter nos fateamur peccatores apud proximos, iuxta illud 1. Ioan. 1. Si dixerimus quod peccatum nō habemus &c. ita per illa verba orate pro inuicē vt saluemini hortatur ad charitatem fraternam, vt videlicet per charitatē fraternā nobis inuicē opē feramus.

Hæc opinio Doctoris licet sit valde probabilis, Secunda tamen opinio non caret sua probabilitate, quia habet illustres auctores & patres, atque adeo vtraque sustineri sine scrupulo potest.

ARTICVLVS VI.

Vtrum confessio sacramentalis sit necessaria sub præcepto.

Vsque modo ostendimus, sacramentalem confessionem esse ad salutem necessariam post Baptismum peccantibus. modo quærimus (esto quod sit necessaria ad salutem sicut gratia habitualis) an sit sub præcepto; itaque si aliquis non confiteatur non solum non iustificetur, sed committat etiam nouum mortale peccatum propter dimissam confessionem, & hoc de iure diuino, sicut diximus constare ipsam confessionem.

Pars negatiua probatur multipliciter; & primo sic; Confessio sacramentalis non est necessaria ad salutem, ergo non cadit sub præcepto diuino, consequentia patet, & antecedens probatur ex D. Ambrosio in illud Lucæ. 22. Petrus egressus foras fleuit amare post negationem Christi ita dicente. Lachrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri, lachrymas Petri lego, satisfactionem nō lego, ergo non est ad salutem necessarium confiteri peccata sacerdoti. Et confirmatur ex Cassiodoro super illud Psal. 31. Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam; sic dicente: Dixi, idest apud me deliberaui, quod confitebor, & tu remisisti. &c. & subdit. Magna misericordia Dei, quod ad solam promissionem dimittit peccatum. & ex. D. August. etiam in eadem Psal. verba dicente. Non dum pronunciat, sed pronunciaturum promittit, & Deus remittit, & denique confirmatur ex cap. 19. Ezechielis vbi dicitur. In quacunque hora peccator ingemuerit. vita viuet &c. ergo confessio non est necessaria. Item in littera Magistri ponuntur aliæ auctoritates de Lazaro Ioan. 12. Qui prius resuscitatus est, quam solutus ab institis, & de leprosis Lucæ 17. *D. Ambros.* *Cassiodor.* *D. August.*

Prætereà sola præcepta decalogi sunt necessaria ad salutē iuxta Christi Domini verbum. Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi serua mandata; ergo si confessio esset ad salutem necessaria contineretur sub aliquo mandatorum decalogi; sed non continetur, quia illa præcepta sunt de lege naturæ, & etiam obligabant tempore legis Mosayca, in lege autem naturæ, & in lege Moysi, non erat obligatio confessionis, ergo confessio non est ad salutem necessaria.

Deinde si confessio sacramentalis caderet sub præcepto diuino: maxime hoc præceptum constaret ex illis verbis. Quorum remiseritis peccata &c. propter rationes supra traditas in explicationem eorumdem verborum, sed ex illis nō constat tale præceptum, ergo &c. probatur minor: nam ex illis verbis solum colligimus, quod illi qui volunt se accusare coram Sacerdote iustificabuntur, non tamen inde colligimus, quod ista sit præcisa via ad iustificationem; si quidem potest homo iustificari alia via, scilicet per contritionem. Et confirmatur, quia Deus multa peccata remittit, & retinet, quæ neque sunt remissa, neque retenta a sacerdotibus, vt patet in illo, qui moritur absque confessione; ergo ex illis verbis non constat præceptum confessionis a Christo Domino positum.

Circa hanc quæst. multi mordent Scotum, affirmantes ipsum asseruisse sacramentalem confessionem non esse sub diuino præcepto; Nā in hac quæst. docet primo Scotus, quod confessio sacramentalis non est de lege naturali, aut scripta, & deinde §. si tertium membrum teneatur; ait si teneatur, quod sacramentalis confessio non cadit nisi sub præcepto ecclesiæ, non potest faciliter improbari; hic reprehenditur Scotus sed immerito: quia hoc probat sic, non potest (inquit) faciliter improbari; nisi quia vel ecclesia non attentasset tam arduum præceptum imponere fidelibus; vel quia non reperitur vbi cœperit ecclesia imponere tale præceptum; si quidem ante Concilium Lateranense vbi præcipitur annua confessio, iam erat sub præcepto, Vnde colligit quod hoc præceptum non sit tantum positiuum canonicum, & licet non videatur Scoto necessario colligi ex Euangelio, tandem affirmat præceptum hoc esse diuinum, & inceduum esse vnum ex duobus, vel quod præceptum confessionis fuit institutum Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. vel quod fuit institutum a Christo Domino verbotenus, & tradi-

traditum Apostolis, vt illud promulgarent ecclesiæ, sicut alia multa hactenus Scotus. Vnde quamuis Scotus longam faciat dissuasionem de vi huius auctoritatis, Quorum remiseritis peccata &c. an videlicet contineat præceptum diuinũ promulgari per eam, vel tantum quod collata sit Apostolis potestas iudicandi sine præcepto confitendi peccatoribus imposito; non ideo tamen negauit confessionem esse necessariã etiam necessitate diuini præcepti; quod illi Sotus audet imponere. d. 18. q. 1. art. 1. sed quam vere patet ex verbis Scoti supra citatis. Procedebat enim Scotus disputatiue ponendo responsiones, quæ suis rationibus dare possent opinantes cõtrarium, quoniam solutiones, cum non dum ostenderetur expressa definitio scripturæ, aut Ecclesiæ, aliquam eua sionem præsetebant, per quam non conuinceretur præceptum confessionis diuinum, ex sola illa auctoritate. Nunquam tamen Scotus dixit confessionem non esse obligatoriam, immo vt patet ex dictis potius docuit necessariam esse ex præcepto diuino positiuo.

Soto.

Nunc autem ex Concilio Trid. sess. 14. cap. 5. probante necessitate in confessionis ex auctoritate illa supra citata, Quorum remiseritis, per discursum, quem supra à Maximus ex Scoto, habetur, quod sensus germanus illius auctoritatis cõuincit præceptum confessionis esse de iure diuino, quod non negauit Scotus, immo sub lit. I. dixit vel igitur tenendum est primum membrum, scilicet, quod sit de iure diuino pro nulgato per Euangelium, vt in tertio, vel tertio membro est declaratum; vel si illud non sufficiat, dicendum est tertium, scilicet quod est de iure diuino positiuo promulgato a Christo Apostolis; sed ecclesiæ promulgato per Apostolos absq. omni scriptura, sicut multa alia tenet Ecclesia oretenus per Apostolos sibi promulgata sine scriptura. hæc Scotus.

Et nota, quod acerrimè reprehenditur vir prudentissa Soto hic, eo quod dubitare videatur ex quo loco Euangelij colligatur hoc præceptum, quamuis fateatur esse diuinum; & non sic increpat Caietanum qui explicans illum locum, Accipite spiritum sanctum &c. ficait, fateor in illa verba sacramenti pœnitentiæ hic haberi, non autem præceptũ, quod quidem recensetur inter errores Caietani. Acriter etiam inuehitur in Scotum, eo quod vocauerit Sacerdotes iudices arbitrarios ex vi verborum institutionis. Sed ipse Soto ex parte procedit æquiuoce non distinguens inter iudicem arbitrum, & arbitrarium; & recte probat Sacerdotes non esse iudices arbitrarios, id est habentes iurisdictionem ex conuentione partium; in quo sensu non est locutus Scotus; non tamen probat sacerdotes esse iudices necessarios, vel quod idẽ est non esse iudices arbitrarios, id est positos in arbitrio pœnitentium, vt Scotus aiebat. Primo quidem, quia non omnes sacerdotes sunt iudices ordinarij, sed ex commissione; Reliqui vero licet dicantur ordinarij iudices, quatenus sunt animarum pastores ex officio; tamen comparati ad Christum sunt iudices delegati iuxta illud Pauli. 2. ad Cor. 5. Pro Christo ergo legatione fungimur, quia solum sunt vicarij ipsius. Nihil autem repugnat aliquem esse iudicem delegatum, & non esse necessarium in prædicto sensu. Sotus vero omnem iudicem, qui non accipit a reo potestatem, sed a principe, ordinarium iudicem vocat: Nam ex eo solum probat sacerdotes esse iudices ordinarios: quia nõ a pœnitentibus sed a Christo potestatem accipiunt. Secundo quia licet in bono sensu, demus omnes sacerdotes esse iudices ordinarios, tamen ex eo non probatur consequentia, quod non haberent vim coerciuam. Nam duobus modis intelligi potest vis coercitiua in iudice, primo vt compellat reum sistere in iudicio, & causã pro se agere, & hoc sensu non est de ratione iudicis ordinarij, vt habeat vim coerciuam, quia Princeps potest duos, aut tres Prætores tanquam ordinarios iudices in Ciuitate constituere, & nulli eorum dare potestatem coercendi Ciues ad agendas causas coram ipsis, sed hoc voluntati subditorum relinquere, atque ita intelligere possumus fuisse a Christo factam huius iudicij institutionem, & fecisse sacerdotes iudices ordinarios pro his, qui vellent ab ipsis iudicari, nõ dando potestatem sacerdotibus, vt eos cogere possent venire ad suum iudicium; immo nec suo diuino præcepto eos ad hoc compellendo, sed eis liberum relinquendo, vt si potius vellent a Deo solo immediate iudicari, coram eo possent suam causam agere; atque hic modus institutionis, eo est facilior in hoc iudicio, quod ad fautorem & commodum rei totum ordinatur, & ideo potuit arbitrio eius relinqui, vt eo vteretur si vellet. Alio vero modo intelligi potest vim coerciuã

Vis coerciua duobus modis intelligi potest.

esse necessariam in iudice ordinatio ad iudicium ipsum perficiendum, postquam accusatio causæ ad ipsum delata est; & hoc sensu facile admittam esse necessariam aliquã vim coerciuam in eo iudice, ad quem spectat iustum de criminibus iudicium ferre; quam necesse est vt possit crimina punire, & non sic sine aliqua coactione proportionata pro ratione iudicij. Hoc autem modo habent sacerdotes vim coerciuam in eos pœnitentes, qui alias non tenebantur, nec cogi pot. stãt eis confiteri: Nam postquam confitentur possunt eis condignam satisfactionem imponere, & ad eam implendam eos obligare vel in hoc, vel in alio sæculo, quæ est coactio huic foro accõmodata, quia in eo tota causa voluntatie agitur, ideoque per voluntariam ipsiusmet rei executionem satisfactio exhibenda est. Per iudicem ergo arbitrarium non intelligit Scotus iudicem habentem iurisdictionem ex conuentione partium, sed iudicem delegatum, cui ministerialiter data est potestas arbitrandi de peccatis nostris vtrum remittere ea nobis an retinere debeat, cum hac vel illa iniuncta satisfactione, vt patet ex toto processu litteræ Scoti.

Sit ergo pro solutione quæstionis prima conclusio, Sacramentalis confessio non solum est necessaria ad salutem sicut Baptismus paruulis, verum etiam est sub præcepto diuino obligans transgressores ad peccatum mortale. Probatur ex definitione Concilij Trid. sess. 14 cap. 5. & can. 6. sub his verbis. Si quis negauerit &c. vsque ibi alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum anathema sit. Ex hoc sequitur, quod potest aliquis damnari propter solam omissionem sacramentalem præterm issam; esto enim quod virtute contritionis, iam sit aliquis iustificatus, & quod in articulo mortis nolit confiteri cum possit, absque dubio damnabitur, propter transgressionem tantum huius præcepti de confessione facienda sacerdoti, & non propter alia peccata, siquidem sunt iam remissa virtute contritionis in ordine ad claues; quia tempore contritionis habuit hoc votum explicitum, aut implicitum confessionis, hoc autem postmodum tenebatur implere in articulo mortis, habita copia sacerdotis, & non impleuit, ideo damnabitur.

Conc. Trid.

Secunda conclusio. Præceptum confessionis colligitur ex illis verbis Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum quorum remiseritis peccata &c. hæc conclusio definita est in Concilio Trid. in dicto cap. 5. sub his verbis. Dominus noster Iesus Christus è terris ascensurus ad cœlum, sacerdotes sui vicarios reliquit, tanquam præsides, & iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint &c. & paucis intepositis subdit Concilium. Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorũ conscientiam habent confessione recenseri, hactenus Concilium. & præter ipsum probatur conclusio. Baptismum dicimus esse sub præcepto: quia est præcisum remedium contra originale, & quia proponitur verbis comminatoriis Io. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, &c. Similiter dicimus esse præceptum de Eucharistia sumenda: quia Ioan. 6. proponitur verbis comminatoriis. Nisi manducaueritis &c. Sed hæc verba, Quorum retinueritis peccata retenta erunt sunt comminatoria, vt constat; Aequiualent enim istis, quos non absolueritis ego non absoluam, ergo inducunt præceptum confessionis, quam præexquirit absolutio iudicialis, patet consequentia a paritate rationis; quia vtrobique proponuntur verba comminatoria.

Conc. Trid.

Ad argumenta respondetur, & ad primum dicit Doctor. Quod tempore negationis Petri sacramentum pœnitentiæ non erat institutum, sed institutum fuit post resurrectionẽ, quando Christus dixit discipulis Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum &c. & ideo Petrus non tenebatur eo tempore ad cõfessionem; immo neque post institutionem sacramenti pœnitentiæ, quia iam ante dominicam resurrectionem per aliud remedium, contritionis, scilicet lachrymosæ ablatum erat illius peccatum; similiterque respondere potest de peccato incredulitatis omnium discipulorum, tempore passionis Christi, quod scilicet non tenebantur postea ad confessionem illius peccati: quia post resurrectionem pœnitentiæ ante institutionem pœnitentiæ: quæ ipsa die resurrectionis fuit instituta. Ex quo patet, quam paruo tempore discipuli fuerunt increduli, idque etiam probat, quod confessionis præceptũ non erat de lege naturæ, neque Moyayca.

Ad verba D. Ambrosij. Lachrymæ lauant delictum &c. Dicit Doctor non sic esse intelligenda quod sine confessione pudorosa, in actu, vel habitu lauetur delictũ, sed quod contritio

trum potest esse tantas, quod per illam etiam ante confessionem deleatur peccatum: quod quidem est ita graue, quod illius confessio subsequens sit verecunda, vel pudorosa.

Ad verba D. August. & Cassiodori adducta in confirmationem argumenti, dicit Scotus, quod illa contritio significata per illa verba. Dixi confitebor aduersum me &c. includunt propositum, seu promissionem cõfessionis sequuturę, & sic peccatum non deletur sine proposito confessionis, idque patet ex verbis Cassiodori, qui verbis prædictis subiungit illa, votum pro opere iudicatur, q. d. votum seu voluntas confitendi iudicatur pro confessione futura, ex quo non sequitur, quod sine confessione futura peccatum deleatur quã tum ad pęnam illi debitam; quia eius confessio est vna ex pęnis debitis, quæ si in hac vita non soluatur, dum tamẽ maneat voluntas soluendi in purgatorio soluetur; si enim mutetur voluntas pœnitentis per nolitionem confessionis, iam recedit a vera pęnitentia & peccat mortaliter, vt dictum est supra, d. 4. q. 6. de Baptizato Baptismo flaminis, & postea contemnente Baptismum fluminis.

Ad auctoritatem Ezechielis potest responderi similiter, & etiam ad alias similes. Vel secundo respondetur, quod loquitur de tempore veteris legis, in qua non erat necessaria confessio, de qua est sermo, vt ex superioribus constat.

Ad secundum respondet Scotus, quod omnes cæremoniæ tam veteris legis, quam nouæ reducendæ sunt ad aliquod præceptum decalogi, possuntque ad illud reduci. Audi Israel Deus tuus vnus est; vel ad illud. Memento vt diem sabbati sanctifices: quæ habentur Deut. 6. Nam siue per primum, siue per secundum præceptum dicamus Deum præcipisse honorari se vt Deum, manifeste sequitur, quod illæ cæremoniæ quibus vult & coli, & honorari sub illo præcepto cadunt, vt sub præmissis cadit conclusio.

Et si dicatur, quod tunc sequeretur, quod tales cæremoniæ sint de lege naturæ. Respondet Scotus, quod ex maiori de lege naturæ, & minori de lege positiua, non sequitur conclusio nisi iuris positiui; Modo ista maior, Deus est colendus, est de lege naturæ, ista vero minor, per talem cęremoniam, scilicet confessionem coli vult Deus & honorari, est mere de iure positiuo, & sic cæremoniæ variatæ sunt pro vario tempore veteris legis, & nouæ. ergo conclusio videlicet per talem cæremoniam colendus est Deus, vt per confessionem est mere de lege positiua: quia semper conclusio sequitur conditionem imperfectioris præmissæ.

Ad tertium patet solutio ex dictis. Si quidem ex prædictis verbis Ioann. 20. non solum colligitur quod volentes confiteri sacerdotibus assequuntur, vel non assequuntur veniam; sed etiam colligitur, quod vna est præcisa via ad iustificationem post lapsum a gratia baptismali scilicet confessio in re, aut in voto; & quando conteritur non iustificatur per solam contritionem, sed in ordine ad claues, hoc est per confessionem in voto, vt dictum est.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Christus Dominus instituit Confessionem auricularem.

CIrca hanc quæstionem obseruandum est quod aliud est quærere an iste modus confitendi ad aurem sit ex traditione ecclesiæ, an de iure diuino, & ex Christi institutione: Aliud autem est quærere an iste modus sit de essentia confessionis, ita quod si aliter fiat non sit sacramentalis.

Cõfessio auricularis, cur ita dicatur.

Secundo obseruandum est, quod confessio auricularis dicitur, quæ secrete fit: quia vero in iure secretum, & publicum magnam habent latitudinem in præsenti secreta confessio dicitur, quæ sine vllo teste fit a pęnitente coram solo sacerdote, & ad explicandum hunc modum secreti, auricularis appellata est.

Tertio obseruandum est, quod non agimus hic de substantia confessionis: iam enim ostensum est illam esse necessariam, sed agimus de modo huiusmodi secreti, an etiam ille necessarius sit.

In qua re cauendus est error hæreticorum huius temporis, qui hunc confessionis modum irrident, vt superstitiosũ, & ab hominibus inuentum; ita in sacra Scriptura (vt aiũt) non reperitur, immo in primitiua ecclesia vsitatus non fuit, quod colligunt ex antiqua consuetudine agendi pœnitentias publicas pro peccatis, ex qua inferunt confessionem nunquam fuisse factam secrete in ordine ad remissionem peccatorum; sed tantum publice in ordine ad correptionem, & publicam ædificationem.

Conc. Trid.

Cæterum hic error damnatus est in Concilio Trid. sess. 14 cap. 5. cuius verba statim referemus. Neque hic modus confitendi est nouus, vt hæretici fingunt, sed antiquissimus & a principio nascentis ecclesiæ, vt Tridentinum commemorat, & sumitur ex Concilio Cabilonensi, c. 33. & ex Leone Papa epist. 78. alias. 80. vbi grauiter reprehendit eos, qui cogũt peccatores, vt publice confiteantur. Cuius hæc sunt verba. Illam etiam contra apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnoui a quibusdam illicita vsurpatione committi modis omnibus constituo submoueri (de pęnitentia videlicet, quæ ita a fidelibus postulatur) ne de singulorum peccatorum genere libellis scripta professio publice recitetur, cũ reatus conscientiarum sufficiat sola sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur: tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, vt ea, qui pęnitentiam possunt, non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis consuetudo, ne multi a pęnitentiæ remediis arceantur, dũ aut erubescunt, aut metuunt inimicis suis, sua facta reserare, quibus possunt legum constitutione percelli. Sufficit enim illa confessio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis pœnitentium precator accedit. Tunc enim demum plures ad pęnitẽtiam poterunt prouocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis, hactenus Leo Papa. Idem habetur ex D. Cypriano lib. de lapsis, & lib. 3. epist. 14. Hierony. in illud Eccles. 10. Si momorderit serpens in silentio, non est amplius habenti linguam, vbi hoc declarat de illo, qui non vult confiteri peccata pastori suo. August. de vera & falsa penit. c. 10. Qui confiteri vult, quærat sacerdotem scientem ligare, & soluere. Idem fere Basilius in Psal. 32. & in regulis breuioribus regula 288. & Chrisost. hom. 5. in illud Isaiæ. Vidi dominum sedentem; lege Vegam lib. 13. in Conc. Trid. c. 29. Inter Catholicos de proposita quæst. triplex est sententia. Prima est Caiet. super illud Io. 20. Quorum remiseritis peccata &c. dicentis quod auricularis confessio, idest modus confitendi ad aurem, non sit institutus a Christo domino, sed ab ecclesia. Sicut in Baptismo Christus non instituit modum baptizandi siue immergendo, siue infundendo, siue aspergendo, sed modus reliquit ecclesiæ sic (inquit Caiet.) in sacramento pęnitentiæ instituit confessionem voluntariam peccati, sed modum confitendi, similiter & absoluendi an ad aurem, an publice ecclesiæ vsui reliquit.

Cõcilii Cabilo.

Leo Papa.

D. Cyprian.

D. Hieron.

D. August.

D. Basilius.

D. Chrisost.

Vega

Caietanus.

Scotus.

Secunda sententia est Scoti in hac q. sub litt. Y. §. Ex hoc patet. opinantis non solum esse ex Christi institutione; imò asserit quod si confessio non fiat auricularis non est sacramentalis, eandem sententiam sequuntur Gabriel hac. d. q. 1. concl. 4 & Angelus verbo Confessio. 1. nu. 29 & 30. & eam probabilem putat Ric. d. 17. art. 3. q. 8. Et potest hæc opinio confirmari ex determinatione Syxti. 4. Qui approbans Conciliũ Complutense inter alios errores Petri Osmensis hanc propositionem, vt manifeste hæreticam damnauit. Non necessario exigitur quod confessio sit secreta. Nam si ad sacramentalẽ confessionem necessario exigitur, quod sit secreta, ergo confessio publica non erit sacramentalis.

Gabriel.

Angelus.

Ricardus.

Syxtus IV

Propositiones damnatæ Petri de Osma.

Vnde obserua quod propositiones Petri Osmensis, vt patet in Bulla Syxti IV. erant istæ. Confessionem peccatorum in specie, ex vniuersalis ecclesiæ statuto, non diuino iure cõpertam fore, Peccata mortalia quo ad culpam, & pęnam alterius sęculi absq. confessione, sola cordis contritione; prauas vero cogitationes sola displicentia deleri; quod confessio secreta sit, non necessario exigi: Non peracta pęnitentia pęnitẽtes absolui non debere, Romanum Pontificem Purgatorij pęnam remittere, & super his, quæ vniuersalis ecclesia statuit dispensare non posse; sacramentum quoque pęnitentiæ quo ad collationem gratię, naturę non autem institutionis noui, aut veteris testamenti, existere; quas Pontifex his verbis dãnat. Nihilominus pro potioris cautelæ suffragio omnes & singulas propositiones prædictas, falsas, sanctæ catholicæ fidei contrarias, erroneas, & scandalosas, & ab euangelica veritate pęnitus alienas, sanctorum quoque patrum decretis, & aliis apostolicis constitutionibus contrarias fore, ac manifestam hæresim continere dicta auctoritate declaramus.

Alphonsus.

Tertia sententia est Patris de Castro lib. 4. contra hæreses verbo

verbo confessio, & est media inter has post Cōcilium Trid. necessario amplectenda, & constat gemina conclusione.

Prima conclusio Christus Dominus instituit confessionē auricularem, & non habetur iste modus confitendi ex sola ecclesiæ traditione. hæc conclusio est contra Caietanum, & probatur primo: quia nō relinquitur ecclesiæ arbitrio, quod certo modo seruari, & ratio, & scriptura docet; non enim posset ecclesia statuere, vt occulta peccata publice quis prodat, ob innumera scandala, quæ inde orientur, ergo instituta a Domino confessione, suapte sponte venit institutio quoque modi confitendi, videlicet, vt publica publice, & occulta occulte, & morosum est omnia velle explicita esse in scripturis. Si enim Dominus confessionem instituit credibile est ēt confitendi modum instituisse, nec alium, quod qui seruatus semper fuit, & quem suadet ipsa ratio, videlicet vt publica publice, & occulta occulte confiterentur.

Probatur secundo ex definitione Concilij Trid. sess. 14. c. 5. & canone. 6. sub his verbis. Si quis dixerit modum confitendi secrete soli sacerdoti, quem ecclesia catholica ab initio semper obseruauit & obseruat alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum anathema sit. obseruandum est tamen, quod Caiet. tomo. 3. opuscul. tract. 15. resp. 5. seipsum declarat, vel potius retractat, sub his verbis. Confessio auricularis non est instituta a Christo in quantum auricularis & secreta; Iste art. non est meus. Sed Ioan. 20. scripsi, quod Christus instituit confessionem voluntariam peccati, sed modum confitendi, & similiter absoluendi, an ad aurem, an publice ecclesiæ vsui reliquit iuxta tamē qualitatem peccati publici, vel occulti. Quod non est dicere hanc negatiuā, confessio auricularis non est instituta a Christo; sed est dicere, quod confessio instituta a Christo non restringitur adhuc modum confitendi; quia extenditur etiā ad confessionem publicam: satisfacit enim præcepto Christi, qui postquam publice peccauit, publice confitetur, publice absoluitur, & publice satisfacit. Quam interpretationem approbat Cano relectione de pœn. p. 5. & Suarez. tomo. 4. disp. 21. sect. 2. nu. 9.

Caietanus.

Canus. Suarez.

Secunda conclusio. Quamuis Christus instituit modum confitendi secretum, non tamen iste modus confitendi est de essentia confessionis sacramentalis: erit enim sacramentalis, quamuis publice aliquis confiteatur. Probatur hæc conclusio ex definitione Concilij Trid. vbi supra sub his verbis. Cæterum quo ad modum confitendi secretum apud solum sacerdotem, & si Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum & sui humiliationem delicta sua publice confiteri possit, non est tamen hoc diuino præcepto mandatum, vbi aperte ecclesia definit Christum modum secrete confitendi instituisse, & publicam confessionem non prohibuisse, & patet quod loquitur Concilium de confessione sacramentali; vnde hæc cōclusio videtur esse cōtra Doct. nostrum Sub. dicentem in solut. 3. & 4. argumenti confessionem factam per interpretem, vel pluribus sacerdotibus non esse pœnitentialem, vel sacramentalem, quia non est confessio secreta, sed quodammodo publica. Dicendum est ergo, quod quando Scotus dixit, quod non tenetur quis confiteri per interpretem, quo ad hoc illius opinio est magis communis, quam opposita; & similiter recte dixit, quod pluribus sacerdotibus simul non est necessario confitendum, quod autem vtrobique dixit, quod talis confessio non est sacramentalis indiget expositione; est igitur exponendus, quod negando talem confessionem esse pœnitentialem, vel sacramentalem, intelligebat pœnitentialem, & sacramentalem non simpliciter, sed obligatoriam, & necessariam, ideoque addebat non tenetur; & non est necessarium, vt patet sub litt. Y. & Z. & etiam potest dici, quod illo tempore non iam certū erat confessionem in publico fieri posse, sicut modo est, maxime post Concilium Trid.

Sed contra hoc arguitur. Auricularis confessio est instituta a Christo, ergo nequit ecclesia hunc mutare modum: quia non ob aliud nequit ecclesia materias, aut formas sacramentorum mutare; nisi quia omnia hæc sunt instituta a Christo, ergo sicut deficiente materia instituta a Christo non fit sacramentum, similiter deficiente modo pro confessione instituto ab ipso sacramentorum institutore non fit confessio sacramētalis. Respondetur negando consequentiam: quia quamplurima habemus circa sacramenta a Christo Domino, quæ nō sunt de essentia ipsius sacramenti: patet; quia a Christo Domino accepit ecclesia, orare, gratias agere, & benedicere ante consecrationem Eucharistiæ. Iste enim gratias agens, benedixit, & fregit &c. cæterum si fiat consecratio absque his omnibus tenet profecto vt constat: quia de essentia sacramēti nihil aliud est, quam materia, & forma, & intentio; similiter in proposito; quamuis a Christo Domino acceperit ecclesia hunc confessionis modum, nec liceat ipsam ecclesiam eum abrogare, aut immutare, nihilominus si confessio fiat publice erit sacramentalis, si reliqua, quæ habent rationem materiæ, & formæ non deficiant.

Ex quo infertur quod confessio facta in mari, vel in bello vbi multi audiunt peccata est licita & sacramentalis. & similiter per interpretem factam, vel pluribus sacerdotibus; ad sic tamen confitendum neque diuino iure neq. ecclesiastico aliquis tenetur. Constat enim ex Conc. Trid. supra relato, quod confessio secreta instituta est a Christo sub obligatione, non tamen publica; neq. sic tamen in tantum est necessarius modus secrete confitendi, quod non possit pœnitens renunciare tali modo, siue iuri suo, quod ob eius famam, & quietē fuit concessum; quæ renunciatio licita est pœnitenti vt ex Concilio constat; estq. consona iuri naturali, diuino, & ecclesiastico, & per hoc patet quid dicendum sit ad confirmationem pro sententia Scoti.

ARTICVLVS SECVNDVS PRINCIPALIS.

IN hoc secundo art. supposito q̄ præceptum sacramentalis confessionis sit diuinum a Christo Domino per Euangelium promulgatum, vel vocetenus datū Apostolis a Christo, & ab Apostolis oretenus illis de primitiua ecclesia promulgatum, inuestigat Doct. quid hoc ius diuinum cōtineat, & intendit explicare quis obligatur hoc diuino præcepto, secundo quid debeat confiteri, tertio cui, quarto quando, quinto qualiter. Nos autem pro ampliori doctrina sequentes articulos explicabimus.

Primus Art. vtrum omnibus hominibus necessaria sit confessio.

Secundus Art. Vtrum summus Pontifex teneatur confiteri.

Tertius Art. Vtrum mutus teneatur ad confessionem.

Quartus. Art. Vtrum omnia peccata sint necessario confitenda.

Quintus Art. Vtrum peccatorum circumstantiæ sint specialiter confitendæ.

Sextus Art. Vtrum numerus peccatorum sit in confessione necessario exprimendus.

Septimus Art. Vtrum soli sacerdoti confessio fieri debeat.

Octauus Art. Vtrum teneatur quis deficiente sacerdote confiteri absenti per internuntium, aut epistolam.

Nonus Art. Vtrum cum primum homo peccat teneatur iure diuino confiteri.

Decimus Art. Vtrum confessio aliquas exigat circunstantias.

Vndecimus Art. Vtrum confessio debeat esse integra.

Duodecimus Art. Vtrum pœnitens habens casum reseruatum possit dimidiare confessionem.

Tertiusdecimus Art. Vtrum quando ex confessione alicuius peccati timetur malum aliquod pœnæ, vel culpæ, possit pœnitens peccatum illud celare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnibus hominibus necessaria sit confessio.

PRimum supponendum est, vt principium per se notum in hac materia, ad hoc quod hoc præceptum de sacramētali confessione quempiam obliget, supponendam esse in persona materiam huius sacramenti: quia alias neq. ipsius sacramenti erit capax, ne dum obligationis. Vnde fit infantes ante vsum rationis non esse capaces huius obligationis, non solum, quia non sunt capaces præcepti, sed etiam quia non habent peccatum actuale, quod est materia huius sacramenti, & eadem ratione si quis esset adultus innocens, vt B. Virgo non obligaretur hoc præcepto, vt docet Scotus in hac quæst. in solutione vltimi principalis, vbi dicit quod simpliciter innocens a mortali, & veniali, non tenetur simpliciter confiteri; immo tenetur simpliciter non confiteri. Vnde si B. Virgo fuisset confessa Petro post assensionem peccasset confitendo.

Secundo eadem ratione infertur infideles non baptizatos quantumuis peccatores, non obligari hoc præcepto, quamuis.

Ricardus. Angelus. Syluester. uis. Ricard. d. 17. art. 2. q. 4. Angelus verbo Confessio. 2. §. 2. & Syluest. Confessio. 2. §. 5. oppositum doceant, & in eamdē sent. trahunt aliqui Doct. Sub. sed falsò vt vidimus supra. Et si dicas præceptum sumendi Eucharistiam obligat etiam infideles, quia est diuinum; ergo præceptum sacramentalis cōfessionis, quia diuinum obligat etiam infideles, quicquid sit de antecedente, de quo diffusè dictum est in primo tomo huius 4. in materia de Eucharistia, nego consequentiam, quia maximum interuallum est inter præceptum Eucharistiæ, & confessionis. Nam infidelis capax est obligationis præcepti Eucharistiæ, non vero confessionis. Patet quia ex parte subiecti non requiritur materia peccati ad præceptum Eucharistiæ: nam illud per se, & propter se obligat hominem, etiam si nullum peccatum habeat, & ideo ex hac parte non repugnat, quod obliget infideles; alias vero iurisdictio Christi ferentis tale præceptum ad omnes se extendit, in quo differt hoc præceptum à particularibus præceptis humanis alicuius Religionis; & ideo exemplum Soti, quo probare intēdit præceptum Eucharistiæ non obligare infideles, qui non dū per Baptismum Religionem Christianam ingressi sunt, quia præcepta (inquit) alicuius Religionis non obligant aliquem donec illam religionem sit professus, etiam si prius habeat votum seu obligationem ingrediendi talem religionem, nō est ad rem. Verba etiam Christi quibus hoc dedit præceptū generalia sunt, & ad omnes etiam infideles dicta Nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. Ac denique, quamuis ante Baptismum non possit infidelis recipere Eucharistiam, tamen recepto Baptismo tenetur illam recipere, etiam si vltra non peccet, & ideo etiam ante Baptismum obligari potuit ad ipsum Baptismum suscipiēdum propter Eucharistiā, ita vt dupliciter ratione ad Baptismum obligetur, scilicet & per se, & propter aliud, & ita potuit rectè vtroque præcepto obligari; At vero præceptum confessionis non per se & absolute obligat, sed supposita materia necessaria talis sacramenti, hæc autem esse non potest in infideli antequam baptizetur, & ideo non est capax talis obligationis.

His suppositis respondetur ad quæstionem gemina conclusione. Prima conclusio Soli peccatores vsum rationis habentes in mortale peccatum lapsi tenentur sacramentaliter confiteri. Probatur quia habens ea, quæ sufficiunt ad salutē, ad alia non tenetur, sed non habens mortale habet ea, quæ sufficiunt ad salutem, ergo &c. consequentia est nota cū maiore; & minor patet, quia non habens mortale peccatum habet in se gratiam, hæc autem sufficit ad salutem; quia ipsa discernit inter filios regni, & gehennæ secundum August. prima pars patet: quia gratia, & mortale peccatum sunt immediate opposita stāte lege, ergo mutuo se expellunt circa subiectum susceptibile, & vno non inexistente, aliud inest.

Ex hoc infertur, quod præceptum confessionis obligat omnes illas personas, quæ post Baptismum mortaliter peccauerunt, etiam hæreticos, Apostatas, &c. & pueros cuiuscunque ætatis dummodo capaces sint peccati mortalis; sunt autem capaces si vsum rationis habeant, cognoscātque peccatū ꝙ commiserūt; nā vt dicit Doct. per adultum non est intelligēdus, qui talem, vel talem habet ætatem; sed ille, qui iam habet ætatem in qua cognoscit quid sit iustum, vel iniustum contra Dei legem; in multis enim ante consūmatam ætatē, malitia supplet ætatem, quod explicat Doct. non tantum in malis, vt significant verba communia, ex eo quod forte puer vel puella cuius habet prudentiam ad malum, vnde dicitur doli capax; sed etiam in bonis iuxta illud quod habetur in legenda Beatæ Agnetis, fides non computatur in annis, sed in sensibus inuenitur; & Deus omnipotens mentes magis comprobat, quam ætates. Senectus enim venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata: Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata, inquit sapiens Sap. 4. atque adeo non potest certa ætas designari, sed viri prudentis iudicio opus est. Vnde ponit Scotus regulā breuem ad id cognoscendum; quando videlicet aliquis instructus, & interrogatus ordinate, percipit distincte quid sit iustum, & iniustum in lege diuina, idq. faciliter potest cognosci, si ad interrogationes ordinatas, ordinate respondeat, sicut alius iam perfectæ ætatis ex similibus præmissis similiter responderet.

Tota hæc conclusio est certa absq. controuersia inter Theologos, & colligitur aperte ex Conc. Trid. supra, & ratio est: quia mortale peccatum post Baptismum commissum est materia necessaria huius sacramenti vt supra ostendi; Item ipsū sacramentum est medium necessarium ad tollendum tale peccatum, est supra etiam ostensum est; quia iam tale peccatum non potest tolli per Baptismum. Intelligendum est autē hoc de peccato mortali, quod nunquam fuit directe subiectum clauibus: nam si semel rite subiiciatur illud per se loquendo sufficit, neq. ex vi iuris diuini, de quo agimus, obligabitur aliquis ad confitendum, nisi iterū mortaliter peccet.

Secunda conclusio. Solæ illæ personæ obligantur confiteri, quæ post Baptismum mortaliter peccauerunt, itaque qui sola venialia committit non obligatur, & hæc conclusio est communis sententia Theologorum, cuius probatio patet ex supra explicatis: quia venialia non sunt materia necessaria vt infra videbimus, & præceptum confessionis non obligat nisi eum, qui talem materiam habet; quia hoc sacramentum non est medium necessarium ad illa peccata tollenda, vt patet ex communi vsu, & consensu totius ecclesiæ, & non obscure indicatur in Conc. Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7.

ARTICVLVS II.

Vtrum summus Pontifex teneatur confiteri.

VIdetur quod non, quia de ratione absolutionis est, vt sacerdos habeat iurisdictionem, sed supra Papa nullus habet iurisdictionem, ergo non potest confiteri.

Dicendum est tamen, ꝙ Papa alicuius peccati mortalis conscius ad sacramentum confessionis obligatur, quia quæ sunt iuris diuini, & ad salutem necessario, vt est pœnitentia omnes obligant, non tenetur tamen Papa ad annuam confessionem, ita vt mortaliter peccet, si per totum annum non cōfiteatur; quia non obligatur legibus canonicis a se latis; nullus enim habet super se iurisdictioné, neq. alij Romani Pontifices: quia par in parem non habet potestatem; Cæterum ratione scandali tenetur Papa saltem semel in anno confiteri; esset n. alijs occasio ruinæ; præsertim cum teneatur aliquādo publice, vel communicare, vel celebrare, & tunc diuino iure tenetur, sacramentalē confessionem, præmittere, vt diximus in primo tomo in materia de Eucharistia. d. 9. q. vnica. *Papa habet iure diuino potestatem eligendi sibi confessarium.*

Ad argumentum in oppositū est multiplex modus respōdendi: omnes tñ Theologi in hoc conueniunt Pontificē summum habere potestatem iure diuino eligendi sibi confessorem; quia ēt ipse pōt & debet confiteri si conscientiā peccati habeat: quia hoc ius diuinū est omnibus cōe, & vtilitas respectu venialium, & necessitas medij, & consequenter præcepti respectu mortalium, eadē est in illo, quæ in cæteris omnibus, ergo necesse est vt possit habere confessorem; nō ē aūt aliquis designatus iure diuino cui confiteri teneatur, vt per se constat, neq. ēt iure humano: quia ipse est supremus Pastor, ergo necesse ē vt ab ipso deligatur, ergo habet ad hoc potestatem, & non ab homine, quia non habet superiorem in terris, ergo īmediate a Christo, & ī hoc vt dixi oēs cōueniūt.

Sed controuersia est de iurisdictione confessarij, a quo nēpe sacerdos absoluens Papā habeat iurisdictionē. de qua re est quadruplex modus dicendi: Primus est Palud. in 4. d. 19. q. 2. dicentis ꝙ talis cōfessor habeat auctoritatē ab ipso Christo: quia Deus non deficit in necessarijs, sed Pōtifici maximo peccāti mortaliter cōfessio est necessaria ad salutē, ergo absq. eius cōmissione est aliquis Iudex qui pōt eū absoluere. hanc sententiā sequitur Capreolus. d. 19. ad arg. 2. conclusionē, & Cano in Relect. de pœn. p. 5. & Ricar. ar. 3. & in hoc casu, ꝙ cōfessor habeat iurisdictionē supra Papā īmediate ab ipso Christo dicit esse speciale. Inquā: ū in ea confessione cōfessarius particularē iurisdictionē recepit a Deo, & ita ē maior ī ea re ꝙ sit Papa, qui recepit potestatē vniuersalē. Sed hic modus dicendi stare non pōt: qm̄ vt Panor. innuit in c. sane. 2. de officio delegati in vniuersali Papæ iurisdictione illa quoq. causa continetur. Quod falsum est: quia Papa non accipit super se ipsum iurisdictionem, sicut neq. super successorem; Tū quia ille confessarius, aut illam iurisdictionem specialem recipit ab ipso Papa, aut a Deo: non a Papa; qm̄ ipse non habet super se iurisdictionem, ergo nec alteri potest delegare super se vllam: quia nemo dat quod non habet: Neq. videtur accipere a Deo: quia ex hoc sequeretur dari aliquam in ecclesia iurisdictionem spiritualem aliam a iurisdictione Papæ, & vniuersalis ecclesiæ, quæ immediate a Deo manauit, ꝙ videtur errori proximum, & in fide periculosum, & contra sap. ita dominus, dist. 19.

Paludan.

Capreolus. Canus. Ricard.

Panorm.

Ideo est secundus dicēdi modus eorum Auctorū, qui dicunt

cent omnes sacerdotes habere iurisdictionem in hoc foro iure diuino, quam in ipsa susceptione ordinis recipiunt, sicut datur vnicuique sacerdoti simplici potestas iurisdictionis respectu venialium, & mortalium, quæ pœnitens est iam confessus, & etiam cuiuscunque peccati in articulo mortis, ita nunc datur sibi in sacerdotio facultatem absoluendi Papam. Sed contra hoc arguit Sotus in 4 d. 18. q. 4. artic. 2. Quia sequeretur quod quicunque sacerdos esset proprius curatus Papæ quod est mirabile, quod cum Papa omnium sit supremus, & in reliquis actibus ab omnibus exceptissimus singuli Christiani non habeant nisi duos, aut tres ordinarios sacerdotes, ipse vero solus habeat vniuersos. Et si dicatur hoc ipsum in eius fauorem, & excellentiam cedere; Contra (inquit Sotus) Proprius sacerdos est, qui subditũ potest sua iurisdictione ad sacramentum compellere, igitur si omnes sacerdotes sunt ordinarij Papæ, possunt eum constringere, vel si id non possunt nisi ex eius electione per id ostenditur neminem in ipsum iurisdictionem habere, nisi quam ipse tribuerit. Sed hoc Soti argumentum est valde frigidum: non enim sequitur, ille habet iurisdictionem absoluendi aliquem, ergo potest illum compellere ad confitendum, imo est sequela omnimodo ridicula. Si quidem fratres priuilegiati possunt absoluere omnes christianos, cæterum neminem possunt compellere ad confitendum. Dicendum est ergo falso niti fundamento, nempe in ordinatione sacerdotis omnibus sacerdotibus conferri iurisdictioné absoluendi, quod communiter non tenetur; nam omniũ Theologorum fere vnus est consensus in ordinatione sacerdotis nullam absoluendi à mortalibus iurisdictionem aliã quamcunque personam conferri, vt sequenti dist. diffuse explicabimus.

Sotus.

Caietanus.

Tertius modus respondendi est Caiet. tomo 1. opusculorum tract. de Ministro huius Sacramenti, vbi dicit dupliciter contingere posse habere potestatem iurisdictionis, primo ex parte principij iudicandi, ita quod potestas ipsa iurisdictionis sit principium iudicij, sicut in naturalibus calor est principium calefaciendi, & in politicis potestas Principis est principium puniendi, & in ecclesiasticis potestas pontificia est principium excommunicandi, & huiusmodi; Alio modo inuenitur iurisdictio ex parte eius, qui iudicandus est, sicut contingit in iudicio arbitrorum a partibus tantum potestatem habentium, ex hoc ipso quod illis se submittunt in illa causa. In ministro vero Sacramenti pœnitentiæ, cum ordinaria, vel delegata a superiori potestate est Minister, licet inueniatur potestas iurisdictionis primo modo, ad ministrandum tamen Sacramentum pœnitentiæ sufficit potestas iurisdictionis secundo modo, & ratio est: quia sacramentalis absolutionis principiũ non est potestas iurisdictionis, sed potestas ordinis; potestas autem iurisdictionis concurrit, quo ad hoc solum, quod facit de peccatore subditum, vel simpliciter vel quo ad talia peccata, & hinc fit vt quicunq; potest se subijcere in foro pœnitentiali cui vult non egeat aliunde iurisdictione in ministrante ei hoc Sacramentum, atque adeo ex hoc quod Summus Pontifex nulli in terris subditus est, potest se ipsum subdere in foro pœnitentiali cuilibet Sacerdoti, nec confessor ille habet, proprie loquendo, potestatem iurisdictionis super Papa pœnitente a Christo, vel ecclesia vel ab ipso Papa tanquam a superiore; sed ex hoc ipso quod Papa se subdit illi, & hic modus iurisdictionis reductiue spectat ad iurisdictionem delegatam; quamuis proprie non sit delegata. Itaque distat Caiet. a communi sententia in modo dicendi, vterq; enim dicit, quod sacerdos absoluens Papam recipit iurisdictionem ab ipso; sed communis sententia docet, hanc conferre Papam ex eo, quod Papa habet potestaté dandi iurisdictioné, vt absoluat alios & se; Caie. vero ait, ꝙ dat talem potestatem tanquã persona priuata eligẽs arbitrũ.

Sed ille modus dicendi non acceptatur. Tum quia falsum est arbitros voluntarios (de quibus ille loquitur) vllam habere iurisdictionem, sed solum notionem. l. au Prætor, cũ Glossa quantum ad hoc ab omnibus recepta ff. de re iud. l. notionem. ff. de verborũ signif. Tum quia priuatorum consensus non potest dare iurisdictionem ei, qui nullam habet. l. priuatorum. C. de iurisdict. Tum quia Concilium Florentinũ habet Ministrum huius Sacramẽti esse illum, qui habet auctoritatem absoluendi ordinariam, vel ex commissione, arbitri illarum neutram habent. Confessarius item is Papæ neq; ordinariam habet super Papam auctoritaté, neq; ex commissione, tandẽ confessarius ille nõ esset proprie minister Christi, siquidem de ratione ministri est, quod recipiat auctoritatem ab eo cuius nomine ministrat.

Nauar.

Nauar. in cap. placuit. de pœn. dist. 6. n. 17 inquit, quod facile tolli posset hæc difficultas si teneremus Concilium esse supra Papam, & iurisdictionem nõ Papæ immediate a Deo dari, sed Ecclesiæ toti Christianæ, cuius ille summus & minister, & rector est. Nam diceremus sacerdotem in confessariũ a Romano Pontifice delectum habere super illum iurisdictionem ex tacita, vel expressa totius ecclesiæ commissione, eo quod nullum alium habeat in ecclesia superiorem præter ipsam ecclesiam, & faceret secundum hæc cap. fin. de pœnit. & remiss. per quod omnibus prælatis exemptis, & immediate Papæ subiectis licet eligere libere confessarium.

Sed quia opinionem hanc nos reijcimus in 2. tomo. 3. sen. nec ipse Nauar. audet eam sustinere; ideo dicit quemlibet Sacerdotem cum ordine insignitur iurisdictionem accipere in habitu absoluendi atq; ligandi illos omnes, qui ei se legitime subiecerint, esseque omnes Sacerdotes veluti iudices cartularios, id est, iudices quibus cõcessa est potestas iudicandi volentiũ se illis subijcere de quibus Bar. & alij in l. 1. ff. de iud. agunt. Et quia Papa non habet superiorem potest se cui volet talium sacerdotum subdere, & ab eo absolui, verum hæc responsio Nauar. stare non potest. supponit enim sacerdotib. cum ordinantur potestatem iurisdictionis cõferri saltem in habitu, quod esse falsum sequenti dist. monstrabimus.

Bartolus.

Est ergo quartus dicendi modus, quod sacerdos absoluẽs Papam, habet iurisdictionem ab ipso Papa, ita quod licet potestas eligendi confessarium ex parte Pontificis, sit a iure diuino, tamen iurisdictio etiam in eo casu transfertur in confessorem medio Pontifice. Ita D. Tho. in 4. d. 19. q. 1. ar. 3. q. 2. vbi ait Pontificem vt peccatorem subijci, vt Vicarium autẽ Christi dare iurisdictionem supra se ipsum in illo foro. idẽ ibi D. Bonauen. ar. 3. q. 2. Gab. art 3. dub. 3. Turrecremata de potest. Ecclesi cap. 8. Sotus d. 18. q. 4. art. 2. Ledesma 2. p. q. 22. ar. 1. Medina. q. de sacerdote absoluente sine licentia proprij ad 2. & alij. Et patet facile: quia per generalem concessionem potuit hoc fieri, nõ est ergo necessarium speciale priuilegium fingere. Item Pontifex concedens generalem indulgentiam lucratur ipsam, potest etiam ipse dispensare in votis suis, & in præceptis positiuis quatenus illum comprehendunt, & hæc potest committere suo confessori, qui sunt actus iurisdictionis, ergo idem erit de iurisdictione ad absoluendum, est tamen discrimẽ quia alios actus potest exercere per se ipsum circa se ipsum, hunc autem minime: quia distinctio personarum pœnitentis & confessoris est de substantia sacramenti, vt constat ex forma, sicut non potest alicui sacerdoti concedere, vt se ipsum absoluat.

D. Thomas.

D. Bonaué.
Gabriel
Turrecrem.
Sotus
Ledesma.
Medina.

Et si quæras vbi constat de hoc speciali priuilegio quod habet Summus Pontifex, aut de iure diuino, aut vbi est illi datum, quod alijs non est concessum. Dico quod cum nullus præter Pontificem Summum careat in terris proprio pastore, seu iudice in hoc foro, ideo stando in iure diuino in omnibus alijs verũ habet, quod in c. omnis vtriusque sexus &c. dicitur neminem posse confiteri nisi proprio sacerdoti, vel de licentia eius. In summo autem Pontifice non est concessio distincta eligendi confessarium a suprema, quam habet iurisdictione, sed in ipsa niei suprema diuino iure sibi datã continetur. Nam sicut ex vi illius supremæ iurisdictionis potest pro alijs, ita & pro se; & sicut potest dare alijs facultatẽ eligendi confessorem, ita & sibi potest accipere, sicut ergo singulare in illo est habere iurisdictionem ex iure diuino, ita etiam habere facultatem eligendi confessorem.

Ad id quod dicebatur, quod non potest dare quod nõ habet in se, dico quod iurisdictio & subiectio est ad alterum, ideo quamuis non possit quis sibi ipsi esse subiectus, nihil tamen prohibet ipsum subijci posse alij, maxime si est liberæ potestatis.

ARTICVLVS III.

Vtrum mutus teneatur ad confessionem.

PRo solutione obser. est confessionem sacramentalem fieri debere aliquo signo sensibili, tũ quia non possunt homines inter se suos conceptus manifestare nisi per sensibilia signa. Tum etiam quia confessio est veluti prima pars essentialis materiæ huius Sacramenti, quam oportet esse per se sensibilem, quia vt diximus supra ipsamet contritio vt sit pars sacramenti debet per confessionem fieri aliquo modo sensibilis.

Confessio sacramentalis debet fieri aliquo signo sensibili.

Secundo obser. est, signum aptissimum ad confessionem faciendam esse humanam vocem, tum quia est inter homines maxime vsitatum, & notum, tum etiā quia distinctius, & certius significat, quam cætera.

Tertio obseruandum est, humanā vocem non esse de absoluta necessitate huius Sacramenti, ita ut confessio proprijs verbis fiat, ita docent omnes Theologi in 4.d.17. & videtur res certa. primo ex consuetudine ecclesiæ: nam cum pœnitens loqui non potest, si quouis alio modo significet sacerdoti conscientiam suam censetur sufficere, vt absoluendus sit. Vnde non solum pœnitens potest ita confiteri, sed etiam tenetur in articulo necessitatis per se loquendo: quia illa est materia indubitata, & facile, & sine inconuenienti exhiberi potest. Secundo probatur ab institutione: quia ex verbis eius solum habemus necessarium esse, vt pœnitens aperiat iudici causam suam, sed hinc inferri non potest necessarium esse, vt hæc notitia detur per proprium sermonem humanum, neque ecclesia hoc ita interpretata est, ergo non est limitanda, & quasi coarctanda Sacramenti amplitudo. Tertio optima est congruentia institutionis: quia hoc Sacramentum positum est, vt remedium maxime necessarium ad salutem peccatorum, ergo non debuit limitari essentia eius ad illud signum, quod sæpissime in articulo necessitatis deest. huiusmodi autem est vox humana, qua non solum muti, sed etiam ægrotantes sæpe vti non possunt.

Quarto obseruandum est nullum positum esse præceptū, vt confessio, humana voce fiat, de præcepto diuino patet: nō enim est positum aliquod speciale præceptum diuinum ab ipsa institutione distinctum: quia neque ex scriptura diuina, neque ex traditione constat de huiusmodi præcepto, neque ex sola institutione hoc præceptum colligi potest. Est quidem maxime consentaneum institutioni, vt ita fiat. Tum quia hoc modo facilius & clarius manifestantur, quod alijs signis præsertim nutibus difficilius fit. Tum etiam, quia ipsa confessio proprio ore facta magis est satisfactoria; nihilominus tamen ex institutione sola, ac præcise sumpta non satis probatur hunc modum confessionis cadere sub præcepto, quia per alia signa potest dari sufficiens notitia confessionis, quod solum postulatur ex vi institutionis. Nec etiam reperitur de hac re scriptum ecclesiasticum præceptum, aut decretum aliquod. Vnde Scotus in hac q. ad finem solutionū argumentorum ait non esse illicitum confiteri per scripturam quando adest præsentia sacerdotis.

His obseruatis respondetur ad quæstionem vnica conclusione. Mutus tenetur confiteri per nutus, & signa. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub lit. Y. & secundum est bene concedendum. Ale. de Ales p.4.q.77.m.5.ar.9. etiam Richar.d.17.ar.2.q.4. & est communis omnium Theologorum sententia: habet enim actualem incarnationis, non ex auditu, sed ex illustratione interiori Spiritus sancti: qui nunquā deficit in necessarijs, & ita cum mō quo pōt ad cōfessionē tenetur.

Contra hanc conclusionem arguitur in decreto Eugenij dicitur materiā huius Sacramēti esse oris confessionē, ergo non potest fieri nutibus sed ore, at Mutus hoc præstare non potest ergo ad confessionē minime tenetur: quia nemo obligatur ad impossibile.

Item ad formam huius Sacramēti necessarium est, vt ore proferatur, quia illud concilium dixit formā esse verba Sacerdotis, ergo idem dicendū est de confessione, cum de illa pariter loquatur. Præterea D. August. de verā & falsa Pœnit. c.10 & habetur in c. quem pœnitet de pœnit. dist. 1. significat esse de hoc diuinum præceptum. & D. Thomas quol. 1. art. 10. talem esse eccl. statutum, ergo &c.

Ad primum dico, quod quando Concilium Floren. appellauit materiam pœnitentiæ oris confessionem vsum est vulgari nomine, sumptum ab eo quod frequentius accidit, sicut etiam vulgo appellatur operis satisfactio, non quia solo opere fiat, sed quia frequentius ita fiat. Et ideo Concilium Trid. ad tollendam omnem ambiguitatem omisit particulā oris, & solum dixit confessionem esse materiam.

Ad secundum dico, quod non est similes ratio de forma, nam si inspiciamus institutionem nō est ita declarata in materia, sicut in forma, nec etiam ita infallibiliter obseruata ab Ecclesia, neque est etiam similis ratio, tum quia moraliter loquendo nunquā aut vix cōtingit necessitas absoluēdi sine verbo, confitendi autem frequens est. Tum etiam quia materia Sacramenti non semper continet expressam significationem, sed hanc perficit & consummat forma, & ideo magis necessarium est verbum ex parte formæ, quam ex parte materiæ. Ad D. August. patet quid dicendum sit.

Scotus.

Scotus
Ale. de Ale
Richardus.

D. August.

D. Thomas

ARTICVLVS IV.

Vtrum omnia peccata sint necessario confitenda.

Titulus huius quæstionis bifariam intelligi potest. Primo eum peccatum distinguatur in originale, & actuale, & actuale adhuc in mortale, & veniale, & adhuc mortale in mortale ante Baptismum commissum, & post Baptismum, quæritur an omnia hæc peccatorum genera sint materia confessionis, aut tantum aliqua?

Secundo intelligi potest an omnia peccata, quæ sunt in conscientia pœnitentis sint necessario confitenda illa autem peccata dicuntur esse in conscientia pœnitentis, quæ ab illo commissa sunt post Baptismum, & per aliam confessionem non sunt rite clauibus subiecta; illa. n. quæ per aliam cōfessionē remissa creduntur, licet sint in memoria pœnitentis, non tamen propriè sunt in conscientia; quia iam vt omnino extincta, & remissa considerantur; alia vero peccata mortalia, quæ nondum sunt explicata in confessione, licet contingat apud Deum esse remissa per veram contritionem in præsenti censentur adhuc esse in conscientia pœnitentis; quia nondum sunt per claues ecclesiæ remissa.

Peccatū quo modo dicatur esse in conscientia pœnitentis.

Secundo obser. est, aliud esse quod talium peccatorū confessio sit necessaria ad salutem, aliud vero quod ad valorem Sacramenti necessarium sit omnia hæc peccata in eadem cōfessione aperire: Nam de priori necessitate in superioribus dictum est, & ad illam obligationem explendam satis videri posset vnum peccatum confiteri vni sacerdoti, & aliud alteri, vel vnum in hac confessione, aliud in alia donec omnia subijcerentur clauib. tūc ergo inquirimus de alia obligatione, vel necessitate subijciendi omnia simul in eadem confessione.

Tertio obseruandum est, quod quidā hæretici negant hāc integritatem esse necessariam, saltem quoad peccata occulta siue mere interna, quod sentit Vuicleph. apud Vualdensem to. 2. d. Sacramentis, c. 185. quia putauit cōfessionem esse institutam ab ecclesia, quæ per se potestatē non habet circa peccata mere interna. Addunt etiam talem obligationem esse de re non solum admodum difficili, sed etiam legi naturali repugnanti, quia cogeretur homo seipsū infamare in re occultissima. In eodē errore fuit Petrus Oxoniensis, qui addidit non esse necessarium confiteri peccata publica, quia ipsa per se satis patent. Qui error damnatus fuit simul cū alijs a Sixto V. in Bulla quam refert Castro verbo confessio. Denique Lutherus ēt integritatem confessionis reprehēdit, quia qui omnia peccata diligenter confiteri student, nihil diuinæ misericordiæ dimittendū relinquunt. Qui error in Concil. Trid. damnatus est.

Vualdensis.

Quarto obseruandum est, quod non nulli catholici dixerunt hanc necessitatem integritatis non posse sufficienti ratione colligi ex institutione, sed sola ecclesiæ traditione, & authoritate haberi. Quod indicat Durandus dist. 17. q. 15. vbi soluit rationes theologicas, quæ ad hoc ostendendum afferri solent, & idem sentit Medina. Cod. de confessione. q.8 Quorum fundamentum esse potest. Hæc necessitas non oritur ex vi institutionis, ergo nulla est. Probatur consequentia, quia si hæc necessitas tanta est, vt pertineat ad veritatem sacramenti, oportet vt ex institutione oriatur, si vero tantū est necessitas præcepti oportet ostendere illud esse diuinum extra institutionem; quod tamen fieri non poterit. Ecclesiasticum autem tantum non videtur esse posse, quia vt infra videbimus huic obligationi cōfessionis ecclesia nihil addidit præter temporis determinationem. Probatur autem primum antecedens: quia ex vi institutionis solum colligitur nullum peccatum mortale dimitti posse absque absolutione sacerdotis, ex hoc autem non colligitur necessitas huius integritatis: quia illud posset alio modo impleri, vt declaratum est.

Medina.

His obseruatis est prima Conclusio; De originali peccato aut de aliquo actuali ante Baptismum commisso non est necessaria confessio; de originali patet: quia cum non fuerit nostra propria voluntate commissum, non solum confessio, verum nec contritio de illo requiritur; de actualibus probatur: quia sunt commissa extra ecclesiam, & virtute Baptismi remittuntur, vt ex supra dictis satis constat.

Secun-

Secunda conclusio omnia peccata mortalia post Baptismũ commissa, de quibus memoriam habuerit (diligenti inquisitione præmissa in reducendis omnibus peccatis mortalibus ad memoriam) tenetur peccator simul in eadem confessione confiteri, patet, quia omnia peccata mortalia post Baptismum cõmissa sunt materia necessaria confessionis, ita quod sunt necessario confitenda, quia nullum aliud remedium est institutum ad remissionem mortalium.

Et probatur primo, quod teneatur pœnitens omnia peccata lethalia confiteri. Quoniam qui dixit. Quorum retinueritis retenta sunt, ostendit nimirũ retineri omnia peccata mortalia, quandiu ea retinentur a sacerdotibus. Cum igitur sacerdotes retineant peccata mortalia, quæ sibi non manifestãtur, iure diuino tenebuntur peccatores omnia ipsis manifestare, sicut obligantur facere, ne vllum suum peccatum mortale sit retentum.

Secundo probatur, quod omnia simul eadem confessione eidem sacerdoti confiteri teneatur, & ratio desumitur ex ipsa institutione, quæ ad remissionem culpæ per se primo ordinatur adiuncta conditione seu natura peccatorum mortalium, quæ est vt vnum sine alio non remittatur, ex quibus principijs hæc ratio conficitur. pœnitens cõfitetur vnum peccatum mortale sacerdoti, vt sacerdos illud remittat, sed sacerdos non potest illud remittere, nisi remittat cætera omnia, etsi intenderet remissionem seu absolutionem diuidere nihil faceret, ergo & pœnitens debet, quando vnum confitetur, confiteri omnia, & si intendit confessionem diuidere, nihil facit. probatur consequentia, quia cõfessio debet esse adæquata absolutioni, ideo enim necessaria est quia absolutio non debet dari de ignotis, vt Concilium Triden. dixit. Absolutio autem quamuis per se respiciat peccata in confessione manifestata, tamen etiam cadit in ipsam personam, eãque intendit simpliciter absoluere & iustificare apud Deũ, atque adeo ab omnibus peccatis liberare, & ideo sicut peccata mortalia quo ad remissionem connexa sunt, ita etiam quo ad confessionem, & absolutionem.

Sed huic rationi responderi posset, nunquam sacerdotem absoluere ab vno peccato mortali, quin omnia remittantur in re ipsa, non esse tamen necessarium, vt remittantur præcise per ipsam absolutionem, sed per illam simul cum contritione, vel attritione includente votum alterius confessionis eorum peccatorum, quæ in tali confessione omittuntur, nihil enim repugnat institutionem factam esse hoc modo: neque ex solis verbis Christi potest ostendi, nõ fuisse ita factã. Et confirmatur: quia quoties sine culpa tacetur aliquid in confessione illud peccatum, quod tacetur remittitur in ordine ad aliam confessionem eius, quam in proposito habere necesse est, ergo simili modo potest remitti quodlibet peccatum, etiam si vnum tantum confessori aperiretur. Hæc & similia sunt, quæ Durandum, & Medinam mouerunt.

Sed non aduertunt aliud esse loqui de eo, quod per se postulat rei natura, & consequenter etiam institutio Sacramẽti, aliud vero quod per accidens contingit ob aliquam moralem necessitatem, per se autem est, vt peccata simul dimittantur, adeo vt de facto nunquam vnum sine alijs dimittatur, & ideo institutio etiam Sacramenti, per se postulat, vt peccata, quæ sunt materia necessaria talis Sacramenti, & ad illius forum pertinent, simul & ex vi Sacramenti tollantur, & propterea, quoties aliquod peccatum non confessum per absolutionem tollitur, id per accidens est, institutio autem Sacramenti debuit respicere quod est per se, non vero quod per accidens, sicut in vniuersum leges morales respiciunt ea quæ frequentius accidunt, non casus accidentales, & ex his satis responsum est ad rationem pro opinione Durandi, & Medinæ.

Sed contra adhuc arguitur ex his quæ supra. dist. 15. q. 1. sunt dicta. ibi enim diximus, quod aliquis potest soluere pœnam pro vno peccato debitam, non soluendo pœnam pro alio, imo permanendo in aliquo peccato. ergo à simili poterit pœnitens soluere confessionem vni peccato debitam aliud peccatum reticendo. Respondet ad hoc Scotus in hac q. sub lit. O. & P §. sed arguitur cõtra hoc. Quod in loco per argumentum citato dictum fuit, quod ille qui semel fuit verè absolutus ab omnibus peccatis pœnitentiam exteriorem sibi impositã potest soluere, vel in charitate, vel in peccato mortali, & quamuis illam soluat in peccato mortali, non tenebitur eam iterum soluere, neque in hac vita, neque in purgatorio, neque in Inferno; si quis tamen nunquã fuit vere absolutus ab aliquibus peccatis: quia absolutioni obicem posuit, iste talis obligatus manebit ad solutionem pœnæ debitæ illis peccatis non dimissis, quamuis pœnitentiam sibi impositam a confessore adimpleat, huius est ratio: quia prius oportet pœnam æternam commutari in temporalem per remissionem culpæ, quam aliqua pœna temporalis possit esse satisfactio pro tali culpa, illi autem, qui vere non fuit absolutus non fuit pœna æterna commutata in temporalem, quia neque peccata fuere illi remissa. Vere autem pœnitenti per remissionem peccatorum commutata fuit pœna æterna in temporalem, licet postea in peccata mortalia recidat: talis enim aliquando fuit vere iustus, & non debitor pœnæ æternæ, pro peccatis prius commissis, ille autem, cui peccata non fuere dimissa, semper manet debitor pœnæ æternæ pro peccatis nõ dimissis, denuoque manet debitor nouæ pœnæ pro nouo peccato, quod committit suscipiens cum obice absolutionis sacramentum, subticendo per hypocresim aliquod peccatum mortale, vnde argumentum non probat intentum.

Secundo probatur conclusio ex Concilio Cabilonensi, ca. 32. & Lateran. in cap. omnis vtriusque sexus. vbi dicitur. omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur. In Concilio etiam Florentino sic legitur. Secunda scilicet pars pœnitentiæ est oris confessio, ad quam pertinet vt peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter, quibus verbis definitur integra omnium peccatorum confessio esse de essentia confessionis, nam quo ad hanc partem non condunt nouum ius, sed explicant diuinum. Expressius tamen hoc definit Concilium Trid. sess. 14. cap 5. & can 7 sub his verbis. Dum omnia, quæ occurrunt peccata Christi fideles confiteri student, procul dubio omnia diuinæ misericordiæ ignoscenda exponunt, qui vero secus faciunt, & scienter aliqua retinent, nihil diuinæ bonitati per sacerdotem remittendum proponunt.

Conc. Cabi. Conc. Late. Conc. Flor. Conc. Trid.

Tertio probatur auctoritate Sanctorum Patrum. Clemẽs I. epist. 1. circa finem de Petro loquens ait. Instruebat fideles actus vitæ suæ custodire, & cogitationes malas cordi suo aduenientes mox ad Christum allidere, & sacerdotibus Domini manifestare. Deinde si Tertulliano, & Hieronymo credimus singulum quodque vulnus oportet animarum medicis detegere, & sicut Origens docet, omnem indigestum & virulentum humorem necesse est euomere, quod si aliquid occulte admissum, siue opere, siue sermone, siue cogitatione celauerimus, ex testimonio Cyrilli constat illud esse in extremo iudicio per Diabolum referendũ: Ignota etiam varietate peccatorum ignoratur quis ligandus sit, quis ue soluendus, vt ex sententia Diui Hieronymi constat in epist. ad Marcellam. Item Diuus Augustin. lib. de vera, & falsa pœn. cap. & 9. 15. ait. Quædam enim celant, quæ alij manifestanda conseruant, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, ad quam credunt per frustra peruenire, & ibidem sequitur quædam impietas infidelitatis est ab eo, qui iustus, & iustitia est dimidiam sperare veniam peccatorum. Et ideo inquit ad pœnitentem, ponat se in potestate Iudicis, in iudicio sacerdotis nihil sibi reseruans sui. Nam Christus neminẽ sanauit, quẽ non perfecte sanauerit, & a nemine vnum expulit demonium, quin etiam expulerit & omnia, & patent hæc in sanato surdo, & muto, & in expulsione legionis demonum, & alias etiam septem simul, vnde & subditur in eodem loco expulit septem, vt omnia crimina simul ejicienda doceret.

Clem. Papa. Tertullian. Hieronym. Origens. Cyrillus. D. August.

Si contra hoc objiciatur. Quod tunc videtur, quod quilibet peccator tenetur cuilibet requirenti dicere omnia peccata sua, alioquin tacendo ea, vel aliquid illorum, esset hypochrita, quia ostendit se innocentiorem quam sit. Respondet Doctor sub littera. M. in fine, quod tacendo, cui non debeo dicere non ostendo me innocentem in his, quæ taceo, sed illi cui dicere debeo, & quando dicere debeo, & quomodo, sicut in confessione tacendo aliquid, confitendo aliud ostendo me innocentem in hoc quod taceo, & in hoc est hypocrisis, & non in alio casu.

Tertia conclusio. Peccata venialia non sunt materia necessaria confessionis, adeo quod præceptum confessionis est solum de peccato mortali; hæc conclusio est Scoti in hac q. sub lit. M. §. continet etiam, quam ex eo probat, quod per veniale peccatum nullus periclitatur extra nauem Ecclesiæ:

quia peccatum veniale sta t cum charitate perfecta, quæ est nauis hominem saluans, i deoq; ex prima institutione pęnitentiæ vt secundæ tabulæ ; post naufragium, non tenetur aliquis ad eã confugere pro r emedio contra veniale: sed solum contra mortale; quia Sacr amentũ confessionis est secunda tabula post naufragium, qu od non cõtingit in peccatis venialibus. Et confirmatur: qui a complurima alia sunt instituta re media contra veniale, vt v idebimus infra cum de eius remissione erit sermo.

Ad priorem partẽ obi ectionis hæreticorum de peccatis occultis, respondetur in p rimis nullam fere infamiam ex cõfessione sequi: nã quo ad alios omnino tollitur per sigillum, quo ad ipsum vero conf essorem per ipsam pęnitentiam & dolorem peccati, quam p ęnitens simul cum peccato ostẽdit magna ex parte, vel omn ino minuitur, & nocumẽtum in re nullum est, quia confessor non potest vti illa notitia præsertim in grauamen pęnitentis, & quicquid difficultatis in hoc est, vt Trid. Conc. dixit fructu gratiæ, & diuinæ consolationis compensatur.

D. Thomas.

Ad alteram partem de peccatis publicis recte respondet D.Tho.in 4.d.17.q.3.ar.2.q.1.ad 1. illam notitiam, quæ extra Sacramentum habetur esse per accidens, in omni autem iudicio, esse necessariam notitiam per propriam accusationẽ, & testificationẽ, quam hic præbet pęnitens se accusans. Pôt etiam dici, per confessionem non solum dari confessori notitiam peccati secundum se, sed prout fuit vel est in conscientia pęnitentis, id est, secundum modum, & circunstantias, quibus ab eo fuit commissum, & secundum pręsentem dispositionem, seu detestationem, quam circa illud habet.

Tandem ad Lutherum respondetur nihil in hoc esse contra fiduciam, aut efficaciam meritorum Christi; quia totus fructus huius Sacramenti ex meritis eius speratur, est enim hoc vnum ex instrumentis, per quæ Christi merita nobis applicantur, pręterquam quod & ipsa peccata, quæ cõfitemur diuinæ misericordiæ ignoscenda relinquimus.

ARTICVLVS V.

Vtrum peccatorum circunstantiæ sint specialiter confitendæ.

Circunstantia quid sit.

PRo explicatione tituli obser. est primo, quod circunstantia est accidens actus humani, & per consequens circunstantia peccati accidens quoddam est ipsius peccati, vt peccatum est quædam actio; & quoddam ens naturale simpliciter consideratũ, quod dixi, quoniã interdum actio illa, quatenus peccatũ est, contingit aliquã circunstãtiam esse de illius peccati essentia in hunc sensum, quod actio illa non esset peccatum nisi adesset illi ea circũstantia: nam multa sunt peccata, quæ suo quidem genere bona sunt, vel certe nõ mala, imo ad bonũ, & ad malum indifferentia, sed ex sola circũstãtia sũt mala & peccata, qualis est eleemosyna propter vanam gloriam lata, qualis est duplicatus, sed alioqui moderatus die ieiunij eius. In priore quidem exemplo circunstãtia finis efficit illam eleemosynã esse peccatum, qua sublata nõ esset, in posteriore circunstantia temporis efficit illum cibum esse malum, qua sublata potius esset virtus. Vide Alexan. de Ales. p.4.q.77.ar.2.

Al. de Ales.

Circunstantia diuiditur in 7. species.

Secundo obser. est, quod circunstantia diuiditur primo in septem species, quæ illo vers. antiquo a Paludano relato cõtinentur. Quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur, quomodo, quando. Harum circunstantiarum tres tangunt actum veluti metientes ipsum, tempus, scilicet locus, & modus. Vna tangit actum ex parte effectus, scilicet quid, tres ex parte causæ. Vna, scilicet ex parte agentis principalis, quam signat illa dictio, Quis, altera, quæ se tenet ex parte causæ instrumentalis quã signat illa dictio per quos, vel quibus auxilijs, tertia quæ tangit finalem causam, quam designat illa dictio, Cur. Quoties, quæ a Paludano, & D. Antonin. 3.p.tit.17.c.17.§.4. ponitur, potius explendi carminis causa posita est, quã ob aliã necessitatem: nam numerus peccatorum, neq; ab Aristo. 3. Ethic. neque a D.Tho. in 4.d.13.q.7.art.1. pro circunstantia ponitur, & merito: quoniam circunstantiæ circa eumdem actum sunt, numerus aũt operationum non circunstat vnã, & eamdem operationem, non.n. secundum furtũ est circumstantia primi, nec ẽ contrario, neq; tertiũ secundi. Sed forte addiderunt quoties, vt meminerimus numerũ peccatorum eiusdem speciei aperiendum esse confessario, quamuis non sit circunstantia.

Palud. D. Antonin. Arist. D. Thomas.

Circunstantia quis.

Tertio obser. est quod circunstantia Quis includit circunstantiam personæ habentis peculiarem prohibitionem peccandi, veluti constitutus in sacris, vel religiosus habet speciale præceptum cõtinentiæ. Quid, vel vt alij dicunt quãtum, insinuat circunstantiam quantitatis continuæ, vel discretæ delicti, vt magnum odium, vel furtum, aut sæpe commissũ. Vbi denotat circũstantiam loci, vt furtum, vel fornicatio in loco sacro. Quibus ostẽdit circunstantiam auxilij, vel scandali, vt si alios induxit ad participandũ in suo peccato, veluti si per internuntios solicitauit fœminam ad peccandũ. Cur includit circunstantiam finis prohibiti peculiari præcepto, vt si furetur propter fornicationem, vel si frangit silentium, vt contemnat prælatum. Quomodo, veluti si modus peccãdi prohibetur speciali præcepto, vt occidere hominem per proditionem, vel si vir supergreditur vxori, ita quod impediatur generatio prolis. Qñ explicat circunstantiã diei sacri.

Quid. Vbi. Quibus. Cur. Quomodo. Quando.

Circunstantia alia mutant speciẽ, alia aggrauant, alia minuunt.

Quarto obser. est, quod circunstantiarum aliæ mutant speciẽ delicti in genere moris, aliæ vero non, circunstantiæ quę mutant speciem in genere moris, vel malitiæ secundum Scotum in hac. q. sub lit. N. sunt quæ prohibẽtur speciali præcepto, vt sacrilegium, & adulterium. In furto.n. circunstantia loci sacri, aut rei sacræ trahit furtũ in sacrilegium, quod speciali prohibitione prohibitum est. & luxuriæ circunstantia est, ꝙ persona sit coniugata, consanguinea, vel affinis, violenter oppressa, aut rapta, propter quas luxuria alia, & alia sortitur nomina, vt puta dicitur adulterium, incestus, oppressio, stuprum, raptus quæ singularibus prohibitionibus prohibẽtur. Quæ vero non mutant speciẽ sunt, quæ prohibentur eodem præcepto, vt furtũ vnius scuti, vel mille aureorum. Dixi autem in genere moris, vel malitiæ: quia hic nõ agimus de circunstantijs, quæ mutant speciem in genere naturæ, quæ differunt per obiecta, vt diuinare per astra est alterius speciei in genere naturæ a diuinatione per terram, siue per aquã, quia hæc circunstantia nullam addit malitiam actioni.

Scotus.

Quinto obser. est, quod harum circunstantiarum, maxime quæ non mutant speciem, aliæ nec addunt, nec minuunt malitiam peccati, vt occidere cũ gladio vel hasta, furari dextra, vel sinistra manu, fornicari cum Berta, vel Lucia, quas Scotus appellat circunstantias impertinentes. Aliæ ita tollũt vel minuunt actionis malitiã, vt mutent peccatum mortale in ueniale, vel quod prorsus nullum sit, vt occidere hominẽ in defensionem sui, vel ex ignorantia inuincibili. Aliæ quãuis minuant malitiam peccati, non tamen in tantum quod ex mortali veniale reddant, vt si puella metu mortis consentit in stuprum, aliæ sunt, quæ culpam notabiliter aggrauant, licet non mutent speciem, vt magnitudo rei sublatæ, vt libido & intensio actus peccati, vt intensissimũ & inueteratum odium; præcedens deliberatio, motiuũ seu tentatio inducẽs ad peccatum, conditio personæ peccantis, quo ad statum, ætatem, prudentiam, qualitatem, conditio personæ in qua peccatur, damnum per peccatum illatum, vt in furto si multũ sublatum est pauperi, vel infirmo multas proles habenti. Et de his omnibus speciales ponendæ sunt conclusiones.

Circũstãtia quæ mutãt speciem sunt necessario cõfitenda.

Prima conclusio. Circunstantiæ, quæ mutant speciem peccatorum in genere moris, necessario sunt confitendæ, patet quia peccatum mortale est contra speciale præceptum, sed istæ circunstantiæ mutantes speciem in genere malitiæ sunt contra peculiare præceptum, quo specialiter prohibentur, ergo sunt peculiaria peccata mortalia, & per consequẽs sunt confitenda. Et hæc sententia est communis, & definita est in Conci. Trid. sess. 14 c.5. & can. 7.

Conc. Trid.

Secunda conclusio ẽt de mente omniũ est, circunstantiæ, quæ nec augent, nec minuunt malitiã peccati nõ sunt cõfitẽdæ, imo vt Scot. inquit fatuũ est eas confiteri: quia non sunt peccata, & per consequens nec materia confessionis.

Tertia concl. loquendo de circũstantijs, quæ minuũt omnino malitiã peccati mortalis, & faciunt esse veniale, aut nullũ, si in cõfessione exprimatur factũ, necessariũ est exprimere huiusmodi circunstantias, veluti accedens ad alienam, qui inuincibiliter arbitrabatur suã, patet quia alias confiteretur mendaciũ pęnitens, si fateretur se mortale cõmisisse, ꝙ nõ cõmisit, ꝙ est mortale nisi ignorantia inuincibili excusetur. Ex quo sequitur, ꝙ rapiẽs alienũ in extrema necessitate, vel occidens hominem in defensionem sui, vel comedens carnes in quadragesima ob ęgrotationẽ, potest reticere factum in confessione: quia non est peccatum, si autẽ illud exprimat tenetur etiã exprimere circunstantiã sub reatu læthalis culpæ.

Quarta conclusio, loquendo de circunstantijs, quæ non in tantum minuunt peccatum, vt omnino tollant malitiam mortalis, vt diximus de puella, quæ metu mortis committit

stuprum,

Sotus. stuprum. duplex est sententia. Prima est Soti. d.18. q 2. art. 4. concl. 5. dicentis, quod necessario est confitenda talis circũstantia, vt penitens consulat suæ famæ apud confessorem, iuxta illud Eccles. 41. De bono nomine curam habet. Altera est *Paludan.* Paludani. in. 4. dist. 16. q. 3. art. 3 qui contrarium docet. & hæc sententia *Medina.* Medinæ magis placet: quia est conformior humilitati in cõfessione habendæ, pp quã põt quis suo cedere iuri. Ex quo colligit ipse Medina in sua summa, ꝙ potest penitens quam voluerit eligere sententiam absque eo, quod confessionem ob hoc irritam reddat. Cæterum hac in re nimis placet limitatio *Nauar.* Nauarri. cap. 6. nu. 7. dicentis cum Paludano post D. Bona. quod possunt hæ circunstantiæ reticeri; sunt tamen confessori manifestandæ, quando de his ipse interrogat, vel quando alias si tacerentur ipse confessarius alicuius mali occasionem apprehenderet.

Quinta conclusio, circunstantia, quæ multũ aggrauat malitiã peccati intra eamdem speciem an sit necessario confitenda duplex est opinio. Prima est *Ale de Ale.* Ale. Alen. p. 4. q. 77. m. 3. ar. 2. §. 2. alias. q. 8. in. 4. ar. 3. § 2. *Richard* Richar. d. 17. ar 3. q. 8. *Marsilius.* Marsilij in 4. q. 12. ar. 1. p. 1. illius. *Maior.* Maioris in 4. d. 17. q 4. & fere omnium Thomistarum, qui censent hanc circunstantiam esse necessario confitendam. quorum ratio potissima est: quia ratio præcisa, quare circunstantia mutans speciem debet confiteri est, quia auget notabiliter malitiam peccati, & hinc est, quod speciali præcepto prohibetur, sed plerunque extensio, aut intensio actus eiusdem speciei auget tantam malitiam, imo & maiorem, quam circunstantia mutans speciem, ergo est confitenda, consequentia patet a paritate rationis, & probatur minor: quia si quis furatus est patenam consecratam, & adhuc furatur mille aureos tantæ malitiæ est hoc furtum, quam illud sacrilegium, imo & maioris, & similiter eiusdẽ speciei est incestus cum consanguinea, & cum matre, et si cõsanguinea fecit votum simplex castitatis, mutatur species delicti, & est circunstantia explicanda. ergo etiam debet ætas explicari: quia nemo dubitat, quin grauius est accedere ad matrem, quam ad consanguineam voto castitatis adstrictã. Et confirmatur ex parte penitentię imponendæ a sacerdote, quæ grauior est adhibenda grauioribus delictis, & ex parte ipsius confessionis quatenus medicinalis est, quia aliter est curandus concubinarius, & aliter fornicarius, licet totidem commiserint fornicationes.

Oppositam sententiam tuentur *D. Thomas.* Diuus Thomas in 4. d. 16 quæst. 3. art. 2. q. 5. *D. Bonauẽ.* D. Bona. d 17. quæst. vltima. *Albertus.* Albertus Magnus. artic. 24. *Paludanus* Palud. q. 3. artic. 3. *Durandus.* Durandus quæst 4. *Almayn.* Almain. q. 1. artic. 2. *Carthusia.* Carthus. q. 2. *Adrianus.* Adrianus. quæst 4. de confessione. *Medina* Medina. cod. de confessione q. de circunstantijs confitendis. *D. Antoni.* Antoninus 3. parte titu 14. cap. 19 §. 7. *Angelus.* Angelus Confessio. 1. numero 23. *Syluest.* Siluestr. confes. 1. q. 9. *Nauar.* Nauar. in summa. capit. 6. numero 6 & in cap. Consideret de pœn. distinct. 5. num. 6. & alij Summistæ. hi omnes affirmant non esse necessarium has circunstantias confiteri. Fundamentum huius sententiæ sumi potest, quia iure diuino non tenetur homo confiteri nisi omnia peccata mortalia, & sola, sed reticendo circunstantias, quæ non prohibentur peculiari præcepto, confitetur quis omnia peccata mortalia, ergo &c. probatur minor, quia peccatum est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei, ergo si aliqua circunstantia non prohibetur peculiari præcepto, non est speciale peccatum, verbi gratia eodem pręcepto prohibetur furtum mediocris quantitatis, & magnæ quantitatis, ergo quamuis non exprimatur quantitas rei furatæ, sufficit sic confiteri fateor me commisisse furtum, quod attingit ad peccatum mortale.

Præterea si circunstantiæ, quæ non prohibentur peculiari præcepto, quamuis notabiliter aggrauantes essent confitendæ, sequeretur, quod quilibet Christianus teneretur scire omnes circunstantias notabiliter aggrauantes, scilicet intra intensionem, vel extensionem peccati odij, vel libidinis, an magno affectu, vel per magnum temporis spatium concupierit mulierem, & alia huiusmodi, hoc autem est obligare multos Christianos ad impossibile. quia multi etiam non rudes ignorant circunstantias ergo &c.

Conc Trid. Item Concilium Triden. sess. 14. cap. 5. agens de circunstãtijs, ait esse præceptum confitendi illas, quæ speciem mutãt, ergo cum de aggrauantibus taceat virtute negat tale præceptum ad illas extendi, patet consequentia, tum quia integrã doctrinam tradit de omnibus necessarijs ad hoc Sacramentum, tum etiam quia præmittit illa verba. Nihil aliud ab ecclesia a penitentibus exigitur, quam vt &c. ergo nihil aliud est sub præcepto, nisi quod ibi præscribitur.

Istæ duæ opiniones sunt valde probabiles, propter Authores qui eas defendunt, possent tamen ni fallor in hunc modum concordari; si dicamus primo, quod circunstantia de numero peccatorum necessario est confitenda, vt bene ait Nauar. in summa. cap. 6. numero 2. quia non tantum est circunstantia peccati, quam multiplicatio peccatorum, atq; adeo frustra insudat Sotus contendendo probare, quod hac ratione circunstantia intra eandem speciem notabiliter aggrauans est explicanda in confessione.

Secundo dicimus, quod aliquæ sunt circunstantiæ intra eamdem speciem notabiliter aggrauantes, quæ non sunt difficiles cognitu, & inuestigatu, vt verbi gratia, odium inimici, & amor mulieris longo tempore continuatus, & tunc istæ circunstantiæ sunt in confessione explicandæ. Vnde si aliquis amator ardens in fęminam primo visam diem integrum, vel noctem aut partem eorum notabilem, puta duas aut tres horas insumpsit in multis cantilenis, quo mulierẽ alliceret, vel opportunitatem captando, qua ipsam alloqueretur, vel in alijs officijs ad hoc ordinatis, tenetur istam continuationem declarare, & idem dixerim de alijs circunstantijs notabiliter aggrauantibus malitiam peccati, quarum cognitio non est difficilis, quia suapte natura sunt bene perceptibiles etiam a vulgaribus, vt furari tria, vel viginti, vel quadraginta. Et per hanc circunstantiam notabiliter aggrauantem intra eamdem speciem, intelligo illam, quæ sic aggrauat, vt existimatio alia notabiliter sumeretur confitentis si illam explicaret, alias minime est talis, quæ necessario sit confitenda.

Tertio dicimus, quod sunt aliquæ circunstantiæ difficiles ex se existimatu, & quantum ad quantitatem earum grauitatis, veluti regulariter patum perceptibiles ad punctũ, cũiusmodi sunt circunstantiæ intensionis actus peccati, & hæc non sunt regulariter confitendæ: quia (vt dicit Canus *Canus.* in sua relectione de pęnit.) non addunt notabilem malitiã, vel fere intelliguntur a confessore per delicti quantitatem, vel ista circunstantia secundum alios non potest recte cognosci, & esto innotesceret non potest recte exprimi. Dixi regulariter, quia in casu quo minus aggrauarent, & possent cognosci, & exprimi necessario essent confitendæ, vt si amor fęminæ esset tantus, quod noceret saluti corporali, & vitæ sic amantis notabiliter.

Et in opinione seu sententia nostra hoc tertio dicto sic expressa censeo habere locum, sententia. D. Thomæ D. Bonauenturæ, Scoti, Durandi & Nauar. & omnium tenentium partem negatiuam, quia iugum Domini suaue est, & onus sacramentalis confessionis leue.

Vnde ad rationes pro secunda sent. respondetur, & ad primam negatur minor: quia nulla est, si sit sermo de circumstantijs aggrauantibus, quæ non sunt difficiles cognitu, vt ex rationibus primæ sent. patet. Ad secundam concedo consequentiam, quod omnis Christianus tenetur scire, quod grauius peccat, qui grandi odio prosequitur proximum, quam qui minori, & qui diutius permanlit in peccato, quam qui breui tempore, licet aliquis ita sit rusticus vt excusetur ignorantia inuincibili, sed est a Confessore admonendus.

Ad id quod adducitur ex Conc. Trid Respondet. Medina cap. 9. suæ summæ, quod sensus Concilij est, quod circunstantiæ mutantes speciem semper sunt necessario confitendæ, aliæ vero non semper sunt necessario confitendæ, sed tãtum quando notabiliter aggrauant. Tunc enim idem est habendum iudicium, quod de circunstantijs mutantibus speciem propter rationem dictam.

Hactenus Doctores de materia circunstantiarum. Cæterum quia sunt complurima scitu digna hac in re. Ideo practice loquendo circa prædictas circunstantiarum species quæstiunculas aliquas placet breuissime absoluere.

Quis. *Quæst. 1.*

Circa circunstantiã quis quæritur primo. An mulier peccans cũ Sacerdote religioso, satis sit dicere se cõmisisse sacrilegiũ cũ Sacerdote, vel initiato sacris ordinibus? partẽ negatiuã tenet *Sotus.* Soto d. 18. q 2. ar. 4. & de iust. & iu. li. 8. q. 2. ar. 5. ad 1. quẽ sequitur *Vzeda.* Vzeda, & alij neoterici, quorum ratio est, *Corduba.* qa votũ solemne castitatis a religioso emisso alterius speciei est ab specie voti Sacerdotis in ordine suscepto. Sed his non *Nauar.* obstãtib. respõdeo affirmatiue, cũ Cor. q. 3. & Na in additionib. ad c. 9 suæ sũm. n. 11. post *Caie.* Caie. 2. 2 q. 186. ar. 9. vbi docet,

quod fatis eſt in confeſſione dicere ſe cum Sacerdote, vel cum initiato ordine Sacro concubuiſſe. Ad arg. Soti reſpondet Cord. quod non eſt ita certum votum eſſe alterius ſpeciei, & eſto quod ita eſſet, talis diſtinctio non mutat ſpeciem in genere moris, nec aggrauat notabiliter, ſi ſcandalum demas, ergo &c.

Quæſt. 2. Secundo quæritur an ſponſus, vel ſponſa de futuro, & cum eis carnaliter committentes teneantur iſtam circunſtantiam explicare, aliquibus placet pars negatiua: quia non committunt adulterium. Cæterum altera pars tutior eſt, tum quia talia ſponſalia quędam inchoationes ſunt matrimonij, tum etiam quia infertur grauis iniuria ſponſo, & datur illi occaſio ſponſam quaſi inuitus repudiandi, ne habeat ſuſpectam vxorem.

Quæſt. 3. Tertio quæritur, an mulier etiam religioſa, ſi per deſiderium tantum, vel interiorem conſenſum conſenſit in actum mortalem inhoneſtum, teneatur in confeſſione detegere, an tunc Virgo erat, nec non. *Sotus.* Pars negatiua eſt Soti vbi ſupra, dicentis, quod ſi interceſſit actus carnalis exterior tenetur ſe fuiſſe Virginem exprimere, vt conſtet de ſtupro, ſed ſi deliquit ſolo actu interiori conſenſus, vel deſiderij non tenetur: quia poteſt eius pudori conſulere. Sed hæc ſententia eſt improbabilis, & omnino reijcienda, ideo contraria eſt communis, & vt bene ait *Medina.* Medina ex ipſius Soti ratione conuincitur falſitas ſuæ opinionis: quia ſi quando interuenit actus exterior tenetur ad ſuæ Virginitatis circunſtantiam declarandam, vt conſtet ſpecies peccati, ergo ſimiliter tenebitur, quando illum actum deſiderauit; patet conſequentia: quia peccata cordis, & operis eiuſdem ſunt ſpeciei, vide *Nauar. D. Thomas.* Nauar. cap. 6. nu. 9. & D. Thomam, 2. 2. q. 52. art. 7. Et hanc doctrinam aduertendam eſſe, inquit Medina a confeſſoribus puellarum, & Religioſarum. Cæterum iuris doctiſſimis huius temporis placuit iuxta prædictam ſententiam. *D. Bonauẽ. Paludanus.* D. Bona. & Palud. hanc moderare opinionem, ideo reſpondetur gemina concluſione.

Prima concluſio. Quando religioſa vel alia mulier fuerit in ſtatu Virginis conſtituta, & ſtatum Confeſſor nouit, non tenetur tunc fœmina hac circunſtantiam exprimere: patet quia ſi virginitatem amiſit eſt circunſtantia aliquantulum minuens, & poteſt reticeri, licet confeſſor grauius intelligat eſſe crimen, vt probatum eſt ſupra concluſione 4.

Secundo concluſio ſi confeſſor ſtatum fœminę ignorat, tenetur ipſa hanc ſtupri circunſtantiam explicare in peccato ſolius [illegible], quia peccatum mentis & operis ſunt eiuſdem ſpeciei.

Quantum.

Circa hanc circunſtantiam, quæ quantitatem continuã, & diſcretam reſpicit, licentius agemus [illegible], vbi de conſitendo numero peccatorum ſumus locuti. Sed modo quia cõtinuatio eiuſdem peccati per notabile tempus ad quantitatem continuam reducitur, ad diſcretam vero reducitur numerus, & per conſequens reiteratio eiuſdem actus peccati, ſiquidem ad numerum pertinet, ideo quæritur, vtrum circunſtantia interruptionis eiuſdem actus peccati ſiue interioris ſiue exterioris ſit in confeſſione exponenda. *Circunſtantia interruptionis actus an ſit confitenda. Canus.* Pro ſolutione ſupponitur ex Magiſtro Cano relectione de pęnitentia, quod poteſt actus malus interrumpi, & renouari, dupliciter, primo per actum contrarium, vt ſi volens committere furtum, reſipiſcit a mala voluntate, & poſtea rediens ad vomitum, iterum vult furari. Secundo modo interrumpitur actus non per actum contrarium, ſed naturaliter; veluti ſi quis vult furari certam rem, & oblitus illius malæ voluntatis in alij diſtrahitur, cæterum quia habitualiter in complacentia manſit ſi recordatur repetit ſuum propoſitum furandi illam rem, hoc ſuppoſito reſpondetur duplici concluſione.

Prima concluſio. Si interruptio actus mali facta eſt per actum contrarium neceſſe eſt confiteri eam in confeſſione pandendo vices, quibus eandem malam voluntatem renouauit, patet: quia quoties renouauit peccatum, toties augetur numerus peccatorum, & ſic eſt intelligendus *Nauar.* Nauar. ca. 6. nu. 16. vbi dimidiate loquitur de mente Ioan. And.

Secunda concluſio. Si interruptio fuit naturalis non oportebit explicare huiuſmodi renouationes, ſed tantum eius cõtinuationem ſi notabilis eſt, veluti dicendo per totum menſem deſideraui hoc facere malum probatur quia peccatum non iteratur per interruptionem naturalem actus, & præterea, quia vt dicit Canus ſufficiens notitia hinc datur confeſſori adiudicandum. Vnde fallitur Armilla verbo peccatum, *Armilla.* §. 4. vbi docet quod multiplicatio actuum voluntatis peccata multiplicat ſaltem quantum ad numerum, vt ſi vadens ad occidendum hominem diuertit voluntatem ad alia, & poſt iterum deliberet occidere ſemper multiplicat peccata numero, licet ſit vnum ſpecie, ſed hoc eſt falſum niſi diuerterit voluntatem ad alia per reuocationem mali propoſiti, & poſtea redireat ad vomitum, & ſic eſt intelligendus D. Tho. 2. ſent. d. 42. q. 1. art. 1. quia tunc interrupta eſt voluntas per *D. Thom.* actum contrarium, ſecus autem ſi naturaliter (vt ipſe Armilla videtur ſignificare) interrumperetur. Cæterum quando plures ſunt actus exteriores, ſed vnus eſt tantum actus voluntatis, vt quando quis furatur, & luxurietur, & eodem actu voluntatis vult vtrumque idẽ actus voluntatis eſt plures peccata formaliter furti, & luxuriæ propter plures deformitates, eſt tamen vous actus materialiter, ſed de hoc in circunſtantia finis aliquid dicemus.

Quæſt. 2. Secundo Quæritur an omnes actus interiores, & exteriores, qui tantummodo ſunt veluti quædam via ad vnicum peccatum perpetrandum vnicum efficiunt peccatum, licet illi actus fuerint interrupti naturaliter per digreſſionem ad alia, quales ſunt paſſus itineris ad occidendum, præparatio equi, vna cum varijs deſiderijs occiſionis. Reſpondetur affirmatiue ſi tantum ſunt via ad vnicum peccatum, ſecus autem ſi ex ſe aliam continerent malitiam, aut in proximum redundarent; quia tunc non eſſent vnicum peccatum cũ homicidio, ſed multa peccata etiam malitia diſtincta, vt ſi quis eundo ad occidẽdum furatur arma aliena, vel parat inſidias inimico &c. Vide Nauar. in dicto cap. 6. nu. 17.

Vbi.

Circa tertiam circunſtantiam, quæ eſt loci ſacri. Quæritur primo, quibus in caſibus in confeſſione declarandis *Quæſt. 1.* committitur in eccleſia delictum ſpeciem mutans, & Reſpondetur, quod in quatuor caſibus. *Quatuor caſus in quib. circunſtantia loci mutat ſpeciem peccati.* Primus eſt quando in loco ſacro. Secundus cum voluntarie, iniuſteque effunditur ibi ſanguis. Tertius eſt effuſio ſeminis, vel pollutio committitur in loco ſacto. Quartus eſt quando delinquens ab eccleſia extrahitur in caſibus, quibus priuilegio immunitatis eccleſiæ licite potiebatur. In his caſibus ſacrilegium incurritur propter irreuerentiam loco ſacto factam. Vnde ſequitur, quod non per quancumque irreuerentiam eccleſiæ factam committitur ſacrilegium, vt ſi quis in templo [illegible] rit, iurauerit &c. licet aliquam [illegible] non eſt circunſtantia neceſſario in confeſſione explicanda, vt bene notat Medina in ſua inſtructione & Canus [illegible]. Reſtat modo inueſtigare aliqua circa quemlibet iſtorum quatuor caſuũ. *Medina. Canus.*

Secundo quæritur, quando per furtum committitur ſacrilegium, Reſpondetur, quod ſacrilegiũ eſt rapere ea, quæ gaudent priuilegijs eccleſiæ, & eccleſiæ cuſtodia ſunt tradita, 17. qu. 4. quia violatur immunitas eccleſia integram. *Quæſt. 2.* Ex hoc colligit quatuor frater Ioan. de la pęna quę refert, & ſequitur frater Ludouicus Lopez in ſuo inſtructorio. p. 1. c. 23. *Ioannes de pęna. Lud. Lopez.* Primum quod ſpecies ſacrilegij eſt ſurripere res in eccleſia collocatas, etiam ſi non ſint eccleſiæ, quando earũ cuſtodia pertinet ad eccleſiã. Vnde ſacrilegium committit, qui res accommodatas eccleſiæ, & ad eius cultũ, & ornatũ rapit: quia hęc pertinent ad eccleſiæ cuſtodiam, non autem ſacrilegium cõmittit, qui puluinaria eccleſiæ furatur, quorum cuſtodia nõ pertinet ad eccleſiam, huic ſententiæ ſubſcribit etiam Canus in relectione de pęnu.

Secundo colligit ſacrilegium eſſe furari calicem conſecratum etiam extra eccleſiam, ſi ſit eccleſiæ, ſecus ſi non ſit eccleſiæ, licet ſit conſecratus, vtrunque corrolarium, probatur, quia pęnæ ſunt reſtringendæ, & hoc non reperitur in iure.

Tertio ſequitur, ꝗ accipere bona poſſeſſa, vel non dare legata eccleſiæ, & decimas ſacrilegium eſt, vt patet, 12. q. 4. ca. ſacri. & 16. q. 7. cap. Decimas, & probatur, quia eiuſdem ſpeciei eſt ſurripere, & eas retinere. Quarto colligit prædictus penna, quod licet quis bona patrimonialia furatur a Clerico non committit ſacrilegiũ, cõmittit tñ qui furatur ab eo aliquid iure eccleſiaſtico poſſeſſum. Sed hoc vltimũ valde ſcrupuloſũ iudico, & limitandũ eſſe ad ea, quæ licet poſſideantur a Clerico dũ viuit pertinent ad eccleſiã, vt ſolent eſſe domus, hortus, vel prata, q̃ poſſidẽt beneficiati, & ad beneficiũ pertinẽt, hactenus de primo caſu, ſ. de furto, ꝗ ſit ſacrilegiũ.

Tertia

Quæst. 3. Tertia quæstio est circa secundum casum de effusione sanguinis. Quæritur ergo qualis esse debeat talis effusio, & in qua parte ecclesiæ. Et dico primum quod effusio per quam violatur Ecclesia, debet esse illicita, inuoluntaria, & enormis secundum omnes, exceptis aliquibus, qui ab hac generali regula excipiunt effusionem sanguinis illius sancti, qui martyrium patitur, sed male, quia licet effusio illa ex parte Martyris sit sacra, tamen ex parte tyranni fuit sacrilega, ideo violatur Ecclesia, imo & tanto certius, quanto irreuerentia fuit deterior.

Ad secundum dicimus quod effusio debet esse intra ecclesiam, & intelligunt Doctores per ecclesiam locum auctoritate Episcopi destinatum ad celebrandum, ordinarie cū capellis vnum corpus facientibus cum ecclesia. Ex quo sequitur, quod si aliquis percussus extra ecclesiam introgreditur statim ipsam ecclesiam, & ex illa percussione sanguis effunditur per ecclesiam, non manet ecclesia violata. Secus autem si quis percutitur in ecclesia, & adhibet manum, vel pannū, quo sanguinem retinuit, & non cecidit in solo ecclesiæ, sed statim quia egressus est, sanguis egressus est extra sacrum.

Secundo sequitur, quod si sanguis effunditur in tecto ecclesiæ, vel etiam in cemiterio ecclesiæ contiguo non violatur ecclesia. Accessorium enim non trahit ad se principale. e contrario vero polluta ecclesia manet pollutum cemiterium. c. 1. de consecrat. eccles. æ, vel altaris. lib. 6.

Quæst. 4. Quarto quæritur circa tertium casum, qui est seminis voluntaria effusio, & non sufficit nocturna, & aliunde proueniens. An concubitus viri cum propria vxore in ecclesia sit species sacrilegij in confessione aperienda. Partem affirmatiuam tenet absolute Cano vbi supra; Alij oppositum defendunt si absque contemptu loci fiat; cæterum media sententia est Victoriæ de cuius mente respondetur quæstio duplici conclusione. (Canus. Victoria.)

Prima conclusio. Si quis diutine permansurus est in ecclesia necessario, vt in necessitate obsidionis, vel confugiendi ad illam, tunc potest licite reddere debitum vxori, & ab illa exigere, dummodo non publice, & cum contemptu hoc fiat; patet quia ad euitandam fornicationem potest reddere propter iustitiam, & petere.

Secunda conclusio. Si per parum temporis in ecclesia est permanendum, non licet petere, aut reddere debitum regulariter loquendo; dicimus autem regulariter, quia in aliquo rarissimo euentu posset contingere, quod non esset peccatum, veluti si coniuges ad ecclesiam necessario fugerent, nec possint habitare in adiacentibus turribus, vel cameris extra ecclesiam, nec licet eis in diuersis dormire lectis, tunc quidem excusantur.

Quæst. 5. Quinto quæritur, an committatur sacrilegium in confessione explicandum per oscula, aspectus, vel libidinosa colloquia, vel alia huiusmodi in ecclesia commissa. Respondeo cum Cano vbi supra contra Syluestrum, confessio. 5. §. 1. quia nec ista circunstantia inueoitur speciem mutare, nec valde aggrauans, & ideo non requiritur vt in confessione explicetur, licet peccatum sit peius, quia contra sanctitatem, quæ domū Dei decet. Hæc sententia Cani existimo veram, si cum suo sale intelligatur. i. non intelligendo de tactibus turpibus, qui de per se ordinantur ad copulam, vel pollutionem: tunc. n. verior est sententia Syluestri, & hactenus de hac circunstantia, reliqua. n. quæ disputari poterant. s. de violatione siue immunitate ecclesiæ ad alias spectant materias.

Quibus auxilijs.

Medina. Circa circunstantiam auxiliorum quibus perpetratum est peccatum, duos enumerat casus Medina vbi supra, primus si instigauit, incitauit que aliquem ad opeiu sibi ferendum in peccato, & si ex tali incitatione subsequuta est ruina in tali persona, quæ ad tale peccatum non erat animo præparata. Secundus si Princeps christianus ad bellum opera quæsiuit infidelium ad debellandos christianos, & hac in re nihil se offert specialiter aduertendum, quod ex prædictis generalibus regulis nequeat facillime colligi.

Cur.

Circa circunstantiam finis peculiari præcepto prohibiti, hoc vnum se offert inuestigandum. Vtrum si quis est confessus propter inanem gloriam principaliter, hæc circunstantia mali finis i. vanæ gloriæ sit in alia confessione necessario declaranda. Partem affirmatiuam tenet Syluester verbo confessio. §. 7. sed contraria est Soti, & verior, nam talis cōfessio valida est, & fructuosa, & impletiua præcepti, secus est si propter mortalem finem confessus fuerit, quia cum tunc desit dolor, & propositum absolutum cauendi talem mortalem finem, confessio esset inualida. (Syluester. Sotus.)

Ex quo regulariter colligitur, quibus in casibus qualitatem omnium circunstantiarum finis iudicare quis possit, nimirum si finis est prohibitus sub pœna lethalis culpæ est explicanda, secus autem, si nullum est peccatum, vel est veniale. sed nota quod finis ex natura sua venialis potest effici mortalis si in re alias licita valde vltimate, vel vt ita dicam reflexe sumatur, vt si quis ob vanam gloriam ita confitetur, quod alias nō confiteretur, vel ita ob pœnas inferni pœniteret de peccatis, quod si pœnæ non essent non pœniteret, & his regulis de hac circunstantia iudica, quia speciales casus sūt innumerabiles. De circunstantia peccantis cum fiducia obtinendi veniam nihil dicimus: quia licet aliquibus visu fuerit necessario confitendam esse, sicut qui assumit bullam cum intentione se absoluendi a casu reseruato, nihilominus communiter tenetur opinio Caiet. contra D. Bonau. vt docet Nauar. cap. 6. num. 4. dicens quod talis circunstantia non est aggrauans, sed minuens, quia peius esset sine spe, & proposito pœnitendi peccatum fuisse commissum. (Caietanus. Nauar.)

Quomodo.

Circa hanc circūstantiam modi in delicto seruati nihil se offert specialis difficultatis, sed quia solent Doctores ad eam aduocare quæstionem de recidiuo peccati, quæritur an recidiuum in peccato necessario sit confitendum, partem negatiuam tenet Canus vbi supra, & existimat non esse contra D. Thomam. Contrarium docet Syluester in quæstionibus impertinentibus Rosæ aureæ, quem sequitur Sotus cum certis limitationibus. Respondetur ergo quæstioni triplici conclusione de mente fere omnium Doctorum. (Recidiuum in peccato an sit necessario confitendum. Canus. Syluester. Sotus.)

Prima conclusio. Quando recidiuum in peccato, & eius iteratio est cum contemptu speciali Dei remittentis peccatū, & eius remissionis, necessario est tunc in confessione explicandum, hæc conclusio est omnium, & nulla indiget probatione, neque hic casus contingit nisi desperatis, ac perditissimis hominibus, de quibus dictum est. Peccator cum in profundum peccatorum venerit contemnit.

Secunda conclusio. Quando in consuetudine nequam, & reiteratione peccati intercedit contemptus interpretatiuus, est etiam circunstantia in confessione exprimenda, v. g. quando voluntas ita effrenate vult peccare, ac si non esset lex humana, aut diuina, licet formaliter non contemnat leges; patet quia oportet huic infirmo specialem adhibere medicinā.

Tertia conclusio, circunstantia recidiui, & reiterationis peccati, regulariter est quædam generalis ingratitudo, quæ non necessario est exprimenda, demptis aliquibus specialibus casibus, vt bene ait Medina vbi supra, in quibus necessario est confitenda propter insignem ingratitudinem, & quia cōtra insignem benefactorem, & egregium beneficium, vt si pœnitens de grauissimis delictis sæpe sæpius repetitis in confessione sæpissime a Deo veniam obtinuit, vel miraculose, & cum hoc iterum ad vomitum redijt. Vide. D. Thomam in 4. d. 22. quæst. 1. art. 4. & Syluest. in aurea Rosa in quæst. impertinentibus. (Medina. D. Thomas. Syluester.)

Quando.

Medina. Circa hanc temporis circunstantiam inquit Medina vbi supra, quod regulariter non est necessaria explicatu, secus autem in aliquibus specialibus euentibus, in quibus specialis apparet enormitas ratione temporis, vt si quis in feria 6. parasceue, cum ecclesia dominum representat in Cruce pendentem, & peccatoribus tunc pœnitentibus, & se flagellantibus, aliquod enormissimum committeret peccatū, huic sententiæ subscribit Nauar cap. 6. num. 9. post Caiet. in summa verbo dies, & Syluest. verbo circunstantia, & alijs in locis. Vide Canum vbi supra; robantem contra Gabrielem & alios hoc esse etiam intelligendum de circunstantia dierora tionis, vel termino consecrati. & Pater Corduba lib. 1. quæst. 6. existimat hanc circunstantiam temporis constituere malitiā venialem, vt auctores concordet. Cæterum hoc vnum ex mente (Nauar. Caietanus. Syluester. Canus. Corduba.)

mente fere omnium certum habet, quod non necessario debet in confessione explicari, nisi in prædicto casu, vel alijs similibus, vel vt notat Nauar. vbi supra, quando per peccatum commissum in festo intendit aliquis facere seruile opus prohibitum fieri illo die, aut per tale opus intenderet violare festum.

ARTICVLVS VI.

Vtrum peccatorum numerus sit necessario exprimendus in confessione.

Archidiaconus. *Angelus. Syluester.*

QVæstio hæc intelligitur de numero peccatorum intra eamdem speciem, in qua nonnulli Canonistæ arbitrati sunt satisfacere penitentem, si confuse dicat sæpius peccaui furando &c. Ita Archidiaconus de pœnit. d. 5 cap. considerret & in c. imitare. 6. q. 1. quam opinionem non censet improbabilem Angelus verbo confessio. 1. nu. 10. & Syluest. eodē verbo. num. 11. dicit esse rem incertam. Fundamentum est, quia ad sufficientem contritionem sufficit, vt vnico actu habeatur dolor generalis peccatorum, ergo ad confessionem legitimam sat erit vnico actu dicere, commisi grauia adulteria, furta, &c. absque eo quod numerus exprimatur: & si dicas requiri numerum exprimi, vt confessor iudicet. Contra: quia in iudicio nullus tenetur confiteri omnia crimina a se patrata, sed solum quæ interrogatur a iudice, ergo similiter in hoc iudicio sacramentali sat est manifestare ea, quæ sacerdos rogauerit.

Præterea impossibile est retinere singula peccata in memoria. Delicta n. quis intelligit, ergo impossibile erit ea cōfiteri. Et si concedas neminem teneri ad impossibile, tenetur autem pœnitens circa hoc ad faciendum totum quod in se est, contra quia sequeretur, quod peccator teneretur facere totum, quod efficere potest ad peccatorum memoriam conseruandam, quod est falsum; nam tunc obligaretur, quam primum peccat mortaliter ad scribendum peccata, & constitueret se in periculo se infamandi, si scripturam amitteret, vel esset illi statim post peccatum confitendum, quod non tenetur efficere ex præcepto nisi semel in anno, ergo cum iugum Domini sit suaue, numerus peccatorum non est necessario exprimendus.

Penitentes sunt in triplici differentia.

Circa hanc quæst. obseruandum est, quod pœnitentes possunt esse in triplici differentia, quidam enim certissime recordantur numerum omnium suorum peccatorum, vt illi, qui singulis diebus confitentur, alij ex parte recordantur, quidam vero præ nimia frequentia peccandi nequeunt recordari, veluti meretrices, concubinarij &c. & pro his omnibus est absoluenda quæst. triplici conclusione.

Prima conclusio tenetur homo iure diuino omnia, & singula peccata confiteri, quorum habet memoriam. probatur quia Deus neminem absoluit nisi quem sacerdos absoluerit. Ioan. 20. Quorum remiseritis, &c. sed Deus neminem potest de lege absoluere ex parte, ergo neq; sacerdos: Vlterius non potest autem sacerdos aliquem absoluere integre, nisi præcedat integra confessio: non enim debet iudicare nisi cognita causa, ergo de primo ad vltimum, vt pœnitens absoluatur tam a Deo, quam a sacerdote, tenetur integram præmittere confessionem: diximus autem quorum habet memoriam: quia nemo tenetur ad impossibile. Et tandem conclusio hæc definita est in Concilio Floren. sub his verbis. Secunda pars sacramenti pœnitentiæ est oris confessio, ad quā pertinet, vt peccator omnia peccata, quorum habet memoriam suo sacerdoti confiteatur integraliter, & hoc Concilium explicatur per Lateranense in cap. omnis vtriusque sexus. nam signum illud distributiuum omnia non tantum de speciebus, sed maxime de indiuiduis distribuit. Et Cōcilium Trident. Sess. 14. c. 5. addit particulam illam sigillatim, vt declaret cōfessionem futuram esse de singulis, atque adeo de omnibus peccatis in indiuiduo.

Conc. Flor. *Conc. Later.* *Conc. Trid.*

Penitens tenetur ante confessionē reuocare peccata ad memoriam.

Hinc Doctores omnes duo colligunt, primum est, quod pœnitens ante quam accedat ad confessionem, teneatur adhibere diligentiam ad reuocandum peccata ad memoriam: probatur quia si accederet ad confessionem nulla aut minima præmissa cognitione peccatorum, huiusmodi confessio esset dimidiata per accidens, hoc est non ex intentione confitentis sed propter eius negligentiam, & per consequens esset nulla:

Et si quæras quanta esse debet huiusmodi diligentia? Dico quod sufficiens diligentia erit si suscepturus sacramentū pœnitentiæ prius excitat memoriam peccatorum *multipliciter discurrendo per diuina mandata, per loca, tempora, &* negotia, & personas in quibus, & cum quibus est versatus post vltimam confessionem, & vt verbis Scoti (in hac. qu. sub litt. M. §. sed quod peccatum mortale) vtar, pœnitens in reuocandis peccatis ad memoriam, tantam adhibeat diligentiam, quantam in negotio arduo solent homines adhibere. Maior vero. d. 17 q. 3. dicebat hominem, qui confessurus est, talem debere præmittere diligentiam, quo sua omnia peccata occurrant, qualem adhiberet si quam orationem latinā ad eruditos esset habiturus, aut si de multa, & longo tempore, impensa pecunia domino vigili, ac auaro rationem esset redditurus; Non est autem intelligendum, quod teneatur adhibere quantam potest: quia nemo potest adhibere tantam diligentiam, qua maiorem adhibere nequeat, quacumque enim adhibita, maiorem potest, sicut in simili nemo tenetur amare Deum de præcepto, quantum potest, quia quocunque gradu amoris dato adhuc magis potest secundū Parisienses. d. 27 q. 2. Ceterum quia nequit vnica generalis regula pro omnibus assignari, tenendum esse censeo in hac re valde quotidiana, tantam diligentiam esse necessariam, & sufficere, quanta viro prudenti humano more rem examinanti necessaria videbitur, vel quanta videtur sufficiens vt plurimum hominibus, qui eiusmodi sunt conditionis, cuius est is, qui illam diligentiam habet, modo bona fide paret pro sua fragilitate esse mediocrem.

Scotus. *Maior.*

Secundo sequitur ex nostra conclusione, quod reuocatis peccatis ad memoriam tenetur pœnitens singula sigillatim confiteri, quando fuerint diuersæ species, quod ante dicta Concilia docuit D. August. de vera, & falsa pœnitentia cap. 15. dixi si fuerint diuersæ speciei: quia si sunt eiusdem speciei vnico actu possunt pœnitentes plura confiteri, veluti si decies blasphemauit sufficit dicere decies blasphemaui; quia sic confitendo exprimit singula peccata.

D. August.

Secunda conclusio, quando pœnitens non est certus de numero peccatorum satis est, vt probabilem numerum explicet, dicens commisi decies hoc peccatum paulum plus, minusue, & si postea recordatur duodecies commisisse non tenetur illa duo confiteri, si quidem includuntur in illo addito plus, minusue, secus autē si recordetur quatuor aut quinque amplius commisisse.

Ex hoc sequitur, quod tenetur quis confiteri singulas cogitationes, vel opera, & quod non sufficit dicere per mensem habui animum occidendi hominem, vel committendi adulterium, sed requiritur exprimere quoties illud denuo proposuit, & quoties cum alijs illud tractauit, & quoties alios induxit, vt sibi opitularentur, & alia huiusmodi, aduertendo ne pluries dicat se commisisse aliquod peccatum, quam cōmisit, & quod sub dubio est sub dubio confiteatur; quia confessio debet esse integra, nuda, & fidelis, tota difficultas est, quando fere impossibilis est recordatio singulorum peccatorum, vt si meretrix fuerit per biennium in lupanari, & sit pro his

Tertia conclusio. Quando diuturna fuerit peccandi perseuerantia, tantaque frequētia, quod difficillimum sit recordari numerum peccatorum, tunc sufficiet confiteri tempus, quo in peccato perseuerauit, vt si meretrix dicat quotidie eram parata peccare per biennium, quo fui in meretricio, & multoties peccaui, opere, verbis, & cogitatione, cum varijs hominib. solutis, & coniugatis, &c. hæc conclusio est Caiet. vbi supra, quam probat: quia hoc sufficit, vt confessarius intelligat statum pœnitentis, & aliter non posset confiteri.

Caietanus.

Vnde sequitur primo, quod si pœnitens diutius perseuerauit in peccato, & potest recordari numerum peccatorum tenebitur explicare, veluti si per annum aliquis fuit concubinarius, & non vixit cum concubina sicut cum vxore, facile poterit explicare numerum peccatorum, secus si ita frequenter accedebat ad illam sicut ad vxorem.

Secundo sequitur, quod qualitas diuturnitatis perseuerātiæ in peccato est explicanda si notabilis est, vt in meretricibus, latronibus, & vsurarijs, & alijs huiusmodi contingere potest: quia licet omnes sint expositi ad peccandum semper, quod occasio se obtulerit, non tamen omnes æqualiter. restat modo argumentis satisfacere.

Ad primum negatur consequentia; quia in foro exteriori non accusatur reus omnium delictorum, sed aliquorum, & ea, quorum accusator tenetur confiteri iudici legitime interro-

terro-

terroganti. In foro autem conscientiæ accusatur omniũ peccatorum, & ideo omnia tenetur confiteri, & etiam quia in foro exteriori, accusatur vt damnetur, hic autem vt reconcilietur Deo, & quia reconciliatio nequit fieri ex parte, ideo non sufficit, quod ex parte confiteatur.

Ad secundum negatur consequentia: quia aliud est adhibere diligentiam ad conseruãdam memoriam peccatorum, aliud ad reuocanda peccata in memoriam, pœnitens autem non tenetur facere totum quod potest ad conseruandam memoriam peccatorum propter inconuenientia in argumẽto proposita, tenetur tamen adhibere mediocrem diligentiam ad reuocandum peccata ad memoriam, vt probatum est.

ARTICVLVS VII.

Vtrum soli sacerdoti confessio fieri debeat.

SEnsus tituli est, an liceat aliquando confiteri laico. Pro huius quæst. solutione obser. est, quod aliud est loqui de confessione sacramentali, aliud vero de aliqua alia confessione. In primo enim sensu multi hæretici dixerunt etiam laicũ posse esse ministrum huius confessionis, præsertim si iustus sit, & bonus. Qui error solet tribui Vualdensibus: quia licet negauerint confessionem, dixerunt tamen omnes laicos esse sacerdotes, & habere potestatem conficiendi corpus dnmini, præsertim si iusti sint, vt videre est in Prateolo verbo Vualdenses, & verbo Pauperes de Lugduno, & apud Castrum verbo sacerdotium, hæresi. 3. Nunc vero errorẽ proprie docuit Vuiclephus, vt refert Vualdensis tom. 2. c. 135. & 145. & eundem excitauit Lutherus, vt patet apud Roffensem art. 13. & Castrum vbi supra hæresi. 1. Fundamentum esse potuit, quia ibi hæretici negant in hoc sacramento dari gratiam, & veram absolutionem a peccatis, sed tãtum esse quoddam nudum ministerium, & exterium signum adhibitum tantum ad excitandam fidem, quod falsum fundamentum in 1. tomo in materia de sacramentis in genere satis impugnatum est. Alterum fundamentum huius erroris esse potuit: quia negant verum sacerdotium a Christo institutum, sed omnes christianos faciunt equales dignitatis & potestatis, & solum requirunt, vt ab ipsa communitate ecclesiæ deputentur ad aliquod ministerium peragendum, vt rite & recte illud exequi possint. sed hunc errorem euertit Alphonsus a Castro contra hæreses lib. 6. verbo Episcopus, & lib. 13. verbo sacerdotium hæresi. 4. & nos in materia de ordine in sequenti tomo id ipsum faciemus.

Prateolus. Alphonsus. Vualdensis. Roffensis.

Quidam etiam catholici, vt Magister sent. hac dist. & D. Thomas in 4. d. 17. q. 3. art. 3. quæst. 2. ad 1 censent in articulo mortis, qui non potest confiteri sacerdoti teneri confiteri laico: quia ob necessitatem videtur esse sufficiens ratio, vt laicus possit confessionem audire, quando pœnitens est in extremo articulo, & non est copia sacerdotis. In Baptismo enim ita institutum est: quia est sacramentum necessitatis, quod vrgente necessitate laicus baptizat, etiam fœmina. c. constat. c. mulier. de consecrat. dist. 4. etiam Iudæus, & quiuis alius infidelis, cap. a quodam. & alijs sequentibus. de consecrat. dist. 4. Cur ergo non etiam in hoc sacramento, quod etiam necessitatis est? Item in cap. fures. extra de furtis, præcipitur vt fur, qui in actuali furto interficitur careat sepultura, & subditur, si autem Presbytero aut Diacono confessus fuerit communione non priuetur. cui consentaneus est locus Cypriani lib. 3. epist. 17. quæ incipit, Miror vos, vbi post alia hæc verba subdit. Si aliqui incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiã nostram, quin ad presbyterum quemcunque præsentem, vel si presbyter repertus nõ fuerit, vt vrgere exitus cœperit apud Diaconum quoque exomologesim. i. confessionem suam facere possint, vt manu eis in pœnitẽtia posita vadant ad Dominum cum pace; quibus verbis committit Diacono vt absentia presbyteri reconciliet pœnitentem iam in animam agentem.

Magist. sent. D. Thom.

Cyprianus.

Præterea Præceptum de cõfessione obligat ad duo, ad vnũ ex parte peccatoris, ad alterũ ex parte ministri, ex parte peccatoris obligatur ad confessionem, ex parte ministri ad absolutionem, & si non potest ambo simul, ad minus tenetur facere quod potest; sed in tali casu potest vnum facere, quãuis non possit absolui sacramentaliter, ergo tenetur tunc laico confiteri.

Cæterum contra hæreticorum sent. sit ista conclusio, solus sacerdos est huius sacramenti minister, hæc conclusio est de fide definita in Concil. Floren. in litteris vnionis, & in Constantiensi Sess. 8. & 15. damnantur errores Ioannis Huz, & Vuiclephi, & in Concil. Cabilonensi. 2. c. 33. & habetur in c. quidam dicunt. de pœn. dist. 1. vbi dicitur vniuersam sanctã Ecclesiã docere, sacerdotib. esse confitenda peccata, definiuit & Leo. X. in damnatione articulorum Lutheri, & demũ Cõcil. Trid. sess. 14. can. 5. sub his verbis. Si quis dixerit non solos sacerdotes esse ministros huius sacramenti, sed omnibus, & singulis Christi fidelibus esse dictũ, Quæcunq; ligaueritis super terra &c. anathema sit. Fundamentũ est: quia in ministro huius sacramenti necessaria est potestas clauiũ; quia nullus potest esse iudex sine potestate, hæc autem potestas cum supernaturalis sit, nõ pot se, & necessario conuenit oĩbus, sed illis quibus a Christo data est, solum ergo illi possunt esse ministri confessionis, quibus Christus contulit hanc potestatẽ, contulit autem solis sacerdotibus, vt patet Io. 20. vbi solis Apostolis pro se, & suis successoribus dixit Christus Accipite Spiritũ sanctũ; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, per quæ verba concessit præ dictam potestatem, vt in superioribus ostensum est.

Conc. Flor. Conc. Cõst. Conc. Cab.

Leo X. Conc. Trid.

Sed contra hanc conclusionem videntur esse verba Iacobi. 5. dicentis confitemini alterutrum peccata vestra. & etiam antiqua consuetudo confitẽdi laicis deficiẽte sacerdote, prout refertur in Canone, quem pœniteat. de pœnt. dist. 1. & in c. qui vult. d. 6. Item in Conc. Constantiensi in Bulla Martini Quinti vbi damnantur errores Ioan. Huz. & Vuiclephi inter alias interrogationes, quæ ibi proponuntur pro his, qui sũt suspecti de illa hæresi, vna est. Vtrum credant, quod christianus vltra contritionem cordis habita copia sacerdotis idonei soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico, seu laicis quantumcunque bonis, & deuotis, vbi cum additur habita copia sacerdotis idonei, videtur indicari in absentia eius esse necessarium confiteri laico.

Cæterum hæc argumenta non concludunt, & facillime reijciuntur. & ad primum dico non esse certum ibi esse sermonem de sacramentali confessione. Secundo intelligendo illũ locum de confessione sacramentali, loquitur D. Iacobus de cõfessione facienda sacerdotibus, prout ex ordine litteræ colligitur; ait. n. Infirmatur quis in vobis inducat presbyteros ecclesiæ, & orent pro eo, atque post hoc subdit. Confitemini alterutrum. i. inuicem laicus sacerdoti, & sacerdos alteri sacerdoti confiteatur, adeo quod sensus illorum verborum est, homines non tantum Deo, sed etiam hominibus confiteantur peccata sua, non tamen omnes omnibus, sed illis, qui ad hoc deputati sunt, & potestatem habent. quod ipse supponebat esse in ecclesia satis distinctum, & ordinatum.

Ad secundum dico, quod consuetudo antiqua nõ erat de confessione sacramentali, sed de alia confessione ratione humilitatis, in eodem enim canone dicitur, quod laicus cum sit confessio potestatem absoluendi non habet.

Ad tertium dico, quod argumẽtum a contrario sensu nullius est momenti in materia præsertim doctrinali, ibi ergo solum proponitur interrogatio de eo, quod ad fidem pertinet; aliud vero, quod spectat ad theologicam quæst. proponendum non fuit, nec propterea aliquid circa id definitur, aut insinuatur.

Secunda conclusio. Sacerdos est simpliciter necessarius cõfessionis minister, ita vt nulla necessitate neq; ex vlla dispensatione aliud id efficere possit. est cõclusio communis Theologorum, & de fide, quæ probatur vt prior conclusio, & ex. Conc. Trid sess. 14. can. 10. vbi absolute definit solum sacerdotem posse esse ministrum huius Sacramenti, & ratio est: quia sine potestate clauium nullus potest esse minister, vt constat ex supra dictis, quia sine potestate absoluendi nullus potest conficere hoc sacramentum, nec vere proferre formam, potestas autem clauium fundatur in caractere sacerdotali. Et confirmatur: quia confessio non solum ordinatur ad laxationem emendæ, imo ad aliquam relaxationem pœnæ virtute clauium, & ad susceptionem gratiæ, & quia nullus habet claues in foro pœnitentiæ nisi sacerdos, ideo nõ est necessarium confiteri non sacerdoti, etiam cum haberi non potest sacerdos.

Conc. Trid.

Ad fundamenta prioris sententiæ respondetur, quod non est simile de Baptismo, & sacramento pœnitentiæ, est enim Baptismus maioris necessitatis, quam hoc sacramentum, nã hoc semper suppleri potest per contritionem, ille vero nõ, saltem in paruulis, & ideo aliter est commissum sacerdotibus

nimi-

ministerium illius sacramenti, quam istius. Cuius signum manifestum est: quia si extra necessitatem laicus baptizet, licet male faciat, tamen sacramentum tenet, quod in hoc sacramento nullo modo dici potest.

Ad secundum respondetur illius cap. fures esse. si ostenderit signa contritionis & pœnitentiæ non esse illi denegandã communionem, numerantur autem specialiter sacerdos, & Diaconus: quia a sacerdote potest & absolui, & communicari. Diaconus vero quamuis non possit illum absoluere, potest tamen in illo articulo, & deficiente sacerdote Eucharistiæ sacramentum ministrare illi, dummodo alias se sufficiẽter dispositum ostendat, & hoc significatum est per illa verba. Si Diacono cõfessus fuerit. Et ex hoc patet defectus Glossæ, & Panormitani; Nam Glossa colligit ibi, in extrema necessitate deficiente sacerdote confessionem esse insinuari, etiam laico faciendam, & Panorm. adiluit ibi, & posse, & debere, quem modum loquendi imitati sunt Theologi supra citati: nam certum est talem confessionem non esse faciendã in ordine ad absolutionem: quia ille non potest esse iudex.

Ad authoritatem Cypriani respondetur quod loquitur de illis infirmis, qui erant in pœnitentia publica, quorum reconciliatio pertinebat ad Episcopum si haberi posset: alioquin fieri poterat non solum per presbyterum, sed etiã per Diaconum.

Ad aliud dico, quod quicunque obligatur ad duo ad vnũ principale, quod est finis, & ad aliud tanquam ad medium & accessorium ad alterum tanquam ad finem, & principale. si incurrat impossibilitatem principalis, quod est finis, non amplius obligatur ad accessorium. In proposito autem homo non obligatur confiteri, nisi vt recipiat absolutionem sacramentalem, & si posset sacramentaliter absolui sine cõfessione, non teneretur confiteri; hinc est, quod qui commisit mortalia ante Baptismum, non obligatur postea confiteri: quia sunt absoluta vi sacramenti, adeo qui posset absolui vi sacramenti sine confessione, non teneretur confiteri: modo in nostro casu esto quod existens in extrema necessitate habeat copiam laici, est impossibilitatis quoniam ad principale seu finis consecutionem, idest absolutionem sacramentalem, ergo pro tunc deobligatur ab accessorio, scilicet a confessione; si enim aliquis incurrat impossibilitatem finis non amplius obligatur ad medium. Et hæc de confessione sacramentali.

Circa autem confessionem non sacramentalem laico factam tempore necessitatis est triplex opinio. Prima est Magistri sent. in hac dist. quem sequitur D. Thomas ibidem loco supra relato, hi asserunt talem confessionem esse faciendam tempore necessitatis ex præcepto licet Sotus d. 18. q. 4 art. 1. exponit D. Thomam; sed ipse manifeste loquitur, & communiter tenetur cum Magistro. Secunda opinio est Alex. de Ales. p. 4. q. 78. m. 1. art. 1. quem sequuntur D. Bonau. d. 17. art. 2. q. 1. & Palud. d. 17 dicentes laudabile esse sic confiteri, sed non necessarium, idem affirmat Ricard. d. 17. art. 2 qu. 1. ad vltimum.

Mag. sent. *D. Thomas.* *Sotus.* *Alex. de Al.* *D. Bonau.* *Paludanus.* *Ricardus.*

Tertia opinio est Scoti in hac q. sub lit. T. §. si vero quæras. dicentis quod confiteri laico nunquam est necessarium, quod plerumque, nec est laudabile, & quod interdum esset in detrimentum salutis. Vnde dicit, quod talis confessio potest esse materia verecundiæ, quæ est vna pœna debita peccato, per quam pœnitens soluit eam pœnam, quam solueret si sacerdoti confiteretur: quia tamen accusatio pœnitentis in confessione ad hoc fit, & ordinatur, vt sequatur sententia iudicis in isto foro, & laicus nullam habeat sententiandi facultatem in foro pœnitentiæ, aperte asserit nullum esse præceptum de confessione laico facienda. imo dicit Doctor, quod forte esset vtilius pœnitenti non accusare se laico, si æqualem verecundiam posset habere propria peccata recogitando apud se, quia tantam pœnam sic sustineret, quantam continẽdo peccata laico. Quia vero nulli licet se diffamare, neque peccatum occultum proprium prodere, maxime quando ille, cui prodit, non præsumitur secreti celator, posset dici illicitũ esse laico confiteri, quod dixit etiam Scotus supra d. 14. q. 4. sub lit. B. §. ex hoc sequitur.

Scotus.

Et si contra hoc obijciatur, quod laicus poterit forte melius consulere pœnitenti, & sibi confitenti, quam ipsemet pœnitens sibi. Respondet Doct. quod hoc non conuincit: quia tale consilium posset inquiri a laico posito casu in vniuersali absque reuelatione peccati proprij.

Quæritur ergo quid sit dicendum de aliquibus peccatoribus, qui confitentur laicis. Respondet Scotus, quod simplicitas excusat illos a peccato, & eorum humilitas est eis meritoria, eo quod voluntatem habẽt supplẽdi per talem confessionẽ, illam, quæ pertinet ad sacramentum pœnitentiæ, sicut illis est possibile, vito tamen discreto scienti finem propter quẽ instituta est confessio, forte non esset vtile confiteri laico; nullo autem modo est necessarium talem facere confessionem. Sententia ergo Doct. est, hanc confessionem non esse consulendam, quia homo se infamat sine causa, imo dicit regulariter non esse vtilem, & dubitat an licita sit, & interdum esse in detrimentum salutis. hoc dictum videtur Soto, sed immerito; maxime post hæresim Lutheri, de qua quidem haberetur suspectus, qui confiteretur laico. imo P. lud. d. 17. q. 3. addit quod laicus audiens confessionem efficitur irregularis, quominus possit ordinari, sed loquitur de laico sacramentaliter confessiones audiente. Quod non placet Syluest. verbo Confessor. 1. §. 1. & bene; quia cum irregularitas sit pœna ecclesiastica non contrahitur nisi in casibus in iure expressis. de sent. ex. cum. is qui. li. 6. Scotũ sequuntur Maior. d. 17 q. 2. Gabriel. q. 2 dub. 7. & Almayn. d. 17. q. 2.

Sotus. *Paludanus.* *Syluester.* *Maior.* *Gabriel.* *Almayn.*

ARTICVLVS VIII.

Vtrum teneatur aliquis deficiente sacerdote confiteri absenti per internuntium, vel per epistolam.

HAec quæstio hactenus disputata est inter Doctores vt dubia, & opinabilis ex vtraque parte, Nunc autem Apostolica sedes aliquid de nouo circa illam declarauit. Vnde pro eius explicatione oportet distinguere duas quæstiones in materijs sacramentorum diuersas. Vna est an absolutio sic data absenti sit valida, alia est an licite detur: sæpe enim contingit formam sacramenti illicite dari, & nihilominus validam esse, prius ergo dicemus an talis absolutio valida sit, ex quo apparebit quid in hoc negocio facere liceat.

Secundo obseruandum est, quod alia quæstio est de absolutione, an scilicet sacramentalis absolutio possit dari personæ absenti; & alia de confessione, an scilicet necessarium sit, vt sacerdos in præsentia pœnitentis confessionem audiat, & vtranque quæstionem insinuat titulus huius articuli.

Tertio obseruandum est, quod aliud est loqui de confessione facta per epistolam absenti, & aliud de eadem confessione facta præsenti, sicut est etiam alia confessio, quæ fit per internuntium ab illa, quæ fit per interpretem astante pœnitente corã sacerdote alterius idiomatis.

His obseruatis sit prima conclusio. Qui non habet sacerdotem sui idiomatis, non tenetur confiteri per interpretem, si autem confiteatur talis confessio erit sacramentalis. hæc cõclusio, quo ad primam partem est Scoti in hac quæstion. sub lit. Y. §. sed primum non videtur necessarium, & ratio Scoti est; quia sicut pœnitentialis ex sua natura secretissimus est, ergo non tenetur aliquis ad confessionem aliquo modo publicam; nam licet interpres velit celare peccata, & celare teneatur sicut confessor, si tamen velit malignari, ipse & sacerdos poterunt esse testes contra accusatum pœnitentem, & sic ex natura talis accusatio talis pœnitentis ipsius confessio potest in publicum deuenire, & ita non erit pœnitentialis. Secunda pars videtur esse contra Scotum, quatenus dicit eiusmodi confessionem non esse pœnitentialem, sed quomodo debeat Scotus intelligi diximus supra art. 3.

Confiteri per interpretem non est necessarium. *Scotus.*

Probatur autẽ conclusio quo ad vtranque partem ex Cõcilio Trid. sess. 14. ca. 5. vbi constat Christum Dominum constituisse confessionem secretam, non tamen prohibuit publicam, ergo nunquam præcepit confessionem publicam. Quidquid dicat Canus in relectione de pœnit. p. 5. præsertim cum eius ingenium sit suauis, erit autem sacramentale si quidem permissa est ab ipso Christo talis confessio non secreta. Et confirmatur: quia (vt diximus supra art. 3.) confessio ex vi suæ institutionis non habet essentialiter signum sensibile determinatum, sed quacunque ratione reus declaret iudici conscientiam suam id satis est. ergo cum hoc faciat per interpretem id satis erit: maxime si aliter non possit.

Conc. Trid. *Canus.*

Sed contra quia in eo actu, nec pœnitens confitetur interpreti, cum hic non sit iudex, nec interpres confitetur sacerdoti, cum ille non sit reus, ergo nulla ibi fit confessio. Et confirmatur, quia sacerdos non accipit sufficientem modum certitudinis per illa narrationem; nam fortasse interpres aliud proferet, quam audiat. Propter hanc rationem existimat So-

tus necessarium esse, vt dum interpres ad sacerdotem loquitur, ipse peccator annuat, & significet ita esse, vt hoc modo, & ipse immediate confiteatur sacerdoti, & sacerdos certior fiat sed attente rem considerando, hoc nullius momenti, vel vtilitatis est; quia in casu in quo loquimur ipsemet pœnitēs non intelligit sermonem interpretis ad sacerdotem, quomodo ergo potest dicta eius confirmare, aut nouam fidem, aut certitudinem illi adiungere? Ad arg. ergo dicendū est neutram partem dilemmatis esse necessariam, sed peccatorem confiteri sacerdoti per interpretem, sicut per vocem, vel scripturam, & ille modus sufficit ad quandam moralem certitudinem, & fidem humanam: quia in hac materia satis est, vt habeatur per vnius personæ fide dignæ testimonium, aut relationem, quando maior exhiberi non potest, & quando nulla est rationabilis causa præsumendi mendacium, vel aliam malitiam in eo, qui loquitur.

Scotus. D. August. Secunda conclusio, confessio per internunciū aut epistolā facta, absenti, nō est licita, nec valida nec sacramentalis, hæc conclusio est Scoti in hac q. sub. Y. §. Ad aliud videtur. & probatur primo ex D. August. & refertur in cap. quem pœniter. de pœnit. dist. 1. Cuius verba sunt. Præcepit dominus mundatis, vt ostenderent se sacerdotibus, docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nuncium, vel per scriptū manifestanda. Secundo probatur ratione; quia actiones sacramentales sunt personales tam actiue, quam passiue, ergo nō possunt committi alijs, sicut nemo potest baptizare, confirmare, absoluere, ordinare aliquem &c. per alium, ita nec nec potest alijs baptizari, confirmari, confiteri, aut ordinari per procuratorem; sunt enim præcepta exigentiam receptionem personalem, sicut præceptum ieiunandi, vel audiendi missā, quæ nequeunt per alium adimpleri. Et confirmatur: quia sacerdos absoluens aliquem, oportet quod tempore absolutionis experiatur in illo signa contritionis, & alia, alioquin errabit illum absoluendo, sed quando confessio fit per litteras siue per internuncium non potest hoc experiri, ergo &c.

Præterea omnis scriptum ex sua natura nata est esse publica; licet enim quispiam apud se conscriberet secreto scriptū; si tamen illud mittat per nuncium ad confessorem, tam per illum nuncium, quam per illum ad quem mittit, scriptum illud poterit in publicum deuenire; semper enim ex sua natura tale scriptum est patulum cuicunque legere volenti; vnde qui sic mitteret peccata scripta contra secretum confessionis faceret, & per talem scripturam tollitur etiam verecundia quæ in confessione maxima est pœna; & licet hæc ratio non concludat euidenter talem confessionem non esse sacramentalem, quia etiam confessio publica est sacramentalis, vt dictum est supra. tamen euidenter concluditur ex decreto Clementis octaui: ille enim his verbis conclusionem nostram definiuit. S. D. N. &c. Re mature, ac diligenter considerata, hanc propositionem, licere per litteras, seu internūcium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere ad minus vti falsam, temerariam, & scandalosā damnauit, ac prohibuit, præcepitque ne deinceps ista propositio publicis, priuatisue lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neue vnquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deducatur, & adiungit excommunicationem ipso facto incurrendam, & sibi reseruatam contra violantes hoc decretum, præter alias pœnas a iudicibus iniungendas. In quo decreto non solum prohibet dicere, aut docere licitum esse absentem absoluere in aliquo casu, vel id facere, sed etiam declarat eiusmodi absolutionem inualidam esse, tum quia in hoc sacramento hæc duo per se non separantur, tum etiam, quia hic erat cardo controuersiæ: nam si ex se non licet, ideo est; quia sacramentum non potest ita perfici.

Sed contra hanc conclusionem; affertur in primis Cyprianus lib. 3. epist epist. 17. vbi significat se recepisse confessiones aliquorum absentium per scripturam, & quamuis non dicat expresse se absoluisse, tamen cum confessio ad absolutionem ordinetur, ne frustra fieret, recte videtur inde colligi post talem confessionem absolutionem fuisse subsecutam.

Eusebius. Præterea refertur. S. Thomam Cantuariensem in carcere detentum Romam misisse pro absolutione, & apud Eusebium lib. 6. c. 36. legitur de Serapione ægrotante, qui misit ad presbyterum etiam ægrotantem, vt eum absolueret, & per aliquem ministrū Eucharistiam mitteret. Refert aūt Eusebius misisse Eucharistiā, vnde vī supponere etiā absoluisse.

Item. c. qualis. 30 q. 5. dicitur confessionem quandam suscipiēdam esse per scriptum. Demum matrimonium potest fieri per internuncium. ergo & confessio, consequentia patet: quia verumque est sacramentum.

Respōdetur & ad primum dico, quod locus Cypriani potius posset in contrarium induci; nam receptis libellis confessorum, qui absentes erant, non dicit se absoluisse illos, sed commisisse, vt aliquis presbyter ex his, qui præsentes aderant pacem eis daret, vbi omnino videtur requirere præsentiam. tamen dum negotium illud cōmittit Diacono dicens, vt si presbyter non adesset, Diaconus id faceret, argumentū est non loqui de absolutione sacramentali, sed de aliqua reconciliatione ad publicam pœnitentiam pertinente, vt supra dicebamus.

Ad id, quod de Thoma Cantuariensi Scotus refert dicimus per absolutionem ibi intelligi indulgentiam aliquam plenariam, & pontificiam benedictionem, pro qua fortasse Thomas Romam misit, vel forte etiam pro absolutione a quacunque cēsura, quæ ad cautelam sæpe peti, & dari solet, etiam si non agnoscatur. Ad factum Serapionis apud Eusebium respondetur ibi sermonem esse de reconciliationem ad publicam pœnitentiam pertinente: nam ille erat veluti in statu pœnitentiam, quoniam coram tyranno propter metum fidem negauerat; quanquam eo in loco nulla fit mentio absolutionis, sed tantum communionis Eucharistiæ.

Ad cap. qualis. dico quod textus ille non est ad rem, tum quia non agitur de absolutione, sed de confessione, tū quia illud scriptum non postulatur propter absentiam iudicis, sed propter maiorem fidem & certitudinem. vnde est mihi euidens ibi non esse sermonem de absolutione sacramētali; sed de alia iudiciali, vt constaret ecclesiæ adulteram esse legitime a viro repudiatam.

Ad vltimum respondent aliqui, quod matrimonium per procuratorem non est sacramentum, sed tantum contractus, sed cauendum est hoc, quicquid dicant Durandus in 4 d. 20. q. 3. & Caiet. in speciali quæst. addita ad 3. p. absin. n. quod sacramentum separetur a contractu in lege Euangelica. Dicendum est ergo quod propter contractum, quem præsupponit sacramentum, & quia ipsi contrahentes sunt ministri huius sacramenti, & mutuus eorum consensus materia, & forma, per procuratorem, quod tantum huic contingit sacramento, potest effici matrimonij sacramentum, vt latius explicabimus in tertio tomo in materia matrimonij. *Durandus. Caietanus.*

Tertia conclusio. In præsentia sacerdotis bene potest aliquis confiteri per scriptum porrigendo ei omnia peccata scripta, & dicendo confiteri omnia, quæ ibi continentur, hæc est Scoti vbi supra, dicentis, quod confessio fieri nequit per scriptum, nisi penitens, qui per scripturam confitetur sit præsens, vnde illud quod legitur in decretis. 30. q. 5. cap. Qualis debeat, quod quis potest confiteri per scripturam, Ioannes Glosator exponit, quando pœnitens est præsens, est etiam hæc conclusio Caiet. vbi supra contra D. Thomā, & Ricard. d. 13. affirmantes, quod non sit sacramentalis confessio eo q̄d accusatio per verba est pars sacramenti, quando sacerdos est præsens, sed contra istos probatur conclusio, confessio vocalis non est de essentia confessionis, vt patet in muto, qui potest, confiteri per scriptum, vel nutus, & infirmus qui nō potest loqui, ergo si non est de essentia confessionis non necessario requiritur etiam in eo, qui potest loqui. Vide Canum relectione de pœnitentia. p. 5. Hactenus egimus de absolutione, est modo quæstio de confessione. an scilicet necessariū sit, vt sacerdos in præsentia ab ipsomet pœnitente confessionem audiat. *Scotus. Ioannes. Caiet.*

De hac re duplex est opinio. Prima est Abulensis super Matth. 16. q. 79. quem secuti sunt Medina cad. de confes. qu. 53. & Alter Medina in sua instruct. Nauar. in summa. c. 26. nu. 28. Canus relect. de pœnit. p. 5. & Sotus. d. 18. qu. 2 art. 5. hi dicunt quod sacerdos nequit absoluere nisi de peccatis specialiter confessis, & addit Abulensis vbi supra, quod si aliter absoluit grauiter peccat, hæc sententia, quæ probabilis est duplici nititur fundamento. Primum est, quia vt dicitur in Concilio Triden. sess. 3. sub Iulio 3. cap. 5. sacerdotes iudiciū hoc in cognita causa exercere non possunt, ergo sicut confessio generalis non sufficit ad iudicium in foro exteriori, neq; in hoc iudicio sufficiet, & multo minus signa tantum contritionis ostendere. *Abulensis. Medina. Nauar. Canus. Sotus. Conc. Trid.*

Secundo arguitur materia necessaria huius sacramenti est contritio, oris confessio & satisfactio, vt in Concilio Florent. *Conc. Flor.*

defi-

definitum est, & postea in Trid. sess. 14. can. 4. ergo deficiente confessione licet constet de contritione, nequit hoc sacramentum confici.

Corduba. Contrariam sententiam defendit obnixe Cordubensis li. 5. in quæstionarij. q. 30. quam existimat habuisse D. Thom. d. 21. q. 2. ad 2. Ricar. Palud. Gerson. & Gabrielem. d. 17. q. 1. du bio 2. Et probatur hæc sententia: quia absolutio sacramentalis cadit super peccata inculpabiliter oblita, vt patet: quia alias non ab omnibus simul absolueretur, ac ipsa super cadit super venialia generaliter tantum confessa, ergo & super mortalia inculpabiliter omissa, generaliter per verba, vel signa tantum confessa, patet consequentia, quia materia sacramenti non variatur ex hoc, quod quis teneatur, vel non teneatur hæc, vel illa peccata confiteri, id enim ad materiam, & substantiam impertinens est. Alias addit rationes Corduba. & ad primum arg. respondet negando simpliciter iudicare incognita causa; cognoscit enim iudex peccatorem peccasse, & peccatorum pœnitere, & facienti quod in se est, non est neganda absolutio, quæ fit ex liberalitate, licet de pœnarum satisfactione nihil iudicet: quia de qualitate criminis non constat.

Ad secundum negatur materiam deficere: propter actionem dictam. Et Concilium Florent. loquitur regulariter, & per se tantum, & secundum quod communiter fieri debet, quia ex eo quod dicit requiri oris confessionem, non excludit, quod in casu necessitatis sufficiat confessio per signa, & nutus. & per scripturam secundum communiter Doctores ergo similiter eadem ratione non excludit, quod in casu necessitatis sufficiat confessio generalis per signa, vbi specialis haberi non potest. & hactenus de opinionibus, cæterum vt certa ab incertis secernamus aliquibus conclusionibus oportet quæst. satisfacere.

Prima conclusio. Per se loquendo necessarium est, vt sacerdos in præsentia pœnitentis eius confessionem audiat, imo & immediate ab ipso si fieri potest; atque adeo præter peccatorum etiam hunc modum confitendi voluntate mutare; quia vt sacerdos rite ferat absolutionem necesse est, vt examinet statum & dispositionem pœnitentis, & de eius dispositione sit moraliter certus, quod in absentia obtinere non potest. Idem confirmat & totius ecclesiæ consuetudo, & varij canones, ex quibus hoc suadetur, vt cap. quem pœnitet. cum similibus de pœnit. dist. 1. & cap. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss.

Secunda conclusio. Si quis in extrema mortis necessitate confiteri incipit, & instante morte non potest confessionem perficere, nihilominus est absoluendus, conclusio est omniũ Doctorum ex dictis manifestissima.

Tertia conclusio. Si quis antequam incipiat confiteri ita necessitate grauatur, quod nequit peccatum in particulari exprimere, nec contritionis ex ipso signa cognoscuntur, nec aliorum relatione, non est absoluendus, & qui contrarium facit, sacrilegium committit, hæc est etiam omnium, & contra ex argumentis primæ opinionis.

Quarta Conclusio. Si in dicto euentu nequit pœnitens aliquod exprimere peccatum, & generaliter conteretur, vel contritionis ostendit signa bene potest absolui absque eo, quod confessarius aliquod committat peccatum, hæc conclusio est contra Abulensem, & probatur: quia Confessor potest sequi secundam opinionem, siquidem multis viris doctissimis placuit, propter quod bene facit, & fortasse melius facit, vt æternæ saluti pœnitentis consulat. si enim attritionem tantum habeat saluabitur, secus autem si non absoluitur, & si dices Confessor magis tenetur consulere sibi, quã pœnitenti, ipso si sub iudice est an sacrilegium committat tenetur tutiorem partem sibi eligere. Respondeo quod sub iudice est an talis absolutio teneat, & an peccet absoluens, non autem sub iudice est an confessor possit opinionem probabilem sequi: omnes enim hoc licere testantur.

Quinta conclusio. In casu in quo sacerdos vocatus a pœnitente venit, vt ipsum absoluat, & inuenit illum ita priuatũ vsu omnium sensuum, vel in frenesi in conuersum, vt nullũ signum peccati, aut doloris præbere possit, potest esse contritionis aliorum relatione, & illum absoluere. hæc conclusio est contra Caiet. & Sotum locis supra relatis, cum tamen dicunt Angelus verbo confessio 4 numero 8. Syluest. verbo Confessio 4. q. 13. Cordub. vbi supra Toletus in Instruct. Sacerdot. lib. 3. cap. 8. vbi refert. S. Antoninum in summa de peccatis, & sacerdotale Romanum, asserit que esse expressam

sententiam Canonum. Nam in Concilio Araus. 1. capit. 12. & refertur. 26. quæst. 6. cap. Qui recedunt. dicitur, subito obmutescens, vel in frenesim conuersus baptizari, & pœnitentiam, idest absolutionem secundum glossam, & reconciliationem, & Eucharistiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habetur, aut præsentis suo nutu. eadem sententia habetur in cap. ęgrotantes ex Cõcilio Carth. 4. c. 3. cap. 34. de consecrat. dist. 4. Vide Suarez. to. 4. disp. 21. sect. 3. num. 3. Suarez.

ARTICVLVS IX.

Vtrum cum primum homo peccat statim teneatur iure diuino confiteri.

Guilliel. Innocen. Glossa. Archidiac. Raimerus. Angelus. D. Bonau. Ale. de Al.

DE hac re duplex est sententia. Vna Guilielmi Parisiensis libro de sacramentis titulo de pœnitentia, Innocen. in capit. omnis, de pœnit. & remissione, & Glossa de pœnit. dist. 5. tenent necessarium esse homini confiteri peccata mortalia statim habita opportunitate, idem videtur etiam sentire Archid. super dictum capit. omnis refertur etiam Rainerius 5. par. summæ verbo confessio cap. 5. tenet idem Angelus verbo confessio. 1. numero 31. S. Bonau. in 4. dist. 17. part. 2 art. 2. quæst. 2. qui maxime Religiosis imponit hanc obligationem: quia habent semper optimam opportunitatem statim confitendi, refertur etiam Alexand. Alen. 4. par. quæst. 73. in 4. art. 2. sed falso; solum enim affirmat Alexan. quod tenetur quando stimulatur a propria conscientia propter ignorantiam mortis. Fundamentum est. Quod sine temporis limitatione debetur, statim est soluendum, prout est definitum in l. cum qui. §. Quoties. ff. de verborum obligat. sed post peccatum statim homo est obnoxius confessioni, & non præfigitur a Deo aliquod tempus, ergo statim tenetur confiteri.

Oppositã sent. tenent omnes alij theologi. Vnde pro huius quæst. explicatione nihil oportet ad notare præter illa, quæ diximus supra d. 14 quæst. 3. art. 6. vbi egimus de tempore, quo obligat contritio, tunc enim obligat etiam confessio in voto, vt sæpe probatum est, ergo si contritio non obligat statim post peccatum commissum: quia contritionis præceptũ est affirmatiuum, eadem ratione non obligabit confessio; breuiter ergo absoluitur quæstio triplici conclusione.

Prima conclusio. Nullus tenetur de iure diuino confiteri statim post peccatum commissum probatur: quia tale præceptum est affirmatiuum, ergo non semper obligat quantum ad actum.

Secunda conclusio. Confessio in voto, hoc est propositum confitendi obligat iure diuino, quandocunque contritio est sub præcepto, ratio est quia contritio includit in se votum actuale, siue virtuale confitendi, idest confitendi propositum, est enim altera pars pœnitentiæ.

Tertia conclusio. In quatuor casibus obligat confessio ex iure diuino. Primus est, quando imminet certissimum periculum mortis, aut articulus mortis. Secundum quando Eucharistia est suscipienda. Tertius quando prælatus determinat tempus confessionis. Quartus quando non speratur commoditas confitendi suo tempore. Primus casus probatur scilicet de articulo vel periculo mortis prænotãdo, quod aliud est periculum mortis, aliud vero articulus mortis. Primum est quando timetur mors violenta proxime futura, veluti quando imminet naufragium, vel quando aliquis est conscius, quod sibi ab inimicis parantur insidiæ mortis &c. Articulus mortis est, quando instat tempus mortis naturalis, vt quando Medici præ nimia infirmi ægritudine desperant de eius salute. hoc supposito probatur conclusio quo ad hunc casum. homo habet præceptum diuinum de confessione faciendae, vt supra probatum est, non potest autem adimplere hoc præceptum post mortem, ergo tenetur ante mortẽ saltem in extremo periculo, seu potius articulo necessitatis, qualis maxime est articulus mortis naturalis, aut violentæ.

Periculum. et articulus mortis differunt.

Ex hoc sequitur quod ingressurus bellum periculosum tenetur confiteri, si habet copiam sacerdotis, & est conscius mortalis. & si ante congressum belli non confiteatur mortaliter peccat, & similiter qui non confitetur, quando imminet certissimum naufragium, vel quando aliquis scit mortis insidias sibi ab aduersarijs parari. Quando vero imminet aliquod periculum mortis non tamen certum, quia vt in plurimum non contingit, quamuis aliquando contingat, tunc non peccat,

eat, qui non confitetur, veluti ingredientes mare, & fœminæ proximæ partui, pat t quia in mortis articulo potest aliquis virtute bullatum plenarie absolui, & lucrari plenariam indulgentiam, quod non conceditur incipientibus nauigationem, aut fœminis parturientibus, ergo huiusmodi casus non vocantur pericula, siue articulus mortis, vt teneatur tunc pœnitens sub pœna noui tea us confiteri. Cęterum quando sibi imminet damnationis iudicium, vel misericordiæ beneficium, tenetur quilibet se præparare quantum valet ad obtinendam Dei misericordiam, hoc autem periculum nōtantum contingit in corporis infirmitate mortali, sed etiam in aggressione actuum difficiliū, in quibus verisimiliter mors timetur, & imminet, vt in bello mortali, & in naufragio, & huiusmodi, vt notat hic Scotus sub. lit. N. §. continet quarto.

Secundus casus, cum quis. s. est suscepturus Eucharistiam probat ar. 1. Corint. 14. Probet autem se ipsum homo &c. ex quo testimonio Concilium Trid. colligit præceptum diuinū de confessione ante sumptionem Eucharistiæ præmittenda, contra Caietanum, de quo in materia de Eucharistia, d. 9. suse diximus Solum hic quæri potest an hæc obligatio contingit habeat locum in alijs sacramentis, de qua re quamuis non nulli Theologi id affirmare voluerint vt Marsilius in 4. q. 12. art. 1. in fine, & Palud. d. 17. q. 2. Adr. q. 3. de confessione; tamen certa sententia est, nullum esse tale præceptum, neq. talem obligationem, vt: eliqui Theologi docent in 4. d. 17. & Ang. sus confess. 1. nu. 31. Syluest. eodem verbo. §. 2. Victoria in summa nu. 135. & Nauar. de pęn. d. 5. num. 33. & deinceps. & ratio est quia tale præceptum, neq. ex sola natura rei colligi potest: quia sufficiens dispositio potest esse contritio, neq. ostendi potest speciale præceptum positiuum circa hoc impositum; quia nec scriptum est, nec traditione habetur. Quin potius in Concilio Trid. sess. 24. c. 1. de reformatione matrimonij, satis indicatur hoc non esse simpliciter necessarium, quamuis consulendum sit. Ita enim ibi legimus. Postremo sancta synodus coniuges hortatur, vt antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonij consummationē sua peccata diligenter confiteantur, & ad sanctissimum Eucharistiæ sacramentum pie accedant. D. Thomas vero quol. 1. art. 11. excipit sacramentum ordinis, & cum illo Nauar. c. 2. nu. 9. sed id non est propter ipsum sacramentum ordinis, sed propter Eucharistiam, quam simul accipere solent qui ordinantur.

Conc. Trid. *Marsilius. Paludanus. Adrianus.* *Angelus Syluester. Victoria. Nauar.* *Conc. Trid.* *D. Thomas* *Nauar.*

Tertium casum diximus esse, quando Prelatus determinat tempus confessionis. Pro quo nota quod quidam dixerunt quod licet ecclesia non determinasset tempus confessionis, teneremur tamen ex iure diuino aliquoties confiteri nā præcepto confessionis obligamur etiam ad integram confessionem, & esset impossibile aliquem integre confiteri præ nimia obliuione, si tm in articulo mortis, aut semel in vita confiteatur; sed hæc sententia difficultatem patitur: nam ex illa sequitur; non posse nunc fidelem per annum integrum differre confessionem regulariter, ac moraliter loquendo: quia vix est aliquis eorū, qui semel tm in anno confitendo possit omnia peccatorum recordari; si ita obligatio est iuris diuini, non poterit ecclesia per suā determinationem illam auferre. Econtrario vero sequitur, si quis scribendo peccata, vel aliquo modo diligentiam faciat, ne peccata memoria excidant, posse differre confessionem toto tēpore, quo voluerit vsq. ad terminum mortis, secluso iure positiuo, quod tamen est cōtra sententiam dictorū auctorū, & contra rationē præcepti cōfessionis, quod per se non obligat ad retinēda in memoria peccata sed ad cōfitenda omnia, quæ memoriæ occurrunt, facta morali, & ordinaria diligentia. Dicendū est ergo, φ si Ecclesia tempus non determinasset nullum posset designari tēpus vsq. ad articulum mortis, quia nullus est modus faciendi hanc determinationem. Ita D. Thomas in 4. d. 17. q. 3. ar. 1. q 4. vbi docet non esse peccatum mortale differre confessionē vsq. ad mortē, nisi causa dilationis aliunde malitiā inuoluat. Idē docet Scotus in hac. q. lit. V. §. sm videtur mitius. Ric. ar. 3. q. 6. Palud. q. 2. ar. 5. Duran. q. 10. nu. 3. & Gabriel. ar. 3. dub. 1. Cū ergo stando ut simpliciter diuino non teneatur pœnitens confiteri nisi in periculo, vel articulo mortis, si præter articulum mortis debeat confiteri & qū, quorū Iudicio tunc esset standū? Respondeo φ Papa, vel Episcop⁹ esset cō'ulēd⁹ iuxta illud Deu. 17. vbi in reb⁹ dubijs præcipit mox cōsulere sacerdotes. Ita olim Fabian⁹ Papa determinauit tēp⁹ cōfessionis, vt ter singulis annis adimpleretur: ecce quō terti⁹ casus est qū Prælat⁹ determinat tēp⁹ cōfessionis.

D. Thomas. *Scotus.* *Ricard. Paludanus. Durand. Gabriel.*

Quartus casus est, qū imminet periculum carendi confessore necessario, quem nunc habeo, & scio me non habiturū tempore, quo est sub præcepto confessio, vt si quis habet copiam confessoris, & sit in eo statu, in quo si nunc non confiteatur, probabiliter timeat fore, vt ante mortem non possit habere copiam confessoris, vt accidere potest in India, vel aliqua captiuitate; in tali casu tenetur confiteri statim, etsi extra articulum mortis sit, quem casum ponunt. D. Thomas in 4. d. 17. Palud. ibi, & Adr. q. 3. de confessione, & in re ipsa ac moraliter loquendo, nō est diuersus a periculo mortis. Ideo enim tunc tenetur præuenire: quia alias exponitur periculo moriendi sine confessione. Similiter habet aliquis casum reseruatum superioris, quem modo habet præsentem, & neque confiteri illi, neq. ab eo petit auctoritatem, & ratione vitādi scandalum est celebraturus, aut communicaturus postea in absentia superioris, in hoc euentu tenetur ex iure diuino præuenire confessionem, probatur: quia confessio est necessaria ad iustificationem, ergo est præmittenda, quando suo tēpore non potest fieri; patet consequentia a simili. Cathecumenus enim tenetur præuenire tempus Baptismi, si timet ministrum suo tempore defuturum, ergo &c.

D. Thomas. Paludanus. Adrianus.

Et si dicas. Qui timet vespertinā febrem non tenetur mane præuenire preces vespertinas; neq. qui timet non posse ieiunare in die ieiunij, tenetur præuenire ieiunium; ergo non tenetur præuenire confessionē, qui timet tēpore, quo est sub præcepto confessio, defuturū sufficientē ministrū. Nego cōsequentiam, & ratio discriminis est: quia præceptum ieiunij, siue recitandi horas, non est de re simpliciter necessaria ad salutem, sicut præceptum confessionis, & Baptismi.

Ad fundamentum Canonistarum respondeo, φ qū debitum oritur ex præcepto negatiuo statim debetur, vt pecunia furto sublata, quæ statim debetur: quia præcepta negatiua obligant semper, & pro semper, quantum ad actum; si autem debitum oriatur ex præcepto affirmatiuo, non obligat semper quantum ad actum, sed solum quantum ad præparationem animi. Sicut Baptismus, qui quamuis sit simpliciter necessarius ad salutem, non obligat quantum ad actū statim post promulgationem Euangelij: prius. n. Cathecumenus instruendus est; & conuersis a Iudaismo differtur Baptismus per octo menses, ex cap. Iudæi. de consec. dist. 2. & multi sunt Canones de consecr. dist. 4. vbi dicitur quod in primitiua ecclesia, non conferebatur Baptismus citra necessitatem, nisi iam adultis in die Pentecostes, aut Paschatis, & non alio tempore; ergo similiter confessio, quæ s. ō est tantæ necessitatis sicut Baptismus, non obligat quantum ad actū exterius rē statim post mortale commissum. Vide argumenta posita supra in dicto art. de contritione d. 14 q. 3. faciunt. n. contra hanc veritatem, quam optime probant Ric. Palud. & Gabr. dist. 17. & Adrianus. q. 3. de confessione.

ARTICVLVS X.

Vtrum confessio requirat aliquas circunstantias.

SCotus in hac quæst. sub litt. O. dicit, quod præceptū confessionis continet etiam qualiter, s. faciēda sit confessio; oportet. n. confiteri cum displicentia peccati commissi, & cū proposito abstinendi a peccato de cetero, & obediendi ecclesiæ in satisfactionem pro peccatis commissis. quibus verbis tangit conditiones aliquas confessionis. Vnde pro ampliori intelligentia obseruandum est, quod solent a patribus sexdecim conditiones sacramentali confessioni assignari his versiculis contentæ.

Sit simplex, humilis, confessio, pura, fidelis.
atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

Simplex. idest nō artificiose composita, vt ea ratione aliquid occultetur, & sine compositione verborum ad alium finem, quam ad accusandum se ipsum compositorum. humilis. idest ex recognitione, & dolore proprij peccati, & huc etiam pertinet, quod in exteriori modo decenter, & humiliter fiat, tā in verbis, quam in ipso corporis habitu, vt bene exponit Caiet. in summa verbo confessio. Pura. idest sine mixtione rerū impertinentium, & huc maxime spectat, vt vnusquisque propria peccata, & non aliena confiteatur: nam est accusator sui, & non alterius. Fidelis idest vera, & sine mendacio: quia nec dici debet, quod factum non est, nec negari,

Confessionis conditiones explicatur. *Caietanus.*

quod commissum est, imò nec taceri si tale sit, vt ad talē integritatem pertineat. Frequens, i. quod sæpe fiat confessio. Nuda, idest distincta ne grauitas, vel species peccati occultetur, ita vt sit aperta, clara, & non palliata vnumquodq. sicut est, vel probabiliter esse existimatur proferendo. Discreta, idest honestia & debitis iuxta prudentiam verbis explicata, libens idest voluntaria, & vt maxime quis poterit propter Deum. Verecunda, idest vt facies præseferat cordis verecundiam, ne sicuti fabula, vel historia impudenter narrentur crimina. Integra, idest nihil subtrahens ex necessariis ad confessionē. secreta, idest ad aurem per se ipsum, & non per alium. lachrymabilis, idest quæ contritionem, vel saltem attritionem externioribus lachrymis, vel tristitia ostendat. Accelerata, idest quod fiat quam primum quis poterit post peccatū, vel post peccatum commissum non nimium differatur. fortis, idest vt ob timorem, & verecundiam nihil ex necessario dicendis omittatur. Accusans, idest se ipsum, & non caetera, aut demonem, vel saltem non æque, aut ita principaliter sicut se ipsum, & sit parere parata, i. cum animo ad satisfactēdū parato.

Istarum autem conditionum plures ad substantiam confessionis non pertinent, & aliquæ non tam respiciunt modū, vel qualitatem vniuscuiusq. confessionis, quam conuenientē vsum seu consuetudinem eius, vt quod sit frequens, & accelerata. Vnde sit vnica conclusio. Ex his sexdecim conditionibus, quatuor sunt de quidditate & essentia sacramenti, saccusans, integra, nuda, & parere parata, reliquæ vero sunt ad decorem confessionis, verum si aliquæ ex prædictis conditionibus stricte explicentur, sunt etiam necessariæ, vt si lachrymabilis referatur ad contritionem cordis, & fortis ad integritatem, quia si ob timorem omittit necessaria simpliciter tunc non erit integra. Et si dicas inter has conditiones referuntur aliquæ, vt humilis, &c, quæ alias virtutes, & non pœnitentiam insinuant, ergo inter qualitates pœnitentiæ nō sunt recensendæ. Respondeo non esse inconueniens immo maxime conuenit complurimas virtutes sacramentalem confessionem concomitari.

Vnum est hic obseruandum, quod Almayn, & Gabriel, (quia hic Doctor dicit quod confessio fieri debet cum displicentia peccati commissi) dicunt quod ipse sibi contradicit, quia in dist. 14. q. 4. dixit, adhoc quod sacramentum pœnitentiæ habeat suum effectum, sufficit quod non ponatur obex, & quod nec attritio, nec contritio requiritur, sed sufficit voluntas recipiendi sacramentum pœnitentiæ, & quod non ponatur obex, videtur ergo quod non oportet quod sit cum actuali displicentia peccati; sed quod sibi Doctor non contradicat ostendimus supra. d. 14. q. 4. art. 6. vide ibi.

ARTICVLVS XI.

Vtrum confessio debeat esse integra.

Materia remota confessionis sunt peccata, Peccata autē aut sunt mortalia, aut venialia, & hæc aut secreta aut publica, vel cordis, aut oris, vel operis, sensus ergo tituli est, an omnia peccata mortalia, siue occulta siue publica, siue cordis, siue oris, vel operis, & an peccata venialia sint materia confessionis, & necessario confitenda, huius quæstionis veritas ex supradictis satis liquido patet; disputatur autem propter hæresiarchas Vuicleph, & Lutherum, ille enim auricularis cōfessionis obligationem omnino tollit, vt constat apud Vualdensem 2. tomo de sacram. c. 135. hic autem, scilicet Lutherus vt constat art. 8. per Leonem X. condemnato, non omnia peccata esse confitenda docet, sed occulta esse dimittenda, vt aliquid relinquamus diuinæ misericordiæ. Vtriusque erroris fundamentum hoc est, peccata occulta maxime cordis non iudicantur iudicio ecclesiæ, ergo non sunt confitenda. Confirmatur quia lex Euangelica dulcior, & suauior est aliis legibus, iuxta illud, Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue, ergo nulla est talis obligatio, alias durior esset lege Mosayca, & grauior iugo illo, de quo dicebat Petrus, quod nec nos, nec patres nostros portare potuimus.

Vualdensis.

His tamen non obstantibus sit prima conclusio fide catholica tenenda: omnia peccata mortalia, siue occulta siue publica, siue cordis, siue oris, siue operis sunt materia confessionis & necessario confitenda; hanc conclusionem probat Pater Vega lib. 13. super Concilium, cap. 31. aliquibus rationibus, ac deinde plurimorum sanctorum patrum auctoritatibus, nempe Origenis, Ambrosii, Tertulliani, Cypriani, Hierony. August, Dionysii & Clemētis. Cæterum satis liquido cōstat aduertendo vnicum discrimen inter hoc iudicium occultū confessionis, & inter iudicium publicum ecclesiæ, & constat discrimen ex parte finis, finis. n. iudicii publici non est, quod reus reconcilietur illi, cui irrogauit iniuriam; sed quod solum satisfaciat damnum illatum, vel in fama, vel in honore, vel in bonis fortunæ; finis autem iudicii pœnitentialis non solū est, quod fiat satisfactio Deo, sed etiam quod peccator reconcilietur ipsi Deo; virtute. n. huius sacramenti reconciliatur homo Deo: quia peccata, quæ remittuntur a sacerdote, remittūtur & a Deo, & hoc extollit diuinam misericordiam, quæ dicit peccatorem ad iudicium, non vt damnet, non vt vindicet sed vt liberet. In humano iudicio extorquetur culpa, vt occidatur reus, hic autem vt viuificetur, & in diuinam amicitiā cōuertatur, instar Iudicii illius. 2. Reg. 12. in quo Dauid mortuus, dixit Peccaui, & statim audiuit a Propheta Nathan (qui eum reprehendebat) transtulit Deus peccatum a te; Hoc insinuat Dominus Ioan. 6. Non misit Deus filium suū in mūdum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mūdus per ipsum.

Vega.

Discrimen inter iudiciū pœnitētiæ et publicū ecclesiæ.

Hoc supposito probatur conclusio. Finis huius sacramenti non solū est, quod fiat Deo satisfactio de offensa sibi illata, verum quod homo ipsi Deo reconcilietur, ergo omnia crimina etiam occulta tenetur confiteri; patet consequentia: quia reconciliatio fit per remissionem omnium peccatorū; implicat. n. vnum dimitti sine alio, sacerdos vero non pōt iudicium absolutionis ferre causa ignota ergo & c. Et cōfirmatur: quia Christus Dñs sine distinctione dixit. Quorū remiseritis peccata & c. ergo de omnibus loquitur, & si de omnib' potest sacerdos iudicare, omnia sunt confitenda.

Secunda conclusio. Peccata publica, quæ sacerdoti extra iudicium confessionis sunt nota sunt necessario confitenda. Probatur quia licet peccata sint nota sacerdoti, vt persona particulari, non illo proponuntur vt iudici, nec aliter sunt materia sacramenti; materia enim proxima est ipsa confessio peccatorum, & non ipsa peccata; Ideo semper requiritur omnium peccatorum confessio.

Peccata publica etiam confessori nota sunt necessario confitenda.

Tertia conclusio. Veritas certa & catholica est non esse necessarium confiteri venialia peccata, vt integra sit confessio; ita definit Concilium Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. ratio a prio ri est institutio Christi, de qua nobis per traditionem, & ecclesiæ declarationem constat. Cōgruentia vero est, quia hæc peccata sunt leuiora, & non causant naufragium animæ; pœnitentia vero solum est necessaria post naufragium, vt dicebat supra Doct. Sub. ex quo colligimus posse sine vllo peccato confessionem horum peccatorum venialium omitti, vel omnino, vel ex parte pro arbitrio pœnitentis. quod expresse etiam docuit Concilium Trid. dicens esse vtile & honestum hæc confiteri; posse tamen sine culpa omitti; neq. in hac generali doctrina traduntur aliquæ limitationes.

Venialia non esse necessario confitenda. Conc. Trid.

Quarta conclusio. Ad integritatem confessionis necessarium est dubia peccatorum mortalium confiteri, hæc cōclusio est D. Thomæ in. 4. d. 17. q. 3. art. 1. ad 12. q. 2. art. 3. ad 3. Ricar. d. 16. art. 5. q. 1. Sot. d. 18. q. 2. art. 4. Medinæ cod. de confessione. q. de confessione facta prauo Sacerdoti. Syluest. confessio. 2. q 2. Nauar. c. 9. num. 14. Vict. nu. 130. & aliorum Summist. & ratio communis est: quia in dubiis tuta pars est eligenda; si quis enim omittit confiteri peccatum in hoc dubio, exponit se periculo omittendi aliquid, quod vere committit; si autem illud dicat nullo periculo se exponit, ergo tenetur eam partem eligere tanquam tutam.

Peccatorum dubia necessario esse cōfitenda. D. Thomas. Ricardus. Sotus. Medina. Syluester. Nauar. Victoria.

Præterea Concilium ait confitenda esse omnia peccata mortalia, quæ sunt in cōscientia, ergo ita sunt confitenda, sicut sunt in conscientia; sed in eo casu sunt in conscientia saltem dubia; ergo ita confitenda sunt, saltem vt illo modo possit iudex de illis iudicare, & ex coniecturis arbitrii ferre de qualitate talis peccati; Tandem in eo casu seclusa confessione tenetur homo habere contritionem de tali peccato saltē ratione periculi, sed quod est de necessitate contritionis est etiam de necessitate confessionis ergo &c.

Pro ampliori huius conclusionis explicatione obser. primo, quod hæc peccata, vt dubia confitenda sunt, & non vt certa, nec confessor in re graui decipiatur, Nam valde diuersum ferendum est iudicium de peccato dubio, quam de certo, & quia in rigore, & moraliter loquendo dicere dubium pro certo mēdaciū ē, cōfessio aūt debet esse fidelis, & vera.

Secundo obs. est, hoc dubium triplex esse posse. primo an de illo peccato alias certo facta sit confessio nec ne; secundo cum constet de facto, dubium esse potest, an sit mortale, vel veniale.

Peccatū dubiū triplex esse potest.

veniale. Tertio potest esse dubiũ de facto. In primo casu, licet quis possit, non tenetur explicare dubium, quia factum est certum, & an confessum fuerit necne, nihil refert ad præsentem confessionem; in aliis vero duobus casibus, vt dubia cõfiteri debent, adiungẽdo tamen eis materiam certam, ne sub conditione tantum perficiendum sit sacramentum; hoc enim vitandum est quoties fieri potest.

Tertio obseruãdum est, tres esse gradus in hoc genere dubij. Primus est, quando homo probabiliter iudicat vnam partem, & de alia non habet iudicium probabile, sed suspicionẽ aliquam, vel timorem vel formidinem; & tunc non est dubium, quin homo possit, vel debeat sequi tale iudicium, ita vt si iudicet probabiliter se peccasse mortaliter, vel nunquã esse confessum tale peccatũ, tenetur illud confiteri, & ẽ contrario si oppositum iudicat, exoneratur tali obligatione. Secundus gradus est, quando pro vtraq. parte habet iudicium probabile, quamuis in altera cum maiori, vel minori probabilitate inclinet, & tunc videtur res dubia: quia illud est probabile dubium; Et in hoc etiã dico, quoties homo probabiliter iudicat se non peccasse mortaliter, vel iam esse confessum tale peccatum, etiam si in contrarium habeat coniecturas etiam probabiles, posse conformari priori iudicio, vt non teneatur tale peccatum confiteri; ita docuit in terminis

Syluester. Syluest. confessi. 2. q. 2. Ratio vero est, quia homo in rebus practicis potest sequi opinionem probabilem non obstante contraria probabili, quando in rebus ipsis non imminet aliquod periculum.

Tertius gradus est, quando homo habet probabiles rationes dubitandi, & non potest determinari ad ferendũ iudiciũ probabile pro altera parte, in hoc euentu procedit propriẽ cõmunis doctrina, & de illo loquitur Nau. sup. Ad argum. *Nauar. Caiet.* eorũ respondetur cum Caiet. in tract. de confessione. q. 2. ꝙ ecclesia non habet iurisdictionem in foro contentioso, super actus interiores animæ; quia ibi iudicat secundum allegata, & probata; in foro autem conscientiæ habet iurisdictionem super actus interiores, quia iudicat secũdũ constitutionẽ Dei. Ad confirmationẽ dico, ꝙ lex euangelica dulcior, & suauior

Lex Euangelica quõ sit dulcior lege Moysis est lege antiqua. Cęterũ non prouenit suauitas hæc (& ẽ maxime notandũ) ex facilitate rerum, quæ præcipiuntur quo ad substantiam actus, sed ex abundantia gratiæ, qua auxiliantur homines ad obseruãtiã legis: hæc est. n. ratio, quare Dñs ait. Iugum eius esse suaue, & onus leue. Iugũ inquit, & onus ꝓp difficultatem præceptorũ, quo ad substantiã actus: suaue aũt & leue: propter abundantiam auxilij diuinæ gratiæ, quæ ꝑ sacramẽta & per alios modos cõmunicatur post Christi mortẽ; & hæc est illa spiritualis vita, de qua ipse Dñs dicebat se venisse, vt eius oues vitam habeant, & abundantius habeãt; & hinc est, ꝙ lex Euangelica non est lex timoris sed amoris, iuxta illud ad Rom. 8. Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei in quo clamamus Abba pater. & 2 ad Thimo. 1. Non dedit Deus spiritũ timoris, sed virtutis, & dilectionis & sobrietatis. Confertur ergo spiritus nõ timoris, sed amoris, cuius proprium est difficile facillimũ reddere. Sunt ergo præcepta, & consilia legis Euangelicæ difficiliora præceptis legis antiquę secundum se. s. quo ad substãtiã actus, sunt vero faciliora, quo ad exercitiũ ꝓp abundãtiã gratię, q̃ post mediatoris mortẽ cõfertur.

ARTICVLVS XII.

Vtrum pœnitens habens casum reseruatum possit dimidiare confessionem.

IN hac quæst. tria sunt peragenda, primo probandũ ẽ quõ prælati superiores habent potestatem reseruandi sibi casus, in quibus hoc pertineat. Secundo referendæ sunt opiniones, & vltimo absoluetur quæstio.

Quo ad primum est præmittendum, ꝙ superiorem reseruate sibi casum nihil aliud est, quam limitare iurisdictionem inferioris. v. g. quilibet sacerdos institutus confessor põt absoluere pęnitentem ab omnibus peccatis, iuxta illud. Quorũ remiseritis peccata &c. fruitur. n. tunc vtraque claue iurisdictionis. s. & ordinis, de quo in seq. dist. est agendũ. Quando aũt limitatur hęc auctoritas quoad aliquem casũ, ne ab ipso absoluat, talis limitatio est reseruatio casus, ꝙ ab exordio nascentis ecclesiæ visi sunt facere prælati gratia cohibendi subditos a deterioribus criminibus instar Moysis, qui Exodi 18. reseruauit sibi maiores causas, minores vero cõmisit iudicibus inferioribus. hæc veritas definita est in pluribus locis cõtra Vuicleph. hanc prælatorum potestatem negãtem, vt refert Vualdensis to. 2. de sacramentis c. 549. vbi hunc errorem ex patribus impugnat. & tandem definita est in Conc. Trid. sess. 14. c. 7. & can. 11. sub his verbis. Si quis dixerit Episcopos non habere ius reseruandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atq. ideo casuum reseruationem non prohibere quominus sacerdos a reseruatis vere absoluat. anathema sit. *Vualdensis. Conc. Trid.*

Sed nota ꝙ hæc potestas curatis, aut inferioribus prælatis non conceditur, sed Episcopis, Generalibus, & Prouincialibus ordinũ, & tandem illis, quibus est potestas instituendi, & priuandi, vel suspendendi confessores: eiusdẽ. n. est iurisdictionẽ dare, & limitare; quod intellige, si prælatus inferior non præcipiat aliquid sub pœna excommunicationis; tũc. n. transgressor obedientiæ non potest absolui nisi a ferente excommunicationẽ, vel ab eius superiore. Et si quæras quẽ casum possit sibi reseruare prælatus. Respondeo, ꝙ quẽcũq. voluerit, & licet imprudenter erret, reseruatio tenebit, quia vtitur sua potestate, ꝙ nõ solũ est intelligendus (vt docet Sotus. d. 18. q. 1. ar. 5.) de peccato verbo, aut opere cõmisso, verũ quo ad illa, quæ cogitatione tm̃ cõmittuntur, vt sunt peccata mentalia; ꝙ patet quia hæc delicta sunt materia cõfessionis, & reseruare casus nihil aliud est, quam superiorem limitare iurisdictionem inferioris, ne absoluat illis peccatis, ergo si hæresis mentalis reseruaretur Papæ, nemo alius posset ab hoc crimine absoluere. *Potestas reseruandi casus quibus conceditur.*

Hoc supposito tribus difficultatibus est in hac quæst. respõdendum. Prima est an si pęnitens prius accedat ad inferiorẽ quam ad superiorem, teneatur illi confiteri reseruata, & nõ reseruata. Secunda difficultas est, an si accedat prius ad superiorem teneatur illi reseruata tm̃ confiteri, & cætera postea inferiori. Tertia difficultas est an in vtroq. euẽtu superior, aut inferior possit absoluere pęnitentem, quin absolutio cadat super omnia peccata. Circa has difficultates refert Durand. d. 17. q. vnica quatuor opiniones, quibus põ. addi & quinta. *Durandus.*

Prima opinio docet pęnitentẽ teneri bis integre confiteri, primo ab inferiori a quo põt ẽt a reseruatis absolui, & postea superiori, vt iterum absoluatur, vel inferiori remittat.

Secunda opinio asserit, quod pęnitens tenetur integre cõfiteri omnia tam reseruata, quam non reseruata inferiori, a quo sacramẽtaliter est ab oĩbus absoluẽdus, ea lege vt postea cõpareat corã superiore, nõ vt ab eo absoluatur, sed vt superior cognoscat vitiũ pecoris sui; cui debet manifestare solum peccatũ reseruatũ, & hoc vr̃ placuisse Adr. q. 4. de cõfessione. *Adrianus.*

Tertia opinio habet peccatorẽ in Deũ, & in ecclesiã peccare, ꝙ si prius cõpareat corã inferiori, ab eo absoluitur sacramentaliter quo ad Deũ, & postea est absoluendus a superiore a casibus reseruatis tm̃ quo ad ecclesiã, vt excõmunicatus, aut suspẽsus, cuius absolutio nõ est sacramentalis. Cæterũ de his tribus opinionibus nihil ẽ dicẽdũ, cũ ex dicta Cõcilij definitione manifestẽ cõstet esse erroneas. Vnde caute ẽ legẽdus Adr. alias doctissimus, cõstat. n. ex dictis ꝙ prælati possũt reseruare casus, a quibus absoluẽdus ẽ pęnitẽs sacramẽtaliter, & cõstat insup ꝙ nemo tenet̃ ad geminas integras cõfessiones eorũdẽ delictorũ; ergo oĩa ꝑdicta sũt nulla, & errorẽ cõtinẽt.

Quarta opinio defendit posse pęnitentẽ confessionẽ dimidiare cõfitendo superiori sola reseruata, & nõ reseruata inferiori, hanc tenet Caie. in sũma verbo confessio cõditione. 10. diciq. esse cõsuetudinẽ Romanã neq. oportere sapere, plusq̃ oportet, eã in dubiũ reuocãdo; Idẽ tenet Ric. in 4. d. 27. art. 2. q. 8. ad fin. Palud. ibi. q. 5. Henric. quol. 5. q. 29. D. Antonin. 3. p. tit. 14. c. 19. §. 6. Sotus. d. 18. q. 2. ar. 5. addit, nõ ex rationabili causa. Petrus Soto lect. 10. de confes. Nau. in c cõsideret § cautus. nu. 52. & 18. de pęn. d. 5. & Gerson alphab. 33. lit. H. Hãc sentẽtiã refellit Canor electione de pen. p. 5. in materia de casibus reseruatis: quia integritas, inquit, confessionis est de iure diuino, ergo pęnitẽs tenetur integre cõfiteri illi, ad quẽ prius accedit, mõ sit superior mõ inferior. Sed huic rationi respondet Henr. prænotando, ꝙ absolutio sacramẽtalis habet tres effectus, primus effectus est remittere peccata: nam per absolutionem sacramentalẽ remittuntur peccata quo ad reatũ, quando non præcessit nisi attritio, secundus effectus est remittere partem satisfactionis adhuc debitæ: quia ante absolutionẽ sacramentalẽ, q̃uis sint remissa peccata manet obligatio ad pœnã tẽporalẽ, & vi absolutionis sacramẽtalis remittitur pars illius pœnæ debitę. Tertius effectus est reconciliatio ecclesiæ: nam per quodlibet peccatum mortale, homo est separatus ab ecclesia quãtum ad susceptionẽ sacramẽti, itaq.

Caiet. Ricard. Palud. Henricus. D. Anton. Sotus. Petrus Soto. Nauar. Gerson. Canus.

Absolutio sacramentalis habet tres effectus.

non licet accedere ad quodcunque sacramentum, nisi tale peccatum sit ei remissum, & non sufficit, quod sit per contritionem remissum, sed requiritur quod absolutionem sacramentalem, si possit haberi copia sacerdotis, & quamuis homo per contritionem sit reconciliatus Deo, non tamen est reconciliatus ecclesiæ, quod possit licite accedere ad sacramentum, sed requiritur reconciliatio ecclesiæ.

Hoc supposito, dicit primo, quod absolutio sacramentalis non potest dimidiari quantum ad primum effectum quia nunquam potest de lege remitti vnum mortale, quo ad culpam, quin remittantur singula, quia non potest vnum remitti, quin infundatur gratia, atque adeo implicat, quod sacramentalis absolutio habeat suum effectum primum super aliquod peccatum, quin habeat super singula.

Secundo dicit, quod quantum ad secundum, & tertium effectum probabile est, quod potest dimidiari, de remissione pęnæ videtur probabile; Nã Petrus a pluribus absolutus potest satisfacere de pęna debita peccato superbiæ, non satisfaciendo de pęna debita auaritiæ. ergo si per opera satisfactoria potest Petrus satisfacere, & soluere debitum vnius pęnę, & non alterius, ergo bene sequitur quod virtute sacramentalis absolutionis remittatur debitum vnius, & non debitum alterius; Vnde dicit Henr. quod virtute sacramẽtalis absolutionis curatus remittit aliquid de pęna temporali debita peccatis non reseruatis, & nihil remittit de pęna temporali, quæ debetur peccatis reseruatis. & quantum ad tertium effectum absolutus ab inferiori, quamuis sit Deo reconciliatus, non tamen ecclesiæ; quia non est capax sacramenti, imò prohibetur iure diuino, & per sacramentum reconciliatur ecclesiæ, idest fit capax. Nam quando aliquis inquit Henric. est ex duabus causis incapax, potest liberari ab vna manente altera, vt aliquis est excõmunicatus ad duas instantias: quiuis non sit in mortali est incapax sacramentorum, quousq. sit absolutus ab illis, potest tamen absolui ab vna, & non ab altera, & tunc est incapax virtute vnius & non ratione alterius, Ita in proposito postquam Petrus est absolutus a curato ratione casuum non reseruatorum; non est incapax ratione illorum, sed tantum ratione reseruatorum.

Breuiter sententia Henrici est, quod quando pęnitens est irretitus casibus reseruatis, & non reseruatis, & solum attritus, nec habet sufficientem contritionem ad remittendũ sua peccata quo ad Deum, absolutio quæ datur a Curato est sacramentalis, & habet primum effectum integre, & mediate talis absoluitur ab omnibus tam reseruatis, quam non reseruatis, & reconciliatur Deo, & nunquam reseruantur quantum ad absolutionem culpæ, sed solum ad taxationem pęnę, vel reconciliationem ecclesiæ. Nam implicat contradictionem de lege, quod absolutio sacramentalis habeat primum suũ effectũ super quædã peccata, & nõ habeat super omnia.

Quinta sententia docet, quod si pęnitens prius confiteatur inferiori debet ei integre confiteri ꝓp rationẽ Cani, a quo est absoluendus a non reseruatis & postea remittendus superiori, a quo sacramẽtaliter absoluitur tm̃ a reseruatis. hoc vĩ placuisse D. Thomæ in 4. d. 17. q. 3. ar. 4. q. 2. ad quartum cui adheret Ric ibidẽ ar. 2. q. 8. ad secũdũ. Hictenus de opinionib⁹. (D. Thomas, Ricardus.)

Sed vt inter tot varietatis, quid faciendum sit iuxta doctissimorum virorum nostri temporis distincte proponamus; tres sunt prænotandæ diuisiones, prima est aut casus reseruatus habet annexam censuram, aut nõ secunda diuisio aut pęnitens prius cõfitetur superiori, q̃ inferiori, aut ècõtra. Tertia diuisio, aut superior est p̃sens aut absens. hoc supposito sit.

Prima conclusio, quando casus reseruatus habet annexã excommunicationẽ, si pęnitens prius confiteatur inferiori, q̃ superiori tenetur confiteri casum reseruatũ, & inferior nullo mõ põt eũ sacramẽtaliter a peccatis absoluere, donec superior a cẽsura absoluat, aut suas cõcedat vices; hoc patet: quia excommunicatio maior priuat a receptione sacramentorũ, ex cap. si celebret de presbytero excommunicato, ergo donec pęnitens absoluatur ab excommunicatione, non est capax absolutionis sacramentalis.

Quidam hic notant, ꝙ oẽs casus Papæ reseruati habẽt annexã excõmunicationẽ. ita docet Nau. c. 27. nu. 261 post Duran. d. 17. q. vij. & Caiet. in summa verbo casus reseruati. Cæterum hi auctores vel loquuntur de potestate, vel de facto: si de potestate falsum est, ꝙ ipsi dicunt: nam certum est tam summum Pontificem, quam cæteros pastores ordinarios, posse non tm̃ censuras; sed ẽt culpas reseruare, & non tm̃ si habcãt censuram annexam, verũ ẽt si non habeant, vt patet ex Côc. Trid. sess. 14. c. 7. vbi aperte loquitur de reseruatione culparũ, & ponderandum est illud verbum. Præsertim quo ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est, & in Extrauag. Inter cunctas de priuileg. id asseritur, & enumerantur aliqui casus reseruati, quibus non est annexa censura. Si vero loquuntur de facto, nec ẽt videtur vera eorum sententia. (Nauar. Durand. Caiet. Casus Papæ reseruati an habeant semper annexã excommunicationem.)

Nam legimus in cap. latorem. 33. q. 2. Nicolaum Papam pęnitentiam imposuisse cuidam Matricidæ, vnde significatur illud peccatum tunc reseruatum fuisse summo Pontifici, cũ tamen non haberet censuram annexam: verumtamen non satis constat delictum illud non habuisse tunc annexã excõmunicationem, cum peccator, ille ẽt pęnitentiam postulatã, & inchoatã arceretur a cõmunione vt ibi dicitur. Nec ẽt constat illam fuisse propriã reseruationẽ; Nã interdũ Episcopi in atrocioribus criminibus solebant consulere Pontificẽ de pęnitentia imponenda; atq. adeo de consuetudine antiqua nihil mihi satis constat. De præsenti vero tẽpore. Inuenio in dicta Extrauag. Inter cunctas. reseruationem quandam sine censura. Præcipitur. n. parrochis, vt admittãt cõfessiones suorum parrochianorum factas Mendicantibus, nec possunt cõtra illam excipere, nisi in duobus casibus. s. qñ Parrochianus est excõmunicatus, aut notorius peccator; & subduntur statim hæc verba. Sed videat ne id dicat mendaciter, aut in dolum, vel in fraudem: quia si hoc egerit a delicto tali nisi plene satisfecerit præterquam in morte absolui nequeat, nec de illo aliter ad pęnitẽtiam admittatur. Vbi pp mendaciũ illud perniciosum nulla censura imponitur; & tñ illa videtur propria ipsius reseruatio; quia licet nõ sit absoluta, sed sub ea cõditione nisi plene satisfecerit, tñ illa satisfactio non est solũ ea, quæ necessaria est ad pęnitentiã, alias nõ oportuisset addere exceptionẽ de articulo mortis, igitur aliquid amplius in ea conditione postulatur, id aũt nihil aliud est, nisi vt tale peccatum reseruatum maneat, donec re ipsa plena satisfactio exhibeatur; & quamuis non exprimatur cui fiat reseruatio; tamen cum absolute fiat manifestum est, auctori Canonis fieri, qui est summus Pontifex.

Expressius vero id nobis constat ex motu proprio Sixti. V. anni 1589. contra clericos male promotos, quos non excommunicat ob illam culpam, sed tm̃ suspendit, & tamen subdit hæc verba. Personæ sic vt præfertur delinquentes iã. s. Antistes, seu Abbates promouentes, quã clerici male integri, seu ordinati, a reatibus & excessibus præfatis absolui preterquã in mortis articulo non possint. & prius dixciat. Iam absoluẽdi, quã dispensandi facultatẽ in casibus superius expressis in foro conscientiæ nobis & successoribus nostris dũtaxat perpetuo reseruamus. hæc aũt proxima verba poterant exponi de absolutione a suspensione, & dispẽsatione ab irregularitate, tamen ex aliis satis constat reseruationem fieri ipsarum culparum, vt patet ex illis verbis. reatibus, & excessibus. Verũ est tamen regulariter, & quasi iure ordinario peccata sine censura non reseruari a summis Pontificibus.

Secunda conclusio, quando casus reseruatus habet vt diximus annexam excommunicationẽ si pęnitens prius accedat ad superiorẽ non tenetur ei integre confiteri, sed solũ casum reseruatũ a quo absoluitur per superiorẽ non sacramentaliter, sed a vinculo tm̃ excommunicationis. probatur quia talis cõfessio non est sacramẽtalis, sed solum iudicialis. s. a cẽsura, ergo solũ tenebitur manifestare casũ reseruatũ, vt absoluatur ab excõmunicatione, qua absolutione obtenta, tenetur illud & alia peccata cõfiteri inferiori, & hic ẽ stil⁹ curiæ Romanę, vt dicũt Du. & Can. vbi sup. Nũq̃. n. pęnitẽtiari⁹ Papę audit aliquẽ casũ, nisi tm̃ reseruatũ, quo audito absoluit pęnitẽtẽ nõ a culpa, sed solũ a censura, qua cẽsura sublata amplius talis casus non est reseruatus, & per consequens ab illo & a cæteris est absoluendus sacramentaliter per inferiorem. (Durandus. Canus.)

Tertia conclusio. Si casus reseruatus nullã habet annexam excõmunicationẽ, & pęnitens cõpareat prius coram superiore audito casu reseruato tm̃, põt superior suã cõmittere auctoritatẽ, vt absoluatur a confessore; cæterum si nõ vult cõmittere absolutionẽ, non sufficit confiteri tm̃ reseruatũ, sed tenet̃ integre cõfiteri, & ab illo & aliis ẽ absoluẽdus, alias cõfessio ẽ nulla. probatur; quarũ absolutio nõ ẽ iudicialis, sed sacramẽtalis, & ad sacramẽtũ cõficiẽdũ requiritur cõfessio integra, vt dictũ ẽ, ergo &c. hæc cõclusio ẽ Adriani, Duradi, & Cani contra Caiet. & Sotũ; dicẽtes ꝙ sicut licet dimidiare cõfessionẽ, in multis casib⁹, vt qñ timet̃ reuelatio alicui⁹ peccati &c. Similiter inqt Soto qñ superior ẽ valde occupat⁹, neq. habet spatiũ audiẽdi ĩtegrã subditi cõfessionẽ, sed negatur similitudo, quia (Adrianus Durandus. Canus.)

quando

quando timetur reuelatio alicuius peccati; ob id potest dimidiari confessio: quia respectu illius peccati, quod silentio prætermittitur, non habetur tunc copia sufficientis confessoris; in casu autem conclusionis superior est sufficiens confessor, & si ita est occupatus, quod nequeat audire integram cõfessionem, potest suam cõferre auctoritatem, ergo nulla subest causa dimidiandi confessionem.

Quarta conclusio. Quando casus reseruatus nullam habet annexam censuram, si pęnitens prius compareat coram inferiore tenetur confiteri integre, s. reseruatos, & non reseruatos, hęc est D. Thomæ, Ricardi, Durandi, Adriani & fere cõmunis, & patet quia de ratione confessionis est integritas.

D. Thomas. Ricardus. Durand. Adrianus.

Contra hanc conclusionem arguitur. primo confessio fit propter absolutionem, sed inferior non potest absoluere a reseruatis, ergo neq. pęnitens tenetur tale peccatum illi confiteri: ... est iu... lex respectu illius peccati. Et confirmatur efficaciter: quando sacerdos nullam habet auctoritatem nullatenus est illi facienda confessio, sed respectu reseruatorum sacerdos nullam habet auctoritatem, ergo nullatenus pęnitens tenetur confiteri reseruata illi inferiori, immo & peccabit grauiter, sicut qui confitetur sua peccata simplici sacerdoti, dempto articulo mor...

Clauis data confessoribus est duplex.

His argumentis resp... detur prænotãdo, quod est duplex clauis quæ datur confessoribus, s. scientiæ, & iurisdictionis; per clauem scientiæ intelligunt Doctores potestatem audiendi peccata, & illa examinandi; per clauem vero iurisdictionis intelligimus potestatem absoluendi. Istæ autem potestates de facto separantur, quando superior reseruat sibi absolutionem alicuius peccati, quia priuat inferiorem potestate, vel claue iurisdictionis, non tamen priuat claue scientiæ respectu peccati reseruati; imò oportet vt omnia cognoscat, vt possit cuicunq. consulere, quid eum oporteat facere. Et si dicas esto q pęnitens sit doctus, & intelligat quid sit faciendum? respondeo quod leges non respiciunt casus particulares, sed generales: ad ea. n. quæ frequentius accidunt adaptantur. Ex hoc patet veritas conclusionis, ac insuper responsio ad argumentum: negatur. n. antecedens, vbi dr, q fit confessio præcise propter absolutionem faciendam ab illo, qui confessionẽ audit: quia vt dictum est inferior potest audire; imò debet audire integram confessionem, & examinatis delictis consulere pęnitenti. Et ad confirmationem similiter respondeo distinguendo illã maiorẽ, s. qñ sacerdos nullam habet auctoritatẽ nullatenus est illi facienda confessio distinguẽdo auctoritatẽ, si neutrã habet. s. audiendi & absoluendi, nõ est illi cõfitendũ, si aũt habet auctoritatẽ audiendi, & absoluendi quo ad non reseruata est illi facienda confessio integra: quia quãdo superior reseruat casum non sibi reseruat clauẽ audiẽdi, & examinandi, sed tñ absoluendi vt dictũ est. Restat inuestigare quõ se debeat habere inferior circa casus reseruatos, siquidem integre audit pęnitentem. sit

Quinta conclusio. Si superior est præsens vel faciliter, & sine scandalo potest pęnitens ad eum recurrere, nequit absolui ab inferiori ẽt a peccatis non reseruatis. probatur: quia nõ potest a reseruatis, ergo nec a non reseruatis; patet consequẽtia quia nulla est necessitas diuidendi absolutionem.

Sexta conclusio. Qñ superior est absens, & instat necessitas: quia pęnitens habens casũ reseruatũ pp vitandũ scandalũ debet cõmunicare, vel celebrare; inferior põt sacramẽtaliter absoluere pęnitentem a non reseruatis tñ, ea lege vt habita opportunitate superiori confiteatur, vel ab illo auctoritatẽ postulet. hæc est D. Thomæ, & Ric. vbi supra, cõtra Duran. & alios, & probatur: quia respectu casus reseruati nõ habetur in absentia Prælati copia sacerdotis quo ad absolutionẽ, & habetur quo ad casus non reseruatos; ergo potest absolui a non reseruatis sacramentaliter, quãuis sacramentaliter non absoluatur a reseruatis; probatur consequentia in simili forma: quando. n. timetur reuelatio confessionis non tenetur pęnitens confiteri tale peccatũ, q timet reuelandũ, neque absoluitur ab illo, licet absoluatur ab aliis sacramentaliter, nõ ob aliud, nisi quia nõ habetur respectu illius peccati copia cõfessoris; ergo similiter in proposito, quãuis nõ absoluatur pęnitẽs a reseruatis in absẽtia superioris, poterit nihilominus absolui sacramentaliter a non reseruatis.

D. Thomas. Ricardus.

Et si dicas impiũ est sperare dimidiam absolutionem. Respondeo quod absolutio dupliciter consideratur, primo sacramentaliter, quæ fit virtute verborum. Ego te absoluo, altera absolutio fit a Deo sine actuali ministerio sacerdotis ratione gratiæ, quæ infunditur per absolutionem a non reseruatis; & isto secundo modo absoluitur pęnitens a reseruatis in casu proposito; non autem absoluitur sacramentaliter, donec hoc fiat a superiore, vel de eius commissione, & per hoc patet ad motiuum pro opinione Henrici.

Et si iterum dicas. ex his duabus absolutionibus superioris, s. & inferioris, nec constituitur vnum sacramentum, nec multiplex, ergo &c. patet antecedens, non vnum, quia sunt duæ absolutiones, quarum quælibet est sacramentum, non multiplex: quia materia est vna, ergo &c. Respondeo q sunt duo sacramenta, quorum quodlibet confert gratiam, & remittit peccatum: quia casus reseruatus confessus inferiori nõ fuit materia absolutionis, quamuis fuerit confessionis; veluti si pęnitens finita confessione recordetur peccati obliti, & illud confiteatur non erit ista absolutio eadem cum priori, similiter in proposito.

Ex prædictis sequitur primo, quod si superior noluit concedere suam auctoritatem, tenetur omnino pęnitens comparere coram illo, & illi confiteri; patet ex c. omnis vtriusq. sexus, vbi definitur omnes teneri ad comparendum coram proprio sacerdote, sed proprius sacerdos respectu casus reseruati est superior, ergo &c.

Secundo sequitur, quod si pęnitens obtinuerit auctoritatem a superiore, & confessio non valuit quia ficta, non tenetur iterum exigere auctoritatem ad absolutionẽ; probatur, quia idem est concedere auctoritatem, quam facere casum non reseruatum, quod autem pęnitens fuerit legitime confessus necne, non reuocat auctoritatem semel concessam a superiore. Vnde quando Prælatus semel concessit auctoritatem subditis in omnia peccata hactenus commissa, desinunt esse reseruata, hoc probat Adrianus vbi supra; sed est cauendus, quatenus ibi docet, quod simplex sacerdos potest absoluere ab illo reseruato oblito in confessione post cõcessam auctoritatem, quod quidẽ est falsum. quamuis enim simplex sacerdos possit absoluere a peccatis rite olim confessis, sicut a venialibus; non tamen potest absoluere a peccatis oblitis, quæ nunquam fuerunt confessa.

Adrianus.

Hic solent aliqui alia multa dubia proponere. Sed tu vide Angelum in verbo casus episcopi, Syluest. eodẽ verbo, Nau. in Man. c. 27. nu. 259. & deinceps. & in c. consideret. §. cautus. nu. 10. & Suarez. to. 4. disp. 29. 30. & 31.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum quando ex confessione alicuius peccati timetur malum aliquod pęnæ, vel culpæ possit pęnitens peccatum illud celare.

Circa hanc quæst. obser. est, quod regulariter reducitur ad quatuor euentus, primo quando pęnitens timet cõfessorem reuelaturum certum peccatũ Secundo quando ex confessione alicuius peccati timetur ruina confessoris, veluti si puella sollicitata a Confessore abstineat a confessione alicuius cogitationis turpis, vel libidinosæ, ne præbeat sacerdoti occasionem sacrilegij. Tertio quando ex confessione alicuius peccati timetur aliena vel propria mors, vel aliquod magnum corporale periculum, vt si pęnitens accessit ad sororem confessoris consanguineam ipsius pęnitentis, qui pęnitens si hanc confiteatur circunstantiam facile poterit confessor intelligere illam esse suam sororem, vel matrẽ, & forte interficiet eam. Quartus euentus erit, quando ex confessione alicuius peccati participans manebit infamis apud ipsum cõfessorem; veluti si pœnitens accessit ad propriam matrem, vel sororem, quæ quidem sunt bene notæ confessori, quod si pęnitens confiteatur hanc circunstantiam mater manebit infamis apud confessorem; propter hos & similes euentus proponitur quæst. cui est satisfaciendum vnica prænotata diuisione.

Diuisio est, aut pęnitens potest alieno confessori confiteri ex priuilegio, vel de licentia proprij, aut non potest confiteri nisi proprio; quia forte non habet priuilegium, & proprius non vult concedere facultatem, & si confiteatur proprio, timetur aliquod ex supradictis incommodis.

Hoc supposito sit prima conclusio. Quando pęnitens põt confiteri alieno sacerdoti peccat mortaliter, si cõfiteatur proprio, timendo vnum ex quatuor detrimentis. probatur quia si reticet peccatum ex cuius manifestatione timet aliquod periculũ ex supradictis dimidiat confessionẽ sine necessitate, & peccat mortaliter; si autem confiteatur aliud ... si-

militer peccat, quia potuit, & tenebatur vitare tale periculum confitendo alieno sacerdoti.

Secunda conclusio, quando pœnitens non habet facultatē confitendi alieno, nec potest illam a proprio, nec a superiore obtinere, si adest tempus confessionis, vel esset scandalū non communicare, vel celebrare, & timet pœnitens aliquod ex tribus prioribus periculis, potest, immo tenetur illud peccatum celare, donec habeat copiam confessoris ad illud delictum confitendum, sine aliquo ex prædictis tribus incommodis. Probatur primo, quia præcepta positiua non obligant cum tanto dispendio, & periculo, & ideo qui non potest aliter confiteri illud peccatum, pro tunc censetur moraliter impotens ad confitendum illud, & ideo excusatur, quin potius tale posset esse detrimentum, vt obligaretur homo ad non confitendum tale peccatum in illo euētu, vt si timeretur graue scandalum in propria salute spirituali, vel probabile periculum mortis corporalis. Vnde inquit D. Bernardus lib. de præcepto, & dispens. quod propter charitatem introductum est, contra eandem charitatem exerceri non debet. Cum ergo charitas obliget ad vitandum graue damnum proximi, hæc lex confessionis, quæ positiua est non obligat cum tanto dispendio proximi.

D. Bernard.

Præterea quando concurrunt duo præcepta incompossibilia seruandum est quod magis obligat; sed in proposito cōcurrunt duo præcepta incompossibilia, s. integre confitendi, & vitandi peccatum in alio, & hoc secundum magis obligat: quia est naturale, & diuinum simul; ergo cōcurrentibus his duobus præceptis, si impossibile est seruare vtrunq. solum obligabit præceptum naturale, & diuinum, & non quod est diuinum tantum: quia est fortius vinculum, & deterior eius transgressio, hæc conclusio est communis.

Obseruandum tamen est circa secundum casum, scilicet, quando timetur ruina alterius, quod non est amplior iusto sumenda facultas, quia probabilissime timenda est ruina: quia cum omittenda sit executio legis grauissimæ, non sine magno fundamento, & ratione fieri debet, alias daretur occasio hominibus facile omittendi confessionem peccatorū propter leuem causam. Vnde si sacerdos est iam lapsus sollicitando puellam, quam non potuit peruertere non est tacendum peccatum; vel si ex aliqua leui coniectura, vel suspitione timetur ruina: quia non est dimidianda confessio nisi quando dempta confessione peccaret mortaliter aliquis propter ruinam alterius: quia alias non currit præceptum naturale & diuinum propter quod relinquendum est diuinum tantum.

Nauar.

Ex hac conclusione colligit Nauar. in summa. c. 7. nu. 3. & 4. oportere, vt illud scandalum sit actiuum seu ex fragilitate alterius; nam si sit passiuum, & ex malitia tantum, non ita tenemur illud vitare, quod est verum seruata lege charitatis, scilicet, vt si absque vllo incommodo proprio possit hoc passiuum scandalum vitari, fiat. Secundo colligunt Caiet. verbo confessio cond. 10. Sylu. verbo confessio §. 18. & ante illos D. Thomas d. 17. vbi sup. quod si non instat necessitas confitendi tenetur pœnitens confessionem differre; quia nō habet copiam confessoris ad integre confitendum, nec dimidiā da est confessio absq. aliqua graui necessitate, ergo si extra illam dimidiauerit peccat, & si integre confiteatur peccat similiter propter periculum, quod timetur, & per consequens tenetur non confiteri, hæc est communis sententia.

Caiet. Syluester. D. Thomas.

Cæterum ego non video, quare extra casum necessitatis non possit pœnitens in tribus dictis euentibus dimidiare cōfessionem, si quidem tunc non habet copiam confessoris respectu illius peccati, quod celat, habet autem respectu aliorum, & ab illo etiam absoluitur per accidens, hoc est ratione gratiæ sacramentalis.

Tertia conclusio. Quando ex manifestatione alicuius peccati sequitur magna infamia participantis, vt quartus docet euentus, tale peccatum est celandum propter eamdem rationem, qua probata est secunda conclusio. separatur aūt hæc conclusio ab illa, quia in tribus prioribus euentibus communiter defenditur hæc sententia; in hoc vero vltimo amplectitur a Caiet. & Cano vbi supra contra D. Thomam. d. 16. q. 3. art. 2. q. 4. & q. 2. art. 5. ad tertium, sed propter rationem dictā adhuc probatur nostra conclusio. Nullus tenetur confiteri per interpretem, vt consulat propriæ famæ, ergo non tenetur cōfiteri cum iactura famæ alienæ, si aliter fieri non potest, patet consequentia: quia suæ famæ interdum est dominus, nūquam tamen alienæ, & confirmatur, quia si ego scirem confessorem reuelaturum participem mei criminis, teneor non explicare participem delicti, & non ob aliud, nisi vt non infametur apud alium, ergo similiter teneor celare, ne infametur apud sacerdotem, apud quem bonum habet odorem. hanc sententiam approbat Cano citra articulum mortis, at vero inquit in articulo mortis non habet locum: quia particeps tenetur tunc cedere suæ famæ pro spirituali salute proximi. Sed hæc limitatio merito est irridenda; non enim magis obligat præceptum confessionis in articulo mortis, quam in vita; sed in vita est celandum peccatum habens annexam infamiam participantis propter præceptum de non infamando alium, ergo similiter est celandum in articulo mortis.

Caietanus. Canus.

Hic est aduertendum consilium D. Bona. vbi supra ad vl. quod si expedit ad cauendum peccatum accipere consilium ab aliqua persona, tunc licitum erit detegere peccatum alienum etiam extra cōfessionem: quia salus spiritualis propria conseruanda est, & præponenda famæ alienæ; veluti si puella non posset liberari ab importunis precibus Episcopi, licebit causa consilij detegere peccatum Episcopi, cum illius infamia; sibi enim imputet infamiam.

D. Bonau.

ARTICVLVS TERTIVS PRINCIPALIS.

IN tertio articulo discutit Sc[illegible] quid sit explicatum per ecclesiæ præceptum circa præceptum diuinum de cōfessione facienda: Nam ecclesia [illegible] ius diuinum aliquid specificauit circa confessionem, & specificatio specialiter habetur in cap. Omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remis. Vnde pro sufficienti explicatione huius articuli sequentes quæstiones examinandæ sunt per sequentes articulos.

Primus Art. Vtrum omnes fideles confiteri teneantur.
Secundus Art. Vtrum habens solum venialia teneatur ex præcepto ecclesiæ confiteri.
Tertius Art. Vtrum sit necessariū confiteri proprio sacerdoti.
Quartus Art. Vtrum licitum sit alteri quam proprio sacerdoti ex priuilegio confiteri.
Quintus Art. Vtrum præceptum annuæ confessionis obliget transgressores ad peccatum mortale.
Sextus Art. Vtrum in præceptum cōfessionis cadat dispēsatio.
Septimus Art. Vtrum fidele confessus in pascha proprio sacerdoti adimpleat præceptum ecclesiæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum omnes fideles confiteri teneantur.

PRo solutione huius quæst. obseruandum est, quod præceptum ecclesiasticum de confessione facienda habetur in illo cap. omnis vtriusq. sexus &c. de pœnit. & remis. Quod quidem præceptum secundum Ocham continet tres partes. Prima pars, quæ est præceptiua est hæc. omnis vtriusq. sexus fidelis cum ad annos discretionis peruenerit omnia peccata sua solus sacerdoti proprio confiteatur, & iniunctā pœnitentiam diligenter exequatur. Secunda pars, quæ est dispensatiua primæ partis est, q. si voluerit alieno confiteri petat, & obtineat licentiam a proprio sacerdote. Tertia pars est definitiua ibi, alias sciat illum alium sacerdotem ipsum non posse absoluere. istæ tres partes continentur in illo præcepto.

Præceptū de annua confessione continet tres partes Ocham.

Circa primā partē ex illo verbo fideliū vtriusq. sexus intelliguntur baptizati: illi. n. propriam fidei professionē in Baptismo fecerunt, & spiritualis iurisdictio ecclesiæ in illos cadit; quilibet ergo de quocūq. sexu fuerit fidelis, i. baptizatus, siue hæreticus, siue schismaticus fuerit, est huic præcepto subiectus. Postq̄ ad annos discretionis peruenerit, hoc ē cū ē doli capax: quia tūc pōt peccare, vt patet in c. pueris. de delictis puerorum; n. s. iuuenis erubescit de malefactis (per non erubescentiam Arist. in problematibus pigmeos probat non esse homines) & discernit bonum a malo, tunc est doli capax, vt qn̄ quæritur a puero, est ne bonum innocentē occidere? aliena furari? parentibus, & famulis maledicere? pascere esurientem? visere templa? si inter hæc discernat, tunc propinque rationem habet, nec omnibus præfigendum est idem tempus (vt dixit supra Scotus) aliqui. n. in paucioribus annis plus prudentiæ habent, quam alij in pluribus; Illi aūt, qui puerorum curam habent circa hoc laborare tenentur, cū hoc pueri adhuc discernere nequeant. Nam communiter sacramentum confessionis suscipiunt proximo vel secundo anno ante Eucharistiæ sumptionem, quod est rationabile propter maiorem reuerentiam susceptionis corporis Christi.

Pigmei non sunt homines quia non erubescunt. Arist.

Scotus.

Omnia

Omnia peccata sua, certum est hanc particulam debere intelligi, saltem de peccatis mortalibus, quæ sunt materia necessaria confessionis. Ex his concluditur omnes baptizatos habentes conscientiam peccati mortalis non confessi obligari hoc præcepto. Circa hæc vero peccata triplex solet occurrere dubium.

Margarita confessorum.

Primum est de eo qui tantum habet peccata interna. Refertur enim Margarita confessorum verbo confessio negans huiusmodi personas obligari hoc præcepto, fortasse quia tenet ecclesiasticam potestatem non extendi ad ea, quæ suapte natura sunt occulta idest ad ea, quæ mente tantum concipiuntur, & nullatenus foras prodeunt. & ita videmur per illa capitula, quæ ab ecclesia sunt facta, non teneri nos ad cordis peccata confitenda. Neque argumentum tolleret qui concederet Ecclesiam non posse quidem aliquid super his interioribus directo ac per se statuere; oblique tamen, ac veluti per accidens posse, & ita quia ecclesia præcipere potest confessionem de externis, & confessio debet esse integra ratione integritatis illud præceptum etiam ad interiora extendi. Non inquam hæc solutio eneruaret argumentum: quia secundum hanc solutionem sequeretur eum, quia solum haberet cordis peccata, & nulli exteriora ad ea confitenda non teneri, quod concedi nequit. Sed hæc sententia est plus quã temeraria.

Peccata cordis ex præcepto ecclesiæ sunt confitenda.

Dicendum est ergo eum, qui confitetur debere confiteri omnia peccata sua, non solum quæ dicto, aut facto foras prodierunt; sed etiam quæ sola interiori voluntate admisit. quod probatur primo ex cap. omnis vtriusque sexus. quod simpliciter præcipit confiteri omnia peccata, sub quibus certum est interna contineri, si sunt mortalia. Probatur secundo ex Concilio Florent. in decreto Eugenij, qui habet ad confessionem pertinere, quod omnia peccata, quorum memoriam habet, suo sacerdoti confiteatur integraliter. Tertio probatur ex Concilio Triden. sess. 14. c. 5. vbi habentur hæc verba. Ex his colligitur oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent in confessione recenseri, etiam si occultissima illa sint, & tantum aduersus duo vltima Decalogi præcepta commissa; quæ non vnquam animum grauius sauciant, & periculosiora sunt ijs, quæ in manifesto admittuntur. quæ plane omnia reperiuntur in can. 7. sub his verbis. Si quis dixerit in sacramento pœnitentiæ ad remissionẽ peccatorum necessarium non esse iure diuino confiteri omnia, & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, & quæ sunt contra duo vltima Decalogi præcepta, & circunstantias, quæ peccati speciem mutant &c. anathema sit.

Concilium Florent.

Cõcil. Trid.

Ad rationem ergo respondeo concedendo ecclesiam non habere potestatem directe, & per se de interioribus disponendi, habere tamen potestatem determinandi tempus, quo Christi sui sponsi præcepta sint adimplenda; & ita concedo per illud cap. omnis. de pœnit. & remis. nihil noui, quo ad confessionis integritatem esse inductum, sed tantum determinatum esse præceptum diuinum quo ad circunstantiã temporis; atque ita non humanum, sed diuinum est præceptum, quo peccata omnia quæcunque illa sint confiteri tenemur. sed ex diuino præcepto tenetur homo confiteri in hoc casu, ergo ex hoc præcepto tenetur intra annum confiteri, præterquam quod hoc præceptum est de actu externo, licet materia eius remota sit actus internus.

Pueri in qua ætate teneãtur cõfiteri.

Sotus.

Secundum dubium est de pueris, qui ad annos pubertatis non venerũt, & sciunt peccare mortaliter, Nam quidam existimant eos non obligari hoc ecclesiastico præcepto, quin potius Soto d. 12. q. 1. art. 11. in fine dicit pueros ante 12. annum ætatis non obligari hoc præcepto, cuius nullam affert rationem, Possemus autem argumentari: quia non obligantur præcepto Eucharistiæ ergo nec pœnitentiæ: nam vtrunque in eodem textu, & eodem tenore traditur.

Cæterum dicendum esse censeo omnem illum, qui scit peccare mortaliter, obligari hoc præcepto. Vnde sicut non potest certa ætas designari, in qua homo peruenit ad vsum rationis; ita non potest certa ætas præscribi in qua homo incipit obligari hoc præcepto; sed regula est quando primum habet conscientiam peccati mortalis Hæc est communis doctrina in 4. d. 17. Ricar. art. 2. q. 4. ad 6. Scoti in hac quæst. art. 2. & 3. in principio. Gab. q. 1. art. 2. concl. 2. & idem tandem sentit Sotus. d. 18. q. 1. art. 3. in fine. Probant ex verbis textus. Cum ad annos discretionis peruenerint. anni enim discretionis significant ætatem, in qua homo scit peccare. Secundo quia isti obligantur præcepto iuris diuini, sed hoc præceptum est determinatio illius præcepti, vt dictum est. Tertio isti possunt obligari alijs præceptis ecclesiæ saltem quo ad vim directiuam, quicquid Soto dicat. Tenẽtur enim audire sacrum in festis, & abstinere a carnibus in die prohibito; cur ergo non obligabuntur hoc præcepto maxime necessario? Ad exemplum Eucharistiæ respondetur ex ipso textu colligi differentiam: nam illo ponitur exceptio. Nisi ex consilio confessoris duxerit differendum. Est autem rationabili, & omnium prudentum confessorum consuetudine introductum, vt hi pueri non statim ad Eucharistiam admittantur, tum propter maiorem reuerentiam illi sacramento debitam, tum etiam quia illud sacramentum non est tantæ necessitatis; at vero in sacramento pœnitentiæ, non habent locum istæ rationes, & præceptum illius datur sine vlla limitatione, & ideo non est similis ratio.

Ricardus.
Scotus.
Gabriel.
Sotus.

Addunt vero prædicti Auctores præsertim Sotus, & Corduba in summa. q. 60. hos pueros non incurrere pœnas impositas transgressoribus huius præcepti, quod pie credi potest, & fundamentum habet in cap. extra de delictis puerorum, vbi dicitur licet ante annos pubertatis peccare possint, non tamen eodem modo esse puniendos.

Sotus.
Corduba.

Tertium dubium est de Summo Pontifice an obligetur hoc præcepto. Aliqui enim negant vt Ricardus d. 17. art. 2. q. 4. ad 5. vbi dicit teneri tantum ex congruitate. iuxta cap. confidimus, & c. c. Iustitia. 25. q. 1. Scotus etiam in hac. q. art. 1. inde probat præceptum confessionis non esse mere ecclesiasticum, quia alias non obligaret summum Pontificem, sentit ergo præceptum, vt ecclesiasticum est, non obligare Papam. Nauar. etiam de pœnit. d. 5. in principio. §. 2. num. 32. dicit. si vera esset sententia Concilium esse supra Papam recte inferri Papam obligari hac lege, quæ in Concilio generali lata est. supponendo autem, quod verum est, Papam esse supra Concilium, non esse verum Papam obligari hac lege, quæ a Concilio inferiori ipsi lata est, & licet sit a Pontifice confirmata, tamen non potest princeps vel a se ipso, vel ab æquali lege lata obligari.

Papa an teneatur præcepto annuæ confessionis.
Ricardus.
Scotus.
Nauar.

Posset tamen dici obligari Principem ad seruandas leges a se latas, quo ad vim directiuam, non quo ad coactiuam: quia naturalis ratio postulat, vt caput conformetur corpori suo, vnde veluti sub hac conditione intelligitur princeps accepisse potestatem ferendi leges, & ita ex hoc principio potest inferri obligari Pontificem hac lege confessionis annuę, vt docet Couar. qui alios refert in cap. alma mater. parte 1. cap. 1. §. 5.

Couar.

ARTICVLVS II.

Vtrum habens sola venialia teneatur ex præcepto ecclesiæ confiteri.

PArtem affirmatiuam tuentur Alex. de Ales. q. 77. m. 1. art. 1. & 2. & m. 2. art. 3. D. Bona. d. 17. art. 4. q. 1. Ricar. art. 2. q. 4. ad 1. & insinuat D. Thomas. q. 3. art. 1. quæstiun. 3. quorum fundamentum est, quia ecclesia præcipit omnes fideles singulis annis semel confiteri proprio sacerdoti; sed qui habet solum venialia habet materiam confessionis, ergo tenetur ad confitendum. Secundo hoc idem probant ex fine præcepti, qui est vel propter maiorem securitatem, & Eucharistiæ reuerẽtiam, vel certe vt pastores cognoscant oues suas. Tertio quia absolute excommunicantur omnes, qui non confitentur semel in anno, sine vlla exceptione. Vnde inquit D. Bonau. quod nemo tenetur ex præcepto ad confitendum venialia nisi in duobus casibus, vel quia ligatur a conscientia idest quia dubitat probabiliter vtrum sit mortale, aut veniale; vel quia ligatur a constitutione ecclesiastica. Et de primo casu nullum est dubium, quia qui non confitetur veniale, de quo dubitat, an sit mortale exponit se manifesto periculo frangendi præceptum confessionis; cæterum quo ad secundum casum communiter defenditur contraria sententia, quæ est Scoti in hac. q. art. 3. sub lit. Q. §. quantum ad quæ. Durandi d. 17. q. 9. num. 6. Maioris. d. 17. q. 2. Almayn. art. 3. Gab. q. 1. art. 2. concl. 2. Palud. q. 2. art. 4. Caiet. opusculo de Confessione. q. 5. & 3. p. q. 65. art. 2. Soti. d. 18. q. 3. art. 3. Can. 1. relect. de pœnit. parte. 5. Medinæ Cod. de confes. q. 6. Angeli confessio. 2. num. 4. Syluest. confes. 1. §. 13. Roffen. art. 8. contra Lutherum. & Ruar. art. 5.

Alex. de Ales.
D. Bonau.
Ricardus.
D. Thomas.
Scotus.
Durandus.
Maior.
Almayn.
Gabriel.
Paludanus.
Caietanus.
Sotus.
Canus.
Medina.
Angelus.
Syluester.
Roffensis.
Ruardus.

Vnde

Vnde obseruandum est quod Ricardus vbi supra dicit, quod habens mortalia tenetur præcise ad confessionem illorum,& non venialium,habens vero sola venialia propter præceptum ecclesiæ tenetur in illo casu ad illorum confessionem,sed contra hoc arguit Scotus: quia vel per illa verba illius capituli,omnis vtriusque sexus fidelis confiteatur peccata sua,fit distributio de peccatis venialibus, vel non fit distributio;si fit distributio ergo habens peccata mortalia virtute illius præcepti tenetur ad confessionem venialium; si vero non fit distributio de venialibus sequitur, quod non habens mortalia peccata, sed tantum venialia non tenetur ad confessionem illorum, quia non cadunt sub illis verbis confiteatur omnia peccata sua. Vnde contradictio videtur, posito eodem intellectu istorum verborum (omnia peccata sua) dicere, quod non habens mortalia obligatur ad confessionem venialium,& quod habens mortalia non obligatur ad illorum confessionem.

Præterea si aliquis vixit sine peccato mortali vsque ad dimidium quadragesimæ,& tunc velit confiteri,vt impleat præceptum ecclesiæ, secundum Ricardum tenetur confiteri venialia quia illa sola habet, sit casus quod talis peccet illo die mortaliter, & postea velit implere præceptum ecclesiæ de confessione, tunc secundum Ricardum non tenetur confiteri venialia illa, quæ prius habuit, ergo per commissionem peccati mortalis absolutus est a confessione venialium,quod absurdum videtur,& irrationabile.

Nullus tenetur ad confessionem venialium. Dicit igitur Scotus,quod quantum colligi potest ex constitutionibus ecclesiæ generalibus, nullus tenetur ad confessionem venialium in aliquo casu; neque in hoc ecclesia specificauit præceptum diuinum de confessione; & hoc rationabiliter: quia ecclesia vtitur sacramento pœnitentiæ tanquam secunda tabula contra naufragium, quod non contingit in venialibus,neque tenetur aliquis ad contritionem de venialibus; imo in actuali voluntate, vel actu venialis peccati moriens saluabitur, vapulabit tamen in Purgatorio; non videtur autem quod aliquis teneatur ad confessionem illius,de quo non tenetur habere contritionem, vel attritionem. Idque etiam patet ex eo,quod venialia delentur totaliter quantum ad culpam, & pœna in aliquando sine aliquo speciali opere. videlicet per actum feruentem contemplationis in Deum, quemadmodum gutta aquæ consumitur a flamma vehementi.

Præceptum ecclesiæ non obligat ad confitendum venialia. Sit ergo vnica conclusio. Nullus habens tantum venialia tenetur ex præcepto ecclesiæ confiteri semel in anno;hæc conclusio colligitur ex Concilio Trid.sess.14. cap.5. vbi expresse docet hoc præcepto nihil præcipi, quod non esset diuino præcepto mandatum præter temporis determinationem; sed ex præcepto diuino solus ille tenetur confiteri,qui habet conscientiam peccati mortalis, ergo &c.

Et confirmatur ex textu dicente omnes fideles teneri ad confitenda semel in anno omnia peccata sua, quod nequit intelligi nisi de mortalibus: nam si comprehenderentur etiam venialia,tenerentur fideles ad illa omnia confitenda, quod est absurdum,& impossibile; ergo qui non habet mortale non comprehenditur sub hoc præcepto.

Secundo probatur ratione: quia contra venialia sunt instituta alia remedia;ergo licet homo teneretur ad pœnitendum de venialibus, non tenetur ad eius confessionem, siquidem aliud potest adhibere remedium, præsertim quod nunquam tenetur in hac vita nisi ex consilio ad pœnitendum de venialibus:quia in alia vita remittuntur. Præceptū ergo ecclesiasticum de annua confessione, solum est determinatio, & limitatio quo ad tempus præcepti diuini circa confessionem, & nequit obligare ad confitendum venialia, siquidem præceptum diuinum neminem obligat, ad confessionem venialium, quantum igitur ad qua (vt inquit Scotus) ecclesia circa præceptum diuinum nō specificauit.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur, & ad primum nego consequentiam, ecclesia enim potest determinare tempus confessionis non determinatum a Christo; non tamen potest instituere aliam materiam confessionis præter illam,quam Christus instituit; instituit autem mortalia; vt,materia necessaria & venialia,vt voluntaria, quod autem nullo modo instituerit Dominus venialia esse materiam necessariam in aliquo euentu, probatur: quia Deus non remittit in cœlo illa peccata, quæ necessario virtute clauium non remittenda in terris, nisi prius remittantur a sacerdote,iuxta illud,quorū remiseritis Ioan.20.& Matth.16. Tibi dabo claues regni cœlorum &c.sed Deus remittit sem per venialia in Purgatorio, quamuis in terra non sint virtute clauium demissa a sacerdotibus;ergo non sunt necessario confitenda.

Ad secundum respondet Scotus, Quod si quis sacerdoti confiteretur sola venialia,quæ haberet,ex sola illius confessione cognosceret sacerdos nō fecisse nisi sola venialia. Dicitur enim in cap. significauit.extra de officio ordinarij,quod confitenti pœnitentiali ter in omnibus credendum est. Nam in hoc foro vnicuique credendum est tam pro se,quam contra se loquenti:quia non est verisimile,quod quis sit immemor suæ salutis. Similiter ergo credat sacerdos pœnitenti ad se venienti, atque dicenti. Domine testatior Deo, quia ex eo tempore, quo vltimam feci confessionem non habeo cōscientiam de peccato mortali dare, mihi Eucharistiam; nec est incredibile (inquit Scotus) in fine huius quæstionis multos esse tales in ecclesia,qui per annum viuant sine mortali;imo per Dei gratiam multi multo maiori tempore sine peccato mortali se custodiunt, & multa opera perfectionis exercent, de quorum meritis thesaurus ecclesiæ congregatur,vnde innocens a mortali,potest confiteri venialia, & nō confiteri, sed tantum se præsentare sacerdoti, & sibi dicere verba supra relata. Id enim debet facere, qui per totum annum non peccauit mortaliter,neque ad aliam cōfessionem tenetur. Ex qua confessione tantam habet sacerdos cognitionem vultus pecoris sui, quantam si narrasset venialia sua peccata per duos dies; sed neque aliam certitudinem posset sacerdos habere de venialibus pœnitentis si illa confiteretur, quam habet hoc modo per proprium testimonium illius. Atque adeo & ratione Eucharistiæ sumendæ, & vt pastor possit, ne longi suo munere,qui infra annum non confitetur cogi potest, vt id faciat, vel similem rationem reddat cur non faciat; & per hæc satisfit fundamentis primæ sententiæ.

ARTICVLVS III.

Vtrum sit necessarium confiteri proprio sacerdoti.

Ecclesia tres habet ordines ministrorum. PRo explicatione huius quæst.obser.est primo in ecclesia tres esse ordines horum ministrorum ad quos omnes alij reducuntur,qui numerari solent. In primo & supremo ordine est solus summus Pontifex, qui habet iurisdictionē ordinariam,& eminentiorem omnibus alijs. Primo in hoc quod habet illam immediate a Christo Domino;nam licet eligatur ad hominibus, tamen neque ipsi, neque vniuersalis ecclesia dat illi iurisdictionem, sed ipsi designant personam, & Christus immediate munus confert. Secundo in hoc, quod habet hanc iurisdictionem independentem ab alio,quin potius omnis alia pendet ab ipso. Tertio quia habet illam vniuersalissimam quo ad loca,& personas, & culpas,& quo ad modum vtendi illa, vel per se immediate, vel per alios,seu concedendo eam alijs, pro vt voluerit, vel oportuerit.Quæ omnia fundantur in verbo Christi Ioan.21. Pasce oues meas. Et ad hunc ordinem reducuntur, summus pœnitentiarius Papæ. Legatus a latere,etsi qui alij excellentiori modo illam participant.

Episcopi ex iurisdictione habent iure diuino. In Secundo ordine sunt Episcopi,de quibus dubitari solet an habeant iurisdictionem hanc humano, vel diuino iure, sed pro nunc dicam breuiter, quid tenendum sit prout spectat ad hunc locum. Vnde dico primo iurisdictionem Episcopalem vt ordinariam,& ex officio saltem in communi esse a Christo Domino institutam, & præceptam, idest Christus Dominus instituit, vt Petrus & successores eius ecclesiam per Episcopos gubernarent, eosque in partem sollicitudinis assumerent;ita tamen vt etiam Episcopi proprie iure possident ius, & proprietatem talis Episcopatus, inon enim sunt veluti Vicarij & delegati summi Pontificis, quia Vicarius non habet proprium titulum, nec per se est proprius pastor, at Christus posuit in Ecclesia Episcopos, vt essent proprij animarum pastores, ad quos veluti iure suo, & quasi ex proprio munere pertineret cura ouiū, quod indicauit Apostolus Act.20. illis verbis. Posuit vos spiritus sanctus Episcopos regere ecclesiam Dei.

Dico secundo cum episcopali munere intrinsece,& quasi ex natura rei esse coniunctam iurisdictionem ordinariam in hoc foro, atque hoc modo non solum diuinum ius positiuum, sed etiam naturale, (quantum in hac materia esse potest)

potest) dictat, vt qui constituitur Episcopus iurisdictionem hanc ordinariam habeat in eos, quorum sit Episcopus, quia talis iurisdictio est de intrinseca ratione talis muneris. Est enim Episcopus ex vi sui officij animarum pastor, & gubernator in spiritualibus, & magis in his, quæ pertinent ad internum bonum animæ, quam ad externum, ergo tali muneri intrinseca est hæc iurisdictio.

Dico tertio. Omnes Episcopos ecclesiæ habentes Episcopale, & pastorale munus habere illud per summum Pontificem, seu dependenter ab illo: quia omnes recipiunt hoc munus media auctoritate, & consensu Pontificis. solet enim summus Pontifex creare Episcopos, & dicit se illis conferre ministerium talis ecclesiæ in temporalibus, & spiritualibus. Secundo pendent alij Episcopi a summo Pontifice in determinatione, seu diuisione diœcesium: nam hæc diuisio non est iure diuino facta vt per se patet, ergo per hominem, ergo maxime pertinet ad summum Pontificem vnicuique assignare proprium terminum, vnde interdum potest coarctare, interdum augere, vel diuidere territorium, vt de se patet. Tertio pendent in extensione, & limitatione iurisdictionis ad plures, vel pauciores effectus, quod satis constat experientia in ijs, quæ pertinent ad forum externum, vel ad dispensationem in votis, impedimentis &c. vel ad absoluendum a censuris, vel ad conferendas indulgentias. Et in foro de quo agimus id euidenter constat ex casuum reseruatione, quæ non fit nisi per ablationem, vel limitationem iurisdictionis. Denique pendent in hoc, quod iurisdictio seu officium Episcopale potest per pontificem auferri ex iusta causa, potest etiam mutari, vt fit in translatione Episcoporum.

Dico quarto in hoc sensu iurisdictionem hanc non dari Episcopis immediate a Christo, sed per summum Pontificem, & hoc sensu non habere illam diuino, sed humano iure. quia non habent illam ex vi consecrationis sed ratione muneris, vt dictum est, illud autem munus habent a summo Pontifice, & iuxta illius institutionem, & modum. ergo &c.

In tertio ordine sunt Parochi: nam illi etiam sunt iudices ordinarij in hoc foro ex sententia omnium Theologorum in 4. d. 17. & ex vsu & sensu ecclesiæ, & ex cap. Omnis. vbi nomine proprij sacerdotis præcipue intelligitur Parochus, vel saltem formaliter comprehenditur, & de illo proprio sacerdote absolute, & in vniuersum supponitur posse suam iurisdictionem committere, quod est munus ordinarij iudicis. Et ad hunc ordinem reducitur in primis Vicarius perpetuus Parochi: nam ille iam habetur vt ordinarius Pastor, qui potest vices suas delegare: Reduci etiam solet Archipresbiter, prout vt nunc est in vsu, sunt enim quasi primarij Parochi aliquarum ecclesiarum. Reducuntur etiam in Religionibus immediati Prælati, & in vniuersum omnes, quibus ex iure, vel ex priuilegio speciali commissa est cura immediata aliquarum animarum. Vnde fit primo vt quandam proportionem seruet in sua iurisdictione ad ea, quæ diximus de Episcopo, habet enim illam quasi generalem in sua parochia, tamen limitatam ad terminos eius, nō tam locales, quam personales, & subordinatam Episcopo, qui potest aliquos casus sibi reseruare, vt diximus supra.

Parochus an habēt iurisdictionē iure diuino. Maior. Sotus.

Solet autem & de his etiam quæri an eorum iurisdictio sit immediata a Christo, & ex diuino iure: nam id etiam contendunt Maior. d. 17. q. 7. & Soto. d. 18. q. 4. art. 2. & d. 21. art. 4. & 24. q. 2. art. 2. & lib. 1. de iust. & iur. q. 1. art. 4. Id vero minus probabile est, quam de Episcopis, vt reliqui auctores docent. Nam Parochiarum diuisio cum institutione propriorum Parochorum etiam in communi non est de iure diuino vt innuit hic Scotus, quia facta fuit per ecclesiā, quæ posset etiam plures Episcopatus diuidere, & minus territorium vnicuique concedere, & ordinare, vt Episcopus esset proximus & immediatus Pastor in tota sua diœcesi, quam per vicarios, seu cappellanos posset gubernare, vt nūc de facto fit in aliquibus Episcopatibus.

Sacerdos proprius quis sit.

Secundo obseruandum est, quod nomine proprij sacerdotis solent iura vti ad nominandum ordinarium ministrum huius sacramenti. Theologi vero tres acceptiones distinguunt huius vocis. Prima est quæ significat omnem sacerdotem habentem iurisdictionem in hoc foro, siue illam ordinariam habeat, siue delegatam, ita vt proprius dicatur, qui ius habet administrandi hoc sacramentum, quocunque titulo, & modo illud habeat, distinguitur que ab eo, qui omnino est quasi alienus ab hoc ministerio. ita loquuntur S. Bonau. in 4. d. 17 p. 3. art. 1. q. 2. Ricar. art. 3. q. 1. Palud. q. 3. art. 2. & Syluest. verbo Confessor. 1. q. 1. imo iuxta hanc expositionem interpretantur cap. omnis vtriusque sexus. Sed hoc aperte repugnat illi textui, in quo proprius sacerdos distinguitur ab alieno, etiam si delegatam iurisdictionem habeat. *D. Bonau. Ricardus. Paludanus. Syluester.*

Secundo vox illa significare dicitur quemcunque pastorem animarum, qui in hoc foro habet iurisdictionem ordinariam, siue illa sit proxima, & immediata, qualis est in Parocho, siue sit vniuersalis, & quasi remota qualis est in Episcopo, vel summo Pontifice, ita vt non dicatur sacerdos proprius, vt distinguitur a communi, sed vt distinguitur ab alieno, ita vtuntur hac voce Gabr. d. 17. q. 2. art. 2. Medina cod. de confes. 9. de confessione fratribus priuilegiatis facta. Sotus. d. 18. q. 4. art. 2. & iuxta illā exponunt c. omnis vtriusque sexus. Tertio proprius sacerdos dicitur, qui proximam curam, & obligationem habet ex officio ministrandi fidelibus hoc sacramentum, vt notauit Cano in relect. de pœnit. p. 5. & 6: qui hoc modo exponit cap. omnis vtriusque sexus. & Extrauag. Martini scilicet atque ita in vna quaque ecclesia parochiali Parochus est proprius sacerdos omnium, qui intra terminos illius Parochiæ degunt, siue illi laici sint, siue sacerdotes, quod intelligitur per se loquendo, & seclusis priuilegijs, ita docent omnes. & est per se clarum: quia ille Parochus est proprius rector, & pastor immediatus illarum animarum. *Gabriel. Medina. Sotus. Canus.*

Scotus. Tertio obseruandum est ex Scoto in hac. q. quod ecclesia per illud cap. omnis vtriusque sexus, videtur specificare præceptum diuinum, quantum ad illud, cui facienda sit confessio, & hoc per illa verba proprio sacerdoti confiteatur: Nā ex prima institutione ecclesiæ non videntur fuisse distincti proprij sacerdotes: nam quando Apostoli discurrebant per varias orbis prouincias, & Ciuitates Dei verbum prædicantes, nullus sic erat proprius sacerdos alicuius gentis, quod non alterius; sed postea Diœceses fuere distinctæ, & etiam parochiæ, & similiter sacerdotes in parochijs. Proprius itaque sacerdos accipitur pro sacerdote habente iurisdictionem ad immediate absoluendum istum pœnitentem; secundum quem intellectum non specificatur præceptum diuinum per ecclesiam: quia generaliter includit præceptum diuinum, quod confessio fiat sacerdoti habenti iurisdictionem, & cum Papa possit committere illam immediatam iurisdictionem alicui sacerdoti, quam alius habet ordinariam videlicet Parochus, talis sacerdos commissarius potest fieri proprius sacerdos illi, qui alium habet sacerdotem proprium ordinarium, nimirum Parochum; atque ita per illa verba proprio sacerdoti, ecclesia non specificat præceptum diuinum, nisi dicatur, quod in primitiua ecclesia, quilibet sacerdos habuit iurisdictionem supra quemlibet pœnitentem, nunc autem singulis sacerdotibus determinati sunt singuli pœnitentes, vt subditi; quia quilibet Parochus habet aliquos subditos determinatos parochiæ suæ, & sic quilibet pœnitens, habet tres proprios sacerdotes, Papam, Episcopum, & proprium Parochum, & etiam Commissarium, vel delegatum a Papa, vel Episcopo suo. Nam vt inquit hic Doctor proprius sacerdos tripliciter sumi potest. Vno modo pro ordinario siue mediato, siue immediato & sic Papa, Episcopus, & Parochus sunt proprij sacerdotes; Secundo modo pro ordinario immediato, & sic Parochus dicitur proprius. Tertio modo pro quocunque habente iurisdictionem absoluendi, siue sit ordinarius, siue commissus, vel delegatus. In cap. autem omnis vtriusque sexus non potest accipi proprius sacerdos secundo modo: quia excluderetur Papa, & Episcopus, quod non conceditur: quia tūc nullus obediendo illi statuto, posset confiteri Papæ, aut suo Episcopo; nisi de licentia parochi, quod est absurdum: quoniam omnem potestatem recipit Parochus a superiore Episcopo, vel Papa sine diminutione potestatis superioris. Item quæro Parochus dans licentiam confitendi Papæ, vel Episcopo, quid confert eisque vel auctoritatem, quam non habent, & patet falsum cum Parochus omnem suam potestatem habeat ab eis, ergo Papa, & Episcopus concedentes illi potestatem, magis habent eam, alias quomodo darent. aut subijcit eis materiam, & hoc similiter est falsum, cum omnes fideles sint Papæ subiecti, & omnes Diœcesani Episcopo; Nec etiam sumitur tertio modo: quia tunc nullus sacerdos potens absoluere siue ordinaria, siue delegata iurisdictione esset *Sacerdos proprius tripliciter sumi potest*

esset alienus, & tunc similia adderetur in statuto, si quis alieno sacerdoti &c. quia accepta licentia, (qui prius fuit alienus dum non poterat absoluere) fit proprius, & ita non confitetur de licentia alieno sed proprio. Sumitur ergo primo modo pro habente iurisdictionem ad immediate absoluendum istum pœnitentem siue ordinariam illam habeat, siue delegatam. Non enim inquit Scotus sumitur proprius, vt proprius dicatur qui solus, & nullus alius, vel qui alitius & non alterius: quia plures possunt ex æquo præesse vni parochiæ, & vnus ex æquo absoluit omnes suos, atque ita multi non haberent proprios sacerdotes.

Postremo obseruandum est, quod ille dicitur proprius sacerdos (vt constat ex dictis & per se loquendo) cui ex proprio officio, & non ex alterius commissione incumbit cura animarum idest ratione beneficij curati, cuius titulum habet, huiusmodi est summus Pontifex in toto orbe, Episcopus in sua diœcesi, & Parochus in sua parochia. Reliqui confessarij dicuntur priuilegiati, quia de licentia proprij s. Papæ, vel Episcopi tale munus exercent, qui vero hac carent facultate dicuntur simplices sacerdotes; & est modo quæst. An liceat, & sufficiat confiteri simplici sacerdoti, vel sit necessarium confiteri proprio.

Pars negatiua, quod scilicet liceat simplici sacerdoti confiteri probatur: quia rum sacerdos ordinatur, vtranque recipit potestatem, absoluendi scilicet & consacrandi, & nullibi limitatur, ergo &c.

Secundo arguitur, quia confessio venialium potest fieri simplici sacerdoti, vt omnes fatentur, ergo & mortalium, patet consequentia: quia vtrobique requiritur iurisdictio, & absolutio venialium est vera & sacramentalis absolutio, ergo par est ratio.

Circa hanc quæstionem, quæ fusius disputabitur in materia de clauibus dist. sequent: obser. est primo quantum interfit inter potestatem ordinis, & iurisdictionis, & quid vtraque sit, & vtrunque explicat Turrecremata in summa de potestate ecclesiastica lib. 1. a cap. 33. vsque ad finem libri, & Castro de iusta hæreticorum punitione cap. 21. & Doctores Scolastici in 4. d. 18. de quorum omnium sententia, potestas ordinis est potestas, quæ datur alicui, quando recipit ordinem sacerdotalem, & hæc est duplex scilicet potestas supra corpus Christi verum, idest potestas consacrandi; & potestas supra corpus Christi mysticum idest potestas absoluendi a peccatis quodlibet membrum Christi, scilicet quemlibet baptizatum. Prima potestas traditur illis verbis. Accipe potestatem celebrandi pro viuis, & pro defunctis, Secunda traditur postea illis verbis. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. & vtraque vocatur potestas ordinis, & sacramentalis, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 39. artic. 3. dicitur ordinis, quia datur vtraque potestas, quando recipitur sacramentum ordinis sacerdotalis; & dicitur potestas sacramentalis a fine: quia vtraque datur ad confectionem sacramentorum scilicet ad confectionem Eucharistiæ, & ministrandum sacramentum pœnitentiæ. & præter has potestates, est alia potestas iurisdictionis, & est potestas, quæ datur iudicandi inter aliquos, veluti quando datur alicui iurisdictio, idest auctoritas coercendi aliquos, & dirimendi lites inter eos, & hæc est duplex vna in foro conscientiæ, altera in foro exteriori, prima est, quando aliquis instituitur confessor, tunc datur ei potestas iurisdictionis. Secunda est quando constituitur iudex ecclesiasticus siue prælatus, quia tunc datur ei potestas excommunicandi, & absoluendi.

Turrecremata. Castro.

Potestas ordinis quid sit, & quotuplex.

D. Thomas.

Potestas iurisdictionis quid, & quotuplex sit.

Secundo obseruandum est, contra Abulensem, quem refert Castro vbi supra, quod sacerdotibus in sua consecratione non datur potestas iurisdictionis, sed ordinis tantum, probatur, quia hæc est a Deo, & vocatur clauis; illa vero datur a Papa, vel Episcopo, & constat etiam a definitione iurisdictionis: idem enim est habere iurisdictionem, quod habere subditos, quibus possit habens iurisdictionem ius dicere, quod minime contingit simplicibus sacerdotibus, quando ordinantur; Cum ergo iudex dicatur relatiue ad subditos, & simplex sacerdos non habeat subditos, sequitur manifeste, quod non habet iurisdictionem.

Abulensis. Castro.

His rationibus respondet Abulensis, quod recipit sacerdos in sua consecratione potestatem iurisdictionis, ligatur tamen ab ecclesia. Sed hæc euasio nulla est: quia sequeretur, ex illa, quod hæreticus, & excommunicatus de facto possunt absoluere, sicut baptizare, & de facto possunt conficere Eucharistiam, quamuis sint depositi: quia potestas, quæ datur in consecratione sacerdotis est indelebilis, ergo si vera esset sententia Abulensis, quantumcunque prohiberentur absoluere, valeret absolutio, quod est erroneum, ergo & illud ex quo sequitur. Et si quæras, quid est igitur hæc potestas ordinis, quæ datur supra corpus Christi mysticum idest ad absoluendum fideles, si pro tunc nulla tribuitur. Respondeo quod est potestas proferendi sententiam absolutionis in subditos, quos ex tunc potest habere, quamuis non habeat illos, & vt vno verbo dicam, potestas ordinis est potestas, & capacitas habendi iurisdictionem, hoc est habendi subditos in foro animæ, & quia hanc potestatem soli ordinati ordine sacerdotali habere possunt, ideo dicitur potestas ordinis: est enim analogia, esto quod nullus nisi Doctor Theologus possit effici Cardinalis in hoc euentu cum primum aliquis acceperit gradum Doctoratus, acciperet etiam potestatem confitendi, & iudicandi in causis fidei non tamen acciperet iurisdictionem, donec constitueretur Cardinalis, similiter in proposito.

His obseruatis sit vnica conclusio. Confessio necessario debet fieri proprio sacerdoti, vel alieno de licentia proprij petita, & obtenta: patet quia nullus alius habet potestatem iurisdictionis, licet habeat ordinis, & tandem definita est hæc veritas in Concilio Lateran. vt constat ex cap. omnis vtriusque sexus.

Concil. Lateran.

Et si quæras quisnam sit confessor proprius cuiuscunque status. Dico primo, quod Papa potest confiteri cuicunque simplici sacerdoti, de qua re late diximus supra.

Quis sit proprius sacerdos cuiuscunque status.

Dico secundo. Cardinalium, & familiarium Papæ in curia existentium proprius sacerdos est pœnitentiarius ipsius Papæ, vel ipse Papa, vel quem ipsi designant, dixi in curia existentium: nam si inde discedant non vtuntur hoc priuilegio, sed communi iure.

Dico tertio. Familiæ Cardinalium, qui actu sunt de eorum familia est sacerdos proprius vel ipse Cardinalis, vel alius, quem ipse delegauerit, Nam quisque Cardinalis est quasi proprius sacerdos suæ familiæ, & potest per se vel per alium hoc munus exercere; vel si ipse non sit sacerdos, potest delegare hanc potestatem.

Dico quarto. Episcopi & reliqui Prælati exempti idest immediati Papæ in foro interiori, vt sunt Generales ordinum, & Abbates exempti, vt Alensis, & Pientianus, hi omnes habent a iure facultatem eligendi sibi confessorem, quemlibet simplicem sacerdotem, vt patet in cap. finali de pœnit. & remiss. cuius verba sunt. Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum permittimus Episcopis, & alijs superioribus, necnon minoribus Prælatis exemptis, vt etiam præter sui superioris licentiam prouidum, & discretum sibi possint eligere confessorem, & propter hæc vltima verba, est inter Doctores controuersia; An Prouinciales, Abbates D. Benedicti, & Bernardi, Guardiani, & Priores aliorum ordinum possint frui hoc priuilegio. Qua in re Syluest. verbo Confessor. 1. §. 8. duas refert contrarias opiniones. Prima est Abbatis in d. cap. fina. quem sequitur Angelus confessio. 3. nu. 5. hi tenent quod prædictum priuilegium non extenditur ad Prælatos supradictos: quia absolute non dicuntur prælati exempti, si quidem in foro etiam interiori, Prouinciales subduntur Generalibus, & Guardiani prouincialibus, nec etiam currit ratio textus, scilicet periculum dilationis pœnitentiæ, si oporteret semper recurrere ad Papam, possunt enim recurrere ad Prouincialem, & prouinciales ad Generalem.

Syluester. Abbas. Angelus.

Contraria opinio est Paludani, & Hostien. quos refert, & sequitur Syluest. & ratio horum est: quia textus indistincte concedit hoc priuilegium prælatis exemptis. cap. ordinarij, sed Prouinciales, & Guardiani sunt huiusmodi ergo &c. & horum opinioni maxime suffragantur verba textus, etiam præter sui superioris licentiam prouidum, & discretum sibi possint eligere confessorem; vtraque opinio est probabilis, & graues habet patronos, sed prima est securior cui suffragatur aliquo modo consuetudo.

Paludanus. Hostiensis. Syluester.

Pro qua dico quinto, quod Prouinciales possunt sibi eligere confessorem, patet ex rationibus secundæ sententiæ consuetudine firmatis. Vnde sæpe in nostris priuilegijs, & constitutionibus dicitur hos habere iurisdictionem quasi episcopalem.

Dico sexto. Guardiani, Priores, & reliqui inferiores prælati nequeunt simplici sacerdoti confiteri, probatur ex vsu,

& quia

& quia ratio textus non currit, quod intellige ex propria officij prædictorum auctoritate. Si enim in aliqua constitutione alicuius ordinis contrarium fuerit illis permissum, tunc poterunt confessorem sibi eligere virtute illius concessionis.

Ex his tribus vltimis conclusionibus sequitur, quod Prælati exempti, qui confitentur auctoritate Papæ, non habent aliquem casum reseruatum suo superiori præter excommunicationem latam ab ipso, patet quia inferior non potest limitare concessionem superioris; ergo si Abbas puta Anglatiensis auctoritate Papæ eligit confessorem, non potest Episcopus reseruare sibi aliquem casum & similiter Metropolitanus respectu Episcopi suffraganeis, nec Generalis, respectu Prouincialis. Possunt vero hi omnes excommunicare in foro exteriori quemlibet istorum sibi subditorum; & hactenus de prælatis ecclesiasticis. Reliqui enim aliquam habentes ecclesiasticam dignitatem, vt Decanus, Archidiaconus, Archipresbyter, vel Canonici, & Parochi, certum est, quod nequeunt confiteri absque Episcopi auctoritate, licet enim olim eis liceret, imo etiam omnibus simplicibus sacerdotibus ex consuetudine tacite approbata ab Episcopo, sibi eligere confessorem, quemcunque simplicem sacerdotem, vt notat Caiet. verbo absolutio, modo vero hæc consuetudo abrogata est per Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. sub his verbis. *Caietanus. Conc. Trid.* Decernit sancta synodus nullum etiam regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum audire, neque ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur. Restat agere de subditis regularibus, & de sæcularibus.

Dico septimo. Vniuersi religiosi nequeunt confiteri nisi suo prælato, vel de eius licentia, patet ex dicto cap. omnis vtriusque sexus. ex quo sequitur, quod possunt Prælati religiosorum conferre eis facultatem confitendi alteri religioso, vel sæculari nondum Confessori instituto; nec hoc est cõtra prædictum decretum Cõcilij Trid. quia ibi præcipitur, ne aliquis etiã religiosus audiat confessiones sæculariũ, etiã sacerdotum, nisi prius iudicetur idoneus ab Episcopo, quod quidẽ est verũ de sacerdotibus subditis Episcopo; ad audiendam vero confessionem alicuius religiosi, non requiritur approbatio Episcopi, siquidem religiosi non sunt subditi Episcopo, igitur satis erit iuxta prædictum cap. omnis &c. confiteri proprio, vel alieno de eius licentia.

Dico octauo. Quod Religiosi vnius ordinis absque licẽtia petita, & obtenta suorũ Prælatorũ nequeunt cõfiteri sacerdotibus alterius ordinis, etiam institutis confessoribus sæculariũ, hæc conclusio definita est in extrauag. inter cũctas, vt Benedictus. 11. sic aũ. electi ab eisdem fratribus ad confessiones audiendas libere exemptorum & non exemptorum, qui ad confitendum accedunt audiant eos peccata sua confiteri volentes non religiosos. qui secundum statuta suorum ordinum proprijs Prælatis confiteri debent, aut ab eis prohibentur, ne alijs confiteantur. Sed propter hæc verba, quæ sunt de iure communi, & propter alia multa priuilegia concessa superioribus Religionum maxime mendicantiũ, exortũ est graue dubiũ, An scil. religiosi mẽdicantes possint eligere confessorẽ, virtute Iubilæi, & bullæ cruciatæ, & priuilegiorũ in ea cõtentis absque speciali suorũ Prælatorũ licẽtia.

Partem negatiuam tuentur grauissimi viri nostri tẽporis, quod probant, quia licet Religiosi omnes iure cõmuni possint lucrari omnes indulgentias cæteris Christianis cõmuniter concessas, licet concedantur ab Episcopo Diœcesano sub cuius potestate non sunt, vt docet D. Thomas in add. ad 3. p. q. 27. art. 2. & late probat Corduba. q. 3. de Indulg. dub. 2. per multa tamen priuilegia mendicantibus concessa, cautũ est, ne quis eorũ dictã Bullã recipiat absque expressa licentia suorũ Prouincialiũ, & hoc sub pena excõmunicationis latæ sententiæ, vt late habetur in nostro cõpendio Priuilegiorũ verbo absolutio ordinaria quo ad fratres. §. 12. 17. & 18. & verbo Cruciata per totũ. Et confirmatur verbis ipsius Bullæ, vbi suspenduntur per annum publicationis omnia priuilegia, &c. demptis illis, quæ sunt concessa superioribus ordinum mendicantium, sed talia sunt supradicta, ergo non suspenduntur per cruciatã, & per consequens fratres ordinũ mendicantiũ nequeunt vti bulla absente prædicta licentia. *D. Thomas. Corduba.*

Sed his non obstantibus contraria sententia probabilior est. probatur primo: quia fratres capaces sunt spiritualium priuilegiorum, etiam sine licentia superiorum vt dictum est ex D. Thoma, & clarius docet Nauar. in miscellaneis quæstionibus. *Nauar.* Secundo probatur ex verbis in exordio bullæ contentis vbi expresse conceditur indulgentia communitatibus, vel conuentibus mittentibus milites, vel adiuuantibus &c. & addit Pontifex licet sint ex ordinibus mendicantiũ, ecce quõ cõceditur mendicantibus licẽtia vtẽdi hac Bulla.

Vnde dico, quod quando probabiliter constat de voluntate Papæ, quod fratres possint tali bulla gaudere, tunc fratres etiam sine licentia prælatorum possunt eam accipere, & ea gaudere pro lucrandis indulgentijs, pro absolutionibus a censuris, & dispensationibus commodis, & opportunis ad serenitatem conscientiæ habendis a confessoribus intra ordinem, & in foro conscientiæ. Idem dico quando Papa propter specialem necessitatem ecclesiæ concedit Iubilæum, & præcipit seu statuit, quod omnes Christiani etiam religiosi, confiteantur, ieiunent, & orẽt, & recipiant sacram. Euchar. infra tot dies, & ad hoc melius faciendum concedit auctoritatem confitendi cuilibet, & absoluendi de omnibus etiam reseruatis quibuscunque & quomodocunque (vt in nostris temporibus sæpe concessum est) in tali casu probabiliter teneo, quod etiam nos fratres minores sine alia licentia prælatorum possumus confiteri, & absolui intra ordinem tantum, & semel pro hac vice etiam de reseruatis ministris prouincialibus, & gaudere tali concessione inquantum eius verba patiuntur: quia talis videtur intentio Papæ. Et confirmatur quia si de licentia Prælatorum possumus accipere bullas, & eis gaudere, quo ad omnia ibi cõtenta, quo ad absolutiones etiam de reseruatis, &c. & quando de licentia talium Prælatorum prædicta fiunt, tunc non vergunt in deformationem religionis & sunt licita; quare ergo non potius licebit de licentia, & concessione Papæ? & quare potius tunc vergunt in deformationem religionis?

Ad opposita in contrarium dico quod vera sunt generaliter loquendo, dum scilicet Papa non concedit per quod derogentur præfata priuilegia; Nunc autem nos locuti sumus, quando constat Papam concedere in suis bullis, quod etiam nos fratres minores possimus eas accipere, & vti ipsis per omnia & iam sine licentia Prælatorum, quia tunc solum possumus eis vti vt dictum est. Constat autem quod Papa potest sic concedere non obstante prohibitione Leonis X. quia par in parem non habet imperium; & supponitur quod sic Papa vult concedere.

Dico nono. Rex subditur in foro interiori proprio Episcopo diœcesis, vbi adest curia, vel ipse habitat, & Parocho in cuius parochia est domus regia, vterque enim est proprius. & idem videtur asserendum de Imperatore, licet Paludanus vbi supra communiter receptus, affirmat quod potest ex tacita Papæ facultate confiteri proprijs Capellanis, licet fuerint simplices sacerdotes. *Paludanus.*

Dico decimo. Vagabundi hoc est illi, qui nullibi habent domicilium, & peregrini, qui ratione deuotionis peregrinantur, & etiam viatores, qui absunt ad tempus a proprio domicilio, omnes hi vbicunque fuerint possunt confiteri Curato illius Parochiæ, vbi hospitantur, aut fratribus priuilegiatis, aut confessoribus pro tota illa diœcesi constitutis; hoc patet ex concessione Eugenij IV. in quadam extrauag. cuius meminit Caiet. qui eam limitat solum ad tempus, quando confessio est sub præcepto, vt in paschate, sed melius Soto eam extendit etiam ad confessiones spontaneas: quia quando lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. *Caietanus. Sotus.* Sed circa horum confessionem aduerte, quod subduntur circa casus reseruatos de iure Episcopo illius diœcesis, vbi confitentur, cæterum si peregrinus habeat aliquẽ casum reseruatum suo Episcopo, debet petere specialem facultatem ab eo, quando recedit a loco, aliter non potest absolui, vide Sotum. d. 18. q. 4. art. 2. vbi de Scholasticis qui Salamanticæ, vel in alia vniuersitate adsunt etiam disputat pro quibus. *Sotus.*

Dico vndecimo. Prædicti Scholastici tenentur confiteri Parocho illius Parochiæ, vbi habẽt domicilium, patet: quia est proprius eorum sacerdos, a quo possunt & debent cætera petere sacramenta, ex quo sequitur, quod quantum ad forum cõscientiæ subduntur Episcopo, a quo forte potest commutare eorum vota, & dispensare, &c. suo autem Cancellario, siue Rectori subduntur quo ad forum exterius.

Dico duodecimo. Ratione delicti cõmissi in aliena diœcesi, vel parochia tenetur aliquis confiteri alieno sacerdoti. v. g. si in Parochia D. Petri specialiter fuerit excommunicatio la-

tio latæ sententiæ contra sacrilegos, & ibi Parochianus sancti Ioannis sacrilegium committat, absoluendus est a cura to S. Petri prout definitum est cap. 1. de Recriptis; sed oppositum existimo certum loquẽdo de culpa (quicquid dicant D. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 2. & Adrianus. d. 17. q. 7.) itaque si aliquis subditus Episcopatus A retini in Cortonensi Episcopatu peccauit mortaliter non debet, nec potest per se loquendo absolui in hoc foro ab illo delicto ab Episcopo, vel ordinarijs ministris Episcopatus Cortonensis, in quo peccauit, sed a suo Episcopo vel Parocho, aut ex licentia eius ita docet Syluest. Confessor. 1. q. 13. & Nauar. in cap. placuit. de pœnit. d. 6 num. 33.

D. Anton. Adrianus.

Syluester. Nauar.

Ad rationes pro sententia Abulensis respondetur, negando consequentiam. Non enim sequitur habet potestatem ordinis, ergo & iurisdictionis.

Ad secundum. Respondent aliqui, quod sacerdotes in sua consecratione recipiunt iurisdictionem respectu venialium. Alij dicunt hanc habere ex tacita concessione ecclesię. Alij vero, quod quia venialia, & mortalia iam confessa, nõ sunt necessaria materia confessionis, ita pœnitens sicut posset ea omnino non confiteri ita poterit cui maluerit confiteri; sola enim potestas ordinis requiritur: quia licet absolutio illa sacramentalis sit, & vera; quando nulla inuenitur cogendi vis, non apparet propria ratio iurisdictionis, hæc vltima solutio placuit Soto vbi supra, licet non credat idem habendum esse iudicium de mortalibus iam dimissis; sed immerito; par est enim vtrorumque ratio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum licitum sit alteri, quam proprio sacerdoti ex priuilegio confiteri.

PRo explicatione huius difficultatis obser. est, quod licet de iure communi teneatur pœnitens confiteri proprio sacerdoti, ex priuilegio tamen potest etiam alieno cõfiteri, vt statim videbimus; sed dubium est, an propter malitiã vel ignorãtiam proprij sacerdotis possit aliquis confiteri alieno non obtenta licentia a proprio. D. Thomas. d. 18. contra multos Doctores, quos refert Syluest. verbo Confessor. 1. §. 6 respondet quod non; quia Concilium Lateran. absolute loquitur dicens, quod volens confiteri alieno petat licentiam, & obtineat a proprio, ergo absolute est intelligẽdum. Tũ quia malitia neminem ipso facto priuat a iurisdictione vt definitum est in Concilio Constan. contra Ioannem Vuicleph; & si dicas in cap. placuit. de pœnit. d. 6. dicitur quod ignorãtia sacerdotis plerunque irritat confessionem, Respondeo illa verba intelligi de alieno, quando aliquis de industria, quærit alienum ignorantem, vel intelligenda sunt de quocunque ignorante confessore prætermittente aliquid in cõfessione necessarium.

D. Thomas. Syluester. Conc. Const.

Ex hoc sequitur primum, quod si aliquis timet rationabiliter aliquod spirituale, vel temporale non parumpendendum periculum, si confiteatur proprio vt si aliqua mulier timet, quod si compareat coram Parocho inducet eam ad malum & tenetur confiteri alieno de licentia proprij; si autem illã nequeat obtinere non tenebitur illo anno ad confessionem, quia non habet copiam sufficientis confessoris.

Secundo sequitur solutio alterius quæst. quam mouet Ricar. d. 17. art. 3. q. 7. ar. 5. Concubina proprij curati peccet ei confitendo; & respondetur quod si timet, quod inter confitendum dabit ei occasionem peccandi, non potest ei confiteri: quia ponit obicem sacramento, sin minus ei confiteatur.

Ricardus.

Tertio sequitur, quod Parochus tenetur audire cõfessiones subditorum, quoties per annum eis placuerit confiteri: patet quia proprius sacerdos ex officio tenetur pascere gregem, & in viã charitatis reducere vt dicitur Ezechielis 33. sed non est alia via certior ad charitatem obtinendam, quã per confessionem, ergo &c. hoc est contra Ricar. d. 18. art. 2 q. 3. affirmantem, quod non tenetur Curatus tentione necessitatis audire confessiones subditorum, nisi tantum semel in singulis annis, quod si pœnitens voluerit plures confiteri accedat prius ad proprium, quod si fuerit ab eo expulsus, poterit confiteri alieno; quia Curatus eum expellendo tacite concedit licentiam confiteri alieno. Sed fallitur Ricar. tum propter rationes dictas, tum etiam quia Curatus nequit concedere facultatem confitendi alieno, hoc est simplici sacerdoti; quicquid enim sit de illis, quæ olim licebãt: modo vero post Tridentinam Synodum nullus habet iurisdictionem ad confessiones audiendas, nisi fuerit a Pontifice summo, vel ab Episcopo approbatus, & ad illud munus exercendum licentiam obtinuerit, cuius tenor est respiciendus. Si enim absolute conceditur alicui licentia administrandi sacramenta in omni episcopatu, omnes possunt ei confiteri sine licentia curati, quia Episcopus est proprius, & libere potuit illam concedere facultatem; si autem limitatur ad voluntatem Curatorum, absolute expectanda est facultas Curati; si vero nec absolute conceditur, nec absolute limitatur, sed sub hoc tenore confertur, concedimus facultatem. N. administrandi sacramentum confessionis sine præiudicio facultatis curatorum in hoc euentu petenda est facultas Curati in confessione annuali; minime autem alijs temporibus, sed aduerte, quod licet clausula hæc adhibeatur licentijs, quæ communiter Episcopi concedunt confessoribus ordinum mendicantium, nullius est siugis. Illi enim sunt Apostolici confessores; & Episcopi ex commissione Papæ, & Concilij possunt examinare, & approbare, vel reijcere illos Confessores, quibus Pontifex proprius totius orbis confessor eligit, ex quo sequitur, quod habita Episcopi approbatione familares possunt illis confiteri etiam inuito Curato; & similiter alijs Curatis vel sacerdotibus approbatis, si pœnitens habeat bullam cruciatæ propter eamdem rationem: conceditur enim in illo priuilegio facultas a Pontifice summo eligendi quencumque confessorem approbatum ab Episcopo, ergo Curatus nequit limitase hanc facultatem.

Ricardus.

Respondendo modo ad propositam quæst. Probatur pars negatiua per extrauag. Martini V. quam refert Adrianus quæst. 5. de Confes. §. 5. volumus autem inquit Martinus. V. quod hi qui fratri tunc confitebuntur eisdem suis sacerdotibus Parochialibus semel saltem in anno confiteri teneantur, prout generale Concilium statuit. Et confirmatur per extrauag. Syxti IV. de discordijs inter Religiosos, & Rectores ecclesiarum, vbi idem videtur asseruisse, quod quidem est de iure canonico; imo & iuxta diuinum: dicitur enim Prouer. 27. Prælatis; Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera, ergo oues tenentur coram eo comparere.

Adrianus.

Circa hãc quæst. duo referuntur errores. Primus est Henrici de Gandauo quol. 2. q. 26. & quol. 10. q. 1. asserentis, Papam non posse concedere fidelibus, vt proprio Parocho saltem semel in anno non confiteantur, quia contrarium sancitum est iuxta ius diuinum. Idem sentit Durandus in 4. d. 17. q. 2. & in eadem sententia fuit Academia Parisiensis. Refert enim Maior. d. 17. q. 6. Cum Tornaci quidam Ioannes de Angelis prædicasset Parochianum confessum intra annum fratribus priuilegiatis, non teneri iterum confiteri suo Parocho, Academiam Parisiensem sententiam illam, vt scandalosam, & iuri contrariam damnasse.

Henricus.

Durandus.

Maior.

Secundus error, & multo deterior, est cuiusdam Ioannis Poliaci affirmantis, quod neque Deus hoc potest concedere priuilegium Parochianis, quia repugnat, quod curatus sit proprius sacerdos, & non habeat facultatem cogendi subditos; sed vtraque dementia facile reijcitur aduertendo, quod non solum dicitur proprius sacerdos. Curatus, sed Papa, & Episcopus, siquidem iurisdictionem habent ordinariam, imo & multo melius, siquidem Episcopus potest limitare iurisdictionem Curatorum ex cap. cunctis. 16. q. 1. & non e contra.

Ioannes de Poliaco.

Proprius sacerdos qui dicatur.

Sit prima conclusio ex prædicto fundamento notissima. Episcopus potest committere cuicunque sacerdoti non impedito facultatem audiendi confessiones suorum subditorum, patet, quia est proprius sacerdos, & superior Curato.

Secunda conclusio. Confessio facta priuilegiatis valida est, nec tenetur, qui eam fecit, iterum illo anno proprio confiteri; patet quia confessus est alieno de licentia proprij, & ad nihil aliud tenetur quis per dictum cap. omnis vtriusque sexus. Hæc conclusio definita est per Benedictum. XI. in extrauag. inter cunctas. de priuilegijs. Ne sequatur, (inquit) absurdum, vt peccata semel remissa aliquis confiteri teneatur, & liberatus debitor, iterum soluere co-

re cogatur. definitur etiam a Ioan. XXII. in extrau. Vas electionis. de hæreticis & per Leonem. X. in nostro Priuilegiorum compēdio verbo absolutio, quo ad seculares. 1. §. 15.

Vnde ad extrauag. Martini Respondetur esse reuocatum per Leonem X. quæ quidem litteræ Martini, nec sunt in corpore iuris, nec in vsu: Ad extrauag. Sixti IV. Respondetur, quod Sixtus IV. non præcipit, vt confessis fratribus priuilegiatis, iterum teneantur eodem anno confiteri proprio sacerdoti; sed prohibuit, ne fratres absolute prædicent, quod parochiani non teneantur confiteri Parochis, illi enim sunt pastores, & tenentur cognoscere vultum pecoris sui ignaris consulendo, docendo, & corrigendo &c. & si priuilegiato confiteantur debent certiorem facere curatum, aut ei iterum confiteri. Vnde illa verba. Ipsi mendicantes desistant prædicare, quod parochiani non sint obligati, saltem in paschate proprio confiteri sacerdoti: quia de iure tenetur Parochianus saltem in paschate proprio confiteri sacerdoti, exponenda sunt; constat enim loquendo de proprio præcepto confessionis non teneri fideles ad confitendū in paschate suis parochis, sed tantum semel in anno in quocunque tempore illius, ad communionem autem tenentur præcise tempore paschatis, & consequenter ad confessionem, quatenus ad communionem necessaria esse potest, scilicet si is qui communicaturus est, conscientiam habeat peccati mortalis, de hac ergo obligatione tantum locutus est Pontifex. Vnde non dixit teneri fideles ad confitendum in paschate omnia peccata, quæ intra annum commiserunt; sed simpliciter ad confitendum quantum videlicet indiguerint ad communicandum, nam si conscientiam peccati mortalis non habuerint satisfacient dicendo suo Parocho, se non grauari conscientia peccati mortalis, quod ipse in foro conscientiæ credere tenetur, vt Scotus supra dixit. Hoc autem nihil derogat priuilegijs religiosorum, quominus plenam, & absolutam iurisdictionem habeant ad confessiones audiēdas, per quas tam diuinum, quam ecclesiasticum præceptū impleatur. Vide Ricar. dist. 17. art. 3. q. 2. Duran. ibidem qu. 12. Adrianum vbi supra, & Maiorem. q. 6.

Ricardus. Durandus. Adrianus. Maior.

An religiosi inuito prælato possint cōfessiones audire Angelus. Adrianus.

Sed dubitatur primo. Vtrum religiosi inuito prælato possint per facultatem Episcopi audire confessiones. Partem negatiuam tuetur Angelus, quem refert Adrianus. quæst. 1. de confessione, dubio primo & probatur quia regulares non habent voluntatem nisi voluntatem prælatorum, neque possunt hac de causa esse iudices in foro exteriori, ergo neque similiter possunt esse iudices in foro interiori, nec absolutio valida erit: patet consequentia: quia si aliquis sacerdos non haberet voluntatem absoluendi, non valeret talis absolutio, quamuis illam oretenus proferret, sed prælatus non vult, quod subditus absoluat aliquem, ergo non valet talis absolutio.

Contraria sententia, & verior est Adriani ubi supra, sed quia confuse loquitur absoluenda est aliquibus conclusionibus. Prima conclusio. Regularis non institutus confessor a suo Prælato, si non sit suspensus, aut excommunicatus sola Episcopi auctoritate potest audire confessiones; patet quia habet potestatem ordinis indelebilem, per quam est indelebiliter capax iurisdictionis: ergo si hanc habet iurisdictionem a proprio sacerdote, qualis est Episcopus, nihil restat quominus absolutio teneat. Sed dices propter eamdem rationem suspensus, & excommunicatus esset capax iurisdictionis, siquidem habet caracterem indelebilem. Respondeo concedendo totum, si Papa hoc vellet, imo de facto excommunicatus potest absoluere in art. mortis, vt infra dicemus; sed quia nullus potest habere iurisdictionem prohibente Papa, ideo excommunicatus non habet iurisdictione, neque Episcopus potest eam illi dare.

Secunda conclusio. Regularis confessionem audiens inuito Prælato peccaret contra obedientiam, & hoc tantū probat argumentum Angeli, si autem præciperetur ei, ne confessiones audiat, sub excommunicationis, vel suspensionis pœna, tunc non teneret absolutio propter rationem dictā.

Tertia conclusio. Confessores sic instituti a solo Episcopo non fruuntur priuilegiis concessis confessoribus illius ordinis, sed tantum auctoritate concessa ab ipso Episcopo, probatur: quia si vet. gra. mendicantes possunt absoluere a peccatis episcopo reseruatis, dummodo illi præsententur, hoc habent quia sunt confessores apostolici iurisdictionem habentes a Papa, & præsētatio, vel approbatio Episcopi se habet sicut causa sine qua non, ergo qui non eliguntur confessores iuxta statuta sui ordinis (cui tale priuilegium est concessum) non gaudent illo.

An confessor præsentatus Episcopo possit audire confessiones subditorum illius Episcopi extra diœcesim.

Secundo dubitatur. An confessor præsentatus Episcopo possit audire confessiones subditorum illius Episcopi extra diœcesim. Respondetur affirmatiue; quia sicut Parochus pōt audire extra suam Parochiam sibi subditos, similiter priuilegiatus, qui audit confessiones in hac diœcesi auctoritate Episcopi, potest etiam extra hanc diœcesim audire subditos eiusdem Episcopi. Et si dicas in Clem. dubium. de sepult. §. deinde habentur hæc verba. Extra ciuitates, & diœceses in quibus fuerint deputati Confessores confessiones non audiant. Respondetur de mente omnium sensum esse, quod præsentatus in vna diœcesi non censeatur præsentatus in alia, ita vt absolute possit subditos alterius Episcopi, vel publice hoc; vel aliud administrare sacramentum in diœcesi, vbi non est præsentatus, non autem loquitur textus de casu nostræ conclusionis.

An frater minor præsentatus in aliqua diœcesi teneatur præsentari in alia. Corduba.

Tertio dubitatur. Vtrum frater ex aliquo mendicantium ordine semel præsentatus in aliqua diœcesi, teneatur præsentari iterū in illa, vel alia diœcesi. quæst. hæc proponitur propter concessionem Clementis VII. cuius meminit Corduba in annotationibus ad compendium verbo absolutio quo ad seculares. 1 §. 16. vbi ait circa concessionem Clementis VII. dubitat Collector, quomodo sit intelligenda, & opinatur, quod sit intelligenda stricte, s. quod confessor semel præsentatus non teneatur iterum in eadem diœcesi se præsentare, & censetur præsentatus in eadem diœcesi &c. Tu dic, vt dicit quidam frater huius familiæ satis eruditus, & fide dignus, quod debet intelligi late sic, scilicet quod confessor semel debite præsentatus, non tenetur amplius præsentari in eadem diœcesi, nec in alia quacunque ad quam se transtulerit ad morandum ad tempus, vel in perpetuum, sed iam censetur semper, & vbique debite præsentatus, & ratio est, quia intentio impetrantis hanc concessionem fuit talis, (vt ipsemet impetrator dixit) & intentio Papæ concedentis conformatur intentioni impetrantis, nisi aliunde sit dolus, vt est communis practica de regulis Iuristarum, hactenus Corduba. verum prior est opinio secura, & in vsu. Cæterum si pœnitens habet bullam cruciatæ bene potest eligere fratrem præsentatum, in quacunque diœcesi, tum propter prædictam concessionem, tum etiam quia sic vsu est interpretata.

An regularis Episcopo præsentatus possit absoluere aliquem in sua diœcesi Episcopo inuito.

Dubitatur quarto. An religiosus seu regularis Episcopo præsentatus possit absoluere aliquem in sua diœcesi inuito, vel non approbante ipso Episcopo. Respondetur negatiue post Concilium Trident. vt dictum est supra. Olim autem inuito Episcopo poterant religiosi audire confessiones, dummodo præsentarentur eidem Episcopo, prout definitur in dicta Clemen. dudum. §. Si idem prælati, quæ quo ad hoc tantum fuit reuocata, cætera vero in suo robore manent.

An liceat fratrib. priuilegiatis absoluere a casibus reseruatis Episcopo. Sotus.

Dubitatur quinto. An liceat fratrib. priuilegiatis ab Episcopo approbatis absoluere a casib. reseruatis ipsi Episcopo sine eius auctoritate. Partē negatiuā vt tutiorem defendit Sotus. d. 18. q. 4 art. 3. quem quam plurimi sequuntur maxime in præsentia Episcopi cum in absens est euidens adest concessio Sixti IV. vt patet in cōpendio verbo absolutio, quoad seculares. 1, §. 16. iuxta quā prouinciales, siue guardiani possunt eligere in quolibet cōuentu quatuor Cōfessores, qui possunt absoluere pœnitentes a peccatis reseruatis Episcopis, & ab excommunicatione a iure, dummodo non sit in bulla cęnę Domini, & vota peregrinationis, & abstinentiæ commutare.

Pro solutione difficultatis dico primo. Religiosos ex vi iuris cōis non habere hanc ptātem absoluēdi a casibus reseruatis Episcopo absq; eius licentia. quia in Clem. dudum de priuilegiis declaratur ex vi illius concessionis non habere maiorē facultatē absoluendi a peccatis, quam Parochos ordinarios, illi aūt non habēt facultatē absoluendi a reseruatis Episcopo, ergo &c. Item in Clem. religiosi, de priuileg. §. Quib. præcipitur religiosis sub interminatione maledictionis æternæ, ne a casibus Sedi Apostolicæ, aut locorum ordinarijs reseruatis quemquam absoluant.

Dico secundo ex vi horū iurū religiosos nō hēre minorē ptātem, quā Parochos, & ideo si Episcopi vellent aliqua peccata specialiter reseruare respectu religiosorum, quæ non essent reseruata respectu parochorum, non possent id facere, nec valeret reseruatio: quia est contra illud ius.

Dico tertio, quod Mendicantes ab Episcopo approbati absque eius commissione possunt absoluere pœnitentes a

peccatis Episcopo reseruatis, vt patet per plura priuilegia, quorum non meminit Concilium vt reuocet, immo sunt per ipsum Concilium confirmata: nam sess. 25. capit. vigesimo. in fine confirmantur omnia nostra priuilegia, quæ non sunt specialiter per ipsum Concilium reuocata sub his verbis. In cæteris omnibus præfatorum ordinum priuilegia, & facultates, quæ ipsorum personas, loca, & iura concernunt, firma sint & illæsa. Et aduerte quod licet Cōgregatio Card. respondens B. Carolo Borromeo, tunc Archiepiscopo Mediolanensi, dixerit non posse Religiosos per priuilegia Maris magni, quod appellant, absoluere a reseruatis Episcopo, nihilominus non excluduntur specialia priuilegia, vel directe concessa, vel per communicationem, si in eis facultas hæc sufficienter explicetur. hanc sententiam defendunt Angelus confessio. 3. numero 28. Syluest. confessor. 2. quæst. 5. Gabriel. dist. 17. quæst. 2. artic. 3. dub. 3. Corduba in summa, quos sequitur Medina in summa, & addit quod possunt absoluere a suspensione ex delicto prouenientem. Idem docet Henricus Henriquez in summa Theologiæ de pœnit. lib. 6. cap. 6. numero septimo, & in Glossa sub lit. O. & Q. vbi post multos grauissimos Theologos, & iuris peritos ab eo relatos ita practicari testatur; hanc sententiam tenui, & ipse ante decretum Clementis VIII. quo iubet, & præcipit omnibus sacerdotibus iam secularibus, quam regularibus per vniuersam Italiam extra Vrbem degentibus ad confessiones audiendas probatis, quorumuis ordinum etiam Mendicantium, Militarum, aut congregationum, etiam Societatis Iesu, & generaliter quarumcunque aliarum quouis nomine nuncupentur, ne quis eorum sub prætextu priuilegiorum, indultorum, aut facultatum, generaliter, vel specifice, aut viuę vocis oraculo, vel per communicationem a Sede Apostolica, vel eius auctoritate, eorum ordinibus &c. ab vllo ex casibus clare, vel dubie in Bulla die cœnæ Domini legi solita contentis, vel alias quomodocunque Sedi Apostolicæ reseruatis, aut in futurum per sanctitatem suam, eiusue successores pro tempore in eadem bulla, vel aliter reseruandis, nec etiam a casibus, quos ordinarij locorum hactenus reseruarunt, vel in posterum sibi reseruabunt nullo casu etiam necessitatis, vel impedimenti, nisi in mortis articulo, seu cum noua suæ sanctitatis, aut successorum suorum, vel ordinariorum, quo ad casus tantum reseruatos respectiue impertata in scriptis licentia ordinariis locorum exhibenda absolutionis beneficium de cætero impendere audeat, vel præsumat, & cet. & adiungit pœnam excommunicationis, priuationis officiorum, & dignitatum, & beneficiorum, & inhabilitatis audiendi confessiones, & ad quæcunque officia, prælaturas, beneficia in posterum obtinenda ipso facto, cum reseruatione absolutionis, habilitationis, & dispensationis ipsi Romano Pontifici, sub datum Romæ die nona Mensis Ianuarij 1601. Vide tamen eiusdem decreti moderationem apud Confectum. tit. 17. ca. 7. Vnde iuxta hoc decretum non possunt modo Mendicantes absque licentia Episcoporum a casibus reseruatis Episcopis absoluere.

Angelus. Syluester. Gabriel. Corduba. Medina. Henricus.

Dico quarto, quod Mendicantes non possunt dispensare in casibus Episcopo reseruatis, vt cum incestuario ad petendum debitum &c. patet, quia non agitur in dictis priuilegiis nisi de absolutione peccatorum.

Dico quinto, quod nec possunt absoluere a peccatis, a quibus potest Episcopus, non a iure, sed ex aliqua commissione Pontificis, v. g. in Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. conceditur Episcopis auctoritas absoluendi a peccatis etiam Papæ reseruatis in foro conscientiæ tantum, & addit Synodus; hoc conceditur Episcopis tanquam legatis Sedis Apostolicę. quod patet, quia in dictis Regularium priuilegiis tantum conceditur facultas absoluendi a peccatis Episcopo reseruatis, ergo non est extendenda ad casum reseruatum legato summi Pontificis, qualis est Episcopus in casu nostræ conclusionis; vnde mortuo Episcopo non remanet talis facultas capitulo, quod valde notandum est pro temporibus in quibus sedes vacat.

ARTICVLVS V.

Vtrum præceptum annuæ confessionis obliget transgressores ad peccatum mortale.

PRo explicatione huius art. obi. est primo, quod Durandus. d. 17. q. 14. reuocat in dubium, an possit ecclesia per se statuere determinatum tempus confessionis, & proprium præceptum imponere de confessione tali tempore facienda: quia confessio inquit est res adeo occulta & secreta, vt non possit ecclesiæ constare, an vere fiat, non ergo potest de illa ferre præceptum magis, quam de actu interno, sed quamuis Durandus dubitet non tamen audet negare hanc potestatē. Secundu dubitat Durandus de facto, & probabile credit hactenus ecclesiam non tulisse hoc præceptum, sed solum de communione in paschate, de confessione vero tantum esse consilium, & salubrem exhortationem.

Secundo obiet. est quod alij dicunt per accidens obligari hominem ad confessionem semel in anno faciendam ratione communionis, non tamen per se ex vi proprij præcepti. Ita indicat D. Tho. d. 17. q. 3. art. 1. q̄ stiūc. 4. & quol. 1. art. 11. & D. Antoninus. 3. p. tit. 14 c. 19. §. 3. sed nullum video huius sententiæ fundamentum.

D. Thom. D. Anton.

Vnde dico primo ex præcepto ecclesiæ teneri fideles ad confessionem semel in anno faciendam per se, & ex vi proprij præcepti distincti a præcepto communionis, & non tantum per accidens, hæc est communis doctorum sentētia. Scoti in hac q. sub lit. V. Palud. q. 7. num. 26. Gabr. q. 1. art. 1. & 2. Caiet. tom. 1. opusc. tit. 5. q. 1. Soti. d. 18. q. 1. art. 1. & Cani relect. de pœnit. p. 5. ad finem, & Med. cod. de confes. q. 18. Et probatur ex cap. omnis vtriusque sexus, vbi est illud verbū omnes fideles &c. confiteantur, quod ex vi sua præceptiuū est, nec in præcepto communionis ponitur verbum habens maiorem vim obligandi, seu præcipiendi, deinde primū præcipitur ibi confessio, deinde communio, neque est ibi vllum verbum, quo significetur cōfessionem præcipi propter communionem, vtraque. n. æque per se præcipitur.

Fideles tenentur ex præcepto ecclesiæ confiteri semel in anno. Scotus. Paludanus. Gabriel. Caietanus. Sotus. Canus. Medina.

Item in Conc. Trid. sess. 14. c. 5. & can. 8. absolute, & nulla mentione communionis facta dicit in ecclesia esse præceptū annuæ confessionis, & ita explicat Concil. Lateran. in d. cap. omnis vtriusque sexus. Pręterea nihil est magis vulgare inter fideles, quam esse quinque præcepta ecclesiæ, ex quibus duo sunt confessionis, & communionis, si autem confessio solum per accidens propter communionem præciperetur, nō esset illud speciale præceptum ecclesiæ, & illa nō essent duo, sed vnum tantum de Eucharistia sumenda, ex quo ratione iuris diuini oriretur obligatio præmittendi confessionem supposita conscientia peccati mortalis, sicut si quis haberet votum communicandi semel in anno, per accidēs teneretur confiteri, licet non haberet nisi vnum votum.

Conc. Trid.

Deinde probatur ab effectu: quia si quis ex rationabili causa excusetur a communione, nihilominus tenetur confiteri semel in anno, vt patet ex verbis legis citatæ, & excelu ecclesiæ, & ideo pueri priusquam ad communionem admittantur, censentur obligari præcepto confessionis.

Dico secundo hoc præceptum solum esse ecclesiasticum, quo ad determinationem temporis, nam in reliquis diuinū præceptū continet. Ita docent omnes Doctores citati, & est clarum ex dictis, & ex Conc. Trid. dict. c. 5. dicente ecclesiam ibi tantum ordinasse, vt diuinum præceptum cōfessionis singulis annis mandetur executioni, & ratio est clara, quia tota substantia huius actus est de iure diuino, solum ergo mandatur, vt tali tempore fiat.

Ad fundamentum Durandi dico, ꝙ satis est vsum huius sacramenti esse externum, vt præcipi possit, quamuis per accidens sit occultus: actus enim externus etiamsi occultissimus sit, sub iurisdictionē ecclesiæ cadit, & puniri pōt, vel pręcipi.

Præceptum annuæ confessionis obligat transgressores ad mortale.

Dico tertio, Præceptum annuæ confessionis obligare trāsgressores ad mortale, hæc conclusio est de mente omnium excepto Durando vbi supra, dicente, quod nullum pręceptū ecclesiasticum obligat ad mortale, nisi præcipiatur in virtute sanctæ obedientiæ, vel sub aliqua pęna canonica; præceptū autem annuæ cōfessionis non est huiusmodi, quare ad mortale non obligat. Sed fallitur Durandus. Vnde obseru. est ex Caiet. in tract. de Simonia. q. 1. quod transgressor determinationis, & limitationis præcepti ecclesiæ, est transgressor præcepti diuini: quia præceptum diuinum indeterminatum, & præceptum ecclesiasticum sunt de vnico & eodē actu, ergo

Caietanus.

non

non potest aliquis præuaricare præceptum ecclesiasticum, quin simul præuaricetur præceptum diuinum. Et confirmatur: quia ecclesia determinans aliquod præceptum diuinum, quo ad tempus, nihil aliud facit, quã signare tẽpus, quo præceptũ diuinũ obligat, ergo trãsgrediẽs præceptũ ecclesiasticũ semel, ẽt transgreditur præceptũ diuinũ, ex hoc patet cõclus.

Confirmatur a simili, quia qui violat diem dominicum, est reus huius præcepti diuini, Sabbata sanctifices, non ob aliud, nisi quia ecclesia specificauit tale præceptum esse adimplendum non in Sabbato, sed in die dominico, ergo a simili in ꝓposito: quia ecclesia, nihil aliud facit præcipiendo, quod fideles confiteantur semel singulis annis, quam si dixisset declaro, quod præceptum diuinum de confessione obligat fideles semel singulis annis. Ex quo patet solutio ad argumentum Durandi, nam prætermittens annuam confessionem est reus diuini præcepti propter rationem dictam.

Præceptum de annua confessione an obliget ꝓcise in quadragesima Scotus.

Sed dubitatur primo. An præceptum de annua confessione obliget præcise in quadragesima. Respõdet Scotus, quod ecclesia quo ad tempus specificauit præceptum diuinũ, præcipiens in cap. omnis vtriusque sexus, quod fiat semel in anno, videtur que quod tale præceptum implendũ sit circa paschã, quo tempore iuxta idem cap. quilibet christianus debet communicare, nisi legitimam habeat excusationem. Contra, quia talis ecclesiæ specificatio est relaxatio diuini præcepti; quia per illud tenebatur peccator statim confiteri habita facultate confessoris, modo autem non tenetur vsque ad quadragesimam ergo &c. Respondet Doctor, quod circa hoc quidam dicunt, quod ante talem specificationem, & modo post illam peccator tenetur statim confiteri habita cõfessionis opportunitate. Alij vero dicunt, quod ante specificationem ecclesiæ, peccator solum tenebatur in voto confiteri in aliquo tempore ante mortem, & modo similiter tenetur in voto confiteri semel in anno, & hanc opinionem tanquam mitiorem, & veriorem tenet Scotus: quia præcepta pœnalia non sunt amplianda, sed restringenda, & cũ præceptum confessionis sit affirmatiuum, non habet vnde obliget nisi in articulo necessitatis; qui ante specificationem ecclesiæ indeterminatus fuit ad quodcunque tempus ante mortem, & post illius specificationem est etiam indeterminatus ad vnicum tempus, quodcumque illud sit in quolibet anno, semper tamen oportet habere voluntatem confitendi eo tempore, quo tale præceptum obligat, ita quod nunquã habeatur voluntas non adimplendi illud suo tempore.

Sententia Scoti.

Vnde obseruandum est quod sententia nostri Doctoris, vt patet ex verbis illius citatis est, quod sufficit confiteri in quocunque tempore anni, neque necessario confitendum est in quadragesima, & sic tenet etiam Sotus dist. decima octaua, quæst. 1. articulo quarto. Cano dictæ relect. part. 5. Vict. in summa de sacramentis, numero 137. Nauar. in summa, capitulo secundo, numero nono, & a 13. Medina Cod. de pœnit. & quæst. de confess. singulis annis facienda, dicit quod ex constitutione ecclesia non tenemur confiteri in aliquo tempore anni determinato: quia capit. omnis vtriusque sexus non limitauit tempus hoc ad certum anni tempus, sed tantum dixit semel in anno, atque adeo ex vi verborum non obligat ad aliquam certam partem anni; vt si alicui præciperetur semel in hebdomada communicare, ex vi præcepti non cogeretur ad determinatum diem, nisi fortasse quando iam alij transacti essent, & vltima tantum dies, vel hora superesset; ex consuetudine tamen & prouincialibus statutis videtur quod sit necessarium confiteri in quadragesima; omnes enim existimant se peccare, nisi tunc confiteantur, & sic Episcopi cogunt subditos eo tempore confiteri. Legite Concilium Tridentinum, sessione decima quarta, ad finem capit. 5. vbi approbat talem consuetudinem, nullum tamen imponit præceptum, neque necessitatem eo tempore confitendi, loquendo de obligatione per se confessionis, sed non de obligatione per accidens hoc est ratione Eucharistiæ, hoc enim clarum est, sed non refert ad hoc præceptum.

Sotus. Canus. Victoria. Nauar. Medina.

Conc. Trid.

An qui non est confessus per integrũ annum possit differre confessionẽ vsque ad finem anni sequentis. D. Anton.

Dubitatur secundo. An qui non est confessus per integrum annum possit differre confessionem vsque ad finem anni sequentis? & non quærimus, an teneatur quis illo anno bis confiteri, sed an maneat extra statum salutis, donec confiteatur, sicut manet, qui accepit alienum si non statim restituerit. Pars negatiua, scilicet, quod non teneatur statim confiteri defenditur a Diuo Antonino affirmante eum, qui toto hoc anno non est confessus, peccasse quidem mortaliter, postea tamen non teneri ad confessionem, vsq; ad sequentem quadragesimam, sicut qui die dominico omisit sacrum peccauit, non tamen tenetur audire missam feria secunda vsque ad aliud diem festum, eamdem sent. secutus est Syluest. verbo Eucharist. 3. q. 15. §. tertium. citans Archidiaconum, & probatur primo. Præcepta habẽtia tempus determinatum non obligant elapso illo tempore, veluti ieiunium quadragesimale non obligat finita quadragesima, neque prætermittens horas cannonicas, tenetur sequenti die bis persoluere; sed præceptum de confessione est limitatum quo ad tempus, s. quod fiat singulis annis, ergo finito anno, non tenetur peccator statim ad confessionem, sed poterit illam differre per totum annum sequentem.

Syluester.

Secundo arguitur, esto quod aliquis in periculo mortis constitutus, non sit confessus, quamuis habuerit copiam sacerdotis, liberatus ab illo periculo non tenetur illico confiteri, ergo a simili in proposito, patet consequentia; quia præceptum de confessione ita obligat in articulo mortis, sicut semel singulis annis.

Maior. Sotus. Nauar. Victoria. Medina.

Contraria sententia est Maioris d. 17. q. 2. circa finem, Soti, d. 18. q. 1. art. 4. Nauar cap. 21. nu. 45. Victoriæ. nu. 137. & 147. Et Medina de Confes. q. 18. Pro cuius explicatione est præ oculis habendum, quod sæpe diximus de necessitate illius præcepti. Præceptum enim confessionis, & Baptismi in hoc differunt ab alijs præceptis diuinis, quod sola sunt necessaria in re, aut in voto ad iustificationem, cum sint instituta ad remissionem peccatorum, vnde quandocunque alterum illorum obligat in re, & habetur copia ministri, non sufficit ad iustificationem habere illud in voto, sicut qui tenetur ad Baptismum in re, nunquam iustificabitur donec recipiat illum, si habet copiam ministri, hoc supposito

Conclusio sit affirmatiua. s. qui non est confessus in quadragesima manet extra statum salutis donec confiteatur, patet ex dicto fundamento: hoc enim sacramentum est necessarium ad iustificationem in re, vel in voto, & quando est sub præcepto, & habetur copia ministri non sufficit in voto, ergo donec adimpleat præceptum confessionis erit reus mortis. Sed dices hoc argumentum concludit, quod durante die quo finitur annus, ex quo non est confessus non iustificabitur absque confessione actuali, quia tunc confessio est sub præcepto, bene tamen iustificabitur postea per confessionem in voto. Respondeo quod finito anno bene durat præceptum cum sit necessarium ad salutem: hæc enim est natura præceptorum necessariorum ad salutem, quod obligent etiam elapso tempore, non enim ponitur tempus, vt eo finito desinant obligare, & huic opinioni suffragatur consuetudo ecclesiæ, quæ maximi est habenda.

Et per hoc patet solutio ad primum argumentum, est enim dispar ratio: quia illa præcepta ieiunij, orandi, &c. non sunt necessaria ad iustificationem. Vel dicatur, quod illud principium, quod assumitur est verum, quando temporis designatio, quæ fit per affirmatiuum præceptum, est ad terminandam omnino obligationem pro illo tempore, vt est in præcepto ieiunij, orationis, & similium, secus vero est, quando fit determinatio ad differẽdum obligationem vsq; ad aliud tempus, & ideo non sunt similia exempla ibi adducta, in eis enim habetur specialis ratio temporis designati, vt patet de ieiunio, & de obligatione audiendi sacrum, hic vero habetur ratio frequentiæ talis sacramenti, & solum intenditur, vt licite confessio possit differri per annum, non tamẽ vltra differatur.

Conc. Trid.

Ad secundum respondet Medina vbi supra negando consequẽtiã: quia in quo cessante periculo mortis, quod est causa confessionis, cessat obligatio cõfitẽdi. Aliter respõderi ꝑt negãdo antecedẽs: quia ex quo cõfessio cœpit esse sub præcepto, cum sit medicina & remediũ peccati, manet in peccato & sub infirmitate spirituali donec confiteatur. hæc doctrina confirmatur per Concil. Tridēnt. sess. 13 c. 7. Vbi dicitur, quod si quis vrgente necessitate celebrauerit absque præuia confessione, quia defuit copia sacerdotis, quam primum potuerit, confiteatur; ecce casum similem præcedenti, & ratio est, quia confessio est sub præcepto ante Eucharistiam, ergo ex quo cœpit esse sub ꝓcepto nunquã desinit obligare, donec impleatur. Aliter contrarium est de Eucharistia sumẽda in die paschatis: qui in nõ accipit nõ tenetur accipere vsq. ad aliud pascha, tũ quia hoc præceptũ nõ est simpliciter necessariũ ad iustificationẽ, licet ad aliud sit necessaria Eucharistia, sicut in eius materia disputatũ est. Tũ ẽt q. præceptũ

de Eucharistia sumenda in paschate est ad designãdam omnino obligationem pro illo tempore.

ARTICVLVS VI.

Vtrum in præcepto confessionis cadat dispensatio.

Gratianus.

SEnsus tituli est. An Papa, vel Generale Concilium possit in dicto diuino præcepto confessionis dispensare. Pars affirmatiua probatur. Matthæi 16. vbi Petro, & eius successoribus dicitur. Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatũ & in cœlis &c. ergo potest Papa soluere aliquem ab obligatione huius præcepti. Et confirmatur quia potest dispensare in voto, & iuramento, quamuis sit de iure diuino, ergo similiter in præcepto diuino de confessione.

Secundo arguitur aduersus ius naturale nulla dispensatio admittitur, vt bene adnotat Gratianus in decreto dist. 13. in principio, nisi forte duo mala ita vrgeant, vt alterum eorũ necesse sit eligi, ex hac verissima doctrina sic argumentor; malum est non confiteri, sed multo deterius est, quod mundus sit plenus infidelibus, ergo si hac lege conuerterentur, vt non tenerentur ad confessionem in hoc euentu propter vitandum deterius malum, poterit Papa, vel Concilium cũ eis dispensare. Et confirmatur exemplo Nectarij Episcopi, Diui Chrisostomi successoris, de quo legimus, quod cum quædam fœmina causa persoluendi preces sibi impositas a sacerdote in confessione, frequentaret ecclesiam, reperta est cum Diacono concubuisse: qua de causa exortum est graue scandalum in plebe, cuius sedandi causa fecit Nectarius Episcopus cessare confessionem & in hoc non fuit reprehensus a Romano Pontifice, ergo in aliquo euentu propter vitandum deterius malum, licebit Papæ dispensare in confessione sacramentali.

D. Thomas. Ricardus.

Circa hanc quæst. concors est omnium Doctorum sententia, partem negatiuam defendentium. Vide D. Thomam dist. 17. qu. 3. art. 1. & ibidem Ricardum. art. 2. quæst. 7. & reliquos. Vnde pro explicatione huius quæst. obseruandum est primo, quod Papa non habet potestatem in his, quæ sunt necessaria ad salutem finalem: nequit enim dispensare, ne aliquis teneatur credere, aut baptizari, probatur, quia ista sũt media instituta a Christo, sine quibus nemini patebit ianua æterna, & confirmatur: quia quando Papa dispensat in his, quæ sunt iuris diuini, debet hoc facere in ædificationem ecclesiæ, & non in destructionem: dispensare autem in his, quæ sunt necessaria ad salutem, esset excludere hominem a Regno cœlorum, & destruere, ad quod non habet claues.

Papa nõ habet potestatem in his, quæ sunt necessaria ad salutem finalem.

Secundo obseruandum est, quod aliud est quærere, an Papa, vel Concilium possit dispensare simpliciter in confessione: aliud an possit dispensare in confessione annua.

His obseruatis sit prima conclusio. Non potest Papa, aut Concilium dispensare cum aliquo ne teneatur ad confessionem sacramentalem, patet ex dicto fundamento: quia confessio est instituta a Christo, vt remedium contra peccatum post Baptismum commissum.

Papa potest dispensare annuam cõfessionem.

Secunda conclusio, Papa potest iusta de causa dispensare cum aliquo, ne teneatur ad annuam confessionem veluti si viueret christianus inter saracenos, posset dispẽsare cum eo, ne singulis annis veniret ad terras fidelium ad quærendum confessorem, quamuis cum periculo posset, vel cum heremita a sæculo semoto, & sanctitate claro, vt non teneatur nisi in biennio semel confiteri. probatur, quia sicut iustis de causis potest instituere tempus confessionis, scilicet semel in anno, sic eisdem de causis potest restringere, vel dilatare tempus confessioni destinatum. Imo summus Pontifex habet potestatem tollendi omnino (quod est abrogare) hoc præceptum, & dispensandi in illo cum aliqua persona, manente præcepto in communi: quia præceptum semper pendet tam in communi, quam in particulari ex voluntate legislatoris, vel successoris eius habentis æqualem potestatem, sed hoc præceptum est ecclesiasticum, & suprema potestas circa hoc præceptum residet in summo Pontifice ergo &c.

Tertia concl. Quamuis Papa vel Concilium nequeãt dispẽsare, ne aliquis teneatur ad confessionẽ, potest tamen dissimulare nõ cõpellendo ad tempus aliquos ad confessionem, propter uitandum deterius malum, vt hæresim, aut schisma. Et ponitur hæc conclusio propter aliquos, qui vtuntur his terminis, & plurimos afferunt casus, cæterum si rem bene intueamur conclusio hæc est fere eadem cum secunda, & eodem nititur fundamento.

Ad primum arg. respondetur ex dictis, quod claues datæ sũt Petro, & successorib. ad ædificationẽ, nõ ad destructionẽ.

In voto non fit propriè dispensatio.

Ad confirmationẽ respondetur, quod in voto non fit propriè dispensatio, sed est remissio promissionis auctoritate diuina legitima causa interueniente. Summus. n. Pontifex est Christi Domini Vicarius, cui hoc Christus commisit. Sicut enim promissio facta homini soluitur per remissionem promissi, ita de promissione facta Deo. Vnde non sequitur, ꝙ Papa potest dispensare in his, quæ sunt iuris diuini neque in uoto, neq; in aliis, sed solum remittere. Ita Canus vbi supra. Sed hæc solutio licet frequentissime detur in scholis, est tñ contra modũ loquẽdi Sanctorũ Patrũ, & complurimorum textuum vbi expresse dicitur Papam dispensare in voto.

Canus.

D. Thomas. Aliquid est de iure diuino dispensatiuum contingit.

Ideo præstantior est solutio D. Thomæ. 2. 2. q. 88. art. 10. ad 2. Pro cuius explicatione obs. est, quod aliquid est de iure diuino mediate, aliquid vero immediate, illud est mediate de iure diuino, quando obligat præsupposita humana lege. v. g. obedire Papæ præcipienti ieiunium quadragesimale, est de iure diuino mediate. Dictum est. n. Qui vos audit me audit, & qui vos spernit &c. & ad Rom. 13. Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Illud autem est de iure diuino immediate, quando non præsupponit legem humanam, sicut præceptum confessionis, & Baptismi.

Votum reddere est de iure diuino mediate.

Secundo obs. est quod reddere votum est de iure diuino mediate: præsupponit. n. legem humanam, quæ quidem est, votum factum ab ipso promittente: votum enim nihil aliud est, quam lex quædam, quam vouens sibi præbuit. Hoc supposito respondet D. Th. quod Papa potest dispensare in his, quæ sunt de iure diuino, vel naturali mediate, vt est votum, non autem in his, quæ sunt de iure diuino, vel naturali immediate, vt Baptismi, & confessionis præceptum, & ratio est; quia dispensando in his, quæ sunt de iure diuino mediate, vt in voto, non simpliciter dispensat ius diuinum, sed tantum in iure humano. s. in illa promissione facta ab homine.

Sed dices si dispensare in voto non est dispensare in lege diuina, sed humana, sequitur ꝙ Papa potest dispensare in voto absque vlla causa, sicut in legibus aliis ab ipso conditis, & iniustis. Respondetur negando consequentiam; quia adimplere votum, non tantum est actus charitatis, sed etiam iustitia. est. n. actus iustitiæ reddere Deo promissum, & ideo si absque vlla causa reuocaretur votum, irrogaretur iniustitia Deo, quod quidem non contingit in dispensatione aliarum legum. Cõtra ergo potest dispensare in matrimonio rato de consensu vtriusque coniugis patet quia nemini fit iniustitia, & præter sacramentum præcedit lex humana. s. contractus. Respondetur, quod hac ratione posset fieri, nisi specialiter esset in Euangelio Matth. 19. prohibitum. Quod Deus coniungit, homo non separet.

Ad secundum arg. & eius confirmationem respondetur, per 2. & 3. conclusionem, potest. n. Pontifex, vel Concilium dissimulare per aliquod tempus, non autem in perpetuum; quia est contra ius diuinũ, nec sunt facienda mala, vt veniãt bona. Et nota hic pro solutione huius arg. & aliorum, quod ius naturale nequit contrariari ipsi iuri naturali; quia implicat, nec ẽt ipsi iuri diuino, quia ipsius iuris diuini auctor. s. Christus non præcipit, nec instituit aliquid contra ius naturale, sed ius diuinum interpretatur aliquando per ius naturale, vt si præceptũ de confessione integra interpretatur intelligendum per ius naturale, quia licet reticere aliquod peccatum, vel circunstantiam eius, quando vitatur infamia, vt supra diximus, itaque nunquam licitum est dispensare in iure naturali, vel diuino immediate, nec vnum ius contrariatur alteri, sed vnum est interpretandum per aliud.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ficte confessus in Pascha proprio Sacerdoti adimpleat præceptum ecclesiæ.

HAec quæstio supponit dari posse cõfessionem informẽ, & quærit an per eam, qui confitetur in quadragesima satisfaciat præcepto ecclesiastico annuæ cõfessionis, vel iterũ confiteri teneatur. Vnde circa suppositum obs. est esse dubiũ, an detur confessio legitima quo ad substantiam sacramenti licet effectu gratiæ careat, sicut datur verus Baptismus, & vera susceptio Eucharistiæ absque effectu gratiæ propter obicem, quo accedit quis ad sacramentum. Nã Ioannes Maior. dist. 17. q. 3. & 9 & Adrianus qu. 5. de confessione dub. 5. negant dari posse: asserunt enim quamcũq; confessionẽ habentem impedimentũ ad gratiã, esse prorsus inualidã, & necessario iterandã, vnde impertinẽs est distinctio inter confessionẽ

Maior. Adrianus.

i. for-

informem, & inualidam; quod probant, quia indigne ad sacramentum accedens mortaliter peccat, licet existimet se digne accedere, ergo omnis confessio, quæ suum non sortitur effectum inualida est, & iteranda, sed hæc sententia, quæ est contra torrentem omnium Doctorum bene confutat Sotus dist. 18. q. 3. art. 2. & ratione D. Thom. facile reijcitur, in d. 17. q. 3. art. 4. Quia sequeretur, quod semper homo esset ambiguus vtrum præceptum confessionis impleuerit. Quidam vero Bernardus relatus a Capreolo. d. 13. q. 2. tenet ex opposito quod nulla confessio dummodo sit integra ex defectu contritionis sit iteranda, at D. Thomas communiter receptus media incedit via.

Sotus. D. Thom.

Et primo dicit, quod confessio considerata prout est actus virtutis, nõ potest esse informis, quia tunc est pars perfectæ contritionis, vt dictum est, ergo actus meritorius, & per consequens gratia formatus.

Secũdo dicit, qđ confessio quatenus est pars sacramẽti, põt esse veram confessionem, quantum ad substantiam, & nihilominus esse informem. i. potest homo implere præceptum confessionis, quam non tenetur reiterare, & adhuc non recipere gratiam propter obicem. quod regulariter contingit in duplici euentu. Primo quando pœnitens ex ignorantia, non valde crassa, & affectata, sed adhuc aliqualiter culpabili accessit ad confessionẽ absq; perfecto examine peccatorum, licet aliquod fecerit examen, quod ex prædicta culpabili ignorãtia existimauit sufficiens, & cõfitetur omnia sua peccata quorum recordatur. Secundus euentus est, quãdo præoto necessario examine confitetur, & sacerdoti videtur oportere differre absolutionem per aliquot dies, tunc si accedit attritus non confertur gratia, donec accedat absolutio. Sed est dubium an recedente fictione recipiat gratiam, & an per confessionem adimpleat quis præceptum annuæ confessionis.

Confessionẽ esse informẽ duobus modis contingit.

Quo ad primum dubium Quidam arbitrati sunt pœnitẽtem fictum, fictione recedente non recipere gratiam, atque adeo confessionem informem esse necessario reiterandam; quod probant primo ex defectu formæ; formæ. n. sacramẽtorum sunt propositiones veræ; sed quando confessio est ficta, vel informis, ista propositio est falsa: Ego te absoluo; non. n. tunc absoluitur pęnitens, ergo sacramentum propter defectũ formæ est nullum, & per consequens iterandum.

Confessio informis an sit iterãda.

Secundo arguitur ex parte effectus sacramẽtalis. s. gratię, non. n. absoluitur pęnitens a Deo, qui est causa principalis remissionis peccatorum, ergo neq; a sacerdote, qui est causa ministerialis, & per consequens sacramentum est nullum, & ex consequenti iterandum.

Tertio arguitur, si informis confessio nõ esset iteranda, sequeretur, quod sacramentum pœnitentiæ recedente fictione per solam contritionem sortiretur suum effectũ: ita quod eius virtute remittantur peccata, & conferatur gratia sacramentalis, sed hoc est falsum, quia soli Baptismo tribuitur hoc priuilegium, eo quod sit initerabilis, ergo & illud ex quo sequitur, propter hæc & alia argumenta minoris efficaciæ, partem hanc defendit Adrianus vt dictum est; Contraria est D. Thomæ, & communis sententia sub certis limitationibus: pro cuius explicatione.

Obser. est primo, quod hic non agimus de confessione illius, qui ex crassissima ignorãtia accedit ad confitendum absque sufficienti examine, vel cognoscens se non sufficienter dispositum propter defectum doloris, vel propositi cauendi in posterum peccata, sed de confessione illa informi de qua supra egimus.

Secundo obs. est, ꝙ de lege nullum peccatũ siue mortale, siue originale remittitur, nisi per sacramentũ in voto aut in re. Si. n. Cathecumeno remittuntur mortalia per contritionẽ ante Baptismũ; hoc est quia habet propositũ suscipiendi Baptismũ, similiter est dicendum de peccatis mortalib. post Baptismũ commissis, quæ non remittuntur per solam contritionem, nisi habeatur propositum saltem virtuale confitẽdi, vt supra dictũ est. Quo supposito est inuestigãda causa, quare sacramentũ Baptismi recedente fictione sortiatur suum effectum, & illa nempe est, quia mortalia cõmissa ante Baptismũ nõ possunt deleri nisi per Baptismũ in re, aut in voto, cũ non sint materia remota sacramenti pęnitẽtiæ, & quia iam baptizatus non potest habere votum, hoc est propositum recipiẽdi Baptismum, cum sit initerabilis, sequitur omnino, quod deleantur necessario per Baptismum in re olim susceptum.

Nullum peccatum, de lege remittitur nisi per sacramentũ in voto, aut in re.

Ex his dico primo, quod confessio informis, de qua supra egimus, nõ est iteranda, patet, quia vt supra dictum est ex D. Thoma nullus christianus esset certus recepisse sacramentũ nec, ne; raro. n. sęculares ita apprime se discutiunt, vt examinent quantitatem doloris, & propositi cauendi peccata, & examinis ad recordationem peccatorum, & si mediocris dispositio (licet insufficiens reputata tamen sufficiens propter ignorantiã aliqualiter culpabilẽ) non sufficeret saltem ad conficiendum verum sacramentũ, & excusandũ reiterationẽ cõfessionis, semper deberemus reiterare oẽs confessiones: quia difficulter recordatur pœnitens qualem habuerit dolorem, propositum, & examen in confessionibus præteritis. Vide omnino Caiet. in summa verbo iterati confessionis.

Confessio informis non est iterãda.

Dico secundo sacramentum pœnitentiæ ficte susceptum, si tunc fuit validũ, vt in prima conclusione dictum est, sortitur suum effectum cum primum fictio deletur per contritionẽ generalem, idest, etsi, quod qui ficte suscepit sacramentum pęnitentiæ habeat contritionem generalem omnium suorũ peccatorum, & tamen non habeat animum iterãdi cõfessionẽ; quia non tenetur ad eius iterationem, vt dictum est; In hoc euentu Deus confert gratiam sacramentalem, & remissionem peccatorum habita ratione ad sacramentum ficte susceptum. hæc conclusio est Caiet. quem sequitur Cano vbi supra. p. 5. contra Sotum, & probatur ex prædictis fundamẽtis: quia virtute huius generalis cõtritionis remittuntur peccata indimissa ratione fictionis, & hoc in ordine ad Claues. s. per sacramentalem absolutionem re, aut voto receptã: quia alias non remittit Deus peccata, vt in secundo fundamento dictum est. Tunc quæro, quando pęnitens habet illã generalem contritionẽ, vel tunc remittũtur peccata habita ratione ad absolutionẽ, & confessionẽ futuram, quam pœnitens habet tunc in voto, vel habita ratione ad absolutionem præteritam ficte receptam, non est dare medium; sed non remittuntur habita ratione ad absolutionem futuram: quia pœnitens non habet, neque tenetur habere propositum illa mortalia, quæ ficte est confessus iterum confitendi, siquidem sacramẽtum fuit validũ, ergo a sufficienti diuisione remittuntur habita ratione ad confessionem, & absolutionem præteritam, & per consequens sacramentum ficte receptum operatur recedente fictione suum effectum, quia nullus alius est, quam Deum remittere peccata.

Caietanus. Cano.

Ex hoc sequitur, quod ratio Soti dicentis, quod illa peccata remittuntur per solam sequentem contritionem, aut per sequentem absolutionẽ nulla est, primo quia contritio nunquam remittit peccatum nisi in ordine ad claues, ergo non remittuntur per solam contritionem sequentem, neque per sequentem absolutionem: quia absolutio non remittit nisi peccata, quæ tunc pęnitens confitetur: oblita. n. non remittũtur directe per absolutionẽ, sed per accidens ratione gratiæ sacramentalis. Contra hoc arguitur. nulla causa operatur, quñ non est in rerum natura, sed tempore quo fictio deletur per contritionem iam tunc sacramentum nõ est, solum. n. habuit esse in fieri. Respondetur, quod sacramentum recedente fictione operatur instar causæ moralis, & non instrumentalis, & per consequens potest operari, quando non est.

Ad primum argumentum nego minorem: illa. n. propositio. Ego te absoluo, in casu prioris cõclusionis est propositio vera, non. n. absolute significat, ego remitto tibi peccata, sed significat, ego in quantum est ex parte mea impendo tibi beneficium, & sacramentũ absolutionis, vel quantũ in me est remitto tibi peccata, quod quidem est verũ, quãuis propter indispositionẽ pęnitentis, non remittantur. Analogia est in sacramento Baptismi, & aliis. hæc. n. est vera, Ego te baptizo, & absoluo te spiritualiter, quamuis ex parte baptizati ponatur obex spirituali ablutioni. Sicut in iudiciis humanis, esto quod iudex absoluat aliquem a carcere, si tamen reus non vult exire carcerem, vera nihilominus fuit absolutio iudicis, similiter in proposito.

Ad secundum respondetur, quod pęnitens absoluitur a Deo eo modo, quo a sacerdote, quia ex parte Dei impẽditur beneficium absolutionis, quod si non sequatur effectus, hoc est propter pęnitentis fictionem, hoc. n. modo vult Deus omnes homines saluos fieri, quia quantum est ex parte sua, pręstat omnibus remedium ad salutem.

Ad tertium. Concedo, ꝙ recedente fictione confertur gratia, vt in secunda cõclusione probatũ est, & ad probationem minoris, nego hoc priuilegiũ tñ concedi baptismo; quia est initerabilis, imo a paritate rationis idem est dicendum de vtroque sacramento, cum vtrunque sit necessariũ ad salutẽ, & etiam eadem sit vtrobique ratio. Baptismus enim sortitur

suum effectum recedente fictione non ob aliud, nisi quia peccata commissa ante Baptismum, non possunt deleri nisi per Baptismum, similiter peccata confessa ficte, quando sacramentum est validum, non possunt deleri recedente fictione, nisi per illud sacramentum: quia cum sint delenda per sacramentum pœnitentiæ in re, aut in voto, nō possunt deleri per sacramentum in voto, quia non habet pœnitens animum neque obligationem iterum illa confitendi, ergo delentur per sacramentum in re olim susceptum.

An qui ficte confitetur in quadragesima satisfaciat præcepto annuæ confessionis. Durandus. Adrianus. Medina. Sotus.

Sed dubitatur primo an qui sic ficte confitetur in quadragesima nec absoluitur a sacerdote vel differtur absolutio excusetur a præcepto ecclesiastico annuæ confessionis. Partem negatiuam tuentur Durandus. d. 17. quæst. 13. & 14. & Adrianus, q. 5. de confessione, & Medina cod. de pœnit. quibus videtur subscribere Sotus, vbi supra, & probatur hæc sententia. Præceptum ecclesiasticum de annua confessione est vnū, & idem quod præceptum diuinum de confessione, solum differt temporis determinatione; quia vtrobique præcipitur idem actus. s. suscipere sacramentum pœnitentiæ, sed peccator non adimplet præceptum diuinum per solam confessionem, nisi simul disponat se perfecte ad absolutionem, ergo neque adimplet præceptum ecclesiasticum, patet consequentia cum ex parte actus sit vnum & idem numero præceptum, quamuis præcipientes sint duo. s. Deus, & ecclesia. & confirmatur; quia ecclesia fidelibus imperat, vt faciant veram confessionem, idest cum præcipitur confessio præcipitur sacramentum confessionis, ergo si deest forma essentialis nō impletur præceptum; quia non impletur præceptum nisi per susceptionem huius sacramenti. hanc sententiam secuti sunt Nauar. cap. 10. nu. 4. & Suarez. to. 4. disp. 36. sect. 7.

Nauar. Suarez. Ale de Al. Ricardus. Paludanus Gabriel. D. Anton. Syluester. Cano. Victoria.

Contraria sententia est Alex. de Ales. p. 4. q. 77. m. 5. art. 7. Ricard. d. 17. art. 2. q. 8. ad quintum, Palud. q. 7. Gabriel. q. 1. art. 3. dub. vlt. D. Anton. p. 3. tit. 4. cap. 19. Syluest. Confessor. 4. q. 2. in fine, Cano. dict. relect. p. 5. in fine, & Victo. nu. 163. & fere communis, & innitur auctoritate Alex. Papæ in c. quod quidam, de pœnitent. & remis. & præterea in cap. omnis vtriusque sexus, vbi præcipitur annua confessio dicitur, quod sacerdos possit differre beneficium absolutionis, si ei videbitur conuenire, ergo pœnitens adimplet hoc præceptū integre confitendo, licet non absoluatur.

Bartholom. Medina.

Huic difficultati respondet bene Bartholomeus de Medina in calce cap. 12. sui Manualis distinguendo, quod aut pœnitens obedit sacerdoti, aut non, si primum excusatur a præcepto ecclesiæ, quod adimplet quando redit impleto tempore a sacerdote præfixo ad illum confessorem, vel ad alium, & absoluitur, & hoc probant argumenta posterioris sententiæ. si secundum idest si non obedit sacerdoti non abstinendo se ab occasione peccati, non excusatur, vel si impleto tempore a sacerdote præfixo nō redit, vt absolutionem recipiat, frangit præceptum annuæ confessionis, & hoc probant argumenta prioris sententiæ.

Obseruat tamen, quod Ricar. & Gabriel loquuntur de eo, qui ficte confitetur, quia confitetur nec pœnitens nec contritus, & dicunt, quod confitens omnia peccata sua semel in anno licet fictus, hoc est facit confessionem in peccato mortali, etiam si tenet, satisfacit præcepto quantum ad litteram, licet non quantum ad ecclesiæ intentionem; ecclesia enim præcipiens confessionem præcipit actum exteriorem, quem ille facit, atque adeo non est præcepti transgressor, nec tenetur de necessitate eadem peccata in numero iterum confiteri, essentiam enim actuum præceptorum non semper tenemur explere ex charitate ad uitandum demeritum, quamuis sine charitate actus non mereatur præmium. Intentio vero ecclesiæ est, vt sic fiat, quatenus proficiat ad salutem confitenti, & hoc modo non implet præceptum, nec talis confessio est sibi fructuosa.

Confessio dimidiata an sit iteranda.

Dubitatur secundo an dimidiata confessio sit iteranda. Pro solutione obser. est, quod tripliciter contingit confessionem dimidiari, primo ex malitia, quando ex industria pœnitens aliquod peccatum reticuit legitimo sacerdoti. Secundo ex negligentia, quando. s. absque recogitatione peccatorum accessit ad confessionem. Tertio ex ignorantia, quando scilicet prætermittit aliquod mortale confitendum existimans esse veniale. Hoc supposito.

Dico primo, si confessio dimidiatur ex rationabili causa, non est reiteranda, secus autem si ex malitia, quia tunc confessio non est integra, & per consequens nulla, & reiteranda, vtrunque constat ex his, quæ supra dicta sunt. contingit autem ex malitia confessionem dimidiari; quando pœnitens prætermittit mortale sine necessitate, vel aliquod veniale, quod arbitratur mortale: quia tunc agit contra conscientiam, obserua tamen quod si pœnitens confiteatur eidem confessori, apud quem dimidiauit confessionem, si postea non est alteri confessus non tenetur repetere peccata, sed sufficit confiteri malitiam dimidiationis, & peccatum prætermissum: quia non est de essentia confessionis, quod confessor recordetur peccatorū tempore absolutionis, maxime quando imposita est pœnitentia peccatori, quod docet Adrianus vbi supra. q. 4. & refert Paludanum, & est intelligendum dummodo confessor tempore reiterationis sit legitimus, sicut fuit tempore confessionis; ex quo sequitur, quod si reiteratur confessio post biennium, & iam qui erat legitimus confessor, non habet authoritatem, in hoc euentu quærendus est alius sacerdos, cui integre cōfiteatur.

Nota proximorum confessoris.

Dico secundo. Pro confessione dimidiata ex negligentia, accedens ad confessionem nulla facta prorsus cogitatione peccatorum peccat mortaliter, & tenetur illam reiterare, patet quia tunc dimidiatur confessio, vel exponit se pœnitens manifesto periculo dimidiandi ex negligentia latissima, quę æquiualet malitiæ secūdum omnes. Vnde sequitur, quod si in aliquo magno periculo, vt in articulo mortis non adest spatium reuocandi peccata ad memoriam, non tenetur pœnitens confessionem reiterare, quamuis vixerit, de his autē qui cum mediocri diligentia accedunt dictum est iam, cum de confessione informi egimus.

Dico tertio pro confessione dimidiata ex ignorantia. Quando pœnitens prætermittit in confessione aliquod peccatum quia inuincibiliter ignorabat illud esse mortale, talis confessio non est iteranda; secus autem si ignorantia est vincibilis, & culpabilis. Prima pars patet: quia pœnitens non peccauit faciendo illud, quod ignorabat inuincibiliter; dicitur autem ignorantia inuincibilis, quando aliquis non tenetur, aut non potest scire illud, quod ignorat. Secunda pars conclusionis probatur: quia huiusmodi confessio fuit non integra ex culpa ipsius pœnitentis, ergo nulla, quod intellige de ignorantia crassa, vt si quis non confiteretur fornicationem simplicem existimans non esse mortale; non autem de illa leui ignorantia, licet sit culpabilis, de qua diximus efficere confessionem informem. In summa ex parte diminutæ confessionis confessio est reiteranda ex triplici capite. s. quando est diminuta ex industria sine causa; siue ex negligentia latissima, siue ex ignorantia culpabili; & præcisa ratio est, quia talis confessio non est sufficiens materia sacramenti, qua deficiente sacramentum nullum est, & per consequēs reiterandum. Vide Adrianum. q. 4. de confessione, & Ricardum. d. 13. art. 2. q. 6. & Gab. ibidem. q. 1.

Adrianus. Ricardus. Gabriel.

Et si quæras. Esto aliquem nullum reticere peccatum, reticet vero excommunicationem, est ne iteranda confessio? Respondetur negatiue, si excommunicatus ignorat ignorātia inuincibili iuris & facti; secus autem si fuerit conscius excommunicationis, quāuis deposuerit contumaciam; si enim tunc prius absoluitur à peccatis, quam ab excommunicatione est iteranda confessio: quia durante excommunicatione non est capax absolutionis sacramentalis, cum sit exclusus ab omni participatione sacramentorum ex cap. si celebret de clerico excommunicato ministrante.

Contra hoc arguitur. primo excommunicatus non tenetur reiterare alia sacramenta, vt Eucharistiam, quam tenetur accipere in paschate, ergo non tenetur reiterare confessionem. & confirmatur quia clericus excommunicatus non tenetur reiterare horas canonicas, quas persoluit cum alijs in choro, quamuis hoc illi prohibeatur, ergo non tenetur reiterare absolutionem, quamuis prohibeatur illam accipere: multa enim fieri prohibentur, quæ si fiant tenent, vt matrimonium post votum simplex castitatis. Ad hoc respondetur negando consequentiam: quia cætera sacramenta non sunt nulla, quamuis recipiantur à ficto: quia inuenitur forma, & materia, & intentio; in excommunicato autem deficit vera materia ad hoc sacramentum: quia si contumax est deficit dolor requisitus; si autem non est contumax deficit iurisdictio in absoluente, per dictum textum, & per cap. à nobis. Secundo quia ecclesia prohibet absolutionem, & hanc est sacramentum esse nullum.

Et ad cōfirmationē dico, qđ in prædicto euētu adimplet Clericus præceptū recitandi, & ideo non requiritur, q̄ reiteret horas canonicas, licet peccet ingerēdo se ī choro cū alijs;

quia

quia licet aliũde, & de per accidẽs peccet, vere recitat horas canonicas, excommunicatus vero, qui conatur absolui nihil facit, & axioma illud Iuristarum. Multa prohibentur in iure, quæ si fiunt, tenet factum; intelligendum est cum suo sale: quando enim Ecclesia absolute prohibet aliquod factum, tale factum est nullum, nisi ecclesia oppositum declarauerit, vt declarat in dicto exemplo de matrimonio cõtracto ab illo, qui emisit simplex votum castitatis, cum autem prohibet excommunicatum absolui, & nullibi declarauerit talem absolutionem valere, sequitur quod sit nulla, ita quod aliud est prohibere aliquid absolute, aliud vero prohibere illud sub reatu mortalis culpæ, vel alicuius pœnæ.

Cõfessio falso cõfitentis an sit iterãda. Dubitatur tertio. An confessio falso confitentis sit iteranda. Pro solutione obseruandum est, quod pœnitens potest mentiri in confessione tripliciter. Primo imponendo sibi aliquod mortale, quod non commisit. Secundo imponendo sibi aliquod veniale. Tertio asserendo tanquam certum, quod est sibi dubium.

Hoc supposito dico primo. Qui fingit in confessione aliquod mortale, cuius non est conscius peccat mortaliter, & Sacramentum est nullum, & per consequens iterandum: patet quia decipit iudicem in materia graui, ergo peccat, & cum deficiat vera, & fidelis materia Sacramenti (peccatum enim quod falso fingitur, non est materia Sacramenti) sequitur esse nullum, & per consequens iterandum.

Dico secundo. Qui fingit in confessione aliquod veniale, quamuis intendat confiteri omnia venialia non peccat mortaliter, neque Sacramentum irritat. hæc conclusio est contra *Caietan.* Caiet. 2. 2. q. 69. art. 1. & in summa verbo confessio conditione 4. vbi dicit, quod qui mentitur in confessione imponens sibi veniale peccat mortaliter, si proponit confiteri venialia, sin minus non peccat nisi venialiter tantum. Contrarium te- *Angelus. Syluester. Sotus. Nauar.* net Angelus verbo confessio. 1. numero 16. & 17. Syluest. ibi. quæst. 8. Sotus dist. 18. q. 2. ar. 4. & Nauar. cap. 21. numero 37. & probatur vtraque pars nostræ conclusionis: quia in tali euentu non decipit pœnitens confessorem in materia graui sed leui, ergo non peccat mortaliter, quod autem Sacramẽtum non sit irritum probatur: quia veniale cum non sit materia necessaria huius Sacramenti, fictio vnius venialis non tollit sufficientem materiam confessionis, dummodo sint alia peccata, a quibus peccator absoluatur: nam si illud veniale esset totalis materia manifestum esset sacrilegium, & peccatum mortale, & nullum esset Sacramentum, sed in casu nostro Sacramentum non esset irritum.

Et si dicas. Postquam penitens proposuit confiteri omnia venialia, iam fecit illa esse materiam necessariam confessionis, & per consequens fingendo vnum veniale, Sacramentum erit irritum ex defectu materiæ fidelis. Respondeo, q. pœnitens nequit facere materiam necessariam sacramenti: hoc enim est solius Dei, nisi forte voueat confiteri venialia, ergo quantumcumque proponat confiteri venialia, non facit illa materiam necessariam. Et in hoc fallitur Caiet. Vide Nauar. cap. 21. nu. 37.

Et si adhuc dicas, esto aliquem vnicum tantum confiteri veniale, quod sibi imponit, tunc peccat mortaliter, quia inficiatur materiam Sacramenti, quod manifeste est nullum, ergo vera est sententia Caiet. Respondeo concedendo, quod in dicto euentu peccat mortaliter, sed non est, quod iteretur in futura confessione, præter peccatum mendacij, quod est confitendum.

Dico tertio quando penitens affirmat tanquam certum, quod est dubium accusans se de aliquo mortali, si hoc facit ex industria, peccat mortaliter, & Sacramentum erit nullũ propter defectum fidelitatis, vt dictum est, sed si hoc faciat eligens partem tutiorem, quamuis erret, & peccet venialiter non tamen Sacramentum erit irritum: quia talis confessio est fidelis, quamuis enim dicat falsum nõ mentitur, quia deficit intentio fallendi alium, tunc autem non intendit penitens decipere confessorem, sed solum eligere partem tutiorem, hæc conclusio est Caiet. & vera.

Penitẽs ex negligentia aut obliuione nõ ad implens penitentiam an teneatur iterare confessionem. Dubitatur quarto an penitens, qui ex negligentia vel obliuione, non adimpleuit penitentiam teneatur reiterare cõfessionem. Partem affirmatiuam tuentur Palud. d. 17. quæst. 5. art 5. & Syluest. verbo Confessio. 1. §. 3. sed contraria sententia est verior, & communis, & patet quia si penitens accessit parate paratus, confessio fortita est suum effectum, ergo improbabiliter dicitur Sacramentum quoad tenia, irritari per subsequens peccatum, & per consequens, quod de- *Paludan. Syluest.*

beat iterari: hoc enim vnum certissimum est, quod quando verum efficitur Sacramentum penitentiæ, non tenemur ad reiterationem confessionis eorundem peccatorum.

Et si quæras. Esto neminem teneri, est ne vtilis reiteratio confessionis validæ? Respondetur affirmatiue, uerum enim efficitur Sacramentum, habens materiam non necessariam, sed voluntariam, & formam & ex consequenti, virtus passionis Christi, quæ ibi applicatur satisfactionem aliquã pro pœna temporali debita operatur. Et Richar. d. 18. art. 2. q. 4. *Richard. Scotus.* & Scotus. d. 18. ad primum qui videntur asserere, quod iterata absolutio non remittit pœnam temporalem intelligendi sunt, quando est iam remissa virtute satisfactionis, nunquam tamen negauerunt verum effici Sacramentum, & ex consequenti gratiam conferre.

Dubitatur quinto. An confessio inualida ob defectum cõfessoris sit iteranda. Respondetur affirmatiue: quia omnis *Confessio inualida ob defectum confessionis an sit iteranda.* confessio inualida est iteranda. Ideo videndum est quando confessio est inualida ex parte ministri.

Primo potest esse inualida ex defectu potestatis, vt si non est sacerdos, vel non habet iurisdictionem, vt simplex sacerdos, vt constat ex Concilio Lateranensi.

Secundo ex defectu voluntatis, vt si sacerdos non habuit *Conc. Later.* intentionem absoluendi.

Tertio ex defectu scientiæ, quando scilicet sacerdos tanta laborat ignorantia, quod nequit discernere inter lepram, & lepram, tunc enim caret claue scientiæ, ergo nequit iudicare, maxime si penitens propter turbatam conscientiam indigeat confessore experto: tunc enim si cęcus cęcum ducit, ambo in foueam cadunt, quod videant qui ex industria confessores idiotas quærunt.

Quarto quando sacerdos est nominatim excommunicatus, vel est notorius Clerici percussor, tunc etiam non tenet absolutio, vt constat ex Concilio Constantiensi in Extrauag. Ad euitanda scandala, sed aduerte, quod iste vnicus casus vnicam habet exceptionem, scilicet quando denunciatus habet titulum Curati, & communiter ignoratur eius excommunicatio, tunc enim subditi postquam nouerint fuisse confessos Curato excommunicato, non tenentur reiterare confessionem. Et nota quod vtrunque requiritur copulatiue, scilicet titulus, & communis error facti, scilicet excommunicationis, ex quo colligit Caietanus vbi supra, & refert arg. *Caietanus.* legis Barbarius Philippus ff. de officio Prætoris, quod omnes confessiones factæ religioso Apostatæ denunciato sunt reiterandæ, postquam nota fuerit eius excommunicatio.

Secundo sequitur, quod confessio facta excommunicato nondum denunciato, si fuerit Curatus non est reiteranda, quamuis adhuc pœnitens subditus sibi eum induxerit, quia petit ministerium sibi a curato debitum. probatur per dictam extrauag. Ad euitanda scandala. Vide Caiet. verbo ex- *Caietanus. Medina. Richard.* communicatio minor. Medinam cod. de penit. & Richard. d. 17. ar. 3. vbi docent, quod quando confessio est nulla ex defectu confessoris sufficientis in aliquo ex prædictis casibus, tenetur sacerdos admonere penitentem, vt iterum confiteatur.

Distinctio. XVIII.



Ic quæri solet si peccatum omnino dimissum &c. Superius Magister determinauit de pœnitentia, quantum ad suas partes. hic autem consequenter determinat de potestate dispẽsantium hoc Sacramentum, & circa hoc tria facit. Primo numerum clauium, & in quo eorum vsus consistat proponit. Secundo quomodo solus Deus peccata dimittat ostendit. Tertio modum quo sacerdotes ligant, & soluunt adiungit. In speciali autem sententia Magistri consistit in tribus conclusionibus. *Cõtinuatio. Diuisio.*

Prima conclusio est hæc. Claues sacerdotibus concessæ sunt scientia discernendi, & potestas iudicandi hanc cõclusionem Magister insinuans quærit. Cum in sola contritione cum proposito tamen confitendi peccatum condonetur, non solum quo ad maculam, verum etiam quo ad pe- *Claues sunt scientia discernendi, et potestas iudicandi.*

na rea-

næ reatum ante confessionem Sacerdoti factam, quid ergo sacerdos in sua absolutione dimittat, & quid virtus clauium tunc temporis operetur, cui quæstioni respondet inquit, intentionem suam non esse de clauibus temporalibus, seu corporalibus, sed de spiritualibus loqui; quæ nihil aliud esse dicuntur, quam discernendi scientia, & iudicandi potentia: quia Iudex ecclesiasticus dignos recipere habet, indignosque a regno Dei excludere, vt puta ab ecclesia, vel sacramentorum receptione, quæ uit ligandi, & soluendi ecclesiæ sacerdotibus competit, & non hæreticis.

Deus solus maculã culpæ absterg it & pœnã remittit.

Secunda conclusio. Solus Deus maculam culpæ abstergit, & a debito mortis æternæ absoluit; hanc insinuans Magister, quærit quid operetur sacerdos absoluendo a peccato, an scilicet in absoluendo a peccato culpam, vel etiam pœnam tollere possit. Circa hoc duæ extant opiniones, quas in textu ipse Magister reccuset, quibusdã enim videtur, quod Deus animam a morte suscitet, & sacerdos deinde pœnæ reatum dimittat. Vnde dicunt. Dominum prius Lazarum suscitasse, & viuificasse, deinde Apostolis soluendum reliquisse. Alijs vero visum fuit, quod sicut solus Deus animam viuificat interius tollendo culpam, sic & reatum pœnæ æternæ relaxat. Vnde B.

D. August.

Augustinus exponens illud psal. Beati quorum remissæ sunt iniquitates &c. sic ait. Quorum tecta sunt peccata, id est, cooperta, & abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit aduertere, si noluit aduertere, neque etiam animaduertere, id est, punire, sed ignoscere, solus ergo Deus peccata dimittit. Et quando Deus videt peccata hominum, tunc illa ad pœnam imputare dicitur, at quando faciem auertit, illa ad pœnam minime reseruat. Dicit

D. Hierony. Cassiodorus

Hierony. super eodem psal. ait. Quibus Deus peccata dimittit tegit, ne in iudicio reuelentur. Item Cassiodorus dicit. Qui grauia habent peccata, alijs Deus imputat, alijs per misericordiam non imputat. Quare ex his aperte ostenditur, quod Deus ipse pœnitentem soluit a debito pœnæ, maxime quando intus illuminat, contritionem inspirando, quæ non est sine charitate: solus ergo Deus ille est, qui delet iniquitates, & peccata populi, sacerdotibus tamẽ tradita est potestas dimittendi, & retinendi peccata, & aliquid operantur per illam potestatem: quia peccata dimittunt, & retinent; sed Deus per se ipsum, & principaliter dicitur absoluere, & licet apud Deum peccator, per contritionem dicatur absolutus, tamen in foro ecclesiæ non sic iudicatur. Quare auctoritate concessa sacerdotibus in facie ecclesiæ peccator est absoluendus.

Sacerdotes tamen aliter quam Deus soluunt, & dimittunt peccata. Nam Deus per se dimittit culpam mundãdo animam a macula culpæ, & soluendo debitum pœnæ æternæ. Sacerdotes vero dimittunt, & soluunt omissionẽ factam, vel non factam manifestando, & ostendendo. Vnde Dominus prius, & per se leprosis sanitatem restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderentur mundati. Vnde si aliquis apud Deum est absolutus, non tamen in facie ecclesiæ est absolutus, nisi per iudicium sacerdotis. Nam si sacerdos legalis lepram non mundauit; sed inter mundos, & immundos discernebat, ita sacerdos Euangelij peccata non dimittit, sed vtrum dimissa sint iudicat, & ostendit.

Sacerdotes ligant cum satisfactionem impo- nunt pœnitẽtia.

Tertia conclusio. Sacerdotes ligant cum satisfactionẽ imponunt pœnitentiæ, tunc vere soluunt cum de ea aliquid dimittunt, & purgatos ad sacramentorum communionem admittunt. hanc Magister insinuans continuat prædictas, scilicet ponendo secundum modum, quo sacerdotes dicuntur ligare, dicuntur ligare, quãdo satisfactionem pro pœnitentia imponunt, soluere vero cum de ea aliquid dimittunt. In primo opus iustitiæ exercent, & in secundo opus misericordiæ, ex quibus apparet quid sit ligare: nem est pœnitentem obligare ad pœnam satisfactoriam, quod ad claues pertinet, vt perbelle docet D. Aug. *D. Augusti.* *qui dicit, quod pœnitentia sine arbitrio sacerdotis frustratur, & ecclesiæ contẽptibiles facit claues. Verba D. Augusti. sunt. Frustrat Claues ecclesiæ, qui sine arbitrio sacerdotis pœnitentiam agit, si sine oris confessio criminis indulgentiam imprecatur.*

Dicuntur etiam sacerdotes soluere, & ligare per excommunicationem, quando per ecclesiæ sententiam a loco orationis, & sanctorum communione, nec non a fidelium consortio contumacem præscindunt, vt erubescat, & pudore sceleris conuersus pœnitentiã agat. Tunc vero solui tur quando pœnitentiam profitẽs cõmunioni admittitur, & ecclesiæ sanctæ reconciliatur. At quam diu manet excommunicatus, tam diu dicitur gratia diuina priuatus, nec non protectione Angelica, ita ut derelictus liberius cadat in peccatum. Præterea Diabolus in eum potestatem habet, denique illi ecclesiæ orationes non prodesse putantur, & hæc satisfactionem vilipendentibus pœna infligitur.

Sed quæritur quomodo secundum hos modos ligandi, atque soluendi illud verum sit, quod Dominus dicit illa esse in cælis soluta, & ligata, quæ in terris sacerdotes ligauerunt, & soluerant, cum ipsi quandoque ligatos, & solutos ostendant, qui non sunt coram Deo absoluti. Insuper cum interdum indignos ligare, & soluere dicãtur. Respondet Magister, Intelligendum esse, quod tunc solutio, & ligatio sacerdotis diuino iudicio approbatur, quãdo clauis discretionis adhibita sit secundum meritorum exigentiam. Vnde dum sacerdos in iudicando errat, tunc qui ligatur, apud Deum iudicem ligatus non habetur, nisi contemnat ecclesiæ sententiam. Vnde secundum Origenem hom. 4. super Lucam interdum qui foras mittitur intus est, & qui foras est, interius retineri videtur.

Quæ sit illa macula a qua Deus animã purgat.

Secundo quæritur, quæ sit illa macula, & quæ interiores illæ tenebræ, a quibus Deus animam purgat cum pœnitentiam immittit. Respondet Magister, quod illa macula non est mala voluntas: quia illa iam transiuit, nec dici potest pœnitentiæ contemptus, quoniam illud est nouum peccatum, est itaque dissimilitudo, seu quædam elongatio a Deo, quæ tanquam macula inest animæ, a qua per pœnitentiam purgatur. Quantum vero ad tenebras interiores respondendo dicit, quod hominis peccantis mortaliter intellectus obtenebatur, & naturalia vitiantur, & gratia Dei priuatur, quæ priuatio gratiæ, & deterioratio bonorum naturalium mentis caligo interior est, a quibus omnibus homo per pœnitentiam curatur. Nam medici spirituales dicuntur in suo ministerio sacerdotes; quorum munus curare est, gratiæ autem viuificare, & hæc sunt quæ breuiter tractat Magister in hac distinctione.

Distinctio. XIX.

Cōtinuatio. Diuisio.



Ostquam ostensum est, quæ sint claues Apostolicæ &c. Postquam ostensa est clauium potestas secundum se, hic cōsequenter determinat, quorum sit claues habere, & tria facit. Primo ostendit quibus, & quando claues dantur. Secundo quomodo habentes claues se virtutibus ornare teneantur. Tertio quorum benedictionibus suscipientibus plus suffragentur, iuxta quæ, tribus conclusionibus tota sententia Magistri explicatur.

Sacerdotes in consecratione vtranque clauem accipiunt.

Prima conclusio. Quamuis non Magister, tamen omnes Doctores dicunt, vtranq; clauem omnes Sacerdotes in consecratione accipere. hanc Magister insinuans proponit primo, quod post prædicata, considerādum est, quādo & quibus dantur claues, & dicit quod dantur claues per ministerium Episcopi in promotione sacerdotū: simul enim cū quis sacerdotij ordinē recipit, recipit & claues.

Sed contra hoc obijciunt aliqui cum Magistro maxime quantum ad scientiæ clauem, dicentes hanc non solum habere sacerdotes; plures enim non sacerdotes scientiam discernendi habent, & multi sacerdotes ea carent; non igitur conferri videtur cum ordine ab Episcopo sacerdotib. scientiæ clauis. Huic instantiæ respondendo Magister ait, hanc scientiæ clauem, quæ discernendi scientia dicitur, non omnes sacerdotes habere. Vnde in consecratione sciētiam non habentes, neque hanc clauem recipere dicentur. Non sacerdotes vero quamuis scientiam discernendi possint habere, ob id clauem non dicuntur habere, cum ea claudere, vel aperire nequeant: quia officio sacerdotis non funguntur. At si tales ad sacerdotium promoueātur, tunc temporis claues recipere dicentur, quoniam etiam ante habita scientia habentur. Sed in hac parte non probatur Magister, quia videtur velle, quod scientia discernendi, vt notat habitum sciētiæ sit clauis, quod non est verum: Nam huiusmodi habitum scientiæ clauis dici non debet, nec talis clauis suscipitur in susceptione ordinis, sed illa de qua erit sermo in quæstione Doctoris, quare in hac parte dimittendus est Magister.

D. August. Origenes

Sed dubium est, vtrum sacerdotes habeant clauem potentiæ. Nam quidam fuut opinati, quod non omnes eam habeant, sed solum doctrinæ imitatores simul, & vitæ Apostolicæ, quod auctoritatibus D. Augustini, & Origenis confirmant, quæ patent in littera Magistri. Altera opinio est quam approbat ipse Magister, quod omnes sacerdotes talem habeant scientiæ clauem; licet solum digne tali vti valeant auctoritate, qui vitam, & doctrinam apostolicam seruant. Quare auctoritates, quas prima adducit opinio pro se, non negant malos sacerdotes potentiæ clauem habere, at solum dicunt vti digne eis posse, qui doctrina, & vita Apostolica præditi sunt. Et ex hac responsione elicitur.

Qui vult alios soluere, vel ligare debet se prius virtutib. adornare.

Secunda conclusio. Qui vult alios soluere vel ligare, debet se prius virtutibus adornare. Nam per Dominum tantum, vel per sanctos, in quibus habitat Spiritus sanctus digne, & recte fit remissio, vel retentio peccatorum, fit etiam & per illos, qui sancti non sunt, sed non dignè, vel rectè, Dat enim Deus benedictionem digne poscenti etiam per indignum ministrum. Quod vero hanc potestatem habeant omnes sacerdotes. probat auctoritatib. D. Hierony. & August. quas videre potestis in littera.

D. Hieron. D. August.

Tertia conclusio. Alia est benedictio, quæ solis sacerdotibus conuenire dicitur ex officio. Alia vero quæ iustis exhibetur hominibus. Ad quam insinuandam obijcit Magist. contra prædicta quadam auctoritate Esychij super Leuit. 1. q. quæ videtur dicere, quod omnes viri sancti benedicere habeant, & nō solum sacerdotes. Ita enim scribit. Sacerdotes non propria virtute benedicunt, sed quia figuram Christi gerunt, & propter eum, qui in ipsis est, plenitudinem benedictionis tribuunt, non solum is, qui sacerdotium sortitus est, sed quicunque Christum in se ipso habet, & eius figuram gerit per conuersationem bonam, sicut Moyses idoneus est, vt benedictionem præstet, cuius oppositum dictum est in quadam auctoritate D. August. in lib. quæst. veteris Testam. q. 11. vbi inter alia dicit. Per quod ostenditur spiritum gratiarum non personam sequi digni, vel indigni, sed ordinem traditionis, vt quamuis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere nisi fuerit ordinatus, vt officij ministerium exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis. *D. August.*

Huic obiectioni respondens Magist. dicit, quod alia est benedictio, quæ fit ex merito sanctitatis, quæ omnibus hominibus competit, alia vero quæ fit ex auctoritate ordinis, quæ solis congruit sacerdotibus, quam licet dicantur omnes sacerdotes habere, soli tamen boni maxime eam dicuntur habere, quia ea recte vtuntur. Nec ob id vita mala sacerdotum subditos lędere valet, si bona faciunt, quæ ipsi dicunt. Hinc subditi discant non multum sacerdotis discutere vitam, hoc enim ad verum spectat iudicem. Sed dicetis. Cur ergo Dominus per Malachiam prophetam malis comminatur sacerdotibus, quod maledicturus sit eorum benedictionibus. Maledicam benedictionibus vestris, & specialiter illis sacerdotibus, qui viuificant animas, quæ nō viuunt, & mortificant animas, quæ non moriuntur.

Videatur itaque hæc aduersari prædictis. Ad hanc cauillationem respondet quidam hoc intelligendum esse de sacerdotibus præcisis ab ecclesia, vel etiam de illis sacerdotibus, qui sine scientia, & bona vita, præsumūt soluere, & ligare: debet enim sacerdos immunis esse ab illis, quæ in alijs iudicat, alioquin se ipsum condemnat.

Occasione cuius ostēdit qualis debet esse sacerdos, qui soluit, & ligat. debet enim habere quinque conditiones. Primo potestatem ordinis. Secundo potestatem iurisdictionis. Tertio potestatem quo ad vsum, deinde scientiā vt valeat discernere inter peccatum, & non peccatum, inter mortale, & veniale, insuper prudentiam pœnitentem instruendo, interrogando, hortando, animando, ad spem &c. & sobrie inuestigando. Quarto debet habere bonitatem in conscientia, quia si in mortali confessiones audiat, mortaliter hoc Sacramentum administrando peccat. Quinto debet habere sigillum, & esse secretus, ita quod quocunque præcepto et facto, etiam a Papa non debet manifestare, quæ in confessione audiuit. Ex his satis perpenditur, qualis debeat esse sacerdos, qui alios ligat, & soluit, discretus scilicet, & iustus, discretus in scientia, iustus in vita, alioquin mortificat sæpe animas, quæ non moriuntur, & viuificat, quæ non viuunt. Et ita incidit in maledictionis iudicium. Illud autem Malachiæ: Maledicam benedictionibus vestris. siue super hæreticos tantum, & excommunicatos, siue super omnes sacerdotes, qui vita & scientia carentes benedicere præsumunt dictum accipiatur, potest bifariam intelligi primum, quod benedictio malorum sacerdotum cedere eis in maledictionem, non benedictionem: quia etsi benedicunt sanctis, non hoc faciunt ex vero corde, & ideo eorum benedictio eis vertitur in maledictionem. Secundo quod a *Confessor quinq. debet habere conditiones.*

vobis

vobis benedicitur a me erit maledictum. quia benedicunt iniquè agentibus, adulanturque peccantibus, dummodo diuites sint. Ita Diuus Hieronymus non longe a principio commen. ad 2. cap. Mala. tom. 6. & hæc satis de hac distinctione. Circa has duas distinct. 18. & 19. quærit Doct. duas quæstiones, & quia soluit primo quæstionem motam circa. 19. Nam solutio quæst. quæ pertinet ad dist. 18. pendet ex solutione quæst. Pertinentis ad distinctionem 19. Ideo prius disputat eam Doctor. & quærit.

D. Hieron.

QVAESTIO VNICA. Dist. XIX.

Vtrum cuilibet sacerdoti in susceptione ordinis sacerdotij conferantur claues Regni cœlorum.

PRo explicatione tituli obseruandum est, primo, Quod fuit Antiquus error Nouatianorũ, qui Potestatem ecclesiæ ad remittenda peccata negauerunt, vt late tractat Cyprianus lib. de lapsis a principio, vbi auctorem huius erroris indicat fuisse Nouatianum. Idem in Epistola. 52. & Ambrosius libro primo de pœnit. a principio. Augustinus vero hæresi 38. dicit fuisse Nouatum. Hos vero duos fuisse diuersos, & alterum, scilicet Nouatum fuisse presbyterum Africanum, alterum vero fuisse Pseudoepiscopum Romanum, qui contra Cornelium schisma excitauit, patet ex Damaso in vita Cornelij, & ex eodem Cornelio Episto. 1. decretali, & ex Fabiano Papa epist. 1. decret. Superuenit (inquit) Nouatus ex Africa, & separauit ab Ecclesia Christi Nouatianum, & quosdam alios. Hieronymus etiam in libro de scriptoribus ecclesiasticis in Nouatiano docet primum auctorem huius erroris fuisse Nouatum, qui postea Nouatianũ sibi adiunxit, qui tamen postquam Episcopus factus est, veluti caput, & Princeps huius hæresis est habitus, & sæpe propter nominum similitudinem confuse de his duobus historiæ loquuntur, vt videre est in Eusebio lib. 6. cap. 33. & 34. Nicephoro lib. 6. c. 3. & sequentibus. Socrate lib. 4. c. 28. & lib. 8. Tripartitæ c. 9.

Nouatiano rum error. Cyprianus. Ambrosius. Augustin. Damasus. Cornelius Fabianus. Hieronym. Eusebius Nicephor. Socrates.

Secundo obseruandum est, quod in explicando hoc errore magna est varietas. Multi enim Patres tribuunt his hæreticis, quod negauerint non solum potestatem ecclesiæ ad remittenda peccata post baptismum contracta; sed etiam dixerint coram Deo esse irremissibilia per pœnitentiam. Alij vero (v. Richardus notauit art. 5.) dicunt eos non negasse fructum interioris pœnitentiæ apud Deum, sed solum apud ecclesiam, negando illi hanc potestatem, & consequenter etiam negando Sacramentum pœnitentiæ.

Richard.

Et quidam affirmant Nouatum in principio non negasse hanc potestatem circa omnia peccata, sed specialiter circa peccatum negantium Christum in tormentis, & propterea dixisse huiusmodi lapsos nunquam esse admittendos ab ecclesia ad communionem; sed monendos esse, vt pœnitentiã agant, remissionem vero talis peccati Deo committendam esse. Postea vero discipulos eius hoc extendisse ad omnia peccata ita sumitur ex lib. 2. Tripartita cap. 13. & Nicephoro lib. 8. c. 20. lib. 11. c. 14. & lib. 14 cap 25. Hieronymus autem epist. 95. dicit, Nouatum quidem id prius docuisse de peccato ad mortem, postea vero ad omnia peccata suum errorem ampliasse, & ibi tribuit eundem errorem Montano. Ambrosius vero lib. 1. de pœnit. c. 2. & 3. potius è contrario dicit, Nouatum in principio generalem docuisse errorem, discipulos vero postea temperasse.

Tripartita. Nicephorus Hieronym. Ambros.

In hunc errorem consenserunt postea omnes hæretici, qui claues ecclesiæ negarunt, vt Valdenses. Vuicleph. & Ioan. Hus vt refert Vualdensis li. 2. doctrinalis fidei. c. 144. & sequentibus, & Tom. 2 de Sacramentis. c. 135. vbi Massilienses, & Ecobitas eundem errorem tribuit ex Damasceno libro de hæresibus, idem Epiphanius hæresi. 80. & Guido Carmelita lib. etiam de hæresibus.

Tho Vuald. Triphan. Guido.

Lutherani denique, & omnes recentiores hæretici eamdem hæresim excitauerunt. Nam præter potestatem concionandi, & baptizandi, non agnoscunt in ecclesia aliam potestatem remittendi peccata, quæ per solam fidem tolli dicunt, & per concionem & baptismum solum, quatenus excitant fidem, vt videre est in Roffensi ab art. 3. vsque ad 15. & Richardo etiam artic. 3. & sequentibus. Bellarm. & alijs.

Roffensis. Richard. Bellarmin.

Tertio obseruandum est, quod appellatione regni cœlorum nonnunquam intelligatur sacra scriptura, quemadmodum Origenes, & Hieronymus exponunt illud Matthęi 21. Auferetur a vobis regnum Dei &c. quandoque intelligitur ecclesia militans, iuxta illud simile est regnum cœlorum grano synapis, nam hic seminatur, & crescit vsque ad fructum gloriæ. Sed potissimum accipitur pro cęlesti æterna fœlicitate, vt Matth. 5. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, & iuxta hoc triplex significatum regni cœlorum, triplex est munus clauium, atque adeo per interpretationem scripturæ aperitur regnum cęlorum in primo significato, per excommunicationem excluditur homo secundo modo a regno cęlorum, hoc est ab ecclesia, & per absolutionem a peccatis introducitur in regnum cęlorum, tertio modo. In proposito autem dum Christus claues regni cęlorum nominauit, non intellexit nisi regnum cęleste, non ad illud hæ omnes functiones referuntur. Sunt autem huiusmodi claues (vt bene colligit Glossa super illud Matt. 18. Quodcunque solueritis super terram &c.) discernendi scientia, & potentia iudicandi, id est, ligandi, & soluẽdi, qua ecclesiasticus Iudex dignos recipere, & indignos debet excludere a regno cęlorum. hæc de titulo quæst. quam Doct. diuidit in quinque articulos, nos autem pro ampliori doctrina in nouem.

Regnum cœlorum quot modis sumatur in scriptura. Origenes. Hieronym. Glossa.

Primus Art. Vtrum apud sacerdotem rite ordinatum sit vna clauis ecclesiæ, quæ est potestas sententiandi in foro pœnitentiæ.

Secundus Art. Vtrum apud sacerdotem rite ordinatum sit clauis, quæ est potestas cognoscendi in causa rei confitentis.

Tertius Art. Vtrum clauis potestatis, & scientiæ sint vna, vel duę claues.

Quartus Art. Vtrum quilibet sacerdos possit vti clauibus in quemlibet.

Quintus Art. Vtrum præter clauem scientiæ, & potentiæ sit in ecclesia alia clauis.

Sextus Art. Vtrum solus Summus Pontifex habeat clauem excommunicandi.

Septimus Art. Vtrum debeat quis præcise pro mortali peccato excommunicari.

Octauus Art. Vtrum solum viuentes excommunicari possint.

Nonus Art. Vtrum teneatur fidelis excommunicatum vitare.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum apud sacerdotem rite ordinatum sit vna clauis ecclesiæ, quæ est potestas sententiandi in foro pœnitentiæ.

PRo explicatione huius quęst. obseruandum est primo, quod hæc quæstio duo præsupponit, primo præsupponit Christum reliquisse ecclesiæ potestatem ad remittenda peccata post Baptismum commissa, dico post Baptismum commissa: quia hic iam non agimus de remissione peccati originalis, nec eorum actualium, quæ cum illo coniunguntur aliquando, & cum eo remitti debent per Baptismum: nam de hac re satis a nobis dictum est in priori tomo. Hoc præsuppositum definitum est in Concilio Constantiensi sess. 8. & in Lateranensi in capitulo firmiter. de summa Trinitate, & in Florentino in literis vnionis sub nomine clauium, & expressius in Tridentino sess. 14. cap. 1. can. 3. Secundum præsuppositum est potestatem hanc esse iudiciariam, seu per modum Iudicij exercendam, quod est etiam de fide vt constat ex Concilio Trid. n. sess. 14. cap. 1. vbi propterea can. 9. definit absolutionem esse actum iudicij. & sententiæ prolationem. Quod etiam maxime confirmatur ex traditione ecclesiæ. Quæ in illis verbis. Quorum remiseritis peccata &c. semper intellexit, constituisse Christum Dominum in ecclesia sua quoddam Tribunal, & reliquisse Iudices, apud quos peccatorum & conscientiarum causæ tractarentur.

Conc. Const. Conc. Later. Conc. Flor. Conc. Trid.

Secun-

Claues ecclesiæ nō sūt materiales. Secundo obseruandum est, quod claues ecclesiæ nō sunt materiales, seu corporeæ sed spirituales, dicunturque claues metaphoricæ, seu per translationem: omnes transferentes secundum aliquam similitudinem transferunt, vt dicitur 6. Topicorum. Vnde quia clauis materialis est proximum instrumentum aperiendi, & claudendi ostium, per quod intratur in domum, ideo potestas spiritualis, quæ est in sacerdote, quæ quidem est immediate principium siue instrumentum ferendi sententiam in foro pœnitentiali, per quam regnum cęlorum aperitur alicui, vel clauditur, proprie dicitur clauis regni cęlorum.

Ianua clausa vt aperiatur quatuor requiruntur. Tertio obseruandum est, quod ad hoc quod aliqua ianua alicuius domus clausa aperiatur alicui, concurrūt quatuor. Primum est ipsum aperiens. Secundum est instrumentum, quo aperitur, & vocatur clauis. Tertium est ipsa actualis apertio. Quartum est causa propter quam huic aperitur, & illi non, scilicet merita propter quæ huic aperitur, & demerita propter quę illi non aperitur. Eodem modo spiritualiter Philosophādum est in apertione Ianuæ Regni cęlorum nobis per peccatum clausæ. Ibi enim primo est aperiens, & iste est Sacerdos sententians, quod peccator confessus est dignus ingressu regni cęlorum. Secundo est ibi instrumentum aperiendi, quod dicitur clauis, & hæc est potestas aperiendi, insinuando quæ est immediatum instrumentum aperiendi ianuam clausam, & ista dicitur clauis, atque ita potestas collata sacerdotibus ligandi, atque soluendi, dicitur clauis fori pœnitentialis. Tertio est ibi actualis apertio, & ista est actualis sententiæ prolatio, vel peccatorum absolutio in forma ecclesiæ. Quarto est causa propter quam, & ista causa est meritum confitentis, quare huic aperitur, & demeritum quare illi clauditur. Ex quibus apatet quod ipse sacerdos absoluēs, non dicitur clauis, nec ipsa absolutio, neque ipsa causa apertionis, sed solum instrumentum apertionis, scilicet potestas sacerdoti tradita aperiendi ianuam Regni cęlorum, & claudendi, ista verba sunt sententialiter Scoti in hac q.

Quarto obseruandum est, quod ista potestas siue auctoritas iudiciaria, qua fertur sententia de cęlo alicui aperto vel

Potestas aperiendi cœlū tripliciter potest intelligi. aperiendo, (inquit Doctor) potest intelligi tripliciter, vno modo auctoritas simpliciter principalis. Secundo modo nō principalis, sed præexcellens. Tertio modo non principalis, nec præexcellens, sed particularis.

Primo modo conuenit soli Deo. Primo qui ipse solus ex se est iustus, imo ipsa iustitia. Primum autem iudicium non potest competere nisi primo iusto, quia nō est perfectum iudicium nisi iustum sit, iuxta illud psal. 118 Feci iudicium & iustitiam, siquidem iudicare est ius, vel iustum dictare, primum autem iustum oportet esse perfectissimum, atque ita iustissimum. igitur potestas, vel auctoritas iudiciaria principalis sententiandi de cœlo alicui aperto, vel aperiendo conuenit primo iusto, qui est Deus optimus maximus. Idque secundo probatur. Quia iudicare est præsidentis iuxta illud ad Roma. 14. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum; primus autem præsidens non potest esse nisi solus Deus. Vnde sicut non potest alij communicare diuinitatem, sic nec primam potestatem iudicandi, nec per consequens clauem simpliciter principalem aperiendi Regnum cœlorum.

Secundo modo, scilicet. Secunda clauis non principalis, tamen præexcellens, hoc est prædicta auctoritas iudiciaria potest intelligi præexcellenter quātum ad duplicem præeminentiam, vnam quidem in vniuersalitate causarum iudicandarum, alteram vero in sententiæ definitiuæ firmitate, & vtraque præeminentia potest conuenire illi, qui omnia merita, & demerita nouit, quæ causæ sunt propter quas Regnum cœlorum alicui aperiendum est, vel claudendum, & simul cum hoc voluntatem habet inseparabiliter conformē iustitiæ diuinæ, propter primum illorum talis potest in omnibus causis ferre sententiam; quia omnes nouit, propter secundum autem potest eius sententia esse firma simpliciter, & irreuocabilis, quia semper est iusta, & ista auctoritas siue clauis cum vtraque præeminentia propriè est Christi hominis, qui omnia nouit, & merita, & demerita iudicandorum, semperque iustitiæ diuinæ conformiter iudicat. Talis autē clauis non potest esse in ecclesia militante, saltem de cōgruo quia nullus in ecclesia nouit omnes causas iudiciarias, neq; habet voluntatem immutabiliter iustam.

Tertio modo. f. Tertia clauis: particularis quantum ad causas cognoscendas, hoc est prædicta auctoritas iudiciaria potest intelligi non præexcellenter, neque principaliter, sed particulariter quantum ad aliquas causas cognoscendas, & mutabiliter quantum ad sententiam ferendam, ita videlicet, quando fit aliquando reuocabilis potest conferri alicui in ecclesia militante, qui possit in tali causa cognoscere, in illaque secundum legem diuinam recte iudicare cuius sentētia firma erit, & rata si conformis sit legi diuinæ, si vero difformis erit infirma, & inualida. Potest igitur esse clauis aperiendi cęlum, videlicet potestas ferendi sententiam particulariter, & non irreuocabiliter de cęlo alicui aperto, vel aperiendo.

Congruum est clauē sententiandi esse in ecclesia. Est vero congruum talem clauem esse in sacerdotibus, vt hierarchia ecclesiastica sit ordinata, & vltima reducantur in primum per medium. hierarcha autem, id est, sacerdos est medius inter Deum, & peccatorem reducendum in Deū.

D. Bernar. De quo legendus est D. Bernardus lib. 3. de consideratione ad Eugenium Papam. c. 13. Ideo etiam congruit perfectioni causarum secundarum in esse morali, sicut actio propria cōgruit perfectioni causarum in esse naturali. Deus enim vniuersaliter non negat creaturis causalitatem, quæ potest illis competere, imo eis illam communicat, & ad illius actionem causis secundis assistit. Cum ergo in esse gratuito possibile sit hominem posse habere istam causalitatem reductiuam peccatoris in Deum, quæ dicitur clauis, congruum fuit talem causalitatem, & clauem donari sacerdoti, qui supremus est in ecclesia. His præmissis, respondetur ad quæstionem vnica conclusione.

Conclusio. Talis potestas vel clauis de facto data est a Deo sacerdotibus in ecclesia. probatur conclusio ex illo Matthęi. 16. Tibi dabo claues Regni cœlorum; vbi Petro & sacerdotibus hoc donum promissum fuit illudq; promissum fuit adimpletum Ioan. 20. dicente Christo, Quorum remiseritis peccata &c. quæ recte dicitur clauis potestatis, quia auctoritas iudicandi recte dicitur potestas, cum iudicare sit presidentis.

Secundo probatur ratione. Cui datur quod maius est, regulariter illi non negatur, quod est minus, sed maxima potestas possibilis viatori est potestas consecrandi corpus Christi, quam Deus dedit sacerdotibus. ergo etiam contulit illis potestatem respectu corporis mystici, quæ minor est, videlicet clauis ligandi, atque soluendi.

Contra hanc conclusionem arguitur primo ex illo Apoc. 3. vbi dicitur de Christo Domino: Claudit, & nemo aperit, aperit & nemo claudit, ergo solus ille habet claues Regni cœlorum, & non alius Sacerdos.

D. August. Item D. August. lib. 5. de Baptismo contra Donatistas dicit, a peccato non absoluit nisi Columba, id est, Christus, vel membra Columbæ, qui sunt sacerdotes iusti, ergo nullus sacerdos iniustus habet claues, quibus possit a peccato absoluere.

Ad primum dicit Doctor, quod illa auctoritas Apoc. loquitur de claui præexcellentia, quæ est auctoritas sententiandi vniuersaliter, & irreuocabiliter, non autem loquitur de claui ministeriali, quam habent sacerdotes ecclesia, vt explicatum est supra.

Ad secundum Doct. negat consequentiam: nam & per Christum, & per sacerdotes iustos fit remissio peccatorum digne, per sacerdotes vero iniustos, legitime tamen absoluētes, fit etiam peccatorum remissio non tamē digne, & sic explicanda est auctoritas D. August. Dat enim Deus benedictionem digne poscenti, etiam per ministrum indignum, vt

D. August. D. Hieron. patet ex D. Hieronymo super illud Matth. 16. Tibi dabo claues Regni cœlorum, & ex D. August. in lib. quæst. noui, & veteris testamenti. q. 11. dicente voluntas sacerdotis obesse, vel prodesse non potest, sed meritum benedictionem poscentis.

ARTICVLVS II.

Vtrum apud sacerdotem rite ordinatum sit clauis, quæ est potestas cognoscendi in causa Dei confitentis.

Videtur quod non: quia huiusmodi clauis dicitur communiter esse clauis scientiæ, sed hæc non confertur cuilibet in sacerdotem ordinato, quia prius ignarus non inuenit se scientem post ordinationem, neque prius sciens inuenit se plus scientem, quam ante, probatur minor, quia si talis scientia conferretur nobis in ordinatione, non lateret nos secundum Arist. in fine lib. 2. post. ergo clauis ista non confertur sacerdotibus in ordinatione.

Pro

Magister retr.

Pro solutione quæst. obser. est primo, quod Magister sent. vt vidimus in textu, voluit quod clauis scientiæ sit habitus scientiæ, sed omnes fere Doctores tenent oppositum. Vnde inquit hic Doct. quod ista clauis scientiæ non est scientia actualis, vel habitualis, vel quæ vis alia discretio, quia licet auctoritas cognoscendi in causa peccatorum requirat scientiā, vel discretionem concomitantem rectum vsum illius, sicut & clauis potestatis aliquam iustitiam requirit ad rectum illius vsum, tamen potestas sententiandi non est iustitia, imo potest esse absq; iustitia, ita potestas cognoscendi in aliqua causa potest esse absq; scientia, vel discretione cognoscēdi recte, vnde qui vellet Magistrum saluare, ita debet exponere illum, quod ad clauem scientię requiritur scientia, ad hoc videlicet, quod aliquis rectè illa vtatur, non autē ad hoc, quod absolute insit alicui talis potestas vel clauis. Et si dicas, quod nō videtur aliqua ratio, quare magis dicatur ista clauis sciētiæ, quam alia iustitiæ, si ad istam non requiratur scientia, nisi quantum ad rectum illius vsum, consimili.n. modo iustitia requiritur ad clauem potestatis. Respondet Scotus, quod habet auctoritatem ferendi sententiam, & sententians absq; iustitia, facit quod est potestatis, licet indebite faciat, & similiter habens auctoritatem cognoscendi in aliqua causa, si attentet cognoscere de illa, aliquid facit pertinens ad suam potestatem, licet indebite faciat illud, tamen quod primus facit semper est potestatis, licet non semper iustitiæ, ideoque illa semper dicitur clauis potestatis; id autem quod facit secundus semper est scientiæ, id est, cognitionis in causa, licet non scientiæ habitualis vel actualis.

Secundo obser. est, quod hæc clauis cognoscendi seu Clauis scientiæ, non est actus, vel habitus scientiæ, quo possumus exercere actum cognoscendi de grauitate, vel tenuitate, seu leuitate peccati, de dignitate peccantis, vel indignitate, quia talis habitus potest esse in viris sapientibus non sacerdotibus, qui habēt notitiam de grauitate, & leuitate peccati, & per quem habitum possunt cognoscere dignos, & indignos, quod patet per simile: nam multi habent habitum legum ciuilium, qui tamen non habent potestatē discernendi, nec examinandi in causis ciuilibus, similiter multi habēt notitiam iuris canonici, & tamen non habent auctoritatem inquirendi, nec intelligendi. Ita in proposito in materia peccatorum in foro pœnitentiali, aliqui possunt cognoscere grauitatem, & leuitatem, siue paruitatem peccatorum, qui non habent potestatem inquirendi, est ergo clauis scientiæ potestas discernendi.

Clauis quæ est potestas cognoscendi potest tripliciter alicui conuenire.

Tertio obser. est, quod ista clauis, quæ est potestas cognoscendi potest tripliciter alicui conuenire. Principaliter, excellenter, & particulariter, Principaliter conuenit Deo, excellēter Christo Domino, ministerialiter, vel particulariter Sacerdoti, adeo quod ille qui principaliter discutit peccata hominum est Deus, excellenter Christus, ministerialiter sacerdos, sicut dictum est supra de potestatis claue.

Clauis scientiæ in iudice præcedit clauem potestatis.

Quarto obser. est, quod clauis scientiæ in iudicio ferēdo præcedit clauem potestatis: Nam clauis scientiæ est auctoritas in iudice cognoscendi de causis puta de peccatis, & illorum circumstantijs, & per hanc sacerdos dispositiue cognoscit de idoneitate pœnitentis, in quem ferenda est sententia, & illū examine facto cōpellit ad ea, quæ sunt præuia absolutioni, nempe vt fideliter, & integre confiteatur omnia peccata mortalia, & cum digna dispositione doloris, & proposito emendæ & satisfactionis. Clauis vero potestatis circa digne dispositos est, vt eos possit absoluere a peccatis; si vero non satis dispositos esse inueniat, vt illos priuatiue liget, id est, nō absoluendo ligatos esse permittat, & ostendat. Differunt autem hæ duæ claues ad eum modum, quo in iudice fori exterioris differt potestas coactiua, quam habet, primum circa præparatoria quædam ante sententiam, vt eos quosdam sibi subditos inquirendo intelliget, & illos examinet, de peccato circumstantijs, aut de illorum complicibus, & hac auctoritate vtitur interdum Prætor nobilis, qui immo non habeat habitum scientiæ, vt causas iuris sciat discernere, & definire, qua tamē scientia iudicem ornatum esse decet, vtitur tamen prætor scientia alterius subministri, deinde quasi dimisso actu, & claue potestatis Prætor iuxta allegata, & probata pronunciat sententiam, qua hominem absoluit, aut ei bona adiudicat, vel qua reum ligatum tenet, & damnat. His obseruatis gemina conclusione absoluitur quæstio.

Clauis scientiæ & potestatis quomodo a se differant.

Prima conclusio. Apud sacerdotes est clauis ecclesiæ, quæ est potestas cognoscendi in causa peccatoris cognoscentis peccata sua, quæ recte dicitur clauis regni cœlorum. Probatur, quia ista auctoritas cognoscendi in causa peccatoris, & illius vsus ordinatur ad potestatem, & vsum sententiandi in tali causa, ita quod sine vsu potestatis cognoscēdi ī tali causa, nō est rectus vsus potestatis ferēdi sententiā in tali causa, & per hoc in eundem finem concurrit vtraque potestas, quia sine potestate cognoscendi in causa peccatoris, & illius causæ cognitione, potestas sententiandi non recte ferret sententiam de aperiendo, vel claudendo regno cęlorum peccatori confitenti, ergo talis potestas cognoscendi in causa peccatoris recte dicitur clauis regni cęlorum: quia est quoddam aperiendi, vel claudendi cęlum instrumentum, licet non proximum, in vnum tamen concurrens cum potestate sententiandi in tali causa.

Secunda conclusio. Ista clauis particularis seu ministerialis cognoscendi in causa peccatoris conuenienter est in ecclesia; quoniam qui habet auctoritatem sententiandi definitiue in aliqua causa habet etiam auctoritatem cognoscendi in tali causa, nisi alicui committeretur, quod sine causæ cognitione pro libito ferret sententiam circa illam, quæ commissio non videtur posse fieri secundum rectā rationem alicui homini, qui posset in sententiando errare, qualis est quicunque viator, ergo Deus, qui omnia ratione prouidit, & ordinauit committens ecclesiæ illam auctoritatem, quæ dicitur clauis potestatis, recte etiam illi commisit secundam, quæ dicitur clauis scientiæ, & in collatione primæ clauis, qua habetur ex illo Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata &c. intelligitur etiam collatio illius secundæ, quæ præuia est, quantū ad vsum, vsui primæ clauis.

Et si dicas clauis habet aperire, & claudere, sed auctoritas cognoscēdi de peccato hominis, nec claudit, nec aperit, quia sententia est quæ absoluit, vel ligat. ergo non est clauis. Respondetur, quod licet auctoritas cognoscendi de causa peccati non aperiat immediate, tamen mediate aperit, quia est illud sine quo secunda auctoritas. puta absoluendi, non bene absolueret, & aperiret, quia difficile est, quod homo bene sententiet nisi præcognoscat in causa, atque adeo clauis cognoscendi in vnum concurrit cum potestate sententiandi in eadem causa, vt dictum est.

Ad rationem in principio art. positam patet responsio ex supradictis: quia clauis scientiæ non est aliqua scientia, sed est potestas cognoscendi, hoc est inquirendi, & examinandi causam rei, vel pœnitentis.

ARTICVLVS III.

vtrum clauis potestatis, & scientiæ sint duæ claues.

Hæc quæstio duplicem postulat difficultatem. Prima est de distinctione istarum clauium a caractere sacerdotali, qui caracter nihil est aliud, quam potestas cōficiendi corpus, & sanguinem, id est, potestas super corpus Christi verum. Secunda difficultas est, de distinctione clauium inter se, hoc est primæ a secunda.

Quoad primam difficultatem est opinio D. Thomæ. in 4. distinct. 18. quæst. 1. dicentis, quod istæ claues sunt idem cum caractere sacerdotali, & hoc modo inquit Scotus facile esset videre, quomodo cuilibet sacerdoti conferantur claues in eius ordinatione, sicut etiam cuilibet confertur caracter. *D. Thomas.* *Scotus.*

Idem videtur sensisse D. Bonauentura. distinct. 19. art. 2. quæst. 2. dum dicit, quod sicut de potentia visiua, est loqui dupliciter, vel quantum ad essentiam, vel quantum ad vsum, & quantum ad essentiam fundatur hæc potentia radicaliter in anima, nec animam deserit vnquam, quantum ad vsum vero exigit organum bene dispositum, & medium illuminatum, sic in proposito est intelligendum, quod si loquamur de potentia soluendi, quantum ad essentiam, sic iudicialiter est in ipsa anima, sicut & charactet, nec videtur ab illo differre, nisi secundum rationem quandam, & hoc modo inseparabiliter se tenet cum sacerdotali ordine. Alio modo possumus loqui quantum ad vsum, & hoc modo necessario requiritur status viatoris, & auctoritas iurisdictionis. Eamdem sent. defendit Sotus in 4. d. 20. q. 1. arti. 1. conclu. 3. *D. Bonau.*

Sed contra hanc opinionem sic arguit Scotus. Illæ sunt distinctæ potestates, quarum vna est prior tempore alia, vel

vna

vna esse potest sine alia, sed potestas conficiendi corpus Christi, siue character sacerdotalis, vt ad hoc est, idest vt est potestas ordinata ad conficiendum corpus Christi, est prior tempore & potest esse sine illa potestate, quæ includitur in clauibus, ergo claues istæ non sunt idem cum charactere sacerdotali; consequentia patet cum maiori; & minor probatur: quia sic fuerunt in Apostolis: cum enim in cœna Christus dixit illis, Hoc facite in meam commemorationem, tunc data fuit illis potestas consecrandi corpus Christi, non tamen potestas clauium, nisi post resurrectionem, dicente Christo Ioan. 20. Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata &c. Similiterque videtur argui posse de quolibet sacerdote ordinato hoc tempore in ecclesia. Prius enim dicit Episcopus ordinando, dans illi calicem, Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi tam pro viuis quam pro defunctis, deinde vero quibusdam interpositis ponens manus super caput ordinandi dicit, Accipe spiritum sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorũ retinueris retenta sunt, vnde videtur quod quilibet sacerdos prius tempore accipiat potestatem consecrandi, quam absoluendi, ex quo sequitur, quod si Episcopus ante secundum actum moreretur, quamuis tali sacerdoti præsentaretur aliquis in extrema necessitate, non posset eum absoluere a peccatis: quia nondum habet potestatem super corpus Christi mysticum; sed super verum tantummodo in illo casu, vnde posset quidem consecrare, sed in nullo casu posset a peccatis absoluere. ergo potestas clauium distinguitur a sacerdotali charactere.

Sotus vbi supra volens huic rationi respondere, concedit primo, quod Christus cum habuerit potestatem excellentiæ potuit diuisim illas facultates donare; Secundo dicit quod quando Episcopus sacerdotem consecrat dum character imprimitur simul conferri potestatem clauiũ: sed quia non potest omnia simul dicere post modum prolatione verborum Accipite spiritum sanctum &c. & manuum impositione declarat facultatem characteris prius impressi. Quæ responsio quam sit voluntaria non est qui non videat; Nã si Christus prius contulit potestatem consecrandi, & in eius collatione non dedit Apostolis potestatem absoluẽdi, ergo potestas absoluendi non est idem realiter cum charactere; quæ enim sunt idem realiter per nullam potentiam possunt ab inuicem separari; Item quando Episcopus confert potestatem consecrandi, & imprimitur sacerdotalis character, si conferretur clauium potestas, esto quod Episcopus secundũ actum non exerceret, vel morte præuentus, vel ex quacunque alia causa, adhuc sacerdos ille posset absoluere in casu necessitatis pœnitentem, quod nullus concederet, cum ei non esset collata potestas super corpus Christi mysticum; remanet ergo ratio Scoti insolubilis in suo robore.

Clauis scientia & potestatis sunt simpliciter duæ claues.

Quo ad secundam difficultatem ponit Scotus talem conclusionem. Clauis scientiæ & clauis potestatis sunt simpliciter duæ claues. Indeque verbum illud Christi Dñi Matth. 16. verum est dicentis, Tibi dabo claues regni cœlorũ, quæ quidem claues non sunt idem realiter cum charactere sacerdotali, vt probant rationes supra adductæ contra opinionem D. ui Thomæ. Quod vero istæ claues sint duæ ab inuicem distinctæ, duplici ratione probatur, & primo sic. character non potest esse nisi relatio, vt dictum supra. d. 6 q. 2. art. vltimo relatio autem non potest esse eadem ad plures terminos: nam relationes distinguuntur penes fundamenta & terminos. & maxime penes terminos, sed istæ duæ potestates, qui sunt duo characteres, sunt ad distinctos terminos, quia vna est ad corpus Christi verum, & altera ad corpus Christi mysticum refertur. ergo de necessitate oportet ponere inter illas distinctionem; & hæc ratio probat potestatem clauium distingui a charactere sacerdotali.

Secundo probatur quod istæ duæ claues scilicet scientiæ & potestatis sint ab inuicem distinctę: quia de potentia Dei absoluta possent ab inuicem separari. sicut enim modo aliquis præsidens potest committere alicui auctoritatem cognoscendi in aliqua causa, vt videlicet talem causam examinet, & non vt super illam ferat sententiam, sed vt eidẽ præsidenti merita causæ referat, & probationes; vt ipse præsidens ferat sententiam. similiterque posset idem præsidens alicui auctoritatem sententiandi conferre sine auctoritate cognoscendi in causa, vt si diceret, committo tibi vt absque aliqua causæ cognitione feras sententiam, sicut tibi placuerit, licet talis commissio non recte fieret illi cuius voluntas posset a iustitia declinare: nam regulariter potestas sententiandi non potest alicui committi sine potestate cognoscendi in causa; sed potestas examinandi potest committi sine potestate iudicandi & sententiandi. Simili modo posset Deus auctoritatem alicui committere cognoscendi in aliqua causa absque auctoritate ferendi sententiam circa illã, & talis commissio absolute esset ordinata, etiam in humanis, imo de potentia absoluta posset etiam Deus alicui voluntatem habenti a recto flexibilem committere auctoritatem sententiandi in causa cuius cognitionem non haberet.

Est autem ratio Doctoris talis, quandocunque sunt duo, quorum vnum est separabile ab altero distinguuntur ab inuicem, sed istę claues sunt huiusmodi, ergo &c. maior patet, & minor probatur: quia potest alicui committi potestas cognoscendi de causa absque potestate iudicandi, & sententiandi, reseruata potestate sententiandi de tali causa. Ergo eodem modo non implicat quod potestas in materia peccatorum examinandi, & cognoscendi alicui committatur, sine potestate sententiandi.

Vtraque clauis sacerdoti rite ordinato confertur.

Secunda Conclusio Doct. De potentia ordinata siue de facto vtraque clauis & potestatis, & scientiæ confertur cuilibet sacerdoti ecclesiastico complete ordinato; dicitur autẽ complete ordinato: quia si prius tempore confertur illi auctoritas celebrandi missam, quam prædictæ claues, talis nõ erit complete, seu perfecte ordinatus, quo ad vtranque potestatẽ, si prima collata nõ conferatur illi secunda; probaturque ista cõclusio auctoritatibus superius allatis in fine art. 1. huius quæst. & etiam ratione ibi adducta ex Doctore, per illamque patet responsio ad titulum quæst. huius dist. 19. Resolute itaque tenet Doctor, quod in sacerdote tria sunt realiter distincta, tamen se se præsupponentia. Primũ potestas conficiendi corpus & sanguinẽ Christi Dñi, quæ appellatur potestas super corpus Christi verũ. Secundũ, potestas discernendi, & cognoscendi de peccatis. Tertium potestas sententiandi in materia peccatorum idest absoluendi, aut ligandi, & ista tertia potestas de necessitate præsupponit primam, & secundam, & secunda primam, & prima nullam præsupponit, itaque potest esse sola sine alijs duabus.

In sacerdote tria sunt realiter distincta se mutuem præsupponentia.

An vero simul tẽpore cõferantur sacerdoti in susceptione ordinis sacerdotalis potestas cõsecrãdi, & potestas, quæ includitur in clauibus non asserit Scotus. Sed esto quod prius cõferatur potestas consecrãdi, quã potestas clauiũ quãdo ergo imprimitur character sacerdotalis? Ad hoc respõdet Scotus dici posse, quod sicut sunt duæ potestates, ita sunt duo characteres, & vterque imprimitur in signo proprio sensibili significante effectũ inuisibilẽ, character videlicet ad cõsecrãdũ in collatione Calicis, cũ illis verbis, accipe potestatẽ sacrificandi &c. character vero clauium in manuum impositione, cum illis verbis, accipe spiritum sanctum &c.

Ex quo tamen emergit dubium, quonam pacto clauis potestatis, & scientiæ habeant se ad characterem sacerdotalem, Respondet Scotus, quod illi duo characteres integrant totum ordinem sacerdotij, idest character, qui est potestas consecrandi, & character qui est potestas absoluendi, & ligandi quam includunt istæ duæ claues, integrant totum ordinem sacerdotij. Sed contra, quia sequitur quod etiam sint ponendi duo characteres correspondentes duabus clauibus, quia quælibet clauis est potestas distincta ab alia. Respondet Doctor, quod si non placet tot ponere characteres correspõdentes vni ordini sacerdotali, potest dici, quod per vnũ sacerdotalẽ characterẽ, quandocũque ille imprimatur, constituitur sacerdos in gradu ecclesiæ excellenti, videlicet in potestate consecrãdi corpus Christi, & cibandi cũ illo populũ christianũ. Nã sicut in Curia ille, qui ad gradũ excellentẽ in domo Regis promotus est, per promotionẽ ad talẽ gradũ disponitur ad habendã potestatẽ aliquam super alios, qui ad Regis familiã, seu domũ pertinent; Ita sacerdos per hoc, quod in familia Christi constituitur in gradu excellentiori per characterẽ sacerdotalẽ, de congruo disponitur ad potestatẽ habendã ligandi, & soluendi supra corpus Christi mysticũ, & sic character sacerdotalis est dispositio ad claues; Collatio autẽ vnius clauis annexa est collationi alterius, & ab illa nõ separatur: sicut enim dictũ est, quod Christus verbo illo. Quorum remiseritis &c. Ioan. 20. contulit discipulis ambas claues; ita Episcopus eodem signo sensibili & verbo confert vtranque; eam quidem quæ potestatis est quasi excellentem & explicite; eam vero quæ est scientiæ quasi implicite, cuius vsus est antecedens ad vsum alterius,

terius, quæ est potestatis. Et ex hoc constat quod aliquo modo possunt dici vna clauis, vnitate scilicet ordinis: quia ad vnum actum vltimum aperitionis, vel clausionis ordinantur, & ad illum vna alteri subordinatur, quia remotior est ab illo effectu, videlicet clauis scientiæ proximior est enim clauis potestatis. Vnde non est eadem ratio ad ponendum duos characteres correspondentes duabus clauibus; sicut ad ponendum duos correspondentes potestati consecrandi, & potestati clauium.

Ex dictis constat primo, quod Scotus vtrumque reputat probabile, & quod imprimatur character in collatione clauium, vel quod non imprimatur, & secundo quam falso Sotus vbi supra imponat Doctori, quod ipse senserit, quod sicut non est nisi vna potestas ligandi & soluendi, ita non est nisi vna clauis, & quod dicuntur plures, quia Christus sic eas nominauit, quod Scotus nec somniauit vnquam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum quilibet sacerdos possit vti clauibus in quemlibet.

Ad vsũ clauium necessaria est potestas iurisdictionis. Cõc. Floren. Conc. Trid.

PRo solutione huius quæst. obseruandum est primo, quod ad vsum clauium necessaria est potestas iurisdictionis, ita vt absolutio vel sententia data per potestatem ordinis sine iurisdictione nulla est. ita definiunt Concilium Florent. in decreto Eugenij, & Triden. sess. 14. c. 7. & ratio clara est ex dictis supra art. 1. vbi ostendimus hanc potestatem iudiciariam esse, omne autem iudicium vt validum sit requirit iurisdictionem. Nam de his, quæ foris sunt nihil ad nos.

Quid sit potestas iurisdictionis & quando confertur. Armacanus

Secundo obseruandum est, esse inter Theologos controuersiam, quidnam sit hæc potestas iurisdictionis, & quando conferatur. Nam Armacanus lib. 11. de quæst. Armenorum, c. 1. affirmat dari in ipsa ordinatione sacerdotis, & consequenter insinuat in re non esse distinctam a potestate ordinis, nec separabilem ab ipsa, quam opinionem valde probabilem existimat Duraudus, d. 19. q. 2. ei tamen adhærere non audet; in eam vero inclinat Almaynus. d. 19. q. 1. art. 4. *Durandus. Almaynus.* Fundamentum huius sententiæ esse potest: quia Christus per illa verba, Accipite spiritum sanctum &c. contulit Apostolis potestatem ordinis, & iurisdictionis in hoc foro; Nam tunc potuit quilibet eorum absque dependentia ab alijs audire confessiones, & absoluere. Sed hæc eadem verba dicuntur in persona Christi in ordinatione cuiuscunque sacerdotis, ergo habent eamdem efficaciam, ergo ex tunc constituitur iudex in hoc foro, atque adeo ex vi talis ordinationis habet iurisdictionem: quia nemo potest esse, aut intelligi iudex sine iurisdictione.

Cæterum hæc sententia intellecta de integra, & sufficienti iurisdictione tali, & hoc tempore nullo modo sustineri potest: quia certum est absolutionem datam a simplici sacerdote circa peccata mortalia irritam esse ex defectu iurisdictionis; ergo non potest hæc iurisdictio ex vi ordinationis inseparabiliter haberi.

Ideo alij dicunt præter potestatem iudiciariam, quæ datur in ordinatione sacerdotis non esse necessariam aliam iurisdictionem ad exercendum actum eius, præter eam quæ prouenit ex voluntaria subiectione pœnitentis: nam cum idem ipse sit actor, & reus, potest se voluntarie subijcere, & quasi iudicem arbitrium eligere; quæ iurisdictio sufficiens est in hoc negotio: quia principium per se remissionis peccati, quæ est actus huius potestatis non est iurisdictio; sed potestas ordinis, iurisdictio autem solum requiritur tanquam applicatio materiæ, quæ sufficienter applicatur per illam voluntariam subiectionem. Ita sentit Caiet. tom. 1. opusc. tract. 7. qui in hoc casu dicit iurisdictionem in hoc iudicio non requiri ex parte principij agentis, sed ex parte materiæ; nec tamen negat in aliquibus sacerdotibus non esse iurisdictionem ex parte principij, vel ordinariam, vel delegatam; sed negat eam per se, ac simpliciter necessariam ad actum huius potestatis. Nam ad absoluendum a venialibus necessaria non est, nec etiam ad absoluendum a mortalibus in extrema necessitate, nec denique in iudicio, quod in hoc foro exercetur circa personam summi Pontificis. In his tri- *Caietanus.* bus casibus sufficit voluntaria subiectio pœnitentis, extra illos vero est necessaria iurisdictio ordinaria, vel delegata: quia sine illa non potest fieri subiectio, neque applicatio materiæ propter ecclesiæ ordinationem.

Sed hæc sententia falsa est. Tum quia in hoc foro non potest iurisdictio vllo modo manare a pœnitente: quia hoc iudicium agitur inter Deum & hominem, & Deus est principalis actor tanquam persona offensa, Idemque est vnicus & principalis iudex peccatorum, ergo nullus potest dare iurisdictionem in tali iudicio, nisi vel Deus, vel qui ad hoc habeat vicem eius; pœnitens autem hic non gerit vices Dei. Quod si fortasse Caiet. sensit pœnitentem non dare iurisdictionem sacerdoti, sed solum applicare, seu proponere materiam, falsum est, quod ait præter hanc applicationem non requiri aliam iurisdictionem ad ferendum hoc iudicium, cum repugnantiam inuoluat iudicium valide exerceri sine iurisdictione, quantumcunque consentiat, qui iudicandus est, nisi vel iurisdictionẽ cõferat aliquo modo, vel supponat.

Tum secundo quia falsum est, ad efficiendum validum actum huius potestatis non esse simpliciter necessariam iurisdictionem ordinariam, vel delegatam: Id enim repugnat Concil. Floren. dicenti ministrum huius sacramenti esse sacerdotem auctoritatem habentem absoluendi, vel ordinariam, vel ex commissione superioris. non ergo sufficit habere ex subiectione pęnitentis. Et Concil. Triden. sess. 14. c. 7. ait. absolutionem illam nullam esse, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut delegatam non habet iurisdictionem. ergo alterutra est omnino necessaria. *Cõc. Floren. Conc. Trid.*

Tum tertio quia Innocentius III. cum Concil. Lateran. in c. omnis vtriusque sexus. de pœnit. & remiss. ait, alienum sacerdotem non posse absoluere sine licentia proprij, sentiẽs iurisdictionem proprij, quæ ordinaria est, vel delegatam ab illo, simpliciter necessariam esse; Et ponderandum est verbum non posse; non enim dicit non posse licite, sed simpliciter non posse, scilicet etiam valide. quod si non potest, aliqua potestas illi deest omnino necessaria, quæ non est, nisi potestas iurisdictionis. Tum quarto quia alias stando in iure diuino, & nulla interueniente prohibitione, vel determinatione ecclesiæ quilibet sacerdos posset valide absoluere quemlibet fidelẽ a quibuscunque peccatis mortalibus quolibet tempore ex sola voluntate pœnitentis: quia tunc esset voluntaria subiectio, & consequenter iurisdictio sufficiens, consequens autem est falsum; quia alias non potuisset ecclesia hanc Christi institutionem limitare, vel annullare. *Innocentius III.*

Quapropter Abulensis in suo defensorio, p. 2. cap. 62. & sequentibus dicit ad vsum clauium requiri potestatem iurisdictionis, quam dicit conferri cuilibet sacerdoti in ordinatione sua, quando est ordinatus ab Episcopo; Tunc enim dicit, quod ex conditione ordinis, & institutionis Christi competit cuilibet sacerdoti potestas iurisdictionis in foro conscientiæ super omnes fideles totius orbis. ecclesia tamen ob iustam causam ad tollendum schismata, & confusiones, quæ inde oriri poterant, arctauit iurisdictionem illam, distinguendo subditos, vnde ait simplici sacerdoti, qui nullam habet animarum curam, dicit illum. habere potestatem iurisdictionis super omnes fideles, esse tamen per ecclesiam talem potestatem, non quidem ablatam, sed ligatam. Quando igitur ordinator, vel ecclesia, aut quicunque prælatus dat alicui ordinato iurisdictionem in foro conscientiæ, dicit illi tunc nouum nihil concedi, sed tantum remouere ecclesiæ impedimentum, aut tollere ligaturam, qua potestatem illam ligauerat. Hanc sententiam Tostati multis impugnat, & efficacissimis rationibus Alphonsus a Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punitione cap. 21. *Abulensis. Alphonsus.*

Sententiam tamen Abulensis secutus est Nauar. in summa. c. 4. nu. 26. & latius. c. 27. nu. 259 & 260. & in cap. placuit. de pœnit. d. 6. a princ. pio, & præsertim nu. 48. & eam prius indicauit Palud in 4. d. 17. q. 3. art. 3. casu 4. & Syluest. verbo, Confessor. 1. q. 2. Nauar. vero vt eam explicet, distinguit duplicem iurisdictionem scilicet in habitu, & in actu; & priorem ait dari in ipsa ordinatione sacerdotis, estque omnino immutabilem per ecclesiam, & non distingui a potestate ordinis; de posteriori autem ait haberi a sacerdotibus, cum eliguntur, vel deputantur ad munus absoluendi, Addit tamen stando in iure diuino omnes sacerdotes habere iurisdictionem expeditam, & actualem ex vi suæ ordinationis, quamdiu nulla interuenit ecclesiæ prohibitio. *Nauar. Paludanus Syluester.*

Sed hæc sententia item falsa est, multumque fauet opi-

nioni

nioni Armacani. Nã si sacerdotes omnes ex vi ordinationis suæ, & diuini iuris ita recipiunt iurisdictionem in hoc foro pœnitentiæ, vt exclusa ecclesiastica lege, vel prohibitione, illa sit iurisdictio actualis, & sufficiens ad ferendum validum iudicium de peccatis, vix potest intelligi, quomodo propter solam ecclesiæ prohibitionem illa iurisdictio dicatur habitualis fieri, seu ita impediri, vt validum effectum habere non possit, quod declaratur, siue hæc iurisdictio dicatur directe & a principio concedi ipsis sacerdotibus cum ordinantur; siue dicatur concedi ex parte pœnitentium, quibus data est facultas eligendi suo arbitrio confessorem, vt ei statim, ac eligitur detur iurisdictio ab ipso Christo. Prior pars probatur: quia si sacerdotes illo modo habuissent iurisdictionem, non possent illa ab ecclesia priuari; si autẽ illa non priuentur, non potest ecclesia ita illam impedire, vt actum eius reddat inualidum; constat autem hoc fecisse ecclesia ergo &c. Maior quo ad primam partem probatur. nã ideo potestas ordinis auferri non potest ab ecclesia: quia datur ex vi ordinationis per impressionem characteris, ergo si potestas iurisdictionis eodem modo datur, auferri non potest per ecclesiam. Secũda pars maioris probatur a simili de potestate ordinis, quam ideo non potest ecclesia impedire, quo minus valide operetur per suam prohibitionem; quia illa sola sufficit ad actum suum; si enim potestas iurisdictionis coniuncta cum potestate ordinis circa corpus Christi per se sufficit ex vi solius iuris diuini seclusa ecclesiæ prohibitione, ergo etiam sufficit ad valorẽ actus non obstante prohibitione. Præterea. Non potest ecclesia irritare actum sacramentalem concurrentibus omnibus, quæ ad illum efficiendum necessaria sunt, quantumuis prohibeat exercitium talis actus; sed ex illa hypothesi hic omnia concurrunt necessaria ex parte ministri, scilicet potestas ordinis & iurisdictionis, & intentio, vt supponimus, ergo licet ecclesia prohibeat, erit actus validus.

Ex his facile patet aliud membrum scilicet hanc iurisdictionem non dari iure diuino media electione pœnitentium, alioqui ablata omni ordinatione ecclesiæ, quilibet fidelis haberet a Christo potestatem eligendi sibi in confessorem quemcumque sacerdotem, nec posset ecclesia facultatem hanc auferre, vel coarctare, cum tamen constet nunc de facto fideles illam non habere; nisi quando specialiter a prælato conceditur: quia non possunt prælati ecclesiæ auferre, quod Christus ipse contulit. sicut si Pontifex dat alicui facultatem eligendi sibi confessorem, non potest inferior Episcopus illam auferre, vel limitare: quia inferior non habet auctoritatem in lege superioris.

Est autem alius dicendi modus. nimirum sacerdotes in ordinatione sua accipere veram potestatem iurisdictionis inchoatam tamen, & incompletam, eam vero compleri in xatione iurisdictionis per applicationem seu subiectionem materiæ; & in his fere conuenit hæc opinio cum præcedenti, differt tamen: quia prædictam applicationem materiæ non dicit esse positam in sola voluntate pœnitentis, neque ex iure diuino esse factam, seu commissam omnibus sacerdotibus, vel pœnitentibus etiam ante omnem ecclesiæ ordinationem, & prohibitionem; sed dicit esse commissam summo Pontifici, & prælatis ecclesiæ; ita vt nisi ipsi applicent materiam, seu conferant subditos non possint sacerdotes ex vi solius ordinationis validum actum huius potestatis efficere. *Hunc* modum dicendi insinuat Maior in 4. d. 19. q. t. ad finem. Antoninus 3. p. tit. 17. c. 4. Angelus verbo Confessio. 1. num. 4. & videtur facere Panormit. in Clemen. t. de Priuileg. num. 16. & Host. quem refert in summa, tit. de pœnit. & remiss. §. cui. Palud. etiam videtur ita interpretari sent. suam, si considerentur, quæ dicit. d. 19. q. 2. Fundamentum est, quia potestas ad remittenda peccata, quæ in ordine confertur, iudiciaria est, & principium per se dicendi ius, & ideo est vera iurisdictio. Vnde per illam constituuntur iudices, quos prædicti auctores, ac etiam Nauar. & Palud. comparant cum iudicibus, qui in iure vocantur Chartularij, qui non erant mere arbitri, sed ab Imperatoribus designabantur, & accipiebant potestatem, vt possent iudicare eos, qui vellent se subiicere, quamuis non possent eos ad iudicium cogere. Sicut ergo illi iudices Chartularij habebant potestatem ab Imperatoribus; ita nunc sacerdotes habent illam a Christo, & sicut illi ex sola concessione Imperatoris non habebant subditos, nec materiam applicatam, ita sacerdotes neque habent a Christo ex vi solius ordinationis. Differt tamen iuxta hanc sententiam, (quæ in hoc discrepat a Nauar. & Paludano) quod in iudicibus Chartularijs applicatio materiæ, & subiectio commissa erat ab Imperatoribus voluntati, & electioni iudicandorum; a Christo vero Domino commissa est summo Pontifici, & prælatis ecclesiæ. & ab hoc modo loquendi non multum distat opinio Doct. nostri, vt videbimus.

Maior. Antoninus. Angelus. Panormit. Hostiensis Paludanus.

Est ergo vltima sententia, quam ego verissimam censeo, quæ asserit potestatem iurisdictionis esse distinctam a potestate ordinis tam in essentia, quam in modo seu tempore, quo confertur: nam potestas ordinis, vt diximus, datur per impressionem characteris, ideoque & necessario comparatur per ordinationem sacerdotis, & immutabilis, & indelebilis permanet. Potestas vero iurisdictionis solum moraliter datur per extrinsecam concessionem, aut alicuius ecclesiastici muneris collationem, per quam aliquis Pastor, vel superior aliorum constituitur, alij vero eius subditi efficiuntur; Ideoque hæc potestas extra sacramentum ordinis datur & (infra summum Pontificem) immediate per hominem confertur. Ita docent D. Thomas. 2. 2. q. 39. art. 3. & 4. contra Gentes. c. 72. & in 4. d. 17. q. 3. artic. 3. quæst. 4. & d. 19. q. 1. artic. 3. quæstiun. 1. & D. Bonau. d. 19. art. 3. q. 1. præcipue in solutionibus argumentorum. Alex. de Ales. 4. p. q. 79. 80. & 81. Ricar. d. 18. art. 1. q. 3. Medina Cod. de confes. q. de alieno sine licentia proprij absoluente. Sotus. d. 18. q. 4. artic. 2. Cano relect. de pœnit. p. 1. Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 1. cap. 98. Castro de iusta hæreticorum punit. lib. 2. cap. 21. Couar. lib. 1. variarum resol. c. 10. nu. 11. & vt reor Doctoris nostri Sub.

D. Thomas. D. Bonau. Alex. de Ales. Ricardus. Medina. Sotus. Cano. Turrecrem. Castro. Couar. Scotus.

Et hæc sent. est maxime consentanea cum modo loquendi Conciliorum, & præsertim Concilij Tridentini quod solum meminit iurisdictionis ordinariæ, vel delegatæ, Potestas autem ordinis per se sumpta neutra iurisdictio est. Deinde dicunt Concilia sacerdotem posse carere omni iurisdictione ad absoluendum, cum tamen potestate ordinis carere non possit, Tandem Tridentinum tenuit iurisdictionem, & subiectionem, seu subditum esse correlatiua, seu tanquam relationem & terminum, & sacerdotes ex vi suæ ordinationis non habere subditos, vnde concludo iuxta modum loquendi Concilij id, quod sacerdos ex vi ordinationis recipit, non esse iurisdictionem proprie loquendo, sed esse quasi potestatem quandam ad sanctificandos fideles, qui in peccato existunt, quæ tamen cum sit potentia remota, (vt inquit Scotus) non potest exercere suum actum per modum iudicij, & sententiæ; nisi habeat coniunctam potestatem iurisdictionis, qua mediante reducitur ad actũ, vt efficaciter operetur, quam iurisdictionem tribuit ecclesia, cum dat subditos. hoc totum corroboratur verbis Concilij Trid. sess. 14. c. 7. vbi sic ait. Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hac confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem.

Concilium.

His explicatis videamus modo, quid dicat Doct. noster Sub. Conclusio Scoti in hoc articulo est, quod potestas clauium est potentia remota, & non propinqua; Probatur quia potẽtia remota est, qua quis de se & simpliciter aliquid potest; Potentia vero propinqua requirit passum approximatum, & non impeditũ vt agat, sed sacerdos receptis clauibus non statim habet passum, seu materiã, in quã suã potestatẽ exerceat, ergo talis potestas est potentia remota, & non propinqua; consequentia est nota, & maior est Arist. 9. Meth. c. 4 vbi docet, quod potentia actiua, cui statim respõdet passiua, & non est impedibilis, est potentia propinqua ad agendũ; potentia vero cui non respondet statim passum, vel habito passiuo est impedibilis, dum actu est impedita non est potentia propinqua, sed remota. Vnde in tex. loquitur Philos. quod actiuum & passiuum habentia complete potentiam actiuam, & passiuam statim agunt, nec oportet addere nullo exteriori prohibente: quia hoc includitur in ratione potentiæ; quod non est verum nisi de potentia, vt dicit potentiam propinquam actui. Minor vero probatur: quia sacerdos ex ordinatione sacerdotali non statim habet materiam, in quam claues exerceat, sed est necessarium, quod aliquis subditus sibi detur in quem habeat iurisdictionem, & vsum clauium; non solum

Arist.

ad hoc, quod rite absoluat, sed ad hoc vt simpliciter absoluat; quia vt habetur in sexto de regulis iuris sententia a non suo iudice lata est nulla; Insuperque potestas illius est impedibilis simpliciter, per excommunicationem vel suspensionem, vel impedibilis in parte per reseruationem casuum factam a superiori.

Potestatem consecrandi, & potestas absoluendi quomodo differant.

Ponit vero Scotus differentiam inter potestatem consecrandi corpus Christi, & potestatem clauium quia potestas consecrandi est potestas propinqua, clauis vero est potestas remota; quod clauis sit potentia remota, probatum est supra; quod autem potestas consecrandi sit propinqua ex eo probat Scotus, quod potestas consecrandi statim habet materiam, omnem scilicet panem triticum, estque potestas non impedibilis; quia quandocunque sacerdos per talem potestatem attentat consecrare materiam determinatam, & debitam, vere consecrat, licet grauissime peccet, si contra prohibitionem Dei, vel ecclesiæ id attētet. Vnde sacerdos quomodocunque prohibitus, vel suspensus, vel excommunicatus, vel degradatus si proferet verba consecrationis super debitam materiam cum debita intentione de facto consecrat. licet mortaliter peccet, faciendo contra præceptum, vel inhibitionem superioris. Sacerdos autem per potestatē clauium, si attentet absoluere non sibi subditum non absoluit. Et ratio huius differentiæ secundum Scotum forsan posset talis assignari: quia sic a Deo fuit institutum, ne esset confusio in corpore ecclesiæ multiplicato; nam a principio ecclesię nulli nocuit, quod quicunque sacerdos quamcunque materiam consecraret; nocuisset autem si per collationem clauiū quilibet sacerdos fuisset iudex cuiuscunque pœnitentis, & quantumcunque prohibitus potuisset exequi actum clauis. talis enim in hoc posset facere præiudicium alteri sacerdoti, cui talis pœnitens subditus esset.

Clauis ergo non est potentia propinqua, nec ipsam habens habet potestatem proximam; itaque non statim sibi correspondet pro materia peccator pœnitens: quia alias non posset per actum alicuius impediri, quin intendens vti ea faceret, quod facere intendit, atque adeo sacerdos ex hoc, quod ordinatus posset quemcunque peccatorem confitentem sibi absoluere, non quidem quod posset licite, sed peccaret mortaliter, si hoc attentaret contra prohibitionem superioris, faceret tamen sicut sacerdos prohibitus quantumcunque, si attentat consecrare consecrat; quod ostendimus esse falsum de potestate clauium.

Contra conclusionem tamen huius art. arguit Scotus. si alia esset in naturalibus potentia actiua, cui non posset respondere passiuum nisi per aliquam aliam potentiam actiuā, illa prima non esset potentia actiua, ergo a simili in proposito, cum per clauem non possit sacerdoti correspondere materia nisi per aliam potentiam actiuam, videlicet per potestatem iurisdictionis, sibi a superiori collatam, sequitur quod clauis non sit potentia actiua etiam remota; probatur antecedens, quia omni potentiæ actiuæ correspondet passiua; respondet Scotus quod potentia quantumcunque perfecta requirit materiam, in quam possit agere, & sic potestas clauium exigit materiam pœnitentem sibi subiectum per iurisdictionem alterius. Nam sicut potestas conficiendi requirit materiam scilicet panem, ita potestas clauium requirit materiam nempe peccatorem pœnitentem, verum potestas conficiendi statim, quod habetur, non requirit aliam potentiam actiuam ad hoc, quod panis sit consecrabilis: nam si oporteret ad hoc quod esset consecrabilis, quod sacerdos esset Dominus illius panis, iam potestas sacerdotalis non esset potestas conficiendi nisi remota. In proposito autem peccator pœnitens non potest esse materia absolutionis, nisi fiat talis per aliam potentiam concurrentem scilicet iurisdictionis, per quam ille sit subiectus habenti claues. Præterea nō oportet, quod semper potentiæ actiuæ correspondeat semper potentia passiua, vel materia existens in actu; alioquin res creabilis, vel causabilis a Deo fuisset ab æterno; est tamē propositio ista vera in naturalibus: quia quando potentiæ actiuæ vnius rationis correspondet primo potentia passiua vnius rationis, cuilibet sub ista, correspondet quodlibet sub illa, si non sit defectus virtutis actiuæ. Sed non est sic in proposito: quia vni claui idest vni habenti clauem correspondet iste vt absolubilis, & alteri non, & ratio est quia sacerdos & pœnitens non sunt actiuum, & passiuum naturalia; sed libera. Contra, Claui sacerdotis habentis iurisdictionē correspondet iste pœnitens vt absolubilis; claui autem non habētis iurisdictionem nō sic correspōdet, ergo clauis vtriusque non est eiusdem rationis. Respondetur, quod potestati clauium non correspondet peccator, vt pœnitens, sed peccator subditus pœnitens; superior autem, qui pęnitentem sibi subditum submittit claui alterius sacerdotis, per hoc non tribuit tali sacerdoti potestatem clauium, sed solum iurisdictionē, & subijcit & tribuit materiam in quam sacerdos clauium exerceat potestatem, quam in ordinatione suscepit.

Secundo arguitur. Clauis est potestas iudicandi; sed nullus habet potestatē iudicandi nisi habeat aliquē subditū iudicabilē ab ipso, ergo clauis vnde clauis non est potestas iudicandi. Huic rationi Doct. nihil respondet. Vnde dicendū est quod istud argumentū potest adduci satis bene ad probandū, quod ex virtute collationis clauiū in illo verbo, accipite spiritū sanctū &c. non fuit aliquis subiectus actualiter, & cōplete ipsis Apostolis, nec aliquis tenebatur eis cōfiteri: quia ex hoc non habuerunt nisi potentiā remotā iudicandi: quia ex hoc præcise non fuit eis data iurisdictio, potest igitur habere potentiā iudicandi remotā, non habens subditū in actu, nec in potentia propinqua, & sic est in proposito. Vnde potestas clauiū, potestas appellatur iudicādi: quia nō potest suū actū exercere nisi per modū iudicij, nō vero quia per se sufficiat ad ferendum iudicium sine potestate iurisdictionis, atque ita ex vtraque potestate, completur integra facultas ad perfectum actum huius iudicij.

Cæterum ego probabilius censeo omnes Apostolos habuisse a Christo potestatem iurisdictionis non iure ordinario permansuram in ecclesia, quod proprium fuit Petri. Nā hæc fuit specialis promissio illi facta Matth. 18. & impleta Ioan. 21. sed iure quasi delegationis & Apostolatus, quod munus immediate a Christo acceperunt, & ad illud inter alia pertinet hæc iurisdictio. Vnde creditur & bene, quod Christus in illis verbis Ioan. 20. non quidem ex vi illorum verborum accipite spiritum sanctum &c. sed concomitanter saltem, vt futura erant forma sacramenti ordinis ex parte, vel alias dedit Apostolis potestatem iurisdictionis super absoluendos.

Tertio arguitur & est quartum arg. princ. sententia a nō suo Iudice lata est nulla, vt habetur in sexto de regulis iuris, sed per rem in ordinatione non datur sacerdoti subditus, ergo nec aliqua clauis, qua ferre possit sententiam in causa illius. Ad hoc patet ex superius dictis. Nam clauis de se est potestas remota. & ad hoc quod illi respondeat materia, requiritur in eo alia potestas scilicet iurisdictionis, vel saltem per alium illam habentem subijcitur illi materia idest pœnitens vt fiat illi materia capax actionis eius.

Præterea quilibet in extrema necessitate potest absoluere quemlibet, sed essentia sacramentorū non mutatur propter quamcunque necessitatem. Item Confessor Papæ Papam absoluit, & tamen non habet super eum iurisdictionem. Ad primū concedo assumptum: quia est intentio Papæ vel ecclesiæ in illo casu dare cuilibet presbytero iurisdictionem, in casibus reseruatis, & non reseruatis, & excommunicationibus, ita quod non oporteret de peccatis amplius confiteri, vel ad alium recurrere, dummodo alius haberi non possit pro censuris vero recurrendum est ad habentem absoluēdi facultatem, ita docet Concilium Trid. sess. 14. c. 7. in fine. & *Conc. Trid.* per idem patet ad secundum. Papa enim cōmittit Confessori iurisdictionē: nam cū sit homo infirmitate circundatus sicut alius, eget absolutione; non enim ab hac excipitur, & ideo dat facultatem se absoluendi alteri.

Quinto arguitur ex hac opinione sequitur, quod si aliquis nō habens titulū in beneficio, audiens confessionē toto triennio tandē cognitus non habere verū titulū expelletur, quod subditi teneantur iterare confessionē triennalē, quod videtur inconueniens; cōsequentia patet, quia vere nō erat eorū curatus. cū in foro litigioso corā iudicibus æquis curā amisit. Respōdetur distinguēdo antecedens, quia aut sacerdos ille est in possessione, & per superiorē confirmatus, licet legitime non obtinuerit beneficiū, aut non est sacerdos, vel intrusus. Si priori modo nego consequentiā; quia putabatur sacerdos, & superior dedit illi facultatē absoluēdi, & si superior immediatus cōtradicat iniuste, si verū ius audiēdi confessiones habet sufficit: quia vtitur iure proprio, & sufficiēter absoluit supposito, quod reputetur superior. Secundo autem modo concedo consequens & consequentiam.

Postremo sacerdotes absoluunt se mutuo, & tamen nullus illorum est alteri subiectus, igitur, &c. Respondetur

detur negando minorem, quia habent facultatem præsumptam vel tacitam; superiores enim sciunt, & vnanimiter tollerant, & rationabiliter frequenter communicant, & laicis sunt discretiores.

ARTICVLVS V.

Vtrum præter clauem scientiæ & potentiæ, sint in ecclesia aliæ claues.

Duplex est in ecclesia potestas.

DVas esse ecclesiasticas potestates vnã, quæ dicitur potestas ordinis siue sacramentalis, alterã quæ dicitur potestas iurisdictionis vniuersa Theologorum schola docet, & multa sanctorum patrũ testimonia confirmant. Potestatem ordinis siue potestatem sacramentalem, quod idem est, definit S. Thomas. 2. 2. q. 39. art. 1. sic inquiens. *D. Thomas.* Sacramentalis potestas est quæ per aliquam consecrationem confertur; potestatem vero iurisdictionis dicit S. Thomas esse illam, quæ ex simplici iniunctione, aut commissione hominis confertur, vt est potestas excommunicandi, aut absoluendi ab excommunicatione, & potestas definiendi in causis forẽsibus. In hoc art. nõ est sermo de potestate ordinis, quia ad censuram ferẽdam, neque illa potestas sufficit nec necessaria est.

Potestas iurisdictionis est duplex.

Secundo obser. est, quod potestas iurisdictionis distingui solet in interiorem, & exteriorem, quæ ita appellantur, non quia vtraque non exerceatur per actus sensibiles, & externos: nam cum vtraque sit in hominibus respectu aliorũ hominum, necesse est, vt per actus exteriores exerceatur; sed ita appellatur, quia vna ordinatur ad forum sacramentale, quod pertinet solum ad conscientiam, & internum bonum animarum, & ideo interior iurisdictio appellatur. Altera vero potestas ordinata est ad gubernandam ecclesiam in exteriori foro per iudicia, pœnas &c. quæ ad bene constituendã & regendam hominum Rempub. necessaria sunt, & hæc vocatur potestas iurisdictionis exterioris, & de hac quærit Doctor, an sit in ecclesia.

In ecclesia duplex est forus.

Et primo notat, quod in ecclesia est duplex forus, vnus secretissimus, in quo idem est accusator, & reus. & ad istum forum pœnitentialem pertinent claues prædictæ in superioribus scilicet potestatis, & scientiæ. Alter vero est forus publicus: quia etiam ecclesia habet potestatem corrigendi delicta publica. In quo foro publico similiter requiritur duplex auctoritas siue potestas correspondens potestati clauium supradictarum; ad quodlibet enim iudicium rectum alicuius causæ requiritur cognitio in causa illa, & sententiæ pronunciatio, & istæ auctoritates seu potestates cognoscendi in causa, & ferendi in illa sententiam pertinentes ad forum ecclesiæ publicum possunt etiam dici claues.

Hanc autem potestatem fuisse a Christo suæ ecclesiæ datam, constat primo ex illis generalibus verbis Matth. 16. & 18. quodcunque ligaueris (siue ligaueritis) super terram, erit ligatum & in cœlis &c. In quibus primum consideranda est generalis locutio. Quodcunque ligaueritis: nam merito extenditur ad omnia illa, quæ ad conueniens ecclesiæ regimen necessaria, vel vtilia esse possunt. Quod vero additur erit ligatum & in cœlis, satis declarat potestatem hanc non esse naturalem, sed super naturalem, & ligamen illud esse spirituale, & superioris ordinis; denique, quod sermo sit de potestate fori contentiosi in loco Matth. 18. satis declarant antecedentia verba. Et si ecclesiam non audierit sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus, idest separetur, vt indignus ecclesiastica communione, & fructu, & vt ostenderet Christus futurum esse, vt hoc iuste, & valide fieret in sua ecclesia, statim subiunxit. Amen dico vobis. Quodcunque ligaueritis &c.

Quo in loco Euãgelij dedit Christus claues in foro exteriori.

Sed dubium esse potest, quo in loco Euangelij dederit Christus ecclesiæ huiusmodi claues seu iurisdictionem fori contentiosi. Aliqui existimant hanc potestatem datam esse Ioan. 21. cum Petro dixit Christus. Pasce oues meas. Nam illis verbis constituit Petrum supremum Ecclesiæ pastorẽ, & consequenter potestatem illi tribuit, non solum ad tradendum ouibus pabulum doctrinæ, vt hæretici volunt, sed etiam ad regendas illas, & coercendas, si necesse sit; vtrunque enim est ad pastorale munus necessarium, vt erudite demonstrat Bellarminus lib. 1. de Romano Pontifice c. 15. *Bellarmin.* Hanc sententiam docet Turrecremata lib. 2. de ecclesia. c. 77. *Turrecrem.* Vbi concludit soli Petro datam esse a Christo immediate hãc potestatem, cæteris autem Apostolis per Petrum, quod superius] etiam docuerat. c. 54. & inde etiam concluderet neminem in ecclesia habere hanc potestatem immediate a Christo præter Romanum Pontificem, & ab eo cæteros pastores, & Episcopos illam participare. eamdem etiam sententiam tenet Iacobatius lib. 10. de Concilijs, articul. 7. *Iacobatius.* Cæterum hæc sententia veritatem habet, quo ad primam partem in eo sensu quem modo explicabimus; sed quo ad alteram de cæteris Apostolis probabilius existimo (vt dictum est supra de iurisdictione in foro conscientiæ) etiam ipsos accepisse immediate a Christo hanc potestatem, quæ est communior scholasticorum sententia in 4. d. 18. & sequent. quam etiam tenet Gabriel in Canonem lect. 3. *Gabriel* Hiero tract. de potestate Papæ Caiet. tomo 1. opus. tract. 1. & 5. *Caietanus.* Victoria relect. 2. de potest. ecclesiæ, *Victoria.* & Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punit. c. 24. *Castro.* & sumitur ex Anacleto Papa epist. 2. decretali & refertur in cap. in nouo 21. dist. Nam hæc potestas cum alijs, quæ in Apostolis fuerunt erat de intrinseca ratione Apostolici muneris, quod est supremum in ecclesia iuxta illud prima ad Corint. 12. & quosdam quidem posuit in Ecclesia, primum quidem Apostolos &c. vbi D. Thomas. *D. Thomas.* Maiores, inquit, ministri in ecclesia sunt Apostoli, ad quorum officium tria pertinent, quorum primum est auctoritas gubernandi fidelem populum &c. pertinet ergo hæc potestas intrinsece ad munus apostolicum, Christus autem immediate contulit omnibus Apostolis dignitatem & munus Apostolicum, vt sumitur ex Lucæ 6. & Ioan. 6. ergo & iurisdictionem illi intrinsece annexam, iuxta illud qui dat formam dat consequentia. Quamobrem Paulus sicut ab ipso Christo Apostolus factus est, iuxta illud ad Galat. 1. Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, ita ab eodem potestatem accepit iuxta illud. 2. ad Corin. 13. Quam Dominus dedit mihi, & ad Gal. 2. Mihi enim qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.

Scoti sententia.

Est ergo sent. Scoti in hac. q. dicentis Christum Dominum dedisse hanc potestatem Apostolis Matth. 18. Cum dixit, Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram &c. Nam eo loco sermonem habet Christus de actibus externæ iurisdictionis, vt superius declaratum est, & exponunt ibi Hierony. *Hieronym.* & Chrisost. hom. 61. *Chrisost.* Indicat etiam August. *August.* contra Aduersarium leg. & proph. cap. 17. & patet ex contextu Euangelij. Nam ibi dixit Dominus Petro. Si peccauerit in te frater tuus &c. & quibusdam interpositis tandem sequitur. Si ecclesiam non audierit sit tibi sicut Ethnicus & publicanus; & subdit statim. Amen dico vobis quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cęlis, & quæ solueritis erunt soluta. In quibus verbis secundum Gersonem *Gerson.* data sunt ecclesiæ triplex potestas. *Apostolis data fuit triplex potestas.* Prima potestas cognoscendi, in verbo dic ecclesiæ. Secundo potestas post criminis cognitionem sententiãdi in verbo. Quæcunque alligaueritis &c. Tertio datur potestas sententiæ pœnam infligendi in illo verbo. sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, idest excommunicetur, & separetur a communione fidelium, ex quo patet, quod Deus approbat solutionem, & ligationem ecclesiæ factam in foro publico, quam qui contemnit, habendus est sicut Ethnicus, & publicanus, Addi potest quarta potestas directiua ad leges ferendas obligantes in conscientia. Et in hoc foro publico per excommunicationem clauditur ecclesia idest communio fidelium, & aperitur per absolutionem ab excommunicatione. in verbis igitur præcitatis constat quod Christus Dominus contulit ecclesiæ potestatem ferendi sententiam excommunicationis contra sibi inobedientes, & contumaces. hanc sententiam sequuntur Caiet. & Victoria locis supra relatis. *Caietanus Victoria.*

Sed qui oppositam sententiam tuentur, dicunt quod quamuis ex illo loco recte colligatur aliquando dandam fuisse ecclesiæ, & Apostolis hanc potestatem, non tamen satis colligitur ibi esse datam, sed verisimilius est ibi solum fuisse promissam, quod ostendunt ex verbis Christi Matth. 16. vbi dixit Petro. Quodcunque ligaueris super terrã &c. quod solum fuisse promissionem satis ostendunt præcedentia verba de futuro. Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum, quod etiam de Apostolis satis idem constat: Nam verba illa. Quæcunque ligaueritis &c. constat omnino ad futurum referri, & continere prædictionem, ac promissionem potestatis in ecclesia futuræ Data sunt igitur (inquiunt) Apostolis hæc potestas Ioann. 20. illis verbis. Sicut misit

me pater, & ego mitto vos; Tunc enim illos constituit legatos suos, & vicarios, vt Chrysostomus loquitur.

Chrisost.

Nos autem dicimus cum Doctore, quod Christus Dominus potestatem iurisdictionis omnibus Apostolis concessit, quando omnibus illis simul iunctis dixit. Quæcunque alligaueritis super terram &c. Nam per illa verba, vt omnes sacri Doctores fatentur, Christus concessit Apostolis potestatem excommunicandi, quæ sine aliqua iurisdictione esse nō potest. Nec modus loquendi in futuro concludit oppositū; Nam etiam Ioan 20. quando dedit Apostolis, & per ipsos ecclesiæ potestatem ligandi, & soluendi in foro conscientiæ vsus est verbis de futuro, quorum remiseritis peccata &c & tamen nemo negat ibi dedisse eis potestatem, seu iurisdictionem in foro pœnitentiæ.

Ex his sequitur inquit Scotus, quod istæ claues non sunt eædem cum prioribus clauibus fori pœnitentialis: quia illæ sunt ordinis, & istæ sunt iurisdictionis, separantur quæ ab illis in habentibus iurisdictionem secundum ordinationem ecclesię absque ordine sacerdotali, vt in Archidiacono, & alijs quibusdam, qui per Ecclesiæ constitutiones habent iurisdictionem sine ordine sacerdotali; & e conuerso aliæ claues ordinis sunt in omnibus sacerdotibus, quibus non est data potestas excludendi aliquos ab Ecclesia per excōmunicationem, vel reconciliandi illos per absolutionem ab illa.

Contra determinata in hoc art. arguitur vltimo argumēto principali. In ordinatione sacerdotali cōferuntur claues, ergo non possunt haberi a non sacerdote, consequens est falsum; quia vt patet extra de sent. excom. Archidiaconus, quem non oportet semper esse sacerdotem, potest ligare, & soluere, quia excommunicare potest, & reconciliare ergo &c. Ad hoc patet resp ōsio ex vltimo dictis; concedimus enim quod non sacerdos potest habere claues alias pertinētes ad forum extrinsecum, vel publicum, quas sacerdos potest non habere; adhoc tamen quod sacerdos sit hierarcha Ecclesiæ idest in primatu eminente, vt est Episcopus necessarium est, quod habeat illas claues exteriores, vel fori publici; præsupponuntur tamen in illo claues interiores, seu fori pœnitentialis: quia nullus ordinatur Episcopus, qui prius non fuerit ordinatus sacerdos.

ARTICVLVS VI.

Vtrum solus summus Pontifex habeat clauem excommunicandi.

Excommunicatio quid sit.

PRo explicatione huius quæst. obser. est primo, quod excōmunicatio est censura, qua quispiā separatur ab ecclesiastica cōmunione fidelium; quæ definitio in ipso nomine excommunicationis indicatur: nam excommunicatus perinde dictus est, atque extra communionem factus, & fundamentū habet in verbis Matt 18. Si ecclesiam non audierit sit tibi tanquā Ethnicus & Publicanus idest ab ecclesia segregatus, in qua definitione ponitur censura loco generis, sub qua per se notū est excommunicationē contineri, vt constat ex c. quæ tenti de verb. significat. & ex communi sensu ecclesiæ. reliqua autem pars ponitur ad distinguendū hanc censurā a suspensione, & interdicto: nam ab irregularitate, & alijs ecclesiasticis inhabilitatibus, aut pœnis per ipsum genus censuræ separatur, ab illis vero per dictam differentiam: quia nec suspensio, neque interdictum formaliter, ac per se priuant communione fidelium, sed suspendo priuat ecclesiastico ministerio, interdictum vero solum diuinis rebus, vel officijs, comprehenditque hæc definitio quamlibet excommunicationem: nam cum dicitur excommunicationis censura separare ab ecclesiastica communione abstracte id sumitur, siue illa communicatio, qua priuat, magna sit, siue parua, siue totalis, siue partialis, dummodo huiusmodi communicatio ecclesiastica sit, & talis vt sub ecclesiæ prohibitionem cadere possit.

Triplex est inter homines communio.

Vnde obser. est secundo triplicem esse inter homines cōmunionē, quædam est mere spiritualis, & interior quantū ad charitatem & dilectionem, quæ debet esse omniū viatorum ad se inuicem, secundum quam præceptum est vnicuique diligere proximum sicut seipsum, in qua virtualiter est tota legis adimpletio iuxta illud ad Rom. 13. Qui proximū diligit legem adimpleuit. Secunda est communio mere corporalis, quæ appellari potest ciuilis est politica, quæ cōsistit in externis actionibus, quæ ad humanam societatem pertinent, quæ ponuntur in hoc carmine, os, orare, vale, cōmunio, mensa negatur. Tertia cōmunio est quasi media inter has duas, & qua mixta idest fundata quidē in operibus exterioribus, habens tamen interiorē effectum, & in eo cōmunicationē inter fideles. Excommunicatio nō excludit primā communionē, nec vllus viator ab illa cōmunione excludendus est, cum quilibet sit nobis proximus; & ecclesia neque vult, neque potest priuare membra sua internis virtutibus spiritualibus, quæ non possunt a nolentibus perdi, & quæ spectant ad substantiam, & fundamentum spiritualis vitæ. Secundam communionem in sacramentis cum alijs excommunicatio minor excludit, & similiter excommunicatio maior, quæ dicitur quasi extra communem cœtum hominum positio, vel separatio.

Excōmunicatio est duplex.

Tertio obser. est duplicē esse excommunicationē nimirū maiorē, & minorē quæ diuisio fundamentū habet in iure: nam in illo sæpe fit mentio excommunicationis, qua separatur homo a gremio ecclesiæ vt in c. de Presbyt. 17. q. 4. & est excōmunicatio maior. at in c. vnico de Cler. excom. minist. fit expressa mentio excommunicationis minoris, & consequenter indicatur etiam maior; quia minor non dicitur nisi comparatione maioris; quæ etiam ibidem nomine anathematis significatur. Vtrunque autem membrū huius diuisionis definiri videtur in c. penult. de sent. excom. excommunicatio maior est (dicitur ibi) quæ a communione fidelium separat, minor quæ a perceptione sacramentorum. In vtraque autē definitione subintelligitur excommunicatio loco generis proximi. In priori vero cū loco differentiæ dicitur, a communione fideliū separat, illa indefinita locutio nō est abstracte sumēda, sed distributiue, seu totaliter & omnino: quia excommunicatio maior priuat omni ecclesiastica communione tam sacra quā ciuili, seu humana quatenus ab ecclesiæ voluntate, & potestate pendet. In altera vero definitione additur loco differentiæ constituentis excōmunicationē minorē, quod non priuet absolute tota communione fideliū, sed ex parte, scilicet quo ad passiuū vsum sacramentorum.

Excōmunicatio maior est simpliciter excommunicatio.

Quarto obser. est, quod quāuis hoc nomen excommunicationis in antiquo vsu ecclesiæ latissimā habuerit significationē; in præsenti tamen ecclesiæ statu contractā esse illius vocis significationē ad illud duplex mēbrum maioris & minoris excommunicationis, inter quæ minor excōmunicatio existimatur solū secūdū quid, maior vero simpliciter, & ideo illa vox simpliciter prolata præsertim in sententia ferenda, vel a iure, vel ab homine maiorē excōmunicationē indicat, vt hic docet Scotus sub lit. L. §. Respōdeo, vbi dicit, quod excōmunicatio quæ simpliciter est excommunicatio, quæ est sola maior, est exclusio alicuius a communione fidelium, non quidem exclusio corporalis, quæ fit in incarceratione, vel exclusione ab alijs, sed excludendo per prohibitionem ne communicet cum alijs, nec alij cum eo. Idē docet Maior. d. 18. q. 2. quatenus dicit, quod excommunicatio sine additio pro maiori excommunicatione accipitur, & analogice minorē significat, vt patet de sent. excom. cap. vlt.

Maior.

Excōmunicatio duplex a iure, & ab homine.

His obseruatis dubitatur modo, quis possit excommunicare, pro cuius solutione obser. est duplicē esse excommunicationem, a iure. s. & ab homine, quæ diuisio ab efficiētibus causis sumpta est, duplex ergo est causa efficiens excommunicationis. s. ius, & homo; vel certe; quia hoc ius non est diuinum, sed humanum tantum ecclesiasticum; ideo simpliciter potest dici homo ecclesiasticus, seu potestatē habens ecclesiasticam causa efficiens huius censuræ; duobus tamē modis. s. vel ferendo ius, vel ferendo sententiā, vel in generali, vel in speciali hanc pœnā continentē. Vnde fit potestatē ecclesiasticam proxime ac per se necessariam ad excommunicationem ferendam esse potestatem iurisdictionis ecclesiastici fori contentiosi: nam hæc est proximum, ac per se principium ius dicendi siue per leges, siue per sententiam, quāuis non æqualis ad vtrunque modum; sed altior, & maior iurisdictio ad leges condendas, & consequenter ad excommunicationem a iure ferendam, quam ab homine necessaria sit. Hoc supposito.

Dico primo, quod nullus potest excommunicare maiori excommunicatione auctoritate sua propria nisi summus Pontifex: quia claues secundum plenitudinem potestatis resident in Papa iure diuino concessæ a Christo, & hic est primū subiecto clauiū, & præcipuus minister, seu causa efficiens excōmunicationis, & aliorū censurarū, atque adeo ille solus potest propria auctoritate ferre excōmunicationē maiorem,

iorem, qua quilibet Christianus teneatur excommunicatū vitare. hæc conclusio est Scoti in hac. q. vbi supra, & probatur, nullus potest prohibere cunctis fidelibus, vt vitent hanc certam personam, nisi summus Pontifex; sed excommunicare est præcipere cunctis fidelibus vitare hanc personam, & huic personæ, vt cunctos fideles vitet. ergo &c. minor patet, & maior probatur nullus potest aliquem obligare nisi sit eo superior, & habeat in illum iurisdictionem: quia nullus non subditus illi, tenetur seruare institutionem eius, sic nec eius præcepta seruare; sed nullus habet iurisdictionem super omnes fideles, nisi summus Pontifex, ergo &c.

Dico secundo, quod a Pontifice deriuatur iurisdictio in reliquos prælatos, vt in Episcopos, aut Abbatem, qui est caput ecclesiæ collegiatæ, quam iurisdictionem habet Episcopus confirmatus, siue prouisus, licet non dum sit consecratus, & hæc potestas interdum est in communicate quadam, vt in Concilio Generali, quod vt pontifex potest leges generales condere ligantes sub pœna excommunicationis. Similiter Concilium prouinciale potest facere statuta sic ligantia subditos; & capitulum sede vacante similiter potest excommunicare suspendere, aut interdicere.

Dico tertio, quod legatus, aut Nuncius Apostolicus, & qui habet a Principe iurisdictionem delegatam in perpetuũ (cum dicatur in vtroque foro ordinarius) potest excommunicare, & valet illius excommunicatio, suspensio, interdictũ, aut sententia, licet per Papam esset huic reuocata facultas, quamdiu de reuocatione constare non potest. Archiepiscopus tamen suffraganeorum subditos excommunicare non potest, nec absoluere nisi in causa appellationis, vel dum iure concedente visitat illos. cap. Pasto. de officio ord. vbi Pan. Feli. & commun. Nau. c. 27. num. 40. Syluest. verbo Archiepis. visitatio. § 3. Angelus. eodem verbo nu. 2. & Couar. præresol. c. 4. nu. 9. & c. 9. nu. 2.

Panormit. Felinus. Nauar. Syluester. Angelus. Couar.

Dico quarto, quod Inquisitores sancti officij tanquam delegati Apostolici habent ordinariam potestatem in causa fidei, & in aliis suo officio commissis per Pontificem. Ita Nau. cons. 1. tit. 29. de officio delegati lib. 1. Siman. tit. Inquisitor. nu. 7. cum Commun. & Franc. in c. ne aliqui. de hæreticis in 6. contra Archi l. vide etiam Nauar. lib. 1. cons. 1. & 7. de hæreticis. & Siman. tit. de hæreticis, de Idolatria, de Matrimo. procedunt in casibus hæresis, aut qui manifeste sapiunt hæresim, vt si quis sit bisconiugatus & in Hispania paulo ante, vel post Confessionem, & in Italia in ipso actu Confessionis confessarius solicitet spiritualem filiam in peccatum, & breuiter in omnibus casibus, qui reddunt hominem de hæresi suspectum. Ex consuetudine etiam præscripta per Pontificẽ, aut Episcopum approbata, quidam circa subditos habent hanc iurisdictionem in vtroque foro, vt Archidiaconus, Archipresbyter & Decanus. Ita Nauar c. 27. nu. 7. cum Angelo. Idem supplemen. verbo excom. §. 2.

Nauar. Siman. Franc.

Angelus. Nauar.

Dico quinto, quod in religione exempta, Generalis, & Prouincialis est ordinarius Pastor regularium cum iurisdictione in vtroque foro non tantum ea priuilegio, sed iure cõmuni ita Sotus. d. 22. q. 2. art. 5. concl. 1. & d. 18 q. 4. ar. 2. conc. 3 Syluest. excom. 2. nu. 15. Armilla §. 29. & Couar. pract. c. 1 t. num. 3. quam iurisdictionem possunt etiam delegare, sicut & Abbas exemptus ecclesiæ collegialis, qui habet quasi episcopalem iurisdictionem. Papa per exemptionem regularium concedit item Generali amplissimum per orbem territorium, & ne subditi possint a Generali, aut ab Abbate appellare ad Episcopum, sed ad Papam. Immo si regularis appellet a correctione Regulæ secundum ordinationes eius religionis, appellatio admitti non debet ab alio iudice, & nõ obstante appellatione proceditur ad punitionẽ Bonif. VIII. & Syxti IV. habetur in compendio Mendicantium, verbo appellatio. §. 1. Generalis. §. 10. nec appellat a Visitatore regulari ad Conseruatorem, alias incurrit excommunicationem, nisi appellet a Generali congregatione, & in casu denegatæ iustitiæ, aut pronotoria iniuria. Ita Claud. in priuileg. Socie. verbo. correctio, & appellatio, & compend. Bernard. correctio. §. 8. Monacus. § 5. & 7. & in priuileg. Præd. fol. 66. E. & sunt cõcessiones Iulij II. Inn VIII. Euge. IV. Alex. IV. & Inn. III. & IV. & Nauar. de regularibus num. 51. dicit hoc ita cõcedi, quia prælatus creditur in correctione procedere iuxta regulam iuste, & charitatiue, at a superiore grauatus posset fugere, vt adeat Generalem, aut Papam absque apostasiæ nota, vt docet Nauar. de Regular. com. 2. num. 61. & cap. 27. nu. 130. in Religionibus etiam exemptis, vt Abbas, Prior Guardianus & Rector collegij potest excommunicare, interdicere, aut suspẽdere. ita Sotus. d. 22. q. 2. ar. 1. concl. 4 & innuit. d. 18. q. 4. ar. 2. concl 3. quia hic punit subditos, irritat vota illorum. & dispensat cum illis tanquam prælatus in vtroque foro. Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 8. Sotus lib 7. de iust. q. 3. ar. 1. Nau. c. 12 nu. 64 cum Syluest. Votum. 4 §. 2. Glos. c. manifestum. cap. noluit. 13. q. 2. ex August. q. 59. in Num.

Sotus. Syluester. Armilla. Couar.

Claudius.

Nauar

Nauar.

Sotus.

Caietanus. Sotus. Nauar. Syluester. Glossa.

Sed dubium est an Parochus habeat aliquando potestatẽ excommunicandi, saltem pro aliquibus delictis. D. Thomas in 4. d. 18. q. 2. art. 2. quæstiun. 1. quem refert & sequitur Syluest excom. 1. nu. 5. hanc potestatem ei tribuunt. Vnde inquit Syluest. ex officio tantum Episcopos hoc posse, tamen in furto & rapina, & similibus casibus a iure concessis etiã parochos habere hanc potestatem quasi delegatam & ex commissione. Addit præterea Syluest. ex Hostiensi, etiam in notoriis, quæ non indigent inquisitione vlla, posse parochos excommunicare; Immo Glossa in cap. 29. q 1. & in §. his post cap. miramur. vers. cum ergo. 24. q. 1. dicit. Quemlibet sacerdotem posse excommunicare. sed hoc improbabile est. Sententiam Sylu. sequi videtur Sotus d. 22. q. 2. ar. 1. licet existimet hoc iam in dissuetudinem abiisse.

D. Thomas. Syluest.

Glossa.

Sotus.

Cæterum quod dicunt D. Thom. & Syluest. de Parochis incertum mihi videtur: quia non inuenio ordinarium ius, vel scriptum priuilegium, in quo fundatum sit. Nam cap. cum inhibitio. §. sane quod citari solet nihil probat: quia ibi solum habetur, ad parochi munus pertinere, prohibere clandestina matrimonia; quod autem id possit sub hac censura prohibere, ibi non dicitur. Vnde Almayn in hac dist. dicit se non reperire actum iurisdictionis præter vnum, qui possit conuenire simplici sacerdoti curato scilicet repellere publicũ peccatorem a perceptione sacramenti, & potestatem illam habet ex Euangelio. Nolite sanctum dare canibus; sed non reperitur, quod simplex sacerdos Curatus habeat istas claues. scilicet potestatem excommunicandi, suspendendi, interdicendi, & absoluendi. Quapropter generaliter statuendum est Parochos non posse excommunicare, quia a iure potestatem excommunicandi non habent, & consuetudo, qua alicubi excommunicabant pro rebus subtractis aut deperditis reuocata est per Conc. Trid. sess. 25. cap. 3. de Refor. & demandatum idest soli Episcopo sub his verbis. Quapropter excommunicationes illæ; quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis (vt aiunt) aut pro deperditis, & subtractis rebus ferri solent a nemine prorsus præterquam ab Episcopo decernantur, &c.

Almayn.

Parochus nõ potest excõmunicare.

Conc. Trid.

ARTICVLVS VII.

Vtrum debeat quis precise pro peccato mortali excommunicari.

EXplicata causa efficiente, in hoc art. agẽdum est de causa quodammodo finali; quæ etiam obiectiua dici potest, & quasi materia circa qua n excommunicatio versatur. Nam supponimus vt manifestum ad ferendam censuram requiri aliquam causam ex parte eius, in quem fertur, quia cum excommunicatio sit valde onerosa & grauis pœna, ratio ipsa postulat, vt sine proportionata causa non inferatur, quod etiam in iure expressum est cap. sacro de sent. excom & c. 1. eodem tit. in 6. & sæpe alias. Quo fit vt ea defectu huius causæ maxime possit excommunicatio esse aut iniusta, aut nulla; atque ita explicando in hoc art. hanc causam, & qualitatem ac veritatem eius, simul explicabimus differentiam inter excommunicationem iniustam & nullam, vt etiã intelligatur, quando & quomodo sententia Pastoris, tametsi iniusta timenda sit.

Dico ergo primo excommunicationem ferri non posse nisi propter culpam; nam excommunicatio est quædam pœna, pœna vero habitudinem dicit ad culpam, vnde non potest iuste nisi propter culpam imponi: maxime cum pœna hæc spiritualis sit, cui potissimum conuenit, vt non nisi propter culpam infligatur, & sit etiam medicinalis, quæ morbũ supponit; & culpam eius supponit, in quem directe fertur: quia nemo potest excommunicari nisi propter propriũ peccatum cap. si habes 24. q. 3. ex August. epist. 75. quem textum cum aliis notat Couar. in c. Alma. p. 1. §. 9. num. 3. est enim hæc censura grauissima, & in hunc tantum modum & finẽ instituta. hoc etiam patet ex illo Matth. 18. Si peccauerit in te frater tuus &c. & deinde, Si ecclesiam non audierit sit tibi

Excõmunicatio nõ potest ferri nisi ꝑ culpam.

Couar.

bi tanquam ethnicus & publicanus. Semper itaque supponi debet peccatum aliquod, seu inobedientia ad Ecclesiam, vt excommunicatio ferri possit.

Et ex hoc sequitur excommunicationem ferri non posse nisi supponatur culpa cognita ab eo, qui excommunicationẽ fert: quia non potest illum impellere nisi media cognitione. Item quia nullus potest de causa sibi incognita iudicare; & hoc etiam traditur in d. cap. sacro. §. caueant. de senten. excom.

Excommunicatio maior ferri non potest nisi ob lethale peccatum

Dico secundo excommunicationem maiorem ferri non posse, nec debere, nisi ob culpam mortalem cum inobedientia ecclesiæ & contumacia commissam. In hac conclusione omnes Doctores conueniunt, oportet tamen eam diligenter explicare. Vnde obseruandum est, quod duobus modis loqui possumus de causa ferendi censuram, Primo secundum ius ordinarium ab ecclesia statutum. Secundo iuxta absolutam potestatem a Christo Domino concessam, quæ in summo Pontifice residet. priori modo est fere indubitata cõclusio posita: sunt enim multa decreta in quibus hoc statuitur, quæ referuntur a Gratiano. 11. q. 3. ex Concil. Niceno cap. 5. sententia. & ex Concil. Melden. in cap. nemo Episcoporum. & ex Concil. Anem. vel potius Vormac. & Aurelia. 5. in cap. nullus, & in Conc. Agaten. in cap. Episcopi. Rursus ex Hierony. August. Prospero, & alijs multa refert. 24. q. 3. cap. resecandæ. cap. corripiantur. cap. ecce. cum alijs, quæ ex Anacleto, & Pelagio ibi referuntur, idemque sumitur ex cap. sacro. de sent. excom. & ex cap. Romana. eodem tit. lib. 2. ac denique clarius Trident. id statuit in sess. 25. cap. 3. de Refor. vbi expendenda sunt illa verba aut leuibus ex rebus, & illa Non alias quam ex re non vulgari causaque diligenter per Episcopum examinata &c. cuius rationẽ assignat Concilium inconueniens; quia si excommunicatio ob leuem culpam incutiatur, magis contemnitur, quam formidatur, & perniciem potius parit, quam salutem.

Excommunicatio duobus modis ferri potest.

Gratianus.

Conc. Trid.

Ex hac conclusione infertur, nullum Iudicem, vel Prælatum Ecclesiæ infra summũ Pontificem posse pro culpa, quæ mortalis non sit, vel pro causa, in qua de euitanda mortali culpa non agatur hanc censuram excommunicationis imponere, vel sub illa obligare. quia nullus ex his Prælatis, vel iudicibus, potest præceptum, vel sententiam ferre nisi iuxta formam, & modum per sacros canones institutum: habent enim iurisdictionem suam sacris canonibus ac legibus alligatam, sed sacri canones statuunt, vt hæc censura non feratur nisi pro graui culpa, ergo non possunt aliter eam ferre.

Papa pp veniale culpã non põt excommunicationem ferre.

Posteriori autem modo, scilicet iuxta absolutam potestatem a Christo Domino concessam. Dico etiam propositam conclusionem procedere; ita vt nec ipse summus Pontifex possit pro sola veniali culpa præcise directe maiorem excõmunicationem ferre. Quod colligitur primo ex omnibus scripturæ locis in quibus aliquod iudicium huius censuræ, vel potestatis ad illam ferendam continetur: semper enim significatur solum propter graues culpas corrigendas esse hãc potestatem concessam, vt Matth. 18. Si ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Nemo enim dicet aliquem esse rebellem Ecclesiæ propter solam venialem transgressionem, eo vel maxime: quia erat sermo de correctione fraterna, & ordine eius, qui ad coactionem per hanc censuram terminatur, si intercedat contumacia: illa autem correctio, & Theologi docent in 4. dist. 18. & D. Thomas. 2. 2. q. 33. non habet locum proprie, & in rigore loquendo in peccatis tantum venialibus, quod etiam (vt ponderauit D. August.) ex verbis Christi colligitur. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum, perierat ergo grauiter peccando, vt August. infert.

D. Thomas.

D. August.

Secundo sumi potest argumentum ex testimoniis Pontificum, & sanctorum, quæ supra retulimus: cum enim docent excommunicationem non esse ferendam nisi pro graui crimine, non fundantur in aliquo iure seu prohibitione Ecclesiastica, sed in ipsa æquitate naturali supposita institutione, & acerbitate talis pęna: & quia Christus non dedit hanc potestatem ecclesiæ in destructionem, sed in ædificationem, quæ rationes absolute procedunt de ipsa potestate secũdum se, & respectu cuiuscumque habentis illam. Vnde concluditur tertio, optima ratio naturalis: quia pęna debet esse proportionata culpæ; excommunicatio autem maior, est grauissima omnium, quæ sunt in ecclesia, vt D. August. dixit lib. de correct. & gratia cap. 15. in cap. corripiantur. 24. q. 3. non est ergo proportionata culpæ veniali, sed infinite (vt ita dicam) excedens. ergo ex ipso iure diuino, & naturali, non potest secundum iustitiæ æquitatem talis pœna pro veniali culpa ferri, ergo absolute loquendo non dedit Christus ecclesiæ hanc potestatem.

D. August.

Excõmunicatio pro veniali culpa ferri nõ põt.

Dico itaque tertio, quod excommunicatio maior a nemine fulminari potest pro veniali culpa. Probatur primo: quia per excommunicationem eijcitur quis quodammodo ab ecclesia, vt sumitur ex multis iuribus. 11. q. 3. præsertim cap. omnis Christianus, & cap. nihil. nemo autem meretur eiici ab ecclesia, qui non est dignus eiici a Regno Dei, quod non est, nisi propter peccatum mortale.

Secundo probatur, quia quod est in Repub. temporali pęna mortis, id est in ecclesiastica Repub. pęna excommunicationis; ideoque vocari solet gladius ecclesiasticus in cap. inter hæc. 33. q. 2. Et multi Patres dicunt hanc pęnam habere in ecclesia eum locum, quem in veteri lege habebat pęna mortis, vt videre licet apud Antherum Papã epist. vnica, & Tertullianum in Apolog. c. 39. & August. in quæst. Deuter. q. 2. Qui propterea in collatione tertiæ diei cum Donatistis, eam vocat damnationem, quam facit episcopale iudicium. Sed Reipub. temporali non est data potestas ad interficiendum hominem propter peccatum veniale, vt per se notum est, ergo neq. ecclesiæ ad ligandum hominem hac censura ob solam venialem culpam.

Antherus Papa. Tertullian. August.

Ex his infertur primo excommunicationem latam pro leuiori culpa, quæ mortalem grauitatem non attingat, esse nõ solum iniustam, sed etiam ipso iure nullam a quocunque feratur. Patet ex dictis. Tum quia fertur absque legitima potestate. Tum quia est euidenter contra iustitiam commutatiuam respectu eius, qui sic damnatur, tum quia continet intollerabilem errorem non solum contra ius ecclesiasticum, sed contra naturale, & diuinum; sicut esset intollerabilis error Medici, qui præciperet brachium abscindi a corpore propter leuem læsionem, seu ægritudinem, & intollerabilis esset iudicis sententia iudicantis aliquem ad mortem propter venialem culpam, ac proinde nulla ipso iure.

Secundo infertur Quotiescunque aliquis excusatur a culpa mortali in transgressione alicuius legis, vel præcepti excusari etiam ne censuram excommunicationis incurrat etiam si omnibus transgressoribus illius præcepti imposita sit, vt si excommunicentur omnes qui furantur aliquid, si quis id cõmittat tamen ex leuitate materiæ excusatur a mortali, excusabitur etiam, ne talem censuram contrahat. Et eadem ratione, cui sub excommunicatione præcipitur, vt soluat vel restituat, si id omittat: quia re vera non habet vnde soluat, sicut excusatur a culpa ita etiam a censura; quia cessante causa necessaria etiam quo ad rei effectionem, cessat, seu non fit effectus. Item, quia quod culpa caret in damnum vocari non debet, vt dicitur in cap. 2. de Constitut. ergo & quod caret graui culpa non debet in grauissimum damnum excommunicationis vocari.

Tertio infertur. Quoties per aliquam legem prohibetur aliquid sub pœna excommunicationis si lex sit iusta, & valida, quo ad talem pęnam transgressionem eius esse peccatũ mortale. hanc regulam tradidit Caiet. specialiter in summa verbo præceptum, estque communis omnium, & sequitur euidenter ex dictis: quia si illa pœna iusta est supponit proportionatam causam, vel culpam, sed culpa illi proportionata est præcise mortalis, vt ostensum est.

Caietanus.

Excõmunicatio ferri nõ quit pro peccato interno.

Dico quarto excommunicationem ferri nõ posse propter peccatum solum interius mente consũmatum, nisi in actum externum prodeat. ita docent D. Thomas. 1. 2. q. 91. art. 4. vbi generatim docet humanam legem, vel iudicium ferri non posse de interioribus motibus. Palud. in 4. d. 17. q. 2. art. 2. & q. 7. ar. 5. dist. 15. q. 5. art. 2. Durand. d. 17. q. 8. Gabriel. ibi. q. 2. dub. 5. & lect. 64 in can. Almay. hac d. & de potest. eccle. c. 3. Antoninus. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7. & tit. 24. c. 4. Caiet. 2. 2. q. 11. ar. 3. & in summa verbo hæresis, & verbo horæ Canonicæ. Angelus verbo hæreticus. Syluest. verbo hæresis. q. 2. & ver. excom. 7. q. 2. Tabien. excom. 5. casu. 4. nu. 4. Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punit. c. 18. Driedo lib. 3. de libert. Christ. c. 5. sub finem Nauar. in summa. c. 23. num. 38. & c. 27. num. 56. & in cap. cogitationis. de pœnit. d. 1. Couar. Regula peccatum. p. 2. num. 7. & sumitur ex cap. tua nos, & cap. sicut tuis. de simonia. vbi tanquam principium certum sumitur Ecclesiam iudicare de sibi manifestis, non vero de occultis.

D. Thomas. Palud. Durandus. Gabriel. Almayn. Antoninus. Caietanus. Angelus. Syluester. Tabiena. Castro. Driedo. Nauar. Couar.

Excõmunicatio duplex a iure, & ab homine.

Cæterum quia hæc conclusio aliqualem patitur difficultatem, pro ampliori eius explicatione obseruandum est primo,

mo, duplicem esse excommunicationem, vnam latam a iure, alteram ab homine. Nam duobus modis potest homo ferre censuram. Vno modo ferendo legem stabilem ac permanentem obligantem sub hac pęna, quam ipso facto incurrant eius transgressores; Alio modo potest ferre censuram proferendo sententiam, aut præcipiendo aliquid in singulari actione, vel negotio, in quo non stabilitur ius, aut statutū permanens, sed transitorium mandatum. Quando censura excommunicationis fertur primo modo dicitur esse a iure: quia licet ius ab homine processit, iam vero ipsa censura in ipso iure continetur. Quando vero censura fertur posteriori modo, retinet veluti commune nomen, & quasi per antonomasiam, vel accomodationē vocatur censura ab homine.

Secundo obseruandum est hanc pęnam, quæ censura est, ita posse per legem imponi, vt statim per transgressionem legis contrahatur ante sententiam iudicis, tam condemnatoriam, quam declaratoriam; ipse enim vsus Ecclesiæ sufficiēter docet, & esse in ecclesia hanc potestatem, & illum modum puniendi iustum esse.

Peccatum mortale est multiplex,

Tertio obseruandum est, quod peccata mortalia sunt in multiplici differentia: nam quædam consistunt in solo actu interiori, quædam procedunt etiam in opus, & exteriorem operationem, quæ etiam multiplicia sunt. Quędam enim sunt, quæ ex operatione exteriori, ad quam exeunt non possunt cognosci esse peccata, propterea quod illa operatio est solum peccatum propter relationem in malum finem, vel quia imperatur a volitione mala, vt Petrus dat eleemosynā non propter Deum, sed propter vanam gloriam, talis operatio exterior imperatur a volitione, quæ appetit vanam gloriam, & illa operatio nō potest cognosci esse peccatum: quia talis non est prohibita; immo frequenter cadit sub pręcepto, & ad cognoscendum illam esse peccatum, oportet de necessitate cognoscere interiorem volitionem. Alia sunt peccata quæ possunt exterius cognosci esse peccata, vt occidere, adulterari, furari.

Quarto obseruandum est, quod istorum peccatorū, quædam sunt publica; quæ ideo publica vocantur non quia omnes sciunt, & cognoscunt illa; sed quia iuridice probari possunt per duos, aut tres testes, Alia sunt publica quæ tamen non possunt publice probari.

His suppositis sic declaratur conclusio, Ecclesia nō potest excommunicare pro peccato solo interiori. Nam ecclesia cū sit visibilis non vtitur censuris, quæ pertinent ad forum exteriorem in actus mere internos, nec de his, quæ sunt per se occulta iudicat, nisi vt per exteriores quorum sunt causa manifestantur, vel per omissionem rei notæ, vt missæ præceptæ, actus autem pure interior est per se occultus ecclesiæ, & ideo est omnino extra iurisdictionem, & potestatē eius. actus vero exterior licet interdum sit occultus, hoc est tamē per accidens, quia ipse secundum se non est extra obiectum talis potentiæ, atque adeo ille sæpe punitur per legem, ideoque esse potest materia censuræ. Si autem sit sermo de peccato, quod procedit ad actum exteriorem, qui vtique cognoscitur, at non potest cognosci adhuc esse peccatum, dicēdum est sicut de actu pure interiori; cum enim actus iste exterior secundum se non sit malus, nec absolute prohibitus, nec potest ecclesia prohibere, ne ex praua intentione fiat, consequēter non potest censuram in eum ferre, qui praua intentione talem actum effecerit, vt aperte docet Nauar. cap. mandato de simonia, num. 10. Si autem peccatum est tale, quod exterius cognosci potest esse peccatum, & quod iuridice probari potest factum esse per duos, vel tres testes, & etiam actor ipsius peccati, Nam interdum delictū probari potest; sed actor non, vt cum reperitur trucidatum corpus, sed cum trucidaretur nullus erat præsens) certum est posse ecclesiam patratorem peccati excommunicatione ferire. Item extenditur ecclesiastica potestas ad peccatum iuridice notum, cuius tamen actor iuridice ignotus est. Probatur per cap. quidam maligni spiritus. 5. q. 1. vbi de quodam, qui contra Castoriū Notarium, ac responsalem Apostolicum nocturno silentio in Ciuitatis loco contestationem posuerat in eius crimina loquentem. dicit Adrianus Papa. qui si non exierit, neque publice confessus fuerit quisquis ille sit, qui hoc agere præsūpserit, vel consensum tantæ iniquitatis consilio præbuerit ex Dei, & Domini nostri Iesu Christi spiritu, definimus vt sancti eius corporis, & sanguinis participatione priuatus sit. & iste est vnus casus apud Ocham in quo recurrendum est ad potestatem ecclesiasticam in crimine ciuili.

Nauar.

Cæterum si peccatum interius exiuit in opus, quod est de se malum & non solum quia male reuelatum si non possit illud opus iuridice probari ecclesia non potest excommunicare actorem pro tali opere, & loquor de sententia lata ab homine saltem nominatim, & hoc nō est propter defectum potestatis; quia habet potestatem super illa crimina, sed propter defectum cognitionis; quia non potest iuridice illud ecclesia cognoscere eo modo, quo habet potestatem in foro publico, in quo tantum cognoscere potest, de exterioribus publicis, & notoriis, idest quæ possunt iuridice probari. Nam ista clauis solum se extendit ad operationes, quæ consistunt in opere exteriori, & publico, quæ possunt iuridice probari, & quibus annexa est contumacia; vt Petrus commisit fornicationem, & notum est ecclesiæ, tunc ecclesia debet vocare Petrum, vt vocatus compareat, & non discedat a iudicio, ante licentiam; & sententiæ latæ a iudice obtemperet, quod si obedierit cum non sit contumax, non debet excommunicari. Nam excommunicari non potest nisi propter alteram istarum causarum; vel quia vocatus non comparet; vel si compareat discedit ante, vel si non discedat præcipitur ei abstinere, & non abstinet, tunc licite potest excommunicari. Nam resolutio omnium Theologorum est, quod nunquam debet excommunicari nisi pro mortali exteriori iuridice probato, cui annexa est contumacia, vel quia non comparet, vel discedit a iudicio, vel non abstinet. hæc dicta sunt de sent. excom. ab homine.

Verum si loquamur de sent. excommun. a iure, dicēdum est, quod pro actu exteriori quamuis occulto incurritur pęna iuris, vt regulariter tenent Doctores, & nominatim Palud. in 4. d. 18. Probatur ex cap. porro. de sent. excom. in quo dicitur eos, qui manus violentas in fratres suos iniecerunt, qui non conuicti, sed priuatim veniam postulant esse monendos, vt satisfaciant his, quos læserunt, & Apostolicæ sedi se præsentent, cum ab alio sine speciali mandato absolui non valeant. ergo illi sunt excommunicati. Absurdum enim foret dicere eum, qui violentas manus iniecit in clericum, quamuis secrete non esse excommunicatum. *Paludanus.*

Sed contra arguitur per cap. sicut de iuis litteris. de simonia, in quo dicitur. Illos autem qui dederunt pecuniam vel etiam receperant, in tantum constant esse culpabiles, quod si eorum excessus esset ecclesiæ manifestus, quæ non iudicat de occultis. pęna canonica essent feriendi, ergo si non sint manifesti non sunt feriendi, & in cap. erubescant 32. dist. in quo de Presbyteris, Diaconibus & subdiaconibus, qui mulierculas non abiecerunt, dicit, quod sunt excludendi a suorū graduum dignitate; statim subiungitur, de manifestis autem loquor; secretorum autem Deus cognitor, & Iudex est. Itē Matth. 18. vbi est instituta hæc potestas ecclesiastica, datur forma secundum quam sit ea vtendum: sed sic est quod ibi præcipitur reum esse ecclesiæ denunciandum, & conuincendum per duos, vel tres testes, ergo non extenditur hæc potestas ad ea peccata exteriora quæ probari non possunt.

Respondetur & ad primum dico, quod illa capitula intelligenda sunt de pęna ab homine inferenda; sunt enim canones quidam, qui non sunt sententiæ latæ, sed ferēdæ, quibus, transgressoribus non infligitur ipso facto pœna, sed declaratur infligenda per Iudicem, & horū transgressores nō subiiciuntur illi penæ nisi notorij sint. Et quamuis Glossa ex cap. erubescant. fundet argumentum pro opinione eorum, qui dicunt, quod occultum delictum non irrogat irregularitatem. Oppositum huius opinionis satis determinatum est ex cap. quæsitum, de temporibus ordinandorum. Vbi dicitur. Si propensia crimina. puta adulterium, periurium, homicidium, falsum testimonium ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hij, præter reos homicidij post pœnitentiam in iam susceptis ordinibus impediri; ergo homicidæ incurrunt irregularitatem, quamuis non sint notorij. *Gloss. a.*

Ad secundum ex D. Matth. eodem modo dicendum est, quod processus ille intelligitur de eo, qui per Iudicem, & nominatim feriendus est pœna ecclesiastica; Ista requireret ampliorem explicationem, sed quia præcise sententiā Doct. Sub. præcise hic intendimus explicare, ideo quę non faciunt pro principali proposito omittimus.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum solum viuentes excommunicari possint.

Ricardus. Gabriel. DE hac re duplex est sententia. Prima est Ricar. in 4. d. 18. ar. 5. q. 4. & Gabri. q. 2. ar. 2. corrol. 4. post. 5 concl. & quorundam Canonist. qui tenent hominem mortuum posse excommunicari. Nam Glossator decretalium, in cap. si qs Episcopus. de hæreticis, in verbo post mortem, post quam ad suæ sententiæ confirmationem citauit. cap. sane. 24. q. 2. vbi de hæreticis dicitur post mortem esse anathematizandos & condemnandos, deinde sibi ipsi obijcit, & respondit per hæc verba. Contra quia crimina morte extinguuntur. 23. distin quorundam. 24. q. 2. cap. 1. & crimen cũ pœna sit extinctũ. c si reus, vel accu. mor. fue. c. 2. Hoc tamen speciale est in crimine hæresis in criminis detestationem vt post mortem possit accusari, & excommunicari. Hæc Glossator decretalium. *Glossa. Abbas.* Abbas in expositione præfati cap. si quis Episcopus. eidem subscribit sententiæ, dicens etiam hoc esse speciale hæretico, vt post mortem possit excommunicari.

Cyprianus. Potest autem hæc opinio in hunc modum probari. Primo quia Cyprianus lib. 1. epist. 9 propter specialecrimen quemdam mortuum excommunicauit, vt refertur in cap. neque 88. dist. & in cap. si quis Episcopus. de hæreticis, præcipitur, vt propter quædam delicta Episcopi. saltem post mortem eius anathema dicatur atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.

Concil. Constan. Item post mortem multi fuerunt hæretici anathematizati. Nam Concilium Constantiense sess. 8. anathematizauit Ioannem Vuicleph iam tunc defunctũ, & in 5. synodo act. *Quinta synodus.* 1. anathematizati sunt Dioscorus, & Euthyches, & alij multi hæretici, qui iamdiu ante multos annos fuerant mortui; & *Sexta synodus.* in 6 synodo act. vlt. anathematizati sunt Theodorus, Faranita, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, & Honorius, & multi alij hæretici, qui iam mortui erant. & in cap. sane. 24. q. 2. habetur, quod hæretici, & schismatici illi, quorum scripta hæresim continent, post mortem sunt excommunicandi.

Item si aliquis mandat alicui subdito suo, vt occidat Clericum Titium, & moriatur antequam mandatarius exequatur mandatum post mortem mandantis, si mandatarius mandatum exequatur, mandans carere debet ecclesiastica sepultura, si efficaciter non reuocauit mandatum reintegraliter; ita vt ad mandatarium reuocatio peruenerit; sed non debet priuari sepultura pro occisione illius clerici etsi post mortem, nisi pro hoc incurreret excommunicationem iam mortuus, quia viuens pro hoc excommunicationem non incurrit, cum mortuus fuerit ante factum, ergo aliquis post mortem potest incurrere excommunicationis sententiam.

Oppositam sententiam tenent fere omnes alij Doctores, qui in hac conclusione conueniunt omnium. Subiectum capax excommunicationis esse hominem viatorem, & viuentem in hac vita mortali, adultum, & Baptizatum, & qui in *Subiectũ capax excommunicationis quodnam sit.* terris superiorem habeat, seu alteri subiectus sit. dicitur primo hominem viatorem: nam solus homo viator est capax delicti, & contumaciæ eius, & vtrunque requiritur in subiecto capaci censuræ; nam fertur propter delictum, & contumaciam, vt dictum est supra; Vnde ex hac particula excluduntur primo bruta animantia, quia non sunt capacia delicti, sed contra locustam & Bruchum recte instituit ecclesia vt adiuratione cum aspersione aqua benedictæ, & precib⁹, & huiusmodi exorcizantur, seu anathematizantur, similia verba solum sunt adiurationes, seu imprecationes quędam, quibus Christianus populus a Deo postulat, vt illa auertat, & destruat.

Secundo excluduntur Beati omnes, tum quia sunt incapaces delicti, tum quia sunt natura sua extra forum ecclesiæ, & si dicatur quod D. Paulus ad Gal. anathema dicit in eum, qui contra Euangelium docet, etiam si Angelus sit. dico ꝙ verbum anathema sumitur ibi pro verba execrandi, & detestandi, & in hoc sensu dixit Paulus anathema in eum, qui aliud euangelizauerit, quam quod ipse euangelizauerat, etiã si esset Angelus. quod per exagerationem dixit, ad ostendẽdam firmitatem fidei, & quam sit execrabilis, & fide indignus, qui contrarium prædicat; Tertio excluduntur dæmones. Nam ne damnata, quia & si sint culpæ capaces, tamen iam non possunt emendare delictum, atque adeo ratione status sunt extra forum ecclesiæ, & si dicatur, quod inter exorcizandum dæmones excommunicari, & anathematizari dicuntur, dicimus quod eodem sensu, quo intelligitur verbũ D Pauli accipienda sunt similia verba, quoties in dæmones dicuntur.

Dicitur secundo adultum: quia non omnis homo viator est censuræ capax, sed adultus tantum, quia ante ætatẽ adultam nemo potest censura ligari, quia nec capax est delicti. ꝙ sit proxima causa censuræ, neque etiã est capax alicuius obligationis, vel effectus, qui per censuram infertur. Primũ patet: quia omnis obligatio requirit rationis vsum. Secundum etiam constat: quia huiusmodi infantes non sunt capaces proprio vsu, vel communicatione spiritualium bonorum. & hoc quod dictum est de pueris rationis vsu carentibus, intelligendum est etiam de omnibus perpetuo amentibus; imo intelligendum est etiam de his, qui dum factum prohibitum sub censura efficiunt, carent vsu rationis, etiam si antea habuerint, & postea ad illum redeant. imo licet sit solum quædam actualis ineptitudo, qualis est in dormiente, in ebrio, & similibus, dummodo talis actio non fuerit voluntaria in causa, tunc enim alia est ratio; præcise autem ex vi illius actionis, in ea dispositione factæ, non potest incurri censura, quia cum non sit libera non est contra legem. & ideo vniuersaliter dici potest, carentem vsu rationis, quatenus sic affectus est, esse incapacem censuræ.

Ex quo sequitur quoties iura loquuntur de censuris impuberum, vt in c. 1. & vlt. de sent. excom. sermonem esse de impuberibus doli capacibus, id est habentibus eum vsum rationis, qui ad peccandum mortaliter sufficiat: nam cum huiusmodi peccatum sit velut proximum censuræ fundamentum, necessario supponit radicem eius, id est vsum rationis, & libertatem sufficientem ad illud committendum. Imo addunt Iurisperiti licet ad incurrendam censuram ipso iure latam sufficiat ætas impuberis doli capacis, de quo sermo est in l. pupillus 112. ff. de reg. iuris; vt tamen ab homine inferatur, id non satis esse, sed necessariam esse puberem ætatẽ ita docet ex Abbate Soncino. & alijs, Vgol. c. 17. *Vgolinus.* §. 3. nu. 5. & ratio est. quia huiusmodi ætas non censetur sufficiens ad intelligendũ ordinem iudiciarium, propter quod nec de iure citari potest, nec ad agẽdum, vel defendendum se in iudicio admitti iuxta cap. vlt. de Iud. in 6.

Tertio dicitur viuentem in hac vita mortali: quoniam potestas iurisdictionis, quæ ad excommunicandum aliquem est à Christo Domino Prælatis ecclesiæ concessa ad solos viuos, & super terram existentes concessa est, non autem mortuos, qui aut super terram, aut subtus terram locuti sunt. Nam potestatem hanc excommunicandi incorrigibilem, & contumacem (vt proximo præcedenti art. docuimus) Christus concessit per hæc verba. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, quæ verba ex ipsius euangelij litera ad eos solos referuntur, qui semel, & iterum à fratre, & tertio à Prælato correcti emendati recusant tanquam contumaces, & rebelles. At mortuus cum non possit semel admoneri, aut à fratre, aut ab ecclesia nunquam post mortem potest dici contumax, aut rebellis, quo fit vt nec excommunicari possit post mortem. Et si dicatur mortuum non excommunicari propter contumaciam, quã post mortem habuerit; sed propter contumaciam quam habuit ante mortem, quæ quia ipso viuente non innotuit, sed post mortem, ideo mortuus excommunicatur. Dico hoc fieri nõ posse; verba quæ Christus statim post præcedentia ad excommunicationis confirmationem dixit, apertissime conuincunt. Nam post illa verba. Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, statim subdidit. Quodcunque solueris super terrã, erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaueris super terrã & c. per quæ verba ipsam excommunicandi potestatem ecclesiæ concessam amplius declarauit, & ratam & firmam esse ostendit, vt docent D. Hierony. in comment. *D. Hieron.* super Matth. cap. 18. & Vrbanus Papa, & martyr. in epist. de *Vrbanus Papa* communi vita, & Gelasius Papa in cap. legatur, & in cap. *Gelasius Papa.* ne quisquam; at illa Saluatoris nostri verba de solis illis loquuntur, qui sunt super terram, hoc est de illis, qui in hoc mundo degunt, non autem de mortuis, qui aut supra terram, aut subtus terram sunt. solos ergo viuos ecclesia ligare, aut soluere potest, non autem mortuos.

Quarto dicitur, & Baptizatum: quia ista potestas non se extendit ad infideles, sicut nec aliqua alia potestas ecclesiastica. Nam de his, qui foris sunt nihil ad nos, vt Paulus dixit, 1. ad Cor. 5. & cap. gaudeamus. de diuortijs. Aliqui tamen

men dicunt, quod potestas ecclesiastica se extendit ad infideles quantum ad aliquos actus. & quod potest excommunicare illos propter peccata, quæ sunt contra legem naturę, & est opinio Panor. in cap. nouit. de Iudicijs, sed communiter non tenetur, quia infideles non sunt capaces rerum spiritualium, aut earum vsus.

Panormit.

Quinto dicitur. & qui in terris superiorem non habeat: Nam iurisdictio, & subiectio correlatiua sunt, ergo sicut in ferente censuram requiritur iurisdictio; ita in eo, in quem fertur, necessaria est subiectio, Ex quo sequitur, quod nemo potest directe excommunicare se ipsum, aut superiorem propria auctoritate; quia excommunicatio datur per modum sententiæ coactiuæ.

Papa non cōprehendtur inter eos, qui possunt censura ligari.

Secundo sequitur, quod Papa non comprehenditur inter eos, qui possunt censura ligari, quia non habet superiorem in terris, neque alicui spiritualiter subiectus est. cap. cuncta per mundum. 9. q. 3. Vnde non solum ab homine (quod notum est) sed etiam ipso iure censura ligari nequit: quia simpliciter neque ipsi iuri humano subiectus est; quia æqualem habet potestatem. Vnde etiam si contingeret in hæresim incidere, non esset ipso iure excommunicatus, lege Bellar. lib. 2. de Romano Pontifice. c. 12. & sequentibus præsertim in 30. & Nauar. in c. nouit. de Iudicijs not. 3. num. 78. & 142. & in Manu. c. 27. nu. 13. Nec etiam Papa excommunicatur à Concilio, (quod est inferius ipso) nisi in casu hæresis, dum ab infecto capite mystico se defendit ecclesia, ne corpus tabefaciat. vide Sotum dist. 22. & Nauar. vbi supra.

Bellarmin.
Nauar.
Sotus.
Nauar.

Secundo sequitur, quod cum Episcopus, communicans in crimine criminoso cum denunciato ab ipso, non excommunicatur à se ipso; sed ipso iure per Pontificem. Nauarr. cap. 27. num. 6. ad finem. At si Episcopus excommunicet aliquem cum omnibus auxiliantibus, vt furem, non incurrit suam excommunicationem, licet fuent auxilians. ita Nau. vbi supra. sed strictius obligatur restitutioni, quia debet quisque pati legem, quam ipse tulit.

Nauar.

Tertio sequitur, quod superiorem, aut æqualem nemo per se excommunicat, tamen si alienus Episcopus, vel Archiepiscopus, aut legatus Papæ delinquat in alio negotio intra diœcesim alienam, fit inferior ratione delicti, & comprehenditur sub generali excommunicatione Episcopi diecesis. ita Angelus excom. 1. num. 12. contra quosdam, quia delinquens non agit vt superior, sed vt priuata persona, quę ratione delicti fit inferior.

Angelus.

Quarto sequitur, quod priuatus clericus, dū est promulgator excommunicationis Papalis circa superiorem, vt pro furto, Papa est qui excommunicat, ligaturque sub generali illo edicto, etiam ille priuatus, qui promulgat. Dum autem ex delegatione Papæ Canonicus excommunicat suum Episcopum Iudex habet rationem superioris. Ita Nauar. cap. 27. num. 6. & Bustus. 2. par. serm. 37. & Couarr. §. 3. num. 2.

Nauar.
Bustus.
Couar.

Cōmunitas an possit excōmunicari.

Sed hic sunt duo dubia. Primum est an Communitas possit excommunicari. Ad quod negatiuę respondetur: quia is, qui excommunicatur semper esse debet persona aliqua singularis, ita statuitur in cap. Romana. §. in vniuersitatem de sent. excom. in 6. & si dicatur, quod vniuersitas, idest capitulum, seu collegium grauiter delinquere potest, ergo & puniri, & per ecclesiasticam disciplinam corrigi, atque adeo aliæ censuræ in communitatem feruntur, ergo etiam per excommunicationem corrigi potest. Dico recolligendo ea, quæ late tradunt de hac re Nauar. cap. 27. num. 16. & Couar. lib. 2. Variarum. cap. 8. num 9. quod duobus modis potest censura aliqua in communitatem ferri. Primo in solam communitatem, vt communitas est, idest quatenus est vnum corpus politicum, ita vt non descendat ad singulas personas secundum se; sed solum illas comprehendat, quatenus vnum corpus constituunt, quomodo ferri solet suspensio in communitatem. Alio modo potest ferri censura in communitatem ratione singularum personarum; ita tamen vt non feratur censura in personas certas, seu determinatas, sed communiter, seu confuse in omnes homines huius Ciuitatis, vel Regni, quomodo ferri solet interdictum in Communitatem. Vtroque modo prohibitum est collegium, aut capitulum excommunicare: nam d. cap. Romana, simpliciter id prohibet, ergo prohibet quocunque modo fiat, quod patet, quia in fine illius textus subditur, sed in illos duntaxat de collegio, & vniuersitate est. quæ dictio exclusiua omnem alium modum interdicit.

Nauar.
Couar.

Ratio autem pro priori parte reddi potest: quia bona, quibus principaliter priuat excommunicatio personalia sunt, seu ad singulas personas pertinentia, & similiter communicatio, & actus, quos interdicit excommunicatio, personales sunt regulariter loquendo, ergo propter hanc causam non fertur excommunicatio in communitatem, priori modo consideratam; & hoc est quod ex sent. Doct. iuris Pontificij refert Couar. Communitatem. s. non esse vnum corpus verum; sed fictum, neque habere vnam animam rationalem communem, & ideo non esse capacem excommunicationis; hoc enim est verum, de communitate priori modo spectata. Ratio autem posterioris partis, quæ etiam extendi potest ad priorem; est, quia censura, quæ illo modo fertur in communitatem omnes eius personas complectitur, etiam si non deliquerint, hoc autem excommunicationi repugnat, ergo &c. Maior patet tum exemplo interdicti, tum ratione; si enim tantum personas delinquentes comprehenderet; iam non ferretur in communitatem, sed in in eos, qui tale delictum commiserunt, quod est ferri in singulas personas, non in communitatem. Minor vero constat ex cap. nemo cum alijs. 11. quæst. 3. & hanc rationem tetigit ibi Pontifex. dicens. Cum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri. quod latius declarauit D. August. epist. 75. cap. si habes. 24. q. 3.

D. August.

Cardinales, Episcopi & cæteri Prælati infra Papā an excōmunicari queant.

Secundum dubium est. An per excommunicationem generaliter latam ligari possint non tantum laici omnes, & Clerici inferiores, sed etiam Episcopi, & quilibet Prælati illis superiores infra summum Pontificem, dummodo Auctor Canonis, & sententiæ illis superior sit, & verba sint adeo vniuersalia, vt eas comprehendant. & videtur quod non: quia in cap. periculosum. de sent. excom. in 6. conceditur Episcopis, & superioribus Prælatis, ne ligentur censura generatim lata, nisi illorum expressa mentio fiat. Oppositum tamen est asserendum, quia secundum commune ius omnes hæ personæ sunt capaces huius censuræ, vt passim ex iure constat; verba autem legis si generalia sint, omnes subditos comprehendunt, tam quoad obligationem, quam quoad pœnam si sint capaces eius, & alio iure, vel priuilegio non excipiantur, quia hæc est vis generalium verborum. In præsenti autem nullum est ius, aut priuilegium, quo excipiantur Episcopi, aut quicunque alij prælati à generali lege, vel sententia imponente excommunicationis pœnam, ergo illam incurrent, si transgressores legis existant. Et ad cap. periculosum, respondetur ibi non esse sermonem de censura in genere, sed speciatim de suspensione, & interdicto, vt ibi Glossa notauit verbo suspensionis, ac propterea docuit priuilegium illud non habere locum in censura excommunicationis, quam Glossam omnes communiter approbant. Addit etiam Glossa esse plures canones ferentes sententiam excom. in generali, à quibus non fuit conueniens excipi Episcopos, vt cap. si quis suadente. & similia.

Glossa.

Imperator, & Reges à quibus excōmunicari possint.

Obser. est insuper, quod exempti quidam possunt censuris ligari à solo Papa, non ab Episcopo, aut legato, vt Rex, vel Imperator ex priuilegio eximitur, & quamuis nullo iure tale priuilegium exprimatur, quo eximatur Rex aut Imperator. puta cap. nos si, §. cum Balaam. 2. quæst. 7. cap. Valentinianus 63. dist. quod falso citari solet. 66. dist. tamen exemptos esse dicunt Antoninus 3. par. tit. 21. cap. 75. ad finem. Syluest. excom. 1. num. 10. Armilla. §. 28. Tabien. excom. 4. post quæst. 1. fin. eximitur autem ex priuilegio, cum olim subiectus esset Episcopo diœcesis. Sic D. Ambrosius interdixit ingressum Ecclesiæ Theodosio Imperatori, & excommunicauit nisi satisfaceret cum publica pœnitentia. Ita Theodoretus lib. 5. hist. cap. 18. Nicephorus lib. 12. cap. 41. cap. duo sunt. 96. dist. & Couarr. cap. Alma. in princ. num. 9. & lib. 2. Variarum. cap. 8. num. 1. Religiosi etiam Mendicantes habent priuilegium Pontificis ne excommunicati possint ab Ordinarijs aut à legato, nisi in literis legati fiat specialis eorum mentio.

D. Anton.
Syluester.
Armilla.
Tabiena.
Theodoret.
Nicephorus.
Couar.
Religiosi mēdicantes non possunt ab Episcopis excōmunicari.

Anathematizare, & excommunicare differunt.

Pro solutione argumentorum, quæ posita sunt in princ. art. obser. est. Primo quod non sunt idem prorsus anathematizare, & excommunicare, aut anathema, & excommunicatio, quod ex eo patet: quia multi sunt, qui hæreses & hæreticos anathematizant, qui nullam prorsus habent excommunicandi potestatem; nam omnes hæretici cum abiurant errores, eos anathematizant, sicut patet in cap. Ego Berengarius. de consecrat. dist. 2. cum tamen nec ipsi

excom-

municare possint, nec ipsæ hæresis capaces sint censuræ, Patet etiam quia sæpe ecclesia in suis sententijs post verbum excommunicationis addit verbum anathematis dicens excommunicamus & anathematizamus, prout patet in cap. excommunicamus. 1. & 2. extra de hæreticis; & in cap. cum ab homine. extra de iudicijs, primo præcipitur, quod Clericus incorrigibilis excommunicetur, ac deinde vt anathematis mucrone feriatur, ex quibus apertissime constat, non esse idem prorsus excommunicatio, & anathema, sed anathema aliquid addere supra excommunicationem.

Anathema quid significet.

Secundo obser. est quod anathema græca vox est, & significat donaria, quæ Deo aut sanctis eius offeruntur, & in templis honoris gratia suspenduntur, & in hac significatione sumitur anathema Iosue 6. vbi hæc verba leguntur. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel. Vociferamini: tradidit enim vobis dominus Ciuitatem; sitque Ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino. Ciuitatem, & omnia, quæ in illa erant præcepit esse anathema Domino; quia omnia, quæ in illa erant volebat Domino seruari, & illi in sacrificium offerri, ita vt ex illis nihil sibi ipsi aliquis seruare auderet, atque adeo cũ Acham de spolijs sibi seruasset, iratus est Dominus, & dixit filijs Israel. Anathema in medio tui Israel, non poteris stare coram hostibus tuis donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere. Anathema vocauit hoc loco spolia, quæ sibi reseruauerat Acham, quoniam illa ad hoc destinata erant, vt Deo dicarentur. Secundo Anathema nihil aliud significat nisi à Deo separationem. Tertio maledictionem, & alienationem ab ecclesiæ consortio importat, & in hac significatione ab hoc nomine anathema deriuatur verbum anathematizo, quod significat maledicere, detestari, deuouere; & iuxta hanc verbi significationem capitur hæc vox anathema apud Marcum Euang. cum dixit quod Petrus cœpit anathematizare, & iurare &c. Nam Petrus iurans iuramento execratorio, vt

D. August.

D. August. super Psal. 7. docet maledicebat sibi ipsi, & maledictiones imprecabatur, vt maior suo iuramento adhiberetur fides, ac si dixisset. Maledictus sim à Deo, & talia, aut talia addat mihi Deus, hæc aut illa super me veniant, si noui hominem istum. Hoc certe est iurare, & anathematizare.

Anathema & excommunicatio qualem habeant ordinem inter se.

Tertio obser. est, quod anathema & excommunicatio talem habent ordinem inter se ipsa, quod nec semper ab inuicem separantur, nec semper se necessario consequuntur, vt eidem semper conueniant. Nam quamuis idem possit excommunicari, & anathematizari, non tamen consequens est, vt omnis quem anathematizamus, aut maledicimus, sit eo ipso excommunicatus; neque e contrario consequens est, vt omnis excommunicatus, sit eo ipso anathematizatus, & maledictus. Et propter hanc causam Ecclesia postquam aliquem publice, & nominatim excommunicauit, anathematizare consueuit. Tunc anathematizat, quando maledictionis verba, & imprecationes quasdam contra excommunicatum profert, vt puta dicendo Psalm. 108. maledictionibus plenum, qui in aliquibus ecclesijs tunc legi solet. In alijs ecclesijs, quædam cæremoniæ horroris plenæ post datam excommunicationem, fieri solent. Candelæ accensæ aqua desuper infusa coram populo à sacerdote extinguantur, qui tunc hæc dicit verba, sicut hæc candela extinguitur in hac aqua, ita anima huius excommunicati pereat in inferno. Deinde in signum tristitiæ pro anima sic pereunte signum Crucis eleuatum velamine nigro tegitur. Cum hæc aut alia similia ecclesia contra excommunicatum facit, tunc illum anathematizat.

Syluestri error.

Ex hoc patet misere errasse Syluestrum qui excom. 1. quæst. vlt. dicit idem prorsus esse anathema, & maiorem excommunicationem, & idem esse anathematizare, & excommunicare maiori excommunicatione: nec pro se facit cap. Engeltrudam. 3. quæst. 4. Engeltrudam nouerit non solum excommunicatione, quæ à fraterna societate separat (hoc est à sacramentorum perceptione) sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est ecclesia recidit crebro percussam: quia re vera (vt ingenue loquar) ille non intellexit textum: quoniam si bene intellexisset, nouisset optime nihil prorsus illius fauere sententiæ. Nam textus ille dicit, quod anathema maiorem explicat excommunicationem, quod intelligendum est, quando iuxta illam significationem capitur iuxta quam applicatur excommunicationi. nunquam tamen textus ille dicit, quod anathema non significet aliud, quam excommunicationem, aut quod anathematizare non significet aliud, quam excommunicare. Deinde quod textus ille ait anathema significare excommunicationem maiorem, sic intelligendum est, quod maledictio, quæ anathematis voce significatur, non datur nisi maiore excommunicatione præcedente. Itaque anathema maiorem significat excommunicationem; quia cum anathema datur, datur intelligi maiorem iam præcessisse excommunicationem, postquam solam dici solet anathema idest maledictio.

Anathema interdũ excõmunicatio appellatur.

Postremo obser. est. Anathema excommunicationem interdum appellari. Tum quia cum excommunicato maiori excommunicatione nefas est conuersari, sicut nefas est contingere ea, quæ Deo sunt oblata. Tum quia excommunicatus tali excom. est separatus à Deo, Nam quoties in Conciliorum definitionibus, & Pontificum decretis dicitur, si quis hoc, aut illud dixerit aut fecerit anathema sit, hoc est maledictus, & ab ecclesiæ consortio alienus. Tum demum quia excommunicatus detestabilis, & abominabilis redditur.

His obseruatis fateor defunctos non solum hæreticos; sed etiam catholicos posse à viuentibus anathematizari, non tamen excommunicari. Nam quamuis anathematis voce Ecclesia aliquando vtatur pro excommunicatione, non tamen hoc semper facit. Vnde ad factum Cypriani dico, quod prohibuit fieri deprecationem, & oblationem, pro quodam Victore defuncto, eo quod in vita ecclesiasticum quoddam decretum transgressus fuerat; cui tamen decreto nulla excommunicatio ipso facto erat annexa, quantum ex illo colligitur; sed ipse propter commune bonum illam pœnam imposuit, vt satis indicant illa vltima verba textus. Vt decretum sacerdotum religiose, & necessario actu seruetur à nobis. Et eodem modo intelligo textum in d. cap. si quis Episcopus: non enim videtur ibi imposita excommunicatio, quæ ipso iure in vita incurratur, & nihilominus, vt saltem post mortem dicatur ei anathema, idest execrabilis, & abominabilis habeatur, & nomen eius inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.

Concilium autem Constantiense anathematizauit Ioan. Vuicleph defunctum, & quinta synodus plurimos hæresiarchas mortuos anathematizauit, & 6. Synodus anathematizauit alios multos hæreticos. hoc est maledixit illis, & imprecationes in illos dixit, non tamen illos excommunicauit. Neque vnquam Concilium in suis definitionibus, aut Pontifex in suis decretis vsus est verbo excommunicationis contra illos, hæreticos, sed solo verbo anathematis. Intelligebant siquidem optime tam Concilia, quam summi Pontifices, se iam super illos potestatem, seu iurisdictionem non habere, & sciebant non parum esse discrimẽ inter anathema, & excommunicationem.

Ad cap. sane 24. q. 2. dico quod excommunicatio non solum pertingit ad excommunicatum, sed etiam ad alios: quoniam cum Ecclesia aliquem excommunicat, eo ipso alios obligat, ne pro illo publicas & solemnes apud Deum effundere preces, aut eleemosynas publicas dare, aut sacrificia offerre, aut denique commercium vllum cum illis habere audeant; ipsumque excommunicatum non vno tantum verbere percutit, sed multis, quorum aliqua ad corpus, aliqua ad animam pertinent: nam ecclesiæ suffragia, orationes, & alia communia bona spiritualia, quæ sibi inuicem communicant reliqua membra viua, & capiti coniuncta, nullo modo prosunt excommunicato, & hoc est flagellum, quod animæ per excommunicationem infligitur. Et circa hoc nihil prorsus potest ecclesia circa defunctum efficere: quia anima, quæ hoc flagello percuti debet, iam post separationem a corpore est omnino a iudicio ecclesiæ separata. præter hoc animæ flagellum, sunt alia, quæ ad corpus pertinent, videlicet priuatio ecclesiasticæ sepulturæ, non posse legitimam, & validam in iudicio sententiam dicere, & alia multa contra excommunicatos decreta. De his corporalibus pœnis non dubito, quin ecclesia illas possit inferre defuncto: quoniam corpus defuncti, & quæ illud contingere possunt adhuc sunt ecclesiæ potestati subiecta.

Potest

Potest igitur ecclesia propter aliquam iustam causam non solum hæreticum, sed etiam quemlibet alium sceleratum hominem defunctum ad hunc finem excommunicare, vt corpus illius extra ecclesiam iacteıur, tanquam ecclesiasticâ sepultura indignum. Potest etiam alium iusta causa vrgente in excommunicatione defunctum ad hunc finem absoluere, vt ecclesiastica illi concedatur sepultura, qua ob excommunicationem priuatus fuerat. Deinde quia ecclesia, vt diximus cum aliquem excommunicat, alios ligat, ne pro eo publice orare valeant, quo facto quasi indirecte etiam illum lædit; dum illum priuat suffragijs tam corporis, quam animæ, quæ illi ab alijs prouenire possunt.

Et hoc ecclesiam facere posse circa defunctum, ego nõ dubito: quia licet defunctus ille sit extra Ecclesiç iudicium constitutus, tamen alij viuentes, ad quos tale dirigitur ecclesiæ mandatum, ecclesiæ potestati subduntur, sed quia ex tali mandato nocumentum quoddam infertur defuncto, ideo tunc ecclesia defunctum excommunicare dicitur, cum tamen re uera non defunctus, sed viuentes tali excommunicatione ligentur, & isto modo etiam fatendum est ecclesiam posse absoluere ab excommunicatione defunctum, qui in illa decesserat, quia absolutione si res bene aduertatur, non tam defunctus, quam alij viuentes absoluentur: quia tamen talis absolutio in vtilitatem cedit defuncti, defunctus dicitur absolui.

Et iuxta hunc modum intelligendum censeo, secundum capitulum, quod incipit, a nobis. extra de sententia excommunicationis vbi Papa decernit ecclesiam posse soluere, & ligare defunctos.

Glossa. Innocent. Abbas. Ad vltimum dico, quod talis mandans excommunicatus non est, vt docuerunt Glossa, Innoc. & Abbas & alij in cap. mulieres. §. illi vero: quia homo iam mortuus incapax est censuræ, vt enim incurratur censura necesse est, vt subiectum sit habile, & capax eius non solum in eo tempore, in quo dedit causam delicti, in quo censura incurritur, sed maxime in eo, in quo effectus consumatur: nam tunc censura quasi inhærere cœpit, non tamen potest inhærere nisi in subiecto apto, & ideo non potest tunc propria censura contrahi, vel imponi. loquor autem semper de propria censura, quia si ille mandator in morte nullum dedisset pœnitentiæ signum, nec retractasset mandatum, & postea ecclesiæ constaret publice de illo defuncto, posset illum priuare sepultura, & suffragijs non propter priorem censuram, sed vt publicum, & impœnitentem peccatorem. ita docet Richardus in quarto distinctione decima octaua, articulo quinto, quæstione quarta, ad vltimum. *Ricardus.*

ARTICVLVS IX.

Vtrum teneatur fidelis excommunicatum vitare.

Excommunicatio quibus bonis priuat. PRo explicatione huius articuli obseruãdum est, quod cũ excommunicatio sit censura ecclesiastica, & pœna quædam iuris, non se extendit ad priuationem omnis omnino boni, quod possit esse ecclesiæ membris commune, sed eius dumtaxat, quod subest dispositioni ipsius ecclesiæ, quodnam vero illud bonum commune sit patet ex enumeratione eorum, in quibus communicant ecclesiæ membra, quæ huiusmodi sunt.

Primo communicant in gratia, & charitate.

Secundo in fructu orationum, & bonorum operum, qui ad singulos redundat hoc ipso, quod in gratia, & charitate sunt, iuxta illud Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te.

Tertio in hoc quod aliqui actiue administrant sacramenta, & alij passiue eadem percipiunt.

Quarto in actibus quibusdam publicis religionis, & diuini cultus, quales sunt conuenire ad publicas preces faciendas, & audienda sacra &c.

Quinto in actibus etiam politicis, cuiusmodi sunt salutationes, sermones, & alij id genus pertinentes ad societatem vitæ communis.

Sexto in fructu ipso communium suffragiorum, & orationum, quas peculiariter ecclesia curat pro suis membris fieri.

Ex istis autem omnibus generibus communicationis mutuæ. Primum, & secundum non subest dispositioni ecclesiastici iuris, cum sit omnino internum, & a sola gratia diuina pendens, atque ita non se extendit excommunicatio ad illud, sed potius ea supponit, & declarat, iam ante per peccatum mortale hominem esse exclusum ab huiusmodi duobus generibus communicationis. Cætera vero genera omnia sub ecclesiæ dispositione sunt, vt constat.

Secundo obseruanda est Martini Quinti constitutio ex Concilio Constantiensi, qui peculiari extrauaganti, quæ incipit, ad euitanda (renouata in Concilio Basiliensi, & Lateranensi sub Leone Decimo, sessione vndecima,) limitauit hoc ad casum, quo quis esset excommunicatus notorie, cum vel a Iudice expresse, & nominatim denunciatur, vel certe ex euidentia facti, quod nulla tergiuersatione celari potest cognoscitur incurrisse excommunicationem a iure latam, quod tamen factum communiter Doctores restringunt, vt solum intelligatur de percussione Clerici, saltem vsu iam, & consuetudine confirmata esse videtur. Itaque extra huiusmodi duos casus, non peccabitur, neque incurretur excommunicatio minor propter communionem cum excommunicato maiori excommunicatione. *Qui excommunicatus sit vitãdus.*

His obseruatis dubitatur primo, quo iure teneatur fidelis excommunicatum vitare. Quidam opinati sunt fideles diuino iure teneri ad vitandum quemcunque excommunicatum, hoc ipso quod excommunicatus est, & hoc ipsum a fortiori docent de ipso excommunicato: nam maior est obligatio excommunicati ad vitandos alios, quam aliorum ad vitandum ipsum. *Fideles quo iure teneãtur excommunicatum vitare.*

Quam sententiam fundant, primo in illis verbis Matthæi decimo octauo. Sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus, & in ipsa natura excommunicationis, quæ est præcisio quædam membri a corpore ecclesiæ, ex qua præcisione ex natura rei sequitur, vt non sit communicatio inter tale membrum, & corpus, seu alia membra corporis, sicut per analogiam ad membrum abscissum a corpore humano facile declarari potest.

Secundo fundant in hoc, quia alias Episcopi non possent sententiam excommunicationis ferre, quæ completum habeat effectum tam ex parte excommunicati, quam ex parte aliorum fidelium, ex priori quidem capite: quia excommunicatus vbique terrarum tenetur abstinere ab omni fidelium communicatione, & a sacramentorum, & aliorum diuinorum participatione, Episcopus autem particularis non potest ferre legem, quæ obliget subditos, qui extra suam diœcesim versantur; multoque minus potest ferre legem, quæ obliget non subditos, vel subditum etiam si domicilium mutet, & tamen censura semper ligat donec per absolutionem tollatur, quantumuis aliquis domicilium mutet.

Ex secundo capite etiam patet: quia excommunicatio obligat fideles omnes ad vitandum ipsum excommunicatum, præceptum autem particularis Episcopi non potest vniuersos fideles obligare, ergo si omnes fideles teneantur excommunicatum eu tare, hoc non potest aliunde prouenire, quam ex diuino iure: nam excommunicatione lata ab Episcopo, vel a quouis alio iudice Summo Pontifice inferiore, statim iure diuino resultant omnes obligationes prædictæ.

Cæterum hæc sententia falsa est. Nam vel intelligit ius diuinum immediate obligare ad vitandum excommunicatum, & hoc est falsum: nam videmus ecclesiam minuere, & ampliare hanc prohibitionem, & personas aliquas ab illa eximere, quæ omnia ostendunt eam immediate manare ab ecclesiastico præcepto, vel intelligit solum mediate, & remote omnes diuino iure illam obligationem, & sic verum quidem asseritur, & sic nihil facit ad quæstionem propositam: quia illa radicalis, seu mediata obligatio iuris diuini supponit ecclesiasticum præceptum: nam in hoc consistit, quod ipsum ius diuinum dictat parendum esse ecclesiæ, & abstinendum esse ab ijs, a quibus ipsa præcipit abstinere.

Hunc enim sensum habent verba illa Christi. Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus, & hoc modo dici potest excommunicatio obligare ex natura sua: quia natura eius nihil aliud est, quam quædam moralis prohibitio, seu prohibitionum collectio, ergo illa iuris diuini obligatio remota, supponit ecclesiasticum præceptum validum, & cum iurisdictione latum.

Sententia Scoti.

Dicẽdum est ergo cum Doctore Sub. quod vitare excommunicatum non prouenit ex iure diuino, sed Ecclesiastico iure: nam Episcopus potest quidem subditum priuare suffragijs suæ ecclesiæ per excommunicationem, & prohibere subditos ne cum illo denunciato participent. At Pontifex a tempore Apostolorum (ex Apostolorum can. 13. & 16.) adiecit iure communi (quasi naturalem proprietatem consequentem excommunicationem) quod excommunicatus priuetur omnibus suffragijs totius ecclesiæ, & vt denunciatum ab vno Episcopo teneantur omnes in toto orbe vitare, ita ut nec episcopo liceat sine causa agere cum denunciatis ab ipso, hæc est natura iure humano data huic excommunicationi. Posset vero Papa statuere ne Episcopus priuaret alium nisi suffragijs, & beneficijs suæ Diœcesis, & ne denunciatũ vitare teneretur nisi subditi eiusdẽ Episcopi, quare id a Põtifice manare hic ait Scotus sub littera. L. §. Respondeo in fine. Nec id negat Maior. distinctione 18. quæstione 4. Contra Ledes. Vict. & quosdam recentiores dicentes eam proprietatem consequi iure diuino excommunicationem. Et dicit Doctor, quod illa regula iuris, quod non est concessum est prohibitum, vera est de his, quæ non conueniunt regulariter nisi alicui ex aliqua concessione speciali, modo prohibere omnibus fidelibus communicari cum excommunicato denunciato, non competit Episcopis inquantum episcopi sunt, quia vniuersitas fidelium non est subdita vni particulari episcopo, atque ita si hæc potestas conuenit episcopis, hoc est per specialem concessionem, atque adeo si eis non esset specialiter concessa, prohibita diceretur, ex eius ergo auctoritate tenentur generaliter Christiani excommunicatũ vitare, cuius auctoritate incurrunt pœnam excommunicationis minoris, si non vitant, illã autem incurrunt auctoritate legislatoris, non auctoritate huius iudicis particularis nisi tantum commissiue.

Maior.

Sed pro ampliori huius litteræ intelligentia obseruandũ est, aliud esse agere de auctore excommunicationis, quo ad institutionem eius, aliud de effectione, seu impositione ipsius excommunicationis in tali persona, seu subiecto. Si loquamur primo modo, clarum est nullum episcopum sua priuata, & particulari iurisdictione potuisse tale genus instituere, quæ ita obliget, sicut nunc obligat excommunicatio, & ita intelligit hic Scotus, vnde qui in contrario sensu dicunt episcopos stando in solo iure diuino, & nulla interueniente ecclesiæ institutione, posse eodem modo excommunicare, quo nunc excommunicant, & obligant, scilicet, vt omnes fideles denunciatum vitent, sine probabilitate loquuntur, quia hoc genus pœnæ, & censuræ eo modo, quo nunc est in vsu, non est sine ecclesiæ institutione, neque ex iurisdictione episcoporum, neque ex aliquo principio iuris diuini colligi potest, quod sit talis potestas in aliquo particulari episcopo. Nam quod Christus Dominus dixit Matth. 18. Dic Ecclesiæ, et si Ecclesiam non audierit &c. quod pro se adducit Panor. in cap. cum consideres, & allegat Glossam in capitulo nulli de sentẽtia excommunicationis ad probandum, quod iure diuino excommunicatus habendus est tanquam Ethnicus, & Publicanus, atque adeo vitandus intelligendum est secundum modum ab ecclesia præscribendum, & hoc satis est ad conueniens ecclesiæ regimen, & ad contumaces corrigendos. Et declaratur exemplo: nam licet episcopus aliquis nunc vellet statutum, aut sententiam generalem ferre sub censura excommunicationis, quæ obligaret alios ad vitandum excommunicatum ante denunciationem, non posset id facere, cum tamen ante Concilium Cõstantiense id posset. Cuius ratio non est alia, nisi quia ecclesia prius statuerat talem modum censuræ, nunc autem limitauit, & ex parte mutauit institutionem, ergo signum est non esse datum episcopis iure diuino, vt possint ferre censuram prout voluerint, nec vt obligent homines nisi iuxta modum, & institutionem censuræ ab ecclesia factam. At loquendo de effectione censuræ iam ab ecclesia institutæ, sic potest episcopus talem censuram imponere, quæ obliget omnes iuxta naturam seu institutionem talis censuræ.

Panor.

Secundo dubitatur an omnis participans cum excommunicato mortaliter peccet. Dico primo quod participans in crimine pro quo lata est sententia cum excommunicato, consentiendo tali crimini, consulendo, suppetias ferendo, vel instigando ad hoc faciendum, nedum mortaliter peccat, sed eamdem incurrit excommunicationẽm, quod peccet mortaliter patet, quia consentit in peccatum mortale, vel ad ipsum perpetrandum cooperatur, quod eamdem incurrat censuram, patet per capitulũ. nuper. de sententia excommunicationis, vbi dicitur. Communicans se sciẽter nominatim excommunicato in crimine, ei consilium impendendo, auxilium, vel fauorem ratione damnati criminis delinquere videtur in eum, qui damnauit ab eo, vel superiori, merito delicti erit absoluendus, facientem, & consentientem par pœna constringit. Et in capitulo si concubinæ eiusdem tituli dicitur. Non est dubium sententia maioris excommunicationis inuolui, qui post latam sententiã communicat in eodem crimine criminosis, & potissimum si sine talis opere, & suggestione tale crimen non committeretur, aut continuaretur.

Participans cum excommunicato an mortaliter peccet.

Dico secundo communicans excommunicato maiori excom. in diuinis, vt participare in Missa, celebrare coram excommunicato, recipere simul Eucharistiam & cætera, peccat mortaliter si deliberate communicet. Patet quia participans cum excommunicato in sacramentis directe facit contra præceptum ecclesiæ: Nam participare cum illo in sacramentis est participare cum eo, prout homines sunt fideles, sed participare cum eo in alijs actibus non est, in quantum sunt fideles sed inquantum sunt ciues, & quia prohibetur fidelibus participatio cum excommunicato, ideo qui participat, directe facit contra prohibitionem Ecclesiæ, atque adeo mortaliter peccat.

Dico tertio Participans cum excommunicato maiori excommun. in actibus ciuilibus, vt salutando, colloquendo & cætera si effrenate, id est, æqualiter sine verecundia, ac si talis non esset excommunicatus, & sicut participaret cum non excommunicato in contemptum clauium, vel Iudicis, peccat mortaliter: quia omnis contemptus deliberatus clauium ecclesiæ est mortale peccatum, si etiam communicet contra præceptum superioris expressum, iuxta illud vulgare, mitius agitur cum lege, quam cum ministro legis, ff. de Arbi. Lecius. peccat mortaliter. Si vero participat non effrenate, quia excommunicatus fortasse salutat eum, & ex verecundia alter resalutat, vel ex timore, ne videatur alteri, quod dedignetur eum, vel irascatur ei, alloquitur eum, quãuis displiceat, regulariter dicunt omnes, quod sic participare est solum veniale.

Dico quarto, quod ex qualibet tali participatione etiam ciuili, quamuis peccet venialiter incurrit tamen censuras ecclesiæ, scilicet minorem excommunicationem, & incurrit illam a iure, nam prohibetur eis accessus ad sacramenta, sed non prohibetur participatio cum alijs fidelibus in actibus licitis, sed non potest communicare, neque recipere corpus dominicum, neque etiam secundum multos ducere vxorem, potest tamen audire Missam, quamuis oppositum dicat Paludanus participare, ergo cum excommunicato in crimine, vel in sacramentis incurritur excommunicatio maior, & est mortale, sed participare in actibus legitimis non effrenate, quamuis sit solum veniale, nihilominus incurrit censuras excommunicationis minoris, nisi in casibus permissis a iure.

Participans cum excommunicato minorẽ incurrit excõmunicationem.

Et si dicas nemo repellendus est a communione sacramentorum nisi propter mortale, ergo si peccat solum venialiter non est separandus. Nego consequentiam; quia ille non separatur a communione sacramentorum ratione venialis, quia nullum veniale separat, sed separatur ratione alicuius, quod non est peccatum, sed solum pœna peccati, scilicet ratione excommunicationis. Nam si esset præceptum vitare excommunicatum sub pœna venialis, & non sub pœna excommunicationis, post communicationem cum illo posset recipere sacramenta, sed excommunicatio minor, quam incurrit est pœna, quæ separat a communione sacramentorum, ideo ratione pœnæ, quæ nullo modo est peccatum, licet contrahatur ab actu, qui est solum veniale, separat illum.

Ex di.

Panormit. Episcop par ticipans cũ ex communicato abip so incurrit excōmunicationem.

Ex dictis sequuntur duo Corrolaria, quæ ponit Panor. de fent. excom. in cap. nulli, & in cap. cum desideres. Primum Episcopus parti. ipans cum excommunicato ab ipso peccat, & incurrit censuram excommunicationis minoris participando in actibus legitimis cum eo, patet quia participare cum excommunicato, non est prohibitum solum ab Episcopo, quia cum Episcopus non subdatur iuri suo, sed sit supra suum ius, non peccaret, nec incurreret sententiam excommunicationis, sed participare cum excommunicato est prohibitum iure Canonico, cui subijcitur Episcopus, ergo contradicendo tali iuri incurrit censuram, & pœnam impositam a tali iure.

Papa parti cipans cum excōmunicato ab ipso peccat, sed non incurrit excōmunicationem.

Secundum Corrolarium Papa participans cum excommunicato ab ipso peccat, sed non incurrit censuram excommunicationis, siue illa excommunicatio sit lata a iure, vel ab homine: quia censura excommunicationis incurrit. ir solum per ius positiuum, quia non habetur de iure diuino, quod participans cum excommunicato sit excommunicatus, hab tur bene ex iure diuino, quod contumax excommunicetur, & quod participans cum eo peccat, sed ex iure diuino non habetur, quod participans excommunicetur, & ideo Summus Pontifex non incurrit talem cēsuram. Quod autem pe cet ex eo probat Panor. in dicto cap. consideres, quia ex iure diuino ex licite posito, quando quis est excommunicatus debet haberi sicut Ethnicus & Publicanus, sed Summus Pontifex communicando cum excommunicato in actibus ciuilibus, non habet eum sicut Ethnicum & Publicanum, ergo Papa communicans cum eo contrauenit iuri diuino, cui est subiectus, & ex eo ipso quod participat cū eo non debet censeri absoluere talem excommunicatum, nisi hoc manifestauerit, ergo communicando peccat. Panor. secutus est Couar. in cap. Alma Mater. p. 1. §. fundamentum eius est.

Couar.

Verum hæc sententia falsum habet fundamentum, vt ex superioribus constat: nam ne dum priuatio communicationis ciuilis, sed etiam communicationis in sacris pendet pracise ex humano iure, atque a seo per dispensationē legitimam fieri potest, vt quis sine peccato exerceat actum censura prohibitum. Sicut tamen ex parte dispensatum est per extrauag. ad euitanda, vt fideles possint communicare et à in sacris cum excommunicato non denunciato, ex quo fit, quod sicut Summus Pontifex, in quo est suprema ecclesiæ potestas, potest alijs hanc dispensationem concedere, ita potest secum dispensare, vel cum excommunicato in ordine ad ipsum Papam, atque adeo non sequitur Papam peccare communicando in sacris cum excommunicato, sed solum quando id faceret sine causa legitima.

Scotus.

Demum Scotus in fine huius quæst. inuehitur contra Prælatos, qui imprudenter, & fatue proni sunt ad sententiam excomm. ferendam. Frequens est inquit huius gladij percussio in ecclesia, qui tamen raro ab Apostolis inuenitur extractus. In omnibus enim Epistolis D. Pauli non reperiuntur nisi duæ sententiæ atæ. prima contra illum Corinthum fornicatum, qui vxorem Patris sui vsurparat, vt habetur. 1. Corinth. 5. vbi Paulus dicit. Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui eum, qui hoc operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis in vnum, & meo spiritu cum virtute Domini Iesu tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.

Secunda vero sententia habetur 1. ad Thimot. 1. vbi dicitur. Quidam circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Himeneus, & Alexander, quos tradidi Sathanæ, vt discant non blasphemare. In his enim casibus fuit causa iusta ferendi sententiam excommunicationis: quia peccatum erat enorme & publicum, & forma debita, quia processus legitimus, & intentio recta: quia intendebatur correctio delinquētis, Vnde & Corinthius ille per illam excommunicationem correctus est, vt patet. 2. Corinthio. 2. vbi Paulus monet Corinthios, vt consolentur illum, ne absorberetur profundiori tristitia, Alexander vero & Himeneus non leguntur pœnitentiam egisse: quia forte tam erant Apostatæ a fide, & in Apostasia permanserunt.

Contra pseudo Apostolos prædicantes contra fidem, de quibus dicitur ad Galat. 1. Si quis vobis euangelizauerit præter illud, quod accepistis anathema sit. Scotus non inuenit ibi sententiam latam, sicut in alijs locis in quibus Apostolus præcipit vitari malos, non est lata sententia excommunicationis, vt 1. Corinth. 5. Si is, qui frater nominatur inter vos est fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, nec cum huiusmodi cibum sumere. Et Thessa. 3. Denunciamus vobis fratres in nomine Domini, vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante, & post pauca subdit ibidem. Si quis non obedierit verbis nostris per Epistolam hanc, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur. Et tamen qualiter licet communicare cum illo, subdit, nolite quasi inimicum existimare illum, sed corripite, vt fratrem. Idem 2. Tho. 3. Erunt homines se ipsos amantes, & post pauca, hos deuita, & ibidem capitulo quarto. Præcipit Apost. vitari Alexandrū ærarium, inquiens Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, & reddet illi Deus secundum opera eius, quem & tu deuita: valde enim restitit verbis nostris. Idem ad Titum tertio. Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita. Et Ioan. in 2. Canon. capitulo vnico. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eū recipere in domo, nec aue ei dixeritis, qui enim dixerit ei, aue communicat eius operibus malignis.

In quibus locis solum videntur contineri monitiones, & exhortationes, sed non comminationes excommunicationis ferendæ: quia tales non tradebantur Sathanæ, vt statim eos vexaret corporaliter. Dicitur enim quod in illos, quos Apostolus tradidit Sathanæ, statim habuit Diabolus potestatem ad vexandum eos. Pro his tamen sciendum est, aliam esse excommunicationem latam, aliam ferendam; ferenda est comminatoria, & nun promitus ligat, vt quādo dicit Prælatus, quod fiat hoc, vel illud sub excommunicationis pœna, lata vero imponitur ipso facto, vel dicendo latæ sententiæ, vel aliud simile, de quibus & alijs circa materiam excōmunicationis, legendi sunt alij Scholastici, & Summistæ vt et bo excommunicatio, & maxime Sayruu, Hugulinum, & Suarez de Censuris.

QVAESTIO VNICA. Dist. XVIII.

Vtrum potestas clauium tantummodo se extendat ad pœnam temporalem.

Potestas cla uium est du plex.

Potestas clauium duplex est, vt ex superioribus patet, vna est sacerdotalis characteris, quæ dicitur sacramentalis, eo quod effectum habet Sacramento pœnitentiæ ligandi, & soluendi, & hæc proprie & principaliter dicitur potestas clauium. Alia vero est, quæ charactere non indiget, vt potestas iurisdictionis, quæ in non sacerdotibus existere potest, quæ non ita proprie dicitur potestas clauium, sed mediate, quæ non est sacramentalis, sed extra Sacramentum per illam fit remissio peccatorum quo ad pœnam, nempe per indulgentiarum largitiones, & ligatio per excommunicationem, de effectu huius secundæ potestatis non loquitur Doctor in hac quæst. sed de effectu primæ, quæ est sacramentalis. Diuiditur autem hæc quæst. in quatuor art.

Primus Art. Vtrum potestas clauium se extendat ad remissionem culpæ.
Secundus Art. Vtrum potestas clauium sit ad remittendas pœnas peccati debitas.
Tertius Art. Vtrum pœna a claue non errante impositam teneatur pœnitens adimplere.
Quartus Art. Vtrum si clauis scientia erret, arbitrium Sacerdotis ratificetur in cœlo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum potestas clauium se extendat ad remissionem culpæ.

De hac re duplex est sententia. Nam quidam dixerunt hanc potestatem non se extendere ad culpam remittendam. Ita tenuit Magister sent. distinctione 16. & 18. Altisiodorensis *Magister. Altisiodor.*

dorensis libro quarto summæ tract. sexto, capitulo octauo. Alexander Alens. p. 4. quæst. 80. alias 21. m. 1. Diuus Bonauentura distinctione 18 artic. 2. quæstione 1. & Gabr. distin. 14. quæstione secunda, & distinctione decima octaua, quæ. secunda. Maior. distinctione 14. quæst. 2. & distinct. 18. q. 1. & ibi Thomas de Argent. artic. 3. Ocham in 4. quæstione 9. Abulen. 1. p. defens. c. 6. & Adrianus quol. 5. art. 3. probabilē censet hanc opinionem, licet dubiam. Inquit autem Magister, quod potestas clauium non se extendit ad remissionem culpæ, sed Deus per se solum dimittit peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula, & a debito æternæ mortis, & si quæras a Magistro. Quid ergo faciunt sacerdotes Euangelici virtute clauium. Respondet quod Deus tribuit illis facultatem, seu potestatem ligandi, atque soluendi, id est, ostendendi pœnitentes ligatos esse, vel solutos.

Alex. D. Bonauē. Gabriel. Maior. Tho. ab Ar. Ocham Abulensis. Adrian.

Et fundamentum eius est duplex. Primum: quia remittere peccatum quoad culpam est proprium solius Dei: nam præcipua ratio culpæ consistit in iniuria Dei, & ideo ad illum solum spectat culpam remittere.

Secundum ac præcipuum est, quia hæc potestas ante actionem suam semper supponit culpam remissam, ergo non est data, neque instituta ad culpas remittendas: quia nulla potentia actiua ordinatur ad aliquem effectum, quem semper supponat iam factum, alioqui superflua esset, hæc autem est quædā actiua potentia, non est ergo propter effectū, quem semper præsupponit factum. Antecedens patet, quia hæc potestas, vt aliquid agat, supponit in subiecto interiorem pœnitentiam, & contritionem, sine qua non potest remitti peccatum, & ea posita, statim tollitur. Nam ante vsum clauium, per solam contritionem, & propositum confitendi remittitur peccatum, secundum D. August. & Cassiodorum super illud psal. Dixi confitebor, & tu &c.

D. August. Cassiodorus

Et confirmatur primo per illud de leproso prius sanato, quam ad sacerdotem misso Lucæ 5. Et similiter de Lazaro prius suscitato, quam discipulis ad soluendum tradito Io. 11. Vnde dicunt Doctores, quod solus Deus mundat, & suscitat animam per contritionem, remittendo culpam, Ecclesiæ autem committit potestatem soluendi vincula pœnarum, quæ manent, & videtur expositio Diui Augustini tracta. 22. & 49. in Ioan. & ser. 8. de verbis Domini, Cyrilli vel potius Cythonei libro septimo, in Ioan. cap. 23. Grego. hom. 16. in Euangelio. Bedæ Ioan 11. & ibi D. Thomæ, & aliorum.

D. August. Cyrillus Gregorius. Beda D. Thomas D. Hieron.

Secundo confirmatur auctoritate D. Hieronymi super illud Matthæi 16. Tibi dabo claues &c. in Leuit. (inquit) se ostendere sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, vel mundos, sed discernunt, qui mundi, vel immundi sunt, & ex hoc dicit Magister, quod olim sacerdotes legales habebant iurisdictionem in curandis leprosis, hoc nunc habet sacerdos Euangelicus, in retinendis, vel remittendis culpis. Item eadem verba, Tibi dabo claues, explicans inquit. Istum locum Episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum supercilio assumunt, vt vel damnent innocentes, vel soluere se posse noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed eorum vita quæratur.

Secunda sententia est, proprium, primarium, ac per se effectum huius potestatis esse remittere peccatum quo ad culpam. ita sentiunt Diuus Thomas in quarta distinctione 18. quæstione prima, articulo 3. & distinctione 22. quæst. 2. articulo primo, quæstiun. 3. In quibus locis Thomistæ omnes, Paludanus, Capreolus, & Sotus. Durandus. distinct. 14. Richardus distinctione 18. articulo secundo, quæstione prima. Adrianus. quæstione secunda, de clauibus, & Doctor noster Subtilis in hac quæstione, vbi cōtra Magistrū in hūc modum argumentatur. Si sententia Magistri esset vera, sequeretur, quod Sacramentum pœnitentiæ non esset nouæ legis Sacramentum, consequens est falsum, ergo & antecedens. probatur sequela: quia hæc est excellentia Sacramentorum nouæ legis, quod illorum susceptio sine obice peccati mortalis est dispositio sufficiens ad gratiam: conferunt enim gratiam ex opere operato non ponentibus obice, vt constat ex superioribus, per gratiam autem delentur culpæ, & dimittitur pœna æterna pro illis debita, ergo per Sacramentum pœnitentiæ confessor absoluit a peccatis, & eorum pœna æterna: Sacramentorum vero legalium susceptio nō erat dispositio efficax ad emundationem corporalis lepræ.

D. Thomas. Paludan. Capreolus. Sotus. Durandus Richardus. Adrianus. Scotus.

Præterea ex sententia Magistri sequeretur, quod Sacramentum pœnitentiæ nullam causalitatem haberet ad primā gratiam conferendam, quia nunquam digne susciperetur nisi ab illo, qui iam gratiam haberet: nullos enim digne ostēditur solutus a Deo, nisi prius ab illo sit absolutus; adimere autem Sacramento pœnitentiæ causalitatem primæ gratiæ conferendæ, videtur quam plurimum derogare potestati clauium, imo & excellentiæ ipsius Sacramenti: quia secunda post naufragium tabula nuncupatur a sanctis, ea videlicet ratione, quod qui naufragium peccati mortalis post Baptismum est passus, potest per hoc Sacramentum a tali naufragio saluus euadere.

Secundo arguit Scotus ad idem. Sacramentum pœnitentiæ est instrumentum efficax gratiæ, sed hoc instrumentum non est signum rememoratiuum, seu ostensiuum alicuius rei, vt præteritæ, vt nunc loquimur; sed futuræ, ergo collatio Sacramenti pœnitentiæ, ad hoc vt digne fiat non oportet vt signum sit absolutionis diuinæ iam præteritæ, & præstitæ pœnitenti.

Sed quia posset quis dicere, non oportere, quod sacramenta nouæ legis significent primam gratiam, sed bene efficaciter significant primam, aut augumentant primam. Vnde multi Doctores dicunt, quod in susceptione Eucharistiæ non confertur prima gratia, sed præ requisita augumentatur. Ideo argumentum Doctoris potest sic corroborari, Omne Sacramentum nouæ legis, quod est institutum contra peccatum expellens gratiam habet virtutem operandi primam gratiam, alias frustra institueretur contrá tale peccatum, nisi data esset ei efficacia remittendi tale peccatum, sed pœnitentia est Sacramentum nouæ legis institutum contra peccatum mortale excludens gratiam, sicut Baptismus instituitur contra originale. ergo virtute sacramenti pœnitētiæ potest conferri prima gratia.

Scoti argumentum roboratur.

Resolutio ergo, & sententia Doct. est, quam etiam tenuit, & explicauimus supra distinct. 14. quæst. 4. articulo 7. quod Sacramentum pœnitentiæ potest digne recipi ab attrito, tanta attritione, quæ per se insufficiens esset ad gratiam acquirendam, atque adeo si pœnitens cum hac attritione propositum habeat cauendi a peccato de cætero, per hoc Sacramentum gratiam primam recipiet. Est enim absolutio sacramentalis signum efficax absolutionis a peccatis sequentis in vltimo instanti prolationis ipsius, sicut prolatio verborū sacramentalium in Eucharistia signum est confectionis corporis, & sanguinis Christi. Non igitur est simile de sacerdote legali respectu lepræ, & de Euangelico respectu culpæ; quia ille solum exercebat aliquid, quod erat signum rememoratiuum mundationis lepræ, nihil vero, quod esset signum pronosticum efficax respectu mundationis sequentis. Sacerdos autem Euangelicus exercet actum, qui est signum pronosticum, & ostensiuum efficax mundationis a peccatis, sequentis in vltimo instanti prolationis formæ, siue sententiæ sacramentalis. Et secundum hoc patet quomodo hoc Sacramentum est instrumentum ad primam gratiā, sicut dispositio præuia, eo modo quo alteratio potest dici instrumentum respectu generationis substantiæ, quia est dispositio præuia, & si dicas. ergo sacerdos delet maculam, & pœnam mortis æternæ, quod est proprium Deo. Inquit Doctor quod sacerdos vtrunque facit, verum ministerialiter, non quidem attingendo illum effectum, nec virtute propria, nec alterius, sed attingendo aliquid prius, quod est dispositio necessitans ad illum effectum, necessitans inquam, ex diuina pactione, & tale agens causans dispositionem necessariam ad terminum, dicitur agens instrumentale, vt est de alterante, & generante. Proprium autem est Deo principaliter mundare, & remittere illud debitum etiam attingendo illum effectum, horum autem neutrum conuenit Sacerdoti.

Ex hac littera Doct. duæ eliciuntur Conclusiones. Prima est, quod tanquam agens principale, & per propriam auctoritatem Sacerdos non remittit culpam, sed solus Deus, vt enim peccatum soluni contra ipsum committitur, iuxta illud. Tibi soli peccaui, ita & ipsius est proprium peccata remittere.

Sacerdos non remittit culpam, vt agens principale.

Secunda conclusio tanquam minister, & instrumentum Dei sacerdos dum absoluit vere peccata remittit, hæc conclusio ex his, quæ diximus in primo tom. d. 1. quæstione 4. vbi Sacramenta Euangelica ostendimus conferre gratiā liquido colligitur. Nam si Sacramentum est causa gratiæ, Minister

Sacerdos vt Minister Dei peccata remittit.

dum

dū illud applicat, ministerio suo peccata remittit. hæc enim *Conc. Cōst.* fuit collectio Concilij Constan. vbi decretum est Ministrū Sacramentorum per ipsa sacramenta gratiam conferre, quæ est conclusio nostri Doctoris.

Sed re vera Euangelium tam clare illam probat quam Concilium, vbi ait Christus. Quæcunque solueritis super terra &c. & quorum remiseritis peccata remittuntur eis. &c. Nam non dixit. Quorum remiseritis remissa fuerunt, vel quæ solueritis soluta fuerunt, sed quorum remiseritis remittuntur. Et quorum solueritis erunt soluta, igitur sacerdotes habent potestatem remittendi mortalia peccata, & iustificandi peccatores, & aliquando verum est eos remittere peccata lethalia, & ipsa a Deo retineri, quia retinentur, & non remittuntur a sacerdotibus. Non enim vere & proprie remittuntur peccatoribus peccata, nisi cum primo iustificantur, & ex peccatoribus, & Deo inimicis iusti, & amici ipsius fiunt. Nam intelligere haud possum, quomodo sacerdotes habeant potestatem remittendi peccata, si nunquam possunt Deo reconciliare peccatores. Neq; assequor quomodo eis asserere valeamus potestatem remittendi peccata, si nunquam peccata retinentur a Deo: quia retinentur a sacerdote. Retinere peccata nihil aliud est, vt dicunt Doctores, & nominatim Richardus de Sancto Victore c. 6. de potest. ligan. & soluen. quam non absoluere.

Idem probatur ex Antiquis decretis præcipientibus, vt hominibus existentibus in articulo mortis, & petentibus a sacerdote remissionem peccatorum, eam non deneget, ne illos exponat periculo æternæ damnationis; supponunt ergo a sacerdotibus remitti ipsam culpam: nam æterna damnatio solum est, propter culpam. huiusmodi autem decreta ex Iulio, & Cœlestino, Pontificibus & ex Concilio Africano, & alijs inueniuntur. 26. quæst. 6. ca. si Presbyter, vbi legitur, si presbyter morientibus pœnitentiam negauerit reus erit animarum, & capitulo sequenti, agnouimus, dicit Cœ*Cœle. Papa.* lestinus Papa de negante pœnitentiam morienti. Quid hoc est aliud, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate ne absoluta possit esse, occidere? Igitur ex horum canonum sententia absolutio potest vitam primæ gratiæ præstare, accedenti ad hoc Sacramentum cum attri*Conc. Trid.* tione, & proposito vitandi peccata de cætero.

Ad idem facit Concilium Tridentinum sess. 14. can. 9. vbi dicitur. Siquis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti & cætera. Anathema sit, & idem Concilium sess. 6 cap. 14. dicens satisfactionem esse necessariam ait, non quidem pro æterna pœna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vna cum culpa remittitur. Igitur sensit Concilium culpam & pœnam æternam cum ipso Sacramento remitti, & per consequens hoc Sacramentum confert aliquando primam gratiam, vt dixit Scotus.

Sed dubium est an accedens ad confessionem cum attritione nota attritione, & cum proposito abstinendi a peccatis de cætero recipiat gratiam per absolutionem, & quidem videtur, quod non; imo quod peccat mortaliter, & probatur: quia confessio est accusatio de offenso Deo, sed in casu dubij talis accusatio est falsa, quia dicit se dolere, & non dolet propter Deum, sed propter aliud, igitur mentitur in re grauissima, & per consequens non est capax absolutionis, neque absolutio erga illum aliquid operatur, & sic tenent, quam plures Doctores, alij vero in contrarium affe*D. Thomas.* runt pro se Diuum Thomam 3. parte quæst. 80. articulo 4. ad 2. dicentem quod Baptismus, & Pœnitentia, sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrim peccati, Eucharistia vero est medicina confortatiua, & non debet dari nisi liberatis a peccato. Quibus verbis videtur sentire, quod sufficiat attrito nota attritio ad suscipiendum digne Sacramentum pœnitentiæ, quod est Sacramentū mortuorum per peccatum mortale, & pro ista sententia facit, *Conc. Trid.* quod Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 14. non distinxit de attritione nota, vel ignorata, sed simpliciter decreuit, quod attritio cum Sacramento disponit ad gratiam. Vnde ad argumentum propositum potest responderi, quod talis pœnitens, quando se accusat non dicit se dolere propter Deū, sed quod dolet de offenso Deo, quod quidem est verum, licet doleat ex timore inferni, potest etiam dici quod dolet propter Deum sed imperfecte, ita quod non est tantus dolor, qui contritionem attingat. Sed de hac materia late egimus supra distinctione 14. quæstione quarta, artic. 6. & 7.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur. Quod etiam solus Deus potest pœnam temporalem remittere, si propria auctoritate, & tanquam principale agens id faciat, si autem loquamur de remissione per ministerium, sicut Deus committit homini tanquam ministro, & instrumento suo iudicium de pœnis, ita etiam de culpis, & vtranque remissionem, vt videre licet suo modo in Christo Domino, vt homo est.

Ad secundum dico falsum assumere, quia sine perfecta contritione possunt aliquando peccata tolli per hanc potestatem. Nam sicut Baptismus fluminis non habenti prius gratiam confert, & habenti auget, & frequenter in adultis præcedit Baptismus Flaminis Baptismum Fluminis, si tamen non præcederet, vt in paruulis confertetur per Baptismum prima gratia. Ita frequenter in proposito adulti per attritionem tanquam per meritum de congruo iustificantur antequam confiteantur, secundum illas auctoritates Augustini, & Cassiodori, & tunc in susceptione Sacramenti augetur eis gratia, sed esto quod non habuerint sufficientem attritionem per modum meriti ad iustificationem, & per consequens in peccato existentes, & tamen aliqualiter attriti confitentur in vltimo instanti recipiunt gratiam virtute sacramenti, loquuntur ergo illæ auctoritates de iustificatis primo modo, sed non per hoc excludunt iustificationem secundo modo, vt satis patet de Baptismo secundo modo.

Auctoritates vero, quas Magister adducit pro se affirmatiue loquuntur, quod hoc facit, id est, sicut sacerdos legalis ostendebat hominem non habere lepram, ita sacerdos Euāgelicus ostendit istum non habere lepram, id est, peccatum pro vltimo instanti absolutionis, sed non hoc solum efficit Sacerdos Euangelicus, adeo quod si Magister intelligat negatiue, id est, quod sacerdos Euangelicus non plus facit, quam sacerdos legalis, falsum assumit, quia licet sacerdos noster ostendat istum non habere peccatum pro vltimo instāti absolutionis, cum hoc tamen aliquid facit, nempe Sacramentum, quod est dispositio præuia, & necessaria ad illud, quod ostenditur, nam hæc est excellentia Sacramentorum nouæ legis, quod eorum susceptio est dispositio sufficiens ad gratiam. Illorum autem legalium nec susceptio erat dispositio efficax ad mundationem corporalem lepræ, vel huiusmodi fœditatis.

Esset autem simile inter sacerdotem legalem, & nostrū, si sacerdos leuiticus in mundando istum leprosum, sua mundatio, vel aspersio aquæ fuisset dispositio necessitans ad effectum mundationis, sicut nunc nostra sacramenta sunt dispositiones ad effectum consequendum, esset etiam simile, (vt inquit Scotus) si loqueremur de sacerdote legali purificante aliquem per aquas aspersionis ab aliqua irregularitate contracta in lege ex contactu lepræ, vel huiusmodi, tūc enim sacerdos ille exerceret quemdam actum, qui esset signum efficax reconciliationis huius irregularitatis, & mundationis illius polluti, in cuius mundationis actu, vel termino sequeretur effectus signatus scilicet, quod iste esset dignus communicare cum cœteris synagogæ.

Ad primam confirmationem dico, quod Patres in testimonijs citatis intendunt Deum esse, qui sua virtute animam viuificat, vti autem hominibus vt ministris. Præterquam quod intendunt sancti docere. Deum prius sua gratia excitare interius hominem ad pœnitentiam, & vitam spiritualem comparandam, vt postea possit a sacerdotibus absolui, non tamen dicunt semper necessarium esse, vt propter illam excitationem præcedat semper vera contritio, vel iustificatio. Vel dicas quod Patres citati dicunt solius Dei esse dimittere peccata: quia ipse solus ex se, & principaliter delet peccata, & ideo Augustinus sacerdotibus non tribuit potestatem, sed ministerium. Diuus autem Gregorius cum dixit Sacerdotes auferre pœnam, pie explicandus est, quod virtutem clauium explicauerit per effectum nobis notiorem, non vero alium excluserit. Et Diuus Ambrosius dum dicit verbum dimittere peccata, Sacerdotem vero esse iudicem, intelligit, quod Deus sacerdotibus solum dedit potestatem peccata dimittendi per sacramenta.

Ad auctoritatem D. Hieronymi Matthæi 16. vbi æquiparare videtur legales, & Euangelicos sacerdotes. Dico quod sensus Hieronymi. non est negare simpliciter hanc potestatem, sed docere, non esse positum in arbitrio sacerdotis tollere, aut retinere peccata quando, vel quomodo volue

bi tanquam ethnicus & publicanus. Semper itaque supponi debet peccatum aliquod, seu inobedientia ad Ecclesiam, vt excommunicatio ferri possit.

Et ex hoc sequitur excommunicationem ferri non posse nisi supponatur culpa cognita ab eo, qui excommunicationẽ fert: quia non potest illum impellere nisi media cognitione. Item quia nullus potest de causa sibi incognita iudicare; & hoc etiam traditur in d. cap. sacro. §. caueant. de sentent. excom.

Excommunicatio maior ferri non potest nisi ob lethale peccatum

Dico secundo excommunicationem maiorem ferri non posse, nec debere, nisi ob culpam mortalem cum inobedientia ecclesiæ & contumacia commissam. In hac conclusione omnes Doctores conueniunt, oportet tamen eam diligenter explicare. Vnde obseruandum est, quod duobus modis loqui possumus de causa ferendi censuram, Primo secundum ius ordinarium ab ecclesia statutum. Secundo iuxta absolutam potestatem a Christo Domino concessam, quæ in summo Pontifice residet. priori modo est fere indubitata cõclusio posita; sunt enim multa decreta in quibus hoc statuitur, quæ referuntur a Gratiano. 11. q. 3. ex Concil. Niceno cap. 5. seruetur. & ex Concil. Melden. in cap. nemo Episcoporum. & ex Concil. Autem. vel potius Vormac. & Aurelia. 5. in cap. nullus, & in Conc. Aguen. in cap. Episcopi. Rursus ex Hierony. August. Prospero, & alijs multa refert. 24. q. 3. cap. tesecandæ. cap. corripiantur. cap. ecce. cum alijs, quæ ex Anacleto, & Pelagio ibi referuntur, idemque sumitur ex cap. sacro, de sent. excom. & ex cap. Romana. eodem tit. lib. 6. ac denique clarius Trident. id statuit in sess. 25. cap. 3. de Refor. vbi expendenda sunt illa verba aut leuibus ex rebus, & illa Non alias quam ex re non vulgari causaque diligenter per Episcopum examinata &c. cuius ratione assignat Concil. ab inconuenienti; quia si excommunicatio ob leuem culpam incutiatur, magis contemnitur, quam formidatur, & perniciem potius parit, quam salutem.

Excommunicatio duobus modis ferri potest

Gratianus.

Conc. Trid.

Ex hac conclusione infertur, nullum Iudicem, vel Prælatum Ecclesiæ infra summũ Pontificem posse pro culpa, quæ mortalis non sit, vel pro causa, in qua de euitanda mortali culpa non agitur hanc censuram excommunicationis imponere, vel sub illa obligare. quia nullus ex his Prælatis, vel iudicibus, potest præceptum, vel sententiam ferre nisi iuxta formam & modum per sacros canones institutum: habent enim iurisdictionem suam sacris canonibus ac legibus alligatam, sed sacri canones statuunt, vt hæc censura non feratur nisi pro graui culpa, ergo non possunt aliter eam ferre.

Papa pp veniale culpã non pot excommunicationem ferre.

Posteriori autem modo, scilicet iuxta absolutam potestatem a Christo Domino concessam. Dico etiam propositam conclusionem procedere; ita vt nec ipse summus Pontifex possit pro sola veniali culpa præcise directe maiorem excõmunicationem ferre. Quod colligitur primo ex omnibus scripturæ locis in quibus aliquod iudicium huius censuræ, vel potestatis ad illam ferendam continetur: semper enim significatur solum propter graues culpas corrigendas esse hãc potestatem concessam, vt Matth. 18. Si ecclesiam non audierit sit tibi tanquam ethnicus, & publicanus. Nemo enim dicet aliquem esse rebellem Ecclesiæ propter solam venialem transgressionem, eo vel maxime: quia erat sermo de correctione fraterna, & ordine eius, qui ad coactionem per hanc censuram terminatur, si intercedat contumacia: illa autem correctio, & Theologi docent in 4. dist. 18. & D. Thomas. 2. 2. q. 33. non habet locum proprie, & in rigore loquendo in peccantis tantum venialibus, quod etiam (vt ponderauit D. August.) ex verbis Christi colligitur. Si te audierit lucratus eris fratrem tuum, peribat ergo grauiter peccando, vt August. infert.

D. Thomas.

D. August.

Secundo sumi potest argumentum ex testimoniis Pontificum, & sanctorum, quæ supra retulimus: cum enim docent excommunicationem non esse ferendam nisi pro graui crimine, non fundantur in aliquo iure seu prohibitione Ecclesiastica, sed in ipsa æquitate naturali supposita institutione, & acerbitate talis pęna: & quia Christus non dedit hanc potestatem ecclesiæ in destructionem, sed in ædificationem, quæ rationes absolute procedunt de ipsa potestate secũdum se, & respectu cuiuscumque habentis illam. Vnde concluditur tertio, optima ratio naturalis: quia pęna debet esse proportionata culpæ, excommunicatio autem maior, est grauissima omnium, quæ sunt in ecclesia, vt D. August. dixit lib. de correct. & gratia cap. 15. in cap. corripiantur. 24. q. 3. non est ergo proportionata culpæ veniali, sed infinite (vt ita dicam) excedens. ergo ex ipso iure diuino, & naturali, non potest secundum iustitiæ æquitatem talis pœna pro veniali culpa ferri, ergo absolute loquendo non dedit Christus ecclesiæ hanc potestatem.

D. August.

Excõmunicatio pro veniali culpa ferri nõ põt.

Dico itaque tertio, quod excommunicatio maior a nemine fulminari potest pro veniali culpa. Probatur primo: quia per excommunicationem eiicitur quis quodammodo ab ecclesia, vt sumitur ex multis iuribus. 11. q. 3. præsertim cap. omnis Christianus, & cap. nihil. nemo autem meretur eiici ab ecclesia, qui non est dignus eiici a Regno Dei, quod non est, nisi propter peccatum mortale.

Antherus Papa. Tertullian. August.

Secundo probatur, quia quod est in Repub. temporali pęna mortis, id est in ecclesiastica Repub. pęna excommunicationis; ideoque vocari solet gladius ecclesiasticus in cap. inter hæc. 33. q. 2. Et multi Patres dicunt hanc pęnam habere in ecclesia eum locum, quem in veteri lege habebat pęna mortis, vt videre licet apud Antherum Papã epist. vnica, & Tertullianum in Apolog. c. 39. & August. in quæst. Deuter. q. 2. Qui propterea in collatione tertiæ diei cum Donatistis, eam vocat damnationem, quam facit episcopale iudicium. Sed Reipub. temporali non est data potestas ad interficiendum hominem propter peccatum veniale, vt per se notum est, ergo neq. ecclesiæ ad ligandum hominem hac censura ob solam venialem culpam.

Ex his infertur primo excommunicationem latam pro leuiori culpa, quæ mortalem grauitatem non attingat, esse nõ solum iniustam, sed etiam ipso iure nullam a quocunque feratur. Patet ex dictis. Tum quia fertur absque legitima potestate. Tum quia est euidenter contra iustitiam commutatiuam respectu eius, qui sic damnatur, tum quia continet intollerabilem errorem non solum contra ius ecclesiasticum, sed contra naturale, & diuinum; sicut esset intollerabilis error Medici, qui præciperet brachium abscindi a corpore propter leuem læsionem, seu ægritudinem, & intollerabilis esset iudicis sententia iudicantis aliquem ad mortem propter venialem culpam, ac proinde nulla ipso iure.

Secundo infertur Quotiescunque aliquis excusatur a culpa mortali in transgressione alicuius legis, vel præcepti excusari etiam ne censuram excommunicationis incurrat etiam si omnibus transgressoribus illius præcepti imposita sit, vt si excommunicentur omnes qui furantur aliquid, si quis id cõmittat tamen ex leuitate materiæ excusatur a mortali, excusabitur etiam, ne talem censuram contrahat. Et eadem ratione, cui sub excommunicatione præcipitur, vt soluat vel restituat, si id omittat: quia re vera non habet vnde soluat, sicut excusatur a culpa ita etiam a censura; quia cessante causa necessaria etiam quoad rei effectionem, cessat, seu non fit effectus. Item, quia quod culpa caret in damnum vocari non debet, vt dicitur in cap. 2. de Constitut. ergo & quod caret graui culpa non debet in grauissimum damnum excommunicationis vocari.

Tertio infertur. Quoties per aliquam legem prohibetur aliquid sub pœna excommunicationis si lex sit iusta, & valida, quo ad talem pęnam transgressionem eius esse peccatũ mortale. hanc regulam tradidit Caiet. specialiter in summa verbo præceptum, estque communis omnium, & sequitur euidenter ex dictis: quia si illa pœna iusta est supponit proportionatam causam, vel culpam, sed culpa illi proportionata est præcise mortalis, vt ostensum est.

Caietanus.

Excõmunicatio ferri non quit pro peccato interno.

Dico quarto excommunicationem ferri nõ posse propter peccatum solum interius mente consũmatum, nisi in actum externum prodeat. ita docent D. Thomas. 1. 2. q. 91. art. 4. vbi generatim docet humanam legem, vel iudicium ferri non posse de interioribus motibus. Palud. in 4. d. 17. q. 2. art. 2. & q. 7. ar. 5. dist. 15. q. 5. art. 2. Durand. d. 17. q. 8. Gabriel. ibi. q. 2. dub. 5. & lect. 64 in can. Almay. hac d. & de potest. eccle. c. 3. Antoninus. 3. p. tit. 13. c. 4. §. 7. & tit. 24. c. 4. Caiet. 2. 2. q. 11. art. 3. & in summa verbo hæresis, & verbo horæ Canonicæ. Angelus verbo hæreticus. Syluest. verbo hæresis. q. 2. & ver. excom. 7. q. 2. Tabien. excom. 5. casu. 4. nu. 4. Castro lib. 2. de iusta hæreticorum punit. c. 18. Driedo lib. 3. de libert. Christ. c. 5. sub finem Nauar. in summa. c. 23. num. 38. & c. 27. num. 56. & in cap. cogitationis. de pœnit. d. 1. Couar. Regula peccatum. p. 2. num. 7. & sumitur ex cap. tua nos, & cap. sicut tuis. de simonia. vbi tanquam principium certum sumitur Ecclesiam iudicare de sibi manifestis, non vero de occultis.

D. Thomas. Palud. Durandus. Gabriel. Almayn. Antoninus. Caietanus. Angelus. Syluester. Tabiena. Castro. Driedo. Nauar. Couar.

Excõmunicatio duplex a iure, & ab homine.

Cæterum quia hæc conclusio aliqualem patitur difficultatem, pro ampliori eius explicatione obseruandum est primo,

mo, duplicem esse excommunicationem, vnam latam a iure, alteram ab homine. Nam duobus modis potest homo ferre censuram. Vno modo ferendo legem stabilem ac permanentem obligantem sub hac pena, quam ipso facto incurrant eius transgressores; Alio modo potest ferre censuram proferendo sententiam, aut præcipiendo aliquid in singulari actione, vel negotio, in quo non stabilitur ius, aut statutũ permanens, sed transitorium mandatum. Quando censura excommunicationis fertur primo modo dicitur esse a iure: quia licet ius ab homine processit, iam vero ipsa censura in ipso iure continetur. Quando vero censura fertur posteriori modo, retinet veluti commune nomen, & quasi per antonomasiam, vel accomodationẽ vocatur censura ab homine.

Secundo obseruandum est hanc pęnam, quæ censura est, ita posse per legem imponi, vt statim per transgressionem legis contrahatur ante sententiam iudicis, tam condemnatoriam, quam declaratoriam; ipse enim vsus Ecclesiæ sufficiẽter docet, & esse in ecclesia hanc potestatem, & illum modum puniendi iustum esse.

Peccatum mortale est multiplex. Tertio obseruandum est, quod peccata mortalia sunt in multiplici differentia: nam quædam consistunt in solo actu interiori, quædam procedunt etiam in opus, & exteriorem operationem, quæ etiam multiplicia sunt. Quædam enim sunt, quæ ex operatione exteriori, ad quam exeunt non possunt cognosci esse peccata, propterea quod illa operatio est solum peccatum propter relationem in malum finem, vel quia imperatur a volitione mala, vt Petrus dat eleemosynã non propter Deum, sed propter vanam gloriam, talis operatio exterior imperatur a volitione, quæ appetit vanam gloriam, & illa operatio nõ potest cognosci esse peccatum: quia talis non est prohibita; immo frequenter cadit sub pręcepto, & ad cognoscendum illam esse peccatum, oportet de necessitate cognoscere interiorem volitionem. Alia sunt peccata quæ possunt exterius cognosci esse peccata, vt occidere, adulterari, furari.

Quarto obseruandum est, quod istorum peccatorũ, quædam sunt publica; quæ ideo publica vocantur non quia omnes sciunt, & cognoscunt illa; sed quia iuridice probari possunt per duos, aut tres testes, Alia sunt publica quæ tamen non possunt publice probari.

His suppositis sic declaratur conclusio, Ecclesia nõ potest excommunicare pro peccato solo interiori. Nam ecclesia cũ sit visibilis non vtitur censuris, quæ pertinent ad forum exteriorem in actus mere internos, nec de his, quæ sunt per se occulta iudicat, nisi vt per exteriores quorum sunt causa manifestantur, vel per omissionem rei notæ, vt missæ præceptæ, actus autem pure interior est per se occultus ecclesiæ, & ideo est omnino extra iurisdictionem, & potestatẽ eius. actus vero exterior licet interdum sit occultus, hoc est tamẽ per accidens, quia ipse secundum se non est extra obiectum talis potentiæ, atque adeo ille sæpe punitur per legem, ideoque esse potest materia censuræ. Si autem sit sermo de peccato, quod procedit ad actum exteriorem, qui vtique cognoscitur, at non potest cognosci adhuc esse peccatum, dicẽdum est sicut de actu pure interiori; cum enim actus iste exterior secundum se non sit malus, nec absolute prohibitus, nec potest ecclesia prohibere, ne ex praua intentione fiat, consequẽter non potest censuram in eum ferre, qui praua intentione talem actum effecerit, vt aperte docet Nauar. cap. mandato de simonia, num. 20. *Nauar.* Si autem peccatum est tale, quod exterius cognosci potest esse peccatum, & quod iuridice probari potest factum esse per duos, vel tres testes, & etiam actor ipsius peccati, Nam interdum delictũ probari potest; sed actor non, vt cum reperitur trucidatum corpus, sed cum trucidaretur nullos erat præsens) certum est posse ecclesiam patratorem peccati excommunicatione ferire. Item extenditur ecclesiastica potestas ad peccatum iuridice notum, cuius tamen actor iuridice ignotus est. Probatur per cap. quidam maligni spiritus. 5. q. 1. vbi de quodam, qui contra Castoriũ Notarium, ac responsalem Apostolicum nocturno silentio in Ciuitatis loco contestationem posuerat in eius crimina loquentem. dicit Adrianus Papa, qui si non exierit, neque publice confessus fuerit quisquis ille sit, qui hoc agere præsũpserit, vel consensum tantæ iniquitatis consilio præbuerit ex Dei, & Domini nostri Iesu Christi spiritu, decernimus vt sancti eius corporis, & sanguinis participatione priuatus sit. & iste est vnus casus apud Ocham in quo recurrendum est ad potestatem ecclesiasticam in crimine ciuili.

Cæterum si peccatum interius exiuit in opus, quod est de se malum & non solum quia male reuelatum si non possit illud opus iuridice probari ecclesia non potest excommunicare actorem pro tali opere, & loquor de sententia lata ab homine saltem nominatim, & hoc nõ est propter defectum potestatis; quia habet potestatem super illa crimina, sed propter defectum cognitionis; quia non potest iuridice illud ecclesia cognoscere eo modo, quo habet potestatem in foro publico, in quo tantum cognoscere potest, de exterioribus publicis, & notoriis, idest quæ possunt iuridice probari. Nam ista clauis solum se extendit ad operationes, quæ consistunt in opere exteriori, & publico, quæ possunt iuridice probari, & quibus annexa est contumacia; vt Petrus commisit fornicationem, & notum est ecclesiæ, tunc ecclesia debet vocare Petrum, vt vocatus compareat, & non discedat a iudicio, ante licentiam; & sententiæ latæ a iudice obtemperet, quod si obedierit cum non sit contumax, non debet excommunicari. Nam excommunicari non potest nisi propter alteram istarum causarum; vel quia vocatus non comparet; vel si compareat discedit ante, vel si non discedat præcipitur ei abstinere, & non abstinet, tunc licite potest excommunicari. Nam resolutio omnium Theologorum est, quod nunquam debet excommunicari nisi pro mortali exteriori iuridice probato, cui annexa est contumacia, vel quia non comparet, vel discedit a iudicio, vel non abstinet. hæc dicta sunt de sent. excom. ab homine.

Verum si loquamur de sent. excommun. a iure, dicẽdum est, quod pro actu exteriori quamuis occulto incurritur pęna iuris, vt regulariter tenent Doctores, & nominatim Paludan. 4. d. 1[illegible]. Probatur ex cap. porro. de sent. excom. in quo *Paludanus.* dicitur eos, qui manus violentas in fratres suos iniecerunt, qui non conuicti, sed priuatim veniam postulant esse monendos, vt satisfaciant his, quos læserunt, & Apostolicæ sedi se præsentent, cum ab alio sine speciali mandato absolui non valeant. ergo illi sunt excommunicati. Absurdum enim foret dicere eum, qui violentas manus iniecit in clericum, quamuis secrete non esse excommunicatum.

Sed contra arguitur per cap. sicut de iuis litteris. de simonia, in quo dicitur. Illos autem qui dederunt pecuniam vel etiam receperant, in tantum constant esse culpabiles, quod si eorum excessus esset ecclesiæ manifestus, quæ non iudicat de occultis, pęna canonica essent feriendi, ergo si non sint manifesti non sunt feriendi, & in cap. erubescant 32. dist. in quo de Presbyteris, Diaconibus & subdiaconibus, qui mulierculas non abiecerunt, dicit, quod sunt excludendi a suorũ graduum dignitate; statim subiungitur, de manifestis autem loquor; secretorum autem Deus cognitor, & Iudex est. Itẽ Matth. 18. vbi est instituta hæc potestas ecclesiastica, datur forma secundum quam sit ea vtendum: sed sic est quod ibi præcipitur reum esse ecclesiæ denunciandum, & conuincendum per duos, vel tres testes, ergo non extenditur hæc potestas ad ea peccata exteriora quæ probari non possunt.

Respondetur & ad primum dico, quod illa capitula intelligenda sunt de pęna ab homine inferenda; sunt enim canones quidam, qui non sunt sententiæ latæ, sed ferẽdæ, quibus, transgressoribus non infligitur ipso facto pœna, sed declaratur infligenda per Iudicem, & horũ transgressores nõ subiiciuntur illi pęnæ nisi notorij sint. Et quamuis Glossa ex cap. *Gloss.* erubescant. fundet argumentum pro opinione eorum, qui dicunt, quod occultum delictum non irrogat irregularitatem. Oppositum huius opinionis satis determinatum est ex cap. quæsitum, de temporibus ordinandorum. Vbi dicitur. Si proposita crimina, puta adulterium, periurium, homicidium, falsum testimonium ordine iudiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hij, præter eos homicidij, post pęnitentiam in iam susceptis ordinibus impediri; ergo homicidæ incurrunt irregularitatem, quamuis non sint notorij.

Ad secundum ex D. Matth. eodem modo dicendum est, quod processus ille intelligitur de eo, qui per Iudicem, & nominatim feriendus est pœna ecclesiastica; Ista requireret ampliorem explicationem, sed quia præcise sententiã Doct. Sub. præcise hic intendimus explicare, ideo quę non faciunt pro principali proposito omittimus.

ARTI-

ARTICVLVS VIII.

Vtrum solum viuentes excommunicari possint.

Ricardus. Gabriel.

DE hac re duplex est sententia. Prima est Ricar. in 4.d.18. ar.5.q.4.& Gab.ibi.q.2.ar.2.contro.4.post.5 concl. & quorundam Canonist. qui tenent hominem mortuum posse excommunicari. Nam Glossatur decretalium, in cap. si qs Episcopus, de hæreticis, in verbo post mortem, postquam ad suæ sententiæ confirmationem citauit. cap. sane, 24. q.2. vbi de hæreticis dicitur post mortem esse anathematizandos & condemnandos, deinde sibi ipsi obiicit, & respondet per hæc verba. Contra quia crimina morte extinguuntur, 23. distin quorundam. 24.q.2. cap.t. & crimen cũ pœna sit extinctũ, c. si reus, vel accu. mor. sue. c.2. Hoc tamen speciale est in crimine hæresis in eius detestationem vt post mortem possit accusari, & excommunicari. Hæc Glossator decretalium. Abbas in expositione præfati cap. si quis Episcopus. eidem subscribit sententiæ, dicens etiam hoc esse speciale hæretico, vt post mortem possit excommunicari.

Glossa. Abbas.

Cyprianus.

Potest autem hæc opinio in hunc modum probari. Primo quia Cyprianus lib.1. epist.9 propter speciale crimen quemdam mortuum excommunicauit, vt refertur in cap. neque 88. dist. & in cap. si quis Episcopus. de hæreticis, præcipitur, vt propter quædam delicta Episcopi, saltem post mortem eius anathema dicatur, atque eius nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.

Concil. Constan.

Item post mortem multi fuerunt hæretici anathematizati. Nam Concilium Constantiense sess.8, anathematizauit Ioannem Vuiclephum iam tunc defunctũ, & in 5. synodo act. 8. anathematizati sunt Dioscorus, & Eutyches, & alij multi hæretici, qui iamdiu ante multos annos fuerant mortui; & in 6. synodo act. vlt. anathematizati sunt Theodotus, Faranita, Sergius, Pyrrhus, & Paulus, & Honorius, & multi alij hæretici, qui iam mortui erant, & in cap. sane. 24. q.2. habetur, quod hæretici, & schismatici illi, quorum scripta hæresim continent, post mortem sunt excommunicandi.

Quinta synodus.

Sexta synodus.

Item si aliquis mandat alicui subdito suo, vt occidat Clericum Titium, & moriatur antequam mandatarius exequatur mandatum post mortem mandantis, si mandatarius mandatum exequatur, mandans carere debet ecclesiastica sepultura, si efficaciter non reuocauit mandatum reintegraliter; ita vt ad mandatarium reuocatio perueniret; sed non debet priuari sepultura pro occisione illius clerici occisi post mortem, nisi pro hoc incurreret excommunicationem iam mortuus, quia viuens pro hoc excommunicationem non incurrit, cum mortuus fuerit ante factum, ergo aliquis post mortem potest incurrere excommunicationis sententiam.

Oppositam sententiam tenent fere omnes alij Doctores, qui in hac conclusione conueniunt omnium. Subiectum capax excommunicationis esse hominem viatorem, & viuentem in hac vita mortali, adultum, & Baptizatum, & qui in terris superiorem habeat, seu alteri subiectus sit, dicitur primo hominem viatorem: nam solus homo viator est capax delicti, & emendationis eius, & vtrunque requiritur in subiecto capaci censura; nam fertur propter delictum, & contumaciam, vt dictum est supra; Vnde ex hac particula excluduntur primo bruta animantia, quia non sunt capacia delicti, & contra locustam & Bruchum recte institui ecclesia vti adiurationi: cum aspersione aquæ benedictæ, & precib.; & si interdum excommunicantur, seu anathematizantur, similia verba solum sunt adiurationes, seu imprecationes quędam, quibus Christianus populus a Deo postulat, vt illa auertat, & destruat.

Subiectũ capax excommunicatio. nis quodnã sit.

Secundo excluduntur Beati omnes, tum quia sunt incapaces delicti, tum quia sunt natura sua extra forum ecclesiæ, & si dicatur quod D. Paulus ad Gal. anathema dicit in eum, qui contra Euangelium docet, etiam si Angelus sit. dico ꝙ verbum anathema sumitur ibi pro verba execrandi, & detestandi, & in hoc sensu dixit Paulus anathema in eum, qui aliud euangelizauerit, quam quod ipse euangelizauerat, etiã si esset Angelus, quod per exaggerationem dixit, ad ostendẽdam firmitatem fidei, & quam sit execrabilis, & fide indignus, qui contrarium prædicat; Tertio excluduntur dæmones, & animæ damnatæ, quia & si sint culpæ capaces, tamen tam non possunt emendare delictum, atque adeo ratione status sunt extra forum ecclesiæ, & si dicatur, quod inter exorcizandum dęmones excommunicari, & anathematizari dicuntur, dicimus quod eodem sensu, quo intelligitur verbũ D. Pauli accipienda sunt similia verba, quoties in dæmones dicuntur.

Dicitur secundo adultum: quia non omnis homo viator est censuræ capax, sed adultus tantum; quia ante ætatẽ adultam nemo potest censura ligari, quia nec capax est delicti, ꝙ sit proxima causa censuræ, neque etiã est capax alicuius obligationis, vel effectus, qui per censuram infertur. Primũ patet: quia omnis obligatio requirit rationis vsum. Secundum etiam constat: quia huiusmodi infantes non sunt capaces proprie vsu, vel communicatione spiritualium bonorum. & hoc quod dictum est de pueris rationis vsu carentibus, intelligendum est etiam de omnibus perpetuo amentibus; imo intelligendum est etiam de his, qui dum factum prohibitum sub censura efficiunt, carent vsu rationis, etiam si antea habuerint, & postea ad illum redeant. imo licet sit solum quædam actualis ineptitudo, qualis est in dormiente, in ebrio, & similibus, dummodo talis actio non fuerit voluntaria in causa, tunc enim alia est ratio; præcise autem ex vi illius actionis, in ea dispositione factæ, non potest incurri censura, quia cum non sit libera non est contra legem. & ideo vniuersaliter dici potest, carentem vsu rationis, quatenus sic affectus est, esse incapacem censuræ.

Ex quo sequitur quoties iura loquuntur de censuris impuberum, vt in c.1.& vlt. de sent. excom. sermonem esse de impuberibus doli capacibus, id est habentibus etiam vsum rationis, qui ad peccandum mortaliter sufficiat: nam cum huiusmodi peccatum sit veluti proximum censuræ fundamentum, necessario supponit radicem eius, id est vsum rationis, & libertatem sufficientem ad illud committendum. Imo addunt Iurisperiti licet ad incurrendam censuram ipso iure latam sufficiat ætas impuberis doli capacis, de quo sermo est in l. pupillus 112 ff. de reg. iuris; vt tamen ab homine inferatur, id non satis esse, sed necessariam esse puberem ætatẽ, ita docet ex Abbate Soncino, & alijs, Vgol. c.17. *Vgolinus.* §.3. nu.5. & ratio est, quia huiusmodi ætas non censetur sufficiens ad intelligendũ ordinem iudiciarium, propter quod nec de iure citari potest, nec ad agẽdum, vel defendendum se in iudicio admitti iuxta cap. vlt. de Iud. in 6.

Tertio dicitur viuentem in hac vita mortali: quoniam potestas iurisdictionis, quæ ad excommunicandum aliquem est à Christo Domino Prælatis ecclesiæ concessa ad solos viuos, & super terram existentes concessa est, non autem mortuos, qui aut super terram, aut subtus terram locati sunt. Nam potestatem hanc excommunicandi incorrigibilem, & contumacem (vt proximo præcedenti art. docuimus) Christus concessit per hæc verba. Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus, quæ verba ex ipsius euangelij littera ad eos solos referuntur, qui semel, & iterum à fratre, & tertio à Prælato correcti emendari recusant tanquam contumaces, & rebelles. At mortuus cum non possit semel admoneri, aut à fratre, aut ab ecclesia nunquam post mortem poterit dici contumax, aut rebellis, quo fit vt nec excommunicari possit post mortem. Et si dicatur mortuum non excommunicari propter contumaciam, quã post mortem habuerit; sed propter contumaciam quam habuit ante mortem, quæ quia ipso viuente non innotuit, sed post mortem, ideo mortuus excommunicatur. Dico hoc fieri nõ posse; verba qua Christus statim post præcedentia ad excommunicationis confirmationem dixit, apertissime conuincunt. Nam post illa verba. Sit tibi tanquam Ethnicus & publicanus, statim subdidit. Quodcunque solueris super terrã, erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaueris super terrã & c. per quæ verba ipsam excommunicandi potestatem ecclesiæ concessam amplius declarauit, & ratam & firmam esse ostendit, vt docent D. Hierony. in comment. super Matth. cap.14. & Vrbanus Papa, & martyr in epist. de communi vita, & Gelasius Papa in cap. legatur, & in cap. ne quisquam; at illa Saluatoris nostri verba de solis illis loquuntur, qui sunt super terram, hoc est de illis, qui in hoc mundo degunt, non autem de mortuis, qui aut supra terram, aut subtus terram sunt. solos ergo viuos ecclesia ligare, aut soluere potest, non autem mortuos.

D. Hierony. Vrbanus Papa Gelasius Papa.

Quarto dicitur, & Baptizatum: quia ista potestas non se extendit ad infideles, sicut nec aliqua alia potestas ecclesiastica. Nam de his, qui foris sunt nihil ad nos, vt Paulus dixit. 1. ad Cor.5. & cap. gaudeamus, de diuortijs. Aliqui tamen

men

men dicunt, quod potestas ecclesiastica se extendit ad infideles quantum ad aliquos actus, & quod potest excommunicare illos propter peccata, quæ sunt contra legem naturæ, *Panormit.* & est opinio Panor. in cap. nouit. de Iudicijs, sed communiter non tenetur, quia infideles non sunt capaces rerum spiritualium, ani catum vsus.

Quinto dicitur, & qui in terris superiorem non habeat: Nam Iurisdictio, & subiectio correlatiua sunt, ergo sicut in ferente censuram requiritur iurisdictio; ita in eo, in quem fertur, necessaria est subiectio, Ex quo sequitur, quod nemo potest directe excommunicare se ipsum, aut superiorem propria auctoritate: quia excommunicatio datur per modum sententiæ coactiuæ.

Papa non comprehend. tur inter eos, qui possunt censura ligari. Secundo sequitur, quod Papa non comprehenditur inter eos, qui possunt censura ligari, quia non habet superiorem in terris, neque alicui spiritualiter subiectus est. cap. cuncta per mundum. 9. q. 3. Vnde non solum ab homine (quod notum est) sed etiam ii iure censura ligari nequit: quia simpliciter neque ipsi iuri humano subiectus est; quia æqualem habet potestatem. Vnde etiam si contingeret in hæresim *Bellarmin.* incidere, non esset ipso iure excommunicatus, lege Bellar. lib. 2. de Romano Pontifice. c. 12. & sequentibus præsertim *Nauar.* in 30. & Nauar. in c. nouit. de Iudicijs not. 3. num. 78. & 242. & in Manu. c. 27. nu. 13. Nec etiam Papa excommunicatur à Concilio, (quod est inferius ipso) nisi in casu hære*Sotus.* *Nauar.* sis, dum ab infecto capite mystico se defendit ecclesia, ne corpus tabefaciat. vide Sotum dist. 22. & Nauar. vbi supra.

Secundo sequitur, quod cum Episcopus, communicans in crimine criminoso cum denunciato ab ipso, non excom*Nauar.* municatur à se ipso; sed ipso iure per Pontificem. Nauarr. cap. 27. num. 6. ad finem. At si Episcopus excommunicet aliquem cum omnibus auxiliantibus, vt furem, non incurrit suam excommunicationem, licet fuerit auxilians, ita Nau. vbi supra. sed strictius obligatur restitutioni, quia debet quisque pati legem, quam ipse tulit.

Tertio sequitur, quod superiorem, aut æqualem nemo per se excommunicat, tamen si alienus Episcopus, vel Archiepiscopus, aut legatus Papæ delinquat in alio negotio intra diœcesim alienam, fit inferior ratione delicti, & comprehenditur sub generali excommunicatione Episcopi dio*Angelus.* cesis. ita Angelus excom. 1. num. 12. contra quosdam, quia delinquens non agit vt superior, sed vt priuata persona, quę ratione delicti fit inferior.

Quarto sequitur, quod priuatus clericus, dū est promulgator excommunicationis Papalis circa superiorem, vt pro furto, Papa est qui excommunicat, ligaturque sub generali illo edicto, etiam ille priuatus, qui promulgat. Dum autem ex delegatione Papæ Canonicus excommunicat suum Epi*Nauar.* *Bustus.* *Couar.* scopum Iudex habet rationem superioris. Ita Nauar. cap. 27. num. 6. & Bustus. 2. par. serm. 37. & Couarr. §. 3. num. 2.

Cōmunitas an possit excōmunicari. Sed hic sunt duo dubia. Primum est an Communitas possit excommunicari. Ad quod negatiuę respondetur: quia is, qui excommunicatur semper esse debet persona aliqua singularis, ita statuitur in cap. Romana. §. in vniuersitatem de sent. excom. in 6. & si dicatur, quod vniuersitas, idest capitulum, seu collegium grauiter delinquere potest, ergo & puniri, & per ecclesiasticam disciplinam corrigi, atque adeo aliæ censuræ in communitatem feruntur, ergo etiam per excommunicationem corrigi poterit. Dico tecol*Nauar.* *Couar.* ligendo ea, quæ late traduntur de hac re Nauar. cap. 27. num. 26. & Couar. lib. 2. Variarum. cap. 8. num 9. quod duobus modis potest censura aliqua in communitatem ferri. Primo in solam communitatem, vt communitas est, idest quatenus est vnum corpus politicum, ita vt non descendat ad singulas personas secundum se; sed solum illas comprehendat, quatenus vnum corpus constituunt, quomodo ferri solet suspensio in communitatem. Alio modo potest ferri censura in communitatem ratione singularum personarum; ita tamen vt non feratur censura in personas certas, seu determinatas, sed communiter, seu confuse in omnes homines huius Ciuitatis, vel Regni, quomodo ferri solet interdictum in Communitatem. Vtroque modo prohibitum est collegium, aut capitulum excommunicare: nam d. cap. Romana. simpliciter id prohibet, ergo prohibet quocunque modo fiat, quod patet, quia in fine illius textus subditur, sed in illos duntaxat de collegio, & vniuersitate est, quæ dicto exclusiua omnem alium modum interdicit.

Ratio autem pro priori parte reddi potest: quia bona, quibus principaliter priuat excommunicatio personalia, sunt, seu ad singulas personas pertinentia, & similiter communicatio, & actus, quos interdicit excommunicatio, personales sunt regulariter loquendo, ergo propter hanc causam non fertur excommunicatio in communitatem, priori modo consideratam; & hoc est quod ex sent. Doct. iuris Pontificij refert Couar. Communitatem. f. non esse vnum corpus verum; sed fictum, neque habere vnam animam rationalem communem, & ideo non esse capacem excommunicationis; hoc enim est verum, de communitate priori modo spectata. Ratio autem posterioris partis, quæ etiam extendi potest ad priorem; est, quia censura, quæ illo modo fertur in communitatem omnes eius personas complectitur, etiam si non deliquerint, hoc autem excommunicationi repugnat, ergo &c. Maior patet tum exemplo interdicti, tum ratione; si enim tantum personas delinquentes comprehenderet; iam non ferretur in communitatem, sed in eos, qui tale delictum commiserunt, quod est ferri in singulas personas, non in communitatem. Minor vero constat ex cap. nemo cum alijs. 11. quæst. 3. & hanc rationem tetigit ibi Pontifex. dicens. Cum nonnunquam contingeret innoxios huiusmodi sententia irretiri. quod latius declarauit D. August. epist. 75. cap. si habes. 24. q. 3. *D. August.*

Secundum dubium est. An per excommunicationem generaliter latam ligari possint non tantum laici omnes, & *Cardinales, Episcopi & cæteri Prælati infra Papā an excōmunicari ꝗant.* Clerici inferiores, sed etiam Episcopi, & quilibet Prælati illis superiores infra summum Pontificem, dummodo Auctor Canonis, & sententiæ illis superior sit, & verba sint adeo vniuersalia, vt eas comprehendant. & videtur quod non: quia in cap. periculosum, de sent. excom. in 6. conceditur Episcopis, & superioribus Prælatis, ne ligentur censura generatim lata, nisi illorum expressa mentio fiat. Oppositum tamen est asserendum, quia secundum commune ius omnes hæ personæ sunt capaces huius censuræ, vt passim ex iure constat; verba autem legis si generalia sint, omnes subditos comprehendunt, iam quoad obligationem, quam quoad pœnam si sint capaces eius, & alio iure, vel priuilegio non excipiantur, quia hæc est ius generalium verborum. In præsenti autem nullum est ius, aut priuilegium, quo excipiantur Episcopi, aut quicunque alij prælati à generali lege, vel sententia imponente excommunicationis pœnam, ergo illam incurrent, si transgressores legis extitant. Et ad cap. periculosum respondetur ibi non esse sermonem de censura in genere, sed speciatim de suspensione, & interdicto, vt ibi Glossa notauit verbo suspensio- *Glossa.* nis, ac propterea docuit priuilegium illud non habere locum in censura excommunicationis, quam Glossam omnes communiter approbant. Addit etiam Glossa esse plures canones ferentes sententiam excom. in generali, à quibus non fuit conueniens excipi Episcopos, vt cap. si quis suadente. & similia.

Obser. est insuper, quod exempti quidam possunt cen- *Imperator, & Reges à quibus excōmunicari possint.* suris ligari à solo Papa, non ab Episcopo, aut legato, vt Rex, vel Imperator ex priuilegio eximitur, & quamuis nullo iure tale priuilegium exprimatur, quo eximatur Rex aut Imperator, puta cap. nos si, §. cum Balaam. 2 quæst. 7. cap. Valentinianus 63. dist. quod falso citati solet. 66. dist. tamen exemptos esse dicunt Antoninus 3. par. tit. 21. cap. *D. Anton.* 75. ad finem. Syluest. excoma num. 10. Armilla. §. 28. Ta- *Syluester.* *Armilla.* *Tabiena.* bien. excom. 4. post quæst. 1. fin. eximitur autem ex priuilegio, cum olim subiectus esset Episcopo diœcesis. Sic D. Ambrosius interdixit ingressum Ecclesiæ Theodosio Imperatori, & excommunicauit nisi satisfaceret cum publica pœnitentia. Ita Theodoretus lib. 5. hist. cap. 18. Nicephorus *Theodoret.* *Nicephorus.* lib. 12. cap. 41. cap. duo sunt. 96. dist. & Couarr. cap. Alma. in *Couar.* princ. num. 9. & lib. 2. Variarum. cap. 8. num. 1. Religiosi *Religiosi mē dicantes non possunt ab Episcopis excōmunicari.* etiam Mendicantes habent priuilegium Pontificis ne excommunicari possint ab Ordinarijs aut à legato, nisi in litteris legati fiat specialis eorum mentio.

Pro solutione argumentorum, quæ posita sunt in princ. art. obser. est. Primo quod non sunt idem prorsus anathe- *Anathematizare, & excommunicare differunt.* matizare, & excommunicare, aut anathema, & excommunicatio, quod ex eo patet: quia multi sunt, qui hæreses & hæreticos anathematizant, qui nullam prorsus habent excommunicandi potestatem; nam omnes hæretici cum abiurant errores, eos anathematizant, sicut patet in cap. Ego Berengarius. de consecrat. dist. 2. cum tamen nec ipsi excom-

municare possint, nec ipsæ hæreses capaces sint censuræ. Patet etiam quia sæpe ecclesia in suis sententijs post verbum excommunicationis addit verbum anathematis dicens excommunicamus & anathematizamus, prout patet in cap. excommunicamus. 1. & 2. extra de hæreticis; & in cap. cum ab homine. extra de Iudicijs, primo præcipitur, quod Clericus incorrigibilis excommunicetur, ac deinde vt anathematis mucrone feriatur, ex quibus apertissime constat, non esse idem prorsus excommunicatio, & anathema, sed anathema aliquid addere supra excommunicationem.

Anathema quid significet. Secundo obser. est quod anathema græca vox est, & significat donaria, quæ Deo, aut sanctis eius offeruntur, & in templis honoris gratia suspenduntur, & in hac significatione sumitur anathema Iosue 6. vbi hæc verba leguntur. Cumque septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel. Vociferamini: tradidit enim vobis dominus Ciuitatem; sitque Ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino. Ciuitatem, & omnia, quæ in illa erant præcepit esse anathema Domini; quia omnia, quæ in illa erant volebat Domino seruari, & illi in sacrificium offerri, ita vt ex illis nihil sibi ipsi aliquis seruare auderet, atque adeo cũ Achan de spolijs sibi seruasset, iratus est Dominus, & dixit filijs Israel. Anathema in medio tui Israel, non poteris stare coram hostibus tuis donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus est scelere. Anathema vocatur hoc loco spolia, quæ sibi seruauerat Achan, quoniam illa ad hoc destinata erant, vt Deo dicarentur. Secundo Anathema nihil aliud significat nisi à Deo separationem. Tertio maledictionem, & alienationem ab ecclesiæ consortio importat, & in hac significatione ab hoc nomine anathema deriuatur verbum anathematizo, quod significat maledicere, detestari, deuouere; & iuxta hanc verbi significationem capitur hæc vna anathema apud Marcum Euang. cum dixit quod Petrus cœpit anathematizare, & iurare &c. Nam Petrus iurans iuramento execratorio, vt *D. August.* D. August. super Psal. 7. docet maledicebat sibi ipsi, & maledictiones imprecabatur, vt maior suo iuramento adhiberetur fides, ac si dixisset. Maledictus sim à Deo, & talia, aut talia addat mihi Deus, hæc aut illa super me veniant, si noui hominem istum. Hoc certe est iurare, & anathematizare.

Anathema & excommunicatio qualem habeant ordinem inter se. Tertio obser. est, quod anathema & excommunicatio talem habent ordinem inter se ipsa, quod nec semper ab inuicem separantur, nec semper & necessario consequuntur, vt eidem semper conueniant. Nam quamuis idem possit excommunicari, & anathematizari, non tamen consequens est, vt omnis quem anathematizamus, aut maledicimus, sit eo ipso excommunicatus; neque e contrario consequens est, vt omnis excommunicatus, sit eo ipso anathematizatus, & maledictus. Et propter hanc causam Ecclesia postquam aliquem publice, & nominatim excommunicauit, anathematizare consueuit. Tunc anathematizat, quando maledictionis verba, & imprecationes quasdam contra excommunicatum profert, vt puta dicendo Psalm. 108. maledictionibus plenum, qui in aliquibus ecclesijs sunc legi solet. In alijs ecclesijs, quædam cæremoniæ horroris plenæ post datam excommunicationem, fieri solent. Candelæ accensæ aqua desuper infusa coram populo à sacerdote extinguantur, qui tunc hæc dicit verba, sicut hæc candela extinguitur in hac aqua, ita anima huius excommunicati pereat in inferno. Deinde in signum tristitiæ pro anima sic pereunte signum Crucis eleuatum velamine nigro tegitur. Cum hæc aut alia similia ecclesia contra excommunicatum facit, tunc illum anathematizat.

Syluestri error. Ex hoc patet misere errasse Syluestrum qui excom. 1. quæst. vlt. dicit idem prorsus esse anathema, & maiorem excommunicationem, & idem esse anathematizare, & excommunicare maiori excommunicatione: nec pro se facit cap. Engeltrudam. 3. quæst. 4. Engeltrudam noueris non solum excommunicatione, quæ à fraterna societate separat (hoc est à sacramentorum perceptione) sed etiam anathemate, quod ab ipso Christi corpore, quod est ecclesia recidit crebro percussam: quia re vera (vt ingenue loquar) ille non intellexit textum: quoniam si bene intellexisset, nouisset optime nihil prorsus illius fauere sententiæ. Nam textus ille dicit, quod anathema maiorem explicat excommunicationem, quod intelligendum est, quando iuxta illam significationem capitur iuxta quam applicatur excommunicationi. nunquam tamen textus ille dicit, quod anathema non significet aliud, quam excommunicationem, aut quod anathematizare non significet aliud, quam excommunicare. Deinde quod textus ille ait anathema significare excommunicationem maiorem, sic intelligendum est, quod maledictio, quæ anathematis voce significatur, non datur nisi maiore excommunicatione præcedente. Itaque anathema maiorem significat excommunicationem: quia cum anathema datur, datur intelligi maiorem iam præcessisse excommunicationem, postquam solam dici solet anathema idest maledictio.

Postremo obser. est. Anathema excommunicationem interdum appellari. *Anathema interdũ excommunicatio appellatur.* Tum quia cum excommunicato maiori excommunicatione nefas est conuersari, sicut nefas est contingere ea, quæ Deo sunt oblata. Tum quia excommunicatus tali excom. est separatus à Deo, Nam quoties in Conciliorum definitionibus, & Pontificum decretis dicitur, si quis hoc, aut illud dixerit aut fecerit anathema sit, hoc est maledictus, & ab ecclesiæ consortio alienus. Tum demum quia excommunicatus detestabilis, & abominabilis redditur.

His obseruatis fateor defunctos non solum hæreticos; sed etiam catholicos posse à viuentibus anathematizari, non tamen excommunicari. Nam quamuis anathematis voce Ecclesia aliquando vtatur pro excommunicatione, non tamen hoc semper facit. Vnde ad factum Cypriani dico, quod prohibuit fieri deprecationem, & oblationem, pro quodam Victore defuncto, eo quod in vita ecclesiasticum quoddam decretum transgressus fuerat; cui tamen decreto nulla excommunicatio ipso facto erat annexa, quantum ex illo colligitur; sed ipse propter commune bonum illam pœnam imposuit, vt satis indicant illa vltima verba textus. Vt decretum sacerdotum religiose, & necessario actu seruetur à nobis. Et eodem modo intelligo textum in d. cap. si quis Episcopus: non enim videtur ibi imposita excommunicatio, quæ ipso iure in vita incurratur, & nihilominus, vt saltem post mortem dicatur ei anathema, idest execrabilis, & abominabilis habeatur, & nomen eius inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur.

Concilium autem Constantiense anathematizauit Ioan. Vuiclephi defunctum, & quinta synodus plurimos hæresiarchas mortuos anathematizauit, & 6. Synodus anathematizauit alios multos hæreticos. hoc est maledixit illis, & imprecationes in illos dixit, non tamen illos excommunicauit. Neque vnquam Concilium in suis definitionibus, aut Pontifex in suis decretis vsus est verbo excommunicationis contra illos hæreticos, sed solo verbo anathematis. Intelligebant siquidem optime tam Concilia, quam summi Pontifices, se iam super illos potestatem, seu iurisdictionem non habere, & sciebant non parum esse discrimẽ inter anathema, & excommunicationem.

Ad cap. sane 24. q. 2. dico quod excommunicatio non solum pertingit ad excommunicatum, sed etiam ad alios: quoniam cum Ecclesia aliquem excommunicat, eo ipso alios obligat, ne pro illo publicas & solemnes apud Deum effundere preces, aut eleemosynas publicas dare, aut sacrificia offerre, aut denique commercium vllum cum illis habere audeant; ipsumque excommunicatum non vno tantum verbere percutit, sed multis, quorum aliqua ad corpus, aliqua ad animam pertinent: nam ecclesiæ suffragia, orationes, & alia communia bona spiritualia, quæ sibi inuicem communicant reliqua membra viua, & capiti coniuncta, nullo modo prosunt excommunicato, & hoc est flagellum, quod animæ per excommunicationem infligitur. Et circa hoc nihil prorsus potest ecclesia circa defunctum efficere: quia anima, quæ hoc flagello percuti debet, iam post separationem a corpore est omnino a iudicio ecclesiæ separata. præter hoc animæ flagellum, sunt alia, quæ ad corpus pertinent, videlicet priuatio ecclesiasticæ sepulturæ, non posse legitimam, & validam in iudicio sententiam dicere, & alia multa contra excommunicatos decreta. De his corporalibus pœnis non dubito, quin ecclesia illas possit inferre defuncto: quoniam corpus defuncti, & quæ illud contingere possunt adhuc sunt ecclesiæ potestati subiecta.

Potest

Potest igitur ecclesia propter aliquam iustam causam non solum hæreticum, sed etiam quantumlibet alium sceleratum hominem defunctum ad hunc finem excommunicare, vt corpus illius extra ecclesiam tacteur, tanquam ecclesiastica sepultura indignum. Potest etiam alium iusta causa vrgente in excommunicatione defunctum ad hunc finem absoluere, vt ecclesiastica illi concedatur sepultura, qua ob excommunicationem priuatus fuerat. Deinde quia ecclesia, vt diximus cum aliquem excommunicat, alios ligat, ne pro eo publice orare valeant, quo facto quasi indirecte etiam illum lædit; dum illum priuat suffragijs tam corporis, quam animæ, quæ illi ab alijs prouenire possunt.

Et hoc ecclesiam facere posse circa defunctum, ego nõ dubito: quia licet defunctus ille sit extra Ecclesię iudicium constitutus, tamen alij viuentes, ad quos tale dirigitur ecclesiæ mandatum, ecclesiæ potestati subduntur, sed quia ex tali mandato nocumentum quoddam infertur defuncto, ideo tunc ecclesia defunctum excommunicare dicitur, cum tamen re uera non defunctus, sed viuentes tali excommunicatione ligentur, & isto modo etiam fatendum est ecclesiam posse absoluere ab excommunicatione defunctum, qui si in illa decesserat, qua absolutione si res bene aduertatur, non tam defunctus, quam alij viuentes absoluentur: quia tamen talis absolutio in vtilitatem cedit defuncti, defunctus dicitur absolui.

Et iuxta hunc modum intelligendum censeo, secundum capitulum, quod incipit, a nobis. extra de sententia excommunicationis vbi Papa decernit ecclesiam posse soluere, & ligare defunctos.

Glossa. Innocent. Abbas.

Ad vltimum dico, quod talis mandans excommunicatus non est, vt docuerunt Glossa, Innoc. & Abbas & alij in cap. mulieres. §. illi vero: quia homo iam mortuus incapax est censuræ, vt enim incurratur censura necesse est, vt subiectum sit habile, & capax eius non solum in eo tempore, in quo dedit causam delicti, in quo censura incurritur, sed maxime in eo, in quo effectus consumatur: nam tunc censura quasi inhærere cœpit, non tamen potest inhærere nisi in subiecto apto, & ideo non potest tunc propria censura contrahi, vel imponi. loquor autem semper de propria censura, quia si ille mandator in morte nullum dedisset pœnitentiæ signum, nec retractasset mandatum, & postea ecclesiæ constaret publice de illo defuncto, posset illum priuare sepultura, & suffragijs non propter priorem censuram, sed vt publicum, & impœnitentem peccatorem. ita docet Richardus in quarto distinctione decima octaua, articulo quinto, quæstione quarta, ad vltimum.

Ricardus.

ARTICVLVS IX.

Vtrum teneatur fidelis excommunicatum vitare.

Excommunicatio quibus bonis priuat.

PRo explicatione huius articuli obseruãdum est, quod cũ excommunicatio sit censura ecclesiastica, & pœna quædam iuris, non se extendit ad priuationem omnis omnino boni, quod possit esse ecclesiæ membris commune, sed eius duntaxat, quod subest dispositioni ipsius ecclesiæ, quodnam vero illud bonum commune sit patet ex enumeratione eorum, in quibus communicant ecclesiæ membra, quæ huiusmodi sunt.

Primo communicant in gratia, & charitate.

Secundo in fructu orationum, & bonorum operum, qui ad singulos redundat hoc ipso, quod in gratia, & charitate sunt, iuxta illud Psal. 118. Particeps ego sum omnium timentium te.

Tertio in hoc quod aliqui actiue administrant sacramenta, & alij passiue eadem percipiunt.

Quarto in actibus quibusdam publicis religionis, & diuini cultus, quales sunt conuenire ad publicas preces faciendas, & audienda sacra &c.

Quinto in actibus etiam politicis, cuiusmodi sunt salutationes, sermones, & alij id genus pertinentes ad societatem vitæ communis.

Sexto in fructu ipso communium suffragiorum, & orationum, quas peculiariter ecclesia curat pro suis membris fieri.

Ex istis autem omnibus generibus communicationis mutuæ. Primum, & secundum non subest dispositioni ecclesiastici iuris, cum sit omnino internum, & a sola gratia diuina pendens, atque ita non se extendit excommunicatio ad illud, sed potius ea supponit, & declarat, iam ante per peccatum mortale hominem esse exclusum ab huiusmodi duobus generibus communicationis. Cætera vero genera omnia sub ecclesiæ dispositione sunt, vt constat.

Qui excommunicatus sit vitãdus

Secundo obseruanda est Martini Quinti constitutio ex Concilio Constantiensi, qui peculiari extrauaganti, quæ incipit, ad cuitanda (renouata in Concilio Basiliensi, & Lateranensi sub Leone Decimo, sessione vndecima,) limitauit hoc ad casum, quo quis esset excommunicatus notorie, cum vel a Iudice expresse, & nominatim denunciatur, vel certe ex euidentia facti, quod nulla tergiuersatione celari potest cognoscitur incurrisse excommunicationem a iure latam, quod tamen factum communiter Doctores restringunt, vt solum intelligatur de percussione Clerici, quæ restrictio saltem vsu iam, & consuetudine confirmata esse videtur. Itaque extra huiusmodi duos casus, non peccabitur, neque incurretur excommunicatio minor propter communionem cum excommunicato maiori excommunicatione.

Fideles quo iure teneãtur excommunicatum vitare.

His obseruatis dubitatur primo, quo iure teneatur fidelis excommunicatum vitare. Quidam opinati sunt fideles diuino iure teneri ad vitandum quemcunque excommunicatum, hoc ipso quod excommunicatus est, & hoc ipsum a fortiori docent de ipso excommunicato: nam maior est obligatio excommunicati ad vitandos alios, quam aliorum ad vitandum ipsum.

Quam sententiam fundant, primo in illis verbis Matthæi decimi octaui. Sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus, & in ipsa natura excommunicationis, quæ est præcisio quædam membri a corpore ecclesiæ, ex qua præcisione ex natura rei sequitur, vt non sit communicatio inter tale membrum, & corpus, seu alia membra corporis, sicut per analogiam ad membrum abscissum a corpore humano facile declarari potest.

Secundo fundant in hoc, quia alias Episcopi non possent sententiam excommunicationis ferre, quæ completum habeat effectum tam ex parte excommunicati, quam ex parte aliorum fidelium, ex priori quidem capite: quia excommunicatus vbique terrarum tenetur abstinere ab omni fidelium communicatione, & a sacramentorum, & aliorum diuinorum participatione, Episcopus autem particularis non potest ferre legem, quæ obliget subditos, qui extra suam diœcesim versantur; multoque minus potest ferre legem, quæ obliget non subditos, vel subditum etiam si domicilium mutet, & tamen censura semper ligat donec per absolutionem tollatur, quantumuis aliquis domicilium mutet.

Ex secundo capite etiam patet: quia excommunicatio obligat fideles omnes ad vitandum ipsum excommunicatum, præceptum autem particularis Episcopi non potest vniuersos fideles obligare, ergo si omnes fideles tenentur excommunicatum euitare, hoc non potest aliunde prouenire, quam ex diuino iure: nam excommunicatione lata ab Episcopo, vel a quouis alio iudice Summo Pontifice inferiore, statim iure diuino resultant omnes obligationes prædictæ.

Cæterum hæc sententia falsa est. Nam vel intelligit ius diuinum immediate obligare ad vitandum excommunicatum, & hoc est falsum: nam videmus ecclesiam minuere, & ampliare hanc prohibitionem, & personas aliquas ab illa eximere, quæ omnia ostendunt eam immediate manare ab ecclesiastico præcepto, vel intelligit solum mediate, & remote oriri ex diuino iure illam obligationem, & sic verum quidem asseritur, & sic nihil facit ad quæstionem propositam: quia illa radicalis, seu mediata obligatio iuris diuini supponit ecclesiasticum præceptum: nam in hoc consistit, quod ipsum ius diuinum dictat parendum esse ecclesiæ, & abstinendum esse ab ijs, a quibus ipsa præcipit abstinere.

Hunc enim sensum habent verba illa Christi. Si ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus, & hoc modo dici potest excommunicatio obligare ex natura sua: quia natura eius nihil aliud est, quam quædam moralis prohibitio, seu prohibitionum collectio, ergo illa iuris diuini obligatio remota, supponit ecclesiasticum præceptum validum, & cum iurisdictione latum.

Sententia Scoti.

Dicẽdum est ergo cum Doctore Sub. quod vitare excommunicatum non prouenit ex iure diuino, sed Ecclesiastico iure: nam Episcopus potest quidem subditum priuare suffragijs suæ ecclesiæ per excommunicationem, & prohibere subditos ne cum illo denunciato participent. At Pontifex a tempore Apostolorum (ex Apostolorum cap. 13. & 16.) adiecit iure communi (quasi naturalem proprietatem consequentem excommunicationem) quod excommunicatus priuetur omnibus suffragijs totius ecclesiæ, & vt denunciatum ab vno Episcopo teneantur omnes in toto orbe vitare, ita ut nec episcopo liceat sine causa agere cum denunciatis ab ipso, hæc est natura iure humano data huic excommunicationi. Posset vero Papa statuere ne Episcopus priuaret illum nisi suffragijs, & beneficijs suæ Diœcesis, & ne denunciatũ vitare tenerẽtur nisi subditi eiusdẽ Episcopi, quare id a Põtifice manare dicit Scotus sub littera. L. §. Respondeo in fine. Nec id negat Maior. distinctione 18. quæstione 4. Contra Ledes. Vict. & quosdam recentiores dicentes eam proprietatem consequi iure diuino excommunicationem. Et dicit Doctor, quod illa regula iuris, quod non est concessum est prohibitum, vera est de his, quæ non conueniunt regulariter nisi alicui ex aliqua concessione speciali, modo prohibere omnibus fidelibus communicari cum excommunicato denunciato, non competit Episcopis inquantum episcopi sunt, quia vniuersitas fidelium non est subdita vni particulari episcopo, atque ita si hæc potestas conuenit episcopis, hoc est per specialem concessionem, atque adeo si eis non esset specialiter concessa, prohibita diceretur, ex eius ergo auctoritate tenentur generaliter Christiani excommunicatũ vitare, cuius auctoritate incurrunt pœnam excommunicationis minoris, si non vitant, illã autem incurrunt auctoritate legislatoris, non auctoritate huius iudicis particularis nisi tantum commissiue.

Maior.

Sed pro ampliori huius litteræ intelligentia obseruandũ est, aliud esse agere de auctore excommunicationis, quo ad institutionem eius, aliud de effectione, seu impositione ipsius excommunicationis in tali persona, seu subiecto. Si loquamur priori modo, clarum est nullum episcopum sua priuata, & particulari iurisdictione potuisse tale genus instituere, quæ ita obliget, sicut nunc obligat excommunicatio, & ita intelligit hic Scotus, vnde qui in contrario sensu dicunt episcopos stando in solo iure diuino, & nulla interueniente ecclesiæ institutione, posse eodem modo excommunicare, quo nunc excommunicant, & obligant, scilicet, vt omnes fideles denunciatum vitent, sine probabilitate loquuntur, quia hoc genus pœnæ, & censuræ eo modo, quo nunc est in vsu, non est sine ecclesiæ institutione, neque ex iurisdictione episcoporum, neque ex aliquo principio iuris diuini colligi potest, quod sit talis potestas in aliquo particulari episcopo. Nam quod Christus Dominus dixit Matth. 18. Dic Ecclesiæ, et si Ecclesiam non audierit &c. quod pro se adducit Panor. in cap. cum consideres, & allegat Glossam in capitulo nulli de sentẽtia excommunicationis ad probandum, quod iure diuino excommunicatus habendus est tanquam Ethnicus, & Publicanus, atque adeo vitandus intelligendum est secundum modum ab ecclesia præscribendum, & hoc satis est ad conueniens ecclesiæ regimen, & ad contumaces corrigendos. Et declarauit exemplo: nam licet episcopus aliquis nunc vellet statutum, aut sententiam generalem ferre sub censura excommunicationis, quæ obligaret alios ad vitandum excommunicatum ante denunciationem, non posset id facere, cum tamen ante Concilium Cõstantiense id posset. Cuius ratio non est alia, nisi quia ecclesia prius statuerat talem modum censuræ, nunc autem limitauit, & ex parte mutauit institutionem, ergo signum est non esse datum episcopis iure diuino, vt possint ferre censuram prout voluerint, nec vt obligent homines nisi iuxta modum, & institutionem censuræ ab ecclesia factam. At loquendo de effectione censuræ iam ab ecclesia institutæ, sic potest episcopus talem censuram imponere, quæ obliget omnes iuxta naturam seu institutionem talis censuræ.

Panor.

Secundo dubitatur an omnis participans cum excommunicato mortaliter peccet. Dico primo quod participans in crimine pro quo lata est sententia cum excommunicato, consentiendo tali crimini, consulendo, suppetias ferendo, vel instigando ad hoc faciendum, ne dum mortaliter peccat, sed eamdem incurrit excommunicationẽm, quod peccet mortaliter patet, quia consentit in peccatum mortale, vel ad ipsum perpetrandum cooperatur, quod eamdem incurrat censuram, patet per capitu'ũ. nuper. de sententia excommunicationis, vbi dicitur. Communicans scienter nominatim excommunicato in crimine, ei consilium impendendo, auxilium, vel fauorem ratione damnati criminis delinquere videtur in eum, qui damnauit ab eo, vel superiori, merito delicti erit absoluendus, facientem, & consentientem par pœna constringit. Et in capitulo si concubinæ eiusdem tituli dicitur. Non est dubium sententia maioris excommunicationis inuolui, qui post latam sententiã communicat in eodem crimine criminosis, & potissimum si sine tali opere, & suggestione tale crimen non committeretur, aut continuaretur.

Participans cum excommunicato an mortaliter peccet.

Dico secundo communicans excommunicato maiori excom. in diuinis, vt participare in Missa, celebrare coram excommunicato, recipere simul Eucharistiam & cætera, peccat mortaliter si deliberate communicet. Patet quia participans cum excommunicato in sacramentis directe facit contra præceptum ecclesiæ: Nam participare cum illo in sacramentis est participare cum eo, prout homines sunt fideles, sed participare cum eo in alijs actibus non est, in quantum sunt fideles, sed inquantum sunt ciues, & quia prohibetur fidelibus participatio cum excommunicato, ideo qui participat, directe facit contra prohibitionem Ecclesiæ, atque adeo mortaliter peccat.

Dico tertio Participans cum excommunicato maiori excommun. in actibus ciuilibus, vt salutando, colloquendo & cætera in effrenate, id est, æqualiter sine verecundia, ac si talis non esset excommunicatus, & sicut participaret cum non excommunicato in contemptum clauium, vel iudicis, peccat mortaliter: quia omnis contemptus deliberatus clauium ecclesiæ est mortale peccatum, si etiam communicet contra præceptum superioris expressum, iuxta illud vulgare, mitius agitur cum lege, quam cum ministro legis, ff. de Arbi. Lcelius, peccat mortaliter. Si vero participat non effrenate, quia excommunicatus fortasse salutat eum, & ex verecundia alteri resalutat, vel ex timore, ne videatur alteri, quod dedignetur eum, vel irascatur ei, alloquitur eum, quãuis displiceat, regulariter dicunt omnes, quod sic participare est solum veniale.

Dico quarto, quod ex qualibet tali participatione etiam ciuili, quamuis peccet venialiter incurrit tamen censuras ecclesiæ, scilicet minorem excommunicationem, & incurrit illam a iure, nam prohibetur eis accessus ad sacramenta, sed non prohibetur participatio cum alijs fidelibus in actibus licitis, sed non potest communicare, neque recipere corpus dominicum, neque etiam secundum multos ducere vxorem, potest tamen audire Missam, quamuis oppositum dicat Paludanus participare, ergo cum excommunicato in crimine, vel in sacramentis incurritur excommunicatio maior, & est mortale, sed participare in actibus legitimis non effrenate, quamuis sit solum veniale, nihilominus incurrit censuras excommunicationis minoris, nisi in casibus permittatur.

Participans cum excommunicato minorẽ incurrit excommunicationem.

Et si dicas nemo repellendus est a communione sacramentorum nisi propter mortale, ergo si peccat solum venialiter non est separandus. Nego consequentiam; quia ille non separatur a communione sacramentorum ratione venialis, quia nullum veniale separat, sed separatur ratione alicuius, quod non est peccatum, sed solum pœna peccati, scilicet ratione excommunicationis. Nam si esset præceptum vitare excommunicatum sub pœna venialis, & non sub pœna excommunicationis, post communicationem cum illo posset recipere sacramenta, sed excommunicatio minor, quam incurrit est pœna, quæ separat a communione sacramentorum, ideo ratione pœnæ, quæ nullo modo est peccatum, licet contrahatur ab actu, qui est solum veniale, separat illum.

Ex di-

Sequitur. Episcop participans cū excommunicato ab ipso incurrit excōmunicationem.

Ex dictis sequuntur duo Corrolaria, qua ponit Panor. de sent. excom. in cap. nulli, & in cap. cum desideres. Primum Episcopus participans cum excommunicato ab ipso peccat, & incurrit censuram excommunicationis minoris participando in actibus legitimis cum eo, patet quia participare cum excommunicato, non est prohibitum solum ab Episcopo, quia cum Episcopus non subdatur iuri suo, sed sit supra suum ius, non peccaret, nec incurreret sententiam excommunicationis, sed participare cum excommunicato est prohibitum iure Canonico, cui subijcitur Episcopus, ergo contradicendo tali iuri incurrit censuram, & pœnam impositam a tali iure.

Papa participans cum excōmunicato ab ipso peccat, sed non incurrit excōmunicationem.

Secundum Corrolarium Papa participans cum excommunicato ab ipso peccat, sed non incurrit censuram excommunicationis, siue illa excommunicatio sit lata a iure, vel ab homine: quia censura excommunicationis incurrit, et solum per ius positiuum, quia non habetur de iure diuino, quod participans cum excommunicato sit excommunicatus. habetur bene ex iure diuino, quod contumax excommunicetur, & quod participans cum eo peccat, sed ex iure diuino non habetur, quod participans excommunicetur, & ideo Summus Pontifex non incurrit talem cēsuram. Quod autem peccet ex eo probat Panor. in dicto cap. consideres, quia ex iure diuino explicite positum, quando quis est excommunicatus debet haberi sicut Ethnicus & Publicanus, sed Summus Pontifex communicando cum excommunicato in actibus ciuilibus, non habet eum sicut Ethnicum & Publicanum, ergo Papa communicando cum eo contrauenit iuri diuino, cui est subiectus, & ex eo ipso quod participat cū eo non debet censeri absoluere talem excommunicatum, nisi hoc manifestauerit, ergo communicando peccat. Panor.

Couar.

secutus est Couar. in cap. Alma Mater. p. 1. §. fundamentum eius est.

Verum hæc sententia falsum habet fundamentum, vt ex superioribus constat: nam nedum priuatio communicationis ciuilis, sed etiam communicationis in sacris pendent precise ex humano iure, atque adeo per dispensationē legitimam fieri potest, vt quis sine peccato exerceat actum censura prohibitum. Sicut iam ex parte dispensatum est per extrauag. ad euitanda, vt fideles possint communicare etiā in sacris cum excommunicato non denunciato, ex quo fit, quod sicut Summus Pontifex, in quo est suprema ecclesiæ potestas, potest alijs hanc dispensationem concedere, ita potest secum dispensare, vel cum excommunicato in ordine ad ipsum Papam, atque adeo non sequitur Papam peccare communicando in sacris cum excommunicato, sed solum quando id faceret sine causa legitima.

Scotus.

Demum Scotus in fine huius quæst. inuehitur contra Prçlatos, qui imprudenter, & fatue proni sunt ad sententiam excommun. ferendam. Frequens est inquit huius gladij percussio in ecclesia, qui tamen raro ab Apostolis inuenitur extractus. In omnibus enim Epistolis D. Pauli non reperiuntur nisi duæ sententiæ latæ. prima contra illum Corinthum fornicatium, qui vxorem Patris sui vsurparat. vt habetur. 1. Corinth. 5. vbi Paulus dicit. Ego autem absens corpore, præsens autem spiritu iam iudicaui eum, qui hoc operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis in vnum, & meo spiritu cum virtute Domini Iesu tradere huiusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini.

Secunda vero sententia habetur 1. ad Thimot. 1. vbi dicitur. Quidam circa fidem naufragauerunt, ex quibus est Himeneus, & Alexander, quos tradidi Sathanæ, vt discant non blasphemare. In his enim casibus fuit causa iusta ferendi sententiam excommunicationis: quia peccatum erat enorme & publicum, & forma debita, quia processus legitimus, & intentio recta: quia intendebatur correctio delinquētis. Vnde & Corinthus ille per illam excommunicationem correctus est, vt patet. 2. Corinthio. 2. vbi Paulus monet Corinthios, vt consolentur illum, ne absorberetur profundiori tristitia. Alexander vero & Himeneus non leguntur pœnitentiam egisse: quia forte iam erant Apostatæ a fide, & in Apostasia permanserunt.

Contra pseudo Apostolos prædicantes contra fidem, de quibus dicitur ad Galat. 1. Si quis vobis euangelizauerit prę ter illud, quod accepistis anathema sit. Scotus non inuenit ibi sententiam latam, sicut in alijs locis in quibus Apostolus præcipit vitari malos, non est lata sententia excommunicationis, vt 1. Corinth. 5. Si is, qui frater nominatur inter vos est fornicator, aut auarus, aut Idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus. aut rapax, nec cum huiusmodi cibum sumere. Et Thesa. 3. Denunciamus vobis fratres in nomine Domini, vt subtrahatis vos ab omni fratre inordinate ambulante, & post pauca subdit ibidem. Si quis non obedierit verbis nostris per Epistolam hanc, hunc notate, & non commisceamini cum illo, vt confundatur. Et tamen qualiter liceat communicare cum illo, subdit, nolite quasi inimicum existimare illum, sed corripite, vt fratrem. Idem 2. Tho. 3. Erunt homines se se amantes, & post pauca, hos deuita, & ibidem capitulo quarto. Præcipit Apost. vitari Alexandrū ærarium, inquiens Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, & reddet illi Deus secundum opera eius, quem & tu deuita: valde enim restitit verbis nostris. Idem ad Titum tertio. Hæreticum hominem post vnam, & secundam correptionem deuita. Et Ioan. in 2. Canon. capitulo vnico. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eū recipere in domo, nec aue ei dixeritis, qui enim dixerit ei aue communicat eius operibus malignis.

In quibus locis solum videatur contineri monitiones, & exhortationes, seu comminationes excommunicationis ferendæ: quia tales non tradebantur Sathanæ, vt statim eos vexaret corporaliter. Dicitur enim quod in illos, quos Apostolus tradidit Sathanæ, statim habuit Diabolus potestatem ad vexandum eos. Pro his tamen sciendum est, aliam esse excommunicationem latam, aliam ferendam; ferenda est comminatoria, & non primitus ligat, vt quādo dicit Prælatus, quod fiat hoc, vel illud sub excommunicationis pœna, lata vero imponitur ipso facto, vel dicendo latæ sententiæ, vel aliud simile, de quibus & alijs circa materiam excōmunicationis, legendi sunt alij Scholastici, & Summistæ verbo excommunicatio, & maxime Sayrum, Huguinum, & Suarez de Censuris.

QVAESTIO VNICA. Dist. XVIII.

Vtrum potestas clauium tantummodo se extendat ad pœnam temporalem.



Potestas clauium est duplex.

Potestas clauium duplex est, vt ex superioribus patet, vna est sacerdotalis characteris, quæ dicitur sacramentalis, eo quod effectum habet Sacramento pœnitentiæ ligandi, & soluendi, & hæc proprie & principaliter dicitur potestas clauium. Alia vero est, quæ charactere non indiget, vt potestas iurisdictionis, quæ in non sacerdotibus existere potest, quæ non ita proprie dicitur potestas clauium, sed mediate, quia non est sacramentalis, sed extra Sacramentum per illam fit remissio peccatorum quoad pœnam, nempe per indulgentiarum largitiones, & ligatio per excommunicationem. de effectu huius secundæ potestatis non loquitur Doctor in hac quæst. sed de effectu primæ, quæ est sacramentalis. Diuiditur autem hæc quæst. in quatuor art.

Primus Art. Vtrum potestas clauium se extendat ad remissionem culpæ.
Secundus Art. Vtrum potestas clauium sit ad remittendas pœnas peccatis debitas.
Tertius Art. Vtrum pœna a claue non errante impositam teneatur pœnitens adimplere.
Quartus Art. Vtrum si clauis scientia erret, arbitrium Sacerdotis ratificetur in cœlo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum potestas clauium se extendat ad remissionem culpæ.

Magister. Altisiodor.

De hac re duplex est sententia. Nam quidam dixerunt hanc potestatem non se extendere ad culpam remittendam. Ita tenuit Magister sent. distinctione 16. & 18. Altisio-

dorensis libro quarto summæ tract. sexto, capitulo octauo. Alexander Alens. p.4. quæst.80. alias 21. m. 1. Diuus Bonauentura distinctione 18. artic.2 quæstione 1. & Gabr. distin. 14. quæstione secunda, & distinctione decima octaua, quæ. secunda. Maior distinctione 14. quæst.2. & distinct. 18. q.1. & ibi Thomas de Argent. artic.3. Ocham in 4. quæstione 9. Abulen. 1. p. defens. c.6. & Adrianus quol. 5. art.3. probabilē censet hanc opinionem, licet dubiam. Inquit autem Magister, quod potestas clauium non se extendit ad remissionem culpæ, sed Deus per se solum dimittit peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula, & a debito æternæ mortis, & si quæras a Magistro. Quid ergo faciunt sacerdotes Euangelici virtute clauium. Respondet quod Deus tribuit illis facultatem, seu potestatem ligandi, atque soluendi, id est, ostendendi pœnitentes ligatos esse, vel solutos.

Alex.
D. Bonauē.
Gabriel.
Maior.
Tho. ab Ar.
Ocham.
Abulensis.
Adrian.

Et fundamentum eius est duplex. Primum: quia remittere peccatum quoad culpam est proprium solius Dei: nam præcipua ratio culpæ consistit in iniuria Dei, & ideo ad illum solum spectat culpam remittere,

Secundum ac præcipuum est, quia hæc potestas ante actionem suam semper supponit culpam remissam, ergo non est data, neque instituta ad culpas remittendas: quia nulla potentia actiua ordinatur ad aliquem effectum, quem semper supponat iam factum, alioqui superflua esset, hæc autem est quædā actiua potentia, non est ergo propter effectū, quem semper præsupponit factum. Antecedens patet, quia hæc potestas, vt aliquid agat, supponit in subiecto interiorem pœnitentiam, & contritionem, sine qua non potest remitti peccatum, & ea posita, statim tollitur. Nam ante vsum clauium, per solam contritionem, & propositum confitendi remittitur peccatum, secundum D. August. & Cassiodorum super illud psal. Dixi confitebor, & tu &c.

D. August.
Cassiodorus

Et confirmatur primo per illud de leproso prius sanato, quam ad sacerdotem misso Lucæ 5. Et similiter de Lazaro prius suscitato, quam discipulis ad soluendum tradito Io.11. Vnde dicunt Doctores, quod solus Deus mundat, & suscitat animam per contritionem, remittendo culpam, Ecclesiæ autem committit potestatem soluendi vincula pœnarum, quæ manent, & videtur expositio Diui Augustini tracta. 22. & 49. in Ioan. & ser. 8. de verbis Domini, Cyrilli vel potius Cythotei libro septimo, in Ioan. cap 23. Grego. hom. 16. in Euangelio. Bedæ Ioan 11. & ibi D. Thomæ, & aliorum.

D. August.
Cyrillus.
Gregorius.
Beda.
D. Thomas.
D. Hieron.

Secundo confirmatur auctoritate D. Hieronymi super illud Matthæi 16. Tibi dabo claues &c. In Leuit. (inquit) se ostendere sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos, vel mundos, sed discernunt, qui mundi, vel immundi sunt, & ex hoc dicit Magister, quod olim sacerdotes legales habebant iurisdictionem in curandis leprosis, hoc nunc habet sacerdos Euangelicus, in retinendis, vel remittendis culpis. Item eadem verba, Tibi dabo claues, explicans inquit. Illum locum Episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum supercilio assumunt, vt vel damnent innocentes, vel soluere se posse noxios arbitrentur, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur.

Secunda sententia est, proprium, primarium, ac per se effectum huius potestatis esse remittere peccatum quoad culpam. ita sentiunt Diuus Thomas in quarta distinctione 18. quæstione prima, articulo 3. & distinctione 22. quæst.2. articulo primo, quæstiun. 3. In quibus locis Thomistæ omnes, Paludanus, Capreolus, & Sotus. Durandus. distinct. 14. Richardus distinctione 18. articulo secundo, quæstione prima. Adrianus. quæstione secunda, de clauibus, & Doctor noster Subtilis in hac quæstione, vbi cōtra Magistrū in hūc modum argumentatur. Si sententia Magistri esset vera, sequeretur, quod Sacramentum pœnitentiæ non esset nouæ legis Sacramentum, consequens est falsum, ergo & antecedens. probatur sequela: quia hæc est excellentia Sacramentorum nouæ legis, quod illorum susceptio sine obice peccati mortalis est dispositio sufficiens ad gratiam: conferunt enim gratiam ex opere operato non ponentibus obice, vt constat ex superioribus, per gratiam autem delentur culpæ, & dimittitur pœna æterna pro illis debita, ergo per Sacramentum pœnitentiæ confessor absoluit a peccatis, & eorum pœna æterna: Sacramentorum vero legalium susceptio nō erat dispositio efficax ad emundationem corporalis lepræ.

D. Thomas.
Paludan.
Capreolus.
Sotus.
Durandus.
Richardus.
Adrianus.
Scotus.

Præterea ex sententia Magistri sequeretur, quod Sacramentum pœnitentiæ nullam causalitatem haberet ad primā gratiam conferendam, quia nunquam digne susciperetur nisi ab illo, qui iam gratiam haberet: nullus enim digne ostēditur solutus a Deo, nisi prius ab illo sit absolutus; adimere autem Sacramento pœnitentiæ causalitatem primæ gratiæ conferendæ, videtur quam plurimum derogare potestati clauium, imo & excellentiæ ipsius Sacramenti: quia secunda post naufragium tabula nuncupatur a sanctis, ea videlicet ratione, quod qui naufragium peccati mortalis post Baptismum est passus, potest per hoc Sacramentum a tali naufragio saluus euadere.

Secundo arguit Scotus ad idem. Sacramentum pœnitentiæ est instrumentum efficax gratiæ, sed hoc instrumentum non est signum rememoratiuum, seu ostensiuum alicuius rei, vt præteritæ, vt nunc loquimur; sed futuræ, ergo collatio Sacramenti pœnitentiæ, ad hoc vt digne fiat non oportet vt signum sit absolutionis diuinæ iam præteritæ, & præstitæ pœnitenti.

Sed quia posset quis dicere, non oportere, quod sacramenta nouæ legis significent primam gratiam, sed bene efficaciter significant primam, aut augumentant primam. Vnde multi Doctores dicunt, quod in susceptione Eucharistiæ non confertur prima gratia, sed præ requisita augumentatur. Ideo argumentum Doctoris potest sic corroborari, Omne Sacramentum nouæ legis, quod est institutum, contra peccatum expellens gratiam habet virtutem operandi primam gratiam, alias frustra institueretur contrā tale peccatum, nisi data esset ei efficacia remittendi tale peccatum, sed pœnitentia est Sacramentum nouæ legis institutum contra peccatum mortale excludens gratiam, sicut Baptismus instituitur contra originale, ergo virtute sacramenti pœnitētiæ potest conferri prima gratia.

Scoti argumentum roboratur.

Resolutio ergo, & sententia Doct. est, quam etiam tenuit, & explicauimus supra distinct. 14. quæst. 4. articulo 7. quod Sacramentum pœnitentiæ potest digne recipi ab attrito, tanta attritione, quæ per se insufficiens esset ad gratiam acquirendam, atque adeo si pœnitens cum hac attritione propositum habeat cauendi a peccato de cætero, per hoc Sacramentum gratiam primam recipiet. Est enim absolutio sacramentalis signum efficax absolutionis a peccatis sequentis in vltimo instanti prolationis ipsius, sicut prolatio verborū sacramentalium in Eucharistia signum est confectionis corporis, & sanguinis Christi. Non igitur est simile de sacerdote legali respectu lepræ, & de Euangelico respectu culpæ: quia ille solum exercebat aliquid, quod erat signum rememoratiuum mundationis lepræ, nihil vero, quod esset signum prognosticum efficax respectu mundationis sequentis. Sacerdos autem Euangelicus exercet actum, qui est signum prognosticum, & ostensiuum efficax mundationis a peccatis, sequentis in vltimo instanti prolationis formæ, siue sententiæ sacramentalis. Et secundum hoc patet quomodo hoc Sacramentum est instrumentum ad primam gratiā, sicut dispositio præuia, eo modo quo alteratio potest dici instrumentum respectu generationis substantiæ, quia est dispositio præuia. & si dicas. ergo sacerdos delet maculam, & pœnam mortis æternæ, quod est proprium Deo. Inquit Doctor quod sacerdos vtrunque facit, verum ministerialiter, non quidem attingendo illum effectum, nec virtute propria, nec alterius, sed attingendo aliquid prius, quod est dispositio necessitans ad illum effectum, necessitans inquam, ex diuina pactione, & tale agens causans dispositionem necessariam ad terminum, dicitur agens instrumentale, vt est de alterante, & generante. Proprium autem est Deo principaliter mundare, & remittere illud debitum etiam attingendo illum effectum, horum autem neutrum conuenit Sacerdoti.

Ex hac littera Doct. duæ eliciuntur Conclusiones. Prima est, quod tanquam agens principale, & per propriam auctoritatem Sacerdos non remittit culpam, sed solus Deus, vt enim peccatum solum contra ipsum committitur, iuxta illud. Tibi soli peccaui, ita & ipsius est proprium peccata remittere.

Sacerdos nō remittit culpam, vt agens principale.

Secunda conclusio tanquam minister, & instrumentum Dei sacerdos dum absoluit vere peccata remittit, hæc conclusio ex his, quæ diximus in primo tom. d.1. quæstione 4. vbi Sacramenta Euangelica ostendimus conferre gratiā liquido colligitur. Nam si Sacramentum est causa gratiæ, Minister

Sacerdos vt Minister Dei peccata remittit.

dum

dū illud applicat, ministerio suo peccata remittit. hæc enim *Conc. Cōst.* fuit collectio Concilij Constan. vbi decretum est Ministrū Sacramentorum per ipsa sacramenta gratiam conferre, quæ est conclusio nostri Doctoris.

Sed te vera Euangelium tam clare illam probat quam Concilium, vbi ait Christus. Quæcunque solueritis super terra &c. & quorum remiseritis peccata remittuntur eis. &c. Nam non dixit. Quorum remiseritis remissa fuerunt, vel quæ solueritis soluta fuerunt, sed quorum remiseritis remittuntur. Et quorum solueritis erunt soluta, igitur sacerdotes habent potestatem remittendi mortalia peccata, & iustificandi peccatores, & aliquando verum est eos remittere peccata lethalia, & ipsa a Deo retineri, quia retinentur, & non remittuntur a sacerdotibus. Non enim vere & proprie remittuntur peccatoribus peccata, nisi cum primo iustificantur, & ex peccatoribus, & Deo inimicis iusti, & amici ipsius fiunt. Nam intelligere haud possum, quomodo sacerdotes habeant potestatem remittendi peccata, si nunquam possunt Deo reconciliare peccatores. Neq; assequor quomodo eis asserere valeamus potestatem remittendi peccata, si nunquam peccata retinentur a Deo: quia retinentur a sacerdote. Retinere peccata nihil aliud est, vt dicunt. Doctores, & nominatim Richardus de Sancto Victore c. 6. de potest. ligan. & soluen. quam non absoluere.

Idem probatur ex Antiquis decretis præcipientibus, vt hominibus existentibus in articulo mortis, & petentibus a sacerdote remissionem peccatorum, eam non deneget, ne illos exponat periculo æternæ damnationis; supponunt ergo a sacerdotibus remitti ipsam culpam: nam æterna damnatio solum est, propter culpam. huiusmodi autem decreta ex Iulio, & Cœlestino, Pontificibus & ex Concilio Africano, & alijs inueniuntur. 26. quæst. 6. ca. si Presbyter, vbi legitur, si presbyter morientibus pœnitentiam negauerit reus erit animarum. & capitulo sequenti, agnouimus, dicit Cœ*Cœle. Papa.* lestinus Papa de negante pœnitentiam morienti. Quid hoc est aliud, quam morienti mortem addere, eiusque animam sua crudelitate ne absoluta possit esse, occidere? Igitur ex horum canonum sententia absolutio potest vitam primæ gratiæ præstare, accedenti ad hoc Sacramentum cum attri*Conc. Trid.* tione, & proposito vitandi peccata de cætero.

Ad idem facit Concilium Tridentinum sess. 14. can. 9. vbi dicitur. Siquis dixerit absolutionem sacramentalem sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata confitenti & cætera. Anathema sit, & idem Concilium sess. 6 cap. 14. dicens satisfactionem esse necessariam ait, non quidem pro æterna pœna, quæ vel Sacramento, vel Sacramenti voto vna cum culpa remittitur. Igitur sensit Concilium culpam & pœnam æternam cum ipso Sacramento remitti, & per consequens hoc Sacramentum confert aliquando primam gratiam, vt dixit Scotus.

Sed dubium est an accedens ad confessionem cum attritione nota attritione, & cum proposito abstinendi a peccatis de cætero recipiat gratiam per absolutionem, & quidem videtur, quod non; imo quod peccat mortaliter, & probatur: quia confessio est accusatio de offenso Deo, sed in casu dubij talis accusatio est falsa, quia dicit se dolere, & non dolet propter Deum, sed propter aliud, igitur mentitur in re grauissima, & per consequens non est capax absolutionis, neque absolutio erga illum aliquid operatur, & sic tenent, quam plures Doctores, alij vero in contrarium afferunt pro se Diuum Thomam 3. parte quæst. 80. articulo 4. *D. Thomas.* ad 2. dicentem quod Baptismus, & Pœnitentia, sunt quasi medicinæ purgatiuæ, quæ dantur ad tollendam febrim peccati, Eucharistia vero est medicina confortatiua, & non debet dari nisi liberatis a peccato. Quibus verbis videtur sentire, quod sufficiat attritio nota attritio ad suscipiendum digne Sacramentum pœnitentiæ, quod est Sacramentū mortuorum per peccatum mortale, & pro ista sententia facit, *Conc. Trid.* quod Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 14. non distinxit de attritione nota, vel ignorata, sed simpliciter decreuit, quod attritio cum Sacramento disponit ad gratiam. Vnde ad argumentum propositum potest responderi, quod talis pœnitens, quando se accusat non dicit se dolere propter Deū, sed quod dolet de offenso Deo, quod quidem est verum, licet doleat ex timore inferni, potest etiam dici quod dolet propter Deum sed imperfecte, ita quod non est tantus dolor, qui contritionem attingat. Sed de hac materia late egimus supra distinctione 14. quæstione quarta, artic. 6. & 7.

Ad fundamenta oppositæ sententiæ respondetur. Quod etiam solus Deus potest pœnam temporalem remittere, si propria auctoritate, & tanquam principale agens id faciat, si autem loquamur de remissione per ministerium, sicut Deus committit homini tanquam ministro, & instrumento suo iudicium de pœnis, ita etiam de culpis, & vtranque remissionem, vt videre licet suo modo in Christo Domino, vt homo est.

Ad secundum dico falsum assumere, quia sine perfecta contritione possunt aliquando peccata tolli per hanc potestatem. Nam sicut Baptismus fluminis non habenti prius gratiam confert, & habenti auget, & frequenter in adultis præcedit Baptismus Flaminis Baptismum Fluminis, si tamen non præcederet, vt in paruulis confertur per Baptismum prima gratia. Ita frequenter in proposito adulti per attritionem tanquam per meritum de congruo iustificantur antequam confiteantur, secundum illas auctoritates Augustini, & Cassiodori, & tunc in susceptione Sacramenti augetur eis gratia, sed esto quod non habuerint sufficientem attritionem per modum meriti ad iustificationem, & per consequens in peccato existentes, & tamen aliqualiter attriti confitentur in vltimo instanti recipiunt gratiam virtute sacramenti, loquuntur ergo illæ auctoritates de iustificatis primo modo, sed non per hoc excludunt iustificationem secundo modo, vt satis patet de Baptismo secundo modo.

Auctoritates vero, quas Magister adducit pro se affirmatiue loquuntur, quod hoc facit, id est, sicut sacerdos legalis ostendebat hominem non habere lepram, ita sacerdos Euāgelicus ostendit istum non habere lepram, id est, peccatum pro vltimo instanti absolutionis, sed non hoc solum efficit Sacerdos Euangelicus, adeo quod si Magister intelligat negatiue, id est, quod sacerdos Euangelicus non plus facit, quam sacerdos legalis, falsum assumit, quia licet sacerdos noster ostendat istum non habere peccatum pro vltimo instāti absolutionis, cum hoc tamen aliquid facit, nempe Sacramentum, quod est dispositio præuia, & necessaria ad illud, quod ostenditur, nam hæc est excellentia Sacramentorum nouæ legis, quod eorum susceptio est dispositio sufficiens ad gratiam. Illorum autem legalium nec susceptio erat dispositio efficax ad mundationem corporalem lepræ, vel huiusmodi fœditatis.

Esset autem simile inter sacerdotem legalem, & nostrū, si sacerdos leuiticus in mundando istum leprosum, sua mundatio, vel aspersio aquæ fuisset dispositio necessitans ad effectum mundationis, sicut nunc nostra sacramenta sunt dispositiones ad effectum consequendum, esset etiam simile, (vt inquit Scotus) si loqueremur de sacerdote legali purificante aliquem per aquas aspersionis ab aliqua irregularitate contracta in lege ex contractu lepræ, vel huiusmodi, tūc enim sacerdos ille exerceret quemdam actum, qui esset signum efficax reconciliationis huius irregularitatis, & mundationis illius polluti, in cuius mundationis actu, vel termino sequeretur effectus signatus scilicet, quod iste esset dignus communicare cum cæteris synagogæ.

Ad primam confirmationem dico, quod Patres in testimonijs citatis intendunt Deum esse, qui sua virtute animam viuificat, vti autem hominibus vt ministris. Præterquam quod intendunt sancti docere. Deum prius sua gratia excitare interius hominem ad pœnitentiam, & vitam spiritualem comparandam, vt postea possit a sacerdotibus absolui, non tamen dicunt semper necessarium esse, vt propter illam excitationem præcedat semper vera contritio, vel iustificatio. Vel dicas quod Patres citati dicunt solius Dei esse dimittere peccata: quia ipse solus ex se, & principaliter delet peccata, & ideo Augustinus sacerdotibus non tribuit potestatem, sed ministerium. Diuus autem Gregorius cum dixit Sacerdotes auferre pœnam, pie explicandus est, quod virtutem clauium explicauerit per effectum nobis notiorem, non vero alium excluserit. Et Diuus Ambrosius dum dicit verbum dimittere peccata, Sacerdotem vero esse iudicem, intelligit, quod Deus sacerdotibus solum dedit potestatem peccata dimittendi per sacramenta.

Ad auctoritatem D. Hieronymi Matthæi 16. vbi æquiparate videtur legales, & Euangelicos sacerdotes. Dico quod sensus Hieronym. non est negare simpliciter hanc potestatem, sed docere, non esse positum in arbitrio sacerdotis tollere, aut retinere peccata quando, vel quomodo volue

giquasi possit vel damnare innoxium, vel absoluere prauũ, & indispositum, quem abusum ibi grauiter reprehendit, Et quoad hoc comparat sacerdotem Euangelicum cum legali, quod sicut ille non poterat suo arbitrio discernere inter lepram, & lepram, sed iuxta merita causæ. ita nec sacerdos Euangelicus iudicare debet, aut potest de peccatis iuxta suum beneplacitum; sed iuxta personarum dispositionem, quoad potestatem vero non facit eos æquales: nam de sacerdote legali solum dixit potuisse discernere, quis esset mundus, vel immundus, de Euangelico vero ait, audita peccatorum causâ posse ligare, & soluere, comparat igitur illos secundum quandã proportionem, non secundum æqualitatem, vt recte notarunt Richardus. artic. 3. & Castro contra hæreses verbo absolutio hæresi. 1. Et satis confirmari potest ex verbis ipsiusmet D. Hieronymi, eo loci, vbi paulo post subdit Sacerdotem, vel Episcopum pro officio suo peccatorum audire varietates, vt sciat qui ligandus sit, quiue soluendus, & in epist. 159. quæst. 9. vbi Accepisse Apostolos Io. 20. potestatem remittendi peccata, & faciendi filios Dei adoptiuos. Lege Vegam libro 13. in Concilium Tridentinum capitulo 34.

Richard. Castro.

Vega.

ARTICVLVS II.

Vtrum potestas clauium sit ad remittendas penas peccatis debitas.

Hug. Vict. Ric. de San Vict.

CIrca hanc difficultatem. Hugo Victorinus in summa sent. tract. 5. cap. 11. & libro secundo, de Sacramentis. p. 14. cap. 8. Richardus de sancto Victo. libro de potestate ligandi, & soluendi, capit. 12. dicunt effectum huius potestatis esse ad remittendas penas temporales, atque æternas, sed non culpam. Et idem fere tenet Medina Cod. de pænit. trac. 2. quæst. de effectu absolutionis; nam licet dicat per contritionem supponi remissam penam æternam, addit tamen adhuc esse clausum regnum cęlorum, donec per hanc potestatem aperiatur, & subdit. Si ex negligentia peccatoris hoc omittatur perpetuo excludi a regno, non tantum per negligentiam illam, sed etiam propter peccata prius remissa per contritionem, vnde sentit penam sensus æternam simpliciter tolli, cum remittitur culpa per contritionem, penam vero damni non nisi in ordine ad hoc Sacramentum. Fundamentum autem huius sententiæ est; quia hæc potestas ad remittenda peccata, vt sit clauis regni cęlorum oportet, vt cęlum ipsum aperiat, ergo est potestas ad tollendum peccatum, quatenus impedit ingressum regni cęlorum. impedit autem per æternam penam damni, ergo est potestas ad tollendam illam. Addit Medina, hoc modo sufficienter intelligi verba Christi. Quorum remiseritis peccata &c. nam sæpe pena peccati peccatum appellari solet, quod maxime verum erit de pena æterna, & damni. Sic etiam optime quadrat metaphora clauis regni cęlorum, dicendo, que salua manet necessitas, & efficacitas, tam confessionis, quam contritionis, & ita facile omnia conciliantur. Quia vero Hugo, & Richard. de vtraque pena æterna damni, & sensus loqui videntur, fortasse eos mouit, quod hæ penæ cum proportione sumptæ nunquam separantur, & ideo si æterna pena damni non remittitur, nec pena sensus absolute remittitur.

Medina.

Cæterum hæc sententia stare non potest; quia pœna æterna nunquam remittitur per se primo ipsa sola, sed simul cum culpa tanquam necessario cum illa coniuncta, & ab illa pendens quantum ad æternitatem, quod manifeste docuit Concilium Tridentinum sess. 6. capitulo 14. & ideo secundum fidem simul cum culpa remittitur æterna pena. Dicere autem per contritionem culpam absolute remitti, penam autem æternam solum sub conditione hac, nisi Sacramentum neglexerit, alienum est a modo loquendi scripturæ, & sanctorum, & nouum, ac sine fundamento. præsertim cum Concilium Tridentinum sess. 14. capitulo 4. doceat etiam ipsam culpam non remitti nunc in lege noua per contritionem, nisi in ordine ad claues, & cum voto sacramenti, ergo etiam remissio culpæ includit aliquo modo cõditionem, non tamen dependentem ex futuro euentu, sed ex præsenti proposito. Quapropter sicut si postea ex negligentia culpabili non impleat quis conditionem subijciendo illa peccata huic potestati, peccat quidem, & amittit gratiam, priora autem peccata non redeunt, ita, etiam in eodem casu punitur pena æterna propter nouum peccatum, non tamen propter præcedentia, prius remissa: quia non magis remissio æternæ penæ facta est cum dependentia a futuro effectu, quam remissio culpæ, nec per contritionem ante Sacramentum minus remittitur pena æterna, quam in lege veteri remitteretur; derogat enim hoc contritioni, & perfectioni legis gratiæ, estque sine fundamento confictum.

Conc. Trid.

Duplex ita quod, est huius potestatis actus, nempe remissio, & ablatio culpæ simul cum æterna pena, atque etiam temporalis penæ relaxatio. Duobus autem modis dici potest temporalis pena tolli, vel retineri per hanc potestatem scilicet, & per ipsum actum absolutionis, seu remissionis peccatorum, & per impositionem alicuius satisfactionis, prior modus patet ex dictis supra distin. 15. vbi diximus cum mortali culpa semper tolli æternam penam, non tamen semper omnẽ penam temporalem, sed commutari æternam in aliquam temporalem maiorem, vel minorem iuxta dispositionem penitentis. Vnde quatenus hæc potestas remittendo peccata non remittit totam pœnam temporalem, sed in illam commutat æternam, dici potest ligare, seu retinere peccatum quoad aliquam penam, etiam dum remittit culpam, quæ retentio indirecta est: quia non ita ligat ad penam, vt faciat hominem illa dignum, sed tantum non ita absolute remittit æternam penam, quin loco illius statim succedat aliqua temporalis, & reatus eius ex vi culpæ: quia licet remittatur, non tamen cum perfecta dispositione, vel satisfactione. Quatenus vero ex efficacitate sua semper commutat æternam penam in minorem temporalem, quam sine illa efficacia commutaretur cæteris paribus, ideo per ipsummet actum remittendi culpam dici potest exercere actum remittendi aliquid temporalis penæ, & hæc remissio directe, & per se fit ex efficacia huius potestatis.

Pena temporalis [illegible] potest [illegible] per [illegible] tam.

Alius vero modus remittendi, vel retinendi penam temporalem per hanc potestatem est satisfactionem aliquam imponendo. Quatenus ergo sacerdos peccatorem obligat ad hanc satisfactionem dicitur retinere, seu ligare, & hoc modo positiue, & directe ligat, non quidem ad penam in communi, huius enim per se ipse est debitor, sed hanc penam determinatam, per quam vult talem reatum expiari. Quia vero satisfactio sic imposita efficacior est ad tollendam penam virtute clauium, quam per se esset, ideo sacerdos hoc modo ligando simul soluit, quia efficaciam præbet ad ampliorem, & faciliorem solutionem.

Dicendum est ergo, quod potestas clauium extendit se ad remittendam aliquam penam temporalem, ita quod virtute clauium remittitur aliqua pars penæ debitæ pro peccatis, hanc conclusionem docuit Magister in hac distinct. & sequuntur illum communiter omnes Scholastici. Alexan. p. 4. quæst. 80. m. 2. articulo primo. Diuus Bonauentura hac. d. artic. secundo, quæst. 2. Richard. eadem distinct. art. 2. quæ. 2. & Scotus in hac quæst. Vnde dicit Magister, quod sacerdos Euangelicus soluit, & ligat, quia ligat ad penam temporalem, quam imponit confitenti, soluit autem cum a pena debita aliquid dimittit, vel per eam peccatorem ad sacramentorum communionem admittit.

Magister. Al. de Ale. D. Bonau. Richard. Scotus.

Quidam vero dicunt, quod si confessor non imponat tantam penitentiam confitenti, quanta secundum iustitiam, diuinam peccatis illius respondet, talis impositio non ratificatur in cœlis. Sit casus, verbi gratia, quod pœnitens pro suis peccatis tenetur secundum rigorem ad penitentiam decem dierum, confessor virtute clauium potest illi remittere penitentiam duorum, vel trium dierum, postea penitens manet obligatus ad solutionem septem dierum, vel octo illius penitentiæ, de quibus diebus si confessor aliquid remittat, non ratificatur in cęlo talis remissio, quia tũc clauis potestatis errat in ligando, & soluendo: facit enim magis solutum penitentem a pena temporali, quam ipse est solutus secundum iudicium diuinum, & consequenter nisi talis penitens illos septem, vel octo dies penitentię soluat, quod nõ soluerit in hac vita, de illis post illam soluet in purgatorio. Ita quod secundum illam sententiam, vt ratum sit in cœlo arbitrium confessoris in taxanda pœnitentia pœnitenti, debet æquari, atque pertingere ad illud indiuisibile penæ, quo peccatorem talem esse dignum iudicat arbitrium diuinum.

Sed contra hanc sententiam sic arguit Scotus. Nulli cõmittitur potestas arbitrandi in causa aliqua, cuius arbitrium nõ potest esse ratum, nisi per speciale miraculum, vel a casu sed

per quancunque diligentiam confessor non potest pertingere ad illud indiuisibile pœnæ, quo dignum esse peccatorem iudicat Deus: ergo si confessor illud attingat, hoc erit a casu, vel per speciale miraculum, ergo non habet potestatem arbitrandi in causa peccatoris. Si quidem eius arbitrium nõ erit ratum nisi illud indiuisibile pœnæ attingat.

Et confirmatur, quia non est verisimile, quod Deus Ecclesiæ potestatem contulerit arbitrandi in causa peccatoris, ita vt ecclesiæ arbitrium ratum esset apud Deum, & tamen cũ hoc sit impossibile ecclesiam recte arbitrari nisi a casu, vel per speciale miraculum.

Præterea secundo. Quia nemo constituitur iudex arbiter, ita vt semper teneatur iudicare ad vnius partis arbitrium, partes vero in iudicio pœnitentiæ sunt Deus, & Peccator, inter quos sacerdos est arbiter, igitur arbitrium sacerdotis non debet semper attingere ad indiuisibile pœnæ secundum arbitrium diuinum; maxime cum non possit sacerdoti constare de lege tale arbitrium diuinum.

Item si sacerdos imponat pœnitentiam aliquantulum maiorem, quam respondeat peccatis non est probabile, quin pœnitens teneatur eam implere, ergo si aliquantulum minus pœna condigna illa videtur sufficere; nam si non sufficeret aliqua citra illam punctualem, quam dictat diuina iustitia, ergo non oporteret explere aliquam aliam vltra illud punctuale diuinæ iustitiæ.

Sententia Scoti. Sententia ergo Scoti est, quod sicut in alijs commutationibus medium iustitiæ commutatiuæ habet aliquam latitudinem, ita quod non consistit in indiuisibili, vt dictum est supra dist. 15. q. 2. ita medium iustitiæ punitiuæ, quæ est commutatiua pœnæ pro culpa, non consistit in indiuisibili pœnæ correspondentis culpæ, sed tale medium seu iustum habet aliquam latitudinem infra quam minor pœna non sufficit, & vltra quam pœna maior non est imponenda. Vnde si inter illam latitudinem confessor pœnitentiam imponat in gradu illius supremo pœnitens tenetur illam implere: si vero in gradu infimo illius latitudinis pœnitentiam imponat, talem impositionem pœnitentiæ Deus ratam habebit, quia intra illam latitudinem clauis non errat, & ideo illud arbitrium Sacerdotis ratum erit in cęlo; si tamen extra totã illam latitudinem vltra, vel citra sacerdos pœnitentiam imponat eius clauis errat in ligando, & tunc non immerito pęnitentia, quæ soluitur in terris, non soluitur in cęlis, non ratificatur, quod sic est intelligendum, vt non ratificetur in cęlo tanquam pœnitentia sufficiens pro satisfactione culparũ, ratificabitur tamen vt sufficiens pro satisfactione alicuius pęnæ debitæ pro illis peccatis.

Dicit etiam Doctor, quod medium prædictę latitudinis potest Sacerdoti esse notum per legem Dei cum adiutorio rationis naturalis, & quidem ex lege diuina, iuxta mensuram delicti debet esse plagarũ modus, vt habetur Deuter. *D. August.* 25. Attendenda proinde erunt verba D. Augustini a Magistro relata in littera huius dist. cap. 1. vbi ait. Consideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione. Demum sacerdos prætendat, quod pœnitens reddat Deo actum, vel actus ex tanto arbitrio contra tu in satisfactionem, quantus fuit conatus in peccato, & tam acceptus Deo, quantum peccatum fuit displicens, est etiam pensandum, quod absolutio remittit partem pœnæ debitæ pro peccatis.

Sed contra determinationem huius quæst. arguit Scotus primo argumento principali in hunc modum, si potestas clauium extenderet se ad pœnam temporalem remittendam, hoc esset vel virtute clauium remittendo aliquam partem pœnæ pro peccatis debitæ, vel per impositionem pœnitentiæ in satisfactionem pœnæ debitæ pro peccatis, sed nullo modo assignato extenditur clauis ad remissionem pœnæ tẽporalis, ergo conclusio non est vera, consequentia est nota cum maiori, & minor probatur quo ad primam partẽ. quia tunc per frequentes absolutiones posset tota pœna debita peccatis remitti, atque ita apud quemlibet sacerdotem esset potestas absoluendi a culpa & pœna per frequentes absolutiones, quod est inconueniens. Quo ad secundam etiam partem probatur: quia tunc pœnitens teneretur adimplere quãlibet pœnitentiam sibi iniunctam a sacerdote, quod tamen est falsum, vt patebit in sequenti articulo. Nam si quis indiscrete imponat immoderatam pœnam, de qua pœnitens potest scire, quod est improportionata culpæ, quod vtique potest scire ex scriptura, quæ continet correspondentiam pęnarum ad culpas, non tenetur illam implere, quia non tenetur obedire inferiori contra voluntatem superioris, neç etiã præter: quia non obedit inferiori nisi propter voluntatem superioris: nõ est autem voluntas superioris, scilicet Dei, quod tanta pœna infligatur pro tali culpa.

An secunda absolutio eorundem peccatorum partem aliquã temporalis pœnæ remittat. Ad hoc argumentum concedit Scotus quod potestas clauium extendit se ad remissionem alicuius pœnæ temporalis debitæ pro peccatis, & etiam ad remissionem residuæ pœnæ per impositionem pęnitentiæ condignæ, quam pœnitens voluntarie acceptans sub pœna peccati mortalis adimplere tenetur. Et quando dicitur contra primum, quod tunc sacerdos posset totam pęnam remittere per plures absolutiones, dicit Doctor quod hoc argumentum tangit bonam difficultatem, an videlicet iterata confessio eorundem peccatorum vi clauium remittat qualibet vice aliquam partem pęnæ debitæ pro illis peccatis. Respondet Scotus esse probabilẽ partem affirmantem: quia absolutio secunda est eiusdem rationis cum prima, ergo potest eandem virtutem habere respectu alicuius partis pœnę remittendæ, & per consequens per plures absolutiones poterit tota pœna remitti: quia omne finitum per ablationem partium finitarum totaliter consumitur. Quid ergo melius, quam semper confiteri, quousque post centesimam, vel millesimam confessionem esset tota pęna debita remissa, quibuscunque peccatis commissis?

Dicit tamen Doctor videri sibi probabilius, quod secunda absolutio virtute clauium nullam partem pœnæ debitæ pro eisdem peccatis secundo confessis remittat. & ratio est, quia iudicium pœnitentiale semel factum absque errore Deus habet ratum in cœlis, vnde & irreuocabile est, ergo rationabile est, quod sic ratificetur, quod amplius non sit iterabile; non sic intelligendo, quod sit illicitum, vel impossibile tale iudicium iterari, sed quod etiam si iteretur non habebit suum effectum remissionis pœnæ debitæ pro peccatis iterato confessis: Hoc enim videmus in sententiis definitiuis fori litigiosi, quibus absoluuntur accusati, quando reperiuntur innocentes; nec enim postea iteratur inquisitio, vt fiat processus in eadem causa, sed neque si iteraretur processus, & iudicium absolueretur accusatus per secundam sententiã, sed per primam: nam semel solutus, amplius non absoluitur: quia nemo absoluitur nisi ligatus. Et sententia iuste lata non est amplius ferenda de eadem materia; sed absolutio sacramentalis est quædam sententia de peccatis commissis, & confessis, ergo si iuste lata est, non est amplius reiteranda. Vnde quamuis sacramenta, quæ non imprimunt characterem possint pluries reiterari, tamen hoc non est super eãdem materiam, vt Petrus potest pluries vxorari, sed non cũ eadẽ muliere; similiter peccator pt pluries absolui, sed nõ de eisdẽ peccatis, atq; adeo si Petrus secundo confiteatur eadẽ peccata secunda absolutio nihil remittit de pœna. Vnde non sunt audiendi qui dicunt, quod virtute clauiũ potest sacerdos quilibet partem pœnæ temporalis remittere in prima absolutione & in secunda aliam partem, & in tertia aliam & sic in infinitum, tamen nunquam totam pœnam potest remittere; quia remittitur talis pœna non secundum partes quantitatis, sed secundum partes proportionales: Nam fugere ad huiusmodi partes nihil est; quia non est ratio, quare secunda absolutio non potest auferre partem eiusdem quantitatis si quam posset. Hanc 2. sent. tenet Alex. de Ales. p. 4. q. 80 m. 2. art. 1. ad quintum, & sequitur Almainus de potestate ecclesie. c. 4. estque de mente expressa S. Bonau. hac d. art. 2. qu. 2. *Al. de Ales. Almainus. D. Bonau.* Qui tamen fatentur vtile esse pluries eadem peccata confiteri, quia in secunda confessione talis exercet actum studiosũ. scilicet actum humilitatis se sacerdoti humiliando, & accusando, & ratione huius actus studiosi eius gratia præexistẽs augmentatur. opinio tamen prima est communior. videlicet quod super eadem peccata pluries confessa absolutio secunda operatur remissionem pœnę & augmentum gratiæ sic prima. Vnde si prima sententia teneatur ad argumentũ Doctoris respondeti potest, quod primum iudicium nõ sic ratificatur, quod sequentes absolutiones non valeant, quantum ad augmentum gratiæ, & diminutionem pœnæ, sed quia ipsum valet, & infunditur gratia, vel augetur per ipsũ, & commutatur pœna æterna in temporalem, vel remittitur temporalis aut minuitur, si inueniatur soluenda in pœnitente, verum est tamen, quod quantum ad remissionem culpę non valet absolutio nisi semel.

Ad secundam partem argumenti respondet Doctor, quod pœ-

pœnam inflictam a sacerdote, quæ non excedit totam illā latitudinem iustitiæ tenetur confitens soluere, & sufficit. Et si quæras vnde sciet iste confitens si excedat latitudinem an non? Respondet Scotus quod id cognoscet, vel a lege diuina si peritus est in ea per se, vel si non potest requirere ab alio confessore, de cuius prudentia magis confidit, vel si noluit se submittere confessori alij, nec per industriam suam sufficit ad hoc, quod iudicet de pœna hac, si sit condigna culpæ an non, seruet pęnam sibi impositam, maxime si sibi videtur excedere pœnam condignam. Si autem videatur sibi deficere, tutius est adire alium confessorem prudentem, quam exponere se purgatorio.

ARTICVLVS III.

Vtrum pęnam a claue non errante impositam teneatur pęnitens adimplere.

Alex. de Al. D. Thomas. Ricardus. Paludanus. Maior. Sotus. DE hac re duplex est sententia. Prima est Alex. de Ales. p.4.q.80.m.4.art.5. D. Tho. dist.18.q.1.art.3. quęstiunc. 3. Ricar. q.5.art.2. Palud. dist.20.q.2 in fine. Maioris d.17.q. 2. Soti d.20.q.2. art.2. & aliorum. Qui tenent confessorem obligare posse pœnitentem, vt satisfactionem impositam acceptet, & impleat. ita vt si pœnitens pęnitentiam non adimpleat peccat mortaliter.

Quam sententiam sic probant. primo per cap. animaduerte. § ponat se. vbi dicitur ponat se omnino in potestate iudicis, & iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubēte paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæcunque faceret pro euitanda corporis morte, & c. de pęnit. dist.5. Secundo probatur per illud. Si quis principi non obedierit morte moriatur. c. 2. de maior. & obed. & 1. Reg. 15. Deut. 17. 11. q.7. cap. absit. iuncto cap. per venerabilem, qui tuij sunt legitimi. per quæ cōcluditur peccatum mortale peccare, qui superiori non paret, sed cōfessarius superior. & præ-

Glossa. fectus confitentis est, etiam si confitens fuerit Papa Glos. in c. fanc. 2. de officio de leg. quæ similem habet in c. nemo q.3.

Tertio probatur, quia iudici parendum est, nisi ab eo iuste appelletur. cap. vt debitus honor, cum similibus de appellat. atque adeo sicut in foro exteriori si iudex habens iurisdictionem imponat reo aliquam pęnam non excedentem crimen, tenetur reus pęnam illam sufferre, etiam in foro conscientiæ. Ergo cum Sacerdos in foro conscientiæ sit constitutus iudex a Christo, & nullus constituitur iudex, quin habeat potestatem coerciuam, potest illum coercere ad aliquā pœnam.

Suarez. Quarto sacerdos tenetur satisfactionem imponere, ergo alter tenetur acceptare. Antecedens probat Suarez tom.4. disp.38. sect.3. & consequentiam sect 7. tum quia cum vterque concurrat ad sacramentum, vterque tenetur integritatē eius seruare, & sacerdos iniungendo satisfactionem, & pęnitens eam acceptando, & adimplendo. Tum etiam quia alias valde inefficax esset potestas sacerdotis vindicatiua.

Quinto arguitur per cap. omnis vtriusque sexus. de pęnit. & remis. vbi habetur pęnitentiam a confessario iniunctā

Conc. Flor. a pęnitente acceptari debere. Et Concil. Florent. agens de sacramento pęnitentiæ, habet confessarium pęnitentiam arbitrari debere, & quod omnes catholici confitentur, sicut potestatem habent ad absoluendum, ita ad obligandum habere, atque adeo sicut potest absoluere, quo ad culpam, ita ligare quo ad pęnam: quia Euangelium non minus loquitur de pęna, quam de culpa Ioan. num. 20. vt legeris. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, ita etiam audis. Quorum re-

Conc. Trid. tinueritis retenta sunt. Et Concil. Trident. sess.14.c.8. & can. 15. declarauit hæreticum illum, qui dixerit non esse datam

Conc. Lat. sacerdotibus potestatem ligandi, sicut soluendi. Et Concil. Lateranen. sub Leone X. sess. 9. §. ad abolendam præcipit Confessariis, ne blasphemos Dei, & suæ Matris absque magna pęnitentia ad arbitrium seueri confessarii absoluant.

Scotus. Opposita sententia est Doct. nostri Sub. dicētis, quod pęnitentiam impositam a claue non errāte, tenetur pęnitēs adimplere si pęnitentiam acceptet, non tamen peccabit mortaliter, si nullam velit pęnitentiam acceptare a confessore impositam, dum tamen velit puniri pęna condigna peccatis suis per Dei manum imposita in hac vita, vel in Purgatorio, vt docuit Scotus. supra, d.15.q.1. lit. N. §. vel si omnino, & d.17. sub lit. O §. Intelligo non quod oporteat. & in hac. q. sub lit. D. § sed non quid pęnam. Quem sequuntur Gabr. dist.18.q.1.art.3.dub.1. Medina tract.2.q.45. Caiet. tomo 1. opusc. tract.6.q.2. ad 2. vbi non solum negat teneri ad acceptandum, sed etiamsi acceperit teneri ad implēdum. Syluest. verbo confessio. q.25. Armilla verbo Confessio. §. 29. Host. & Panorm. in cap. significauit de pęnit. & remis. & Nau. in Manu. c.26. num.20 & in c. consideret. §. ponat. per totū. *Gabriel. Medina. Caietanus. Syluester. Hostiensis. Panormit. Nauar.*

Ita quod secundum hanc sent. tenendum est. Confessus peccata sua optime quidem facturum si pęnitentiam discrete illi taxatam acceptauerit, & acceptatam peregerit, non autem ad id vllo præcepto obligari, sed satis esse, quod ea sit mente, quod velit in hoc sæculo, vel in Purgatorio de eis satisfacere, saltem ad hoc vt possit iuste a sacerdote absolui, si voluerit eum absoluere, si tamen noluerit eum absoluere, nisi totam, quam iste illi imponit, pœnitentiam acceptet, iuste poterit ei negare absolutionem, adeo quod si nolit eum absoluere non peccat; & pœnitens quod iuste poterit alium adire confessorem, cui confiteatur ex integro, quem minorem ei pęnitentiam impositurum ire credat.

Sententia nostri Doct. in hunc modum probatur: quia pęnitentiam potest pęnitens soluere in Purgatorio, cumque duo sint remedia ad satisfaciendum, vel in hac vita per pęnitentiam impositam, vel in Purgatorio, potest renunciare alteri remedio, & alteri se reseruare.

Præterea hæc materia subordinatur materiæ de iudiciis, & sententiis, sed in illis appellatur ab inferiori ad superiorē, ergo & in proposito similiter licebit, neque sacerdos iuste denegabit talem appellationem, siquidem pęnitens præsentare se vult carceri curiæ diuinæ.

Item sacerdos frequenter propter bonitatem confitentis ad suscipiendam pęnitentiam non magnam imponit, sed aliquam modicam prædicendo illi esse necessarium, quod residuum pęnæ pro peccatis debitæ soluatur in Purgatorio; sed pęnitentia illa modica imposita a sacerdote tali pęnitenti est manifeste improportionata culpis illius, nec tamē propter hoc desinit talis pęnitens verum sacramentum pęnitentiæ recipere, ergo similiter videtur, quod sacerdos poterit nullam omnino pęnitentiam imponere illi, si pęnitens illam acceptare nolit, prædicendo illi, quod totam pęnam pro peccatis debitam necessario soluet in hac vita, vel in Purgatorio.

Præterea fieri potest vt a confessario pęnitentia imprudēter imponatur confitenti, puta si melancholico, & ad desperationem prono, imponantur ea, quæ augumentant melancholiam, & tristitiam, quale dicitur esse panis & aquæ tantum ieiunium, qualis & vitatio honestarum recreationum cum honestis personis.

Deinde cap. significauit. de pęnit. & remis. habet, quod propter austeras pęnitentias non esse pęnitentes a seruitio ecclesiæ retardandos. Deinde in Vrbe, & in Orbe vt inquit Nauar. iam receptum est, ne cuiquam denegetur absolutio eo solo, quod nolit acceptare pęnitentiam sibi iniunctā, modo habeat propositum verum plane satisfaciendi Deo viuēs per bona opera, & indulgentias, vel mortuus in purgatorio. Facit etiam ad hoc consuetudo tam confitentium, quam confessariorum, neque imponentium, neque acceptantium pęnitentias peccatis condignas. Facit quod pęnitentia iniuncta a sacerdote si non est tanta, quantam peccata confitentis exigunt, non erit ob eam peractam absolutus a tota pęna. Secū-

dum D. Thom. & alios in 4. dist. 20. sicut ergo pęnitentia iniuncta, & acceptata, & peracta non liberat penitus a purgatorio, ita videtur æquum, ne quis cogatur illam iniunctam suscipere. *D. Thom.*

Nec videtur si non suscipiat, esse in peccato mortali, cum conteratur de peccato, & velit puniri pęna condigna pro eo, & ab eo, cuius est eam iuste infligere, nisi velit eam sibi infligi a sacerdote, nec ipsemet velit eam recipere, vt sit minister ipsius infligendæ. Nec potest dici inobediens ecclesiæ, quia potest se submittere ecclesiæ arbitrio, quantum ad iudicium illud pęnitentiale, ad quod tenetur necessario se submittere, scilicet iudicio discernendi eum fore peccatorē mortali peccato, aut a tali absolutum, licet nolit se submittere illi sequenti iudicio taxationis pęnæ temporalis, in quam commutata est æterna, quod ex eo patet, quia hoc secundū iudicium non necessario includitur in primo; quia sacerdotes primo iudicio existente quantumcunque vniformiter, valde variant sequens iudicium, vnde & frequenter propter voluntatem confitentis ad subeundum pęnam non magnam, quia forte sciens suam fragilitatem pęnam condignā non vult assumere, quia timet eam se non impleturum, sa-

cerdos

cerdos iniungit aliquam modicam pœnam, pœnæ condignæ non proportionalem extra illam latitudinem de qua dictũ est, prædicendo sibi, quod residuum soluet in purgatorio, & soluendo illam paruam pœnam culpæ dimissæ improportionatam, pōt saluari, nec mortaliter peccat, nec propter hoc nō recipit talis sacramentum pœnitentiæ, non acceptando pœnam condignam a sacerdote primo iniunctam: nec repugnat diuinæ iustitiæ, dum vult residuum condignæ pœnæ soluere in purgatorio, & sic saluari quasi per ignē, vt Apost. loquitur. Ergo potest omnino nullam pœnam temporalem hic soluendam acceptare, & totam in purgatorio soluendã differre: quoniam si hoc potest de maiori parte pœnæ, quare non de tota pœna? Non enim (si talis occurrat sacerdoti dicit Scotus) expedit talem sine absolutione repellere, ne recedat desperatus: Melius enim est cum modica, & leui pœna, aut nulla mittere ad purgatorium, quam desperatum relinquendo mittere ad infernum. Et D. August. hoc innuit, quod si vix tali inclinabili imponatur pœnitentia aliqua displicens timendum est, ne inde accipiat occasionem recidiuandi in peccatum mortale; quia proijciendi illam pœnitētiam, in quo peccabit mortaliter, postquam voluit se submittere sacerdoti in eius susceptione. Nam se submittens iudicio sacerdotis obligatur præcepto ecclesiæ, cui voluntatie se submittit, atque adeo assumens satisfactionem a sacerdote iniunctam, & post sine legitima excusatione, & impedimēto eam proijciens peccat mortaliter: quia peccat contra obedientiam, ad quam se sponte obligauit.

D. August.

Hæc autem quod dictum est, de satisfactoria pœnitentia intelligendum est, quia restitutoria, vel ad excundum a peccato necessaria, qualis est alieni restitutio, odij mortalis depositio, & dimissio concubinæ & officij, quod sine peccato exerceri nequit, & conuersationis, qua se credit in mortale peccatum lapsurum necessario imponenda est: quã si nolit acceptare, nullatenus est absoluendus, vt docet Nauar. in Manu. cap. 25. nu. 20. & in cap. satisfictio. de pœnit. d. 3. & in d. §. ponat se, & latius in Manu. c. 3. num. 5. & capit. 14. num. 51.

Pœnitentia duplex.

Nauar.

Ad argumenta oppositæ sent. respondetur, & ad primum dico multa D. August. in illo cap. consideret consulendo agere, non præcipiendo, etiam quãdo pœnitentia prudenter imponitur, quippe imprudenter imposita etiam de consilio non est suscipienda ad sensum proxime dictum. Secundo respondēri potest intelligendum esse de his, ad quæ confessus tenetur, secluso confessoris præcepto, qualis est restitutio, q̃ cessatio quædam a peccato est, qualis est euitatio conuersationis illarum personarum, quæ dant ei proximam delinquendi occasionem, secundum Richar. d. 18 art. 5. Tertio respondēri potest exponēdo illa verba, ponat se, & paratus sit: pro non contemnat. Contemptus. n. efficit, quod peccatũ sit, quod alioqui non esset. Quarto potest dici illa verba intelligenda esse de his, qui totaliter submittunt se iudicio sacerdotis, & quantum ad culpam remittendam, & quantum ad pœnam satisfactoriam taxandam. primus tamen intelligendi modus germanior videtur, nimirum, quod verba D. Aug accipienda sunt tanquam pia, & fidelis exhortatio. Quoniam reuera ita expedit cuilibet peccatori pœnitenti: quoniã stultissimus est, qui refugit pœnam respectiue minimam acceptare, qua pœnam maximum posset euadere, puta Purgatorij, quæ incomparabiliter maior est omni pœna præsentis vitæ, vt idem August. dicit.

Ad secundum respondeo. Illud si quis Principi non obedierit morte moriatur, cum similibus, intelligendum esse de his, quæ etiam volenti, nolentique iuberi possunt, non de his, quæ volenti tantum, qualis est hæc pœnitentiæ iniũctio.

Ad tertium dico, quod forum internum tantum animæ pœnitentis vtilitatem respicit, & ita pœnitentia in eo foro iniuncta quasi mandatum in ipsius vtilitatem factum in cōsilium transit iuxta l. 2. §. fin. ff. mand. Adde, quod diuina clementia videtur ob fragilitatem nostram dedisse nobis optionem satisfaciendi ei, vel hic, vel in purgatorio, vel ad arbitrium alterius confessarij, & quando in pœnis datur optio per verbum ad ipsum reum relatum, satisfacit subeundo illam, quam elegerit Glos. in l. quicunque. C. de ser. fug. Bart. in l. 1. §. expoliatores. ff. de Effrac. Panorm. in c. inter cætera de rescrip. vbi late Felinus.

Felinus

Ad quartum concedo antecedens, & consequentiam, loquendo de pœnitentia, ad quam faciendam obligatur pœnitens sine vllo confessarij iussu, qualis est malarum, & periculosarum conuersationum vitatio, & qualis est male ablati restitutio, sed nego antec. de pœnitentia satisfactoria.

Ad quintum dico solum per inducta probari, quod confessarius sine iusta causa non debet imponere minorem ea, quam arbitratur iustam, sed cum illa sic. arg. l. quid ergo. §. pœna grauior. ff. de his, qui no infa. & adductorum per Dec. in c. at si. §. de adu teriis, de iud. etiam nullam imponendo, vt cum iam spirantem, nec pœnitentiam facere potentem sine vllius pœnitentiæ impositione expressa absoluit. Concedo autem confessarium posse quidem ligare ad pœnam, sicut & absoluere a culpa, sed constat inter omnes non posse absoluere nolentem, sed tantum volentem, & ita concedo posse ligare quidem eum volentem, & pœnitentiam acceptantem, sed non sequitur, hoc posse etiam nolentem, & in Purgatorio vel per alia opera bona satisfacere pro peccatis deliberantem, aut certe volentem iterum alteri confessario, a quo minorem expectat pœnitentiam, confiteri.

Decius.

ARTICVLVS IV.

Vtrum si clauis scientiæ erret arbitrium sacerdotis, ratificetur in cælo.

PRo solutione obser. est, quod clauis dicitur errare, quando sacerdos abutitur claue, potest ergo vtraque clauis errare. s. potestatis & scientiæ. Potestas quando sacerdos absoluere tentat non suæ iurisdictioni subditum, aut quem nouit non contritum, & in vtroque casu error ille imputatur sacerdoti ad culpam: debet. n. sacerdos spiritualis iudex scire, ad quos se extendat sua iudiciaria potestas, & non excedere limites suæ potestatis Similiter non debet indignos absoluere, nec dignos ligare: non. n. est iudex principalis, sed principalis iudicis minister, qui in suo ministerio tenetur se cōformare suo principali.

Clauis quomodo dicatur errare.

Secundo obs. est quod clauis potestatis errare etiam dicitur si sacerdos non imponat pœnã condignam, vt si citra, vel vltra latitudinem medij pœnam imponat. Exempli gratia, si pœnam vt decem respondeat homicidio in purgatorio, commissum est sacerdoti, vt illam possit remittere vsque ad sex. Quod non aliunde conuincitur nisi quia, virtute clauium, dum Christus dixit. Quorum remiseritis, &c. fecit sacerdotes ordinarios iudices, vt illam pœnam prudenti arbitramēto remitterent, & quia æquilibrans punctum nō poterat homo percipere, fit maxime credibile, quod arbitrium, vt nomen ipsum sonat, haberet latitudinem, vt posset remittere vsque ad quinque, vel vsq; ad septem. Vnde dicit Scotus q̃ quando arbitramentum fit intra illam latitudinem, clauis non errat, si vero deficiat, vel excedat tunc errat. Ex quo sequitur, q̃ sacerdos (vt bene ait Scotus) potest pœnam, quæ in purgatorio est vt decem, taxare ad septem, ita vt eius sententia rata habeatur in celo, quare illa impleta nihil amplius debetur in Purgatorio, & potest etiam remittere vsq; ad sex, vel quinque. Ita quod si tres æqualia omnino peccata confiteantur diuersis sacerdotibus, licet vnus imponat vni pœnitentiã, vt quinque, & alius vt sex, & alius vt septem, nullius clauis errabit, & ideo omnes tenentur suas implere pœnitentias. Quare vbi primus impleuerit quinque erit liber a purgatorio, secundus vero minime quousque impleat sex, neq; tertius quousque impleat septem. Et si moriatur antequam compleat omnia septem, in Purgatorio soluet tantum, quantum illi residuo, quod hic non soluit, respondet. Si autem sacerdos taxat vltra septem, quamuis sit error clauis, nihilominus si non excedat denarium numerum, qui debetur in purgatorio, quamuis posset pœnitens non acceptare propter rigorem pœnitentia, tamen a pœna Purgatorij non liberabitur, nisi totam si acceptet, soluat, vel sacerdos minorem imponat, quia si non acceptetur nihil virtute clauium remittitur. Hæc omnia si superficie tenus aspiciantur videri poterunt grauis alteratat vero si medullitus considerentur profecto, ex natura clauium soluendi, & ligandi colligi apparebunt. Si autem imponatur pœnitentia infra quinque tūc clauis errat per defectum. Et ideo sunt, qui dicant nihil tunc virtute illius remitti in Purgatorio, eo quod claue errãte nihil fit. Cæterum hæc sententia dura est, & certe falsa: nam licet clauis erret non imponendo pœnitentiam ad iustum, nō tamen errat in totum, & ideo remittetur illud, quod illi gradui pœnitentiæ respondet. Alioqui hac nostra tempestate, in

Clauis potestatis errat si sacerdos non imponat condignam pœnitentiã.

Scotus.

qua

qua pęnitentiæ, quam leuissimæ imponuntur nihil virtute illarum in purgatorio diminueretur.

Clauis scientiæ error vnde proueniat. Tertio obseruandum est. Quod error clauis scientiæ potest contingere, vel ex parte sacerdotis, vel ex parte pœnitentis. Ex parte sacerdotis, quando omittit inuestigare necessaria, puta an confitens sit contritus aut non, an habeat propositum non peccandi de cætero, aut circunstantias necessario confitendas, vel dum abundat superfluis, vt si confessor inquirat de circunstantijs impertinentibus, vt quando inquirit, quæ audire delectat, non pertinentia ad hunc forum, & circunstantias status peccata non aggrauantes, nec alleuiantes, quia tunc non potest fieri rectum nisi a casu. Potest etiã contingere error ex parte confitentis, quia, scilicet fictus est, & fingit se contritum, cum tamen non sit, & per hoc sacerdos credit contritum, qui non est, & ita errat in suo iudicio.

His obseruatis dico primo. Quod sacerdotis errantis in necessarijs cognoscendis arbitrium Deus non approbat, neque quo ad sacerdotem, qui per suam negligentiam peccat, nec quo ad eius iudicium, nisi casualiter diuinum iudicio concordet. Satis patet vtraque pars conclusionis. Nam negligentia sacerdotis (qui tenetur scire, quæ sui sunt officij) culpabilis est, similiter & iudicium suum, dum diuino non concordat, (quod verum est semper & iustissimum) non approbatur.

Dico secundo. Arbitrium sacerdotis a Deo approbatur, dum clauis scientiæ errat in superfluis, nec omittit aliquid in necessarijs quo ad pœnitentem, non tamen quantũ ad sacerdotem. Patet: quia sic iudicium sacerdotis concordat diuino, ergo est ratum, quantum ad pœnitentem: hic enim confessus est effectum iudicij, sed tamen sacerdos peccat satisfaciendo pruritui aurium suarum, & sic ipse non approbatur iudicando.

Dico tertio. Dum pœnitens fictus est, ostendens se sacerdoti contritum, licet clauis scientiæ non erret, quo ad sacerdotem, errat tamen quo ad confitentem, & per hoc arbitriũ sacerdotis non approbatur: patet quo ad primam partem: quia sacerdos, qui tenetur credere ei, qui fortis est contitenti pro se, & contra se, facit quod in se est, & non potens cognoscere interiora cordis, bene iudicat secundum confessa, & per consequens non peccat coram Deo, nec proprie clauis errat, atque adeo eius iudicium, quo ad se ratificatur in cœlo. Sed ipse pœnitens in periculum suum errat volens, dum fingit se talem, qualis non est. Et ideo iudicium sacerdotis non approbatur quantum ad fictum, a Deo, qui non secundum faciẽ iudicat, sed secundum cordis veritatem, approbatur tamen quantum ad sacerdotem, qui recte, quo ad se iudicat. Si vero aliquo necessario omisso a suo confessor rectam tulit sententiam absolutionis, dicit Scotus, quod talis sententia rata erit in cœlo, quantum ad contritionem, si non posuit obicem, non tamen ratificabitur quantum ad confessorem excusandum a peccato erroris. Et hoc modo dicit Doct. est distinguendum de ratificatione: quia interdum ratificatur ex vtraque parte, tam sacerdotis, quam pœnitentis, interdum ex parte sacerdotis tantum, quandoque vero tantum ex parte confitentis.

Distinctio. XX.

Connexio Diuisio



Sciendum est etiam quod tempus pœnitẽtiæ est vsque ad extremum articulum vitæ, &c. Ex quo Magister verba fecit de sacramento pœnitentiæ, nec non de potestate Ministrorum hoc sacramẽtum dispensantium, in hac dist. de quibusdam consequentibus agit. Diuiditur autem hæc dist. in tres partes. In quarum prima ostendit tempus pœnitentiæ durare vsque in extremum vitæ. In secunda. Quærit quomodo agendum sit cum illis, qui pęnitentiam differunt vsque ad finem vitæ suæ. In tertia asserit simplicem sacerdotem in extrema necessitate inconsulto Episcopo crimen publicum reconciliare, breuiter sententia Magistri stat in tribus conclusionibus.

Prima conclusio. Et si serotina pœnitentia mortuo vitam valeat impetrare; periculosum tamen est vsque in finem vitæ pęnitentiam differre, atq; procrastinare. Hãc Magister insinuans proponit primo, quod tempus pęnitentiæ durat vsque ad finem vitæ. Et tamen Augu. hom. 41. de vere pœnitentibus, dicere videtur, quod illi, qui solum in fine vitæ pęnitent, in statu securo non transeũt de hac vita: quæ verba intelligenda sunt de illis, qui non ex Dei amore, sed timoris morte pœnitentiam faciunt. Vel pro tanto securitatem non dat D. Aug. quia difficile est, quod in tali statu pœnitentiam agant veram, propter filios, propter vxorem, propter mundũ, mortisq; dolorem, quæ omnia in illo statu solent de facili hominem a conuersione ad Deum retrahere, vt norunt nimis hunc mundum diligentes. Non tamen negandum est, quin in fine vitæ suæ pœnitentiam agentes digne valeant pœnitere. tum quia serotina pœnitentia est sacrificium vespertinum atque adeo satisfactiua, & Deo accepta. Tum quia B. Leo Papa de pœnitent. dist. 7. inquit Nemo est desperandus dum in hoc corpore constitutus est; quia non nunquam quod diffidentia ætatis differtur, consilio maturiore perficitur. Verum est tamen, quod pœnam, quam hic minime soluunt in Purgatorio soluent: nisi forte tunc tam vehemens esset contritio, quæ sufficienter in illis valeat peccata punire. Et si dicatur, quæ pœna contrito est imponenda? Respondet Diuus Augustinus diuersimode secundum ipsius contritionis modum imponendam esse. & subdit Magister, quod illi qui pœnitentiam hic iniunctam in hac vita non impleuerunt, & etiam qui pœnitentiam iniunctam fecerunt, quæ tamen nõ fuit condigna pro peccato commisso, post hic, punientur in Purgatorio, nisi forte haberent tam vehementem contritionem, quæ sufficeret ad delicti punitionem.

Pœnitentiæ tempus durat vsq. ad finem vitæ. D. August.

B. Leo.

D. August.

Secunda conclusio. Ab infirmis in periculo mortis peccatorum inquirenda est confessio, & pœnitentiæ pondus subleuandum, eleemosynis, & amicorum orationibus. Pro cuius insinuatione docet Magister, quid agendum sit cum illis, qui in fine pœnitent, vitæ suæ, & dicit quod morientibus non est pœna satisfactoria imponenda iuxto Theodori Cantuarensis Episcopi in suo pœnitentiali sententiam, sed pura inquirenda est peccatorum confessio; si vero conualuerint pœnitentiæ modum a sacerdote impositum, obseruent. Alijs vero pro qualitate peccati pœnitentia decernenda est præsidentium arbitrio. Vnde Leo Papa tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos. Nec morientibus nunquam deneganda est reconciliatio, alioquin hoc faciens sacerdos illarum animarum esset reus. Vnde Iulius Papa. Si presbyter pœnitentiam abnegauerit morientibus, reus erit animarum: quia dominus ait. Cum conuersus fuerit, tunc saluus erit 26. quæst. 6. capit. Presbyter. Sed quid si non petat? Respondetur quod sufficit, si prius reconciliationem petierit, licet modo nequeat propter infirmitatem.

Quid sit agẽdum cum illis qui in fine vitæ pęnitent.

Leo Papa.

Iulius Papa

Tertia conclusio. Presbyteri inconsulto Episcopo, publicum crimen, vel excommunicatum non absoluant, nisi ad hoc vltima necessitas cogat. Quam probat ex Concilio Carthaginensis, vbi sic legitur. Presbyter inconsulto Episcopo non reconciliet pœnitentem, nisi absente Episcopo, vel vltima necessitas cogat. Cuiuscunque pœnitentis publicum crimen est, quod vniuersam commouerit Vrbem ante absidam, scilicet introitum ecclesiæ, manus ei imponatur. Item Aurelius Episcopus

Presbyteri inconsulto Episcopo publicum crimen absoluere nõ possunt nisi necessitas cogat.

Conc. Cart.

Aurelius Episcopus.

pus dixit. Si quis in periculo constitutus fuerit, & se reconciliari diuinis altaribus petierit: si Episcopus absens fuerit, debet presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare; Inconsulto vero Episcopo non potest excommunicare, vel publice penitentes presbyter reconciliare. Vnde in Carthag. Concil. 2. statutum est, vt chrysma, vel reconciliatio penitentium, & puellarum consecratio a presbyteris non fiat. Vnde sic præcepto Episcopi potest Presbyter consecrare Virgines, sic & reconciliare pœnitentes.

Conc. Apan.

Quid si moriens nequeat sacerdotem habere? Ad hoc dicendum, quod tunc temporis sufficit bonum habere propositum, & si bonum testimonium habeat, quod sacerdotem petijt, tunc illa, quæ oblatio offertur non est respuenda, sed recipienda iuxta decretum Concilij Apaucensis 26. quæst. 6. capit. si aliquis. vbi ita legitur. Si aliquis fuerit mortuus, qui non sit confessus, & testimonium habet bonum, & non poterat venire ad Sacerdotem, sed præoccupauit eum mors in domo, vel in via, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro peccatis. Et hæc breuiter Magister in hac dist. Circa quam Scotus vnicam mouet quæstionem.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum pœnitentia in extremis valeat ad salutem.

Pœnitentia est necessaria ad salutē

PRotituli huius explicatione obseruandum est primo ex dictis distinct. decima quarta, quæstione prima, & secunda, quod pœnitentia est sufficiens, & necessaria ad salutem peccatoris post commissum mortale peccatum, tam interior, quæ est virtus, (extendendo nomen virtutis ad virtutis actum) quam exterior quæ est sacramentum, quodque pœnitentia exterior non sufficit sine interiori, interior tamen sufficit sine exteriori in actu, licet exterior in actu requiratur in voto, i. in proposito.

Pœnitentiæ tempus quale sit

Secundo obseruandum est, quod per tempus pœnitentiæ in proposito intelligitur tempus illud, in quo pœnitentia (si haberetur) sufficeret ad salutem. Quoniam dubium non est, quin post præsentem vitam habere possit pœnitentia, licet infructuosa: nam de damnatis dicitur. Sap. 5. pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes.

Vitæ terminus quid sit.

Tertio obseruandum est, quod per terminum vitæ intelligitur instans separationis animæ a corpore, quo desinit moriens esse homo, quod est primum non esse hominis. Cum enim hæc separatio fiat successiue saltem quoad præuias dispositiones, terminatur per primum non esse, vt declarari solet. 6. phy. Et quoniam vsus rationis, & liberi arbitrij raro durat vsque ad hoc instans, patet, quod non est idem terminus vsus rationis, & vitæ præsentis.

Nemo pœnitere potest in vltimo instanti vitæ

Ex hoc sequitur primo quod nullus potest pœnitere in vltimo instanti vitæ: quia in illo instanti quod non est, non potest elici actus meritorius; at non est dare vltimum instans vitæ, quia vltimum permanentis non datur: quoniam cum sit dare primum instans mortis, si esset vltimum instans vitæ, vel inter illa esset tempus, in quo nec esset mortuus, nec viuus, vel in eodem instanti esset mortuus, & viuus, vel duo instantia se haberent consequenter. Et si dicatur, quando vna forma generatur, & alia corrumpitur, simul sunt generatio, & corruptio, quare ergo non possunt simul esse mors & vita, sicut generatio & corruptio? Respondeo quod generatio, & corruptio eiusdem contraria sunt, & ideo nunquam simul sunt; sed generatio vnius, & corruptio alterius non sunt contraria, & ideo possunt simul esse; similiter vita & mors eiusdem, bene sunt contraria, vel priuatiue opposita, atque adeo in eodem instanti non potest simul viuere, & mori.

Quilibet potest pœnitere i primo instanti mortis, sed non fructuose.

Secundo sequitur, quod quilibet potest pœnitere in primo instanti mortis; quia in illo instanti, in quo voluntas est libera potest elicere actum pœnitentiæ, sed in instanti mortis voluntas est libera, ergo potest elicere actum pœnitentiæ, cæterum illa pœnitentia non est fructuosa; quia fit extra terminos viæ, cum anima sit in illo instanti separata a corpore, & per consequens extra statum viæ. Et si dicas anima in primo instanti, in quo separatur si est in gratia confirmatur in ea, & si est in peccatu obstinatur eadem ratione, & per consequens penitere non potest, vel si potest pœnitere illa pœnitentia erit fructuosa, quia actus eiusdem rationis, & æqualis perfectionis est æque meritorius, modo anima separata equalem actum potest elicere, ergo &c. Respondeo, quod si tunc obstinetur, non potest bonum actum, & meritorium elicere: sed si dimittatur in puris naturalibus potest, & quamuis actus ille esset eiusdē rationis: tamen non esset eisdem circunstantiis circunstantionatus, circunstantiæ autem variāt speciem in moralibus, hic autem non pœnitet, quando oportet, atque adeo desuit circunstantia requisita.

Pœnitentia in vltima parte vitæ est fructuosa

Tertio sequitur, quod penitentia in vltima parte vitæ est fructuosa; quia tunc homo est viator, & potest mereri, & demereri; Et si dicatur in nullo continuo est dare vltimam partem; quia illa habet partes in infinitum, ergo &c. Dico quod non est vltimum simpliciter, sed secundum aliquam acceptionem, sicut minus potest capi per intellectum, tamen illud non est simpliciter minus, sed secundum acceptionem nostram. Ex his patet titulus quæst. quam diuido in duos articulos.

Primus Art. Vtrum Penitentia sit fructuosa, quando fit in periculo mortis.

Secundus Art. Vtrum aliquis in art. mortis primo penitens possit digne pœnitere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Pœnitentia sit fructuosa quando fit in periculo mortis.

Henricus. Abulensis. Medina. Catharinus Rofensis. Ricardus.

QVorumdam catholicorum opinio fuit, nonnullos peccatores interdum peruenire in hac vita ad eum statum, & peccatorum cumulum, vt iam non valeant sufficientem penitentiam agere qua exeant, atque adeo ab istis ne dum fructuosam negant penitētiam, sed penitentiam simpliciter. Ita sentit Henricus, quol. 8, q. 1. Abulens. in Exodū cap. 4. q. 12. & in Deut. c. 2. qu. 10. Medina libr. 3. de recta in Deum fide cap. 1. Catharinus opuscul. de Prædestinatione & reprobatione. Rofensis art. 36. contra Lutherum, & probabile existimat Ricard. ar. 7. Vt autem catholicus sensus huius sententia habeatur, obseruandum est primo. Duo requiri ad veram pœnitentiam agendam, scilicet libertatem arbitrij, & auxilium gratiæ, vt constat ex certis principiis fidei; Peccator autem dum viuit libertatem arbitrij propter grauitatem, & multitudinem peccatorum ad agendam penitentiam sufficientem non amittit, nec Auctores citati oppositū sentiunt: et enim manifestissimus error, quia peccatum non tollit vsum rationis, nec facultatem voluntatis in se minui.

Pœnitentia vera duo requirit.

Gratia efficax est ad vincēda omnia peccata.

Secundo obseruandum est quod ex parte gratiæ certum esse illam habere virtutem ad vincenda omnia peccata, & penitentiam agendam, illis non obstantibus, in quacunque grauitate, & multitudine, & de fide est non deesse virtutem gratiæ ad hunc effectum, esset enim contra Dei omnipotentiam, & contra excellentiam diuinæ gratiæ, hanc virtutem illi denegare, neque Auctores citati hoc negant.

Tertio obs. est, quod controuerti solet, an illa gratia, quæ ad hunc effectum sufficit, semper in hac vita detur, vel præparata sit omnibus, vel interdum aliquibus negetur propter peccata, & loquor de gratia sufficiente, non de efficaci; nam de hac posteriori non est dubium, quin multis hominibus non detur; imo illis omnibus non datur, qui de facto non cōuertuntur: quia gratia efficax appellatur, qua infallibiliter habet effectum, loquendo ergo de gratia sufficiente aiunt dicti Auctores interdum denegari aliquibus hominibus propter peccata sua, nec quidem vt respectu ipsarum culpam, & in pœnam earum in hac lex generaliter a Deo statuta, vt quicunque tale peccatum commiserit, vel ad talem statum,

vel

vel peccatorum multitudinem peruenerit omnino priuetur auxilijs necessariis ad pœnitentiam agendam, etiam si multo tempore in hac vita viuat, & quod potuerit, vel voluerit faciat ad relinquendum illum statum: hoc enim falsum, & erroneum esset asserere. Quia constat ex scriptura, & ex ipso vsu, Deum ex omnibus statibus conuertere aliquando grauissimos peccatores ad pœnitentiam, & in omnibus ætatibus, & temporibus, vt intelligamus nullum genus peccatorum hominum exclusum esse a misericordia Dei, quod recte docuit D. August. in Enchiridio. cap. 103. exponens illud 1. Timoth. 2. Deus vult omnes homines saluos fieri. Sed respectu personarum aliquarum Deus ita se habet, vt Deus deneget talia auxilia propter sua peccata, quamuis alijs habentibus similia, & maiora non deneget: Nam cuius vult miseretur, & quem vult indurat ad Roman. 9.

D. August.

Fundatur autem hæc opinio sic declarata in aliquibus locutionib. scripturæ, vt est illa Eccles. 7. Considera opera Dei, quia nullus potest corrigere, quem ipse despexerit. & illud Psalm. 8. Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibũt in adinuentionibus suis. & Hier. 6. Erudire Hierusalem, ne forte recedat anima mea a te. & infra. Argentum reprobum vocaui eos. & c. 51. Curauimus Babilonem & non est sanata, derelinquamus eam, & Iosue. 11. Domini enim sententia fuerat, vt indurarentur. & Ioan. 12. Propterea non poterant credere: quia dixit Esaias, Excæcauit &c. vbi Caiet. notat illos non potuisse credere ex defectu gratiæ præuenientis. Et hos modos loquendi imitati sunt aliqui Patres. Præsertim Isidorus lib. 2. de summo bono. c. 15. dicens. Nonnulli ita dispiciuntur a Deo, vt non possint mala plangere, etiamsi velint. eodem modo loquuntur Eusebius de demonst. Euang. lib. 8. c. 2. Gregorius. 11 Moralium. c. 5. Bernar. in ser. de nimia fallacia huius sæculi, & D. August. in lib. de præ dest. & gratia. cap. 14. & in inchoata expositione epist. ad Rom.

Caietanus. Isidorus. Eusebius. Gregorius. Bernardus. D. August.

Ratio vero huius sent. est: quia peccata merentur totam hanc pœnam, & expedit ad ostensionem diuinæ iustitiæ, & ad terrorem aliorum, vt interdum Deus illa vtatur. & confirmatur: Nam aliquando maiori pęna afficit Deus peccatorem; maior enim pœna videtur miraculose interficere hominem actualiter peccantem, vel etiam viuum demergere in infernum; quod aliquando Deus fecit. Tandem confirmatur, quia aliquando Deus aliquos ita confirmat in gratia, vt cadere non possint, ergo aliquos etiam ita deserit in peccatis, vt surgere non possint.

Opposita sententia affirmat, non solum veram pœnitentiam esse sufficientem ad omnia peccata tollenda, sed etiam in hac vita semper esse hominibus paratam sufficientem gratiam ad talem pœnitentiam agendam, nullamque esse admittendam exceptionem, vel in culpis, vel in personis, quantumuis peccauerint. Hæc sent. sumitur ex Alex. Alens. 4. p. q. 13. m. 4 art. 2. & q. 14. membr. 5. art. 2. & sequentibus. Quẽ sequuntur D. Thom. 3. p. q. 86. art. 1. Et clarius & latius Medina Cod. 1. de pœnit. q. 11. Sotus in 4 d. 15. q. 1. art. 2. & 1. de natura & gratia. c. 8. Et Vega lib. 13. in Trident. c. 12. & 13.

Alex. de Al. D. Thom. Medina. Sotus. Vega.

Fundamentum præcipue sumitur ex generalibus locutionibus, & promissionibus scripturæ, vt Ezechiel. 18. & 33. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur. Et nunquid voluntatis meæ est mors impij. Vbi Hieron. aduertit illud dictum esse ad tollendam desperationem: quia Deus semper est ex se paratus ad vitam præstandam. Ieremiæ 3. est optimum de hac re testimonium. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere: ergo saltẽ ammodo voca me. & infra. Reuertere auersatrix Israel dicit Dominus, & nõ auertam faciem meam a vobis: quia sanctus sum ego dicit Dominus, & non irascar in perpetuum. Et Isaiæ 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum &c. & Matth 9. dicitur. Nõ veni vocare iustos, sed peccatores, vbi indefinita locutio æquiualet vniuersali, quæ habetur. c. 11. Venite ad me omnes. Sed specialius in lib. Sapent. c. 11. & 12. inter alia sunt illa verba; dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam. Quorũ verus sensus est, expectans, & patienter agens, vt clarius dixit Petrus 2. Canon. c. 3. vt homines quantumuis prauos ad pœnitentiam prouocet, ita vt illud propter, dicat causam finalem. cui consonat illud ad Roman. 2 Ignoras, quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, & subdit. Tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor &c. vt declarent quamcunque impœnitentiam, & duritiam cordis non defectui diuini auxilij, sed prauo libertatis vsui esse tribuendam.

D. Hieron.

Idem confirmant, & sine limitatione definiunt Concilia, vt specialiter videre licet in Concilio Lateranen. & habetur in cap. firmiter, de summa Trinit. & sumitur ex Concil. Trident. tota sess. 14. & sess. 6. c. 4. vbi etiam habetur illud principium. In hac vita neminẽ deseri a Deo, nisi prius ipse Deum deserat. Et ratio a priori assignari potest ex diuina promissione orta ex misericordia, & fundata in iustitia Christi, & a posteriori declaratur ex statu hominis, quamdiu hic viuit, semper enim est in statu viatoris; est autem de ratione viæ vt in ea semper possit ad terminum accedi, ergo repugnat huic statui, quod homo priuetur potestate accedendi ad terminum, ergo & quod priuetur omnibus auxiliis necessariis, sine quibus potestatem non habet. Et confirmatur: quia in hac vita nunquam cessat præceptum pœnitendi, & præceptum etiam sperandi, quibus repugnat talis priuatio, seu carentia totius auxilii. Imo quodam modo tota certitudo nostræ spei labefactaretur: nam vnusquisque formidare posset, ne iusto Dei iudicio priuatus sit huiusmodi auxiliis.

Conc. Later. Conc. Trid.

Dicendum est ergo simpliciter, quod omne peccatum in hac vita deleri per pœnitentiam potest, hæc conclusio patet ex superius dictis. Ad testimonia pro opposita sententia adducta vnico verbo respondetur, nimirum ideo dici Deum deserere homines illos; quia præuidens eos fore obdurandos, & damnandos cum talibus auxiliis, non dat maiora; Nam aliqui peccatores ita magnis, & multis obruti sunt peccatis, ita vt in eis obdurauerint, & callos (vt sic dixerim) obduxerint, vt nunquam facturi sint pœnitentiam, nisi Deus secundum præexcellentem suam misericordiam, maioribus, plenioribus, & vehementioribus suæ gratiæ auxiliis, quam sint communia, & vsitata, eos protrahat ad pęnitentiam, & potentius, & benignius eorum emolliat, & infringat obstinatas voluntates, atque adeo præuidens Deus huiusmodi homines ita esse dispositos, & praue affectos, vt cum ordinaria prouidentia moraliter illis sit difficillimum conuerti, præsertim si Deus ita se gerat cum illis, vt nunquam det eis gratiã vberiorem, sed solum quã ordinarie dare statuit, aut per exteriorẽ vocationẽ, aut per interiorẽ. Neque tamen eleganter dixerit & approbat Cyrillus aliqua necessitas ex illorum auxiliorum vberiorũ subtractione illata est ipsis peccatoribus, quin minus conuerti non possint. Possunt enim simpliciter & absolute huiusmodi omnes peccatores dum hic viuunt, quantumque a Deo deserti sint pęnitere, vel propter aliorum preces, vel propter proprios magnos conatus, vel tandem propter supereminentem Dei misericordiam, illius opes, & suppetias obtinere ac facere, vt nũquam eorum fuerit prophetata obduratio vsque ad mortem. Et eodem modo interpretanda sunt testimonia patrũ; non enim negant auxilium sufficiens, sed efficax & cõgruũ, vel intelligunt, quod peccator quantum est de se, & suo merito conuerti non potest, vel eorum verba faciunt sensum compositum, vel conditionem includunt, si in tali auersione perseuerare velit.

Peccatum omne potest in hac vita per pœnitentiam deleri.

Cyrillus

Ad rationem dico, quod licet peccatum dignum sit omni hac pęna, tamen neque ad iustitiam, neque ad prouidentiã Dei pertinuit, illã præbere in hac vita, quia valde repugnat statui viatoris. Et ideo quamuis Deus aliquando interficiat hominem corporaliter propter peccatum, id non repugnat, quia tunc finitur vita eius, & sępe expedit ad commune bonum vti huiusmodi pęna, maxime cum publica sit, & sensibilis. Tamen tunc ita se gerit Deus cum illo homine, vt si in illo puncto mortis vellet pęnitentiam agere, illi non deesset auxilium.

Ad secundam confirmationem dico, valde diuersam esse rationem de confirmatione in gratia, & de hac diuina desertione; nam qui confirmatur in gratia, semper magis ac magis potest tendere per viam, donec perueniat ad terminũ, & hoc est per se requisitum ad statum viæ, posse autem cadere, seu deflectere a via, est per accidens, & ideo nihil obstat quod confirmatus in gratia priuetur potestate peccandi, quod est tantum a via deflectere. At vero si homo priuaretur auxilijs necessarijs, simpliciter priuaretur potestate in ordine ad id, quod est per se primo requisitum in via, scilicet in accessu ad terminum ad quem. Accedit etiam, quod confirmatio in gratia est opus misericordiæ, & non repugnat iustitiæ, nec statui viatoris. Confirmatio autem seu potius obstinatio in peccato, licet videatur esse opus iustitiæ, tamen est quædam iustitia seu pœna excedens statum viæ, atque adeo

non

non est consentanea prouidentiæ diuinæ & repugnat misericordiæ eius.

Penitentia vera sufficit in extremis ad salutem. *D. August.*

Secunda conclusio responsiua ad quæst. Pœnitentia vera siue interior sola, qualis est contritio, siue exterior cum sacramento penitentiæ sufficit in extremis ad salutem peccatoris. Probatur primo ex D. August. lib. de vera & falsa pœn. dicente. Sed quoniam Deus semper potens est, semper etiā in morte iuuare valet, quibus placet, cum ergo opus sit non hominis, sed Dei fructifera pœnitentia, inspirare eam potest quandocunque vult sua misericordia, & remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex iustitia. Item in eodem libro. Pœnitētia etsi in extremo vitæ hiatu aduenit, sanat, & liberat, multum sera fuit latronis penitentia; sed non fuit sera indulgentia.

Item secundo pronior est Deus ad miserendum, quā ad puniendum, vt patet Exod 20. vbi dicitur. Ego Dominus visitans iniquitates patrum in filios in tertiam, & quartam generationem, eorum, qui me oderunt, & faciens misericordiam in millia iniustitia his, qui diligunt me; sed actus peccati mortalis in extremis sufficit ad damnandum, ergo actus penitentiæ ad saluandum.

Præterea tertio de Rege Ezechia. 4. Reg. c. 20. dicitur, ꝙ peccauit, quia fuit ingratus de miraculo, quod fecerat ei Dominus: quia non fecit canticum domino pro victoria, sicut facere consueuerat Dauid Pater eius; fleuit autem planctu magno, & erat in periculo mortis, & fuit exaudit⁹ ergo &c.

Deinde probatur. Ezech. 18. & 23. Quacunque hora gemuerit peccator &c. Et demum ratione probatur. Quilibet peccator dum est viator potest per contritionem veram etiā momentaneam iustificari, vel per attritionem cum sacramēto penitentiæ suscepto, vt constat ex superioribus; sed peccator in fine vitæ, dum adhuc viator est potest habere talem contritionem, vel attritionem cum sacramento pœnitentiæ, ergo potest saluari per pœnitentiam in extremis habitam; consequentia est nota cum maiori, & minor probatur: quia in extremis vitæ, potest misericordia diuina veram penitentiam cuicunque peccatori inspirare, & ipse peccator potest diuinæ gratiæ cooperari veram pœnitentiam agendo.

Contra hanc conclusionem arguitur primo per illa verba. 2. Macha. 9. vbi de Antiocho dicitur, orabat scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus, & illa ad Heb. 12. vbi de Esau dicitur, Non inuenit penitentiæ locum, licet cum lachrymis quæsiuisset illum.

Respondetur ad primum testimonium. Antiochum non orasse petendo veram pœnitentiam, vel concussum, vel gratiam adiuuantem ad illam, sed petendo salutem corporis, vt patet ex illis verbis. Non desperans memetipsum, sed spem multam habens fugiendi infirmitatem, & ideo mirum non est, quod non fuerit misericordiam consecutus, tum quia oratio de bonis temporalibus non semper est infallibilis, tum etiam propter circunstantiam petentis iniquissime.

Ad secundum testimonium de Esau, dico illum non vere penituisse. Præterquam quod in illo loco non est sermo de penitentia Esau, nec de pœnitentia peccati, sed de pœnitētia Isaac, & de retractatione prioris facti, scilicet benedictionis quam dederat Iacob, hanc enim petebat Esau, & obtinere non potuit.

D. August.

Secundo arguitur ex D. August. in quodam sermone, dicente de illo, qui penitet in extremis, Non præsumimus ꝙ bene hinc exit. Verba D. August. sunt in hom. 41. de vere penitentibus, & sunt ista. Si quis positus in vltima necessitate voluerit accipere pœnitentiam, & si accipit, & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus, ꝙ petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exiit. si securus hinc exierit, ego nescio, penitentiam dare possumus, securitatem vero non; Nunquid dico damnabitur? sed nec dico liberabitur. Idem de penit. vera & falsa. c. 17. inquit. Periculosum est, & interitui vicinum ad mortem pertrahere penitentiæ remedium. ex quibus sic arguitur. Mortaliter peccat, qui se exponit periculo mortis spiritualis, sed tali periculo se exponit protrahens pœnitentiam vsque ad vltimum vitę suæ. ergo talis peccat mortaliter. Et confirmatur per eumdē August. dicentem in sermone Innocentum. Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui dum viueret oblitus est Dei.

Item Ecclesiastici. 17. Viuus, & sanus cōfiteberis. & illud adducit D. August. dicens. Age penitentiam dum sanus es. Si sic agis dico tibi, quod securus es, quia penitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere penitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt. non tu illa. ex hoc sic arguitur. Nulla penitentia sufficit ad salutem nisi sit voluntaria; sed penitens in extremis non dimittit peccata sua, sed illa eum, secundum August ergo &c.

Item nulli dimittitur peccatum mortale nisi per aliquam pœnam temporalem correspondentem peccato; sed talis penitens in extremis, nullam penam soluit, vel saltem non sufficientem, nec peccato correspondentem, ergo &c. Et si dicatur quod pœnam temporalem debitam peccato soluet in Purgatorio. Contra. moriens in peccato mortali damnatur statim; ergo moriens in gratia statim saluabitur, & per consequens nulla pœna soluetur post hanc vitam.

Ad hæc respondetur & ad primum dicit Scotus quod præsumptio sumitur ex his, quæ eueniunt vt in pluribus, & magis consona rationi rectæ apparent; sed vt in pluribus difficile videtur, vel impossibile in extremis bene pœnitere, propter rationes, quas adducemus in sequenti articulo, Ista tamen præsumptio non concludit necessario; quia possibile est oppositum euenire, vt in paucioribus, & difficiliter. Ideoque D. August. dixit, Non dico quod saluabitur; sed neque dico quod damnabitur: quia de neutro potest homo esse certus.

Ad rationem dicit Doct. quod peccator, qui scienter actu elicito determinat non pœnitere nisi in extremis exponit se periculo mortis æternæ, & peccat mortaliter; poterit nihilomin⁹ de hoc peccato in extremis penitere sicut de alijs. Ad aliam auctoritatem pro confirmatione dico, quod peccator moriens, vt in pluribus obliuiscitur sui: quia non habet penitentiam efficacem, licet aliquando, & vt in paucioribus contingat oppositum.

Ad tertium dicit Scotus, quod quamdiu aliquis habet vsum liberi arbitrij potest peccare peccato interiori licet non exteriori, saltem complacendo in peccatis iam prius commissis, volendo nimirum illa fuisse facta: apprehensio enim multorum peccatorum non est mala; sed volendo illa esse facta, & ideo quando iste, qui sic est in extremis habet sic vsū rationis, sicut per se potest peccare cū placendo in peccatis, ita potest peccatum dimittere, & digne penitere, licet necesse sit non peccare peccato exteriori; sed etiam istud in tantū potest esse sibi pro tunc voluntarium, vt habeat tūc voluntatē, quod si posset tunc peccare peccato exteriori, fugeret hoc omnino: & non tantum displicentiam, sed aliam penitentiā exteriorem habere de peccatis prius commissis, saltem in voto si superuiuat; & ita non solum potest peccatum dimittere: quia peccatum ipsum dimittat, sed potest peccatum dimittere ipsum actu interiori detestando, & per consequens potest digne penitere. Quando ergo dicit August. Peccata te dimittunt non tu illa; dico quod verum est de actu, vel quātum ad actum exteriorem, tunc enim in actu exteriori peccatum dimittit eum; ipse tamen peccatum dimittere potest actu interiori: Ad rationem ergo neganda est minor.

Ad vltimum dico, quod oportet illum aliqua pœna puniri pro peccato; sed hæc non debet sibi imponi hic, quia nō potest illam hic implere; nec potest sibi imponi quod tanto tempore stet in purgatorio, quia iste sacerdos non habet auctoritatem sibi infligendi illam pœnam; sed proponenda est sibi pœna correspondens peccatis tali modo. Si sanus esses talis pœnitentia esset tibi imponenda, quam si conualueris studeas adimplere. Sed nunc es in manu Domini; confide de misericordia eius; quia & si te puniat, tamen misericorditer. Vel in casu vbi non potest protrahi multus sermo, non oportet aliquam penam sibi specificare, sed tantum eum instruere de iustitia Dei misericordi. Ad aliud quod obijcitur contra responsionem dicit Doctor, quod illud non est simile: moriens enim in peccato mortali nihil haberet retardatiuum a pęna condigna; sed iste moriens in charitate, debitor tamen pęnæ pro peccatis commissis, quorum penitentiam non fecit, habet aliquod retardatiuum a gloria: quia nullus dum est debitor alicuius pęnæ, potest glorificari: quia gloria sicut nec pęnam secum patitur, sic nec debitum pęnę quia nec simul, nec posterius persoluendæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum aliquis in articulo mortis primo pœnitens possit digne pœnitere.

Ricardus.

De hac re fuit quorundam hæreticorum sententia (vt inquit Ricar. hac dist. ar. 1. q. 1.) dicentium, hominẽ non posse digne pœnitere, postquam est in lecto mortis, si ante pœnitentiam non incepit. Sed hæc opinio est perniciosa hæresis contra sacram scripturam. Latro enim cui dixit Christus. Hodie mecum eris in Paradiso, vt habetur Lucæ. 23. erat in Cruce sicut in lecto mortis, quando pœnituit, nec potest dici, quod diu ante inceperat; quia dicitur, quod ambo latrones blasphemabant Christum; sed alter fuit conuersus, & fecit pœnitentiam. est etiam hæresis illa contra rationem: quia quandiu homo est in hac vita vsum retinens liberi arbitrij, sicut potest se a Deo auertere ex defectibilitate propria; ita potest se ad Deum conuertere digne cum auxilio diuinæ gratiæ.

Quis dicatur esse in extremis.

Dicendum est ergo, quod pœnitentia vera quamuis quandocunque habeatur vsque ad instans mortis sufficiat ad salutem, tamen pœnitentia quæ videtur haberi in extremis, vix est vera pœnitentia sufficiens ad salutem, quia difficile est temporis pœnitentiam haberi. Prima pars patet ex superiori art. secundam vero probat Scotus quatuor rationibus. Et primo supponit, quod ille dicitur esse in extremis vitæ, qui ex causis euidentibus iam positis, iudicatur proximus morti secundum causas inferiores, operantes vt in pluribus; vt contingit, quando infirmus iam attingit ad terminũ vitæ desperatus iudicio medicorum, vel etiam in submersione alicuius, & aliis eiusmodi periculis, in quibus periclitanti statim mors imminet. Non enim (inquit Scotus) dico aliquem esse in extremis, quia grauatur morbo secundum communem legem curabili, vel febre tertiana, vel huiusmodi, nec qui subito moritur, cuius mortis nulla adhuc apparet causa; sed ille dicitur laborare in extremis, qui secundum causas naturales non potest dici superuiuere, vt qui secundum iudicium medicorum statim morietur, hoc supposito probatur conclusio.

Et primo sic. Ad veritatem pœnitentiæ requiritur libertas arbitrij, per quam libere eliciatur a pœnitente; quia arbitrij libertatem quærit Deus in pœnitente, sed hæc, sicut vsus rationis, (quem libertas præsupponit) haberi non potest tẽpore impeditæ rationis: quia vsus rationis multum impeditur per doloris vehementiam, & mortis timorem, vt vix aliquid possit infirmus cogitare, & per consequens vix possit se conuertere ad perfecte detestandum peccatum: consequentia patet cum maiori, & minor probatur; quia existentes in huiusmodi extremis laborant dolore maximo, vel timore in parte sensitiua, & vtraque ista passio vehemens, natа est impedire liberum rationis vsum, & voluntatis; quia secundum D. August. lib. 83. quæst. c. 36. Passiones causatæ a tristabilibus plus mouent, quam causatæ a delectabilibus; sed passio delectationis vehemens, quandoque impedit totaliter, vel fere vsum rationis, vt docet idem August. lib. 14. de Ciuit. cap. 16. ergo similiter impedit passio doloris, vel timoris; immo multo magis impediet rationis vsum; Vera autem pœnitentia haberi non potest sine libero rationis, & voluntatis vsu. Et si dicatur quod dolor, vel timor, qui inest, non impedit totaliter intellectum, vel voluntatem. Concedo (inquit Doct.) sed multum impedit, & per consequens remissius, & imperfectius tunc potest haberi rationis vsus, vixque sufficiens ad displicentiam requisitam ad veram pœnitentiã: Nam actus pœnitentiæ sufficiens, siue per modum meriti ad deletionem culpæ, siue tanquam dispositio ad susceptionẽ sacramenti, necessario requirit vsum liberi arbitrij. Quare &c. hanc rationem tangit Magister in littera. Cum sera venit pœnitentia tantus aliquando cruciatus ligat membra, & dolor sensum opprimit, vt vix homo aliquid cognoscere valeat.

D. August.

Secundo probatur conclusio. Ad hoc, quod pœnitentia valeat, & sit ordinata, oportet quod sit ornata debitis circũstantiis, & maxime circunstantia finis, vt videlicet sit voluntarie propter Deum; difficile est autem in extremis talem pœnitentiam habere, ergo difficile est tunc temporis veram pœnitentiam habere; consequentia est nota cum maiori, & minor probatur: quia videtur, quod qui vsque ad illud tẽpus fuit impœnitens, tunc non pœnitet ex Dei amore, sed potius ex timore pœnarum; nec videtur, quod voluntarie pœniteat, sed inuoluntarie; quia ex præsuppositione alicuius simpliciter inuoluntarij, scilicet mortis imminentis, & pœnæ pro peccato infligendæ: quod autem non fit nisi ex præsuppositione cuiusdam inuoluntarij, non est simpliciter voluntarium: sicut non omnino voluntarie proiicit quis merces in mari, si nõ proiicit nisi, ex suppositione cuiusdam periclitationis, quam nollet, saltem quod non est, nisi sit voluntarium, non est multum acceptum alij, nec multum videtur propter amorem eius factum. Hanc rationem tangit D. August. in littera, inquirens, oportet non solum timere iudicem, sed diligere. Arbitrij enim libertatem quærit Deus vt deleri possint commissa, non necessitatem; sed charitatem non tantum timorem: quia non in solo timore viuit homo. Quem ergo sero pœnitet, oportet nõ solum timere iudicem, sed diligere, quia sine charitate nemo saluus esse potest. Non ergo tantũ timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro gloria. Hactenus August.

D. August.

Tertio probatur idem: quia habitus malus vsque tunc cõtinuatus difficile dimittetur, & valde retrahit periclitantem ab actu veræ pœnitentiæ, ergo difficile tunc poterit habere veram pœnitentiam, consequentia est nota, & probatur antecedens: quia ex sententia Arist. habitus inclinat, & operatur per modum naturę; Vxor etiam, & filij periclitantis, & amor mundi præsentes in se, vel in phantasmatibus impressis, inclinabunt illum ad amorem sui, & retrahent ab amore Dei concipiendo. Hanc rationem tangit D. August. in littera his verbis. Sed quoniam vix, vel raro est tam iusta conuersio, timendum est de pœnitente sero; maxime cum filij, quos illicite dilexit sint præsentes, vxor, & mundus ad se vocet, multos solet serotina pœnitentia decipere. Quoniam (vt inquit Scotus) hæc delectabilia præsentia vel in se, vel in phantasmatibus vehementer impressis, ex vehementia habitus continuati multum inclinant ad se inordinate amanda; & per consequens magnam faciunt difficultatem ad habendum magnam displicentiam de eis, ad hoc vt sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ.

Arist.

D. August.

Quarto probatur conclusio. Quanto homo est minus dominus sui actus, tanto difficilius habet actum perfectum sibi necessarium, & tanto oportet esse maiorem conatum ad talem actum, hoc est displicentiam, ad hoc quod sit dispositio sufficiens ad deletionem culpæ. Sed homo existens in extremis est minus dominus sui actus, quam quando est sanus, si quidem nullo modo est dominus sui actus exterioris ad peccandum; ergo secundum rigorem intensior displicentia peccatorum requiritur in illo ad remissionem eorũ, quã ad remissionem peccatorum alterius hominis sani; sed talis infirmus vix potest habere displicentiam tam intensam, quã potest habere sanus, qui magis est dominus sui actus, ergo homo in extremis difficile habere potest pœnitentiam verã. Hanc rationem tangit D. Aug. in littera dicens. Age pœnitentiam dum sanus es; si sic agis dico tibi, quia securus es: quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo peccare potuisti. Si vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Ad minus non tu ita libere illa dimittis, sicut ille sanus, & ideo quantum deficit in te de libertate, tantum secundum rigorem requiritur in te motus intensior, quem vix vel nunquam poteris habere. Ideo dicit D. Aug. quod magnum est, cui Deus sic inspirat, si quis est, veram pœnitentiam; quia vix vel nunquam est aliquis, qui congrue dispositus sit, cui Deus in extremis inspiret veram pœnitentiam.

In hac ratione Doctor dicere videtur, quod antequam in aliquo peccatore remittatur peccatum, qui amplius non est dominus sui actus, idest, qui non potest amplius peccare peccato exteriori, requiritur maior detestatio, quam in illo, qui adhuc est dominus sui actus, idest qui potest peccare. Non est autem intelligendum, quod requiratur maior, idest intensior displicentia, quia talis obligaretur ad impossibile; sed intelligit quod ad hoc, quod remittatur sibi peccatum, requiritur maior displicentia, quam in eo, qui adhuc est dominus sui actus. Sed hoc etiam videtur durum; quia sequeretur quod Petrus, qui non potest amplius fornicari, si habeat æqualem displicentiam cum illo, qui potest adhuc fornicari, & non maiorem, non remitteretur ei peccatum, quod videtur falsum. Sed hic loquitur Doctor secundum strictam, & rigorosam Dei iustitiam.

Ex

Ex dictis infert Scotus duo corrolaria. Primum est, quod sano persuadendum est, vt sanus pœniteat, incutiendo illi timorem per rationes prædictas, & alias, ostendendo, quam sit periculosum, pœnitentiam differre vsque ad extremum vitæ.

Secundum corrolarium est, quod infirmo existenti in extremis suadendum est, vt secundum possibilitatem suam laboret pro agenda pœnitentia ordinata, vt videlicet non obstante dolore, & timore, vtatur ratione prout melius potesti, nitaturque habere displicentiam voluntariam de peccatis propter Deum, atque vt conetur malæ inclinationi habitus vitiosi, & præsentium delectationi, & denique curet habere displicentiam peccatorum pro tunc sibi possibilem, quamuis breuem; & ne in desperationis barathrum incidat, extollenda est illi Dei misericordia, proposito exemplo de latrone illo felici, cuius quidem pœnitentia fuit sera, indulgentia tamen non fuit sera, sed velox, & vera.

Contra conclusionem arguitur. Nihil ordinandum est a legislatore, quod est occasio transgrediendi legem; sed pœnitentiam in extremis esse validam ad salutem, est multis occasio continuandi peccata vsque ad illud tempus, ergo pœnitentia in extremis non valet ad salutem: alias enim Deus aliquid ordinasset, quod esset in destructionem legis suę. Respondet Scotus, quod legislator non debet ea prætermittere, quæ secundum se congruunt legi a se constitutæ; licet aliquis ex illis accipiat occasionem delinquẽdi. Alioqui enim non debuisset Deus vllo tempore post lapsum pęnitentiam instituisse in remedium peccatorum. Congruit autem legi constitutæ pro statu naturæ lapsæ, quod penitentia possit esse fructifera non solum in quocunque momento sanitaris, sed etiam in extremis; immo tunc magis pro salute multorum imperfectorum. Vnde occasio delinquendi non propterea data est a lege; sed solum accepta ab imperfectis, imò secundum se occasio est seruandi legem propter amorem legislatoris, qui tantæ est misericordiæ erga miseros, quod nũquam eis claudit sinum misericordiæ suæ. Itq. ex eo confirmari potest, quod quando ex aliquo directe prouenit maius bonum, quam indirecte tanquam ex occasione accepta proueniat malum, tunc illud agendum est, & nullo modo pręterintendum propter talem occasionem; sed maius bonum est, quosdam vsque in finem vitæ malos per pęnitentiam saluari, quam sit malum peccatum ex huius occasione factũ, ergo iustum est, & dignum misericordia diuina, illiusq. suauissima lege, quod penitentia in extremis valeat ad salutẽ; consequẽtia cum maiori patet, & probatur minor; quia per talem pęnitentiam multi pertingunt terminum prædestinationis diuinæ; per occasionem vero illam delinquendi nulli cadunt a tali termino; licet enim prædestinati aliquando peccent, non tamen peccant peccatum, quo finaliter damnentur.

Distinctio. XXI.

Continuatio.

SOlet etiam quæri. Vtrum post hanc vitam aliqua peccata remittantur &c. Supra egit Magister de temporis opportunitate, quantum ad remissionem mortalium, hic secundo agit de opportunitate, quantum ad remissionem venialium, & circa determinata quasdam mouet quæstiones, & soluit.

Diuisio.

Diuiditur autem præsens dist. in duas partes. In prima quærit an aliqua peccata remittantur post vitam. Secundo ostendit quomodo mortale, cuius notitia non habetur remittatur. In speciali sententia Magistri tribus conclusionibus explicatur.

Peccatũ veniale post hanc vitam remittitur

Prima conclusio. Peccatum veniale, post hanc vitam etiam remittitur, pro cuius conclusionis explicatione quærit. An etiam post hanc vitam peccata aliqua dimittantur, & respondet quod sic, quod probat auctoritate Christi Domini dicentis, Matth. & Lucæ. 12. Qui peccauerit in spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. ex quo datur intelligi (sicut sancti Doctores tradunt) quod quædam peccata in futuro dimittuntur. Quædam enim culpæ in hoc sæculo relaxantur, quædam vero paruæ in futuro; vt tradit D. Greg. & refertur 25. d. cap. qualis hinc. Vnde D. August. lib. 21. de Ciuit. cap. 26. dicit eos, qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, & qui peccata venialia secum portant, per ignem purgatorij saluari, quo huiusmodi delicta cremabuntur, post hanc ergo vitam quædam peccata dimittentur. Et subdit D. August. quod ille ignis quosdam tardius, quosdam vero citius purgabit, & purgat; secundum quod aliqui magis, vel minus corporalia bona in hac præsenti vita dilexerunt, vnde dilectionis gradus per hæc tria notantur, scilicet lignum, fœnum, & stipulam. Illi autem qui superædificant aurum, argentum, & lapides preciosos, tam ab igne æterno, quam purgatorio securi sunt.

D. Gregor.
D. August.

Et si dicatur. Si per lignum, fœnum, & stipulam venialia intelliguntur, cum nullus sine venialibus inueniatur, ergo nullus erit, qui huiusmodi non ædificet, atque ita etiam uiri perfecti, qui ædificant aurum, argentum, & lapides preciosos, lignum, fœnum, & stipulam ædificabunt, atque adeo per ignem transibunt: Respondet Magister, quod alij sunt qui ædificant lignum, fœnum, & stipulam, sicut sunt imperfecti, qui quamuis Deum contemplentur, & proximum diligant, & opera bona faciant; tamen non dicuntur superædificare aurum, argentum, & lapides preciosos, per quæ prædicta, tria intelliguntur, nempe contemplatio Dei, dilectio proximi, & bona opera: quia non habent hæc tria excellẽter, at cum aliquo inordinato amore rerum temporalium. Alij vero sunt, qui ædificant aurum, argentum, & lapides preciosos, sicut perfecti, qui quidem sunt contemplationi Dei intenti, quę per aurum intelligitur, & dilectioni proximi, quæ per argentum significatur, & cæteris bonis operibus, quæ per lapides preciosos notificantur. Isti ædificare dicuntur non lignum, fœnum, & stipulam; sed imperfecti, qui simul cum Deo cogitant, quæ sunt mundi, nec non lignum, fœnum, & stipulam ædificant, & cum talibus ædificijs trãseunt, & igne purgatorij cremabuntur, licet transitorie, attamen grauiter puniuntur: hic etenim misericordia exhibetur, illic vero iustitia.

Mortale ignorũ per generalẽ cõtritionẽ & confessione deletur.

Secunda conclusio. Sicut per generalem confessionem, & veram contritionem veniale deletur, sic etiam mortale, cuius notitia non habetur, etiam si non recitetur.

Ad quam insinuandam quærit Magister an confessio prosit si in ea singula peccata non exprimantur, & respondet, quod singula peccata mortalia, quorum quis memoriam habet, debet singillatim semel in confessione exprimere, sed quorum memoriam non habet, oportet saltem generaliter confiteri. Et si dicatur, quod sicut ad hoc, quod contritio valeat, non oportet sigillatim conteri de quolibet, immo sufficiatur in contritione de omnibus, ita a pari de confessione videtur. Respondetur, quod non est simile, quia contritio est in conspectu Dei, qui vno aspectu videt omnia; sed confessio est in conspectu hominis, qui non potest plane noscere morbum, nisi audiendo mortalia singula. Iterum confessio fit ad erubescentiam, contritio vero ad peccati detestationem per iustitiam, detestatio autem intenditur in collectione multorum malorum, sed erubescentia in explicatione singulorum. Cæterum venialia, quia innumerabilia sunt, oportet, & sufficit ea generaliter confiteri. Vnde in ecclesia generalis solet fieri confessio, per quam venialia remittuntur, & etiam mortalia, quorum memoriam non habemus. Et vti pœnitens celare pec-

peccata non debet, quæ ipse fecit, & quorum memoriam habet, ita debet attendere quod peccatum non confiteatur, quod non fecit, alioquin mentiretur, & sic peccaret.

Sacerdos debet confitentium peccata celare. D. Greg.

Tertia conclusio. Sacerdos omnibus modis debet peccata confitentium celare, quod si non fecerit deponendus est. Probatur de pœnit. d. 6. cap. sacerdos, & sunt verba D. Gregorij sacerdos ante omnia caueat, ne de his, quæ ei confitentur peccata, alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nec (quod absit) pro aliquo scandalo; Nā si hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ igno miniosus peregrinando pergat.

Pœnitens nō debet proprium dimittere sacerdotem. Urbanus. II

Vltimo dicit, quod pænitens nunquam debet proprium dimittere sacerdotem; nec sacerdos quicunque aliquem alteri sacerdoti commissum, ad pænitentiam suscipere debet, vt ait Vrbanus secundus. 9. q. 2. cap. placuit. tamen propter ignorantiam proprij sacerdotis potest pænitens quærere discretum sacerdotem, iuxta illud pænitens eligat sacerdotem scientem ligare, & soluere. & hæc breuiter Magister in hac dist. Et quia duo principaliter pertractat: nimirum de remissione peccatorum post hāc vitam, & de sygillo secreti Confessionis. Ideo duo quærit Doctor.

QVÆSTIO I.

Vtrum post hanc vitam possit aliquod peccatum dimitti.

PRo tituli explicatione obseruandum est, quod hæc quæst. quadruplicem potest habere difficultatem, prima est de culpa mortali, secūda de eius pęna; tertia de culpa veniali, & quarta de pęna ei correspondente; adeo quod potest esse sensus an culpa mortalis, & eius pęna possint post hanc vitam dimitti; & certum est quod non; nam vt dicit D. Greg. in Dialogis loquendo de culpa mortali. Ad iustum Dei iudicium pertinet, vt nunquam careant supplicio, qui nunquam voluerunt carere peccatis. Et de pœna peccato mortali debita inquit Saluator Matth. 25. Ite maledicti in ignem æternum; sed super æternum nō cadit remissio: quia non esset æternum si dimitteretur. Secundo potest esse sensus an culpa venialis, & pęna ei correspondens in alio sæculo dimittantur. & iste est sensus quæstionis.

D. Greg.

De peccato veniali quæ sint certa, quæue controuersa.

Secundo obseruandum est. Quod circa peccati venialis quidditatem aliqua sunt certa, aliqua vero sub iudice. Primo certum est ex omnium mente peccatum veniale sic dici, quia est dignum venia; vel quia eius venia facilius obtinetur. Secundo est certum, hoc esse discrimen inter mortale, & veniale, quia mortale est actus incompossibilis cum charitate, si fiat ex deliberatione, & consensu, veluti periurium, &c. veniale autem est actus contra rectam rationem & ex natura rei compossibilis cum charitate, quamuis aliquando fiat ex plena deliberatione, veluti verbum ociosum dicitur autem ex natura rei compossibilis cū charitate: quia huiusmodi peccata, quæ ex genere suo sunt venialia, possūt fieri mortalia ex deprauata intentione operātis, vt si aliquis dicat verbum ociosum coram muliere, vt illam sibi alliciat ad fornicandum. Tertio est certum, quod peccatum veniale est triplex, scilicet ex genere suo, vel ex imperfectione actus, vel ex paruitate materiæ; ex genere suo veluti verbum ociosum, quod quidem, quamuis fiat ex deliberatione, est actus contra rectam rationem compossibilis cū charitate, nec attingens malitiam peccati mortalis. Veniale autem ex imperfectione actus est peccatum, quod ex suo genere esset mortale, si voluntas præstitisset consensum, veluti delectatio libidinosa, antequam voluntas consentiat propter inaduertentiam intellectus. Tertio actus est veniale peccatum ex paruitate materiæ: quia quamuis sit contra aliquod præceptum, desinit esse mortale propter minimum nocumentum, licet fiat ex plena deliberatione, vt furtum vnius oui, & hoc genus venialis reperitur in omnibus præceptis.

Est autem sub iudice; an actus prædictus sit dicendus contra legem Dei. Nam D. Thomas 1. 2. q. 88. art. 1. ad 1. & q. 89. negat esse contra legem, sed est præter legem: quia non seruatur modus rationis intentus a lege. Durandus vero in 2. d. 41. q. 6. ad 1. asserit esse contra aliquam legem, & probatur primo omne veniale est agere contra rectam rationem, sed agere contra rectam rationem, est agere contra legem naturalem dictātem, quod non est deuiandum a regula rationis, & præterea omne veniale est contra actum alicuius virtutis, vel moralis, vel Theologicæ, ergo est cōtra aliquod præceptum; si quidem de singulis virtutibus data sunt pręcepta. Sed his non obstantibus opinio D. Thomæ, & opinio Durandi facillime conciliantur, quadam dist. Caiet. supra D. Thom. vbi inquit, quod agere contra legem contingit dupliciter, scilicet aut simpliciter, aut secundum quid. primo modo est actus contra legem, & incompossibilis cum fine legis. Secundo modo est actus contra legem non tamen contra finem legis. Ad cuius explicationem obserua; quod finis totius legis est charitas, vt dicit D. Paulus. 1. Timot. 1. & ad Roma. 13. Qui proximum diligit legem impleuit: Nā non occides, Non mechaberis &c. vt ibi. Plenitudo ergo legis est dilectio & ex hoc patet, quod agere contra legem simpliciter est actus contrarius legi, & incompossibilis cum eius fine, scilicet charitate; agere vero contra charitatem secundum quid, est actus contrarius legi, compossibilis tamē cum fine. vt verbum ociosum. Peccatum ergo veniale est transgressio alicuius legis, vt probant argumenta Durandi; non autem est contra finem legis: quia tantum impedit augumentum charitatis, cum sit actus referibilis in Deum, & sic est præter finem legis, & nihil aliud docet D. Thomas. Cum enim ait quod non est contra legem, est intelligendus simpliciter.

Peccatū veniale an sit contra legē Dei D. Thom. & Durandus.

Caietanus. Agere contra legē contingit bifariam.

Ex quibus omnibus constat peccati venialis definitio. Est enim actus contra aliquam legem, compossibilis tamen cum charitate, & in hoc vltimo differt a mortali, veluti in amicitia humana cum qua sunt compossibiles aliqui actus, quamuis offendatur amicus; aliqui autem sunt actus dirimentes amicitiam; similiter in diuinis actus, quibus offenditur Deus & non destruitur charitas sunt venialia; actus vero offendentes, & non rescindentes charitatem sunt mortalia. Et quia peccata venialia offendunt, quærit Doctor esto, quod non sint dimissa in hac vita, vtrum post hanc vitam remittantur. Diuiditur autem hæc quæstio in tres articulos.

Primus Art. Vtrum dimissa culpa in hac vita, pęna ipsi debita solui possit post hanc vitam.

Secundus Art. Vtrum pœna peccati venialis possit solui in inferno.

Tertius Art. Vtrum culpa hic non dimissa possit post hanc vitam remitti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum dimissa culpa in hac vita, pœna ipsi debita solui, possit post hanc vitam.

QVoniam sæpissime contingit post sacramentum pęnitentiæ rite susceptum, & cum principali fructu quod non dum reatus pęnæ temporalis, omnino remissus sit; Ideo necessaria sunt alia remedia, quibus possit anima huiusmodi debito liberari; quæ remedia merito pęnitentię sacramento annexa dicuntur, quæ vel sunt propria satisfactio, quæ ab vno quoque homine pro se ipso fit ex opere operantis, de qua diximus agentes de satisfactione sacramentali, quæ est tertia pars materialis sacramenti pœnitentiæ, aut pœnæ purgatoriæ, quæ a Deo post hanc vitam infliguntur, aut suffragia, & indulgentiæ, quæ tam viuis, quam defunctis prodesse possunt, illa ex opere operato, hæc vero ad modum operis operati.

Cum igitur tres sint modi liberandi animas a reatibus peccatorum. de secundo agit Doct. in hac quæst. & nos breuiter in hoc articulo. Nam de Purgatorio, & eius pœnis erit sermo in 4. tomo, cum de Inferno tractabimus.

Pro nunc ergo sit hæc conclusio responsiua ad quæst. Peccato dimisso in hac vita pęna pro ipso debita potest solui post hanc vitam. hæc conclusio est de fide certa.

Pœna peccato in hac vita remisso solui potest post hanc vitam.

certa. & probatur ratione. Nullus beatificatur cum debito pœnæ debitæ pro peccatis; ergo ante beatificationem oportet, quod debitor talis pœnæ soluat illam. consequentia est nota, & probatur antecedens quia alias pœna, vel esset soluenda simul cum gloria beatifica, vel post illam; sed nullum illorum est verum, ergo nullus beatificatur cum debito pœnæ pro peccatis debitæ. probo minorem, quia neque pœna potest stare cum gloria, neque succedere gloriæ, vt satis est manifestum in fide catholica; Multi autem migrant ex hac vita præsenti, dimissis peccatis, quo ad culpam, & pœnam æternam, quia dignam pœnitentiam ante mortem de illis habuerunt, quibus tamen sæpius restat pœna temporalis soluenda pro illis peccatis, in quam pœna in fuit illis æterna commutata, quando pœnitentiam egerunt, ergo tales post hanc vitam soluent pœnam illam temporalem pro peccatis hic dimissis debitam; siquidem ante mortem illam non persoluerunt.

Secundo probatur conclusio auctoritatibus sacræ scripturæ, & sanctorum, necnon sacrorum Conciliorum. Nam Matth. 12. dicitur. Qui dixerit verbum contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro, ergo aliquod peccatum remittitur in alio sęculo, alias non esset verum Christi verbum, quod intelligitur etiam de plena peccatorum remissione. Vnde ex ista auctoritate Magister in hac dist. & D. Bernardus sermone 66. in Cantica probant, Purgatorium esse post hanc vitam. *Magister. D. Bernard.* Idemq. probatur ex cap. 17. lib. 2. Machabæorum vbi dicitur fortissimum Iudam duodecim millia dragmas argenti obtulisse pro peccatis mortuorum: quia iuste & religiose, de resurrectione cogitabat, quoniam nisi eos, qui ceciderant resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum orare pro mortuis, & statim concludit. Sancta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis soluantur; quibus verbis aperte colligitur aliquos defunctos posse a peccatis solui: quod verum esse non potest de his, qui in peccato mortali decedũt, ergo necesse est de iustis intelligi, quod satis aperte ibi explicatur, cum dicitur eos qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habere repositam gratiam & de eisdem subditur, optimum ac religiosum consilium esse pro eis exorare, vt a peccatis soluantur. supponuntur ergo huiusmodi defuncti adhuc ligari reatibus peccatorum: nisi enim ligati essent, solui non possent.

Tertio probatur ex D. Paulo 1. Corint. 3. vbi postquã Paulus dixerat Christum esse fundamentum, statim subiunxit. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fęnum, stipulam, vniuscuiusque opus manifestum erit. Dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit; si cuius opus manserit, quod superædificatur mercedem accipiet; si cuius opus arserit detrimẽtum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, & quibus verbis satis aperte colligitur purgatorius ignis, vt hic adnotauit Scotus, cuius testimonij suis in his vltimis verbis posita est, quibus affirmari videtur a Paulo aliquos saluari per ignem. Nam quod dixerit si cuius opus arserit detrimentum patietur, non potest intelligi de peccato mortali non dum in hac vita dimisso: quoniam statim subiunxit. Ipse autem saluus erit; sed qui sunt in inferno nũquam saluabuntur; ergo alius est locus, in quo detrimentum patiuntur animæ, & postea saluantur. Illum nos appellamus Purgatorium ignem: in eo enim patitur detrimẽtum is, qui saluandus est. Decessit tamen ex hac vita cum debito pęnę pro peccatis soluendę, vel cum peccatis venialibus significatis per lignum, fęnum, & stipulam, & sic intellexit hunc locum D. Pauli. D. August. lib. 12. de Ciuit. c. 26. vbi dicit. *D. August.*

De his, qui ædificant lignum, fęnum, stipulam, post istius sane corporis mortem, donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis, & remunerationis, si hoc temporis interuallo spiritus defunctorum, qui ædificauerunt lignum, fęnum, stipulam, ignem dicantur perpeti, quem alij non sentiunt, qui huiusmodi ædificia non portauerunt, ut inueniãt ignem transitoriæ tribulationis venialia concremantem, nõ redarguor; quia forsitan uerum est, & sequitur. Grauior erit ignis ille, quam quicquid homo pati poterit in hac uita. Et idem D. August. in lib. de falsa, & uera pœnit. cap. 18. & habetur in Decretis de pœnit. dist. 7. cap. ult. loquens de sero pęnitente inquit. Si aliquis sic conuertatur, ut uita uiuat, & non moriatur, non promittimus, quod euadat omnem pœnam: Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis, & si æternus non sit, miro tamen modo grauis est, excellit enim omnem pęnam quam vnquam passus sit aliquis in hac vita: Nunquam in carne tanta inuenta est pęna, licet mirabilia martyres passi sint tormenta, & multi nequiter iniqui, quanta sæpe sustinuerunt supplicia. Vnde dicit Magist. dist. 20 cap. 2. *Magister.* Si ante expletionem pœnitentiæ homo decesserit, ignem purgatorium sentiet, & grauius punietur, quam si hic pęnitentiam explesset. Nec mirum inquit Scotus: quia pęna quanto minus voluntaria, tanto minus satisfactoria est.

Secundo probatur concl. auctoritatibus sanctorum. Prima auctoritas est D. Hierony. in id Prouer. 11. *D. Hierony.* Mortuo homine impio non erit vltra spes. Notandum (ait) quod & si impiis post mortem spes veniæ non est; sunt tamen qui de leuioribus peccatis cum quibus obligati defuncti sunt, post mortem possunt absolui, vel pęnis castigari, vel suorum precibus & eleemosynis, missarumque celebrationibus.

Secunda est auctoritas D. August. lib. 2. contra Manichęos. c. 20. in fine vbi ait. *D. August.* Qui agrum non coluerit, & spinis eum opprimi permiserit, habet in hac vita maledictionem terræ suæ, & post hanc vitam habebit vel purgatorium ignem, vel pęnam æternam.

Item Hylarius in id Psal. 118. Concupiuit anima mea desiderare, &c. in octen. 3. ait. *Hylarius.* Purgatorium vocat indefessum ignem, in quo grauia sustinentur supplicia, per quę animę a peccatis expiantur. Item Gregorius Nyssenus oratione de infantibus, qui præmature arripiuntur. inquit. *Greg. Nysse.* Subibit actæ vitæ iudicium, accipiet pro merito retributionem, & compensationem, vel igni purgata iuxta Euangelij verba, vel in rore benedictionis refrigerata, atque refocillata.

Item Basilius in cap. 9. Isaiæ circa illa verba, Vt germen siccum vorabitur ab igne, (vt ipse legit) *Basilius.* Si per confessionem (ait) detexerimus peccatum, iam succrescens germen aresecimus, dignum plane quod depascatur, ac deuoret purgatorius ignis.

Deinde Plato apud Eusebium lib. 12. de præparat. Euang. c. 5. purgatorium per hanc viam agnouit. *Plato.* Purgantur autem (inquit) quicunque curabiliter peccarunt doloribus, & hic viui, & apud inferos mortui: non enim aliter possibile est impietas vitiorum detergi maculas; quam sententiam Eusebius ipse valde commendat, *Eusebius.* & ex diuinarum scripturarum lectione Platonem illam didicisse affirmat.

Postremo probatur ex Concilio Florent. & Trident. sess. 25. cap. 1. quæ determinant, quod ecclesia ex sacris litteris, & antiqua Patrum traditione docet esse Purgatorium. *Conc. Flor. Conc. Trid. Castro.* legite Castro. lib. 12. contra hæreses verbo Purgatorium.

ARTICVLVS II.

Vtrum pęna peccati venialis possit solui in Inferno:

DE hac re refert Scotus tres opiniones. Prima est Alex. de Ales. 2. p. q. 124. m. 9. & D. Bonauen. in 2. d. 42. n. 38. *Alex. de Ales.* qui duo dicit, Primum quod peccato veniali per se respondet pęna æterna. Secundo vero dicit, quod per accidens respondet illi pęna temporalis; & primum probat: quia si quis damnatur pro mortali peccato simul cum veniali, pro tali veniali semper punietur, nam alioqui in Inferno posset esse redemptio alicuius peccati; ergo nisi peccato veniali deberetur pęna æterna, secundum iustitiam, non puniretur a Deo æternaliter, & confirmatur: quia omnis inordinatio contra Deum quantum est de se digna est pęna æterna. Secundum dictum probatur: quia peccatum veniale stat cum charitate, per quam homo ordinatur ad gloriam, ergo consequenter ratione illius, peccato veniali pęna temporalis debetur. eãdẽ sentẽtiam tenet Gerson in lib. de vita spirituali. *Gerson.*

Contra primum dictum arguit Scotus: quia debitum pęnæ æternæ non stat cum charitate, sed veniale stat cum charitate, non tantum in reatu, sed etiam actu commissum secundum omnes, ergo illi per se non respondet æterna pęna, cõsequentia est nota cũ minori, & maior probatur: quia per charitatem est homo dignus æterna vita, ergo si cum hoc habet debitũ æternæ pęnæ, sequitur aperte, q̃ hõ simul est di-

gnus vita æterna, & pœna æterna: quod est impossibile; qa nullus potest esse debitor pœnæ obtenta gloria; quia tunc posset stare gloria cum aliqua pęna.

Præterea post actum peccati mortalis nihil remanet de peccato nisi debitum vel dignitas pęnæ, vt dictum est dist. 14. q. 1. Si ergo debitum pęnæ æternæ posset stare cum gratia, peccatum mortale non remissum posset stare cũ gratia, eo modo quo manet post actum, & sic idem esset amicus, & inimicus Deo.

Secundo arguit ad idem Scotus, essentialis pęna damnatorum non est pęna sensus; sed pęna damni; illa autem concomitatur quancunque pęnam: quia nulla pęna potest stare cum beatitudine, ergo debitum ad quancunq. pęnam æternam includit pęnam damni æternam, & per consequens pęnam essentialem damnationis, sed illa non correspondet veniali, ergo &c.

Tertio arguitur peccatum veniale, & mortale sunt improportionabilia in ratione malitiæ, vel offensæ: quia infinita venialia si essent non æquarentur vni mortali in ratione offensæ: quia neque omnia venialia auertunt a fine vltimo, sicut vnum mortale; ergo pęna secũdum iustitiam correspondẽs mortali peccato improportionabiliter, & in infinitum excedit pęnam debitam veniali, sed non excedit improportionabiliter, & in infinitum intensiue, quia quælibet pęna secundum intensionem, finite excedit, vel exceditur ab alia, ergo excedit illam extensiue in duratione perpetua; ergo peccato veniali non debetur æterna pęna, sed temporalis. & hanc conclusionem tenet Scotus propter assignatas rationes.

D. Thomas. Ricard. Secunda opinio est D. Thomæ 1. 2. q. 87. art. 5. & 3. p. q. 87. art. 4. & in 4. d. 16. art. 2 & Ricar. hac dist. art. 2. q. 3. dicentium, quod peccato veniali per accidens debetur pęna æterna, quando mortali coniungitur, non autem ratione sui, & probatur, quia peccatum veniale in tali perpetuo manebit quo ad culpam, ergo perpetuo manebit quo ad pęnã; Hæc opinio non placet Scoto: quia Deus semper punit citra condignum, & quamuis secundum rigorem puniret vsque ad condignum nihilominus iniustum videretur pęnam æternam infligere pro veniali, cui secundum se pęna temporalis debetur: neque enim aliqua coniunctio ad mortale constituit veniale in infinitum extra genus culpæ venialis, ergo nõ iuste correspondebit illi pœna in infinitum excedens, qualis est æterna.

Ex hoc dicto Scoti ita arguitur & primo sic. Sit Petrus decedens in mortali. a & veniali. b. pro a. peccato mortali æternaliter punietur, & sit illa pęna. c. & pro b. peccato veniali iterum punietur pęna æterna. & sit. d. illæ pęnæ realiter distinguuntur ab inuicem sicut diuersi gradus vnius formæ, licet faciant vnam totalem pęnam. Tunc arguitur sic. pena. d. excedit demeritum ipsius. b. culpæ venialis, ergo si Deus infligit pęnam. d pro. b. culpa, punit. b. supra condignum licet de per accidens, quod est inconueniens. Quod autem pęna. d. excedat demeritum. b. culpæ venialis patet, quia demeritum. b. culpæ venialis est solum demeritum culpæ temporalis, & eius indignitas est pęna temporalis, ergo si. d. pœna infligatur ratione cuiuscunque coniunctionis; cum pęna. d. sit æterna, & excedens Deus punit vltra condignum.

Secundo arguitur. Peccato veniali non correspondet pęna grauior intensiue quantumcumque concomitetur peccatum mortale, quam conueniat sibi ipsi per se, ergo pari ratione non correspondet peccato veniali grauior pœna extensiue, quam correspondeat sibi per se, atque cum per non correspondeat nisi pęna temporalis, videtur quod nec ratione peccati mortalis concomitantis. consequentia patet, & antecedens probatur. quia alias æque grauius pęna correspondæret peccato veniali intensiue, sicut peccato mortali, quod est falsum.

Tertio arguitur, Deus non punit bis in id ipsum, sicut nec iudicat, sicut dicitur in Naum, at si peccato veniali cum mortali coniuncto debetur pęna æterna, Deus bis puniret in id ipsum ergo &c. Maior patet, & minor probatur; quoniam secundum sententiam D. Thomæ habens peccatum mortale, & veniale punitur duplici pęna æterna. Tunc quæro de altera istarum ratione cuius peccati, venialis, vel mortalis punitur iste per illam pœnam, quæ est secunda. Non potest dici quod ratione venialis: quia tunc peccatu veniali per se correspondetet pœna æterna, quod est contra eos, & contra veritatem; igitur ratione peccati mortalis punitur ista pęna æterna secunda, & ita bis punitur in id ipsum, quod est falsum. Et si dicas quod punitur ratione peccati venialis non secundum se, sed vt concomitantis peccatum mortale. Contra quia ista concomitantia non aggrauat peccatum veniale, vsque ad mortale, sed semper manet veniale, igitur non aggrauat pęnam quin semper maneat temporalis, ac si solum esset peccatum veniale sine mortali. Et si dicatur quod omnia peccata simul ponderantur, & datur eis vna pęna simpliciter. Contra aut per additionem venialis habent intensiorem pęnam, & si illa sit æterna, sequitur quod punitur pro veniali æternaliter, quod improbatum est; si non habent intensiorem pęnam, ergo non omnia ponderantur, nec puniuntur venialia sine eis cum tanta pęna, sicut cum eis, & tunc habent maius priuilegium, quam illi, de purgatorio, qui sunt in gratia Dei.

Postremo arguitur. Aliquis in via habens peccatum mortale, & veniale simul, non obligatur nisi semel ad pęnam perpetuam scilicet ratione peccati mortalis, vnde & si confiteatur non est nisi vna mutatio pęnæ æternæ in temporalem; alioquin, necessario aliquis teneretur confiteri de venialibus, sicut & de mortalibus, licet per accidens ratione mortalium; sed decedens in mortali cum veniali non soluit nisi illam pęnam ad quam obligatus est, vel erat dum viueret, ergo &c.

Vnde sententia nostri Doctoris est, quod peccato veniali siue in hac vita puniendo, siue in Inferno, vel alibi non debetur nisi pęna temporalis, neque per se, neque per accidens; quia secundum se est talis offensa, quæ etiam secundum se sufficienter punitur per temporalem pęnam. *Sententia Scoti.* Neque reputat Scotus inconueniens esse pęnam debitam veniali habere terminum in inferno; quia vere pęnitens, & partem pęnitentiæ sibi imposita adimplens, & ante adimpletionem totius recidiuans in mortale, in illoque mortali decedens ex hac vita, soluit quidem in Inferno pęnam illam, quæ non fuit soluta in hac vita, & illi restabat implenda, non tamen nisi temporalem; quia in remissione peccatorum obtenta per pęnitentiam commutatum fuit illi debitum æternæ pęnæ in debitum pęnæ temporalis; ideoque talis non manet pro illis debitor nisi temporalis pęnæ, & per consequens pœna tali soluta liber manebit a debito soluendi illam vlterius; neque tamen in inferno est redemptio peccati illius pro quo talis damnatus est: quia debitum æternæ pęnæ pro tali peccato nunquam fuit commutatum in debitum temporalis pęnæ, atque adeo semper illud debitum manet: quia est debitum pęnæ æternæ soluendæ in Inferno.

Ad argumentum pro prima opinione responsum est, quod in inferno nulla est redemptio a pęna peccati, pro quo quis damnatus est, at non damnatur nisi pro peccato mortali non remisso, & illud perpetuo manet quo ad culpam, & pęnam: quia nullum illorum terminatur. Vel dicas quod in Inferno nulla est redemptio ereptiua, idest nullus potest eripi, quando est damnatus, potest tamen ab aliqua certa pęna esse redemptio; sed illa solutio pęnæ debet potius appellari satispassio, quam satisfactio: quia non satisfacit voluntarie, sed satispatitur; idest suffert inuoluntarie pęnam debitam.

Ad argumentum pro secunda opinione, dici potest quod peccatum veniale sicut in purgatorio remittitur, ex eo, quod pęna pro eo persoluitur; ita peccatum veniale quantum ad culpam in inferno remittitur; quia & pęna sua ibidem persoluitur; non quod idem sit pęnam solui, & peccatum dimitti, sed concomitanter. Secundo potest dici, quod peccatum vel culpa perpetuo manet in inferno, vel peccatum quantum ad culpam, sed non oportet propter hoc quod pęna sit perpetua: quia licet non remittatur culpa; sed semper displiceat ipse peccator Deo, non solum propter culpam mortalem, sed etiam propter venialem; non tamen amplius vult punire, quando iam sufficienter punitus est pęna temporali correspondente peccato veniali; secus est de mortali, cui correspondet pęna æterna.

ARTI-

ARTICVLVS III.

Vtrum culpa hic non dimissa possit post hanc vitam remitti.

CErtum est, quod post hanc mortem non potest dimitti peccatum mortale: illi enim non remissio debetur æterna punitio, quæ non remittetur, quia in inferno nulla est redemptio; potest tamen remitti seu verius solui pœna debita mortali in hac vita dimisso, vt constat ex superioribus. Est ergo dubium an peccatum veniale quo ad culpam possit dimitti post hanc vitam.

Et videtur quod non: quia remissio venialium est præmium actus meritorij, sed post hanc vitam nullum est meritum, ergo nullum est ibi præmium, scilicet remissio venialium.

Præterea nullus moriens iustus potest postea peccare, ergo nec moriens in peccato poterit postea resurgere, consequentia patet tum a simili; quia simile videtur pro aliquo statu posse peccare, & a peccato resurgere. Tum a maiori, quia facilius est cadere, quam resurgere. Tum quia resurgere a peccato non videtur competere nisi ei, qui potest mereri; sed qui non potest in aliquo statu cadere, non potest mereri.

Deinde nullum peccatum mortale post hanc vitam potest remitti, ergo neque veniale; consequentia patet: quia sunt eiusdem rationis, cum non nisi secundum magis, & minus differant.

Damasc. Item Damasc. lib. 2. de fide, c. 12. quod est Angelis casus, hoc est hominibus mors; sed Angelus post casum est omnino inuariabilis ab huiusmodi in quo cadit, ergo & homo ab illo, in quo moritur est inuariabilis post mortem.

Postremo per minimam pœnitentiam potest dimitti peccatum veniale, dum tamen sit voluntaria, vt aspersione aquæ benedictæ & huiusmodi; sed pœna mortis est maxima, quia est vltimum terribilium ex Arist. 3. Ethic. cap. 9. ergo per illam si sit accepta voluntate a moriente in charitate potest deleri omnis culpa venialis, & sic post mortem nulla culpa manebit remittenda si dicas, quod mors est inflicta pro peccato originali; & ideo non potest esse pœna debita alij peccato, nec deletiua, nec remissiua peccati. Contra. Originale peccatum dimissum est in Baptismo: quia contra hoc special ter ordinatur, ergo non est mors in isto pœna debita pro originali, ergo vt prius.

Arist.

Quid remaneat in peccatore post actū peccati venialis. Pro expli catione huius quæst. obseruandum est primo, quod actu venialis peccati transeunte nihil remanet in peccatore nisi obligatio, vel dignitas ad pœ iam temporalem, atque adeo peccatum veniale remitti non est aliud, quam pœnam solui totaliter, vel reatum ad illam pœnam commutari in minorem pœnam. Nam sicut peccatum mortale remitti quo ad culpam nihil aliud est, quam pœnam æternam totaliter nobis condonari per actum contritionis si tanta sit, quod sufficiat ad delendum culpam, & pœnam, aut reatum pœnæ æternæ commutari in temporalem, quando contritio non est sufficiens ad delendum culpam & omnem pœnam. Ita peccatum veniale remitti nihil est aliud, quam pœnam, ad quam est obligatus ratione venialis totaliter solui, seu nobis condonari, aut saltem commutari in obligationem ad minorem pœnam, v. g. si Petrus committit vnum veniale ratione cuius est oblig tus ad pœnam purgatorij vi ginti diebus, si habeat displicentiam sufficientem solum pro decem diebus, tam commutatur reatus idest obligatio de pœna viginti dierum ad pœnam decem dierum. Peccatum veniale ergo remitti quantum ad culpam est totalem pœnam nobis condonari, aut reatum ad totalem pœnam sibi correspondentem commutari in minorem pœnam.

Quid sit peccatū veniale remitti.

Potest quis decedere cū obligatione ad totalē pœnam peccato venialis respondente. Se undo obseruandum est, quod aliquis potest decedere cum obligatione ad totalem pœnam respondentem illi veniali; quia potest decedere sine quacunque consideratione suorum venialium, & per consequens sine quacunque detestatione illorum, & absque susceptione alicuius sacramenti, vt patet de illo, qui est in solis venialibus, & vadit dormitum, & inter dormiendum occiditur, vel in amentiam perpetuam cadit, & cum notum sit quod sanabitur, quia est in gratia & in solo veniali, nec perpetuo stabit in purgatorio ratione peccatorum venialium, nec beatificabitur cum culpa vel culpis venialibus; quia nihil inquinatum intrabit in regnum cælorum; ergo potest acquirere peccatorum venialium remissionem post hanc vitam. Dubium est modo vtrū remittatur ei veniale per solam tollerantiam pœnæ ad quā obligatur, vel per aliquem bonum motum voluntatis, & loquor de remissione venialis quantum ad culpam.

De hac difficultate refertur ab Scoto duplex dicendi modus, cuius explicationem videbimus statim; sed prius obsero, quod non defuerunt qui dicerent casum esse impossibilem: quia, vel iustus habens peccatū veniale tempore mortis, agit quod potest ad illius expiationem, vel non; si primū tollitur peccatum ante mortem; si secundum, graue peccatum committit, ita vt gratiam amittat: quia ille est propriæ salutis quidam contemptus, & diuinæ offensæ & satisfactionis. Hunc modum dicendi tetigit Ricard. hac d. art. 2. q. 1. & Maior. d. 21. q. 1. Cæterum hæc sententia falsa est, & nimis rigorosa. Tum quia sicut consensus in veniale est venialis, ita non videtur, detestatio eius occurrentis sub pœna peccati mortalis requiri, vt recte dicit Maior, atque adeo si ex negligentia, vel etiam sciens, & videns omittat adhibere remedium peccatis venialibus ante mortem, non propter ea peccat mortaliter: quia nullum ostendi potest de hac re præceptum, neque est in tali euentu aliquis contemptus; quia potest esse sola negligentia, vel nimia solicitudo circa corporis salutem, vel alias res temporales, cum illa spe, quod malum illud veniale post mortem habet remedium.

Ricardus.

Maior.

Alium modum d cendi tangit D. Bonau. hac d. p. 1. art. 2. q. 1. qui videtur esse Hugonis lib. 2. de sacramen. p. 14. c. 8. dicentis peccata venialia remitti in tempore ante mortem per gratiam, quam vocat, finalem absque alio actu hominis: Nam triplex est gratia, vt ipse dicit; scilicet Baptismalis, Pœnitentialis, & finalis, & quælibet istarum gratiarum pro suo initio dominium habet in ipsa anima, pro eo quod dominatur in ipso ingressu, vt gratia baptismalis, quæ in statu sui principio delet omnem culpam non tantum mortalem, verum etiam venialem, dominatur autem gratia baptismalis ex virtute sacramenti; Gratia pœnitentialis, ex subiectione & conformitate liberi arbitrij. Gratia finalis ex perfecta conformitate omnium virium animæ ad ipsam gratiam. Cum enim ipsa separatur a carne iam proniitates, & perturbationes, quæ inerant animæ ex carne, recedunt, & potentiæ animæ tranquillantur, ac per hoc venialia delentur, siue sint in parte animæ rationali, siue in parte animæ sensibilis, & ita nullum veniale dimittitur post hanc vitam, sed expellitur in puncto illo, in quo potest dici hæc est finalis gratia, qua dominium sibi vendicat, & omnem expellit culpam. Et si obijciatur, quod in futuro purgantur, & remittuntur peccata; respondet, quod remittuntur quantum ad reatum, siue pœnam, & purgantur quantum ad scoriam, siue sequelam. Hanc vero sententiam merito impugnat D. Bonau. Tum quia est contra auctoritates sanctorum; tum quia loquitur sine fundamento. Nam D. Gregorius in moralibus expresse dicit aliqua peccata dimitti post hanc vitam; Et si dicas quod intelligit quantum ad reatum; sic de omnibus posset intelligi culpis. Item Isidorus tractans illud Matt. 3. Ipse vos baptizabit in spiritu sancto, & igni. Peccata inquit quæ præcesserunt, spiritus sanctus per aquæ Baptismum abluet, & quædam ex eis, quæ postea sequuntur cruminibus per ignem purgatorium remittet. Cum ergo peccata præcedentia non solum quantum ad pœnam, sed etiam quantum ad culpam abluantur, ergo in purgatorio quædam quantum ad culpam sunt remittenda. Rursus cum gratia dominium habeat in anima statim in ipsa separatione propter quid non purgat a peccati scoria, vel sequela, sicut a veniali culpa?

D Bonau.

Hugo.

Gratia est triplex.

D Greg.

Isidorus.

Præterea quid addit gratia finalis super gratiam toto tempore vita habitam? nihil prorsus, nisi durationem vsque ad mortem, seu coniunctionem cum morte, hoc autem non est remedium contra veniale peccatum. Vbi enim institutum est? aut qua lege constat? Item dicere tunc gratiam roborari, vt fomitem extinguat, fatsum est; quia gratia in se non mutatur, nec fomes ex parte animæ seu virtutis extinguitur, sed solum vires corporis deficiunt, (vt recte D. Thomas notauit. in 4. d. 21. q. 1. art. 3.) quod ad remissionem venialis nihil refert.

D Thomas

Item vel peccatum veniale tollitur in ipso mortis instanti, & sic iam anima non est in corpore; quia est primum nō esse hominis; vel in aliquo alio instanti ante mortem & sic nondum gratia est finalis. Quod si dicatur dari instans, in quo

quo iam est infallibile, illam gratiam futuram esse finalem: hoc, licet sit verum, nihil confert ad nouum effectum gratiæ nisi ex aliquo priuilegio, vt in martyrio, quod hinc affirmari non potest. Postremo potest excogitari casus, in quo homo existat in actuali complacentia peccati venialis toto tempore immediato ante instans mortis, tale autem peccatum non potest illo tempore remitti.

Cum ergo certum sit posse animam separari cum gratia, & culpa veniali, explicare necesse est, quando, per quid, & quomodo tollatur. *D. Bonau.* D. Bonau. vbi supra inquit quod peccata venialia in purgatorio remittuntur: quia voluntas post hanc vitam potest esse gratiæ conformis, quamuis non possit esse adiutrix, pro eo quod cessauit tēpus meriti, & ideo indiget adiutorio exteriori, & cum non sit locus sacramenti habet adiutorium ignis punitiui, siue purgatorij, qui ideo dicitur purgatorius, quoniam anima purgatur a peccati scoria, & a veniali culpa, si cum illa transeat: & hoc possibile est, quia ad deletionem venialis sufficit, quod liberum arbitrium se conformet gratiæ, nec est necesse quod adiuuet. Remittitur ergo secundum D. Bonau. post hanc vitam in purgatorio successione temporis, quo anima purgatur, non tamen per solam pœnam, sed voluntariam acceptationem & patientiam in tolleranda illa pœna. Quam sent. docuit *D. Thomas. Abulensis. Sotus.* etiam D. Thomas vbi supra. Abulensis Matth. 25. q. 718 & Sotus. d. 15. q. 2. art. 2. quæ videtur consentanea modo loquendi sacræ scripturæ & sanctorum Patrum, qui dicunt hæc peccata in purgatorio remitti, & per ignem illius, vt patet. 1. ad Corin. 3. saluus fiet sic tamen quasi per ignem, loquitur enim de illo, qui lignum, fœnum, & stipulam superædificat, per quæ peccata venialia intelliguntur.

Scotus. Scotus (vt diximus) duplicem dicendi modum refert. Primus est, quod nihil est aliud culpæ venialis remissio, quam solutio pœnæ temporalis debitæ pro illa; idque sic probari videtur: quia actu transacto culpa, quæ manet nihil aliud est nisi reatus ad pœnam debitam; iste vero reatus peccati venialis non est nisi ad pœnam temporalem, vt constat ex superioribus, ergo soluta pœna temporali in purgatorio, quæ pro veniali debetur culpa venialis erit remissa, & sic patet secundum hunc modum siue opinionem, quod peccatum veniale potest remitti post mortem. hanc senten- *Gabriel. Maior. Medina.* tiam sequitur Gabriel. d. 16. q. 5. art. 1. notab 2. Maior. d. 21. q. 1. & Medina.

Secundus modus dicendi est, quod peccatum veniale potest in hac vita remitti non solum per interiorem pœnitentiam, vel exteriorem, sed etiam per aliquem actum Deo magis acceptum, quam sit displicens veniale peccatū, qui actus referatur ab ipso operante ad remissionem venialis, vel saltem talis actus acceptetur a Deo ad remissionem venialis. Vnde merita alicuius decessuri ex hac vita in charitate possunt a Deo acceptari ad remissionem venialium talis hominis post mortem illius, quamuis talis homo post mortem per actum proprium de nouo non mereatur remissionem illorum venialium. Idque suadetur hoc modo: quia causa impedibilis dum est impedita non ponit effectum; ponit vero illum, quando non est impedita; sed merita morientis in charitate esset causa sufficiens deletionis venialium illius si talia merita acceptarentur a Deo ad remissionem venialium, & ista causa post mortem non est impedita: quia tunc homo non contrahit actum peccati venialis; est autem impedita dum talis homo viuit, si semper actu manet in peccatis venialibus; igitur propter talia merita a Deo accepta ad talem effectum delebuntur venialia post hanc vitam. Ex quo infert Doctor, quod in instanti mortis quando iam anima non est in via, sed in termino remittuntur venialia quo ad culpam homini, qui decessit in gratia, acceptante Deo merita illius præcedentia ad eorum deletionem in illo instanti: Tunc enim cessat impedimentum, cum non maneat tunc actus venialis peccati.

Vt autem hoc probet Scotus assumit opinionem, quam ipse tenet; scilicet quod per quodcunque opus meritorium meretur homo augumentum gratiæ, & gloriæ, & tamen non statim post quodlibet meritum augetur gratia, sed illius augumentum meritis dimissis meritum reseruatur cōferendum in mortis instanti; ergo a simili potest teneri de remissione venialium, quod est quoddam præmium licet non principale meritorum, sicut est etiam gratiæ augumentum in aliquo gradu; quod acceptat Deus merita decessuri in gratia ad remissionem venialium in mortis instanti; idque esse rationabile, vel ex eo patet, quod in illo instanti talis homo primo fit, & constituitur in alio statu vsque ad quē status viatoris, vel aliquid concomitans talem statum, vt est peccatum veniale, vel remissio meritorum impedierat redditionem præmij talium meritorum.

Et hunc modum magis approbat Scotus; quia alius modus non satisfacit ex eo, quod sancti videntur distinguere inter remissionem cuiuscunque culpæ, & pœnæ, & maxime inter remissionem culpæ, & solutionem pœnæ debitæ tali culpæ. Neque multum ab hoc secundo modo dissidet D. Thomas. Ipse siquidem. 1. 2. q. 114. art. 8. ad 3. docet, quod *D. Thomas.* quolibet actu meritorio meretur homo augumentum gratiæ, sicut vitam æternam; sed sicut vita æterna non statim redditur; ita neque statim augetur gratia; sed suo tempore, cum fuerit homo sufficienter dispositus ad gratiæ augumentum. Vbi D. Thomas non explicat instans mortis pro dispositione sufficienti sicut Scotus. Pro sententia tamen Scoti facit hæc ratio. Ponamus quod aliquis post aliquod meritum per spatium vitæ suæ breue, seu longum per propriam negligentiam fiat indispositus ad gratiæ augumentum, quia deest gratiæ; certe non videtur quin isti in mortis instanti augeatur gratia, quando iam desinit esse viator. Quamuis autem gratia, & charitas, in via D. Thomæ distinguantur; nihilominus ipse Thomas. 2. 2. q. 24. art. 6. docet quod charitas non augetur quolibet actu charitatis; vnde non multum distat eius sententia a sententia nostri Doctoris, qui in fine huius quæst. dicit quod si neuter modus ex prædictis placet, vel quod idem sit veniale remitti quod solui pęnam debitam illi; vel quod per merita in vita habita & reseruata in diuina acceptatione deleantur venialia in mortis instanti, difficile reperietur modus alius, quo venialia post mortem remittantur: nam ponere in anima post mortem meritum aliquod per quod mereatur venialium remissionem non videtur Theologiæ doctrinæ consonum, quæ ponit statum mortuorum incapacem meriti, vel demeriti: imo hæresis Lutheri damnatur ponentis animas in purgatorio existentes non esse extra statum merendi, & demerendi, vt videre est apud Castrum lib. 12. contra hæreses verbo purga- *Castro.* torium hæresi. 2.

Vnde opinio Scoti ab aliquibus citata contra communē non potest procedere (vt mihi videtur) secundum ipsius mentem in hoc secundo modo explicatam, cui modo ipse magis adhæsit: dixit. in eius explicatione, quod in mortis instanti id est in primo non esse hominis: quia iam est extra viam remittuntur venialia decedenti in gratia si in venialibus perseuerauit vsque ad mortem propter merita, quæ talis homo habuit in via, & hoc modo remittuntur venialia in purgatorio, seu post hanc vitam secundum Scoti sententiam, vnde existimo falso tribui Scoto istam opinionē, quod in Inferno possint venialia remitti quo ad culpam: quia Scotus in principio huius quæstionis vbi videtur illud dicere, procedit arguendo contra Alex. & Thomam, & Ricar. postea vero in secundo modo iam explicato affirmat remissionem venialium fieri per remissionem culpæ, & pęnæ per aliquem actum contrarium magis Deo gratum, quam fuerit culpa venialis displicens; vel per actum meritorium gratiæ. Et cum in Inferno nullus sit locus actibus meritorijs, sequitur certe Scotum non adhæsisse sententiæ, quæ contra communem, communiter illi tribuitur.

Vnde videtur in eadem sententia fuisse, in qua est Durandus hac dist. q. 2. videlicet quod pęna debita culpis venialibus in hac vita remissis potest solui in Inferno, non tamen possunt tales culpæ ibi remitti. Ex quo sequitur Na- *Nauar.* uar. de pęni. d. 6. §. sacerdos nu. 24. non satis circunspecte dixisse, quod qui tenuerit pęnam temporalem peccato condonato debitam deleri per satisfactionem in mortali factā, debet etiam tenere veniale sine mortali, tam in hoc sæculo, quam in Inferno condonari: est enim dissimilis ratio: quia peccatum mortale fuit semel dimissum in hac vita, veniale autem non potest remitti damnato in Inferno, quia ibi non est locus culparum remissioni; est tamen locus pęnarum satispassioni.

Præter relatos modos remittendi culpam venialem post hanc vitam, est alius modus (& quidem probabilis valde) Durandi hac d. q. 2. quem sequitur Bassolus, & Almayn *Durandus. Bassolus. Almayn.* hac d. nempe, quod peccatum veniale quoad culpam remittitur decedenti in charitate post hanc vitam per aliquē actum bonum conuersionis animæ ad Deum & detesta-

tionis

tionis venialium: ita quod anima in primo instanti separationis a corpore potest habere feruentem actum dilectionis Dei, & contritionem etiam perfectam omnium præcedentium culparum: quia in eo momento optime cognoscit statum suum, & est expedita ad operādum, & ex parte Dei habet auxilium efficacissimum iuxta mensuram suæ gratiæ, & ipsa statim sine mora operatur, & perfecte tendit in Deum, & auertitur ab omnibus venialibus, atque adeo ille actus sufficit, vt statim tollantur omnia illa peccata quoad culpam. Et si dicatur esse verisimile detestationem illam procedere ex maiori conatu, quam quæcunque detestatio viatoris procedat; & per consequens cum detestatio viatoris sufficiat ad remittendam culpam, & pœnam, quare etiā non remittuntur ei quantum ad omnem pœnam. Nam certum est in hoc mundo tantam esse posse detestationem, quod virtute illius remittitur nedum mortale, sed veniale, & omnis pœna, vt patet de Magdalena, & de Latrone, & cum verisimile sit illam in purgatorio, vel in instanti separationis esse ex maiori conatu, quam quæcunque in hoc mundo, tunc statim euolabit. Dico quod non sequitur propter diuersitatem status: quia Deus statuit tempus huius vitæ ad satisfactionem per nostros actus, vel pœnas huius vitæ, tempus autem vitæ futuræ ad sustinendam pœnam ignis; sicut ergo in instanti mortis extrinsece finitur hæc vita, & intrinsece incipit alia, ita in illo iam non habet locum modus satisfaciendi huius vitæ, sed intrinsece incipit satispassio per purgatorium ignem.

Restat modo respondere argumentis propositis in principio huius art. Ad primum patet secundum diuersitatem opinionum de remissione venialium post hanc vitam.

Ad secundum negat Doctor consequentiam intelligendo resurgere pro liberari a peccato, & ad probationem respondetur, quod non est simile: quia peccare est libere agere in statu viæ; resurgere autem idest liberari a peccato non requirit libere agere etiam in via; quia secundum primam opinionem non est nisi soluere pœnam, & hoc est pati eam, vel iuxta secundam non est nisi per merita prius habita in via, & pro tunc acceptata post vitam culpam dimitti.

Ad secundam probationem concedit consequentiam, scilicet quod facilius est cadere, quam resurgere, prout resurgere dicit actum ordinatum in potestate simpliciter resurgentis, & sic verum est tam in hac vita, quam in alia loquendo de mortali peccato: quia in hac vita de tali peccato resurgere est difficile, & in alia est impossibile, sed sic non accipitur resurgere in hac remissione peccati venialis; Nam quāuis in hac vita facilius sit venialiter peccare, quam de veniali peccato vere pœnitere, non tamen est sic dicendū post hanc vitam per comparationem ad animam, quæ a corpore recedit cum charitate, sicut enim illa quæ sine charitate recedit potest male velle, & de mala voluntate digne pœnitere non potest; sic per contrarium illa non potest male velle, & de inordinato actu voluntatis venialis, quem habuit in hac vita digne pœnitere potest iuxta modum Durandi; & Ricardi; vel dicas quod resurgere in illa remissione peccati venialis fit per merita prius habita in via, & pro tunc acceptata, vt post vitam venialis culpa dimittatur.

Ad tertiam probationem dicit, quod falsum assumitur scilicet quod resurgere tunc est per actum voluntatis meritorium, qui tunc elicitur, sed per actum meritorium, qui prius infuit in vita iuxta secundam opinionem, quod vel per nullum actum meritorium, & tantum per pati pœnam condignam pro illo peccato secundum primam opinionem.

Ad tertium negatur consequentia, & ratio est; quia merita facta in vita non possunt acceptari pro instanti mortis, vt per ea deleatur mortale: quia Deus disposuit mortale nō delendum nisi per susceptionem voluntariam sacramenti, vel per aliquam dispositionem tanquam meritum de congruo tunc vel vsque nunc inhærentem, quando peccatum deletur; Non sic est de eo, qui decedit. & ratio est, quia peccata mortalia mortificant omnia bona prius facta, idest impediunt ne isti actus boni ordinentur ad gloriam, vel gratiam, atque adeo opera illa bona non possunt reseruari pro deletione peccati mortalis in instanti mortis; at non est sic de venialibus, quæ non mortificant opera bona, quia stant cum gratia. Ad probationem respondetur quod licet mortale, & veniale sint eiusdem rationis, vel speciei in genere naturæ: quia ambo sunt deformitates in anima, & in voluntate, vel forte in malitia morali, vt genus virtutis distinguitur contra gratuitum, & peccatum: quia quodlibet illorum est malum; non tamen sunt eiusdem generis, vel rationis in ratione offensæ diuinæ: nam offensæ istorum duorum peccatorum scilicet mortalis, & venialis sunt incomparabiles, & improportionabiles adinuicem: quia si essent infinita venialia per ipsa non sic offenderetur Deus, sicut per minimum peccatum mortale; atque adeo diuersimode remittuntur. Vnde notat Doctor quod non est idem esse studiosum, vel vitiosum moraliter, & esse iustum, vel peccatorem theologice: imo quandoque vitiosus est iustior; & magis studiosus est magis peccator, vt patet in studioso, qui commisit homicidium, & vitiosum qui solum commisit furtū.

Ad quartum dicit Doctor, quod similitudo est quoad hoc, quod Angelus cadens est in termino non in via, sic & homo in morte, sed non oportet similitudinem esse quantum ad stabilem permanentiam in quocunque sed in illo, quod est principale in illo, qui iam attingit terminum, cuiusmodi est vita spiritualis per gratiam, vel mors spiritualis per peccatum mortale, & sic qui moritur in vita gratiæ semper viuet; qui vero moritur in peccato mortali semper permanebit; sed de peccato veniali non oportet esse talem stabilitatem: quia illud non est aliquid secundum quod per se attendatur status bonus, vel malus: nam duo sunt, quæ præcise faciunt alium & alium statum scilicet damnationis, & salutis; nimirum gratia, & peccatum mortale, & ista sunt quæ diuidunt hominem a Deo, vel coniungunt hominem cum Deo. Peccatum mortale facit damnationem æternam, & ideo qui in peccato mortali decedit æternaliter separatur a Deo; gratia vero facit statum æternæ vitæ, atque adeo qui decedit in gratia perpetuo vnitur Deo, & per consequens peccata venialia non faciunt alium, & alium statum scilicet viæ vel termini, quia possunt stare cum bono statu, & cum statu malo tam viæ, quam termini, sed quando est cum bono statu termini, oportet, quod deleatur antequam plene habeatur vltimus terminus. Cum ergo dicitur, Idem est casus Angeli, & mors hominis; dico quod verum est, quo ad conditionem facientem statum, sed quo ad illa, quæ non faciunt statum, vt est veniale non est simile de casu Angelorum, & morte hominis.

Ad vltimum respondetur, quod mors voluntarie accepta est pœna sufficiens pro pœna cuiuscunque peccati venialis, & forte pro magna parte pœnæ debitæ pro mortalibus dimissis; neque obstat, quod mors sit pœna necessaria: quia potest homo, quod necessarium est voluntarie acceptare; neque dissonat isti sententiæ, quod superius est dictum, videlicet quod peccatum veniale deletur in mortis articulo, imo huic sententiæ consonat quod dictum est in secunda opinione, quod peccatum veniale deleatur in instanti mortis per merita prius habita in via: quia per istud bonum velle, quo vult libere sustinere mortem potest deletionem mereri venialium, atque etiam cum dicto in prima opinionē: quia si per solam solutionem pœnæ remittatur; in morte illa pœna soluitur; & sic in morte veniale remittitur.

QVAESTIO II.

Vtrum confessor in quocunque casu teneatur celare peccatum sibi in confessione detectum.



IN quæstione hac tractat Doctor de sigillo confessionis, per quam metaphoram significatum est a Theologis secretum illud, quod cōfessor seruare tenetur de his rebus, quas in confessione audit, quod ideo sic vocatur: quia Deus ita contegit suo sigillo sacro, seu sacramento peccata, quæ remittit, vt deinceps nota, aut fœda non appareant, aut quasi ipse oblitus sit peccatorum, vt quod sigillo Regis obsignatur id stricto secreto, quod sacramentum Regis dicitur, conseruatur. Quod licet ad sacramenti istius essentiam non pertineat, cum possit nunc ex causa confessio vt olim fieri publice, confessarius tamen qui Deum in eo secreto repræsentat, tenetur sub mortali id seruare, vt videbimus, vt autem hæc quæstio dilucide explicetur eam diuido in 13. articulos.

Primus Art. Vtrum seruare sigillum confessionis sit de iure naturæ ex eo quod reuelans permissione mentitur.

Secun-

Secundus Art. Vtrum seruare sigillum confessionis sit de iure naturæ, & qua ratione.

Tertius Art. Vtrum seruare sigillum confessionis sit de iure diuino positiuo.

Quartus Art. Vtrum seruare sigillum confessionis sit de iure ecclesiastica.

Quintus Art. Vtrum solus sacerdos teneatur secretum confessionis seruare.

Sextus Art. Vtrum sacerdos superiore præcipiente debeat secretum confessionis reuelare.

Septimus Art. Vtrum sacerdos teneatur semper secretum confessionis seruare.

Octauus Art. Vtrum sacerdos non dum peccatum, & peccatorum circunstantias; sed etiam personam, cum qua peccatur, celare teneatur.

Nonus Art. Vtrum omne secretum sit de lege naturæ seruandum, & sub qua pœna.

Decimus Art. Vtrum propter bonum Reipub. licitum sit confessionem reuelare.

Vndecimus Art. Vtrum sacerdos teneatur confessionē celare, etiam cum euidenti mortis periculo.

Duodecimus Art. Vtrum sacerdos propter crimen in sola confessione cognitum possit repellere pœnitentem ab aliquo actu tanquam indignum illius actus.

Tertiusdecimus Art. Vtrum peccatum, quod sacerdos in confessione nouit, possit vel de licentia pœnitentis, vel si alia via illud nouit, prodere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum seruare sigillum confessionis sit de iure naturæ ex eo, quod reuelans perniciose mentitur.

DVo sunt certa. Primum est, esse in confessore obligationem in seruandi confessionis secretum. Hoc enim est per se euidens, & commune apud omnes Auctores. Secundo est certum obligationem huius præcepti tantam esse, vt in nullo casu, & propter nullum finem, etiam pro tuenda tota Repub. ab ingenti malo corporali, aut spirituali, violare illud liceat, vt videbimus art. 10. sed difficultas est in assignanda ratione huius tantæ obligationis, & ex quo iure nascatur. Ricardus in 4. d. 21. art. 4. q. 1. dicit, quod celare peccatum in confessione detectum, tenetur sacerdos de lege naturæ. cuius fundamentum est; quia eadem persona potest iure affirmare aliquid in persona alterius loquens, quod vere negat in propria persona; ergo similiter sacerdos repræsentans personam Dei in foro confessionis vere potest aliquid affirmare, quod extra illum forum loquens in propria persona iure potest negare; ergo sacerdos extra confessionis forum dicens se audiuisse, vel scire tale peccatum in confessione auditum mentitur; patet ista cōsequentia: quia tale peccatum ad notitiam eius non venit, nisi prout in foro confessionis personam Dei repræsentabat; sed vitare mēdacium est de iure naturæ; ergo sacerdos reuelans peccatum in confessione detectum facit contra ius naturæ, siquidem mentitur, & perniciose in præiudicium pœnitentis, & fori sacramentalis; consequentiæ patent, & primum antecedens probatur: quia Angelus loquens Moysi in persona Dei vere dixit. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti. Exod. 20. Quod tamen vere negasset in persona propria loquens.

Ricardus.

Contra hoc fundamentum arguit Scotus. Eiusdem, & vt eiusdem in persona est cognoscere in causa & sententiare de ea, siue sententiam ferre circa illam; sed sacerdos non fert sententiā in foro sacramentali in persona Dei, sed in propria persona, ergo in propria persona audit confessionem, consequentia est nota cum maiori, quia ad hoc cognoscit, vt sententiet, vel iudicet, & vt recte sententiam ferat. minor vero probatur. Quia sacerdos non absoluit principaliter, sed ministerialiter tantum; absoluere autem ministerialiter non competit sacerdoti nisi in persona propria, in cuius signum absolutioni solet præmittere. Dominus noster Iesus Christus &c. aliter enim si in persona Dei loqueretur absoluens posset vere dicere, ego te principaliter absoluo, & gratiam infundo; sicut Angelus vere dixit in persona Dei. Ego te eduxi de Aegypto. Et e contra; si sacerdos in persona Dei loqueretur, falsa esset hæc locutio, qua frequenter absoluendo vtitur scilicet. Ego auctoritate Beatorum Petri, & Pauli

Eiusdem est ferre sententiā & cognoscere causā.

Apostolorum, aut sedis Apostolicæ mihi commissa, absoluo te, &c. quia Deus non absoluit auctoritate commissa, nec Petri, & Pauli, nec sedis Apostolicæ, sed propria.

Præterea. Non magis audit, vel absoluit sacerdos in foro confessionis in persona Dei, quam conficiat Eucharistiam in persona eius: quia æque excellens est actus iste scilicet conficiendi corpus Christi, sicut ille videlicet absoluendi a peccatis, & vterque est actus sacramentalis, in quo operatur virtus diuina: imo magis videtur de consecratione corporis Christi, quod fieret in persona Dei, quam hic. quia sacerdos conficiendo, aut consecrando corpus Domini, repetit verba Christi, & vt dicta in persona Christi: nam præmittit. Qui pridie quam pateretur &c. & dicit ipse recitando verba Christi; non sic in proposito. Vnde non præmittit hic; Christus volens absoluere peccatorem dixit sic. Ego te absoluo; sed illud. Ego, stat hic pro persona ministri, ex quo patet, quod magis, vel non minus conficit in persona Christi, quam absoluit, vel audiat confessiones in persona Christi; sed hoc non obstante sacerdos conficit vt minister, & in persona propria, & postea potest dicere se confecisse corpus Christi in persona propria, dicens. Ego scio me hodie consecrasse, ergo similiter in proposito.

Præterea secundum eundem Doctorem scilicet Ricardum, & veritatem, vt postea probabitur, licet dicere confessori se audiuisse aliquod peccatum, & aliquem casum loquendo in generali non applicando ad personam confitentem, & eo modo, quo non possit aliquis de peccato notari; quod probatur primum per illud extra de pœnit. & remiss. cap. officij. vbi Innocentius tertius respondet cuidam Cardinali legato super casum, quem sibi scripserat, & audierat in confessione, & petijt consilium. Nec Papa redarguit illū de reuelatione illa in vniuersali per scripturam; sed respondet qualiter sit tali personæ confitenti consulendum.

Hoc etiam patet ex communi vsu cōfessorum; siue enim in communi sermone, siue in prædicatione, aliquando dicunt talis casus contingit, aliqua persona sic & sic peccauit; habetur igitur ista propositio, quod confessor potest licite extra confessionem dicere peccatum sibi confessum, aut in prædicationibus ad ædificationem, aut in consultationibus te ad certificationem; ita tamen quod nullo modo sit relatum ad personam confitentem, vt possit deueniri ad notitiā eius. Sed si prædicta ratio seu fundamentum Ricardi valeret, hoc non liceret: quia mētiretur. probatur: quia nesciens particulare nisi pro determinato singulari, si nesciat singulare, nescit particulare, v. g. si scio aliquem hominem currere, quia scio Socratem currere, si nescio Socratem currere, nescio aliquem hominem currere; atque adeo nescio aliquem hominem currere, quia nescio Socratem currere. Sed ille sacerdos nescit aliquam personam tale peccatum fecisse, nisi pro hac persona sibi confessa, & hoc peccato sibi confesso; igitur si mentiretur de hoc peccato, & de hac persona, dicendo scilicet se scire hoc peccatum huius personæ: quia nō nouit vt homo, sed vt Deus consimiliter mentiretur de aliquo, scilicet peccato, & de aliqua persona: quia non nouit in persona propria, sed in persona Dei, & ita mentiretur dicendo se audiuisse in confessione talem casum.

Præterea quarta ratio Ricardi non excludit reuelationē confessionis, ergo non est legitima, consequentia patet, & antecedens probatur: quia esto, quod sacerdos audiat non in persona propria, sed Dei, sicut ipse dicit, adhuc poterit dicere non mentiendo, ego audiui, vt in persona Dei, & vt minister Dei tale peccatum, & talis personæ in confessione, & sic non mentietur, sicut non mentiretur dicendo, ego audiui in persona propria, si in propria persona audiuisset, sicut Angelus etiam non fuisset mentitus, si postquā dixerat Moysi. Ego sum Dominus Deus tuus in persona Dei, dixisset postea alicui narrando, ego dixi Moysi tale verbum, puta ego sum Dominus Deus tuus, loquendo in persona Dei, & narro tibi istud in persona propria. Ita sine mendacio ita posset confessio reuelari, sicut si audiuisset in persona propria, atque ita ratio Ricardi nihil valet. Nec celare confessionem est de iure naturæ: quia mentiri sit contra legem naturæ, & reuelans mentiretur.

Ad fundamentum Ricardi respondet Scotus; quod non est idem loqui in persona alicuius, & loqui auctoritate illius, siue vt minister illius. Nam tunc dicitur aliquid facere quis in persona alterius, quando prætendit personam eius, & facit sicut ipsemet faceret, sicut in comœdijs, qui repræ-

sentat

sentat Regis personam, loquitur in persona illius: quia induit personam Regis, atque ita loquitur, vt intelligantur omnia verba locutionis referri ad personam Regis; vt non loquens, sed ille, ex cuius persona loquitur, intelligatur hæc agere, vel non agere, quæ loquens exprimit sua locutione, & quamcito deficit a faciendo, sicut ipse faceret, aut dicendo, sicut diceret, dicitur quod mentitur, quamuis tunc loquatur vel faciat more suo proprio; & sic est de locutionibus Angelorum in persona Dei. Loqui autem auctoritate alterius est loqui in persona sua propria, ex commissione tamen alterius. Sacerdos autem non audit confessiones in persona Dei, nec in persona Dei absoluit; sed solum est minister Dei in illo actu, & vt minister agit, & per consequens in persona propria auctoritate tamen Dei, cuius minister est. Vnde qui audiret in persona Dei, & loqueretur in persona Dei, posset illud veraciter dicere, quod in persona propria non posset. Nam in persona Dei veraciter diceret. Ego creaui mundum, Ego sum Deus &c. Sed in persona propria sic loquens mentiretur. In proposito sacerdos in confessione, nec audit, nec loquitur in persona Dei, sed in propria; quamuis audiat, & loquatur auctoritate Dei, vt eius minister, & eodem modo in alijs sacramentis, vnde vt minister Dei baptizat &c. & tamen vt homo siue in persona propria scit se baptizasse, & consecrasse &c. & sine mendacio potest dicere se baptizasse.

ARTICVLVS II.

Vtrum seruare sigillum confessionis sit de iure naturæ & qua ratione.

QVod sacerdos peccatum in confessione sibi detectum de lege naturali celare teneatur eleganter probat Scotus quatuor rationibus. Prima ex ratione charitatis, Secunda ex ratione fidelitatis. Tertia ex ratione veritatis, & veracitatis. Quarta ex ratione vtilitatis mutuæ, & vnitatis.

Prima ratio desumitur ex illo principio legis naturæ de charitate fraterna expressa Matth. 7. omnia quæ vultis, vt faciant vobis homines, hæc facite illis: hæc est enim lex, & prophetæ. & apud Lucam 6. Prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Quod sic est intelligendum, quæ vultis vobis; idest quæ debetis velle secundum rectam rationem; quo etiam modo intelligendum est illud Matth. 22. Diliges proximum tuum sicut teipsum, ex quo sic arguitur. Quilibet debet diligere secundum rectam rationem famam propriam, ergo & occultationem peccati sui confessi; & per consequens debet confessor idem diligere, & velle ipsi confessu, atque ita celare peccatum confessum, per quod confiteos per eius reuelationem diffamaretur: quia quod vni reuelaret, posset & cæteris pluribus reuelare, & per hoc diffamaretur. ergo tenetur celare peccatum in confessione auditum, idque de lege naturæ: quia reuelatio talis peccati tolleret confesso famam.

Consequentiæ illæ sunt notæ; & antecedens probatur Eccles. 41. Curam habe de bono nomine; hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni, & pretiosi; & subdit. Bonæ vitæ numerus dierum, bonum autem nomen permanebit in æternum, & Prouer. 22. Melius est nomen bonum, quam diuitiæ multæ.

Ratione etiam probatur idem antecedens. Quilibet secundum rectam rationem debet sibi velle vitam ciuilem; sed illa vita perditur amissa fama, ergo quilibet debet diligere famam propriam secundum rectam rationem; si quidem per conseruationem famæ conseruat vitam ciuilem. consequentia est nota cum maiori, & probatur minor: quia per hoc aliquis viuit vita ciuili, quod idoneus est ad actus sibi competentes in tali ciuilitate siue politia; fama autem amissa priuatus est homo habilitate, seu idoneitate ad tales actus subeundos, cum amiserit statum dignitatis illæsæ, videlicet idoneitatem ad actus, quibus alias dignus esset. Quod vero reuelatio peccati confessi, auferat confesso famam ex eo patet, quod qua ratione potest vno reuelare, potest etiam alteri, & sic omnibus, ex tali vero reuelatione manifestum est, quod status dignitatis illæsæ, qui consistit in fama illius apud conciues, auferatur tali confesso.

Secunda ratio sumitur ex ratione fidelitatis. Quilibet de lege naturæ tenetur seruare fidelitatem proximo suo, quam vellet, & deberet velle sibi seruari. Sed committens secretum maximum alteri vellet sibi seruari, & deberet velle sibi seruari tanquam secretum, ergo ille cui tale secretum committitur illud seruare alteri tenetur. Ergo & confessor confitenti, sibi commendanti maxima secreta de lege naturæ fidelitatem seruare debet. Sacerdos enim cui confidenter, & in secreto peccata sua exponis, quique proinde secreto illa accipit, iure fidelitatis tenetur eadem celare, sicut etiam tacite saltem promittit, id se facturum. Et ista ratio colligitur ex illo Prouer. 11. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana; qui autem fidelis est, celat amici commissum.

Tertia ratio sumitur ex ratione veritatis, & ratione veracitatis. Quilibet de lege naturæ tenetur seruare promissum licitum; sed recipiens secretum maxime istud in confessione detectum promittit, licet non explicite, implicite tamen, se illud seruaturum: quia absque tali promisso saltem sub intellecto non committeret sibi secretum; ergo sacerdos de lege naturæ tenetur celare peccatum sibi in confessione detectum. & ista ratio colligitur ex illo Zacha. 8. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo.

Quarta ratio sumitur ex ratione vnitatis, & mutuæ vtilitatis. Quilibet tenetur de iure naturæ non impedire vnitatem communitatis bonæ, nec impedire influentiam superiorum in inferiores, nec recursum inferiorum ad superiores; sed sacerdos reuelando confessionem tolleret vnitatem, & bonum commune corporis ecclesiæ; propter quod est secretum confessionis; tolleret enim recursum inferioris ad superiores scilicet peccatoris ad sacerdotem in consilio animæ: quia nullus recurreret regulariter, vt nancisceretur consilium, vel reconciliationem, per quam maneret in corpore, nisi illud, quod detegeretur, maneret secretum, & per hoc tolleretur influentia superiorum in inferiores. Ergo eadem lege naturæ, qua tenetur quilibet ad seruandum vnitatem corporis Christi mystici, & ad communem vtilitatem membrorum eius, tenetur celare secretum istud. Probatur maior. Quia communis vtilitas membrorum corporis mystici, & ciuilis ad inuicem est de lege naturæ; In hoc autem communitas aliqua habet rationem corporis mystici: quia habet vnitatem proportionatam vnitati corporis naturalis, in quo est ordo superioris & inferioris, & tenetur superior influere in inferiorem, & inferior subministrare superiori, iuxta metaphoram D. Pauli de corpore mystico & naturali ad Rom. 7. & 12. & 1. ad Corin. 6. sicut ergo in corpore naturali vtilitas membrorum consistit in influentia superiorum in inferiora membra, & in subministratione inferiorum superioribus. Ita in corpore mystico recursus inferioris ad superiorem in necessitatibus, qui potest consulere, & reconciliare, & per hoc vnitatem huiusmodi corporis conseruare, est communis vtilitas membrorum ad inuicem, & ad caput: per hoc enim & non aliter potest communitas conseruari. In communitate autem ecclesiæ peccator est inferior: quia est est minus sufficiens, & minus sciens. Hierarcha autem est superior, qui & potest consulere, & reconciliare; atque adeo de lege naturæ est, quod nullus excludat inferiori recursum ad superiorem: quia hæc est communis vtilitas membrorum ad inuicem: excluderetur autem si sacerdos secretum confessionis reuelaret: quia quantum esset ex facto suo nunquam aliquis peccator in sacerdote confideret, nec per consequens ad ipsum pro peccato recurreret.

ARTICVLVS III.

Vtrum seruare sigillum confessionis sit de iure diuino positiuo.

DIuus Thomas in 4. d. 21. art. 1. q. 3. docet celare confessionem esse de iure positiuo diuino: quia in sacramentis ea, quæ exterius geruntur, sunt signa eorum, quæ interius contingunt; & ideo confessio exterior, qua quis sacerdoti exterius se subijcit, est signum interioris, qua quis Deo se subijcit; & quia Deus peccatum illius per pœnitentiam tegit, vnde & hoc oportet signari in sacramento pœnitentiæ, ideo de necessitate sacramenti est, quod sacerdos confessionem celet, & tanquam violator sacramenti peccat, qui confessionem reuelat; atque adeo sicut institutio sacramenti est de iure positiuo diuino, ita etiam celare confessionem D. Thomas.

sic nem eo ipso quod est de necessitate sacramenti, est etiam de iure diuino.

Vnde fundamentum D. Thomæ est: quia talis reuelatio est contra significationem huius sacramenti, illamque falsam reddit, atque adeo continet semper graue sacrilegium: probat antecedens: quia per hoc sacramentum ita Deus remittit peccatum, vt omnino tegat illud, & hoc significatur per hoc sigillum.

Durandus. Bassolus. Hoc fundamentum impugnant late Durandus hac d. q. 4. & Bassolus. q. 2. Tum quia celare confessionem non est de necessitate sacramenti, licet sit de necessitate ministri; non enim est de substantia huius sacramenti, quod secrete fiat, vt supra ostendi; & quantumcunque reueletur confessio, habuit tamen prius sacramentum suam efficaciam absolutionis animæ a peccato, quantum ex se fuit, & per consequens infuerunt omnia, quæ sunt de necessitate sacramenti: Tum quia si confessio pro tanto deberet celari, & esset de iure diuino positiuo propter hoc; cum nihil sit de necessitate sacramenti sacramento non existente, sed cessante, & amplius non durante, Tunc sequeretur, quod licet sacerdos, quamdiu pœnitens confitetur, & quamdiu sacerdos absoluit teneretur celare confessionem, non tamen postea cessante sacramento, atque ita tunc, idest post absolutionem, non teneretur celare confessionem; consequentia patet, quia ex eo tenetur celare, quia sigillum confessionis est de necessitate sacramenti; sed non existente sacramento non est amplius de eius necessitate, ergo exhibito sacramēto sigillum secreti non obligat amplius ad celandum.

Præterea tertio esto quod aliquis hodie audiret pœnitentem, & absolutionem differret vsque cras propter aliqua peccata adhuc confitenda; si interim omnia peccata confessa alteri reuelaret, non propter hoc minus cras absolueret pœnitentem, nec minus sacramentum suam haberet efficaciam. ergo celare confessa non est de necessitate sacramenti; alioquin sine tali celatione sacramentum non haberet efficaciam, ergo &c.

Item si celare confessa est de necessitate sacramenti, aut sicut materia, aut forma, aut aliquid aliud, sed patet quod non sicut materia, nec forma, & aliud assignari non potest: quia celatio non dicit nisi negationem quandam reuelandi, vel publicandi; ergo &c. *Sotus.* Sotus in 4. d. 18 q. 4. art. 5. sententiam D. Thomæ defendens, inquit, quod licet confessionis secretum non sit de eius essentia, est nihilominus necessarium, vt confessio sustineatur, quod autem sit de necessitate probat ex Arist. 2. Physic. vbi ait ex necessitate finis deriuari necessitatem ad media. Si enim viuere necessarium, & id sine cibo seruare non possumus, fit vt & cibus ipse sit necessarius, pari ergo modo: quia confiteri occulta scelera, idque seu commune bonum ecclesiæ necessarium est, idque sine consignatione sigilli secreti seruare non potest, fit vt sigillum ipsum sit penitus necessarium. Cæterum ex hac Soti doctrina sequi videtur confessionem occultorum scelerum fieri non posse absque sigilli secreti cōsignatione. nam per ipsum ita se habet secreti sigillum ad confessionem, sicut se habet cibus ad vitam, sed sine cibo vita esse nequit, ergo sine sigillo secreti confessio consistere nequit, si autem non intelligat Sotus de consistentia confessionis quo ad esse, sed quo ad durationem & permanentiam: quia si ea, quæ sunt in confessione dicta euulgare liceret, communiter homines a confessione facienda deterrerentur. atque ita periret in ecclesia Dei confessio; satis pia est D. Thomæ defensio, sed an ad eius aures nescio; Vnde censeo sententiam D. Thomæ iuxta Soti explicationem esse quidem aliqualem congruentiam, non tamen sufficiens fundamentum ad obligationem, quia illa significatio non est substantialis in hoc sacramento, neque hoc vlla ratione, vel auctoritate probatur. Non enim est hæc obligatio per se imposita propter significationem, sed propter rem ipsam, vt sacramentum ipsum conuenienter tractetur, & conseruetur.

Sacerdos tenetur secreta confessionis seruare lege positiua diuina. Est ergo conclusio Scoti. quod sacerdos tenetur celare peccatum sibi in confessione detectum lege positiua diuina. Probatur. Quilibet Christianus tenetur non dare alteri occasionem, qua retrahatur a lege Christi; sed est lex seu præceptum Christi Domini de confessione facienda, ergo quilibet in lege Christi tenetur non retrahere aliquem a confessione facienda; sed reuelans confessionem occasione data, retrahit homines a confessione, ergo de lege Dei positiua tenetur sacerdos celare confessionem. Confirmatur tatio, & est quasi idem. eodem præcepto, quo confessio nobis præcipitur, præcipitur etiam ne reuocemus alios ab obseruantia illius præcepti, & ne viam secludamus alijs ne possint præceptum illud adimplere; sed præcepto positiuo diuino præcipitur nobis confessio, vt dictum est. dist. 17. igitur præcipitur nobis ne retrahamus aliquem ab obseruantia talis præcepti, aut ne secludamus viam alijs de adimplendo præceptum illud; sed reuelare confessionem quantum in se est, est secludere viam de adimplendo præceptum illud, ergo &c. Et si dicas licet aliquis sacerdos reuelet, alius tamen celabit. hoc nihil est: quia reuelans quantum est ex genere operis sui præstat alteri occasionem eodem modo cauendi a singulis confessoribus.

Secundo probatur conclusio. Christus Dominus statuit forum confessionis esse vltimum in terris, quo ad crimina in eo confessa, ergo contra legem Christi peccat, quicunque crimen in tali foro discussum, in eoque finaliter terminatum deducit ad alium forum publicum, quod facit quantum in se est reuelans crimen in confessione detectum. si quidem ex tali reuelatione poterit ad alium forum deduci; antecedens patet ex ipsa institutione sacramenti pœnitentiæ. Matth. 16. Quodcunque solueris super terram erit solutum est in cœlis, idest finaliter & vltimate approbatum, & Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis &c. subintellige in diuino iudicio finaliter remissa apparebunt, quia remissa approbantur.

Tertio probatur. Dans occasionem peccandi mortaliter, in exequendo mandatum Christi, peccat contra ius diuinum positiuum de tali mandato exequendo; sed mandatum Christi de confitendo exequendum est a peccatore; reuelans vero confessionem dat occasionem confitenti peccandi mortaliter: quia præceptum quod esset debite exequendum, quantum in se est facit indebite exequi: quia mendaciter, aut peccata sua reticendi, vel se falso laudandi, aut alios, quos odit, vituperandi, vt talia per confessionis reuelatorem in aliorum notitiam deducantur. Ex his rationibus patet, quod hoc ipso quod Christus instituit & præcepit confessionem fieri, instituit etiam, & præcepit illam fieri eo modo, quo posset commode ab ipsis hominibus, illorum natura atque conditione spectata vsurpari. Ad hunc autem modum inter cætera illud quoque secretum earum rerum, quæ in confessione patefactæ sunt, vel maxime pertinet: nam si confessionis sigillum non seruaretur confessio fieret odiosa, & retardarentur homines, neque cum fiducia possent ad hoc sacramentum accedere.

ARTICVLVS IV.

Vtrum seruare sigillum confessionis sit de iure ecclesiastico.

HAec difficultas gemina conclusione resoluitur. Prima conclusio, obligatio seruandi confessionis sigillum non oritur ex solo iure humano positiuo; patet ex superius dictis; & probatur etiam: quia maior est hæc obligatio, quam humana lege fortasse possit imponi; Nam licet interdum possit lex humana obligare cum dispendio, vel euidenti periculo vitæ, quando ad commune bonum expedit; tamen quod obliget etiam in periculo boni communis videtur excedere facultatem humanæ legis, nisi aliunde, vel diuina lex, vel ipsa rei natura talem obligationem afferat. Secundo quia hæc obligatio antiquior est, quam omnis humana lex, & cum ipso sacramento creditur esse nata: Qui enim instituit aliquid, omnia illa censetur instituisse, sine quibus illud consistere nequit. argum. c. præterea. de offic. deleg. & l. 2. ff. de iurisd. omn. iud. vno & illa sine quibus, id commode fieri nequiret, tex. l. penul. ff. de vsufr. & in l. quicunque §. si ei, qui ad vendendum. ff. de instit. actio. per quos ita tenet Arretinus in c. de testibus. colum. 2. de testib. Quem in multis locis probat Decius, & confessionem, & eam faciendi necessitatem *Arretinus. Decius.* instituit Christus Dominus, ergo tacite saltem, & per quandam consequentiam, videtur etiam ea instituisse, sine quibus

bus

bus confessio vel fieri non potest, vel saltem non commode, confessio autem a nemine fieret, a nemine amaretur; imo, vt diximus supra, omnibus esset exosa, nisi summe secreta seruaretur, vt experientia docet, quinimo & iugum quoddam importabile esset, contra illud iugum meum suaue, & onus meum leue Matth. 11. ergo lex de celanda confessione per ipsummet Saluatorem lata videtur. Tertio a posteriori: quia non posset ecclesia hanc legem abrogare, neque in illa dispensare. imo etiamsi summus Pontifex per impossibile præciperet hoc secretum reuelare, non esset illi parendum: quia præciperet contra ius diuinum. & hæc omnia constant ex sensu, & vsu ecclesiæ.

Sacerdos tenetur celare peccatum in confessione auditum iure positiuo ecclesiastico.

Secunda conclusio. de iure positiuo ecclesiastico tenetur sacerdos celare peccatum in confessione auditum. probatur de Pœnit. d. 6. cap. sacerdos, vbi Gregorius sic præcipit. Sacerdos ante omnia caueat, ne de ijs, qui ei confitentur peccata sua alicui recitet, quod ea confessus est, non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo, quod si hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat. Et extra de pœnit. & remiss. cap. omnis vtriusque sexus, inquit Innoc. III. in Lateran. Concil. Caueat omnino sacerdos, ne vel verbo, vel signo, vel alio quouis modo prodeat aliquatenus peccatorem, & subdit si peccatum sibi detectum præsumpserit reuelare, non solum a sacerdotali officio decernimus deponendum, verum ad agendum strictissimam pœnitentiam in arctissimum monasterium detrudendum.

Sed circa hæc decreta sunt duæ difficultates. Prima est ex cap. placuit. 6. q. 2. vbi dicitur, Reuelanti confessionem tam diu solum tollitur communio, quam diu ipse reuelans confiteri abstulit. ergo non omnibus diebus suæ vitæ pœnitere debet, quod in relatis decretis statuitur.

Secunda difficultas est. In cap. omnis. de pœnit. & remissionibus, pœna, quæ in confessionis reuelatori statuitur partim conuenit cum statuta in cap. sacerdos: quia vtrobique iubetur deponi, & partim est penitus contraria. ibi enim cū fuerit depositus iubetur in monasterium ad agendam pœnitentiam detrudi, at in cap. sacerdos. iubetur per orbem ignominiosus peregrinari.

Glossa.

Ad primam difficultatem Glossa tribus modis respondet, sed vltimus est verus. Nimirum quod illud cap. non agit de Episcopo reuelante confessionem subditi sibi confessi, sed de Episcopo obijciente subdito crimen secretum, quod probare nequibat, & ob id communionem tollenti, vt ex illius littera satis constat.

Hostiensis. Antonius.

Ad secundam respondet Hostiensis, quem videtur probare Anton. quod capit. intelligitur secundum illud, & illud secundum hoc; iuxta legem non est nouum, & l. sed & posteriores ff. de legibus. & vt talis reuelator primo deponatur, quod in vtroque cap. statuitur; deinde per septennium, vel aliud tempus, quod iudex arbitrabitur, peregrinando pœniteat, quod in cap. sacerdos. statuitur postremo illo finito in monasterium detrudatur, quod cap. omnis cauetur. Neque inquiunt obstat, quod in cap. sacerdos dicitur omnibus diebus vitæ suæ, quia subaudiri debet, durante septennio, vel alio tempore ad pœnitentiam constituto.

Cæterum hæc responsio non satisfacit. Tum quia illa verba omnibus diebus vitæ suæ illam expositionem non patiuntur. Tum quia difficile post tam longam peregrinationem talis reuelator in Episcopi potestatem redibit, quo in monasterio includatur. Quare verior, & germanior intellectus videtur, quem sequitur Glossa postrema illius capituli, quem etiam non reprobant Hostiensis, & Anton. & sequitur Cardin. & Panorm. nempe hodie non esse huic cap. Sacerdos. locum, qua parte peregrinationem hanc ignominiosam infligit. Pro qua explicatione facit, quod lex noua, qua parte contrarium statuit, legi veteri derogare videtur, etiamsi de illa non meminerit capit. 1. de constitut. libr. sexto, at capit. omnis. in hoc contrarium statuere nemo non videt, ergo capitulo sacerdos per illud omnis derogatur. facit etiam quod peregrinatio per orbem clerici ignominiosa non illi soli, est dedecori, sed etiam toti clero. cap. Diaconi 5. quæst. 3. distin. annotabat Calderinus consilio primo de vita, & honestate Clericorum, quæ ratio, vt arbitror fuit in causa, vt Concilium illud Lateranens. peregrinationem hanc in illam detrusionem monasterij commutaret. præterquam quod, vt dicit hic Scotus, non expedit, quod propter aliquod crimen fiat aliquis vagabundus, dum tamen aliquo modo eius mora communis vel solitaria, possit inter homines tollerari: quia vagabundus magis voluntati suæ malæ dimitteretur, & ita tam in se, quam in alijs plus peccaret, & noceret, quam si arctæ custodiæ manciparetur. atque adeo quia huiusmodi peregrinatio non adeo salutifera postea iudicata est, mutatum est in Concilio Lateran. supplicium, vt sacerdos huiusmodi officio sacerdotali depositus ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudatur. Est tamen obseruandum (vt Sotus notauit,) quod quāuis istæ pœnæ ipso iure incurrantur, nihilominus nemo eas subire tenetur, quousque iudice fuerit cōdemnatus sigillum fregisse, prout ipsemet Sotus docet lib. 1. de iust. & iur. quæst. 6. artic. 6. Ex prædictis patet, quod sub præcepto triplicis iuris cadit celare confessionem, vel peccatum confessum scilicet sub præcepto legis naturæ, sub præcepto iuris diuini positiui, & sub præcepto iuris ecclesiastici. ex quo sequitur obligationem huius præcepti esse grauissimam, & sub mortali culpa: quia materia illius præcepti, & finis eius sunt maximi momenti: an vero transgressio hæc venialis esse possit ex leuitate materiæ constabit ex sequentibus: ex indeliberatione autem seu inaduertentia non est dubium, quin possit aliquando excusari confessor a culpa mortali: imo etiam ab omni culpa propter defectum voluntatis, seu libertatis, maxime quando reuelatio est indirecta, quā omnino non aduertit confessor dum loquitur, vel aliquid operatur.

Sotus.

Sigillū confessionis reseruans an peccat mortaliter.

Et si quæras ad quod nā peccati genus violatio istiusmodi sigilli proprie pertineat respondendum est, quatenus sigillum id est illius iuris diuini, quo instituta est ipsa confessio, atque etiam iuris humani, proprie esse sacrilegium contra virtutem videlicet religionis; hatus nunquam virtutis causa, & respectu, tum ius illud diuinum, tum ius humanum requirit necessario illud secretum. vt, scilicet sanctitas, religioque diuini cultus. qui est in isto sacramento consistere possit, atque ad hanc quidem deformitatem sacrilegij, quia est maxime intrinseca & inseparabilis ab hoc peccato potissimum Doctores attendere solent, & inde simpliciter illud nominant sacrilegium.

Violatio sigillis confessionis sub quo genere peccati cadat.

Si autem consideretur hoc peccatum, vt est etiam contra ius naturale de fidelitate seruanda, & de fama proximi non lędenda, sic quidem & infidelitatis, iniuriam, & detractionis rationem habet. Quinimo ex ea parte est etiam contra debitam proximo charitatem quod illum scandalizat; quo iure igitur nitatur sigillum confessionis, & quale peccatum sit illud violare, his quatuor articulis iam explicatū est.

ARTICVLVS V.

Vtrum Solus sacerdos teneatur sigillum confessionis seruare.

PRo huius difficultatis explicatione obseruandū est primo hoc sigillum oriri ex omni, & sola confessione sacramentali; quia præceptum est inmediate, & absolute, & quia eadem est ratio de quo, vnde & hoc præceptum, vel intrinsece oritur ex sacramento, vel illi soli est annexum, si autem confessio non sit sacramentalis sacramentum non est etiam inchoatum, & per consequens non habet locum ibi sigillum.

Sigillum confessionis ex sola confessione oritur.

Secundo obseruandum est quod ad hoc quod confessio sit sacramentalis & sufficiens ad hunc effectum requiritur primo ex parte confessoris vt confessio sit facta sacerdoti, nā ex illo, quæ scienter fit laico, vel inferiori clerico, quacunque occasione vel necessitate non oritur hoc sigillum, sed tantū naturale secretum, quidquid dicat Nauar. in summa. cap. 8. numero septimo, & Adrianus. q. vlt. de confessione. Et si dicatur ex intentione pœnitentis sit, vt sacramentalis; hoc nihil est: quia & si fiat vice sacramentalis, hoc non mutat naturam eius, neque addit obligationem: si etiam fiat ex apprehensione, quod sit sacramentalis, ille est quidem error procedens non ex deceptione personæ audientis, sed ex ignorantia iuris, & ideo nullam alteri imponit obligationem, quæ ex re ipsa non oriatur, & quo ad hoc parum refert limitatio Paludanis in quarta dist. vigesima prima, quæst. 3. numero 11. & Caiet. verbo confessionum, dicentium ex confessione facta laico, hoc sigillum haud oriri, nisi intercedat pactum

inter dicentem, & audientem; quia in rigore non est ita: nã illa obligatio ex pacto semper est minor, quam ex sacramento. quia ad summum pertinet ad iustitiam, hęc ad iustitiam, & religionem; illa immediate oritur ex voluntate humana, hæc ex voluntate Christi. Vnde non obstante illo pacto, tale secretum non obligat semper, & in omni casu. Nam si necessitas boni communis vigeret licitum esset reuelare illud secretum: quia in humano pacto semper intelligitur exceptum commune bonum, alias esset iniquum, vt recte notauit Nauara, capitulo primo in principio de pœnitentia distinctione sexta cum Felino, in capitulo Pastoralis de officio ord.

Nauar. Felinus.

Tertio obseruandum est, ex parte pœnitentis requiri confessionem fieri intentione sacramentali, id est animo se accusandi in hoc foro, & subijciendi se clauibus ecclesiæ: quia si confessio non fiat hoc animo, & intentione reuera non est confessio, nec peccata illa subijciuntur clauibus, ergo neque illa res est sacra, neque ex illa oritur secretum sacrum; quod absque dubio verum est, quando ipsemet pœnitens declarat animum suum; sed tunc deberet sacerdos illum admonere ex illo modo reuelationis non oriri obligationem sigilli: quia multi ex ignorantia putant etiam si nolit confiteri posse imponere sacerdoti obligationem huius secreti, in quo decipiuntur. Sed difficultas est, quando ipse pœnitens externus dicit se velle confiteri, & tamen ex modo dicendi, vel alijs circunstantiis colligit cõfessor illum non venisse animo confitendi, sed fortasse decipiendi, & inducendi confessorem vt sit particeps sui delicti, & in hoc casu, non oritur sacrum secretum, eo maxime si coniecturæ, & signa sint ita aperta, vt faciant rem moraliter certam: nam in re dubia semper iudicandum est in fauorem confessionis, & pœnitentis, qui quamdiu non probatur omnino fictus, præsumitur bono animo accedere.

Quarto obseruandum est non esse necessarium, vt confessio fiat cum omnibus conditionibus ad absolutionem requisitis: alias quoties sacerdos iuste negat absolutionẽ propter indispositionem pœnitentis, non maneret sigillo obligatus, quod est plane absurdum, & contra communem ecclesiæ sensum. & ratio quam assignat D. Thomas. dist. 21. quæst. 3. art. 1. optima est: quia hoc iudicium fit cum potestate absoluendi, & ligandi iuxta merita causæ, ergo cum notitia causæ antecedere debeat, necesse est vt sub eodem secreto iudici committatur siue ligare debeat, siue absoluere, nec possent pęnitentes alio modo confiteri. cõfirmatur quia alias posset confessor dicere, illum pœnitentem accessisse imparatum ad confessionem, aut sine proposito emendæ, vel quid simile, quod absurdissimum est.

D. Thom.

Quinto obseruãdum est quod licet pęnitens a principio accedat sine proposito recipiendi absolutionem, vel sine contritione, & proposito emendæ, nihilominus si habeat voluntatem se accusandi, & subijciendi in illo foro, vt potuerit, vel vt aliquo modo satisfaciat ecclesiæ, vel certe vt a sacerdote aliquo modo curetur, id satis esse ad sigillum, quia illa est iam saltem inchoata confessio. Quin fit, quod licet pœnitens non confiteatur integre etiam ex propria voluntate, & malit a, quæ dicit, manent sub sigillo; quia in illis talem est inchoata confessio sacramentalis, quæ re vera fit sacerdoti, vt ministro Dei, & habenti potestatem clauium, & ideo satis est, vt ex illa oriatur hæc obligatio. Et confirmatur: quia in alijs confessionibus, vt oriatur obligatio sigilli, non est necesse expectare finem sacramenti, vel confessionis, sed prout sigillatim narrantur peccata singula sub sigillum cadunt, atque adeo quacunque ratione contingat confessionem non perfici, nihilominus ea, quæ dicta sunt manẽt sub sigillo, & hoc satis confirmat sensus, & consuetudo ecclesiæ, & auctores omnes consentiunt.

Quis teneatur ad confessionis sigillum.

His obseruatis. Dico quod non solum confessor, sed quicunque alius, qui quouis casu ex confessione aliquod peccatum cognoscat de iure naturę, & positiuo diuino tenetur id celare. De confessore clarum est ad illum directe hoc pertinere præceptum; & per sacerdotem intelligo etiam superiorem ipsum, quando ab illo petitur licentia absoluendi á reseruatis: quia tunc defertur ad illum causa tanquam ad superiorem iudicem petendo delegationem ipsius, & ideo fertur sub eodem sigillo: nam ille etiam est quidam vsus clauiũ in hoc foro, & alias fieret odiosa confessio, ipsique superiores haberent viam cognoscendi delicta extra confessionem occasione ipsius confessionis, quod illi valde nociuum esset.

Sacerdos nõ habens iurisdictionem si confessionẽ audiat an teneatur ad sigillum secreti.

Sed dubium esse potest, an sacerdos, qui confessionem audit non habens iurisdictionem: nam videtur ex tali confessione, non magis sequi obligationem sigilli, quam ex cõfessione facta laico: quia illa nullo modo videtur esse confessio sacramentalis, cum non fiat coram legitimo iudice, & ministro huius sacramenti. Dico breuiter. Varijs modis potest hæc confessio contingere, primo bona fide pœnitentis & confessoris: quia vterque putat non deesse iurisdictionem: & sic non est dubium, quin contrahatur obligatio sigilli, etiã si postea constet defuisse iurisdictionem, secundo potest accidere bona fide pœnitentis, & ex malitia sacerdotis, & credo idem esse dicendum sicut infra de laico dicam proportione seruata. Tertio potest hoc accidere ex certa scientia vtriusque partis, & quidem si hoc faciant in ordine ad sacramentum cum spe obtinendæ iurisdictionis etiam existimo oriri obligationem sigilli; quia iam est illa quadam inchoatio confessionis sacramentalis; vt si quis confiteatur inferiori sacerdoti peccatum reseruatum eo animo, vt facultatem petat, & iurisdictionem obtineat, non est dubiũ quin oriatur obligatio sigilli, vt ex praxi ecclesiæ constat. Si autem illa reuelatio nullo modo ordinetur ad sacramentum perficiendum, neque ad petendum iurisdictionem, existimo solum habere rationem cuiusdam consultationis, atque ita non oriri aliam obligationem secreti præter eam, quæ ex tali consultatione nasci solet, quæ maxima omnium est post obligationem sigilli. & ratio est quia illa nullo modo est cõfessio sacramentalis.

Interpretans teneatur ad sigillum confessionis. Caietanus. Sotus. Scotus. Ricardus. Medina. D. Thom. Nauar.

Secundo dubium est de interprete. Nam Caiet. verbo cõfessio condit. 11. & Soto 1 relect. de secreto. m. 3. qu. 4. concl. 4. absolute negant obligari sigillo: quia interpres non habet claues, neque est instrumentum Christi in illo actu, sed est organum pœnitentis ergo &c. Contrariũ tamen docet hic Scotus, & supra d. 17. q. 1. ad primum principale. Ricar. d. 21. art. 4. q. 3. Medina cod. de confes. q. 50. & Nauar. in cap. sacerdos. num. 42. atque etiam D. Thomas d. 21. qu. 3. art. 1. quæstiun. 3. vbi ait. Sicut participat interpres actum clauium, ita participat sigillum. Et ratio esse potest quia interpres non solum est instrumentum pœnitentis, sed etiam sacerdotis. nam sicut alter per illum loquitur, ita etiam suo modo sacerdos per illum audit, ideoque participat sigillum eius. Nec refert quod pęnitens non teneatur illo modo confiteri: quia etiam non tenemur venialia confiteri, & nihilominus directe cadunt sub sigillo. Et idem dicendum est de internuncio, nã eadem est ratio: imo aliqui hoc extendunt ad scripturam, ita vt si quis inueniat scripta peccata sub titulo confessionis debeat sub sigillo illa tenere. De quo videri potest Nauar. d. c. sacerdos. nu. 8. & 9.

Nauar.

Idem etiam dicendum est de consiliario, siue præsens adsit confessioni, siue postea confessor ex licentia pœnitentis illum consulat: nam certum est sigillo obligari: quia consiliarius participat actum clauium, scilicet, quo ad clauem scientiæ, & supplet defectũ ministri; ita vt ex vtroque quasi coalescat minister, habens omnia necessaria ad hoc munus.

Tertio dubium est, si confessor inique reuelet alteri confessionem, an ille qui audit teneatur sigillo & videtur quod non: quia sigillum secreti naturæ superius est ad sigillum secreti confessionis, ita vt quod non cadit sub sigillum secreti naturę, non cadat sub sigillum secreti cõfessionis. sicut, quod non est animal, neque homo est. si igitur confessarius dicat alicui, hoc & illud didici ab hoc, & ab illo per eorum confessiones, ea tibi reuelo non quo celes, sed quo magis publices, is non tenetur sigillo secreti naturæ, ergo neque confessionis. & forte propter hanc rationem Medina vbi supra, tenuit partem negatiuam. oppositum tamen docet hic Scotus, & cum eo Ricard. art. 5. quæst. 1. Syluest. verbo Confessio & Nauar. d. cap. sacerdos. numero 43. & ratio est inquit Scotus: quia transferens aliquid in alium de facto, quod nõ potest licite de iure transferri, non dat illi alteri ius vtendi, vel transferendi illud in alterum: quia ex quo non habuit ius, non potuit ius in alium transferre; quia nemo dat, quod non habet: sed confessor reuelans non habet ius transferendi illud in alterum, ergo si de facto transferat, alius non habet ibi ius vlterius transferendi. Præterea hoc sigillum est veluti onus proprium notitiæ acceptæ per confessionem, & ideo cuicunque communicatur illa notitia transit cum suo onere, iuxta illud. Res ad quemcunque transeat, transitum suo onere. cap. ex literis de pignor. cap. Pastoralis. de decimis. l. 2. & 3. C. quibus caus. pignus tacit. contr.

Medina. Scotus. Ricardus. Syluester. Nauar.

Ad

Ad rationem respondetur negãdo in eo casu, eum, cui sic reuelatur confessio, non teneri sigillo secreti naturæ: quoniã tenetur non quidem ex modo reuelantis, sed ex ipsa rei natura, quæ secretum exposcit, velit, nolit, qui reuelat, & velit nolit, cui reuelatur.

Idem dicendum est de illo, qui audit confessionem confitentis, alius. sa cõfessore, si n audit casualiter, & ex inaduertentia non peccat, tenetur tamen ad silentium; quia licet excusetur a culpa per accidens, tamen actio illa de se eiusdem rationis erat. Vnde et si non teneatur ratione acceptionis, vt sic dicam, tenetur ratione rei acceptæ, id est ratione notitiæ ex confessione sumptæ. Imo vlterius fit, si quis in casu necessitatis confiteatur audientibus aliis: quia non potest confiteri alio modo, non solum confessorem, sed etiam omnes audientes teneri ad secretum sigilli; propter easdem rationes: quia semper illa notitia manat ab eodem fonte; & cum eodem onere accipitur, totumque hoc est necessarium ad bonum, & conuenientem vsum huius sacramenti tota sua generalitate sumpta.

Scotus. Si vero dolose, aut furtiue audit confessionem alterius mortaliter peccat, & adhuc obligatur sigillo, ita Scotus hic, quem sequuntur omnes. Et ratio est: quia ille facit iniuriã, & personæ pœnitentis, & sacramento; ergo tenetur illam resarcire quantum potest, sed nullo modo potest nisi seruando secretum, quãtum sigillum postulat, ergo ad hoc obligatur. Item quia tota illa notitia orta est ex confessione, ergo in illa reperitur eadem ratio seruandi secretum propter reuerẽtiam sacramenti, & ad vitandam iniuriam eius.

Ex his ergo patet, quod quicunque confessionem sacramentalem audit, siue sacerdos fuerit, siue laicus, & siue licite, siue illicite, siue immediate, siue mediate id didicerit ad celandum illam hoc sigillo tenetur. Verum est tamen, quod non cuicunque præcipitur a iure positiuo ecclesiastico sic celare, sicut sacerdoti confessori, nec alteri imponitur talis pęna saltem expresse sicut sacerdoti, vel dicitur imponenda in iure, sed de iure naturæ, & diuino positiuo in fauorem confessionis ordinato omnes supradicti celare tenentur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum Sacerdos superiori præcipienti debeat secretum confessionis reuelare.

Altisiodor. GVilielmus Altisiodorensis. 4. p. summæ tract. de cõfessione cap. 5. docet, quod sacerdos tenetur cuilibet celare cõfessionem, nisi superiori, cui in casu, nempe si reuelatio sit vtilis ipsi pœnitenti, & credatur non fore ingratam, neque propterea confessionem reddendam esse onerosam, potest reuelare. Cæterum omnes Doctores conueniunt contra Altisiodorensem, quia, moraliter est impossibile, quod assumit. videlicet reuelationem confessionis non esse onerosã pœnitenti, nisi in particulari casu, quem tangit hic Scotus, ex ipso Altisiodorensi, quando, s. inferior non potest absoluere, sed recipit, vt referat superiori, qui potest absoluere, & tunc inferior non est confessor, sed censendum est, quod cõfitens sibi vt inferiori, narrat sibi vt interpreti tantum, & tunc stat totum intra vnicum actum confessionis, in quo confitens, & superior, qui solus tunc est confessor, sunt iudicandus, scilicet. Reus, & iudex, pœnitens iudicandus, siue reus, & superior iudex; Medius autem, qui audit, & refert, tantummodo est interpres, tenetur tamen ad silentium quantum ad omnem alium ab illo cui est interpres, ita quod in tali casu confessor potest reuelare confessionem superiori cõfitendo peccata pro alio, de quibus non potest absoluere, & tunc iste se habet vt interpres ad confitendum peccata. Sed nec iste casus admitti potest: quia si Curatus non potest absoluere de aliquibus casibus, debet vel remittere pęnitentem ad superiorem, a quo absoluatur, vel ipse ad superiorem debet adire, vt facultatem absoluendi accipiat, & non debet ipse confessor peccata pœnitentis pro ipso confiteri.

Sed contra instatur per textum Canonis de pęnitentia, & remissione. lib. 5. cap. officii. vbi dicitur, quod quidam Card. Sedis Apostolicæ legatus significauit Papæ quandam mulierem sibi fuisse confessam, quæ timens ne viri possessio deuolueretur ad alios, quarundam herbarum succũ potauit, & sic venter eius intumuit, & inde grauidam se fingens, sibi partum supposuit alienum, timens maritum, non vult facinus sibi detegere, qui prolem credit sine dubitatione esse suam, vbi patet quod inferior narrat superiori peccatum sibi confessum, & per hoc inquit *Doctor* soluitur quoddam argumentum prius factum contra Ricard. quo probatur, quod liceat peccata in confessione detecta in vniuersali dicere, & in particulari non relata ad personam confitentem: Nã illud cap. innuit, quod liceat alicui etiam in vniuersali dicere peccata audita extra forum confessionis.

Ad hoc respondet *Doctor*, quod hoc nihil est, quia ille Cardinalis non scripsit per litteras confitendo pro muliere, nec ipse Papa per litteras absoluit mulierem, sed scripsit consilium requirens, quid ipsemet faceret, vt patet per responsionem Papæ; qui non immediate absoluit illam mulierem de hoc, quod supposuit partum: sed respondet sibi qualiter discretus sacerdos debet illi mulieri consulere. Et consimiliter posset in tali dubio requiri consilium non tantum a superiori, sed a quocunque alio prudenti, qui tamen sciat consulere. Vnde illud, quod ibi dictum est contra rationem primam Ricar generaliter est verum, scilicet quod peccatum confitentis non relatum, nec determinatum ad personam confitentem, potest dici a Confessore, & vtiliter; imo necessario, quando non est ita peritus, vt sciat ipse consulere, & tunc potest vtiliter, & necessario dicere cuicunque prudenti, qui scit consulere sibi. Nulli ergo nec inferiori, nec etiam superiori omnino reuelandum est confessionis secretum, sic quod possit pœnitens vllo modo certe, & distincte, peccato notari.

Sed nunquid Papa potest præcipere vt sibi reueletur? & videtur quod sic, quia Papa dispensat super iureiurando. c. 1. & c. 2. & cap. verum. de iureiuran. Item dispensare potest super voto. c. magnæ. de voto. traditur idem a *D. Tho.* 2. 2. qu. 88. art. 10. & q. 89. art. 9. *Papa nõ potest præcipere vt confessio sibi reueletur. D Thom.*

In oppositum est hic *Doctor*, cum cõmuni schola Theologorum, & Canonistarum, affirmantium Papam etiã propter maximam Reipubl. vtilitatem non posse dispensare cũ confessore, vt confessionem reuelet. Primo quia Papa non potest super scandalo dispensare. c. si quando, cum ibi notatis de rescript. & est textus aptior. c. cum teneamur. de præbend. Non enim potest mandare, vt non obstante scandalo fiat aliquid, quod lege *Dei* non est necessarium secundum Innoc. in c. Inquisit. de sent. excom. & annotauit expresse Panor. in illo cap. cum teneamur. de præbendis. aiens non esse obediendum Papæ, si scribat: non obstante scandalo, propter potestatis defectum, at confessionem etiam pro vitando scandalo non licere reuelare aperte definit cap. sacerdos. de pœnit. dist. 6. ergo minus poterit super hac reuelatione, quam super scandalo dispensare. Item lex quæ iubet confessionem teneri secretam, naturalis est & diuina, vt supra dictum est, at supra ius naturæ & diuinum Papa dispensare non potest, licet illa aliquando declaret in aliquo casu non habere locum, vt docet D. Thom. 1. 2. q. 100. art. 8. communiter a Theologis receptus. *Innocentius. Panormit. D. Thom.*

Ad rationem in oppositum concedo assumptum, nempe Papam in iuramento, & voto ex iusta causa dispensare, in hoc autem præcepto non posse, quia nulla posset ad id faciẽdum reperiri causa. Posset etiam responderi aliud esse in iuramento, & voto, in quibus nemo sine animo obligandi se, obligatur, aliud in hoc secreto, ad quod sine vllo suo facto vincitur, & ligatur, vt inquit Adrianus, atq; adeo cum obligatio celandi confessionem quæratur Deo contra eum, qui eam nouit per suam legem solam, difficilius poterit illa per Papam tolli, quam voti, & iuramenti obligatio, quæ mediãte nostra voluntate quæruntur. *Adrianus.*

ARTICVLVS VII.

Vtrum Sacerdos teneatur semper secretum confessionis seruare.

Couar. QVidam Canonistarum vt refert Couar. in 4. 2. p. c. 8. §. 12. nu. 10. dicunt quod saltem post mortem non obligat confessionis sigillum; quoniam si mortuus sit pœnitens, & necessarium sit aperire crimen eius ad impediendum. v. g. vsum alicuius matrimonij, quod nullum est.

Scotus. Oppositũ nihilominus docet hic Scotus; quia istud est pręceptũ negatiuũ. s. Nõ reuelabis crimen dictũ in confessione.

præceptum autem negatiuum quo ad semper, & pro semper obligat: vt ait S.Thomas. 2. 2.quæst.33. artic. 2. in corpore artic. quem sequuntur omnes Theologi. & Panormit. & alij in capit. nouit. de iudic. Archidiac. in princ. de pœnit. dist. 5. & in cap. si peccauerit. 2. quæst. 1. & cap. præcepta, de consecrat. dist. 1. atque adeo toties quoties quis contra facit deliberate peccat, quia contra præceptum negatiuum facit.

D.Thomas. Panormit. Archidiac.

Ex quo sequitur corrolarium, quod etiam post mortem confitentis non potest sacerdos reuelare criman. Vnde erronea est illorum Canonistarum sententia, vt reliqui Doctores docent, quos Couar. citat. Præsertim quia testimonium confessoris ex scientia confessionis nullam facit fidem in foro exteriori, vt sumitur ex cap. de offic. ordin. & cap. dilectus. de excessibus prælat. Nec refert quod pœnitens mortuus sit, obligatio enim sigilli semper durat. Tum quia hoc est necessarium ad bonum vsum talis sacramenti; timerent enim viui peccata sua dicere, si vel post mortem reuelari possent; tum etiam, quia præceptum est absolutum, & proximi fama etiam post mortem seruanda est. & ad hoc probandum adduci possunt rationes positæ, ad secundum, & tertium articulum; æque enim concludunt de hoc, sicut de præcepto negatiuo pro tunc, & nunc, vt dicit hic Doctor.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum Sacerdos ne dum peccata, & peccatorum circunstantias, sed etiam personam, cum qua peccatur, celare teneatur.

DVo quærit hæc quæstio, & duo præsupponit, Primo quærit an sacerdos teneatur celare peccata confitentis, & peccatorum circunstantias, & præsupponit peccata, & circunstantias peccatorum esse materiam huius secreti; secundo quærit an sacerdos teneatur celare sigillo cōfessionis nedum pœnitentem, sed etiam participantem, & præsupponit licitum esse pœnitenti personam & peccatum complicis in confessione aperire.

Materia sigilli confessionis, quæ sit.

Quo ad præsuppositum primi quæsiti de peccatis mortalibus loquendo, certum est esse quandoque materiam grauem, ita vt vel vnum solum reuelare semper sit peccatum mortale, imo etiam peccatum veniale, vel minimum in confessione auditum esse materiam grauem huius sigilli, ita vt ex ea parte semper sit peccatum mortale illud reuelare. Dixi ex ea parte, quia ex ignorantia, vel naturali inaduertentia potest interdum esse excusatio. ita docent Sotus relect. de secreto. quæst. 3. cap. 3. Nauar. cap. 8. & alij. & ratio est: quia licet respectu pœnitentis illa regulariter non sit grauis infamia; respectu tamen sacramenti semper est grauis iniuria, & graue nocumentum: quia alias auerterentur homines a confessione venialium.

Sotus. Nauar.

Ex hoc sequitur primum, quod si aliquis ex indeliberatione, & inaduertentia reuelat confessionem, & nulla resultat infamia, non peccat nisi venialiter: quia non reuelat animo reuelandi, neque recordatur confessionis, sed quasi aliunde sciret peccatum.

Secundo sequitur. Quod non reuelat confessionē, qui dicit, Petrus confessus est mihi sua peccata, dummodo non addat mortalia, aut venialia: quia reuelatio non est nisi rei ignotæ, sed omnib. est notum, quod pœnitens confitetur sua peccata, ergo non est reuelare confessionem.

Tertio sequitur, quod sacerdos nequit absolute dicere nō absolui talem pœnitentem: quia tunc reuelat eius impœnitētiam; nisi addat; quia non finiuit confessionem: nec licet laudare pœnitentem, quando ex eius laudibus insinuatur aliū pœnitentem esse minus laude dignum, hoc enim esset signo reuelare eius peccatum. Vide Ioan. Medina cod. de confessione.

Medina.

Quarto sequitur, quod licet non agat sacerdos contra sigillum confessionis reuelando peccata in generali non relata ad personam confitentem, vt dictum est supra, non magna vacat temeritate, quando citra consultationem facit, hanc veritatem fere omnes Doctores consulunt, quam probant enarrando quam plurima, quæ miserrime contingunt propter inaduertentiam aliquorum sacerdotum reuelantium aliqua peccata in generali. Vide Barthol. Medinam. 2. lib. suæ summæ. cap. 4.

Medina.

Secundo dicendum est etiam circunstantias & peccatorū obiecta contineri sub hoc sigillo; quia vt sapienter hic notat Scotus, circunstantiæ non possunt bene reuelari sine reuelatione facti. tum etiam quia circunstantiæ sunt moraliter quædam peccata, vel sunt quasi integrantes peccatum, & loquor de circunstātijs, quæ sunt necessario confitendæ: quia tales speciali præcepto prohibentur, vt diximus supra. d. 17. Ex quo sequitur, si quis confiteatur se habere propositum, v.g. interficiendi aliquem, interfectionem illam contineri sub sigillo, etiam si non dum sit peccatum commissum, neque immediata materia confessionis, vel absolutionis; quia est obiectū illius peccati interioris, qd aliquis confessus est.

Quo ad præsuppositum secundi quæsiti. obser. est primo, quod reuelare peccatum proximi in particulari, & cum infamia eius etiam in confessione ex suo genere est peccatum mortale, si fiat sine rationabili causa. Ita D. Bonau. to. 1. Opuscul. in opusc. de ratione confitendi, & Sotus lib. 5. de iust. & iure. q. 5 art. 2. & ratio est, quia infamare proximum, etiam apud vnam tantum personam, (quicquid dicat Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2.) reuera est graue detrimentum morale, tantoque maius, quanto illa persona fuerit grauior. Et quod fiat in cōfessione non ita minuit detrimentum, vt sufficiat ad tollendum peccatum mortale: quia hæc infamia non solum est graue damnum propter effectus extrinsecos, sed per se propter prauum conceptū illius personæ, & intrinsecos, seu per se effectus, qui ex tali conceptu circa affectum, & alias actiones eius sequi possunt. Vnde etiam hic accidit irreuerentia, quæ fit sacramento vtendo illo, vt medio ad infamandum proximum. Dixi ex suo genere: quia ex inaduertentia, vel ex leuitate materiæ poterit hoc peccatum esse veniale.

Reuelare peccatum in confessione ex suo genere est peccatum mortale. D. Bonau. Sotus. Caietanus.

Secundo obser. est, ex legitima causa licitum esse personā complicis, & peccatum eius in confessione reuelare. est communis sententia, & ratio desumi potest ex D. Thom. 2. 2. q. 73. art. 2. vbi docet detractionem formalem esse intrinsece malam, non autem materialem. Est autem detractio formalis, quando peccatum proximi reuelatur, vel ex intentione infamandi illum, vel sine rationabili causa, si autem fiat sine illa intentione, & cum hac causa detractio est materialis, & ideo non per se mala, sed licita esse potest. Quod si hoc verū est extra confessionem, multo magis in illa; quia non potest esse maior necessitas, & minus incommodum proximi.

Personam complicis et eius peccatū ex iusta causa potest in confessione reuelari. D.Thom.

Sed dubium est, quænā sit hæc causa legitima, circa quod obs. est Tertio quod huiusmodi causa sumi pōt vel ex parte ipsius complicis, vel ex parte alicuius tertij, seu boni communis. Item illa vtilitas, quæ intenditur requirere potest actionem confessoris, vel tantum in ipsa confessione, vel etiā extra confessionem, & tunc vel per vsum, qui nullam reuelationem complicis requirat, aut cum eius reuelatione. Si vtilitas tantum in ipsa confessione procuratur, & ad solum pœnitentem pertinet; certum est hoc esse licitum, quod docuit Ricar. in 4. d. 21. art. 5. q. 2. & Sotus. d. 18. q. 2. art. 5. ad 4. & D. Bernardinus in ser. quodam de confessione. in 3. p. sermonū. & ratio est: quia tunc fit minima detractio materialis, quæ fieri potest, & intenditur maxima vtilitas, & maxime propria. s. spiritualis, ergo tunc maxime hoc licet. Si vero vtilitas illa requirit actionem, vel vsum illius notitię, etiam extra cōfessionem, si vsus ille fieri potest sine vlla reuelatione directa, vel indirecta, certum est tunc licitum esse peccatum cōplicis cum confessore communicare, dummodo causa, vel finis sufficiens sit. & ratio est clara; quia ille vsus nec famæ proximi, nec secreto confessionis derogat, quod ne dum verum est propter vtilitatem ipsiusmet pœnitentis, sed etiam complicis, vel alterius tertiæ personæ. vt si confessor possit sola sua industria sine vlla prorsus reuelatione tollere occasionem peccati, vel impedire aliquod graue nocumentum proximi; nam propter has & similes causas licet etiam extra cōfessionem sub naturali secreto occultum crimen alicuius in alterius notitiam deferre: ergo a fortiori hoc licebit in confessione, quando ad eum finem nulla reuelatio necessaria est.

Ricardus. Sotus. D. Bernard.

His obseruatis, circa secundum quæsitum, quidam his nostris temporibus minus caute, quā oportebat locuti sunt, affirmantes posse participantem manifestari non publice, sed prælato delinquētis, vt eum corrigat, vnde & pœnitentes cōpellebant, vt nominatim sibi proponerent participantes, qd quidem iniquū est & huic sacramento maxime noxium; ab soluetur ergo dubium aliquibus conclusionibus de mente grauissimorum nostri temporis Doctorum.

Prima conclusio. hæreticum est affirmare esse simpliciter neces-

necessarium ad confessionem proponere nominatim participantem, & quod alias nequit absolui pœnitens, hæc conclusio placuit post multos alios Medinæ in d.c.4 suæ summæ. *Medina.* quam licet non probet, & nimis rigorosa videatur aliquibus; existimo tamen esse verissimam, & probatur. hæreticũ est affirmare, aliquem intollerabilem errorem contineri in vsu sacramentorum, quorum Christus Dominus infallibilis veritas fuit auctor, & institor, sed si reuelatio complicis esset necessaria, vsus pœnitentiæ contineret intollerabilem errorẽ, ergo &c. patet minor; quia infamatur proximus; quod est contra legem naturæ. Et confirmatur: quia licet integritas confessionis sit de iure diuino, potest dimidiari ad vitandam infamiam proximi reticendo aliquam necessariam circunstantiam nõ ob aliud nisi, vt seruetur lex naturæ: sed multo deterius frangeretur, manifestando complicem, siquidẽ necessaria circunstantia potest exprimi alias dicendo, ego & alter furati sumus rem sacram, vel cognoui vxoratam, quin addat Antoniam, vel Bertam, ergo nullo modo est compellendus pœnitens, vt reuelet participantem.

Ex hac conclusione sequitur, quod si reuelatio participantis est necessaria, vt exprimatur species peccati, vt si quis cognouit matrem, est tacenda ista circunstantia, donec habeat penitens copiam sacerdotis, non cognoscentis matrem. Magister Cano relectione de pœnitentia existimat contrarium esse faciendum in articulo mortis, sed immerito, vt optime docet Medina vbi supra. *Canus. Medina.*

Secunda conclusio. Sacerdos, qui ob curiositatem, vel ob alium finem facerit participãtem sibi reuelari in confessione, licet non compellat pœnitentem, nec affirmet id esse necessarium, peccat mortaliter hæc conclusio sequitur manifeste ex præcedenti, efficitur in suspectus de hæresi, & est causa alieni peccati, & non est tam sacramenti fidelis administrator, & teste D. Bernardo, quod pro charitate est institutum, non est contra charitatem exercendum. *D. Bernard.*

Tertia conclusio, quia respondetur ad quæsitum, si propter ignorantiam pœnitentis, vel alio inculpabili modo reuelatur in confessione sacerdoti participans, tenetur sacerdos eius peccatum celare sub eodem sigillo, quo tenetur celare peccatum ipsius pœnitentis, alioqui erit reus reuelatæ confessionis, & simili pœna plectendus. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub lit. L §. de quid dico. Ricar. art. 4. q. 4. Palud. q. 3. art. 2. concl. 1. Gabriel. art. 3. dub. 2. Sotus. d. 18. q. 4. artic. 5. & Releɫ. de secreto m. 3. q. 4. Syluest. confessor. 3. q. 6. & probatur, quia alias daretur occasio decernendi homines a confessione, præterea omnes Doctores supponunt hanc obligationem in confessore, vt pœnitens possit peccatum complicis in confessione reuelare: quia si timeat Confessorem reuelaturum complicem, omnes Doctores negant licere tunc cõplicem reuelare, etiam si necesse sit peccatum proprium nõ integre dicere, & optima est ratio, quam hic tangit Doctor. *Scotus. Ricardus. Paludanus. Gabriel. Sotus. Syluester.* Quia etiam confitens vult famam personæ, cum qua peccauit saluare, saltem debet et velle sicut suam: imo eo magis, quod persona illa sibi fuit coniuncta in crimine, tanto enim magis tenetur et ad boni restitutionem, quod per illam amisit, & ad custodiam illius boni, quod potest custodiri nõ obstante illo malo commisso: fidelitas etiam & veracitas, & vnitas seu communitas patet hic, vt prius. consimiliter tres rationes Prou. 3. articulo: quia non celans retrahit a confessione, deducit etiam ad forum aliud, quod est in hoc foro venialium, & est occasio mentiendi in isto foro, vt dictum est. Ex istis vult habere Scotus, quod sacerdos tenetur celare peccatum pœnitentis, ipsum met pœnitentem, & secundam personam, cum qua peccauit, & circunstantias tam de iure naturali, quam diuino positiuo; quia si confessor nõ obligaretur sub sigillo respectu complicis, nulla posset esse securitas, neque infamatio proximi per se tegeretur hoc sigillo. & fere hæc est ratio a priori huius veritatis: nam omnia illa, quæ sunt necessaria ad integram confessionem faciendam, cadũt sub sigillum, sed vnum ex iis necessariis est persona complicis, ergo &c. minor supponitur ex facto ipso; Maior vero cõstat ex superius dictis; nam sigillum ad hoc præcipue ordinatur, vt pœnitentes libere, & sine timore possint integre cõfiteri. Vnde hoc confirmat Scotus; quia etiam pœnitens vult famam personæ, cum qua peccauit custodire, sicut suam, ergo etiam ex hoc capite inducitur sigillum.

ARTICVLVS IX.

Vtrum omne secretum sit de lege naturæ seruandum, & sub qua pœna.

Circa materiam de sigillo secreti extra confessionem multa proponuntur a Doctoribus, dist. 21. & de hac re multa scripsit Sotus in Releɫ. de secreto. scitu digna; quæ nõ pertinent ad præsentem disputationem. Sed pro nunc obseruandum est primo, quod sigillum confessionis, & sigillum secreti, accipiendo sigillum secreti in generali, se habent sicut superius & inferius, sigillum enim confessionis est sigillum secreti, sed non omne sigillum secreti, est sigillum confessionis. Cum enim vnus ab alio petit consilium, & de illo bona fide sibi consulit recommendans sibi, vt hoc celet, vel personam, quæ hac consuluit non nominet, ille, qui consilium petiuit, obligatur ad celandum per sigillum secreti, quod tamẽ non est sigillum confessionis. *Sotus. Sigillum secreti & sigillum confessionis se habent sicut superius & inferius.*

Secundo obs. est, quod omne secretum dictum per modũ secreti debet celari, & quilibet recipiens secretum, illud simpliciter celare tenetur. Potest autem secretum per modum secreti bifariam dici; vno modo exprimendo, quod hoc sibi dicit in secreto, vt si dicat ego trado tibi hoc sub secreto, & alter sic recipit. Alio modo dicitur per modum secreti, quando ex modo dicendi percipitur, quod iste non dicit nisi in secreto, vt pote dicit circunstantibus, vt recedant, vel se elongent, vt ipse loquatur alteri, vel Petrum separatim a cæteris alloquitur, vel si materia, de qua loquitur talis est, quod ex reuelatione personæ consulentis, persona consulens notabile detrimentum incurreret. *Secretũ omne dictũ per modum secreti celari debet.*

Tertio obs. est quorundam fuisse sententiam, quod secretum nõ dicitur per modum secreti; nisi quando exprimitur hoc, videlicet, dicendo ego hoc vobis dico, sub secreto, sed hoc est falsum vt hic dicit Doctor: quia non solum est per modum secreti, quando committens exprimit se velle committere illud per modum secreti: sed quandocunque ex modo committendi apparet, quod velit committere vt secretũ. Dixi notanter per modum secreti; quia secretum potest dici in publico, v.g. nemo scit Petrum commisisse homicidium nisi ego, sed ego venio, & publice in vico illud refero cũctis audientibus: illi, qui hoc audiunt, non tenentur celare: quia secretum dixi, sed non per modum secreti, sed publice.

His obseruatis respondetur ad quæst. vnica conclusione; seruare secretum est de lege naturæ, atque adeo tale secretũ reuelans peccat. probatur quicunque contrauenit iuri naturæ, peccat, sed seruare secretum proximi est de iure naturæ pariter & diuino, ergo &c. maior patet, & minor probatur. Quilibet tenetur alteri facere, quod vellet sibi rationabiliter fieri, sed quandocunque aliquis detexisset alicui suum peccatum, vellet illud teneri secretum, ergo quilibet alter etiam tenetur hoc facere de peccato sibi detecto per modum secreti. Maior patet ex illo Matth. 7. omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis. Præterea Prou. 11. Qui ambulat fraudulenter reuelat arcana, qui autem fidelis est, celat amici commissum. & refertur. 5. q. 5. cap. qui ambulat. *Seruare secretũ est de lege naturæ.*

Ex hac conclusione sequitur, quod omne secretum fratris est seruandum, cuius reuelatio est in eius dedecus; siue dicat fateor tibi hac sub sigillo secreti, siue non: verum est tamen, quod si dicat hæc committo tibi per modum secreti, reuelando est maius peccatum, vt dicunt Ricard. hac d. art. 5. quæst. 4. & Maior. quæst. 2. quia promisit ei verbo tacere, vel virtualiter nutu, siue secretum, quod committitur sit vitium naturæ, siue sit vitium animæ ab hominis voluntate dependens, siue verum, vel falsum, non refert. *Ricardus. Maior.*

Secundo sequitur, quod si reperiam libelũ in quo quis scripsit sua peccata, & illum alicui communicem alteri a scribente, pecco, & debeo illum libellum vbi scriptor non occurrit, lacerare, immo si in libelli principio contiret de secreto, mortaliter pecco si ipse legam lacerandus est quemadmodũ libellus famosus, vt. C. de libel. famo. l. si quis famosum & 6. q. 1. cap. si quis famosum.

Tertio sequitur, quod nemo debet peccatum proximi, vel suum secretũ extra confessionem propalare, probatur. Nemo debet peccatum proximi secretum referare, ergo nec suum ipsius, tenet consequentia, quia dato opposito

consequentis cum antecedente, sequitur hoc absurdum, quod aliquis plus tenetur diligere proximum, quam se ipsum, quod est falsum, nam dicitur 9. Ethic. Amicabilia ad alterum referuntur ad amicabilia in ordine ad nos, & dilectio sui ipsius est mensura dilectionis proximi. Dilige proximum tuũ sicut te ipsum, inquit Saluator noster. Insuper peccat qui bona sua propria dissipat, vtpote proijciens triticum in aquã, vel domum propriam comburens sine necessitate, & vtilitate, non licebit ergo famam, quæ hæc bona exuperat euertuare.

Contra cõclusionem arguitur. Scio in secreto Petrum vrbem hostibus traditurum, vel pestiferam hæresim sparsurũ in vulgis, tunc si non liceat peccatum occultum istius secreto acceptum propalare. Vrbs tradetur hostibus, & multi innocentes occidentur, contra id, quod præcipitur Prouer. 4. Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui ducuntur ad interitum liberare ne cesses, castæ mulieres stuprabuntur, & multa alia flagitia perpetrabuntur; magis autem obligor istis incommodis occurrere, quam non reserare secretum istius mali viri.

Præterea si sim interrogatus a iudice super occulto peccato Petri, quod ego solus scio, & iurem a principio dicere veritatem, teneor tunc propalare peccatum occultum Petri, vt patet Leuit. 5. Si peccauerit anima, & audierit vocem iurantis, testisque fuerit, quod ipse vidit, aut conscius est, nisi indicauerit, portabit iniquitatem suam. vbi Nicolaus Lyranus dicit, quod in hebræo habetur, si audierit vocem iurati, qua, scilicet adiuratur dicere veritatem.

Nic de Lyr.

Ad primum dico, quod argumentum sufficienter probat seruare secretum non esse de iure naturæ in omnem euentũ, imo nullo modo est præceptum, quando fortius vinculum superuenit ad oppositum obligans, vt in proposito, & patet. 22. quæst. 5. cap. hoc videtur. Vnde si possum persuadere ei, vt desistat a proposito suo concepto, teneor eius peccatum secretum seruare & alius sufficienter succurro, imo si, vtrunque præceptum seruo, sed vbi non possum, superiorem adibo, & illum sceleratum nominatim manifestabo, etiam si iure iurando affirmassem ei tenere omnia, quæ mihi dixerat, secreta, & postea mentem suam de concepto scelere mihi patefaceret; quia intelligitur in iuramento meo nisi fortiori vinculo obliger ad manifestandum; nam quando sũt duo præcepta, quæ non possunt simul obseruari, oportet facere oppositum minoris præcepti, sed præceptum de obseruando bonum commune magis obligat, quam præceptum de seruanda fama Petri; nam iure naturali plus obliger ad bonum commune, quam ad bonum particulare Petri, atque adeo illa promissio, seu iuramentum cum sit de opposito præcepti, ad quod magis teneor, rescindenda est. Sed si iuratem ei post sceleris manifestationem me illud nemini proditurum, incaute iuratem, & per consequens non obligaret illud iuramentum seruare. ex hoc patet per locum ab oppositis. si religiosus sciat peccatum occultum fratris sui, quod nec sit in damnum corporale, nec spirituale aliorum, non debet illud superiori etiam præcipienti sub pęna excõmunicationis reuelare, seu detegere.

Ad secundum dico, quod tam reus, quam testis possunt interrogari a iudice dupliciter, vel in iudicio illegitimo vel legitimo: aliud est etiam negare factum, aliud vero celare veritatem tacendo, vel respondendo verbis amphybologicis, & æquiuocis: negatio autem fit verbis contradictoriis, vt feci hoc, vel non feci. Ex his dico primo, quod nunquam licet negare secretum in iudicio, aut extra, patet, quia nunquam licet mentiri. Dico secundo, quod quando iudicium est legitimum peccat mortaliter tam reus, quam testis non respondendo iudici, neque reus est absoluendus durante iudicio, donec respondeat veritatem: quia iudex habet potestatem interrogandi, ad Rom. 13. ergo & reus, & testis tenẽtur respondere.

Reus, & testis possunt a iudice bifariam interrogari.

Dico tertio, quando iudicium est illegitimũ possunt reus, & testis deludere solicitudinem iudicis verbis amphybologicis celando veritatem, & non mentitur; patet quia iudex non potest interrogare, ergo reus non tenetur respondere, ex quo sequitur quod potest testis respondere se nescire illud, quod interrogatur: quia scientia est duplex, publica & secreta, & ipse intelligit se nescire scientia publica, i. nescio ad dicendum sicut Matth. 13. Christus Dominus dixit se nescire diem Iudicii. Et si interroges. Quando iudicium est legitimum, respondeo quod quando iudex est proprius, & legitime procedit, hoc est ex infamia, aut semiplena probatione, sed de hoc diffuse diximus in practica nostra criminali canonica. vide ibi.

Quoad pœnam detegentiũ secretũ dicit Doctor, quod pœnæ ecclesiasticæ non sunt eædem inflictæ de quolibet secreto, sicut de isto, scilicet de secreto confessionis, pro quo tamen nulla censura, vel pœna ipso facto incurrenda lata est in iure propter hoc delictum: quia nullum inuenitur tale ius. In cap. autem sacerdos. de pœnit. d. 6 imponitur pęna depositionis a iudice ferenda, & additur cogendum esse huiusmodi sacerdotem, vt perpetuo ignominiose peregrinetur, tamen in capit. omnis vtriusque sexus. confirmatur eadem depositionis pœna, additur vero vt perpetuo detrudatur in monasterium, Vnde antiquum illud ius quoad posteriorem partem per hoc nouum immutatum est, vt diximus supra.

Sed dubium est si confessor dicat se habuisse facultatem a pœnitente, vel alia via sciuisse, & pœnitens neget, quid agendum sit. Multi enim Auctores imponunt confessori onus probandi, vt videre est apud D. Thomam. d. 21. quæst. 2. art 2. & Ricad. art. 4. quæst. 1. ad 1. Syluest. Confessio. 3. numero nono, qui refert Panorm. & esse communem sentent. Doct. in dict. cap. omnis. testatur Nauar. dict. capit. Sacerdos numero 164. Sed certe est difficile, & graue onus, & quod moraliter vix expleri potest. Vnde fit vt sæpe confessores graui periculo exponantur vtendo iure suo. Et ideo quamuis cæteris paribus inclinandum sit in fauorem pœnitentis, & sacramenti, tamen in particulari indicia, & coniecturæ consideranda sunt; nam si confessor aliquid egit in damnum pœnitentis, aut alterius, contra illum est præsumptio, si vero confitentibus nihil fecisse incommodi, sed potius intendisse bonum illius salua eius fama & honore, quod fieri potuit, in fauorem potius illius præsumendum est, nisi aliunde oppositum constet. Multum enim confert vitam & mores confessoris spectare, nam si sit bonæ famæ, & honestæ vitæ tunc illi fides adhibenda est, cum actus sit ex se secretus, neque aliter probari possit, quod recte notauit Bernardinus Diaz in practic. cap. 109 vbi concludit in hoc negotio non posse dari certam regulam, sed ex qualitate peccati & circunstantiis personarum, & publicatione delicti præsumptionem esse sumendam, facit etiam quod Panorm. su. se tractat, in d. c. omnis vtriusque sexus, vbi & alios refert, & dictam sententiam confirmat.

D. Thomas. Ricardus. Syluester. Nauar.

Bernardin.

Panormit.

Pœna autem reuelantis secretum extra confessionem est infamia, vnde si quis publice reuelaret aliquod peccatum sibi commissum sub secreto, sed non sacramentali, sibi imponitur alia pœna, scilicet infamia, impositor enim falsi criminis, vel cuiusque vere, sed occulti, quod probare non potest, pro calumniatore habetur extra de calumniatoribus, talis est, qui reuelat quodcumque secretum crimen, quod probare non potest, & omnis talis est infamis, idest ab omni testimonio postea repellendus.

ARTICVLVS X.

Vtrum propter bonum Reipub. licitum sit confessionem reuelare.

ARguitur quod sic. Illud quod est pro charitate institutum non debet contra charitatem militare, sed secretũ confessionis est pro charitate institutum, ergo non debet cõtra charitatem militare: autem contra charitatem si tale seruando secretum, sequatur interdum totius boni communis destructio, & fidei catholicæ periclitatio, ergo &cet. Maior patet auctoritate D. Bernardi de præcepto & dispensatione lib. 4. Nam quando accidit casus, in quo id, quod institutũ est, militat contra charitatem, non amplius obligat. & enim propter rationem dantur dispensationem in voto, & iuramentis. Minor & manifesta, & quod interdum seruare secretum confessionis militet contra charitatem, ex eo patet, quod crimen hæresis, vel proditio Reipub. tendunt ad fidei, & ipsius Reipub. destructionem, & maxime huiusmodi crimina detegenda sunt, si ex confessione percipiatur, illa non tantum esse facta, sed facienda; Nam tunc videtur contra charitatem esse, cõtemnere bonum commune propter aliquod bonum priuatæ personæ, atque adeo nemo tenetur illa celare: quia astringitur ad oppositum fortiori vinculo, vt diximus in superiori articulo.

Et

Innocent. Panormitan. Decius.

Et confirmant auct. Innocen. in c. omnis vtriusque sexus de pœnit. & remiss. quem secuti sunt Panor. ibi. & Decius in cap. cum non ab homine, de iudic. Et facit etiam, quod qui confitetur se cum alijs hostibus decreuisse se incendio supponere ciuitatē, aut hæresi quadam inficere populum, neque illum huius mali propositi pœnitet, non eo modo confitetur, qui ad absolutionem prosit. ca. quod quidam. de pœnit. & remiss. ergo non est cur eius confessio celanda fuerit.

Sed his non obstantibus tenenda est conclusio contraria, nempe quod nullus casus potest esse, in quo contra charitatē militet silentium: imo contra charitatem communem militaret oppositum, vt est ostensum quatuor rationibus in secundo art. ita quod in nullo casu licitum est reuelare confessionem. Pro quo facit textus in cap. Sacerdos de pœnit. d. 6. dum ait, etiam pro scandalo vitando id fieri non debere, at euitatio scandali, quam plurima permittit, iuxta ea, quæ late tradit Felinus in c. nihil cum scandalo, de præscr. Secundo facit, quod nihil mali adeo graue occurrere potest, quo non sit grauius, & peius ecclesiæ christianæ confessionem Christianis exosam fieri, & abominabilem, at si concesserimus confessionem reuelari posse, exosa illa fieret, & toti ecclesiæ molesta, & retraherentur viri a confessione, sicut populus Israel propter peccatum Ophni & Phinees retrahebatur a lege Dei. 1. Reg. 2. ergo ob nullam causam id fieri potest. Tertio facit, quod si in aliquo casu confessio reuelari posset, ne in eo casu confiterentur, atque ita nihil prodesset hoc asserere, vt per confessionis reuelationem malis occurreretur futuris.

Felinus.

Ad obiecta in oppositum ad primum dicit Scotus, iuxta illud Deuter. 20. Iuste quod iustum est exequeris, ergo charitatiue quod charitatis est exequaris, iustum est autem bonū commune, & fidem seruare, sed iuste id est, modo iusto, iustaque via, sed nec iuste, neque charitatiue exequitur, qui cōtra legem naturæ modis prædictis manifestat aliquod malū commissum, vel committendum. Quare reprobandus est ille versus Iuristarum, est hæresis crimen, quod nec confessio celat, non quin meritum sit bonum, sed sententia est falsa.

Negatur ergo hæresim, siue iam commissam, siue committendam in confessione detectam reuelari posse, & ideo merito Parisienses dixere dictum versiculum pestilentem esse, imo dicit Maior, quod eius sententia diabolica est, quia nullum peccatum in confessione auditum reuelandum est, siue confitens pœnitet siue nō, nec in vita, nec quod amplius est in morte, nec post mortem, vt diximus supra, quia mortuo, & suis infamia obijceretur, multi enim multa egregia opera faciunt allecti etiam gloria post mortem secutura, licet gloria non sit finis vltimus, sed Deus, ergo homines ab infamia etiam post mortem procul esse student, vt patet in c. propolatum, quod metus causa, vnde si liceret post mortē referari, homines retraherentur a confessione complete facienda in vita. Cum ergo dicitur fortiori vinculo teneor propalare hæresim, quam tenere peccatum occultum illius in confessione auditum, nego assumptum: quia nullum est præceptum ab illo deobligans quod, nunque sit illud, quia si liceret propalare hæresim in confessione: mali sacerdotes, quando vellent illorum peccata secreta pandere, fingerent confitentem hæreticum, & sic hæc lex Dei de confessione facienda saltem semel in vita, vel ecclesiæ semel in anno, raro compete euitaretur, quia illa lex est multis difficilis, maxime verecundis. Nullum igitur præceptum occurrit, cui illud cedere debeat, sed è conuerso huic quodlibet aliud occurrens dat locum, & desinit esse præceptum: quia inter præcepta rationabilia nunquam est repugnantia, licet interdum primo intuitu videantur contra se acies oppositas moliri. Ex hoc sequitur, quod longe amplius, & strictius seruandum est sigillum confessionis, quam sigillum secreti, hoc alijs præceptis in casu dat locum, illud vero nulli retrahit pedem, sed immobile permanet, sicut in arce hominibus vtilissima & necessaria ab hostibus obsessa, vbi grauior est insultus, opus est fortiore muro adamantino inuiolabili si haberi possit.

Maior.

Ad confirmationem dico concedendum Panor. cum communi sent. & cum Angelo in summa verbo confessio vltimo nu. 7. casu. 3. tenere in illo cap. omnis &c. crimen committendum cuius non pœnitet confitentem, reuelari posse. imo & ante illum idem voluit Alex. de Ales. p. 4. q. 78. m. 2. art. 2. & Host. cum Ioan. Andrea, & Petro ab Anchar. in d. cap. omnis, & post eum Syluest. verbo confessio. 3. q. 5. & Decius in c. cum non ab homine de Iudic. & Barba. in c. vt autem, de

Panormit. Angelus. Al. de Ales. Hostiens. Io. Andreas. Pet. Ancha. Syluester. Decius. Barba.

probat. Cuius opinionis auctorem aiunt esse Innoc. ibi, qui tamen vt notauerunt Caiet. tom. 1. opusc. tract. 21. q. vnica. ex Nauar. in cap. sacerd. 5. de pœnit. d. 6. nu. 120. contrarium sentire videtur. Nam postquam dixit crimen, quod confitetur pœnitens committendum reuelare posse illi, qui prodesse valeat, &c. subijcit & rationem. Quia inquit, in hoc fuit minister Dei: quia tunc dicitur confessio fieri tanquam Dei ministerio, quando confitetur vt pœniteat: post quæ scribit illa. Hæc ratio non placet, quia bene credimus, quod vt minister recipiat, etiam si in peccato remanere proponat. cap. quod quidam. sup eadem. Audis Innocentium virum Doctissimum, & oculatissimum reprobare rationem illā, qua maxime nititur opinio aduersa, & per consequens videtur etiam ipsam opinionem corrigere, quando ratione legis correcta, lex quoque ipsa correcta videtur, cap. miramur. de seruis non ordinandis dicendum est ergo cum Scoto & cæteris Theologis non posse reuelari eiusmodi confessionem peccatorum, quorum nondum pœnitet confitentem.

Caiet. Nauar.

Et ad rationem, quæ in confirmatione insinuatur, concedo eiusmodi confessionem non esse talem, quæ absolutionē mereatur, sed nego illam non esse sacramentalem, & talem, quæ sigillo secreti confessionis sigillata non sit. Primo, quia vt confessio tali sit obsignata sigillo, non oportet, quod sit talis, quæ absolutionem mereatur: nam confessio laico facta secundum omnes est celanda, quam tamen clarum est non posse absolutionem mereri, per ea quæ dicta sunt supra. d. 17. Secundo quia licet illa confessio non mereatur absolutionem, durante illa cordis duritia, tamen adueniente, quæ illam comminuat contritione, potest absolutionem mereri, & ita vel est, vel apta est esse sacramentalis.

ARTICVLVS XI.

Vtrum sacerdos teneatur confessionem celare etiam cum euidenti mortis periculo.

PRo explicatione tituli ponatur casus, quod aliqui condixerunt occidere sacerdotem in tali nemore, qui sacerdos cum esset viator, vnus ante ingressum nemoris pœniteat, & confiteatur eidem sacerdoti hoc peccatum, asserens pro certo, quod si ingrediatur nemus occidetur. Dubium est an liceat sacerdoti fugere, aut omittere iter ad vitandam mortem, si id facere nequeat, quin alij intelligant ipsum moueri ex notitia confessionis talis personæ, consimilis casus est. Si sacerdos per confessionem alterius intelligat mortiferum venenum in vino esse immissum, & non possit aut omittere Sacramentum, aut petere aliud vinum, nisi indirecte prodeat confessionem.

De hac re duplex est sententia, prima est Richard. in 4. d. 21. art 4. q. 2. quem secuti sunt Nauar. in c. sacerdos. de pœnit. d. 6. nu. 135. & Sotus d. 18. q. 4. art. 5. Qui dicunt, quod sacerdos ille multiplicem potest habere occasionem non intrādi nemus, aliam ab ista malitia latronum sibi detecta, & ad minus multiplicem aliam potest cogitare, & dicere volo hoc, vel illud facere, ad illum, vel illum locum declinare, antequam procedam vlterius, etsi ex tali occasione allegata videatur diuertere, nec verbo, nec facto reuelat confessionem; si autem non possit ex aliqua occasione diuertere, quin appareat illis alijs, quod propter confessionem diuerteret, & in hoc facto reuelaret confessionem, dicunt quod tenetur intrare nemus, & si exponit se morti, hoc est pro causa iusta, vt scilicet seruet legem Dei de sigillo confessionis, & per consequens si moritur, martyr est. Fundamentum huius sententiæ est; quia reuelatio indirecta in nullo casu est licita, etiam propter tuendam vitam propriam, & negari nō potest, quin illa sit indirecta reuelatio, quia ad huiusmodi reuelationem non est attendendum signum, seu actio abstracte, & secundum se, hoc enim modo nulla esset reuelatio indirecta, sed est considerandum hic, & nunc cum cæteris circunstantijs, quia est practica significatio, & hoc modo supposita notitia aliorum nostra, & alijs circunstantijs sine dubio prodit pœnitentem, quod inquit Suarez declaratur ex alio effectu: nam alias liceret sacerdoti in eo casu fugere, etiam si sciret pœnitentem esse interficiendum ab alijs, eo quod reuelauerit secretum. consequens est omnino absurdum; quia multum derogat huic Sacramento, quod aliquis possit ratione illius tam graue nocumentum pati. Sequela vero patet: quia si illa non est reuelatio indirecta, iam ex hac parte licita est, aliunde vero

Richard. Nauar. Sotus.

Suarez.

potest

potest vnusquisque suam vitam custodire, etiam si sequatur mors alterius.

Scotus. Gabriel. Maior. Syluester. Sotus.

Oppositam sententiam tuetur hic Doctor, quem secuti sunt Gabriel hic. d. q. 1. art. 3. dub. 1. Maior. q. 3. ad 2. Syluest. Confessio. 3. q. 19. & inclinat etiam Sotus in relect. de secreto. m. 3. q. 4. dub. 1. casu 2. Vnde dicunt, quod nullum periculum, nec etiam conseruare vitam præsentem, potest excusare, vel licentiare confessorem ad aperiendum confessionis sigillum, sicut nullum periculum potest hominem licentiare ad mortaliter peccandum. Vnde si Tyrannus minaretur mortem confessori nisi reuelaret sibi confessa, debet plus timere Deum, & se offerre martyrio, quam transgredi legē Dei, naturæ, & ecclesiæ reuelando confessionem. Hoc tamen locum non habet in casu argumenti: nam in casu illo sacerdos posset se retrahere ab itinere, atque ita se a latronibus liberare: nec tamē propter hoc diceretur reuelator confessionis, licet per illam retractionem conspiratores cognoscerent illum esse confessum conspirationem illorum, quia diuersio illa ab itinere sacerdotis, ex ratione sua non est signum ducens in notitiam peccati confessi: nam facta possunt esse signa æquiuoca: quia diuersimode a diuersis concipi possunt ad hoc, vel ad illud factum, atque adeo non debet reputari reuelatiuū confessionis, nisi ex natura sua prodeat peccatum confessum, diuertere autem a nemore non sic ducit, poterat enim ex alia causa diuertisse, etiam si illi non conspirassent, & tunc non fuisset eis signum peccati confessi: nā si illi non fuissent prius collocuti de illa interfectione, nunquam per hoc, quod ille diuertit, cognoscerent illū esse confessum, de voluntate occidendi illum. hoc patet: quia si diuertere ex ratione sui esset signum ductiuum in notitiam talis peccati confessi, duceret quoscunque in hoc, & illos æque si non fuissent collocuti, sicut si fuisset collocuti; non est ergo signum ex natura actus, sed magis ex conspiratione praua latronum.

Vnde Scotus ponit hanc regulam generalem. Signum quod est de se indifferens ad hoc, quod est tale peccatū fuisse confessum, vel non fuisse, licet sit aliquibus signum magis determinatum ex aliquo supposito, non est ex se signum reuelatiuum confessionis, nec per consequens illicitum confessori. Inter has sententias posterior simpliciter mihi probatur: nam vnusquisque potest facto aliquo, ad quod ius habet, sicut alios, ita & se ipsum iuuare, si absque mendacio efficere possit, sicut Lucæ. 24. Christus factis finxit se longius ire, vt docet D. Tho. in 3. p. q. 54. art. 3. cum Greg. & August. & sub veste Monachi, aut pagani licet ei causa laico occultare se, vt tradit Bannes. 2. 2. q. 3. art. 2. dub. 1. Caiet. & Syluest. verbo habitus. Angelus verbo infidelitas. nu. 9. vbi Tabie. & Armil. Anton. 2. p. tit. 12. cap. 6. & Nauar. ca. 11. num. 25. licet alij suspicione decipiantur, quia hic permittens falsum, habet ius vtendi his rebus, quæ de se non sunt signa, cauēda est tamen obiesa intentio frangēdi indirecte sigillum, vt pro in de nimiare propria. ficto casu, qui vix contingit, si quis mihi celebranti dedit venenum in calice, & facta consecratione contingatur mihi periculum, non debeo calicem sumere, sed cōsumo nisi alius remedio vti, quicquid suspicentur astantes. lege D. Thom. 3. p. q. 83. ar. 6. ad argu. Sotum. d. 13. q. 2. art. 4. & in Relect. de secreto. m. 3. q. 4. Syluestr. Confessor. 3. § 19. alias ipso veneno occideret se, quod est intrinsece malū. Quod vero Sotus. d. 18. q. 4. art. 5. trepidans monet petere licentiam a reuelāte mihi periculum, quam ille tenetur dare, laudandum est, si non tantum mihi, sed alijs immineret periculum, quos monere non liceret nisi reuelato sigillo, tunc enim secundum sen. D. Tho. petenda est licentia pœnitentis.

D. Thom. Gregorius. Augustin. Bannes. Caietan. Syluester. Angelus. Tabienna. Armilla. Antoninus. Nauar.

D. Thomas. Sotus. Syluester.

Quapropter in casu nostro si conueniant duo latrones, vt me iter facientem occidant in silua, & socios meos, licebit fuga & consilio euadere periculum, vt præter Scotum, Gab. & Maiorem locis supra relatis, docent Palacios. q. 2. Palud. q. 3. D. Thom. q. 3. art. 1. ad 3. Sotus d. 18. q. 4. art. 5. §. Hoc adeo verum est. & relect. de secreto. m. 2. q. 4. Adrianus de Confess. q. 5. dub. 10. Angelus. confess. vlt. § 7. casu. 5. & §. 12. Syluestr. confessio. 3. q. 14. & Armilla. confessio. for. § 12. Neque eo facto, quod mihi dat ius ad vitam, dicor reuelare confessionē, quamuis latrones factum intelligant.

Palacios. Paludan. D. Thom. Sotus. Adrianus. Angelus. Syluester. Armilla.

Cæterum quia prior sententia est etiam probabilis posset cum hac nostra in hunc modum cōcordari, vt prior vera sit, quando confessio illa in siluæ ingressum est facta, & tali tempore, quando nulla erat spes, vel suspicio sacerdotis regressus, neque ille villatenus ante significauit, imo fortasse sua iucunditate, & alacritate monstrabat se plus alijs, & cupere, & sperare illam siluam ingredi, nam his positis circunstantijs, quia conscij criminis adeo hebes esset, vt non intelligeret illum in redeundo significare ab illo pœnitente accepisse grande aliquod periculum, ob quod regreditur? & quis eorum, qui conspirationis fuere participes non intelligeret ei, per illam confessionem suam de occidendo illo conspirationem patefactam esse?

Nostra vero sententia intelligitur, quando confessio ante nemoris ingressum est facta, & ille regressus absolutus est a relatis circunstantijs: nam reditus ille simplex suapte natura non significat pœnitentem illud arcanum pessimum patefecisse, cum de se sit indifferens ad hoc, quod est tale peccatū esse confessum, vel non esse, esto quod aliquibus, puta latronibus sit determinatum ex aliquo supposito, nempe quia viderunt illum confiteri illi, & quia isti cum illo pœnitente proposuerunt sacerdotem interficere. ex istis enim duabus suppositionibus concipiunt sacerdotem retrocedere, & reuerti, cæterum ex natura talis regressus hoc non significatur, quare ex hac parte licitum est sacerdoti deuiare. Nam lex de se tuē do, seruandoq; est lex diuina a natura data iuxta illud Marci Tullij Offi. lib. 1. Principio generi animantium omni est a natura tributum, vt se, vitam, corpusq; suum tueatur. l. vt vim. ff. de iust. & iur. olim de restitu. spol. lex autem de confessionis secreto seruando, lex est diuina, sed non naturalis, imo quæ cum noua lege cœpit, ergo fortior est illa, quam hæc. d. 5. de pœn. in princ. ergo hæc debet illi cedere. Verum hæc ratio non concludit. Nam & si cæteris paribus diuina, & naturalis lex præstet diuinæ positiuæ tantum, tamen hic non sunt cætera paria: quia illa naturalis de se tuendo propter propriam eius, qui se tuetur vtilitatem, est lata; hæc vero de confessionis secreto seruando propter vtilitatem publicam, nimirum ne confessio fiat Christianis odiosa, imo in dies magis amabilis, & gratior. Quod confirmatur similitudine satis congrua. Lex de secreto seruando naturalis est, lex autem de secreto confessionis seruando, partim naturalis est, partim diuina positiua, & tamen qua parte est diuina positiua, fortior est, & rigidior, quam qua parte est naturalis, vt relare per superiora colligitur, & non alia ratione: nisi, quia qua parte est diuina positiua, totius Christianismi decus, & vtilitatem respicit, qua vero naturalis, solum decus, & vtilitatem illius, qui secretum commisit, quare teneo intrandam esse siluam & in ea moriendum illi sacerdoti, cui vnus e comitibus confitetur in ipso siluæ ingressu se cum alijs suis comitibus de occidendo eo, eiusque diripiendis spolijs conuenisse, si modo nullam potest inuenire occasionem, quo tollatur comitibus iusta ratio credendi eum ideo redire, quia confessus fuit ille comes, & concilium illud arcanum patefecit, & cum Scoto beatum appello illum confessarium, qui sibi Christum, qui priuatæ publicam, qui temporariæ vitæ præfert æternā, martyr, & corona gloriosa dignus, si talium coniuratorum manibus mori ei contingat.

Tullius.

ARTICVLVS XII.

Vtrum sacerdos propter crimen in sola confessione cognitum possit repellere pœnitentem ab aliquo actu tanquam indignum illius actus.

Sensus tituli est, an sit in potestate confessoris auferre occasionem peccandi ipsi pœnitenti, ipso pœnitente inuito, non obstante suspicione, quæ moraliter inde timetur, exemplum commune est, si confessor sit superior religionis, qui potest mutare officium, vel locum subditi, ex quo talis occasio pendet. v. g. Abbas habens monachum in loco pertinenti ad suum monasterium, scit per illius confessionem, eum in loco illo peccasse, habereque ibi societatem suspectam, per quam semper allicitur ad peccandum; dubium est, Vtrum Abbas teneatur consulere animæ monachi sui, & eum ab illo loco, aut officio amouere. Similiter an Magister nouitiorum possit publice refragari nouitio propter crimen per solā confessionem sibi notum. Aliqui enim id affirmarunt, & tribui solet hæc opinio Gabrieli, sed immerito. Tribuitur etiam Henrico quol. 8. q. 18. vel 29. qui solum hoc significat in eo casu, in quo suspicio solum timetur apud aliquem respectu alicuius, qui iam nouerat peccatum pœnitentis, extra autem illum casum dicit, quod confessor nullo modo potest se habere aliter ad confessum ratione confessionis, quoad

actum

actum quemcunque extra illum forum, quam si penitus nihil audisset. Sed cuiuscunq; sit hæc opinio sic probatur. Pastor tenetur consulere animæ ouis suæ, ergo poterit eam a tali loco amouere, & auferre illi occasionem, illique refragari ne ad professionem admittatur vt morbida pecus haud totum corrumpat ouile. Sed hoc facto reuelat confessionem illius: illud enim facit, quod non faceret, si illius monachi, vel nouitij non audisset confessionem, per quod etiam alij possunt in notitiam illius peccati deuenire saltem in generali, ergo in tali casu licet confessionem reuelare.

Opposita sententia communis est, & verior pro qua explicanda obseruandum est, quod amouere illum monachum de loco illo, aut ab officio, fieri potest absque suspicione reuelationis confessionis, vt pote quia consuetum est in monasterio, vt sine nota monachum extra illum degens reuocetur inde ad libitum prælati, vel pro alia honesta causa, vt nunc iste, quiescat in claustro cum Maria, nunc laboret cum Martha in exteriori ministerio, prout vtile visum fuerit præsidenti, aut non potest fieri absque suspicione reserationis sigilli confessionis: quia nimirum non est consuetudo in collegio, vt transferatur monachus sic de loco forinseco ad claustrum, nisi ratione delicti, vel insufficientiæ in cura illius loci.

Secundo obseruandum est, quod vel suffragium proponendum est secreto, aut coram aliquibus, & publice, & adhuc aut proponendum est legitime assignando præcisam causam, aut est proponendum ad libitum suffragantis. His obseruatis sit.

Prima Conclusio. Si in monasterio consuetum est, vt monachus extra illud degens reuocetur ad libitum prælati, vel pro alia honesta causa, eo casu poterit Abbas monachũ sibi confessum ad monasterium reuocare: quia in hoc nullo modo peccatum confessum prodit, hæc conclusio est Scoti hic in responsione ad penult. & S. Thomæ quol. 5. art. 13. & in 4. d. 21. q. 3. art. 1. Qui dicit posse superiorem religionis priuare subditum aliquo munere hac de causa, quando talis mutatio fieri potest solo arbitrio superioris. Idem tenet D. Bona. 2. p. d. 21. art. 2. q. 1. ad vlt. Richar. ar. 4. q. 2. ad quartum. Syluest. Confess. 3. q. 14. Angelus. confess. vltimo num. 12. & Sotus vtroque loco supracitato. Ratio est, quia tunc nihil fit contra sigillum, vt constat, nec contra iustitiam, quandoquidem res pendet ex arbitrio superioris, nec illa est pœna sed rationabilis medicina, quã ipse pœnitens tenetur acceptare.

Scotus. *D. Thomas* *D. Bonauẽ.* *Richard.* *Syluester* *Angelus.* *Sotus.*

Differunt autem inter se: nam Syluest. & alij dicunt, hoc licere etiam si pœnitens suspicetur, vel intelligat se priuari eo munere ratione suæ confessionis, quia dummodo alijs non præbeatur occasio veniendi in suspicionem, non est reuelatio sigilli; Richar. vero & Ange. & alij oppositum docent; quia post confessionem non licet, pœnitentem verbis corripere, aut peccatum illi obijcere, ergo nec factis. Item quia hæc est occasio, vt homines retardentur a confessione, quia fit valde onerosa per actionem extrinsecam confessioni, ei quod minime necessariam. Propter quam causam censeo hanc limitationem longe securiorem, & valde rationabilem. Sententiam vero communem ex natura rei, seu sola ratione spectatam improbare non valeo, aduerto autem id, quod per se malum non est ob periculum mali posse prohiberi. Quare si in aliqua religione talis vsus prohibitus fuerit sancta erit constitutio, & obseruanda. Imo generatim videtur hic vsus regularibus omnibus a S. D. N. Clemente VIII. prohibitus. Nam in decreto de casibus reseruatis pro religiosis edito. §. 4. sic inquit. Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorũ peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur, atque ita per quoscunque regularium superiores, quicunque illi sint obseruari mandauit. Vnde cum indistincte loquatur, non est quod a nobis limitetur, sed simpliciter obseruetur.

Secunda conclusio. Si in monasterio sit consuetum, quod monachus non transferatur ex loco forinseco ad claustrum, nisi ratione delicti, cum eo casu reuocatio fieri nequeat sine suspicione fractionis sigilli confessionis, non videtur Abbati licitum talem monachum reuocare ad monasterium: nam si officium habeat certum tempus designatum, & auferri non soleat extra illud, nisi propter aliquam grauem causam, tunc non potest hoc fieri, quia afferet reuelatio confessionis, & idẽ quandocunque in particulari timeretur talis suspicio. hæc conclusio est Scoti, & cæterorum locis relatis.

Et si dicatur, quod tunc nõ prouidet oui suæ de remedio. Respondetur, quod in foro pœnitentiæ debet illi consulere prout melius poterit, vt talem locum sibi periculosum dimittat, quod si monachus noluerit dicit Doctor, quod Abbas nõ attendet esse Deus, sed defectus occultos sibi secundum iustitiam incorrigibiles, Dei correctioni dimittat.

Tertia conclusio. Quando suffragium proponitur ita occulte, quod nemini constat de illo, qui suffragatur, vt fit in electionibus prælatorum, quæ fiunt iuxta decretum Concilij Tridentini, potest sacerdos, imo tenetur refragari indigno propter delictum, quod scit mediante cõfessione: patet, quia seruato confessionis sigillo tenetur non eligere indignum. Imo Naua. de Pœnit. d. 6. cap. sacerdos. num. 146. dicit, quod si quis per solam confessionem sciret aliquem esse malum virum, quamuis per omnes alias vias eum haberet, & coleret, vt optimum, occurrente tamen prælati electione, eumdem si non audisset ipsius confessionem, & posset, & deberet eligere, propter scientiam illam tamen in confessione quæsitam neque deberet, neque posset illi suffragari, imo iuste posset electoribus dissuadere illius electionem in prælatum, modo ita rem gereret, vt nullo modo peccatum ipsius alicui proderet, & addit contra Palud. & Adrianum, quod eligẽs indignum, quem sola confessione talem esse nouerat, incurrit pœnam suspensionis, de qua in c. cum in cunctis. §. fin. de elect. lege illum, & alios Doctores. *Nauar.*

Quarta conclusio. Quando negatio proprij suffragij requirit præcisam causam, vt ad priuandum aliquem officio prælationis, quod obtinet, si refragator non habet aliquam causam refragandi, quam crimen sibi notum in confessione, non potest negare publicum suffragium, patet, quia secundũ legem diuinam tenetur assignare causam, alias censetur iniquus Iudex, sed quod scit per confessionem, nequit detegere. ergo &c.

Quinta conclusio. Quando sacerdos potest alicui refragari, aut publice, aut secreto non assignando causam, vel potest assignare alias minus sufficientes, vt si definitor refragatur alicui, quo minus eligatur Guardianus, bene potest illi refragari propter crimen per solam confessionem notum, patet per tertiam conclusionem.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum peccatum quod sacerdos in confessione nouit, possit vel de licentia pœnitentis, vel si alia via illud nouit, prodere.

QVatuor difficultates in hoc art. veniunt explicandæ prima est, an possit sacerdos ex facultate pœnitentis reuelare peccatum ipsius pœnitentis, quando tantum per confessionem nouit. Secunda an liceat reuelare vnam confessionẽ in alia; quando aliter nequeat fieri integra confessio. Tertia an sacerdos possit negare se audiuisse in confessione aliquod speciale crimen. Quarta an possit sacerdos reuelare crimen, quod scit duplici via, scilicet in confessione, & extra.

Quoad primam difficultatem obseruandum est, quod aliud est, quod pœnitens res semel dictas in confessione iterũ extra confessionem dicat. Aliud vero est, quod seruato eodẽ sigillo, & eadem scientia det facultatem loquendi ex illa. Primum non videtur posse cadere sub dubium, quia pœnitens est dominus suæ famæ, & scientiæ, potest ergo illam communicare prout voluerit, ergo sicut ante confessionem poterat extra confessionem dicere, ita & post confessionem.

De posteriori autem modo est diuersitas opinionum, prima affirmat licere ex facultate pœnitentis reuelare peccatũ ipsius pœnitentis, quod ex sola confessione est notum. Tum quia licitum est vnicuique renunciare iuri suo, ergo contritẽti cum ius suum sit peccatum suum celari, licet huic iuri renunciare, licentiando confessorem, vt non teneatur illud celare. Tum quia hoc sigillum quamuis sit sacrum continetur tamen sub genere secreti, & eius naturam, ac rationem participat. Est autem hæc natura secreti, vt eius vsus pendeat ex voluntate committentis, sicut depositum ex voluntate deponentis, vel sicut promissio ex voluntate eius, cuius est facta; ergo sicut in alijs secretis, & in exemplis positis licet ex voluntate alterius talis vsus, ita & in præsenti. Hanc opinionẽ docent D. Th. d. 21. q. 3. ar. 2. D. Bon. p. 2. d. ar. 2. q. 2. Richar. art. 4. q. 1. Palu. q. 3. n. 42. Adrian. q. 4. de confes. Henricus quol. 7. q. 2. Syluest. Confes. 3. q. 3. & 5. Sotus. d. 18. q. 4. art. 6. & alij. relati ab Henriquez, & Suarez.

D. Thomas. *D. Bonauẽ.* *Richardus.* *Paludanus.* *Adrianus.* *Henricus.* *Syluester.* *Sotus.*

Nihilo-

Scotus. Durandus. Maior. Gabriel. Al. de Ale. Aureolus. Almayn. Landulph. Bassolus.

Nihilominus contrariam sententiam docent Scot. in hac q. ad primum. Durand. q.4. Maior q.3. Gab. art. 3. du. 4. Alensis 4. p. q. 19. alias 78. m. 2. art. 2. §. 1. Aureolus q. 4. Almayn. in q. 2. Landulphus d. 21. Bassolus q. 2. ad 2. Quæ opinio fundatur primo, quia confessor scit vt Deus, ergo non potest pœnitens illi facere facultatem, vt loquatur, vt homo. Secundo quia hoc est præceptum naturale, & diuinum, ergo non potest pœnitens illud dispensare. Tertio quia licet possit pœnitens cedere iuri suo, non tamen iuri Sacramenti, & communitatis, nec cessat obligatio præcepti, etiam si tunc finis eius in particulari cesset. Sed possent hæ contrariæ sententiæ in hunc modum conciliari.

Vnde sit prima conclusio. In generali, & sine aliqua causa nequit sacerdos ex sola facultate pœnitentis reuelare peccata, quæ per solam sacramentalem confessionem nouit. probatur quia lex de sigillo confessionis non est introducta in fauorem, & gratiam solius pœnitentis, sed totius ecclesiæ, ergo nunquam pœnitens potest cedere huic legi, quia non est in potestate alicuius, quod est iure diuino secretum, facere, quod non sit secretum. Et confirmatur a simili, quia nequit Clericus renunciare priuilegio Canonis, si quis suadente, neque priuilegio exemptionis a iurisdictione temporali, quod conceditur ob bonum status ecclesiastici, & se subdere temporali iudicio. Sunt enim hæc priuilegia introducta in fauorem totius ecclesiæ, similiter in proposito, & in hoc sensu vera est opinio Alexandri, & Scoti.

Ad arg. in oppositum respondetur negando maiorem, est enim vniuersaliter falsa: quia non possum licite renunciare iuri naturali, quod in comestibilibus, & potabilibus habeo, quod vocatur dominium naturale ad summendum tē necessariam ad sui cōseruationem, sed illi iuri positiuo, quod habeo super introductionem iuris naturalis possum renunciare.

Secundo admissa maiore dico, quod quilibet potest renunciare iuri, quod habet in aliqua re, sed quod teneamur peccatum secretum celare est de iure diuino & naturali, & non est ius confitentis, atque adeo non potest isti iuri cedere, & si est ius pœnitentis, non est tamen solius confitentis, sed communitatis, quod ex eo patet, quia ex opposito, scilicet ex reuelatione confessionis sequeretur continua perturbatio in cōmunitate, quia passim quilibet reputaret alium abhominabilem, quare non licet isti renunciare iuri communitatis, esto quod posset suo renunciare. Imo dato quod sigillum secreti esset tantum ius pœnitentis, & in fauorem istius inductum non licet isti renunciare, quo ad hoc, quod confessor sit liber ad reuelandum: nam et si ego licentiam conferam confessori de reuelando meum peccatum secretum, adhuc ipse non potest licite reuelare: quia iure natura, & diuino tenetur illud celare, & non possum dispensare, quod sacerdos faciat contra ius diuinum. Hinc est quod ad præceptum Papæ, & totius ecclesiæ non posset licite sacerdos auditum peccatum in confessione detegere; quia non est solum de iure positiuo ecclesiastico confessionem celare.

Quod si confitens velit confessorem detegere suum peccatum propter aliquam vtilitatem, debet alia via ei manifestare, quam in confessione, dicendo commisi tale peccatum non dico tibi, vt secretum, sed vt reueles tali. Iam confessor scit illud duabus vijs, scilicet per viam confessionis, & per istam viam, quæ non est confessio, & in tali casu potest detegere peccatum, tamen non potest dicere, ego scio in confessione Petrum commisisse tale peccatum, sed isto modo Petrus mihi dixit, vt tibi hoc dicerem. Resolutio ergo Scoti, est, quo ad hanc difficultatem, si Ioan. sacerdos precise sciat peccatum via confessionis sine aliqua causa & in generali, quacunque licentia Petri confitentis superueniente, & præcepto etiam Pontificis, & vniuersalis ecclesiæ, Ioannes non potest detegere, quia nemo potest dispensare, quod detegat illud. Si autem Ioannes confessor sciat duabus vijs, non potest detegere isto modo scio per confessionem Petrum hoc commisisse peccatum, sed dicere debet hoc modo, scio Petrum commisisse hoc peccatum, quia dixit mihi, vt tibi reuelarem.

Ad aliud concedo, quod hoc sigillum, continetur sub genere secreti, & quod eius naturam, & rationem participat, sed hoc sigillum addit ad secretum simpliciter, quia est positum in fauorem pœnitentis, & ex primaria intentione instituentis in fauorem ipsius sacramenti, & totius ecclesiæ, atq; adeo non stat in sola voluntate committentis, sed Christi Domini instituentis hoc forum pœnitentiale ob bonum sacramenti, & totius ecclesiæ esse secretissimum.

Secunda conclusio. Ex legitima causa, & respectu alicuius peccati particularis sufficit, quod pœnitens det facultatem confessori reuelandi confessionem, quamuis non narret illud extra confessionem. probatur: quia istæ sunt æquiualentes, concedo tibi facultatem reuelādi furtum, quod tibi sum confessus, & scias me hoc furtum commisisse, & in hoc euentu est vera sententia D. Thomæ. Vide Medinam lib. 2. summa cap. 4.

Quo ad 2. difficultatem. videlicet. An liceat vnam confessionem in alia reuelare, quando aliter integra confessio fieri non potest. v. g. Peccauit sacerdos mortaliter absoluendo Episcopum simoniacum, & integre confiteri non potest nisi sacerdoti cognoscenti Episcopum, sed sic confitendo reuelat peccatum Episcopi. ergo &c. Franciscus de Maymne, hac dist. q. 3. dicit, quod omnibus modis quibus potest debet auditam confessionem celare; si autem contingat casus, qui dictus est, potest in confessione illud reuelare, quod non est proprie reuelare: quia non transit de foro secreto ad forum publicum, sed de secreto ad secretum, & confessor, qui talia audiuit in confessione debet secretum tenere, sicut peccata illius, qui sibi immediate confessus est. Scotus vero dicit, quod confessor indiscrete ministrans pœnitentiæ sacramentum, non tenetur statim confiteri de facto suo indiscreto, quia non habemus, quod quis quam primum peccauit teneatur confiteri peccata sua, & maxime quando confessor suus poterit statim deuenire in notitiam personæ, circa quam indiscrete exercuit vsum clauium, & tunc ad minus tenetur non in speciali exprimere culpam, circa quam & modum quo indiscrete exercuit, sed præcise in vniuersali dicendo sic, dico meam culpam, quod indiscrete, & indebite ministraui sacramentum pœnitentiæ. Et hæc est responsio D. Bona. 2. p. d. 21. art. 1. q. 3.

Franciscus de Mayron.

Scotus.

D. Bonau.

Quod si vrgeat eum conscientia de confessione facienda super hoc in speciali, quia est peccatum mortale speciale, & circumstantia specialiter aggrauantes, tenetur expectare opportunitatem confitendi alicui, qui ex tali confessione peccati, & circumstantiarum non possit deuenire in notitiā personæ huic confessæ. Quod si nunquā possit habere talis confessor, quin ex explicatione peccati, & circumstantiarum possit deuenire in culpam, & personam illi confessam, iste est in casu impossibilitatis ad confitendum homini: quia plus tenetur ad præceptum non prodendi culpam sibi confessam, quā ad confitendum explicite culpam suam, quia ad primum multipliciter ex lege naturæ, vt probant rationes ad 2. art. & multipliciter ex lege positiua diuina, vt probant rationes ad 3. art. Ad 2. vero ad plus de lege positiua diuina, vt dictum est dist. 17. ergo iste in hoc casu confitеatur Deo. Ex hoc sequitur, quod quilibet ministrans sacramentum pœnitentiæ, maxime debet cauere, ne indiscrete ministret sacramentum pœnitentiæ, præcipue in illo casu, vbi ex indiscretione sua non poterit explicite pœnitere absque hoc, quod prodat confessionem alterius sibi confessi.

Breuiter ad difficultatem, ita secundum Scotum respondetur, quod si non potest sacerdos perfecte & integre confiteri peccatum quantum ad circunstantias necessario continendas, nisi prodendo peccatum, & personam distincte, quæ fuit sibi confessa, quia non est ei alia copia Sacerdotis, præterquam illius, qui cognouit Episcopum, non tenetur confiteri sic in particulari saltem, etiam si esset in articulo mortis, neque potest dicere, Ego absolui Episcopum a simonia: quia reuelaret peccatum, quod audiuit in confessione, sed sufficit confiteri in generali de negligentia ministrandi sacramentum. Et quantum ad hoc in parte similis est non habenti opportunitatem cōfitendi, & excusatur. Nec debet esse in aliquo perplexus: quia magis tenetur ad celandum confessionem, quam ad confitendum integre, nam ad celā dum confessionem tenetur de iure naturæ, & de iure diuino, & ecclesiastico, non sic autem tenetur ad confitendum de iure naturæ.

Ex hoc soluitur argumentum quartum principale, quo dicebatur licitum esse reuelare, quod non est peccatum nec circunstantia peccati, sed talis est persona, cum qua confitens peccauit, si hæc vel illa non sit circunstantia aggrauans. Nam secunda persona, vt inquit Doctor, quandoque non aggrauat, vt quod secunda persona sit Berta, vel Alitia non aggrauat fornicationem cæteris paribus, vt pote soluta, non propinqua.

pinqua, atque ita de cęteris, & tunc factuum est secundam personam confiteri. Et si aliquis dubitaret an hoc modo explicare sit peccatum mortale; siue tunc, siue alias secunda persona expressa, eo modo quo fuerit necessario exprimenda, semper sub sigillo confessionis cadit, vt diximus supra art. 8. Et tunc in primo casu: quando scilicet, persona secunda nō est circunstantia aggrauans, neganda est illa maior, quicquid non est peccatum, nec circunstantia aggrauans: ad hoc enim quod esset vera oporteret addi, nec aliquid, per quod possit deueniri in notitiam personę confitentis, vel in maiori oporteret plus addi, scilicet nec aliquid de lege naturæ, vel diuina pro secreto habendo, & tunc minor est manifeste falsa de secunda persona vt diximus art. 8.

Quo ad 3. difficultatem, scilicet. An sacerdos possit negare se audiuisse in confessione aliquod speciale crimen. Pars negatiua probatur: quia in nullo euentu licet mentiri, cum sit intrinsece malum. Secundo arguitur, esto, quod Tyrannus extorqueat iuramentum a sacerdote, an in confessione audierit tale crimen Petri. Si tacet iam Petrus fit suspectus de illo crimine, si negat mentitur cum iuramento, quod nullatenus licet; si autem respondeat verbis amphibologicis etiā mentitur, quia prout dicitur in cap. quacunque arte verborum. Deus sic recipit, vt intelligit ille, qui iuramentum accipit, ergo &c.

Scire aliquā rē quid sit. Pro explicatione quæstionis obseruandum est, quod scire aliquam rem est habere eius euidentiam causatam per notitiam intuitiuam facti. Secundo obseruandum est, ex cap. si sacerdos. de officio ordinarij, quod ea, quæ sacerdos nouit in confessione, non scit vt homo, sed vt Deus, hoc est vt minister Dei.

His obseruatis sit prima conclusio. Sacerdos interrogatus simplici verbo, aut iuramento an sciat tale crimen &c. potest respondere se nescire illud, quamuis illud audierit in confessione Petri, dummodo non aliunde habeat notitiam nisi per solam confessionem, patet per primum fundamentum, quia nullus dicitur scire illud, quod audiuit tantum, nisi illud viderit, hæc conclusio placet Richar. d. 21. art. 4. q. 2. D. Bona. 2. p. ar. 2. q. 1. ad 1. Palud. Duran. & Maiori. q. 3. Adriano. q. vlt. de confessione, Soto. d. 18. q. 4. ar. 5. ad 4. & de tegendo secreto. m. 3. q. 3. & alijs. Est autem contra Gabrielem affirmantem d. 21. q. 1. ad 3. quod in casu proposito tenetur sacerdos tacere, & si non possit commode negari responsum: quia sæpe contingit, vt ipsa negatio responsi sit indirecta reuelatio, eo quod generat in animo vehementem suspicionem, inquit, Gabr. quod ad summum debet dicere in his, in quibus possum perhibere testimonium, nihil scio. Hæc enim sententia est falsa, & mortaliter repugnans sigillo. Sed dices. Quid si Sacerdos compulsus sit a Tyranno, vt respondeat non per hoc verbum scire, sed per hoc verbum audire?

Richard. D. Bonauē. Paludanus. Durandus. Maior. Adrian. Sotus.

Scotus. Sit secunda conclusio ex mente eorundem, & Scoti. d. 15. q. 4. suo litt. G. §. sed nunquid. contra Sotum relectione de secreto. m. 3. q. 3. dub. 1. in prædictu euentu potest sacerdos simpliciter negare, & dicere non audiui, vt omnes alij censent specialiter Richar. d. 21. art. 4. q. 2. patet ex secundo fundamēto, quia hæc responsio, non audiui in confessione Petri tale crimen est amphibologica, habens duplicem sensum, vel tāquam minister Christi, vel tanquam purus homo, & iudex iudicans secundum allegata, & probata, hoc secundo modo interrogat, ergo non mentitur sacerdos in dicto euentu, si intelligat non audiui in confessione, vt homo, nec intelligo quam differentiam in hoc Sotus inueniat inter verbum sciēdi, & audiendi, quia scientia, inquit, ordinatur ad dicendū, non autem auditio. Quod repugnat, quia auditio est scientia quædam, prout hic sumitur pro quacunque cognitione, tum etiam: quia habet alios sensus. Non audiui, vt homo, vel vt tenear tibi respondere.

Richard.

Paludan. Sotus. Et si iterum dicas. Quid si Tyrannus compellat sacerdotē an audierit in confessione, & velut minister Dei. Paludan. & Sotus fatentur non posse negare; vnde cum neque affirmare possit, dicunt non debere tunc quidquam respondere, sed obiurgare alium. Quod si in suspicionem venerit, ipse solus est in culpa, quia confessor nihil aliud habet, quod faciat, & potius est subeunda mors, quam detegenda confessio.

Adrianus. Syluester Nauar. Victor. Ceterum vera sententia est, simpliciter posse, & debere negare quicquam audiuisse etiam in confessione. ita docuit Adrianus. q. vlt. de confes. Syluestr. verbo confessio. 3. nu. 10. Nauar. c. 8. nu. 3 & n. vlt. & c. 12. in fine. Victor. in summa n. 184. & Medina Cod. de confessione q. de confes. celanda; & ratio est, quia etiam hæc responsio habet duplicem sensum verum. Vnus est subintelligendo illud additum ad dicendum, vel ita vt possim dicere, alius & melior est, vt responsio accōmodetur intentioni debitæ interrogantis, quæ esse debet an alius taliter sciat, vt respondere teneatur, quo sensu vere negat audiuisse. Sed dices hunc sensum repugnare interrogationi: nam qui interrogat, an audierit in cōfessione, hoc ipso excludit omnem alium modum. Respondetur id verū esse ex eius formali intentione, illi tamen imputari repugnātiam in ipsis verbis, & interrogatione, alium vero vti iure suo respondendo iuxta mentem legitimam, quæ inesse deberet. *Medina.*

Ad primum argumentum respondetur, quod sacerdos nō mentitur, prout dictum est. Ad secundum dico, quod illud cap. quacunque arte verborum, est intelligendum, quando ille, qui interrogat habet ius interrogandi, vt iudex, vel prælatus legitime, & iuridice procedentes, aliter bene possumus vti verbis amphibologicis, quod est celare veritatem, sed nō mentiri, vt patet in multis locis sacræ scripturæ. Sed arguit Adrianus contra, quia darentur duæ contradictoriæ simul vere, scilicet audiui hoc, & non audiui hoc. Respondetur negando sequelam. prima enim contradictoriarum lex est, vt vbique seruetur eadem acceptio terminorum, sed in affirmatiua termini supponunt pro ministro Christi, in negatiua autem pro puro homine, & sic non seruatur eadem acceptio terminorum. *Adrianus.*

Ex prædictis sequitur solutio cuiusdam dubij, cuius meminit Sotus ar. 6. an s. ipse pęnitens possit iurare, & dicere se nihil dixisse sacerdoti. Respondet Sotus affirmatiue, dummodo dicat absolute nihil dixi tali sacerdoti, & non addat nihil sibi dixi in confessione. Videtur tamen, quod si a Tyranno compellatur potest affirmare se nihil dixisse in confessione tali Sacerdoti, intelligendo tanquam puro homini, vel quod nihil dixit, quod possit redici, vt patet ex fundamentis præiactis.

Ad quartam difficultatem, an possit sacerdos reuelare crimen, quod scit duplici via, scilicet in confessione, & extra. Respondetur affirmatiue contra Altisiodorensem, & patet, quia tale peccatum, non reuelatur quatenus notum est in confessione, sed quatenus alia via cognitum. Et confirmatur, alias enim sequeretur, quod multa crimina possent manere impunita, veluti si testis alicuius criminis esset Sacerdos, cui criminosus post patratum flagitium confiteretur: non enim tunc posset sacerdos deponere testimonium in iudicio, & similiter si iudex esset sacerdos. Potest ergo sacerdos habens inditia cōtra aliquem reum ipsum accusare, vel punire, quamuis illud crimen sibi fuerit confessus.

Ex his soluitur aliud dubium, an. s. confessor teneatur vitare excommunicatum, quem esse excommunicatum solum nouit in confessione, & videtur, quod sic: quia extra de sen. excom. cap. cum non ab homine, dicitur, a communione eius, qui pro iniectione manuum in clericum in edictum excommunicationis incidit, debes abstinere, nisi forte tibi soli illud pateret, in quo casu ipsum priuatim tantum vitabis, & sequitur, vt saltem rubore verecundiæ suffusus pro latenti excessu satisfacere compellatur. Ex hoc habetur, (vt videtur) quod si in secreto, vel per confessionem scio istum incidisse in sententiam excommunicationis, debeo eum priuatim vitare, vt sit confusus, ergo propter confessionem licet alicui confusionem inferre, ergo pari ratione, & confessionem reuelare.

Ad hoc dubium respondet Doct. quod cap. illud non loquitur expresse de illo, qui nouit per confessionem aliquem esse excommunicatum, nec etiam per viam secreti sibi commissi, sed priuatim, id est, sic iste scit, quod communitas nescit, vel credit communitatem nescire, & sic priuatim sciens debet priuatim vitare, nec mirum est: quia non est debitor illi alteri, id est, istius tanquam secreti.

Sed si sciret per viam confessionis tantum, quid faceret? Vtrum confessor possit occulte vitare huiusmodi excommunicatum, quando nullus alius adest, sed ipse solus. Nauar. in cap. sacerdos. nu. 145. secutus Adrianum & alios, quos refert affirmat, & posse, & debere vitare illum, quia tunc non reuelat; oppositum vero tenet Medina d. Cod. q. 51. Quia licet non reuelet alij, saltem ipsi pœnitenti facto loquitur, hoc autem etiam prohibitum est. Doctor vero dicit. Quod si confessor potest per aliam viam vitare eum, quam ex vitatione *Nauar.* *Medina. Scotus.*

pro-

prodendo excommunicationem eius, debet vitare, si autem non potest nisi prodendo, non solum non debet, imo non licet vitare: quia talis vitatio est de iure positiuo ecclesiastico tantum, non prodere autem tenetur ille de lege naturæ, de iure positiuo diuino, & ecclesiastico: quando autem præcepta videntur esse contraria, illud quod est superius, magis obligat, & ideo firmius est seruandum, & seruans illud, & prætermittens aliud peccat: quia nullus ex lege diuina, & ecclesiastica est perplexus.

Ex hoc sequitur primo parochum teneri aliquando ei, quem scit excommunicatum etiam in diuinis, etiam in sacrosancta Eucharistiæ Sacramento communicare, quando videlicet is, quem per solam confessionem excommunicatum nouit, audet publice, & aperte coram alijs petere sacramenta, si vero petat in secreto poterit sacerdos alio titulo se excusare, ne det Sacramentum, vel quia nõ tenetur ex officio, vel quia est occupatus, vel alio modo poterit se excusare si velit, quamuis non teneatur: quia in vtroque se gerit ac si nihil sciret, at vero illo titulo negare non potest, nec ipsi excommunicato cooperatur ad malum: quia revera ille non est cooperator: nam ille habet rationabilem causam ita se gerendi, ac si nihil sciret.

Secundo sequitur, posse sacerdotem fœdere matrimonij coniungere illos, inter quos impedimentum nouit esse legitimum, puta si eius cõfessus fuerit suo parocho rem habuisse cum aliqua intra quartum gradum consanguinea, quam contrahere debet matrimonium, huiusmodi enim impudicum vitium, & canonum desertorem, potest quidem parochus, ne id faciat, saltem in actu confessionis monere, ac deterrere, at si publice petat a Parocho, vt ipsos fœdere matrimonij coniungat necessario tenebitur id facere. arg. c. si sacerdos. de offic. ordin.

Distinctio. XXII.

Continuatio. CVmque multis auctoritatibus supra sit assertum &c. Ex quo determinatum est de tempore pœnitentiæ, consequenter Magistri propositum est, de quibusdam loqui ad eius effectum spectantibus, id est, de peccatorum remissione, vel postquam in præcedenti dist. egit de vtilitate confessionis rectè factæ, in hac parte agit de damno confessionis omissæ,

Diuisio. & diuiditur hæc dist. in tres partes. In prima quærit vtrum peccata in contritione dimissa, si homo postmodum confiteri contemnat, vel in pristina peccata, vel in consimilia incidat, peccata prius dimissa redeant. In secũda quærit cum sacramentum sit sacræ rei signum, quid in pœnitentia sit sacramentum, & quid res. In tertia vero docet quomodo pœnitentia interior, & exterior sit vnum Sacramentum.

Prima concl. Breuiter sententia Magistri tribus clauditur conclusionibus. Prima conclusio. Quidam dicunt peccata semel dimissa, per gratiæ amissionem iterum ad pœnam replicari, alijs vero placuit huiusmodi peccata iterum a Deo non imputari. Hanc Magister insinuans proponit primo. An dimissis in contritione peccatis, si homo postmodum confiteri contemnat, vel in pristina peccata, vel in consimilia incidat, peccata prius dimissa redeant, quæ difficultas ortum habuisse videtur ex opinionibus diuersis. Quidam enim dicebant ea redire, & pro suæ opinionis confirmatione de seruo nequam parabolam adducunt, a quo videtur vniuersum debitum prius dimissum esse exactũ.

D. Ambros. Præterea D. Ambr. ait. Donate inuicem, si alter in alterũ peccat, aliequin Deus repetit dimissa. Item Rabanus. Nequam seruum tradidit Deus tortoribus, quo ad vsq; redderet vniuersum debitum, quia non solum peccata, quæ post Baptismum homo egit reputabuntur ei ad pœnam, sed etiam originalia, quæ in Baptismo sunt ei dimissa. Similiter Gregorius ex dictis euangelicis ait, quod si ex toto corde non dimittimus, quod in nos delinquitur, & hoc rursum exigitur, quod iam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Item August. dicit Deus dimitte, & dimittetur tibi. Si ergo prius dimisi dimitte tu postea. Nam si non dimiseris reuocabo te, & quidquid dimiseram replicabo tibi. Item qui diuini beneficij oblitus, suas vult vindicare iniurias, non solum de futuris peccatis veniam non merebitur, sed etiam præterita, quæ iam sibi dimissa credebat ad vindictam ei replicabuntur. his ergo testimonijs, & alijs, quæ refert magister in littera semel peccata dimissa redire videntur. Sed contra hoc opponit. Non enim videtur iustum, vt pro peccato suo, quo quis semel iudicatus est, iterũ iudicetur. Nã pro eo quod peccauit, & non emendauit iustitia est aperta. Si vero requiritur, quod fuerat condonatum, vel iniustitia est, vel iustitia occulta. Videtur etiam Deus bis in idipsum iudicare, & duplex tribulatio consurgere, quod scriptura negat Nahum. 1. Et respondet quod propter hoc non bis super eodem peccato iudicatur: quia non perfecte penituit, cum non digne satisfecerit, & ingratus fuerit.

D. Greger. *D. August.*

Aliorum vero opinio est, quod peccata dimissa ante, non redeant iterum nisi propter ingratitudinem, propter quam quis reus, vt ante constituitur, ac si pristina peccata redirent. Insuper Magister se excusat a determinatione huius quæstionis relinquens eius studium studioso lectori, eo quia vtraq; opinionum Doctores fautores habeat.

Secunda conclusio. In Sacramento pœnitentiæ pœnitentia exterior est sacramentum, interior autem res sacramenti. Hanc Magister insinuans, quærit. Cum Sacramentum sit sacræ rei signum, quid in pœnitentia sit Sacramẽtum, & quid res, ad quod respondens secundum aliorum mentem dicit, quod exterior pœnitentia est sacramentũ, & interior res Sacramenti, contra quam responsionem statim opponit. Quod sacramenta nouæ legis efficiunt, quod figurant, & pœnitentia exterior non dicitur efficere interiorem. ergo non est Sacramentum. Soluit hoc argumentum secundum illorum opinionem in hunc modum. Quod sit hoc verum de sacramentis illis, quæ in noua lege sunt instituta, vt Baptismus, Confirmatio, & corpus Christi. Pœnitentia vero non est talis: quia in primis parentibus fuit, & temporibus eorum instituta, sicut & Matrimonium iterum obijcit alio modo, quia Sacramentũ debet præcedere rem, at exterior pœnitentia interiorem minime præcedit, quare &c. Ad hoc respondet, quod etiam in alijs Sacramentis sæpe præcedit res Sacramentum, sicut è conuerso, vt in adultis contritis gratia ante Baptismum confertur. *2 Conclusio*

Tertia conclusio. Tam exterior pœnitentia, quam interior dicitur esse Sacramentum, & tamen non sunt duo sacramenta, sed vnum completum, hanc conclusionem proponens soluit quæstionem præmissam secundum aliorum opinionem, qui dicunt tam exteriorem, quam interiorem pœnitentiam vnum esse Sacramẽtum, sicut species panis, & vini, non duo sunt Sacramenta, sed vnum completum sacramentum. Vnde exterior pœnitentia est sacramentũ tantum; interior autem res, & sacramentum, remissio autem peccatorum res solum, atq; ita tria in hoc sacramento sicut in alijs sacramentis inueniuntur. Et hæc sunt quæ habet Magister in hac dist. circa quam Scotus vnicam monet quæstionem. *3. Conclusio*

QVAE-

QVAESTIO VNICA.

Vtrum peccata per pœnitentiam dimissa redeant eadem numero.



PRo explicatione tituli obser. est primo, quod quidam hæretici dixerunt hæc peccata redire, vel in reprobis, vel etiam in alijs, quia non fuerunt vere, & in re ablata, sed tecta, (vt ipsi dicunt) seu rasa, non radicitus euulsa: sed præterquam quod hic est manifestus error in fide, iuxta hunc errorem re vera non redeunt, sed permanent, licet ad tempus Deus ea dissimulet, vel non imputet. Scotus autem hic supponit, id, quod de fide est, peccata vere, & absolute

Conc. Trid. tolli, & dimitti, quod definiuit Concilium Trid. sess. 5. 6. ac 14. & quærit an hæc peccata remissa per pœnitentiam, per recidiuum redeant.

D. Thomas. Secundo obser. est (pro vt docet D. Thomas. 3. p. q. 88. art. 1.) quod de hac re duplex fuit error. Vnus est peccata priora non fuisse remissa simpliciter, sed solum sub conditione, seu secundum præsentem iustitiam, idest nisi, vel donec iterum peccet; Alius error fuit iste, quamuis Deus quãtum est in se, absolute remiserit peccatum, sicut donauit gratiam, postea propter nouum peccatum, hominis quasi retractare remissionem, & illud iterum imputare. Primus error improbatur ex eo, quia ex illo sequeretur gratiam, & sacramentum, non esse sufficientes causas remissionis peccatorum, quod est erroneum, vt pote derogans gratiæ Dei; consequentia probatur: quia vel gratia semel infusa simpliciter destruit peccatum, vel non; si primum non redibit iterum illud idem peccatum, etiam si contingat gratiam iterũ amitti; si vero non simpliciter illud destruit, iam gratia insufficiens causa est remissionis peccati. Secundus error ex eo tollitur: quia opus hominis non potest irritare opus Dei, iuxta illud ad Roma. 3. Nunquid incredulitas eorum fidem Dei euacuauit? absit. Sed remissio peccati fuit opus misericordiæ Dei: ergo non potest irritari per subsequens peccatum hominis. Et confirmatur quia remissio absoluta irreuocabilis est, nisi mutetur qui remisit, & suammet voluntatem irritet, hoc autem impossibile est facere Deum in operibus suis propter opus hominis, & ideo si remissio est absoluta, impossibile est, quod peccata remissa redeant per subsequens peccatum.

Tertio obser. est ex dictis supra dist. 14. q. 1. quod transeunte peccati actu nihil reale manet in peccatore; vnde dicitur peccatum distinctum a peccatore per cuius sublationem peccatum dicitur remitti: quia post actum peccati transeuntem nihil manet in peccatore (vnde dicitur peccator) nisi reatus, reatus autem obligatio est peccatoris ad pœnam, obligatio autem dicit ordinationem diuinam peccatoris ad pœnam propter peccatum commissum. Vnde patet, quod multa dicit scilicet peccatorem, & actum commissum contra Deum, ac voluntatem diuinam, & pęnam peccato debitam. Et secundum hoc eadem peccata redire potest tripliciter intelligi, vel eadem quo ad eundem actum, qui peccatum est; vel quo ad eundem reatum, vel quo ad eandem pęnam. Et hæc identitas potest intelligi quo ad numerum, speciem, vel genus.

Et quidem quo ad identitatem specificam, & generis, quæstio nullum habet dubium quoniam manifestum est, quod pœnitens de homicidio potest relabi in homicidium eiusdem speciei cum priori dimisso, & a maiori eiusdem generis, & ideo intelligenda est quæstio, vtrum redeant eadem numero.

Et sic intelligendo quæstionem de identitate numerali; adhuc satis manifestum est, quod in recidiuante non redeunt peccata dimissa eadem quantum ad actum peccati: quia non redit idem actus voluntatis, qui transijt, sed nouus actus, hoc est actus voluntatis de nouo elicitus a voluntate respectu eiusdem obiecti, vel alterius; actus autem peccati est actus elicitus voluntatis principaliter, & per consequens non redit eadem obligatio: quoniam quando alicuius aggregati aliquid variatur numero, non manet eadem aggregatio numero.

Et si dicatur. Deus, cuius est vocare ea, quæ non sunt, sicut ea, quæ sunt, posset eundem actum numero reuocare, & sic

Ricardus. Paludanus. redit idẽ peccatũ numero; vt arguit Ricar. & Palud. d. præsenti q. 1. art. 1. Dico, quod & si Deus miraculose reuocaret eundem actum, puta idem velle, iam illud non esset peccatum: quoniam non esset a libero hominis arbitrio, cum homo non eliceret illum actum, sed esset effectiue a solo Deo, sicut enim solus Deus potest aliquid de nouo creare, ita solus Deus potest aliquid de nihilo reuocare; secus si eundẽ actum numero Deus coagente creatura rationali reproduceret, vt habet Palud. vbi supra. Neque putandum est, quod Deus, qui non est auctor mali propter recidiuam peccatoris miracula faciat. Intelligenda est ergo quæstio de reditu peccati dimissi quantum ad pœnam; ita quod propter recidiuam ad eandem, vel tantam pœnam ordinetur peccator recidiuans occasione peccatorum remissorum, ad quam vel quantam ordinatus fuit ante eorum remissionem; Ille est sensus quæstionis, quæ in septem diuiditur articulos.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum possibile sit idem peccatum numero de potentia Dei absoluta redire.

PRo explicatione huius quæst. obser. est primo, quod peccatum duo importat. Nam vno modo capitur pro deordinatione, quæ est in actu, vel in omissione, & sic peccatum nihil est aliud, quam actus contra prohibitionẽ, aut omissio contra præceptum; Alio modo sumitur peccatũ non vt dicit culpam, vel malitiã morũ, sed obligationem ad pęnã, & illa obligatio est solum mala malitia pęnæ, & non moris. *Peccatũ duo importat.* Quæstio itaque potest intelligi, vel de illa deordinatione in actu idest de actu deordinato, aut de omissione, vel de secundo idest de reatu, seu de obligatione ad pęnã. Et si primo modo sumatur, adhuc potest esse difficultas, an illud, quod est peccatũ possit entitatiue de potentia absoluta Dei redire, aut possit idẽ numero non solũ quantũ ad entitatem, sed etiã quantũ ad malitiã: si vero sumatur secundo modo sensus est; an eadẽ obligatio numero, qua propter dimissum peccatũ peccator ordinabatur ad pęnã, per subsequens peccatũ de potentia Dei absoluta possit redire, ita quod difficultas est, vel de actu simpliciter, quod est substratum peccati; vel de actu peccaminoso quatenus. s. subest deformitati, quę est peccatũ pro formali, aut de reatu seu obligatione ad pęnã. *Sensus quæstionis.*

Secundo obser. est, quod priuatio nunquã manet nisi maneat res priuata; i. illud, quod est subiectũ priuationis, peccatũ autẽ pro formali, cũ sit deformitas, vel obliquitas, aut carentia rectitudinis, est subiectiue in actu, atque adeo nũquã manet actu transeunte, hoc patet: quia si maneret, opposita contradictoria possent esse simul in eodẽ, probatur sequela supponẽdo, quod Petrus nunc odiat Ioãnẽ, si actu isto trãseunte remanet deordinatio fraterni odij; si postea idẽmet Petrus inordinate diligat Ioannẽ ita quod fruatur eo, si actu amoris trãseunte remanet difformitas erũt simul culpæ oppositæ, s. odiũ immoderatum, & immoderata fruitio eiusdẽ personæ, quod fieri nequit. Nã licet priuationes cõtrariorũ nõ immediatorum possint simul esse in eodẽ, vt in materia habẽte vnã formã, sunt disparatæ priuationes omniũ aliarũ formarũ, & in superficie existẽte sub albedine simul sunt priuationes nigredinis, & rubedinis & c. tamẽ priuationes cõtrariorũ immediatorũ in eodem simul esse non possunt: nã idẽ animal non potest simul esse sub priuatione sanitatis, & ægritudinis. *Priuatio quomodo maneat.* Ex hoc sequitur, quod in peccatore actu peccati transeunte nihil præter iniustitiam habitualẽ idest carentiam gratiæ, manet in anima, nisi obligatio propter ad pęnam culpæ actuali correspondentem.

Scotus in re ipsa a Ricardo non dissentit.

Tertio obser. est, quod licet Scotus in hoc art. videatur a Ricardo dissentire, tamen reuera eandem conclusionem cũ ipso Ricardo docet. Si quidem Scotus loquitur de peccato, vt accipitur pro pœna peccato debita, & de reatu pœnæ æternæ, de quo certe probabile est, quod possit per diuinam potentiam redire; non enim distinguit Scotus hic culpam habitualem ab hoc reatu, atque adeo consequenter ait culpam redire; ex quo patet Sotum immerito reprehendere Scotum d.16.q.1.art.1. Quia licet Doct. in hac quæst. asserat, quod Deus secundum suam omnipotentiam potest efficere, quod peccata redeant, est intelligendus quo ad pœnam; potest enim instituere quod peccatum dimissum puniatur, ac si non esset dimissum. Imo secundum Thomistas & Ricardum peccatum dimissum, punitur ęternaliter in inferno; quando peccator non satisfacit in hac vita pro pœna temporali, in quam fuit commutatum.

Substractũ peccati idẽ numero potest redire.

His obseruatis dico, primo quod loquendo de actu peccati simpliciter; idest de actu positiuo quod est materiale peccati potest redire idem actus numero quantum ad entitatem, & substantiam actus; Nam sicut Deus eundem colorem potest reproducere; ita eundem actum, qui erat malus potest in numero reproducere, atque ita redibit in esse actus, & entitatis, sed non in esse peccati, & de hoc nulla est difficultas, vt patebit infra in tractatu de resurrectione mortuorum.

Peccatũ pro formali idẽ numero redire non potest.

Dico secundo quod peccatum dimissum non potest idẽ numero redire, quantum ad malitiam, & deformitatem, probatur. quia non potest idem actus numero redire etiam in esse qualitatis nisi per Dei omnipotentiam; sed implicat contradictionem, quod Deus specialiter concurrat ad istum actum, & quod iste actus sit malus malitia culpæ; quia tunc æqualiter aliquis efficeretur malus auctore Deo, sicut efficeretur bonus. cuius oppositũ docet D. Augustinus lib. 83. q.q.3. dicens, quod Deo auctore nemo fit deterior. ergo nõ est possibile, quod idem peccatum corruptum redeat in numero, quantum ad esse culpæ, seu quantum ad malitiam, & si hoc intelligat Ricardus, bene dicit.

D. August.

Peccatũ pro reatu potest idem numero redire.

Dico tertio quod sumendo peccatum pro reatu, idest pro obligatione ad pœnam æternam, idem peccatum numero dimissum per potentiam Dei absolutam potest redire. Probatur quia Deus potest obligare istum pro instanti. b. eadẽ obligatione, & ad eandem pœnam, ad quam potest ipsum obligare pro instanti. a. priori; quia hoc nullam implicat cõtradictionem; & per consequens sic potest obligari ille, & habere eundem reatum; ergo eadem obligatio, quæ fuit in isto, vel circa istum pro tempore vel instanti a. ante pœnitentiam potest reparari, vel redire pro instanti, vel tempore. b. post pœnitentiam in recidiuante. antecedens patet, quia voluntas mea hoc potest velle, scilicet istum primo ordinare ad pœnam, & secundo velle non ordinare ad pœnam, sub conditione scilicet si iterum non offendat, & si iterum offendat velle eum ex nunc ordinare ad eandem pœnam, Ità voluntas diuina potest velle, quod qui peccauit si agat pœnitentiam amplius non sit reus æternæ pœnæ, & tamen si recidiuat, ordinetur ad eandem pœnam, sicut prius. quo facto idem reatus idest eadem obligatio ad eandem pęnam, & ex eadem culpa potest eadem in numero redire; quamuis enim sit obligatio pro alio tempore, non sequitur tamẽ, quod sit alia obligatio; quia est ad eandem pœnam, & ex eadem causa in numero.

Et si dicas, quod ratio non concludit; quia hæc diuersa sunt scilicet obligatio ad pęnam, & obligatio ad eandem pęnam; modo iste pro instanti. a. erat obligatus ad pęnam; & pro instanti. b, est obligatus ad eandem pęnam, ergo non est eadem obligatio. Et confirmatur quia volitio Dei ad pęnam infligendam isti pro. a. & pro. b. non est eadem volitio secundum rationem, licet sit eadem secundum rem. est enim alia, & alia volitio diuina secundum rationem, secundum diuersitatem obiectorum. Contra si iste non pęniteret tempore intermedio inter. a. & b. maneret obligatio non tantum ad pęnam, sed etiam eadem obligatio; sed quicquid Deus potest circa creaturam manente aliqua continuatione, quæ nihil est ipsius voliti, potest illo circunscripto, quia illud non est aliquid de essentia illius voliti; ergo illa continuatione circunscripta, quæ nihil est obligationis ad pęnam, potest eandem obligationem velle, atque ita eadem numero redit obligatio.

Præterea, si iste non pęniteat de peccato suo, Deus potest continuare eandem obligationem ad eandem pęnam pro instantibus, vel temporibus. a, b, c. quibus iste manet continue in peccato; igitur cum actus voluntatis diuinæ obligantis istum in nullo dependeat a peccato, vel pęnitentia illius, nec ab aliquo extrinseco, videtur, quod siue iste pęniteat siue non, siue recidiuet, siue non, Deus potest eandem numero obligationem facere pro diuersis instantibus, vel temporibus non continuatis, nempe pro. a. & pro. c. nam tempus, vel instans intermedium, non est in hoc necessarium, cum nihil sit huius voliti. Vnde sequitur quod eodem modo, quo peccatum remanet post actum (quia non nisi obligatio ad pęnam) potest de potentia Dei absoluta peccatum idem numero redire non solum in recidiuante, sed non in recidiuante.

Quod sic etiam declaratur quia quod potest voluntas humana, & iuste potest, multo fortius voluntas diuina; sed voluntas humana potest iuste obligare aliquem ad eandem pęnam debitam alicui peccato, & eadem obligatione, & volitione, qua pro prima vice, eadem obligatione pro secunda vice sub conditione saltem, puta si recidiuet, ergo &c. Minor probatur. 12. q. 2. cap. Episcopus, vbi dicitur quod seruus manumissus propter ingratitudinem retinui pęnæ seruitutis iuste subditur, & videtur quod eidem pęnæ numero, vel si non saltem, in proposito plus potest Deus, quod eidem pęnæ numero potest obligare, vt videtur, quare &c.

Ad rationem, quã adducit Ricar. in 4. d. 22. art. 1. q. 1. quæ fuit a nobis hic relata pro secunda conclusione, quatenus adduci potest contra tertiam, respondetur. quod nullus auctore Deo potest fieri malus malitiæ culpæ, tamen potest esse malus malitiæ pęna. hoc est potest Deo auctore obligari ad malum pęna, cum nullus sit recte obligatus ad pęnam nisi per actum voluntatis diuinæ, obligatio autem illa non est culpa, quamuis oriatur ex malitia culpæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum de potentia Dei ordinata possit idem peccatum aliquo modo redire.

Videtur quod sic. bona opera mortificata per peccatum mortale reuiuiscunt in resurgente a tali peccato per pęnitentiam, vt ait D. August. & refertur de penit. dist. 4. cap. pium est. vbi dicitur. Pium est credere, vt cum Dei gratia in homine destruxerit mala priora, etiam remuneret bona, & cum destruit, quod suum nõ inuenit, diligit bonum, quod plantauit in homine. ergo & mala redeunt in recidiuante. *D. August.*

Præterea, similiter se habent mala ad punitionem, & bona ad remunerationem, sed bona prius facta reuiuiscunt ad remunerationem, ergo & mala redeunt ad punitionem.

Pro huius quæst. solutione obser. est, quod aliqui catholici Doctores dixerunt peccata remissa iterum redire per subsequens peccatum mortale. Tenet Hugo Victorinus lib. 2 de sacramentis, p. 14. c. 9. & Gratianus dist. 4. de pęnit. in principio. Magister autem. d. 22. cap. vlt. vt vidimus in litera non audet iudicium ferre contra hanc sententiam. Medina etiam Cod. de pęnit. tract. 1. q. 8. conatur soluere argumenta contra illam. Fundamentum sumitur ex illa parabola Matth. 18. illis verbis, omne debitum remisi tibi, quia rogasti me, & tamen postea subditur. Non exeat inde donec soluat vniuersum debitum, scilicet propter peccatum non mittendi sui conserui debitoris. ex quo loco ait D. August. lib. 1. de Baptismo paruulorum. c. 12. & 13. euidenter colligi peccata remissa aliquando redire; & lib. 3. de Baptismo. c. 13. & sermone. 15. de verbis Domini. cap. 6. eundem locum exponens ait. Si non dimiseris reuocabo te, & quidquid tibi dimiseram, replicabo; & multa similia. ea Ambros. Greg. & alijs congerunt Gratianus supra, Magister hac. dist. & Abulensis Matth. 18. q. 140. & sequentibus. *Hugo. Gratianus. Magister. Medina. D. August. Ambros. Gregorius. Abulensis. Scotus. Gabriel.*

Ratio etiam esse potest, quia non repugnat peccatum remissum redire, vt Scotus, Gabriel & alij fatentur hac. dist. Nam potuit velut sub ea conditione remitti; peccatum autem subsequens dignum est huiusmodi pœna, vel effectu, ergo verisimile est ita esse rem hanc statutam ea lege Dei. Et confirmatur primo: quia in remissione peccati duo fiunt *In remissione peccati duo fiunt.*

pro-

propter pœnitentiam: datur enim gratia, & remittitur peccatum; sed gratia sub ea conditione datur, vt tollenda sit propter sequens peccatum mortale, ergo & e contrario ita peccatum tollitur, vt propter eandem causam rediturum sit. Confirmatur; secundo tenebra potest redire eadem numero, quia priuatio numeratur, vel a numeratione habitus, cui opponitur, vel subiecti; atque adeo vbi est idẽ subiectum eodem habitu carente, ibi est eadem priuatio; sed tenebra sequens lumen habet idem subiectum cum tenebra præcedente, & est priuatio eiusdem luminis in numero: quia idem lumen in numero maneret si tenebra non inesset, ergo eodem modo peccatum quod est tenebra spiritualis in mente, potest eadem numero redire.

Præterea Iacobi secundo. Qui offendit in vno, factus est omnium reus. Deinde contritus de peccato, si postea contemnit confiteri, aut redit idem peccatum, & habetur propositum, aut non, & sic erit dimissum sine secunda & tertia parte pœnitentiæ, idest sine confessione, & satisfactione. quod est inconueniens. Nam ponatur casus, quod per contritionem Petro sint peccata dimissa, & quod non confiteatur, imo confiteri contemnat, atque ita moritur, quæritur, an quia non est confessus peccata per contritionem dimissa redeant, & habetur propositum aut non; & tunc erunt dimissa sine secunda & tertia parte pœnitentiæ.

Peccata semel dimissa non redeũt. His tamen non obstantibus dicendum est peccata semel remissa de potentia Dei ordinata nunquam redire, neque quo ad culpam, neque quo ad pœnam. hæc conclusio est Scoti in hac q. art. 2. sub litt. E & F. & est communis sententia omnium Theologorum. D. Thom. 3. p. q. 88. artic. 1. Alberti hac d. art. 5. D. Bonau. art. 1. q. 1. & 2. Ricar. art. 1. q. 2. & 3. Altisiodorensis lib. 4. summæ tract. 6. cap. 6 q. 1. Medina supra q. 9. & Sotus d. 16. q. 1. & Probatur de pœnit. d. 4. cap. finali vbi Gelasius Papa expresse dicit. Diuina clementia peccata semel remissa in vltionem iterum redire non patitur; vbi formaliter loquitur de pœna a posteriori tamen, & a fortiori idem concludetur de culpa: nam si culpa rediret, Deus illam impunitam non relinqueret.
Scotus. D. Thomas. Albertus. D. Bonau. Ricardus. Altisiodorensis. Medina. Sotus. Gelasius Papa.

Secundo probatur. Deus disposuit peccata pœnitentis post pœnitentiam esse tecta, secundum D. August. exponentem illa verba Psal. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata, idest non amplius visa ad vindictam. Vnde peccata esse tecta nihil est aliud, quam Deum eorum amplius non recordari ad pœnam æternam. Quare bene sequitur istud peccatum est remissum, ergo tectum in ordine ad Deum, ergo non punietur æterna pœna, ergo implicat quod sit remissum, & quod postea redeat idem numero de potentia ordinata quo ad reatum. Verum iuxta illos, qui dicunt, quod pœna hic non soluta peccatum remissum æternaliter in inferno punitur, difficile saluare possunt, quin peccata remissa, quo ad reatum redeant: atque ad eo melius dicit Doctor peccata dimissa solum temporaliter in inferno puniri.
D. August.

Tertio probatur conclusio Dominus non iudicabit bis in idipsum Nahum. 1. Quod testimonium quamuis ad litteram intelligatur de populo Iudaico, quem Deum affixerat tradendo potestati Assyriorum decem Tribus, quibus promittit non permissurum secundam tribulationem, nimirum, quod aliæ duæ Tribus darentur in manus Senacherib. & Assyriorum; Nihilominus, D. Hieronymus illum interpretatur de punitione peccatorum, considerans magis spiritum, & rationem illorum verborum, quam corticem litteræ. Et D. Cyprianus in sermone de passione Domini illa verba accommodat ad rem, de qua tractamus. dicens. Eos, qui vitæ suæ quocunque articulo temporis vere sunt iudices non iterum iudicari; quia cum iudicis, & tortoris vices, sibi non parcens, peccator assumit, semetipsum persequens, dum confessionem confusione honorat holocausti huius incenso in conspectu Dei veniam impetrat, & subdit. Non enim bis in idipsum iudicat Deus, sed impœnitens ipse iudicat, & damnat: pœnitentes vero: quia a se ipsis suscipit iudicatos absoluit, neque iudicio, quod pœnitentia humanæ seueritas protulit, aliquid iustitia cœlestis apponit.
D. Hieron.
D. Cyprian.

Quarto probatur ex illis verbis Ezechiel. 18. omnium iniquitatum eius non recordabor amplius, quod testimonium, quamuis ex forma verborum non conuincat; posset enim aliquis exponere illam promissionem fieri sub conditione. Si perseuerauerit in iustitia; tamen tuta materiam subiectam non potest illo modo intelligi: quia illa verba, non recordabor amplius significant, ita scilicet remitti talia peccata per pœnitentiam, vt iam moraliter non maneant, neque in ipso homine, neque vt ita dicam in acceptatione, seu potius indignatione Dei vnde fit vt nullo modo redire possint.

Quinto probatur a priori: quia Deus non potest retractare suum voluntatem, neque agere contra absolutum suum decretum; sed per priorem remissionem abstulit simpliciter, & absolute debitum pœnæ, ergo non potest eadem pœna propter eadem peccata redire. Quod amplius declaratur in hunc modum, Nam licet Deus possit idem malum, quod est pœna, homini inferre nullo supposito debito ex parte hominis; tamen sub ratione pœnæ non potest; nisi supponatur debitum, at vero ablata culpa, ablatum est debitum: quia homo non est debitor pœnæ nisi propter culpam, ergo non potest redire illa pœna, nisi redeat debitum, quod tamen ostensum est non redire.

Ad argumenta in principio art. posita respondetur, & ad primum dicit Doctor, hanc esse bonitatem superabundantem diuinæ misericordiæ. Deus enim pronior est ad miserendum, quam ad puniendum, atque adeo bona opera meritoria semper viuunt in eius acceptatione, semperque illis præmium retribueret nisi indispositio recipientis impediret propter nouam culpam; Mala vero opera totaliter extinguuntur per veram pœnitentiam, ita quod neque in se, neque in voluntate diuina remaneat in ordine ad vindictam; Ideoque D. August. & refertur de pœnit. d. 3 cap. adhuc instant perfidi. Respondet ad instantiam infidelium, dicentium Deo placere peccata si per pœnitentiam semper illa remittit. Dicebant enim etsi semel peccantibus post Baptismum valeat pœnitentia; non tamen sæpe peccantibus prodesset iterata, alioqui remissio, ad peccatum esset incitatio: Nam quis non semper peccaret, si redire semper posset? Dicunt enim Deum incitatorem mali, si semper pœnitentibus subueniret, & etiam ei placere peccata, quibus præsto est gratia, idest per gratiam semper. Quibus respondet D. August. Errant autem, imo constat ei multum peccata displicere, cui semper præsto est ea destruere: si enim ea amaret non ita semper destrueret sed conseruaret, atque vt sua munera foueret. Ad hocque est bonum lucistarum illud elogium, quod alicui remanet ius; cui tamen non remanet, neque competit actio propter aliquod impedimentum. Similiter enim habenti bona merita in acceptatione diuina mortificata tamen per peccatum mortale, remanet totum ius illis meritis correspondens ad vitam æternam, non tamen illi remanet actio, quamdiu est in peccato mortali, ideoque si perpetuo maneat in peccato mortali, perpetuo etiam illa actio cessabit; & cessante inimicitia contracta per nouum mortale peccatum, non redit ius nouum, sed illi competit actio secundum ius antiquum; post peccatum vero mortale remissum, neque ius manet, neque actio; quia neque Deus habet ius vindicandi in illum, cui dimissum est: ita enim remisit illi peccatum, vt neque actio Deo maneat ad vindictam de illo sumendam. Ad argumentum ergo negatur consequentia; quia vt dixi Deus pronior est ad miserendum, quam ad puniendum.
D. August.

Sed vltra hanc solutionem addit Scotus aliam dicens, quod quamuis hoc sit bene dictum in commendatione misericordiæ diuinæ; tamen potest aliquo modo reduci ad iustitiam hoc modo: peccatum non remittitur nisi ad minus debitum pœnæ æternæ commutetur in debitum pœnæ temporalis; qua commutatione facta, & illa pœna temporali soluta, nihil remanet iuris per quod ab illo, cui tale peccatum dimissum est, sit alia pœna exigenda, post meritum autem dignum æterna vita talis dignitas non commutatur in bonum temporale secundum iustitiam, ex quo sequitur; quod nunquam expirat ius illud quousque præmium æternum soluatur. Illud autem non soluitur viatori dum est viator, ergo semper manet tale ius; impeditum tamen per peccatũ mortale; tunc enim peccatori non competit sui iuris executio, vnde non est simile de remuneratione meritorum mortificatorum, & de reditione peccatorum remissorum, non tantum propter misericordiam diuinam, sed etiam propter istam iustitiam commutantem æternum in temporale in remissione peccati mortalis; quæ commutatio non fit in meritis mortificatis.

Ac per hoc etiam patet solutio ad secundum atq. neque enim similiter mala se habent ad punitionem, & bona ad

remunerationem; mala enim temporaliter puniri possunt sufficienter, si pœna æterna commutata sit in temporalem; bona vero merita non possunt præmiari sufficienter per talem temporalem commutationem, sed per æternum præmium in se collatum, quod nunquam respondet viatori dū viator est, ideoque semper illi ius remanet saluum ad gloriam acquisitam per talia merita.

Ricardus. Ad argumenta pro opinione. Ad primum respondet Ricar. d. 22. q. 1. ad 1. quod textus ille Matthæi est interpretandus de peccatis dimissis; quæ redeunt secundum quid, quia ratione ingratitudinis aggrauat peccatum sequens. *D. Thomas.* D. Thomas. 3. p. q. 88. art. 1. ad 1. interpretatur illud testimonium de pœna damni, & sensus, quæ redit eadem in specie, cum illa quæ erat infligenda pro peccato iam dimisso, non tamen punitur peccatum dimissum speciali pœna. Nā post pœnitentiam peccans incurrit reatum pœnæ æternæ, sicut prius, non tamen omnino propter eandem rationem.

Scotus. Eandem responsionem affert Scotus ad primū; quatenus dicit quod illa parabola ad hoc principaliter tendit, quod eadem pœna exigitur a seruo illo, qui noluit dimittere conseruo suo, quæ fuisset exacta ab eo propter delictum principale: Nam quod ibi dicitur. Mittite eum in carcerem donec reddat vniuersum debitum, intelligo inquit Scotus ad propositum: quia non redderet vniuersum debitum, nisi soluendo pœnam damnationis pro eo, mutatus in illum carcerem damnatorum; adeo quod non est intelligendum eadem peccata redite, nec quo ad culpam, nec quo ad pœnam eis debitam; sed solum quod recidiuans pro peccato recidiuo ita punietur æternaliter pęna gehennæ, sicut si haberet peccata priora, non tamen sic intensiue, & ab eo exigetur vniuersum debitum extensiue secundum durationem; quia pœna æterna damnationis, & carceris punietur. & ita dicendum est ad omnes auctoritates sanctorum fundatas in illa parabola Saluatoris, quod peccata illa redeunt, idest quod obligatio ad damnationem eadem in specie redit, & aggrauata propter remissionem illorum peccatorum præteritorum.

Sed contra vtranque solutionem vigent verba textus Euangelij. Dicitur enim, serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne oportuit te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum; & iratus Dominus tradidit eum tortoribus, quo ad vsque redderet vniuersum debitum. Sic enim Pater meus cęlestis faciet vobis, si non remiseritis fratribus de cordibus vestris. Ecce quomodo apertissime testatur Christus, dicens, quod sicut ille Dominus repetijt vniuersum debitum iam dimissum; sic Deus repetet a nobis omnia peccata iam dimissa, quando non remittimus iniuriam fratribus; ergo non solum redeunt peccata, quo ad circunstantiam aggrauantem, vt dicit Ricar. aut quo ad similem pœnam æternam vt dicunt D. Thomas, & Scotus; sed redibunt quo ad tantam pœnam, quanta pro dimissis erat infligenda, atque ita non solum ad tantam quo ad durationem, verum etiam quo ad intensionem; quia dicit, sic faciet Pater meus &c. ac si clarius dixisset, sicut vniuersum debitum iam remissum ab illo seruo nequam est repetitum, sic repetetur a vobis si non dimiseritis.

August. Chrisost. Respondeo prænotando ex Doctrina sanctorum. Augustini, Chrisostomi, & aliorum; quod parabolæ Euangelicæ non semper in omnibus respondent rebus per ipsas figuratis, secundo est notandum, quod in illa parabola duo sunt aduertenda, primum quod debitum iam dimissum ab illo seruo nequam est repetitum. Secundo quod est punitus propter sæuitiam, quam exercuit in fratrem. His adnotatis dico quod illa dictio comparatiua, sic, non est referenda ad primum sed ad secundum quod in parabola continetur; ita quod non sit sensus, sicut Dominus ille repetijt a seruo nequam debitum dimissum propter sæuitiam in fratrem, sic pater meus repetet a vobis vniuersa peccata dimissa, si non remiseritis fratribus; sed erit sensus sicut ille seruus est punitus, quia noluit remittere conseruo debitum; sic pater meus puniet vos propter indignationem, quam habetis aduersus fratres nolendo remittere illis de cordibus vestris atque a vobis rigorose exiget omne debitum, quod in vobis inuenerit, siue illud contractum sit per ipsummet peccatū non miserendi proximi, siue propter ingratitudinem cum illo coniunctam, siue propter subsequentia peccata, quæ interdum plura multiplicantur denegante Deo suam misericordiam & speciale auxilium, propter illam ingratitudinē in Deum, & crudelitatem in proximum; Et hic sensus consonat textui præcedenti; quia antequam proponatur hæc parabola. Respondit Christus Petro interroganti. Quoties dimittam fratri meo, vsque septies? Cui Christus. Imo vsque ad septuagies septies, & postea ad confirmandam doctrinā de remissione iniuriarum proposuit prædictam parabolam; ergo absolute loquitur Christus de remissione iniuriarum, & non de reditu peccatorum.

Ad Patres eadem accommodanda est respōsio. Ad rationem respondetur primo, etiam si ille reditus peccatorum esset possibilis de potentia absoluta de qua in hoc art. non loquimur, non tamen de lege. Secundo dicitur supposito modo remissionis peccati, quem Deus nunc seruat omnino repugnare vt illa peccata redeant quo ad culpam, vt ostendimus in superiori art. Aiunt vero Scotus, Gabriel, Almaynus, & alij, potuisse Deum remittere peccatum alio modo *Scotus. Gabriel. Almaynus.* scilicet non absolute, sed conditionate scilicet. Nisi iterum peccaueris, & tunc posita contraria conditione, peccata illa fuisse reditura; sed Scotus & alij vt diximus solum loquuntur de reatu pœnæ æternę, & non de culpa pro formali, negatur ergo antecedens.

Ad priorem confirmationem negatur similitudo, quia gratia per pœnitentiā data, non infunditur vt absolute perpetuo duratura, sed quantum est ex parte Dei, ex parte vero hominis quamdiu non posuerit obicem conseruationi eius, hoc autem obstaculo posito Deus ipse potest suspendere suum influxum, & potest esse auctor priuationis gratiæ quæ secundum se sumpta, pęna quædam est.

Ad secundā confirmationem dicit Scotus, quod non potest redire eadem tenebra numero saltem per naturā, quia ita non potest esse eadem negatio, sic nec eadem affirmatio posita interruptione hic, & inde. Ad probationē dicit, quod ad vnitatem priuationis non sufficit vnitas subiecti, & habitus oppositi, sed requiritur vnitas continuitatis eiusdem in subiecto eo modo, quo potest habere esse in subiecto; patet hoc per simile: quia ad vnitatem negationis nō sufficit vnitas affirmationis, nam non sortes quod est negatio vnius numero affirmationis, nempe sortis, potest esse non solum plura numero, sed in pluribus specie, & genere, & tot esse, quot sunt entia, quæ non sunt sortes; ita & priuatiu potest esse eiusdem formæ, & tamen non eadem, potest etiam esse in eodē subiecto plurificata, si sit interruptio, sicut & habitus eius est plurificatus, si cum interruptione inesset illi subiecto. siue enim positiuum, siue priuatiuum, vel negatiuum idem numero reparare hoc; sicut dicetur in materia de resurrectione solius est potentiæ infinitæ Dei.

Per idem patet responsio ad auctoritatē Iacobi. Illa enim auctoritas intelligenda est, quod recidiuans factus est omnium reus quantum ad damnationem, quæ est generalis pœna omnium peccatorum mortalium; vel aliter & in idē redit quantum ad auersionem a fine vltimo, quæ est communis omni peccato mortali; sed non est intelligendum, quod factus est omnium reus quantum ad grauitates speciales singulorum, & nullo modo quātum ad illas grauitates easdem in numero, vel in specie. Vnde obser. est pœnam peccati mortalis duplicem esse, Alteram esse priuationem perpetuam visionis Dei, quæ est communis & vna omniū mortalium; *Pœna peccati mortalis est duplex.* Alteram esse pęnā sensus, & cruciatus, quæ maior, & intensior debetur vni, quam alteri, & multis, quam paucis, vt colligitur ex cap. maiores. §. sed adhuc quæreris, de Baptis. Et prior quidem omnibus, & singulis peccatis lethalibus, quatenus auertunt a Deo est communis, & æqualis, & ita hæc pęna perinde incurritur per vnum mortale, ac per mille; nec tamen sequitur propterea quod per peccatū nouum, per quod pęnitentia priorum peccatorum tollitur incurratur pęna priuationis visionis Dei perpetua, quod dici possit redire prima: quia etiam si redirent illa non ideo magis nec maior incurreretur hæc pęna, quam incurratur per hoc solum nouum peccatum. & hoc loquendo de priuatione visionis Dei in se, & non in ordine ad suam causam de quo erit sermo in sequenti art. Altera vero pęna scilicet sensus & cruciatus debetur peccatis quatenus per ea conuertitur peccator ad bona temporalia, quæ non est eadem, neque æqualis omnibus. Quia longe maior debetur vni, quam alteri, & multis, quam vni. & ideo quo ad hanc pęnā non redeunt postquam semel remissa fuerunt: Nā licet quis mille peccata mortifera peccauerit, si pęnituerit cū omniū illorum legitime, & condonata fuerint ei omnia, quatenus per peccatum nouum deleatur pœnitentia eorum, illa tamen

men

men non redibunt, quo ad hanc pęnam quia non punietur illa pęna maiore, vel minore, quæ illis debebatur, sed solum pęna debita nouo peccato grauato tamen, & aucto ingrati-tudinis circumstantia.

Ad vltimũ respõdetur vno modo, quod si cõtritus prius contemnit postea confiteri, peccat nouo peccato mortali in illo contemptu; nec tamen redit culpa remissa per contritionem; neque inquam redit quantum ad malitiã, hoc est quãtum ad culpam, nec quantum ad reatum pęnæ æternæ, sed semper manet pęna temporalis debita illi, licet pęna dãnationis debeatur nouo peccato mortali. Alio modo posset dici, quod quando pro peccato habetur pęna cõpleta quantũ ad tres partes penitentiæ, contritionem, confessionem, satisfactionem, tunc commutata est pęna damnationis in pęnã temporalem, non sic autem de peccato, de quo habetur cõtritio sine alijs duabus partibus pęnitentiæ. Sed prima responsio est conuenientior: quia peccatũ in contritione simpliciter deletur, ita quod non manet nisi obligatio ad pœnã temporalem; & si post sequatur contemptus satisfactionis, seu confessionis, nouum peccatum mortale est, & aggrauatum propter culpam priorem in contritione dimissam.

ARTICVLVS III.

Vtrum peccata remissa redeant tanquam circunstantia aggrauans.

Scotus. In omni peccato est auersio a Deo & conuersio ad creaturam.

PRo explicatione huius quæst. obser. est ex Scoto. quol. 18. Cũ in omni mortali peccato & inueniatur auersio a Deo, & conuersio ad creaturas, auersio est eiusdẽ speciei in omnibus peccatis, non tamen conuersio. probatur: quia priuationes distinguuntur specie, & identificantur specie ad distinctionem, & iuxta identitatẽ habituum, quibus opponũtur. v.g. surditas & cęcitas distinguũtur specie: quia habitus quibus opponuntur scilicet visus, & auditus differunt specie; sed cęcitas Petri, & cęcitas Pauli, quamuis distinguantur numero sunt eiusdẽ speciei, quia habitus sunt idem specie scilicet visus, & visus. Similiter in proposito, auersio est priuatio gratiæ, sed gratia, qua priuatur peccator per quodcunque peccatum est semper eiusdem speciei, ergo auersio erit eiusdẽ rationis per quodcunque peccatũ causetur. iuxta illud Iacobi 2. Qui in vno delinquit factus est omniũ reus, quia per vnum peccatum incurrit eandem auersionem specie, hoc est priuationem gratiæ, quam per mille; conuersio autem non est eiusdem rationis in quocũque peccato: quia conuersio sumit speciem ab obiecto, modo alia est ratio adulterij, alia furti, &c. vt constat.

Priuationes quomodo differant specie & numero.

Secundo obser. est, quod priuationes non solum differũt specie ad differentiam specificam habituum, verum & priuationes eiusdem speciei differunt numero ad differentiam numericam actuũ eiusdẽ habitus, & causarũ vnde proueniunt. v.g. alia cęcitas est in eodem, quæ oritur ex abundantia sanguinis, & alia, quæ oritur ex puluere, & æch contingit, quod sit deterior illa. Similiter alia est auersio, quæ oritur ex furto, & alia ex homicidio, & hæc illa peior, quæ cũ si alia distinguitur numero ad differentiam numericam actuum, ex quibus causatur. vide Scotum vbi supra. Ex hoc

Priuatio quomodo recipiat magis, & minus.

sequitur quod licet priuatio in se non recipiat magis & minus, bene tamen in ordine ad suam causam veluti in humanis; cõtingit enim quod duo homines sint ab vno alio auersi propter dispares iniurias; ille tamen qui grauiorem intulit, dicitur magis auersus. Similiter fit in diuinis. Et si dicas in humanis ille dicitur magis auersus, qui difficilius reconciliatur inimico; sed qui commisit grauius flagitium, ita faciliter reconciliatur Deo, sicut qui commisit minus graue, ergo sunt æqualiter auersi. Respõdetur, quod respectu Dei ille dicitur magis auersus, hoc est magis inimicus, qui quantum in se fuit dedit maiorem causam auersionis, & non ex alio capite.

Tertio obser. est, quod vna priuatio nõ solum dicitur deterior alia, quia fit a deteriori causa, sed etiam quia causat deteriorem effectum, v.g. priuatio amicitiæ Regis magis cruciat vnum, quam alium similiter idem exilium ægrius fertur ab vno, quam ab alio, insuper pœna augetur, & minuitur a culpa, quia quanto infligitur ob maius peccatum, tanto magis torquet, & si ob nullum infligitur peccatũ non torquet, imo aliquando delectat, vt in martyribus constat.

Pœna dãni est grauior in vno, quã in alio: & quomodo.

Ex quibus omnibus patet, quod pęna damni est grauior in vno, quam in alio non in se: quia cum sit priuatio non recipit magis aut minus, sed est grauior ex parte effectus, quẽ causat; maiori enim tristitia afficitur, qui intelligunt se exulare a regno cęlesti propter grauiora peccata, quam qui exulant propter minus grauia; nam qui habet grauiorem culpam habebit carentiam maioris boni, ad quod fuit ordinatus, adde quod quanto alius grauius peccat, tanto magis dimittitur affectioni commodi, & priuatur affectione iustitiæ, & per consequens est magis nolens peccatum suum inquantum est causa pœnæ, atque ita magis habebit de nolitione, quam alius, quanto magis habebit de affectione commodi, & per consequens magis tristatur de suo damno. vide Scotum in 4. d. 50. q 6. sub litt. N. §. ad primam quæstionem. Ex hoc sequitur, quod pœna damni Iudæ traditoris, & paruuli existentis in limbo licet sint eiusdem speciei, tamen non est dubium, quin torqueat acerrime Iudam propter peccatum a se cognitum, non autem paruulũ: vel quia licet cognoscat se priuatum diuina visione, cognoscit tamen hoc sibi contingere ob peccatum alienum, vel quia vtrunque ignorat.

D. Thomas

Quarto obser. est ex D. Thoma. 3. p. q. 88. art. 2. q̃d ingratitudo committitur non solum faciendo cõtra beneficium, vt in omnibus dilictis contingit, sed etiam faciendo contra formam beneficij præstiti, quæ forma si attendatur ex parte debitoris est remissio delictorum, vnde contra ipsam facit, qui fratri petenti veniam non remittit, imo odium tenet; sed si attendatur ex parte pœnitentis recipientis hoc beneficium inuenitur duplex motus liberi arbitrij, quorum primus est motus in Deum, qui est actus fidei formatæ, & contra hunc facit, qui apostatatur a fide. Secundus est motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus penitentiæ detestando peccata; & contra hunc facit, qui dolet se pęnituisse de peccatis; & ad supradictum actum etiam pertinet, quod pęnitens proponit se subiacere clauibus ecclesiæ per confessionem, contra quod facit, qui contemnit confiteri, secundum quod facere proposuerat, ex hoc sequitur quod in his quatuor criminibus, quæ sunt odium fraternum, apostasia a fide, contemptus confessionis, & dolor de pęnitentia, inuenitur specialis ratio ingratitudinis propter quam dicuntur reuerti.

Postremo obser. est, quod non quæritur an peccata remissa redeant quantum ad auersionem eiusdẽ speciei; est enim clarum, quod hoc modo redeant, quia redit priuatio gratiæ eiusdẽ speciei cũ priuatione peccati dimissi; ergo redit auersio eiusdem speciei; neque quærimus an peccata remissa redeant, quantum ad conuersionem: quia constat quod non redeant: quia actus homicidij dimissi, non est actus furti postea commissi. Est ergo sensus an qui commisit furtum post homicidium exulet a gloria duplici de causa, videlicet propter homicidium, & furtum, & sit puniendus in inferno duplici pœna sensus correspondente homicidio, & furto; an correspondente furto tantum.

Peccata remissa redire bifariam intelligi potest.

His obseruatis respondetur ad quæst. gemina conclusione vnica præmissa distinctione, distinctio est. Peccata remissa redire potest intelligi dupliciter, vel simpliciter prout dictum est redeundo quoad culpam, aut pœnam, vel secundum quid, hoc est quod ratione ingratitudinis peccata post pœnitentiam commissa sint grauius punienda.

Peccata dimissa nõ redeunt simpliciter.

Prima conclusio Peccata remissa non redeunt simpliciter, quamuis peccator relabatur post pœnitentiam, hæc conclusio probata manet in superioribus articulis; & denuo hac ratione probatur, quando causa non redit eadem numero, neque effectus redit idem numero, sed causa quare homo fuerat plectendus pœna damni, & sensus erat. v.g. homicidium commissum, istud autem homicidium cum sit iam dimissum non redit, quamuis homo relabatur in furtum, vel alterum committat homicidium, ergo neque redibit idem effectus, scilicet pœna damni & sensus pro homicidio infligenda.

Peccata dimissa redeũt secũdũ quid.

Scotus.

Secunda conclusio. Peccata dimissa redeunt secundum quid scilicet ratione ingratitudinis; hoc est dictum, peccata per pœnitentiam dimissa redeunt quantum ad pœnam per modum circunstantiæ aggrauantis peccata de nouo commissa ex persona recidiuantis. hæc conclusio est Scoti in hac q. art. 3. sub litt. L. Quæ declaratur, & insimul probatur. Ingratitudo est circunstantia aggrauans peccatum: est enim ingratitudo per se vitium, quanto autem plura vitia ad actũ peccati concurrunt, tanto peccata sunt grauiora, & arctius pu-

punienda, peccans autem post gratiam remissionis acceptã ingratus est gratiæ remissionis: quia vt dicit Seneca lib. 3. de beneficijs. ingratus est, qui beneficium se recepisse negat, ingratus qui dissimulat, ingratus qui non reddit, ingratissimus omnium, qui oblitus est; recidiuans autem non solum nõ reddit bonum pro beneficio remissionis; sed etiam malum, iterum offendendo, & per consequens peccans post recidiuam, grauius peccat propter ingratitudinem remissionis acceptæ; quam si hoc beneficium non accepisset, & per hoc maiori pœna redditur dignus, & sic redeunt priora peccata remissa, non quod propter illa (si fuerint plene remissa) de nouo puniatur, sed quia propter beneficium remissionis, cui ingratus est recidiuans peccatum recidiuæ grauatur, & per hoc pœna eius crescit. Hæc conclusio ita explicata dupliciter probatur, & primo sic.

Seneca.

Quanto aliquis recipit ab aliquo beneficium sibi minus debitum, aut magis indebitum, tanto sibi magis tenetur lege gratitudinis, etiam si beneficium receptum sit minus, & per consequens magis si beneficium est equale. Sed existenti in mortali peccato nullius est Deus debitor, nisi pœnæ, si ergo sibi gratiam confert, hoc erit donum maxime gratuite, & liberaliter datum; & præcipue si est gratia æqualis gratiæ innocentis, ergo iste ex lege gratitudinis est Deo specialiter obligatus propter hoc donum liberaliter collatum, & per consequens offendens post, contra eum grauius peccat propter ingratitudinem.

Secundo probatur, quanto aliquis tenetur pluribus obligationibus ad aliquid, tanto magis peccat, si transgrediatur; sed pœnitens quotiescunque digne pœnitet obligat se saltem voto, vel proposito ad non peccandum in posterum: quia sine tali proposito non est digna pœnitentia, & propter hoc est adstrictus ad non peccandum eadem lege, qua innocẽs; igitur si post peccat, transgreditur duplicem legem obligantem ad non transgrediendum, scilicet et illam generalem, qua omnes obligamur non peccare, & istam specialem de promisso seruando, quæ maxime obligat de promisso facto Deo, & de aliquo pertinente ad honorem Dei.

Et hæc conclusio habet veritatem tam de pœna æterna, quam temporali; non quod pœna æterna debeatur peccatis prioribus plene remissis: sed quod pœna æterna posterioribus peccatis debita aggrauatur, sicut & ipsa culpa, etiam pena damni grauatur non quantum ad id, quod priuat, quia æqualiter priuantur beatitudine omnes damnati, sed quantum ad amaritudinem, & tristitiam sequentem hanc priuationem, quæ maior est in vno damnato, quam in alio, vt diximus in 3. notabili, & magis explicabitur infra suo loco. De pœna sensus planum est, quoniam grauiori peccato maior debetur pœna, tam æterna, quam temporalis.

Sed dices si Deus punit hoc secundum peccatum grauius, quam puniret si nulla præcessisset aliorum remissio, & hoc habita ratione ad peccatum iam remissum, sequeretur quod peccatum minus graue acerbius puniretur in Inferno, quod est contra Dei iustitiam; probatur sequela, quia grauius est homicidium, quam simplex furtum, & iuxta prædictam doctrinam, si furtum committatur post homicidium dimissum, grauius punietur, quam ipsum homicidium erat puniendum, si homicida absque remissione mori contigerit.

Respondetur, quod præfata conclusio est intelligenda ad hunc sensum, quod peccatum commissum post pœnitentiã sit grauius non peccato dimisso, sed alio peccato eiusdem speciei. v.g. furtum commissum post homicidium dimissum, est grauius cæteris paribus alio furto; non tamen est grauius ipso homicidio iam dimisso, ita quod debet fieri comparatio non cum peccato dimisso, sed cum alio eiusdem speciei.

Et si adhuc dicas, impertinens est hanc doctrinam coarctare ad peccata iam dimissa: quia si ratione ingratitudinis loquimur, quodcunque peccatum est grauius præterito etiam indimisso iuxta illud ad Rom. 2. Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, Tu autem secundum duritiam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ &c. ecce quomodo cumulus peccatorum adauget iram Dei, atque adeo sequentia peccata semper sunt grauiora præteritis etiam indimissis. Respondetur concedendo, quod semper peccata sequentia sunt grauiora ad hunc sensum ex positum ratione contemptus; quo enim aliquis pluries peccat, eo magis videtur contemnere Dei bonitatem cum expectantem ad pœnitentiam, grauiora tamen essent peccata sequentia, si præterita essent iam dimissa: quia maius beneficium est dimisisse peccatum, quam expectare peccatorem ad pœnitentiam.

ARTICVLVS IV.

Vtrum cadens a statu innocentiæ grauius peccet, quam cadens a statu pœnitentiæ.

QVæstio hæc postulat, vnde grauius fiat peccatum, vel quæ sit maior ingratitudo offendere Deum postquã præcedentia peccata remisit, vel postquam a peccatis hominem præseruauit; quæ dubitatio coincidit cum alia communi, scilicet, quod sit maius beneficium pœnitẽtiæ, vel innocentiæ. de qua re duplex est opinio, prima est D. Thome 2. 2. q. 106. art. 2. & 3. p. q. 88. art. 2. vbi videtur loqui sub distinctione. Nam duobus modis potest quantitas beneficij considerari scilicet absolute, & secundum se; & respectiue, seu cum proportione ad talem personam. Priori modo illud est maius beneficium, in quo maius donum confertur, & sub hac consideratione excedit innocentia cæteris paribus, quia includit quandam dignitatem moralem magnæ æstimationis, quam non includit neque conferre potest pœnitentia scilicet nunquam offendisse Deum. Posteriori autem modo dicitur maius beneficium, quod datur homini minus digno respectu dantis; & ex hoc capite excedit beneficium remissionis peccati ceteris paribus, quia peccator de se erat dignus odio, & pœna. Quæ autem ex his conditionibus maioris sit ponderis, vt propter ea aliquod ex his beneficijs maius simpliciter dicatur, D. Thomas non satis expresse declarat; indicat tamen simpliciter & in indiuiduo beneficium remissionis peccati maius esse, prout eum exponunt Caiet. 2. 2. loco citato, Sotus in 4. d. 16. q. 1. art. 2. & Petrus a Soto lect. 7. de pœnitentia.

Sensus quæstionis.

D. Thomas.

Beneficij quantitas duobus modis considerari potest.

Caietanus. Sotus. Petrus a Soto.

Eandem sententiam docuit etiam Ricar. in 4. d. 22. art. 1. q. 5. & Medina. C. de pœnit. q. 9. qui non vtuntur alio fundamento, nisi quia donum remissionis peccati ex parte recipientis maior gratia est propter illius indignitatem.

Ricardus. Medina.

Secunda opinio est Scoti in hac q. art. 3. sub lit. M. §. contra illud, Gabr. art. 3. dub. 1. & Dionysij Cisterciensis d. 22. q. vlt. & Caiet. vbi supra. quod est maior ingratitudo cadere ab innocentia, quam a pœnitentia, atque adeo cadens a statu innocentiæ grauius peccat, quam cadens a statu pœnitentiæ. Probatur, quia tanto aliquod peccatum est grauius, quanto beneficium acceptum est maius, sed longe maius beneficium est cõseruare aliquem in statu innocentiæ post Baptismum, quam dedisse donum pœnitentiæ post peccatum, ergo grauius peccat, qui cadit ab innocẽtia, quam qui cadit a pœnitentia; maior patet, & minor probatur, quia maius beneficium diuinum simpliciter est conseruare innocentiam, quam concedere post peccatum pœnitentiam. Vnde maius beneficium cõtulit Deus suæ Matri, quam Magdalenæ, & singularis gloria, & ornatus est in beatis de nunquam cecidisse in peccatum. Et confirmatur, quia quanto status est perfectior, tanto lapsus est grauior, sed perfectior est status innocentiæ quam pœnitentiæ, vt patet, ergo &c.

Scotus. Gabriel. Cistercensis. Caietanus.

Item ille grauius peccat, qui minorem habet occasionem peccandi; sed innocens minorem habet occasionem peccandi, ergo cadens a statu innocentiæ grauius peccat, quam cadens a pœnitentia. Et confirmatur ex D. August. 10. confessionum dicente. Gratiæ tuæ Domine reputo, quæcunque peccata non feci ergo peccata non commissa dicuntur quodammodo dimissa; quia homo præseruatur ne cadat, & per consequens beneficium innocentiæ includit etiam beneficium pœnitentiæ, siquidem conseruare aliquem in innocentia, est remittere ei peccata, quæ commisisset si non præseruaretur, sicut enim dicimus quod B. Virgo fuit redempta non a peccato contracto, sed contrahendo si non præseruaretur, similiter possumus dicere, quod innocenti sunt dimissa peccata non cõmissa, sed cõmittenda, si nõ præseruaretur.

D. August.

Sed contra hanc opinionem arguitur tripliciter; quia ex ea videtur primo sequi, quod peccata remissa non grauant peccata posteriora recidiuæ. probatur, quia illud non aggrauat quo non existente, imo potius eius opposito esset peccatum æque graue, vel grauius, sed si iste non fuisset prius pœnitens, imo semper innocens, & nunc peccaret, perinde grauius peccaret, quia cadens a statu innocentiæ per se grauius peccat, ergo &c.

Præte-

Præterea non oportet cadendo a pœnitentia simul necessario peccare duobus peccatis, ergo possibile est, quod peccet vno peccato tantum, sed illo vno æque grauiter potuit peccasse prius cadendo ab innocentia, quod patet comparando illud ad quancunque intensionem malitiæ conuenientem peccato.

Arguitur tertio per illud Lucæ. cap. 7. vbi Christus quæsiuit a Simone de duobus debitoribus, quorum alteri creditor plus dimisit, alteri minus; quis creditorem plus diligeret. Respondit. Existimo quod is, cui plus donauit, quod Christus approbans dixit. Recte iudicasti, sed innocenti nihil donat Deus hoc modo, peccatori autem multa donat, ergo peccator plus Deo tenetur, quare magis ingratus est simpliciter, quando recidiuat.

Ad primum respondet Scotus negando maiorem, quia potest esse, quod peccata per pœnitentiam dimissa redeant quo ad pœnam per modum circunstantiæ aggrauantis: quia semper concurrit circunstantia magnitudinis beneficij remissionis. Nec huic repugnat, quod si non cecidisset a pœnitentia, sed ab innocentia æque vel magis peccasset: quia cadens ab innocentia habet etiam aliam circunstantiam aggrauantem, scilicet ingratitudinem ex alia causa. Nec est inconueniens aliquod peccatum nunc habere vnam circunstantiam aggrauantem, & post aliam, & tamen vtrinque aggrauate; sic in proposito; & ideo maior argumenti est falsa; qua arguitur. Illud non aggrauat, quo non existente, immo eius opposito, æque, vel magis peccat: quia vtrunque oppositorum huiusmodi grauare potest, scilicet innocentia non conseruata, & pœnitentia non continuata, quæ tamen improprie sunt opposita; nec conclusio hoc vult: quod in omni casu magis grauet peccatum recidiuæ, quam si idem committeretur sine recidiua; quia possibile est aliud peccatum habere nunc vnam circunstantiam aggrauantem, nunc aliam; & illa quæ ibi aggrauat potest esse grauior, quam illa, quæ hic aggrauat: vt puta homicidium commissum post innocentiam, habet vnam circunstantiam aggrauantem, nempe ab innocentia cadere, & cum minori occasione peccare. Idem etiam homicidium commissum post pœnitentiam habet aliã circunstantiam aggrauantem, nimirum cadere a pœnitẽtia; & circunstantia in priori homicidio potest esse grauior illa, quæ est in secundo, & istæ duæ circunstantiæ sunt quodammodo repugnantes ex eo quod simul esse non possunt: nam cadens ab innocentia non cadit ab innocentia, & è conuerso; & ita hic, scilicet in secundo homicidio pœnitentiam præcedere aggrauat, quia tribuit ingratitudinem & consimiliter ab innocentia cadere aggrauat propter ingratitudinem, & innocentia, & pœnitentia modo quodam repugnant, sed cadere ab innocentia simpliciter magis aggrauat. & sic patet falsitas maioris.

Ad secundum dicit Scotus, quod possibile est recidiuantem peccare pluribus peccatis, vel quasi pluribus, si ex deliberatione agit contra legem communem, & contra legem gratitudinis, & contra legem promissi vt Petrus tenetur nõ fornicari lege Dei, lege gratitudinis, lege promissionis, lege voti; Vnde si peccat, & fornicetur, peccare videtur quatuor peccatis. Tamen dicit Doctor non sic communiter peccatur: quia peccans communiter non appetit nisi delectationem licet inordinate, & vellet illi delectationi non esse annexas tot prohibitiones, & isto modo omni peccato coniungitur inobedientia, & contemptus, & odium Dei, & ingratitudo, & huiusmodi, non quod peccator habeat tunc deliberatum actum explicitum pertinentem ad singula istorum, sed implicitem quantum vult aliquid, ad quod quodammodo concomitantur hæc omnia. Concedo ergo, quod possibile est peccare recidiuantem vnico peccato. & quando infers, ergo posset æque grauiter peccasse primo, quando cecidit ab innocẽtia; concedo quantum est ex parte libidinis, & inordinationis formalis in peccato; sed non quantum est ex parte istius circunstantiæ ingratitudinis, & multiplicioris obligationis, peccasset tamen tunc grauius quantum ad aliam circunstantiam: quia magis ingratus est cadendo ab innocentia, quam a pœnitentia.

Contra esto, quod iste decies pœnituit, & qualibet vice de decem peccatis mortalibus, post decimam pœnitentiam recidiuat cum tanta libidine peccans, cum quanta in primo peccato; tunc hoc peccatum erit centies grauius primo peccato, quia ratione cuiuslibet peccati dimissi tenetur non cadere, & in ratione cuiuslibet est specialis ingratitudo in cadendo, & ratione pœnitentiæ cuiuslibet, in qua promisit non peccare tenetur non peccare. Respondet Scotus quod nulla culpa est ita grauis ex circunstantia aliqua respiciente pœnitentiam præcedentem, quod illa circunstantia æquiparetur grauitati peccati in se, siue in propria malitia, nec (inquit) in centesima parte, atque ita quantitas huius circunstantiæ non potest exprimi vna certa mensura: est enim quãdoque maior, quandoque minor; grauat enim huiusmodi circunstantia, secundum quod est maior ingratitudo, & hæc crescit secundum quod est maius bonum prius collatum, & magis indebitum, aut frequentius, aut multiplicius concessum, vnde maior est ingratitudo eius, cui maiora peccata, aut plura, vel frequentius sunt remissa, quã si minora quantitate, vel numero, aut rarius fuere remissa; sic ex parte obligationis quanto magis, aut pluries se obligauit ad non peccandum, tanto magis grauatur recidiua, quod regulariter accidit in eo qui pluries pœnituit.

Sed quid est simpliciter grauius, vel cadere respiciendo ad maius beneficium, vel magis indebitum præstitum, vel ad plura promissa de non cadendo. Respondet Doct. quod absolute plus ligat præceptum legis naturæ pertinens ad gratitudinem, quam ista obligatio noua contracta per propriã promissionem; nisi forte istud principium vel præceptum. Serua promissa, magis obliget, quam istud. Esto gratus benefacienti secundum gradus eius in benefaciendo.

Donare duobus modis sumitur.

Ad tertium respondetur, quod donare capitur æquiuoce vno modo prout est actus voluntatis vt liberaliter communicantis, alio modo prout idem est, quod condonare, siue remittere vt accipitur cum dicitur, donauit peccata, hoc est condonauit, vel remisit peccata; priori modo verum est, quod cui plus donatur ille magis tenetur donanti; & hoc modo dico quod Deus innocenti maius donum dedit, quã cui dimittit peccatum. Secundo modo pœnitenti donat plusquam innocenti; quia innocens non habet quod sibi remittatur; & si tunc sumatur maior, quod ille plus tenetur diligere, cui plura donantur idest remittuntur, verum est comparando duos, quorum vni pauciora donantur idest remittuntur, & alteri plura, & hoc si non esset beneficium aliud datum, nisi hoc, quod est donare vel remittere: quia condonationem plurium ad condonationem paucorum cæteris paribus, quantum est ex condonatione plurium plus tenetur condonanti, cui plura sunt remissa, vel condonata; sed nullus est, cui Deus pauca donat, quia pauca cõmisit, quin sit eidem aliud beneficium datum magis, quam donare, idest remittere plura, scilicet præseruare eum ab aliis, in quæ cadere potuisset, & cecidisset, nisi præseruatus a Deo fuisset; iuxta Glossa D. August. super illud. Et commissa, & non commissa donantur: quia nullus est, qui aliqua committat, quin alius posset eadem committere nisi præseruaretur; igitur ille, cui dimittitur, tenetur plus diligere, supple ex causa remissionis, sed alius tenetur diligere ex alia causa: quia non habuit dimittenda, quod sine præseruatione diuina esse nõ potest, & hæc causa requirit simpliciter maiorem gratitudinẽ, vnde si sumatur maior, quod ille plus tenetur diligere, cui plura donantur liberaliter, tunc minor est falsa: quia in eo, cui nihil condonatur, sed in sua innocentia conseruatur, plus liberaliter donatur, quia in eo conseruat gratiam, quamuis nullum remittat peccatum, atque ita maiorem habet dilectionis rationem: quia hoc est specialius beneficium acceptum, quam resurgere per condonationem. Vnde simpliciter semper tenetur plus diligere, cui vel nulla condonantur, quia in innocentia conseruatur, vel cui pauciora condonantur, quia a pluribus præseruatur. Exemplum huius, si aliquis ex liberalitate concedit alicui omnia sua, vt eis vtatur ad libitum, Alteri vero concedit aliqua mutuo, & post quãdo debet illa reddere remittit sibi; Quis enim plus diliget? Dico quod primus, quia maius beneficium recepit; & tamẽ plura remittit alteri; sed quod primus nihil habeat sibi dimittendum, hoc est ex beneficio illius, quia omnia sua liberaliter ei concessit. Vnde non est vera illa propositio simpliciter, cui plus dimittitur plus diligit dimittentem; nisi de illo dimittente per cuius beneficium non stat, quod iste non tenetur ad tot, ad quot ille.

D. August.

Ad rationem pro opinione opposita dico quod verum est cæteris paribus, quod donum remissionis peccati ex parte recipientis est maior gratia propter illius indignitatem; sic tamen nõ sunt cætera paria, quia donum innocentiæ aliquod bonum, & dignitatem includit, quæ non datur per benefi-

cium

cium pœnitentiæ, non est autem probatum a dictis auctoribus, quod ille excessus ex parte recipientis ita superet excessum ipsius doni secundum se, vt constituat maius beneficium simpliciter.

ARTICVLVS V.

Vtrum ingratitudo ratione cuius peccata redeunt sit speciale peccatum necessario confitendum.

SEnsus tituli est vtrum ingratitudo ratione cuius peccatū est grauius, sit circunstantia, quæ speciali lege prohibetur. Et ratio dubitandi est: quia gratiarum actio est specialis virtus, & pars iustitiæ, qua redduntur gratiæ benefactoribus, ergo ingratitudo, qua redditur malum pro bono erit speciale vitium, patet consequentia, quia quot modis dicitur vnum contrarium, tot modis dicitur, & reliquum. Pro explicatione quæstionis obseruandum est, quod ingratitudo dupliciter consideratur; primo quando quis peccat post acceptum beneficium, non ob aliud, nisi vt contemnat, vel irroget iniuriam benefacienti, veluti si aliquis vsque adeo esset corruptis moribus, quod peccaret, fornicando, furando &c. non ob aliud, nisi quia vult transgredire mandata Dei, & de hac conuincit, argumentum. non enim dubium est quin sit speciale peccatum, & quod particulari præcepto prohibeatur; est enim odium, vel contemptus Dei, & contra illud præceptum. Diliges Dominum Deum tuum. Quod autē sola intentio operantis constituat actum in aliqua certa specie in genere moris, testatur Arist. 5. Ethi. vbi ait. Qui mechatur vt furetur, magis est fur, quam mechus; ita qui mechatetur, vel admitteret aliud peccatum, vt contemneret beneficia Dei, magis diceretur ingratus, quam mechus.

Ingratitudo dupliciter cōsideratur.

Aristot.

Secundo modo consideratur ingratitudo, quando aliquis peccat contra benefactorem a quo accepit beneficium non tamen hac intentione, vt contemnat beneficium acceptum, & ipsum benefactorem, sed vt satisfaciat suæ libidini, & de hac ingratitudine est quæstio.

Secundo obseruandum est, quod aliquæ sunt circunstantiæ, quæ peccata augent, vt Christianus in eodem genere peccati plus peccat, quam Paganus 32. q. 4. c. in eo; & peccata scientium peccatis ignorantium præponuntur 6. q. 2. cap. quæro.

Tertio obseruandum est, quod aliqua est circunstantia, quia vnum peccatum excedit aliud in malitia, & aliqua quia idem peccatum excedit aliud. v.g. Petrus facit. a. mortale, ꝙ detestatur, & rursus facit. b. circa idem obiectum in eadem intensione graduali, ita ꝙ foret cum. a. æqualis malitiæ hoc solo dempto, quod ingratitudo facit. b. peius. a. & per idem. c. est peius quam. b. & d. peius quam. c. & ita de aliis posterioribus; atque ita aliqua est circunstantia, quare. a. debet excedere. b. in malitia, & aliqua quare è contrario, quæ facit. b. esse peius. a. & simpliciter. b est peius. a. & c. peius b. & sic cōsequenter, nec est mirabile, quod vna circunstantia actum augeat, quo ad malitiam, & etiam illius oppositum; sicut ratione vnius circunstantiæ peccatum Euæ erat minus, quam peccatum Adæ, quia minus rationis habuit, ratione alterius erat maius; quia Adam ad peccandum alliciebat, itaq. nullā repugnantiam inuoluit. a. habere vnam circunstantiam quare est peius. b. quia vicinius innocentiæ: nam quanto magis acceditur ad innocentiam tanto peccatum est grauius, sed primum peccatum est vicinius innocentię, quam secundum, & secundum quam tertium &c. atque adeo cæteris paribus primum est maius secundo, & secundum tertio & ita consequenter; & b. ex altera parte habere aliam circunstantiam, quare est peius. a. nempe circunstantiam ingratitudinis.

Circunstantia aggrauans est duplex.

His obseruatis ad primam partem quæsiti respondetur gemina conclusione. Ingratitudo est speciale peccatum, quando quis peccat post acceptum beneficium, in contemptum beneficij, & benefactoris, hæc conclusio patet ex primo notabili.

Ingratitudo est speciale peccatum.

Secunda conclusio. Ingratitudo non est speciale peccatū, quando peccans non intendit contemnere Deum, sed est cōditio peccantis contra Deum benefactorem, probatur: quia non prohibetur speciali præcepto vt dictum est; sed generali; quod includitur in omnibus præceptis, & propterea non est peculiaris actus, nisi quando fit ex contemptu, ergo aliter non est peculiare peccatum.

Ingratitudo non est speciale peccatum.

Quoad secundam partem quæsiti, an circunstantia ingratitudinis sit necessario confitenda, obseruandum est quod non est sermo de ingratitudine primo modo dicta, de qua definitum est esse speciale peccatum, quod est odium vel contemptus Dei, nam de hac non est dubium, quin sit specialiter confitenda; sed sermo est de ingratitudine secundo modo dicta; de qua aliqui olim dixerunt, quod est confitenda circunstantia hæc in omnibus peccatis in particulari; sed hæc sententia est manifeste falsa, cum enim circunstātia hęc nec notabiliter aggrauet, nec speciem mutet, non dubium est, quod non est necesse, quod in particulari confiteatur.

Secunda sententia est, quæ affirmat quod nullo modo tenetur homo hanc circunstantiam ingratitudinis confiteri, quia nec est particulare præceptum nec particularis actus.

Scotus vero dicit, quod cum in recidiuando peccans cōmuniter non cogitet de illa gratitudine seruanda, nec quærat peccando nisi voluptatem, ita quod non habet speciale contemptum Dei in recidiuando, non est talis circunstantia recidiui necessario confitenda. Vnde & si quandoque vtile sit specialiter iterum confiteri peccata remissa, tamquā circunstantias peccata recidiuæ aggrauantes, non tamen est necessarium, quia inquantum aggrauant possunt sufficiēter exprimi in communi absque expressione dimissorum in speciali, scilicet dicendo de magnis, & multis peccatis alias pœnitui, quæ credo mihi per Deum remissa, & tamen ingratus beneficio remissionis, iterum relapsus sum in hæc & illa peccata; nec tamen ita in generali hæc circunstantia est de præcepto confitenda; neque oppositum docet hic Doctor Subtilis.

Scotus.

ARTICVLVS VI.

Vtrum virtute pœnitentiæ eadem gratia, & omnia merita amissa per peccatum reparentur.

PRo explicatione huius quæstionis obseruandum est primo, quod resurgere ad æqualem statum maiorem, vel minorem potest tripliciter intelligi, vel de statu dignitatis, vel de statu gratiæ, vel de statu gloriæ. status dignitatis attēditur ex varijs prærogatiuis; homo autem per peccatum geminam amittit dignitatem, alteram quo ad Deum, & alterā quo ad ecclesiam, & dignitas quo ad Deum adhuc est duplex, altera præcipua, qua inter filios Dei computabatur per gratiam, & de hac non est dubium quin redeat, si quidem redit gratia, vt in parabola de filio prodigo dicitur. Afferte ei stolam primam; altera est secundaria, scilicet ipsa innocentia, de qua ibidem dicitur, quod gloriabatur filius senior dicens. Ecce tot annis seruiui tibi, & nunquam mandatum tuum præteriui, & hanc dignitatem etiam patet non recuperari etiam per Dei potentiam; quia ad præteritum nulla est potentia; esset enim facere, quod qui peccauit, nunquam peccauerit, quod implicat. Et si dicas, ergo quicunque fuit innocens maioris est dignitatis, quam omnes, qui per pœnitentiam resurgunt, quod est falsum: quia sequeretur quam plurimos per solam gratiam baptismalem digniores esse D. Petro, & aliis sanctissimis viris, qui per pęnitentiam surrexerunt a magnis peccatis. Respondetur negando consequentiam: quia licet nequeat restitui innocentia confertur aliqua maior dignitas ex abūdantia gratiæ, quæ illos, qui olim peccauerunt digniores reddit multis innocentibus; vt ex eadem parabola de filio prodigo optime conuincitur: nihil enim obstat, quod Dux in prælio plus diligat, & maiori dignitate afficiat militem, qui post fugam reuersus fortissime dimicat, & hostem vincit, quam illum qui nunquam terga dedit, & nunquam aliquid fortiter fecit.

Resurgere ad æqualē, maiorē, vel minorem statum tripliciter intelligi potest.

Altera dignitas est quo ad ecclesiam, & hanc (inquit D. Thomas 3. p. q. 89. ar. 3.) quod amittit peccator impęnitens, qui a vitio corruptionis non emendatur, & similiter qui pęnitentiam negligenter agunt. ita quod si ad pristinos honores redirent magna cum negligentia permanerent.

D Thomas.

Secundo obseruandum est, quod oportet distinguere inter virtutes, & opera virtutum, virtutes enim infusæ per peccatum omnino tolluntur dempta fide, & spe, quæ aliquando manent informes, opera vero virtutum, quæ fiunt ex gratia non proprie tolluntur, sed mortificantur; Quare virtutes quæ infusæ fuerant cum gratia, & amissæ per peccatum cum homo per pęnitentiam reuiuiscit, restituuntur. patet

Virtutes distinguūtur a virtutū operibus.

Lucæ

Lucæ. 15. vbi habetur filio prodigo datam fuisse stolam primam, per quam gratia amissa intelligitur, & alia multa, vt anulum, calceamenta &c. quibus ex sanctorum omnium sententia virtutes amissæ significantur.

Henricus.

His obseruatis dicendum est quod circa propositam quæstionem fuerunt quinque opiniones. Prima est Henrici de Gand. quol. 5. q. 22. Qui facit duplicem comparationem. Prior est comparando duos resurgentes ad inuicem, an vnus eorum resurgat ad maiorem gratiam quam alius. posterior est comparando status resurgentium; idest statum ad quem resurgunt, ad statum a quo ceciderunt. Si fiat comparatio plurium resurgentium ad inuicem, dicit, quod omnes, qui a peccato resurgunt recipiunt æqualem gratiam, loquendo de prima gratia, ad quam resurgunt, a quacunque gratia ceciderint. Et ratio eius est; quia prima gratia, quando homo resurgit non datur ex meritis, sed pure liberaliter, quamuis vt detur, dispositio requiratur ex parte suscipiẽtis, non quidem dispositio, quæ sit actus positiuus, sed dispositio, idest cessatio positionis obicis, & cum illa dispositio sit æqualis, & non suscipiat magis, neque minus, & gratia ęque gratis detur, quia si gratia est ex operibus iam non est gratia ad Roma. 5. & singuli habeant æqualem dispositionem; Deus qui non est acceptator personarum, omnibus dat æqualiter, & per consequens omnes resurgunt in æquali gratia.

Sententia Henrici reijcitur.

Sed hæc sententia est plusquam falsa, quia cum quilibet dormiens cesset ponere obicem infusioni gratiæ, videtur quod ei infunderetur gratia si sufficiat talis dispositio, idest cessatio a positione obicis. Præterea quæro quid sit cessare ponere obicem, si dicatur, quod est pura negatio positionis obicis, hoc esse non potest: quia aliquis cessat peccare, & tamen ei non infunditur gratia, nec resurgit, vt patet de dormiente; si dicatur quod est elicere actum, puta attritionem, vel contritionem, patet quod potest esse maior in vno quam in alio, & per consequens habens maiorem dispositionem resurget ad maiorem gratiam, vt ex dicendis patebit.

Fuit fundamentũ Henrici.

Ad eius fundamentum. Respondetur negando consequentiam: perperam enim interpretatur Paulum, qui nullo modo loquitur de augumentatione gratiæ; sed quia prima gratia non datur per contritionem tanquam per opus meritorium de iustitia prioris gratiæ, ideo inquit Paulus, quod gratia non est ex operibus; bene tamen contritio est dispositio ad gratiam; forma autem quæ recipit magis, & minus veluti gratia semper intenditur per maiorem dispositionem subiecti.

Alex. de Ales. D. Bonau.

Secunda opinio est Alex. de Ales. p. 4. q. 57. & D. Bona. in 4. d. 74. ar. 2. q. 1. qui tenent quod gratia amissa per peccatũ non restituitur, nec ei æqualis, sed resurgit ad gratiam secundum conatum actus, mediante quo resurgit, ita quod si ille actus sit magnus gratia erit proportionabiliter magna, si paruus gratia proportionabiliter parua. at præmiũ respondens operibus, quæ reuiuiscunt non redit: quia opera, quæ reuiuiscunt ad præmium non reuiuiscunt secundum gratiã, a qua elicita fuerunt, sed secundum quantitatem finalis gratiæ: ac si essent ab illa elicita, & sic si gratia finalis fuerit maior magis præmiabuntur, si minor quam gratia, a qua elicita sũt minus præmiabuntur, si æqualis æqualiter præmiabuntur actus meritorij. Primum probant quadam experientia: quia cum perfectus aliquis cadit in peccatum enorme, diu iacens in eo, postea dum pœniteret sentit se tepidum, & pronũ ad lapsum, indigentem maiori manuductione, quam imperfecti non lapsi, quod non esset si prior gratia perfectorũ rediret. Secundum probant: quia cum iudicium retributionis sit secundum gratiam finalem, in quo quis decidit, vt vult Gloss. super illud Ezec. 18. Si auerterit &c. Sicut iustũ

Glossa.

ante peccatorem non grauant antiqua delicta, sic peccatorẽ ante iustum veteres iustitiæ non adiuuant. Vnusquisque enim in quo inuenitur, in eo iudicatur, sequitur quod merita præcedentia, & viuificata præmiantur secundum quantitatem gratiæ finalis.

Opinio Alex. impugnatur.

Hæc opinio quo ad primum verum dicit. Ideo contra secundum arguitur. Merita non præmiãtur secundum charitatem a qua non eliciuntur: quia a sola charitate, a qua eliciuntur habent acceptabilitatem, talem autem acceptabilitatem non trahunt ab aliquo posteriori, sed gratia finalis omnibus meritis est posterior, ergo &c. Præterea per meritum operans acquirit ius ad certum gradum gloriæ, quod ius suspenditur per sequens mortale, & sic opus meritorium mortificatur, & per ablationem illius impedimenti, scilicet peccati remissionem, opus illud viuificatur, & per consequens habet idem ius ad beatitudinem, sicut ante mortale habuit. Ius enim semper manet saluum in acceptatione diuina licet suspendatur actio per mortale, ideo sublato mortale stat meritum in acceptatione diuina, sicut prius.

Rationes Alex. soluuntur.

Ad rationes huius opinionis respondetur, & ad primam quæ fundatur in experientia dicitur, quod tepiditas illa, & inclinatio ad lapsum non est ex imperfectione gratiæ in conuersione infusæ, sed ex habitibus acquisitis ex actibus vitiosis, quos acquisiuit dum vitiis subiacuit, quæ manent etiam in conuersis cum gratia, vt alias dictum est.

Ad secundum dicitur, quod nulla merita præcedentia lapsum merentur conuersionem post lapsum, nec restituitur perdita gratia propter merita ex ea elicita. Sed Deus cum dimittit peccata plene remittit, ita quod post peccatorum dimissionem non memoratur eorundem ad damnationem peccatoris, neque ad subtractionem prius meritæ beatitudinis, & per consequens restitui peccatorem ad omne ius ad beatitudinem, quod habuit ante lapsum.

Ocham. Gabriel. Maior.

Tertia opinio est Gab. in 4. d. 14. q. 3. dub. 3. qui citat Ochã in 4. q. 8. & 9. & Maioris. d. 22. q. 1. hi asserunt quod homo virtute pęnitentiæ semper resurgit ad maiorem gratiam, & gloriam illa, a qua cecidit. vt hanc sententiam explicet Gab. ponit duas propositiones. Prima est, gratia, quæ præcise correspondet tanquam merito de congruo actui pęnitentiæ, pęnitens resurgit interdum ad gratiam maiorem, quandoque minorem, & quandoque æqualem gratiæ per peccatum perditæ, quam sic probat. Illa gratia proportionatur intensioni actus pœnitentiæ, ideo secundum variam eius intensionem variatur magnitudo gratiæ. stat autem aliquem tanta intensione detestari commissa peccata; quod ipsa detestatio a Deo acceptatur ad maiorem gratiam pœnitenti infundendam, quam prius habuit. sicut credi potest de pœnitentia S. Mariæ Magdalenæ, potest etiam detestatio peccati ita esse remissa, quod acceptatur ad minorem gratiam, & sic de æquali.

Secunda propositio eius est. Pœnitenti restituitur tota gratia quam perdidit peccando, eadem numero, vel similis in specie, & gradu, hanc propositionem, (quia vt inquit cõsistit in facto) probat multis auctoritatibus sacræ scripturæ, quæ tamen auctoritates de meritis, vel de operibus meritoriis loquuntur. Ex his duobus propositionibus infert duo corrolaria. primum. omnis vere pœnitens ad maiorem gratiam, quam perdiderat resurgit. patet quia resurgenti omnis gratia perdita restituitur, & vltra acquirit nouum gradum gratiæ correspondentem actui pœnitentiæ. Et cum in resurgente per pœnitentiam viuificentur omnia merita per antecedens peccatum mortificata, & acquirat nouum meritum per nouam gratiam per quam perficitur, & continuatur actus pęnitentiæ, resurgens ad plura merita resurgit etiam ad maiorem gloriam. Et hanc sententiam dicit ipse Gab. esse etiam D. Thomæ.

Sententia Gabrielis improbatur.

Cæterum inquantum hæc sententia asserit semper pęnitentem resurgere ad maiorem gratiam est improbabilis: quia gratia, quæ datur resurgenti quæro vel datur ratione meritorum præcedentium, vel ratione contritionis præsentis, vel ratione sacramenti; non ratione meritorum pręcedẽtium: quia cum iam non sint in rerum natura non possunt esse dispositiones ad gratiam; dispositio enim ad gratiam est simul tempore cum ipsa gratia; sed merita iam non sunt in rerum natura, quamuis sint in acceptatione diuina, ergo non possunt esse dispositiones ad gratiam resurgentis a peccato; Neque datur illa maior gratia ratione contritionis: quia gratia datur iuxta mensuram contritionis, cum sit dispositio eius, sed non semper cõtritio est tanta, quod debeat ei respondere tota gratia præcedens, ergo non restituitur tota gratia ratione contritionis. Neque restituitur tota gratia virtute sacramenti, quia gratia sacramentalis cum detur propter merita Christi, & non suscipientis est ęqualis in omnibus.

D. Thomas. Sotus.

Quarta sententia est D. Thomæ. 3. p. q. 89. art. 2. 3. & 5. quam late explicat Sotus in 4. d. 16. quæst. 2. art. 2. Clauditur autem Doctoris sancti opinio duplici dicto. Primum est contritioni resurgentis correspondet duplex gratia, vna contritioni tantum, altera & contritioni, & gratiæ & meritis.

Secundum dictum. Si quæras quanta erit illa gratia, quę

dabitur

dabitur non solum ratione contritionis, sed etiam meritorū præcedentium. Respondetur, quod erit secundum partes proportionales præexistentis contritionis, & non secūdum eius partes quantitatiuas, & hæc sentētia sic explicatur, esto quod contritio in summo sit dolor vt decem, medietas est dolor, vt quinque, & quarta pars dolor vt duo cum dimidio; esto etiam quod aliquis ceciderit, a centum gradibus gratiæ, & meritorum, si iste resurgat per contritionem in sūmo, non reddentur tantum decem gradus gratiæ, & meritorum, sicut sunt decem gradus doloris, quia hæc redditio est per partes æquales; sed reddetur tota gratia & merita; si autem habuerit contritionem vt quinque, quæ est medietas summæ, reddetur medietas gratiæ amissæ, & meritorum scilicet quinquaginta, si autem habuerit dolorem, vt duo cū dimidio, reddetur quarta pars gratiæ amissæ, scilicet viginti quinque. Ex quo sequitur, quod opinio S. Thomæ est, quod redeunt omnia merita non tamen in eodem gradu, sed secundum proportionem ad contritionem. Aliter alij explicant D. Thomam; sed non bene, vt inquit Sotus.

Sententia D. Thomæ non probatur. Sed difficile est saluare istum modum dicendi, quin sequatur interdum, pęnam esse cum beatitudine, Nam iuxta hanc sententiam, sequitur, quod aliquis interdum ad minorem gratiam resurgat, & ad minora merita, & cum detur gloria, secundum quantitatem gratiæ, & præmientur merita secundum quantitatem meritorum, sequitur quod homo priuatur aliquo bono ratione delicti commissi, quod erat prius sibi debitum, quæ ad minus est pęna damni; ergo si aliquis existens in beatitudine priuetur aliquo gradu beatitudinis ratione peccati, quod commisit, illa priuatio est sibi pęna. Sed stante hac sententia esset aliquis talis beatus, ergo esset beatus cum pœna. Patet minor, quia Petrus fecit opus meritorium centum graduum, & labitur in peccatum, postea resurgit per contritionem quinque graduum, redditur sibi medietas gratiæ amissæ, & meritorum; decedat tunc in illo statu, prius debebantur sibi centum gradus beatitudinis, & casu stante dantur sibi quinquaginta; ergo priuatur aliis quinquaginta; Priuatio autem illorum graduum est ei pœna: quia est priuatio boni sibi alias debiti, ergo erit beatus cum pœna.

Scotus. Ideo est quinta sententia, quæ est Scoti in hac. q. ar. 2. sub lit. G. & H. quæ excluditur quatuor propositionibus. Prima est, omnia merita mortificata reuiuiscunt ad tantam gloriā, patet: quia nunquam fuerunt remunerata, ergo reuiuiscunt in eodem gradu.

Secunda propositio. Non est idem habere plura merita reseruata in acceptatione diuina in ordine ad præmium pro eis reddendum, & habere maiorem gratiam intensiue; sensus est, quod in via potest aliquis habere plura merita, quam gratiam habitualem: nam cuicunque merito non solum debetur præmium accidentale, sed etiam essentiale, quod ex eo patet, quod si quis tale meritum solum haberet, absque omni alio merito præmium beatitudinis illi redderetur, non solum in eo gradu, qui propter gratiam habitam illi redderetur absque meritis, sed etiam in gradu gloriæ tali merito correspondenti, gloria siquidem cuiuscunque habentis meritum proprie excedit gloriam eius, qui nullum tale meritum habet, vt est paruulus baptizatus, ergo quodlibet meritum sequens alia merita prius habita exigit proprium gradum gloriæ essentialis sibi correspondentem; neque tamen per quodcunque meritum augetur statim gratia, neque plura merita habens est semper in gratia maiori, vt constat ex dictis. d. 21. q. 1. huius libri; licet igitur sufficiat sola gratia ad aliquam gloriam, meritis tamen correspondet aliquis gradus gloriæ; & quamuis maiori gratiæ sine meritis correspondeat maior gloria, quam minori gratiæ, In quocunque tamen eodem gradu ponatur gratia adiuncto merito, licet per illud non statim gratia augeatur, nihilominus sibi correspondet gradus gloriæ vltra eum gradum, qui præcise respondet tali gloriæ.

Tertia propositio. Resurgēs a peccatis, resurgit ad maiorem gloriam respondentem meritis, non tamen ad maiorem gratiam; patet, quia gratia, quæ est donum Dei, confertur ad mensuram contritionis, & pœnitens resurgit ad gloriam respondentem meritis propriis præteritis, & insuper contritioni pœnitentis, ergo resurgit ad maiorem gloriam.

Quarta propositio, quæ sequitur ex tertia. Homo resurgit ad maiorem gloriam respondentem meritis propriis, nō autem ad gloriam respondentem gratiæ. Pro cuius explicatione obseruandum est ex doctrina Scoti, quod gloria adultorum non solum respondet propriis meritis, sed etiam meritis Christi, quod probatur: quia paruulis ante vsum rationis decedentibus datur gloria ob merita Christi sibi in Baptismo applicata, ergo similiter adultis, qui non sunt deterioris conditionis, datur aliquis gradus gloriæ respondens non meritis propriis, sed Christi, cuius merita applicantur nobis per sacramenta; sicut enim per sacramentum datur aliquis gradus gratię ex opere operato habita ratione ad merita Christi; ita promittitur aliquis gradus gloriæ respondēs meritis Christi, & non propriis; hoc supposito, sic Scotus est interpretandus, quod est quædam gloria respondens gratiæ, & quædam respondens meritis propriis, illa quæ respondet gratiæ est, quæ datur ob merita tantum Christi per sacramenta, & ad istam gloriam non resurgit homo sicut neque ad gratiam.

Sed contra hanc sententiam Doctoris arguit primo Sotus, & dicit eam esse improbabilem: quia ex ea (inquit) sequitur, quod vnicum meritum habet duplex præmium, scilicet gradum gloriæ respondentem sibi, & alterum respondentem gratiæ.

Præterea si ratione cuiuslibet operis meritorij non augetur gratia, quæro per quid augeatur gratia, vtrum per aliquod, vel per nullum, (& secludo opera sacramētalia; quia per quodlibet tale augumentatur gratia) secundum non est dicendum, quia absurdum est dicere, quod per nullū opus operantia daretur gratia, vel augumentaretur, quia quantumcunque homines in operibus meritoriis exercerent se nihil gratiæ acquirerent; Non potest ergo rationabiliter negari, quin per aliquod opus operantis non sacramentale augeatur gratia. Si dicas, quod per aliquod sic, & per aliquod non; quæro per quod sic, & per quod non; & cum non sit maior ratio de vno, quam de alio, sequitur, vel quod per nullum; vel quod per quodlibet opus meritorium augetur gratia.

Ad argumentum Soti respondetur, quod gloria, quæ correspondet gratiæ, non respondet meritis nostris; sed Christi Domini applicatis nobis per sacramenta, & est efficax ratio: quia sicut ex opere operato datur aliquis gradus gratiæ, ita ex opere operato datur aliquis gradus gloriæ.

Ad secundum respondet Ricar. in 2. in materia de gratia, quod quando opus meritorium procedit a gratia secūdum actiuitatem eius, & totam eius inclinationem; aut multiplicatur toties, quod illi actus multiplicati æquiualent vni actui, qui procederet secundum totam actiuitatem, & concursum gratiæ, augumentatur tunc gratia, & non alias; & est eiusdem opinionis cum Doctore. Ita quod quando actus procedit a gratia secundum totum conatum, & potentiā illius, aut toties multiplicantur actus, quod simul iuncti æquiualent vni tali procedenti a tota actiuitate gratiæ, tunc gratia augumentatur. Vnde notissimum est Petrum habentem gratiam posse agere, & non secundum totam actiuitatem, sed remisse, & quamuis gratia sit causa naturalis & magnæ actiuitatis, quia tamen non concurrit, nisi secundum concursum causæ liberæ a qua dependet in operando, & non secundum extremum sui posse; Ideo si sit aliquis magnam gratiam habens, & remisse eliciens actum meritorium non augumentatur gratia, sed si secundo, tertio & quarto & consequenter replicet actus, quousque deueniat ad tantam multitudinem, quod æquiualebit vni actui feruenti, qui procederet a tota actiuitate gratiæ, quam habet; tunc augumentatur gratia; atq. ita constat, quod non per quodcunque opus meritorium augetur gratia.

Aliter posset responderi, quod gratia augumentatur dupliciter, scilicet in genere gratiæ, & in genere qualitatis, tunc augumentatur in genere gratiæ tantum, quando aliquis habet plura merita, quibus sit dignus maiori gloria, quam habeat gratiam habitualem, veluti si habens duos gradus gratiæ, & decem merita, sit acceptus ad decem gradus gloriæ, merita enim aliquando augentur in via, & non augetur gratia in genere qualitatis, vt docet Scotus hic. & supra d. 21. q. 1. sub lit. F. §. istud videtur probabile. & ipse D. Thomas. 1. a. q. 114. art. 8. ad tertium. Cuius hæc sunt verba, quolibet actu meritorio meretur homo augumentum gratiæ, sicut & gratiæ consūmationem, quæ est vita æterna; sed sicut vita æterna non statim redditur, sed suo tempore; ita nec gratia statim augetur, sed suo tempore, cum scilicet aliquis fuerit *Scotus. D. Thomas.*

suffi-

sufficienter dispositus ad gratiæ augumentum, idem docet in 2.2.q 24.art.6 Ex hoc patet quando augetur gratia secundo modo, scilicet in genere qualitatis; tūc enim qualitas hæc intenditur, vel augumentatur, quando infunduntur plures gradus gratiæ, ex quibus omnibus constat, quod habens plura merita semper habet maiorem gratiam in genere gratiæ, hoc est acceptationis, non tamen in genere qualitatis.

Et si dicatur impossibile est, quod aliqua qualitas, vt albedo intendatur in genere albedinis, quin simul intendatur in genere qualitatis; ergo similiter est in intelligibile, quod gratia intendatur in genere gratiæ quin intendatur in genere qualitatis. Respondetur, quod qualitas illa, qua homo est iustus, & gratus Deo formaliter non habet hanc proprietatem ex natura rei, sicut albedo ex natura rei constituit subiectum album, sed hoc habet illa qualitas ex diuina institutione. Vnde poterat Deus efficere, quod aliquis esset sibi gratus absque aliqua qualitate, & etiam si instituisset, quod habens albedinem, vel aliquod signum esset acceptus ad gloriam, illa albedo vel signum esset gratia. Vnde ad arg. nego consequentiam, & ratio discriminis est, quia illa albedo ex natura rei, facit subiectum album, gratia vero reddit subiectum gratum ex diuina institutione, & hinc fit, quod per vnum gradum gratiæ possit quis acceptus esse ad tantam gloriam, sicut alius per decem.

Et si iterum dicas, ergo frustra Deus augumentat gratiā in genere qualitatis, siquidem per vnicum gradum posset acceptare aliquem sanctum ad centum gradus gloriæ. Dico quod augumentatio in genere qualitatis nō est frustra, quia gratia non solum est acceptatio ad gloriam, verum est donū supernaturale, quo anima fit potentior ad operandum, vel per virtutes, secundum D. Thomam; vel per se secundū Scotum opinionem, quod gratia & charitas est idem habitus, & propterea licet quantum ad acceptationem ad gloriam tantum possit valere vnus gradus, sicut mille, non tamen quantum ad potentiam operandi, & quantum ad decorem animæ.

Sed dices. si qualitas gratiæ est decor animæ, & præmium accidentale meritorum; ergo in patria quilibet habet tot gradus gratiæ in genere qualitatis, quot habet gloriæ; secundum vero prædictam doctrinam non ita contingeret, ergo &c. patet minor: quia si aliquis moritur cum gratia, vt quatuor in genere gratiæ, & qualitatis; & alter vt duo in genere qualitatis, & cum aliis duobus gradibus gratiæ in genere gratię, vel acceptationis, vterque glorificabitur vt quatuor, & sic erunt pares in gloria, & dispares in gratia in genere qualitatis. Respondetur ex Scoto. d. 21. q. 1. lit. I. quod in mortis instanti datur gratia correspondens meritis: quia gratia est præmium accidentale respondens meritis, & quemadmodum tunc merita, quoad præmium essentiale, scilicet gloriam præmiantur, ita quoad præmium accidentale præmiabuntur.

Prima conclusio. Ex his respondetur ad quæst. tribus conclusionibus. Prima conclusio. Virtute pœnitentiæ recuperat homo gratiam, & virtutes amissas. hæc conclusio probata est in secundo notabili.

Secunda conclusio. Secunda conclusio. Esto quod virtute pęnitentiæ restituatur homo ad statum gratiæ, & cæterarum virtutum, quas peccando amiserat, non tamen reparatur semper ad tantam gratiam, quantam peccando amiserat. hæc conclusio est Scoti in hac q. sub lit. G §. contra hoc & probata est improbando opinionem Henrici, & Gabr. quia gratia datur iuxta mensuram contritionis. Item non omnis cadens semper grauius cadit, quam prius ceciderit, nec igitur resurgens gratior resurgit, quam prius fuit. Præterea prima gratia potest esse maior, & minor, & per consequens minima, sed per pœnitentiā acquiritur prima gratia; ergo possibile est, quod resurgens per pœnitentiam resurgat ad minorem gratiam, quam illa erat, a qua lapsus est per peccatum. hæc conclusio intelligitur de gratia in genere qualitatis, non autem de gratia in genere gratiæ.

Sed contra hanc conclusionem arguitur, Resurgens per pœnitentiam resurgit ad omnia merita prius habita, & etiā ad præmium debitum actui pęnitentiæ per quem resurgit; ergo omnis resurgens a peccato mortali resurgit in maiori gratia, quam fuit illa, a qua cecidit per peccatum. Respondetur, quod resurgens per pœnitentiam plura merita habet in acceptatione diuina, quam habuit quando cecidit, & per consequens ad maiorem gloriam ex ea parte resurgit, neque tamen est necesse illum in maiori gratia resurgere: quia secundum dispositionem illius, quam habuit in detestatione peccati magis, vel minus intensa confertur illi maior gratia, vel minor quando resurgit.

Tertia conclusio. Tertia conclusio Resurgens per pœnitentiam semper resurgit ad maiorem gloriam, licet non resurgat semper ad maiorem gratiam, sed aliquando ad æqualem, quandoque ad minorem, & interdum ad maiorem secundum dispositionem, qua se disponit ad illam. hæc conclusio est Scoti vbi supra, & probata est quoad secundam partem. & quantum ad primam in hunc modum probatur, Resurgenti per pęnitentiam virtute contritionis restituuntur omnia merita, quæ fuerunt per peccatum mortificata, & præter illa aliquid meretur de nouo per actum pœnitentiæ, ergo resurgit semper ad maiorem gloriam, consequentia patet: quia surgit ad omnem gloriam debitam meritis prioribus, & aliquid meretur de nouo resurgendo, ergo resurgit semper ad maiorem gloriam; antecedens patet quoad secundam partem, nempe q aliquid mereatur per actum pęnitentiæ; & quoad primam partem sic probatur per Ezech. 18 Si impius egerit pęnitentiam amplius non recordabor omnium iniquitatum eius; & rursus cap. 33. Si peccator egerit pœnitentiam impietas impij non nocebit ei; sed si merita non redeunt post pęnitentiā nocet peccasse, siquidem peccatum commissum obstat quo minus opera omnia reuiuiscant in eodem gradu, in quo fuerunt antea, quod non est dicendum. Præterea Iohelis. 2. dicit Dominus: Conuertimini ad me & reddam vobis annos, quos comedit locusta, & Bruchus, & rubigo, quē locum explicans. D. Ambrosius sic ait. Pœnitentia est res optima, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum. *D. Ambros.*

Secundo probatur ratione Doct. Meritis ante peccatum debebatur secundum iustitiam præmium æternum, ergo eadem merita redeunt post pęnitentiam in eodem gradu, patet consequentia: quia nullum malum impunitum, neque vllum bonum irremuneratum, sed si merita mortificata non redirent ad eundem gradum, aliquod bonum iustorum esset irremuneratum, quod quidem aduersatur diuinæ iustitiæ; Nam hæc via tenens gradum essentialem gloriæ correspondere merito, consonat sacræ scripturæ, quæ multis in locis istam sententiam diuinæ iustitiæ adstruit esse conformē: dicitur enim quod reddet vnicuiq. secundum opera sua in psal 61. & Rom. 2. nusquam autem habetur quod reddet vnicuique secundum habitum suum. Et præterea ista sententia inducit ad obseruantiam legis diuinæ, cum doceat bonis meritis licet remissis, per quæ gratia statim non augetur correspondere in acceptatione diuina gradum gloriæ determinatum. Nec adeo expedit saluare gratiam Nec adeo expedit saluare gratiam, quantū opus remissum agere, per quod non augetur gratia; quia & si iste sic remisse agens non habeat maiorem gratiam per opus suum, quam ille dormiens, in quo saluatur gratia sine tali opere; non tamen frustra ille egit, nec in nullo excedit illum, qui dormiuit, immo per illud, quod egit iam dignus est aliquo æterno bono, quo non est dignus ille dormiens. Ex isto inquit Doct. sequūtur duo corrolaria. Primum est, quod aliquis damnatus habet ius ad maiorem gloriam, quam aliquis saluatus; patet, quia aliquis dignus maiori gloria, loquendo de eo in gloria quod respondet meritis, & de digno non propinque, sed remote, puta secundum ius, sed suspensum, damnatur, vt alius dignus multo minori gloria isto modo saluatur, vt patet de illo, qui bene egit per omnes dies suos, & in fine vitæ suæ peccat mortaliter, & in tali peccato mortali moritur, debetur sibi gloria, sed peccatum impedit executionem iuris, ne sibi detur gloria æterna, alius vero qui per totam vitam male operatus est in fine vitæ pęnitet se peccasse, & in tali pęnitentia decedit, & saluatur. quia est dignus propinque, & non habet ius impeditum; exemplum posset esse de Iuda & de bono latrone. Secundus est etiam dignus ad illud aliud in gloria correspondens gratiæ ad quod non est ille damnatus dignus; & nulli datur correspondens meritis sine correspondente gratiæ. *Primū corrolarium.*

In gloria est duplex præmium. Vnde obseruandum est quod in gloria est duplex præmium, alterum correspondens meritis, & alterū correspondens gratiæ. Vnde dignitas ad gloriam correspondens meritis non tollitur per quodcunque peccatum mortale, licet interdum impediatur, sed dignitas ad gloriam respondens gratiæ tollitur per peccatum mortale, verum est tamen quod præmium correspondens meritis nulli tribuitur sine præ-

mio

mio correspondente gratia: quia nemo sine gratia saluatur. Si etiam præmium correspondens merito est eiusdem ratio nis cum præmio respondente gratiæ, & per quodcunq. meritorum augetur illud in diuina acceptatione, igitur meritis finitis correspondebit tantum gloriæ, quantum est illud correspondens gratiæ; aliquis ergo in gradu determinato habens illam saluabitur, & habens omnia ista sed mortificata damnaretur. damnatur igitur dignus, sed remota dignitate & suspensa, vt pote quia habet ius ad gloriam, sed cum hoc habet impedimentum, scilicet peccatum mortale, quo ius ad gloriã suspenditur; atq. ita dignus multo maiori gloria damnabitur & dignus dignitate propinqua, qui scilicet est in gratia multo minori saluabitur. Nec mirum quia inimico dum est inimicus, quæcunque bona, præterita non sufficiunt ad præmium consequendum.

Secundũ corrolarium. Secundum corrolarium est, quod illa bona opera meritoria, quibus respondet magnus gradus gloriæ dum sunt mortificata, non possunt mereri minimam gratiam, ad quam resuscitata, non possunt mereri minimam gratiam, ad quam resurgat, alioqui, qui ceci disset a multis meritis iam meruisset, vt resurgeret a primo lapsu per primam gratiam sibi propter illa merita conferendam. Nec tamen credo (inquit Scotus) quod merita mortificata omnino nihil faciant in acceptatione diuina ad primam gratiam dandam huic lapso: quia & si secundum strictam iustitiam iste inimicus Dei non sit dignus de propinquo ad aliquam gratiam, & gloriam. Tamen excellens misericordia Dei, propter præcedentia merita, licet mortificata, citius dat gratiam ad resurgẽdum. Vnde sicut credo, quod perfectior grauius cadit propter maiorem ingratitudinem; ita credo, quod cæteris paribus citius resurgit propter Dei benignitatem merita prædicta ad hoc aliqualiter acceptantem, Vnde aliquando audiui de viro prius valde perfecto, & postea profundissime lapso, cum propter facinora sua esset morti adiudicatus misericordiosissime visitato, perfectissima penitentia subito sibi inspirata est. Istud bene debet allicere quemlibet ad semper meritorie agendum pro viribus; quia siue mansurus, siue lapsurus sit, non erunt ista in obliuione totaliter coram Deo. Qui ergo bono vacat exercitio, & in operibus meritoriis exercetur facilius resurgit. Tũ quia habet habitum acquisitum inclinantem ad bonum. Tũ quia habet fortius Dei adiutorium; & tertio quia non habet habitus malos a bono retrahentes ergo &c.

Contra tertiam conclusionem arguitur. Peccata non redeunt in recidiuante, quo ad omnem pœnam damni, & sensus, quamuis redeant secundum quid, scilicet ratione ingratitudinis, vt dictum est supra; ergo nec simpliciter redeunt merita, consequentia patet a paritate rationis; vtrobiq. enim est eadem ratio, siquidem contrariorũ eadem est disciplina.

Præterea si penitens resurgit semper ad maiorem gloriã; sequitur quod peccans reportaret commodum de lapsu suo, siquidem resurgit dignior præmio in acceptatione diuina.

Item si est dignus maiori gloria, quando resurgit, quam fuit tempore sui casus, & recedit a magna gratia, per quam fuit magna gloria dignus; ergo non potest resurgere in minori gratia: maxime quia illud meritum, quod resurgendo superaddit potest esse non dignum tanta gloria, quantã gloriam minuit minor gratia de nouo acquisita per penitẽtiam respectu primę gratiæ, a qua cecidit per peccatum. Ista enim videntur repugnantiam includere.

Deinde videtur, quod Doct. sibi ipsi cõtradicat. Nam bene sequitur resurgit ad minorem gratiam, ergo ad minorem gloriam quoad eam partẽ, quæ debetur gratiæ. Tunc vltra resurgit ad minorem gloriam gratiæ debitam, & ad maiorem gloriam debitam meritis; cũ ille excessus non sit tantus, quãtus erat excessus, quo erat dignus maiori gloria ante casum, sequitur quod non semper surgit ad maiorem gloriam. Explico hanc rationem exemplo. Sit Petrus qui cecidit a magna gratia, per quam fuit dignus magna gloria, & gloria debita illi gratiæ sit centum graduum, & gloria debita meritis mortificatis sit triginta graduum, resurgat ad minorem gratiam, & gloriam debitam illi gratiæ videlicet ad gratiam & gloriam viginti graduum, tunc arguitur sic; gloria, quæ debetur gratiæ a qua cecidit excedit illam gloriam, quæ debetur gratiæ ad quam resurgit, quia prior erat centum graduum, & posterior viginti; aggregatũ ẽt ex gloria debita priori gratiæ, & ex gloria debita meritis mortificatis, excedit aggregatum ex gloria debita iisdẽ meritis, & ex gloria debita posteriori gratiæ, ad quam resurgit, quia prior gloria erat centum triginta graduum; & posterior est quinquaginta, ergo non semper resurgit ad maiorem gloriam.

Præterea probatur, quod non resurgat ad maiorẽ gloriam ex parte meritorũ: Nam Petrus resurgat ad omnẽ gloriã debitã meritis præcedentibus; sed præter illa merita nullum habet nouum meritũ, ergo non resurgit ad maiorem gloriã ex parte meritorum, quam sit illa, a qua cecidit; maior patet, & minor probatur; quia si haberet aliud meritum, maxime esset actus per quem disponit se ad resurgendum; sed ille esse nõ potest, quia actus ille in instanti infusionis gratiæ est prior natura, quam gratia, & nullo modo est a gratia, ergo nõ est meritorius, quia nullus actus est meritorius, quin sit a gratia saltem posterior natura; quod autem ille actus sit prior natura gratia ex eo cõstat, quia secundum Doctorem est dispositio ad gratiam; datur enim gratia secundum quantitatem talis dispositionis, atque adeo necessario oportet, quod illa dispositio sit prior natura, quam gratia.

Item. Gratia est ius ad gloriã, ergo maior gloria prę exigit maiorẽ gratiã, vt ius ad illam, ergo pęnitens sicut resurgit ad maiorem gloriã, sim licet resurget ad maiorẽ gratiam, quã erat illa, a qua cecidit. Item sequeretur, quod aliquis in cęlo cũ minori gratia possidebit maiorem gloriam.

Ad hæc respondetur, & ad primum negat Scotus consequentiam: quia peccata iam fuerunt destructa virtute pęnitentiæ, & hoc secundũ Dei iustitiã, merita vero nunquam fuerunt remunerata, ideo redeũt in eodẽ gradu; sed dices vel ista merita erant mortua, vel non; si primũ ergo non possunt viuificari absq. miraculo; & si secundum sequitur, quod præmiabuntur licet homo non resurgat ad gratiã, vel aliquod bonũ remanebit irremuneratũ, quod est contra diuinã iustitiã. Respõdetur ex D. Thoma vbi sup. ar. 5. ad secũdũ. animal moritur: *D. Thomas.* quia recedit anima, quæ est principiũ vitæ, & quia nõ redit anima, non viuificatur. Opera aũt meritoria sunt meritoria, & viua durante gratia, & secundũ se semper viuunt in diuina acceptatione, quæ parata est retribuere pro eis præmium redeunte principio vitæ, s. gratia, qua mediante illa opera dĩgna erant vita æterna. Vnde sequitur primo sine miraculo viuificari: quia sine miraculo consequimur gratiã. & sequitur secũdo. quod gratia nõ redeunte nullũ eis debetur præmiũ. Sed adhuc dices gratia rñdet meritis, sed nõ sẽper redit omnis gratia amissa, ergo neq. omnia merita. Rñdetur distinguẽdo minorẽ de gratia in genere gratiæ, & in genere qualitatis, vñ sicut hõ cõsurgit ad maiorẽ gloriã, quam fuit illa, a qua cecidit, similiter consurgit ad plura merita, & ad maiorẽ gratiam in genere gratiæ, non autem in genere qualitatis.

Ad secundum. Respondet Scotus, quod peccans, & postea resurgens non habet commodum ex casu suo, sed incõmodũ magnũ, nõ tm̃ quia peccauit, sed ẽt quia totũ tẽpus, quo mãsit in peccato amisit; eo siquidẽ tẽpore merita multiplicasset si in gratia mansisset, ratione quorũ ad maiorẽ gloriã ordinatus fuisset. Ad tertiũ rñdetur, quod qñ homo resurgit per penitẽtiã, quia omnia merita, quæ habuit ante lapsum viuunt in Dei acceptatione, redit illi ius, & dignitas ad gloriã talibus meritis debitã; non tñ redit illi ius & dignitas ad gloriã, quę correspondet gratiæ a qua cecidit, si gratia secunda sit minor prima, propter suã minorẽ dispositionẽ; vnde merita reuiuiscunt, non aũt prior gratia. Et istud est satis consonum iustitiæ: quia gratia prior fuit tm̃ donũ Dei; merita aũt erant aliquo modo opera hominis, atq. adeo qñ hõ resurgit, resurgit ad omnẽ gloriã, quæ sibi debetur ex parte meritorũ; sed ipsa gratia, quæ est solius Dei nõ dignificat hominẽ nisi actu insit; non. n. hõ ẽ dignus gloria pp gratiã, q̃ habuit, sed pp illã quã habet, atq. adeo ex ea parte gloriæ, quæ correspõdet gratiæ stat, quod resurgat ad minorẽ gloriã; & p hoc patet rñsio ad quartum. fateor enim, quod possibile est, quod simpliciter resurgat ad minorẽ gloriã. sed qñ dicit Doct. quod sẽper resurgit ad maiorẽ gloriam, intelligitur de gloria, quæ respondet meritis.

Ad quintũ, quod vĩ esse contra hanc responsionẽ. Dico quod dispositio illa præcedit quidẽ tẽpore gratiæ infusionẽ, sed continuatur p tẽpus vsq. ad instans infusionis, & in instãti terminante tempus, in quo instanti infunditur gratia; ipsa gratia concurrit ad conseruationem illius dispositionis vsq. ad instans inclusiue, in quo infunditur gratia, & si tunc non ponatur obex, meretur in illo instanti, & sic habet nouum meritum vltra merita præcedentia.

Ad sextũ concesso antecedẽti negatur cõsequẽtia, sed maior gloria præexigit maiora opera vel merita. Ad vltimũ dico, quod ĩ mortis instãti gratia rñdẽs meritis dat homini iusto, & ratio ẽ, quia gratia ẽ premiũ accidẽtale rñdẽs meritis, & si-

cut

cut merita, quo ad præmium essentiale videlicet gloriam, tunc præmiantur, ita etiam quo ad præmia accidentalia remunerabuntur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum virtute pœnitentiæ opera per peccatum mortificata reuiuiscant.

Opera moralia sunt in triplici differentia.

PRo solutione quæst. obser. est, quod opera moralia sunt in triplici differentia, alia sunt viua, illa scilicet, quæ ex charitate pullulant, alia mortua quo ad Deum, vt cūcta, quę fiūt in peccato mortali, quæ licet possint esse moraliter bona, nullius tamen sunt meriti apud Deū propter defectum gratiæ, quæ totius meriti principium est, alia tandem dicuntur mortificata, quia viua prodierunt, & tamen per peccatum sunt mortificata: non autem dicuntur mortua simpliciter: quia peccatum dicitur mortale respectu vitæ gratiæ, quam tollit, non tamen respectu gloriæ simpliciter nisi finale sit, & ideo respectu glorię potius dicitur morbus, quam mors, similiter opera bona dicuntur non mortua, sicut illa, quæ nunquam habuerunt vitam, sed mortificata: quia redeunte principio vitæ. s. gratia, redeunt ad pristinam vitam.

Opera mortua prosunt ad multa.

Secundo obser. est, quod opera mortua licet nihil prosint, quo ad gratiam, & gloriam, possunt tamen ad multa prodesse, quod expresse probant c. si quando, & c. cauendum, & ca. quid ergo, de pęn. d. 3. quatenus probant multis malis euenire multa bona temporaria, puta salutem, honorem, potentiā & diuitias, quæ videntur habere Turcas, hæreticos, & alios infideles, & malos christianos, & frequenter multo maiora, quam bonos. Ob quod Dauid ps. 72. aiebat. Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt diuitias Et dixi. Ergo sine causa iustificaui cor meum &c. Et Hieremias cap. 13. ad Deum clamabat. Quare via impiorū prosperatur? Et

Boetius.

Seuerinus Boetius de consolatione philos. metro. 5. lib. 1. exclamat ad Deum.

Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices? premit insontes
Debita sceleri noxia pœna.
At peruersi resident celso
Mores solio, sanctaque calcant
Iniusta vice colla nocentes.

Et passim videmus bonos multa mala temporaria patiẽtes. cap. non omnis 5. q. 5. & malos bonis multis fruentes, iuxta illud psal. 143. Promptuaria eorum plena eructantia ex hoc in illud, oues eorum fœtosæ abundãtes in egressibus suis, boues eorum crassæ. Non est ruina maceriæ, &c.

Opera bona in mortali peccato facta ad quid prosint.

Tertio obseruandum est, quod bona in mortali peccato facta prosunt ad contenta in illo disticho, glo. c. quod quidam. de pęnit. & remis. quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terrę.

Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

Cætera bona in statu mortalis peccati facta nihil prosunt ad quærendam vel augendam gratiam gratum facientem, vel gloriam beatificantem. Vnde in cap. nihil. de Consecrat. d. 5. dicitur. Nihil prodest homini ieiunare, & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur, cuius vniuersale dictum limitat glos. ibidem recepta per omnes, vt procedat quo ad vitā æternam, id est, quo ad gratiam, & gloriam, quia quo ad tẽporalia prodest. c. si quælibet. 1. q. 2.

Opera mortificata resurgunt per pœnitentiam.

His obseruatis respondetur ad quæstionem gemina conclusione. Prima conclusio. opera per peccatum mortificata, resurgunt per pęnitentiam, hæc conclusio est communis sententia omnium Theologorum, in superioribus sufficienter probata, ita ut temerarium esset illam negare; pro qua videtur textus iuris aptissimus in cap. Prium. de pent. d. 2. & confirmatur ea ratione, quod cessante causa cessat effectus. ca. cum cessante. de appellat. at causa quare merita mortificata ante pęnitentiam non sunt digna vita æterna, est, quia superuenit culpa mortifera, quæ impedit eius adeptionem, ergo sublata illa manebunt digna ea, cum iam fuerint a Deo ad illam acceptata.

Nec obstat, quod opera bona facta in statu mortalis peccati nihil prosunt ad vitam æternam, quia illa nunquā fuerunt viua, siue accepta a Deo ad vitam æternam, facta vero in statu gratiæ sic. Nec obstat etiā, quod mortificata, & mortua videntur æquari, quoniam illud est verum de omnino mortificatis, at bona, & merita non omnino mortificantur, sed solū impediuntur a cōsecutione sui effectus per culpam mortalem, qua sublata perinde viuere incipiunt, ac si nunquam illa superuenisset per acceptationem Dei ante facta. Quare licet homo per peccatum impedire posset, non tamē omnino tollere, quia inferior nō pōt acta superioris abolere.

Opera mortificata non reuiuiscunt quo ad satisfactionem.

Secunda conclu. opera meritoria licet reuiuiscant quo ad gloriā non tamen reuiuiscunt quo ad satisfactionē, hæc conclusio sic explicatur. esto quod aliquis iustus peccet, & quod ante peccatum non tenebatur satisfacere, quia forte nullū fecerat peccatū, vel si fecit aliquod veniale, eius satisfactio vsq; adeo abundans erat, vt multū superesset satisfactionis applicandū Thesauro Ecclesiæ, est modo dubium an isto resurgēte reuiuiscant opera ante peccatū facta nō solum ad gloriā, sed ēt possint illi ad satisfactionē pro pęna temporali peccati dimissi, & videtur quod sic: quia opera mortificata resurgūt ad gloriam, non ob aliud, nisi quia nō fuerunt præmiata, sed eadem opera valebant ad satisfactionem pro pęna temporali, ergo &c. cæterum hac ratione non obstante vera est nostra conclusio, quia opera illa non valebant ad satisfactionē pro peccato futuro, quia satisfactio est tertia pars pęnitentiæ, & pęnitentia nunquā admittitur pro peccatis futuris, sicut contritio, & confessio non habetur de committendis, sed de commissis. Similiter & satisfactio, atque ita ad arg. neganda est consequentia propter hanc rationem.

Sed restat quæstio grauis examinanda an. s. per pęnitentiā subsequentē opera etiā mortua viuificentur, ad satisfaciendū pro pęna temporali debita peccatis antea remissis, & non est quæst. de operib. mortiferis i. de peccatis, hæc n. tantū abest vt viuificentur per pęnitentiā, quod per ipsam abolentur. sed quęritur an opera bona moraliter, mortua tñ, quia caruerunt gratia spirituali vita, viuificentur per pęnitentiā ad satisfaciēdū pro pęna temporaria debita peccatis antea remissis.

Ad hanc quæst. duplex est responsio. Primo respondetur negatiue, iuxta eorum opinionem quæ hēt peccatum veniale non posse remitti absq; mortali, neq; per bona facta in statu malo posse remitti pęnā temporariā debitam peccato mortali remisso per pęnitentiam, quia secundum illam sententiam nulla ēt per pęnitentiam iniunctam completam in peccato mortali tollitur pęna debita pro peccato dimisso: quoniam Deus non acceptat bona inimicorum suorum pro satisfactione offensæ sibi factæ, & patet ex illo Apost. 1. Corinth. 13. Si linguis hominum loquar, & Angelorū, charitatē aūt non habuero &c. vsq; ibi, nihil mihi prodest. Vnde si apud sanctos Patres aliquando legitur, bona opera etiam ab existentib. in peccato esse præmianda, si de hac vita loquantur interpretādi sunt de bonis tēporalibus, quę Deus aliquādo confert peccatoribus, vt diximus in 2. notabili, non quod talia opera sint aliqua mercede digna, sed quod sit quędā diuina largitio. Si vero de alia vita sit sermo intelligendi sunt, nō quod prædicti homines liberādi sint in inferno propter bona opera ab aliquo tormento, vel eius parte pro alijs flagitijs debito, sed quod tollerabilius punientur, quia exercitus in bonis operibus alia euitat noua peccata, pro quibus durius punirētur.

Secundo respōdetur affirmatiue iuxta opinionē eorū, qui tenent veniale posse remitti, sine mortali per opera pęnitentiæ, & alia bona opera facta in statu peccati mortalis, quā sententiā, vti bonitati diuinæ conuenientiorē. & habentē auctoritatē authenticā, neq; rōnem irrefragabilem contrariā, tenuimus supra cū Doct. nostro Sub. & alijs, illa firma rōne. quod si bona in statu malo facta, durante illo, prosunt ad fiscū tortori proderunt post illū sublatū, & qua sisti bonū. arg. Auth. multo magis. C. de sacros. Eccle. & c. cū in cunctis, de electio.

Augustini de Ancona.

In cuius confirmationem addo singularem determinationem Augustini Triumphi in summa de potest. Papæ. p. 1. q. 32. ar. 2. vbi ita scribit. Quod bona, q̄ fiūt in ecclesia, possunt esse meritoria illis q̄ sunt in Purgatorio, vel p modū suffragiorū, vel p modū indulgentiarū ad relaxationē pęnæ, vel ad totalem liberationem, quantūcunq; fiāt ab existentib. in peccato mortali. Quæ plane determinatio, nulla firmiori rōne fulciri posse vr, quā quod bona facta a christianis in malo statu possunt sibi ad remissionem pęnarū pro peccatis mortalibus dimissis debitarū. Hęc de sacramento pœnitentiæ iuxta doctrinā Ioan. Scoti Doctoris subtilissimi dicta sufficiant. Multa. n. alia potuissent dici, quæ prætermittimus, tum quia de illis non est locutus Scot. Tum gratia breuitatis, Tū quia satis faciliter, & fertilius magis in scriptis communibus Neothericorum inueniri possunt, atq; adeo ibidem requirantur. Hæc tamen quæ scripsimus censuræ sanctæ Romanæ, & vniuersalis ecclesiæ sicut &c. submissa esse volumus.

Distinctio. XXIII.

De Sacramento extremæ vnctionis.



Continuatio. *Preter præmissa est etiam aliud sacramentum. Ex quo Magister determinauit de Baptismo quod est sacramentū intrantium, vel ingredientium, insuper de confirmatione, de Eucharistia, & pœnitentia, quæ sunt sacramenta progredientium. Nunc consequenter determinat de extrema vnctione, quæ est sacramentum exeuntium.* *Diuisio.* *Et circa hoc tria facit. Primo quid sit hoc sacramentum manifestat. Secūdo quid efficiat. Tertio suadet, ne quis ipsum per contemptum & negligentiam pretermittat. Sumatim littera Magistri tribus conclusionibus clauditur.*

Prima cōcl. *Prima conclusio. Extremæ vnctionis infirmorum, quæ fit in oleo consecrato per manus episcoporum tria sunt genera secundum mentem Doctorum. Pro cuius insinuatione dicit Magister, quod sacramentum extremæ vnctionis fit oleo per episcopum consecrato, & tangit triplex genus vnctionis.* *Vnctionis triplex est genus.* *Est.n. quædam vnctio principalis, quæ fit chrismate, oleo.s. mixto balsamo, & tali vnctione vnguntur Reges, & Pontifices in capite confirmandi aūt in fronte, & baptizandi in vertice. Alia est vnctio, qua cathecumeni, & Neophyti vnguntur in pectore, & inter scapulas in perceptione Baptismi. Tertia vero vnctio est illa, qua vnguntur infirmi, & de hac ad præsens agitur. Prima vnctio nec est sacramentum nec aliquid sacramentale, quia nec per se gratiam causat, nec ad aliquod sacramentum suscipiendū, vel perficiendum ordinatur. Secunda sacramentalis est, sed nō sacramentū, quia.s. ad sacramentū ordinatur. Tertia & vltima proprie sacramentū est, & vnctio extrema, siue sacramentum sicut nomen sonat, quia post id aliud non speratur.* *Vnctio extrema quādo debet dari, & quibus.* *Vnde solis infirmis, & periculose ægrotantibus, ita quod de vita eorum desperetur dari debet, & ideo quam diei probabiliter speratur de euasione non debet dari, & est per se vltimum, per accidens tamen, vt si conualescit, potest esse post ipsū aliud, differentia inter istas vnctiones est huiusmodi, quod primæ duæ simplici oleo fiunt benedicto. Tertia vero quæ est sacramentum fit oleo per episcopum consecrato, & hæc vnctio quatenus est sacramentum, inquit Magister, quod ab Apostolis instituta legitur. Iacobi. 5. infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ &c. Sed in hoc Magister reprobatur.*

Secunda cō. *Sacramentum vnctionis duplici de causa est institutum.* *Secunda concl. est hæc. Hoc sacramentū duplici de causa est institutum. s. ad peccatorū remissionē, & ad corporis infirmitatis alleuiationem. Hanc Magister insinuās dicit, causā institutionis huius sacramēti fuisse duplicē, iuxta duplicē sanitatē. s. animæ, & corporis. Vnde cōstat eū, qui hanc vnctionē fideliter, deuoteq; percipit, & in corpore, & in anima alleuiari, si tamen expedit, vt in vtroque alleuietur, quod si forte corpus valetudinem illi habere non expedit, illam, quæ est animæ, sanitatem in hoc sacramento acquirit, deinde ponit huius sacramenti conformitatem ad alia. Etenim in hoc sacramēto est aliquid, quod est sacramentum tantum, vt exterior vnctio, & aliquid quod est res sacramenti, vt vnctio interior, id est, peccatorum remissio, & virtutum appositio, & ideo sacramētum hoc contemnere, vel negligere periculosum est, & damnabile.*

Tertia cōcl. *Tertia conclusio. Hoc sacramentum ex contemptu vel negligentia non prætermittatur, nec reiteretur nisi morbus reuertatur. prima pars conclusionis patet ex præmissis; secundam insinuans Magister quærit, vtrum hoc sacramentum possit reiterari. Et primo aspectu ex mente. D. Aug. videtur quod non. Nam lib. contra Parmenianum inquit sacramentum non iterandum, & sacramento non faciendam esse iniuriam, quasi velit iniuriam sacramento facere eum, qui sacramentum reiterat. Sed respondetur, quod D. August. ibi tantum de tribus loquitur sacramentis. s. de Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quæ nullo modo iteranda sunt,* *D. August.* *Alia vero sæpius iterari possunt, vt Eucharistia, Pœnitentia, & Matrimonium, quare etiam vnctio reiteratur, si morbus iterum reuertatur. Dum enim morbus iteratur, non secus, & medicina, sed vnctio extrema est, vt medicina, quare si morbus iteretur, nec non & medicina, id est, vnctio extrema, & hæc de tota hac distinctione. Circa quam Scotus vnicam mouet quæstionem includentem totam materiam distinctionis.*

QVAESTIO VNICA.

Vtrum extrema vnctio sit sacramentum nouæ legis.



Ro explicatione tituli obseruandum est primo, quod post pœnitentiæ sacramentum, iure optimo Magister de sacramento extremæ vnctionis determinat, quoniam et si sacramentum hoc distinctum sit a sacramento pœnitentiæ, vt pote ad diuersum finem institutum, & ex diuersa forma, & materia constans, habet tamen cum illo quandam coniunctionem, & affinitatem, eo qood pœnitentia ad tollenda peccata, vnctio vero ad reliquias peccatorum, quæ illis sublatis permanere solent auferendas ordinatur, quam ob rem consummatiuū pœnitentiæ, vel totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, dictum est a patribus, vt Concil. Trident. annotauit. sess. 14. in proœmio de hoc sacramento. Ideo absoluto pœnitentiæ sacramento, adiungit tractatum de extremæ vnctionis sacramento. *Sacramentum vnctionis coniunctionem habet cum sacramēto pænitentiæ.*

Secundo obseruandum est, nomine extremæ vnctionis Ecclesiam catholicam intelligere, quoddam speciale sacramentum sic dictum, quia & per quandam vnctionem confertur, & veluti extremum est omnium sacramentorum, & in extremo vitæ periculo confertur. Quærit ergo Scotus an verum sit esse in ecclesia tale sacramentum. Nam multi hæretici illud esse sacramentum negarunt, vt Vuald. apud Aeneam Syluium lib. de origine Boemorum c. 35. & Albigenses apud Sanderum lib. 7. de Visibi. Monar. hæres. 151. Item Albanenses apud Anton. 4. p. Theolog. tit. 11. c. 7. §. vlt. & Rutheni apud Prateolum verbo Ruthent. Præterea in eodē fuit errore Vuicleph, vt refert Vualden tomo 2. de sactam. c. 163 Lutherus, item Caluinus, & alij sectarij, vt Prateolus. & Alphonsus a Castro lib. 14. aduersus hæreses. verbo, vnctionis extremæ sacramentum. *Aeneas. Syluius. Sanderus. Antoninus. Prateolus. Tho. Vual. Castro.*

Tertio obseruandum est, quod multiplex reperitur vnctio in scriptura, quarum duas ponit Innoc. de sacra vnctione cap. vnico, vna exterior & visibilis, qua inungitur corpus vel pars corporis. Alia est interior inuisibilis, & spiritualis, qua inungitur anima de prima Iacobi. 5. Infirmatur quis ex vobis &c. de secunda prima. Ioan. 2. Vnctionem quam accepistis ab eo maneat in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius vos docet in omnibus, ita faciatis. Vnctio visibilis & exterior signum est vnctionis interioris, & inuisibilis. Ad vnctionem exteriorem, & visibilē benedicitur oleum, quod dicitur vel cathecumenorum, vel infirmorum, & conficitur chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo mystica ratione, quam habet Innoc. vbi supra. Chrismate caput, & manus Episcopi consecrantur, & licet in veteri testam. etiam vngebantur Sacerdos, Rex, & propheta, non tamē videtur factū chrismate, nec oleo sanctificato sm̄ Palu. *Vnctio est multiplex. Innocent.* *Paludan.*

Nam

Nam olim non erat oleum consecratum, nisi oleum vnctionis, quo prohibebatur inungi omnis homo Exo. 30. Addit Lyra, exceptis regibus, & sacerdotibus, qui quantum ad officia vngebantur ex eo. Oleum illud dictum oleum vnctionis sanctum erat vnguentum compositum opere vnguentarij vt habet textus ibidem. Vngebantur ergo oleo simplici. Vnctio tunc quo ad Reges fiebat in capite, sed postquã Christus Iesus caput noster vnctus est oleo lætitiæ præ participib. suis, vnctio a capite ad brachium est translata, ideo nunc Reges non in capite, sed in brachio humeris, vel armo inunguntur. In quibus principatus congrue designatur iuxta illud, factus est principatus super humerum eius Esaiæ. 9. Ad quod designandum Samuel fecit poni armum ante Saul cui dedit in mensæ capite locum ante alios inuitatos. Caput ergo Pontificis, & manus chrismate consecratur, sed brachium Principis oleo delinitur, vt sic ostendatur differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis.

Lyranus.

Reges olim in capite modo in brachio inunguntur.

Chrismate etiam inungitur baptizatus a sacerdote in vertice, & a Põtifice confirmante in fronte, oleo benedicto cathecumenorũ inungitur baptizandus primo in pectore, deinde inter scapulas, & sacerdotum manus, sed baptizatus chrismate sancto vt supra, oleo benedicto infirmorum inunguntur infirmi, & de hac vnctione dumtaxat hic dicendum est, quæ vt vidimus in litera dicitur sacramentum exeuntium, de qua sequentes explicabimus articulos.

Primus Art. Vtrum in ecclesia detur aliquod sacramentum, quod extrema vnctio appelletur.

Secundus Art. Vtrum extremæ vnctionis sacramentum sit a Christo Domino immediate institutum.

Tertius Art. Vtrum materia huius sacramenti sit oleum oliuarum ab episcopo consecratum.

Quartus Ar. Vtrum hæc verba per istam sanctam vnctionem &c. sint forma huius sacramenti.

Quintus Art. Vtrum solus homo baptizatus ratione vtens, pœnitens, & infirmus possit hoc recipere sacramentum.

Sextus Art. Vtrum aliquæ determinatæ partes corporis sint proximum subiectum huius sacramenti.

Septimus Art. Vtrum sacerdos sit minister proprius huius sacramenti.

Octauus Art. Vtrum remissio venialium sit proprius effectus huius sacramenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in ecclesia detur aliquod sacramentum, quod extrema vnctio appelletur.

Videtur quod non, quia sacramenti principalis effectus esse debet spiritualis, quia remedium spirituale est, at vnctionis extremæ effectus est corporalis, vt ex Iacobi auctoritate colligitur, nõ ergo sacramentum dici dẽt.

Deinde quod vnum non est, neq; sacramentum est, at vnctio extrema vnum non est: quia plures requirit presbyteros, seu ministros, nec materia vna, sed plures quia multas vnctiones, neque vnam formam numero, quia multas orationes coniunctas multis vnctionibus, quare vnctio extrema non potest vnum appellari sacramentum, ergo nec sacramentum, quia quod non est vnum nihil est. Pro solutione huius quæstionis duo explicanda sunt. Primum quod possibile est esse aliquod sacramentum nouæ legis, quod sit signũ efficax finalis remissionis venialiũ. Secundo quod congruit, & quod ita factum est.

Quo ad primum. Possibile est Deum finaliter remittere venialia, ergo sibi possibile est instituere signum efficax illius remissionis, consequentia patet: quia possibile est hominem instituere, signum efficax practicum cuiuscumq; operis sui, ergo multo fortius est Deo possibile, atque ita quodcumque signum sensibile, cuius institutio non includit contradictionem instituere tanquam signum practicum efficax istius effectus.

Quoad secundum de congruitate constat; quia congruũ est recessurum ab hac vita, finaliter a venialib. absolui, quia ista non remissa essent impedimentum gloriæ consequendæ, & non remissa possunt esse vsque ad exitum, quia peccator quasi cõtinue peccat talibus peccatis, necesse est ergo huiusmodi peccata dimitti, quoniam & si venialia stent cum gratia, non tamen stant cum gloria, si enim quis moreretur in peccato veniali, nunquam beatus esset, nisi prius deletum esset illud peccatum veniale. Sed dices, dictũ est supra, quod peccata venialia delentur in instanti mortis, propter bonos actus factos, dictum est etiam, quod mors ipsa patienter accepta erat sufficiens ad delendum peccata venialia. Respondeo quod hoc argumentum nihil valet; quia eodem modo dicam ego de sacramento pœnitentiæ, nonne per contritionem delentur peccata mortalia? ergo frustra ponitur sacramentum pęnitentiæ, vnde licet multis alijs modis peccata venialia possint deleri, quam per sacramentum, nullus tamen modus est vtilior, facilior, & certior ad delendum peccata, quam per sacramenta.

De facto, id est, quod tale sacramentum de facto sit in ecclesia. Probatur ab aliquibus per illud Marci. 6. vbi dicitur Christus misisse Apostolos ad prædicandum, & de eis subditur, & vngebant oleo multos ægrotos & sanabant, hoc testimonio vtuntur ad factum comprobandum Vuald. supra, & Castro contra hæreses loco relato; putant. n. illam vnctionẽ fuisse vere sacramentum, & videtur hæc sententia fidei consentanea, & accõmodata contra hæreticos huius temporis propter hæc argumenta. Primum quia si vnctio in hoc loco sacramentum non est, nec alibi est: nulla est. n. ratio cur hic negetur esse sacramentum, alibi vero affirmetur. Et cõfirmare hoc possumus: quia veteres expositores hac ratione moti de eadem vnctione locum hunc, & alium Iacobi interpretãtur, vt patet in Beda, Theophylacto, & alijs. Secundum arg. est, quia sacramentum nihil aliud est, quã cęremonia a Christo instituta tanquam ordinarium remedium salutis animę, quæ tota definitio conuenit illi Apostolicæ vnctioni. Tertiũ quia si solum ad curanda corpora illa vnctione vterentur Apostoli sine causa oleum adhiberent, cuius vsus occultare potius, ac diminuere miraculum, quam augere, vel manifestare posset, quod fuisset contra finem illorum miraculorum, melius enim solo verbo ostenderent sanitatem illam in Christi virtute, & supernaturaliter dari, quam oleo adhibito, ergo non tantum ad morbos, sed vt verum sacramentum illud ministrabant. Quartum quia nec Apostoli in alijs efficiendis miraculis, nec alij fideles, qui gratiam habuerunt curationis oleo vtebantur ad corpora tantum curanda, ergo signum est Apostolos non ob hunc solum finem, sed propter animæ curationem, vnctione illa tanquã vero sacramento vsos fuisse.

Vualdens. Castro.

Beda. Theophyla.

Cæterum hæc sententia non videtur alijs vndequaque vera. Nam existimant vnctionem illam, qua ad curanda corpora ægrotantium vtebantur Apost. Marci 6. non fuisse verum sacramentum extremæ vnctionis, sed quoddam præuium signum, & adũbratio eius. Ita censent Petrus a Soto lectione 1. de hoc sacramento ar. 1. Iansenius in Concord. cap. 55. in fine & Card. Bellar. lib. de hoc sacramento. c. 2. Cuius sententiæ tres adducunt coniecturas.

Petr. a Soto. Iansenius. Belarmin.

Prima: quia in textu illo Euangelico nullum est indicium sacramentalis vnctionis, sed tantum medicinalis, seu curatiuæ. Solum enim dicit Marcus. Vngebant ægros, & sanabãt. Matth. autem cap. 10. refert dixisse Christum Apostolis infirmos curate, Marcus vero insinuauit etiam modum docuisse seu designasse, scilicet oleo vngendo, quia non est verisimile eos vsos fuisse oleo, nisi Christus id significasset.

Secunda & vehemens coniectura est, quia tunc Apostoli non erant ordinati sacerdotes, vt possent hoc sacramentum ministrare. Antecedens sumitur ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. vbi volens explicare institutionem sacrificij missæ ait. Christum in cęna nouissima, qua nocte tradebatur corpus suum, & sanguinem sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulisse, & subdit statim. Ac sub earumdem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit &c. Si ergo tunc constituebat, certum est non prius fuisse sacerdotes. Item si tunc dedit eis potestatem offerendi sacrificium per illa verba. Hoc facite &c. antea ergo non habebant, non erant ergo sacerdotes.

Conc. Trid.

Tertia coniectura est. Quia Apostoli non solum vngebant baptizatos, sed quoslibet, cum tamen hoc sacramentum solis baptizatis valide dari possit. Potest & quarta addi coniectura, huic similis. Quia Apostoli non vngebãt tantũ infirmos decumbentes, & in periculo vitæ constitutos, sed quoslibet.

Vnde Scot. Hoc sacramentum institutum fuisse probat ex illo Iacobi. 5. in quo hæc veritas catholica potissimum fundatur, vbi sic dicitur. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit

Scotus.

bit eum, etsi in peccatis est, dimittentur ei; Scio quod hoc testimonium deludunt hæretici negando primo hanc Iacobi Epistolam esse canonicam; sed nos id supponimus de fide certum, ex Ecclesiæ traditione, & consensu, & definitione Conc. Trid. sess. 4. secundo respondent ad varios, & falsos sensus verba detorquendo, vt late refert, & impugnat Bellar. supra c. 3.

Conc. Trid. Bellar.

Nobis autem ad veritatem confirmandam sufficit in primis verborum proprietas, deinde antiqua Patrum expositio. Nam in illis verbis continentur omnia, quæ sunt de ratione sacramenti nouæ legis. primo ritus externus sensibilis, materia, & forma constans. s. vnctione olei, & verbo, seu oratione sacerdotis. secundo designatur minister. s. presbyter. tertio subiectum. s. fidelis infirmus. quarto effectus cũ promissione gratiæ ad remissionem peccatorum, quod cum nõ possit intelligi de mortalibus, quia hæc non remittuntur per se loquendo nisi in Baptismo, vel pœnitentia, debet intelligi de venialibus, & alleuationem ægroti ordinatam, quæ omnia in sequentibus articulis explicabuntur.

Secundo probatur hæc assertio ex traditione, & definitione ecclesiæ, & in primis est celebre testimonium Innocen. I. in epist. ad Decent. ca. 8. vbi de hac vnctione exponit locum Iacobi. eandem veritatem docuit Innoc. III. in ca. vnico de sacra vnctione. vbi vnctionem visibilem de qua Iacob. locutus est, dicit esse signũ inuisibilis vnctionis interioris, atque adeo Sacramentum. Pontifices imitata sunt Concilia. Nam Vormatiense c. 72. verba Innoc. I transcripsit. Cabilonen. sub Carolo c. 48 eodẽ modo exponit locũ Iacobi, & subdit. Non itaque contemnenda est huiusmodi medicina, quæ animæ, corporisq; medetur languoribus. In Conc. vero Aquisgrã. 2. sub Lud. cap. 8. Præcipitur Episcopis vt in diœcœnæ oleum sanctum conficiant, quia in eo salvatio infirmorum esse creditur. Conc. Mogunt. præsidente Rabano. c. 26. agens de infirmis. Sacra inquit cum vnctione Dei animati secundũ statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiãtur. Expressius traditur hæc veritas in Conc. Senon. ca. de extrema vnctione, & in alio Conc. Mogun. c. 34. Flor. in decreto Eugenij. Trid sess. 14. in doctrina, & canonibus de hoc sacramẽto, vbi c. 2. locum Iacobi elegãter expendit, dicitq; eũ sensum ex Apostolica traditione per manus accepta ecclesiam didicisse. Attingens vero ibidem locum Marci solum ait apud Marcum fuisse sacramentum hoc insinuatum, vt intelligamus etiam ex mente Concilij non esse parem vim horũ testimoniorũ, immeritoque eũ a nos Auctores illa æquiparare.

Innoc. I.
Innoc. III.
Conci. Vor. Cabilonẽse.
Aquisgran
Moguntin
Senonense.
Florentinũ. Tridentinũ

Tertio probatur hæc veritas ex patribus, & primo auctoritate Dionysij 7. de Ecclesiast. Hierarchia parte 3 in fine, vbi loquens de hoc sacramento dicit. Ideirco sanctorũ sacra functio diuinas participationes largitur vtrique animæ quidem in vera eorum, qui ignorantur scientia, corpori vero per sacratissimum vnguentum, & per diuinæ communionis augustissima signa, totum sanctificans hominem, integramq; ipsius salutem operans, & resurrectionem denuncians. In quibus verbis loquitur de speciali vnctione infirmorum adhuc viuentium: nam plane significat dari homini ad sanctificationem totius, & ad animæ profectum licet in corpore fiat. Vnde illi satis clarerr buit sacramentalem efficaciam, illãq; cum communione coniungens, declarat illam esse vnctionẽ viuorum, & esse verum sacramentum. Secundo probatur ex D. August. lib. de rectitudine catholicæ conuersationis, & li. 2. de visitatione infirmorum, c. 4. vbi de hac vnctione loquẽs de ea interpretatur locum Iacobi, idem affirmant Chrisost. li. 3. de sacerdot. Cyrillus Hierosolymitanus catecheses. s. Mistagogice. Beda li. 4 in Marcum, c. 24 & Iacobi. 3. Bernardus in vita Malachiæ Episcopi circa finẽ vbi refert illum in fine vitæ hoc sacramentum postulasse. Quam curam omnibus viris sanctis fuisse constat ex Surio præsertim tomo 2. Item ex Alcuino lib. 4 de offic. ecclesiast cap. de cœna Domini.

Dionysius.
D. Augusti.
Chrisostom. Cyrillus Beda. Bernardus. Surius. Alcuinus.

Ad argumenta in oppositum respondetur, & ad primum dico. Vnctionis extremæ duplicem assignari posse effectum, vnum principalem, alterum accidẽtalem, siue vnum ex antecedenti, alterum ex consequenti, si primo modo nulla est ratio, si secundo modo debet concedi, sed nihil contra nos concludit.

Ad secundũ dicit Sco. ꝙ est vnũ sacramentũ vnitate integritatis, nõ vnitate indiuisibilitatis, sicut eius effectus nõ est indiuisibiliter vnus, quia nõ est remissio vnius venialis, sed vnus vnitate plenariæ remissionis omniũ venialiũ, vt oĩbus remissis nihil remaneat retardãs a perceptione beatitudinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum extrema vnctionis sacramentum sit a Christo Domino immediate institutum.

HAec quæstio difficultatem habet: nam inter Catholicos nonnulli negauerunt Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, ex quo plane consequebatur non esse verum sacramentum; sed ipsi consequens non admittebãt, quia putant posse esse sacramẽtum ab Apostolis institutum. Ita sentit Hugo de Sancto Victore li. 2. de Sacramentis. parte 15. c. 2. Quem sequutus est Magister sent. in hac d. Alex. de Ales 4. p. q. 8. m. 2 art. 1. Altisiodo. lib. 4. sum. tract. 7. c. 1. & D. Bona. hac d. art. 1. q. 2. Qui solum in eo fundantur, quod sacramentum hoc, non ex Euangelio, sed epistola Iacobi colligitur. Vnde dicit D. Bon. ꝙ Spiritus sanctus per Apostolos hoc sacramentum instituit; Quod autẽ hoc potuerit esse manifestum est, cum ipse sit Dominus præcipuus, sicut & Christus, & exemplo patet, quia Apostoli spiritu sancto dictante formam Baptismi a Christo institutam, & confirmatam ad tempus mutauerunt, quanto magis, quod Christus insinuauit instituere potuerunt? Et quod ita fuerit congruum manifestum est, si attendatur diuersitas sacramentorum.

Hugo. Magister. Ale. de Al. Altisiodor. D. Bonaut.

Quædam etiam sunt sacramenta communia legi veteri, & nouæ, quædam propriissima legi nouæ, quædam medio modo. Communia sunt illa, quæ sunt quodammodo ex dictamine naturæ, quod quia semper idem manet, illa sacramenta ab initio cucurrerunt, vt Matrimonium, & pœnitentia secundum quod Deo reconciliat, & hæc quidem Dominus Iesus consũmauit, & confirmauit in lege noua, non euacuauit. Quædam sunt propriissima legi nouæ, & hæc sunt, quæ signant gratiam in tali statu, quæ propriè conuenit legi nouæ, hæc autem duo sunt, cõfirmatio, & vnctio, vbi signatur gratia Spiritus sancti, secundum quam inungitur quis in pugilem, vt pro Christo aut certamen & in Regem, vt in regnum cœlorum possit intrare, tanquam in suum. Hoc est nouæ legis proprium, ideo in veteri testamento non habuerunt certam figuram hæc duo sacramenta. Et quia signant Spiritus sancti gratiam in abundantia, & spiritus sanctus abũdanter non fuit datus, donec Iesus fuit glorificatus, sicut dicitur Io 7. & ideo hæc duo sacramenta a Christo fuerunt insinuata, sed post a Spiritu sancto fuerunt instituta. Quædã sunt sacramenta media, quæ in ueteri lege non fuerunt in veritate, fuerunt tamen in figura, & significatione, sicut Baptismus, Eucharistia, & ordo; & quia Christus legẽ impleuit, & figuras euacuauit, hæc tria sacramenta per seipsum instituit.

Sacramentorum diuersitas.

His tamen non obstantibus dicendum est, sacramentum hoc fuisse a Christo Domino immediate institutum, hęc fuit semper communior Scholasticorum sententia in 4. d. 23. D. Thomæ, Scoti, Palu. Gab. & aliorum & nunc est definita in Conc. Trid. in particulari sess. 14. c. 1. de hoc sacramẽto, vbi ita legitur. Instituta est autem sacra hæc vnctio infirmorũ, tanquam vere, & proprie sacramentũ noui testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatũ, per Iacobum autem Apostolũ. & Domini fratrem fidelibus promulgatum, & cõmendatum, & in canone primo dicitur. Si quis dixerit extremã vnctionem non esse vere, & proprie sacramentũ a Christo Domino nostro institutum, & a B. Iacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum anathema sit.

D. Thomas. Scotus. Paludanus. Gabriel. Conc. Trid.

Confirmatur hæc conclusio ex doctrina superioris art. in quo determinatum est vnctionem extremã esse nouæ legis sacramentum euidenti consequentia in hunc modum. Omnia sacramenta nouæ legis sunt immediate a Christo instituta, sed vnũ ex his sacramentis est extrema vnctio, ergo &c. Maior patet ex Conc. Tri. sess. 7. can. 1. Si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quã septẽ, videlicet Baptismũ, Cõfirmationẽ, Eucharistiã, Pœnitẽtiã, extremã vnctionem, Ordinẽ & Matrimoniũ, aut etiam aliquod horum septẽ nõ esse vere, & proprie sacramentũ. anathema sit.

Conc. Trid.

Et confirmatur secundo, quia si ab alio, quã a Christo Domino fuisset institutũ, maxime ab Apostolo Iacobo, sed hoc non est cur dicatur: quia licet ipse solus illius fecerit mentionem, potuit aũt loqui nõ vt auctor sacramenti, sed ut Præco, Prædicator, & doctor, aut promulgator, vt dicit hic Scot. ad 1. Sed difficultas est quando fuerit hoc sacramentũ a Christo institutum, hoc enim est quod D. Bonauenturam maxime mouit loco supra citato: quia cum Euangelistæ nullã mẽ-

Scotus.

tionem

Christo Domino institutum.

tionem huius institutionis faciant, verisimile est Christum Dominum illam non fecisse, cur enim Euangelistæ omisissẽt rem adeo grauem, & ad ecclesiæ fundamentũ maxime pertinentem?

D. Thomas. Scotus.

D. Tho. q. 29. 3. p. dicit, quod nescitur, vbi Christus instituit sacramentum vnctionis. Scotus vero in 4. d. 2. q. 1. sub lit. D §. De extrema vnctione. verisimile putat Christum hoc sacramentum instituisse, quando misit Apostolos ad prædicandum: nam tunc instruxit illos, vt per olei vnctionem miraculose, & supernaturaliter infirmos curarent, non enim ausi fuissent Apostoli illo medio vti ad sanitatem conferendam, nisi a Christo edocti fuissent, & in virtute ac fide verbi illius id facerent: nam constat quod non faciebant nisi in virtute Christi, qui instituerat illam vnctionem virtuosam. Nõ enim putãdum est Apostolos curasse, & sanasse infirmos virtute naturali olei, aut id solum intendisse. Quid nanque opus illud ad doctrinam confirmandam contulisset? aut quomodo posset medium illud omnibus ægris indifferenter prodesse, & non multis nocere? Ergo sicut tunc instituit Christus illam vnctionem ad sananda corpora, ita credendum est instituisse in ratione sacramenti, cum non habeamus in Euãgelio indicium aliud huius institutionis. Et pro hoc facit, q illum locum Marci. 6. de hoc sacramento exponunt. Beda, Hieronymus, Theophylactus, Occumen. Euthymi. Albert. Magnus, Carthusian. Beanlxa. Harmo. tomo. 2. fol. 116. in fi. & ex eodem loco Marci id sacramentum probant Beda, Occumen. in Iacobi. 5. Idem Beda li. 3. in Lucam. c. 7. Petrus Damianus sermo. dedicat. Pius V. in Cathechismo Antedigma Concil. Colon. Valden. ca. 163. Castro, & Medices verbo vnctio, Petrus Soto lect. 1. de hoc sacram. Vict. §. 196. alias 213. Vnde non est cur Sotus hac d. q. 1. art. 1. §. Est ergo conclusio, dicat Bedam in hac re esse caute legendum, cum hæc sententia placuerit tot viris sapientibus citatis.

Beda. Hieronym. Theophyla. Occumen. Euthymius. Alb. Magn. Carthusia. Beanlxam.

Cæterum quia, vt diximus supra, probabilius est vnctionem Marci. 6. non fuisse sacramentum. Dicendum est ibi tantum insinuatam fuisse, Ioan. vero 20. institutam, & tributam fuisse Apostolis potestatem per hoc sacramentum remittendi peccata, & peccatorum reliquias. Nam ibidem, id est, Io. 20. data est vera potestas contra peccata, & institutus est Minister sacramenti pœnitentiæ, & extremæ vnctionis. Tunc enim institutum est sacramentum pœnitentiæ, vt docet Cõc. Trid. sess. 14. cap. 1. can. 6. & 10. sess. 6. cap. 14. & sess. 23. cap. 4. Quod sacramentum inchoauerat Matt. 10. dum leprosos clamantes misit ad sacerdotes, vt Patres aiunt. & ideo Trident. sess. 14. cap. 1. dicit præcipue instituit. Ita Ioan. 20. dedit complementum institutionis vnctionis, vt significat Chrisost. li. 3. de sacerdotio, & in Ioan. hom. 85. Cyrillus lib. 12. cap. 55. Quia per ly accipite spiritum sanctum exponunt potestatem remittendi, vt refert Bellar. li. 1. sacra. ca. 26. ad 2. Itẽ Cyrillus ibi, &c. 56. vt refert Bellar. li. 1. de penit. c. 10. & Trid. sess. 14. in proœmio dicit a patrib. vocari sacramentũ consummatiuũ pœnitentiæ cum tamen vnctionis institutionẽ inchoasset, & insinuasset Marci. 6. nam & Io. 20. fecit ẽt, vt ex officio essent ministri Baptismi, vt dicit ibi Cyrill. li. 12. in Io. c. 56. Chriso. ho. 85. in Ioan. & Hiero. Epist. 150. ad Edib. q. 9. quia similia verba Lucæ vlt. habentur, vt fatetur D. August. de consens. Euan. c. 25. Quem Lucam constat simul loqui de Baptismo, quod aduertunt Bellar. li. 1. de pœn. c. 10. & li. 1. de Romano Pontifice c. 12. Probabilius tamen est vt dicit Zaper ar. 3. cum Osiandro, & Iansenio, verba esse diuersa in sensu, & tempore. Nam Ioan. loquitur statim post resurrectionem, & de solo sacramento pœnitentiæ. Sed Marc. vlt. & Luc. vlt. in die Ascensionis de solo Baptismo. At saltem ab his Patribus habemus, quod Io. 20. institutus est per se minister trium sacramentorum, quæ ordinantur contra peccata. s. Baptismi, Pœnitentiæ, & extremæ vnctionis.

Conc. Trid.

Chrisosto. Cyrillus. Bellar. Sacramentum vnctionis institutum fuit Ioan. 20.

Cyrillus. Chrisost. Hieronym. August. Bellar. Zaper. Osiander. Iansenius.

Itaque plena huius sacramenti institutio consummata nõ fuit a Christo Domino ante resurrectionem suam, tamen sine dubio credendum est fuisse, consummatã ante Ascensionem, quia plene, & perfecte fundauit ecclesiã, priusquã ex hoc mundo discederet, ideoque omnia ẽt sacramenta prius pfecte instituit, vt in superiori tomo d. 2. q. 1. latius diximus.

Nec coniecturæ D. Bonauen. vrgent, quia non est necesse, q Euangelistæ omnia narrauerint, & quia satis fuit consummata gloria Christi post resurrectionem, etiam ante Ascensionem, Tum quia oportuit, vt prius quam Christus ad gloriam cõscenderet, & nos instrueret, & media institueret, per quæ nos ad ascendendum cum illo disponeremur. Ex quib. consequitur nõ esse vllo modo audiendũ Ioannẽ Eckium, qui non reputauit absurdum si quis sentiat sacramentũ istud ab Iacobo Apostolo, ex auctoritate Christi, & iussu Spiritus sancti fuisse institutum, etenim cum sit verum sacramentũ vim habens conferendi gratiam, non nisi ab ipso gratiæ Auctore Christo oportuit institui, vt definitum est in Concilio Trid. sess. 14. can. 1. de extrema vnctione. Iacobus autem vt diximus non instituit hoc sacramẽtum, sed promulgauit, imo si vera sunt quæ scribit Lindanus in sua Panoplia li. 4. ca. 96. antequam Iacobus epistolam illam scriberet, sacramentum istud fuit apud fideles vsitatum, ipsisque Apostolica prædicatione traditum, quare Iacobus nec rem omnino nouam fidelibus proposuit, sed id repetiuit, & inculcauit, quod ex recepto iam more faciendum erat, quod quidem si ita est intelligere oportet Iacobum fuisse primum, qui sacramẽtum istud scripto quidem promulgauerit, licet antea etiam viua voce Apostolorum promulgatum esset.

Io. Eckius.

Lindanus.

ARTICVLVS III.

Vtrum materia huius sacramenti sit oleum oliuarum ab Episcopo consecratum.

PRo explicatione huius art. videndum est primo, quid sit extremæ vnctionis sacramentum, deinde explicabimus, quidnã sit eius materia, quod titulus articuli postulat. Quo ad primum Suarez duplicem huius sacramenti refert definitionem vnam appellat Physicam, & alteram metaphysicam cum enim hoc sacramentum, sicut & cetera constet ex materia & forma, tanquam ex partibus Physicis, sic dicitur sacramentum hoc, esse vnctionem oleo benedicto factam in eis partibus corporis, vbi præcipue quinque organa sensuum vigent, sub præscripta forma verborũ. In qua definitione quãuis pars materialis ponatur loco generis, quia in rebus artificialibus solet materia de toto artificiato prædicari, ipsũ tamen sacramentum non est proprie vnctio, nec pro illa sola supponit, sed pro toto composito ex unctione, & verbis. Vnde proprius compositum ipsum poneretur loco generis, ita ut dicatur hoc sacramentum esse quoddam artificiale ex tali materia, & tali forma.

Suarez.

Aliter potest dari hæc definitio modo metaphysico ex genere, & differentia, nimirum, esse sacramentum nouæ legis ad confortandum seu alleuiandum in animo, & corpore fidelem grauiter ægrotantem, institutum, cuius definitionis genus satis constat ex dictis in primo art. vbi ostẽdimus hoc esse vnum ex sacramentis nouæ legis. differentia vero sumpta est ex verbis Iacobi. ca. 5. Et oratio fidei alleuiabit infirmũ, & si in peccatis est, dimittentur ei.

Alij vtranq; definitionẽ miscent dicentes, extremã vnctionem esse sacramentum ex sacra unctione olei, & prece sacerdotis confectum, & ad salutem mentis, & corporis ægrotantis hominis diuina institutione ordinatũ. At Sco. in hac q. ar. 2. sub litt. B. hoc sacramentũ in hunc modum definit. Extrema vnctio, est vnctio hominis infirmi pœnitentis facta indeterminatis partib. corporis cum oleo cõsecrato ab episcopo ministrata a sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione diuina efficaciter significans curationem finalem venialium.

Scotus.

Quo ad secundũ obser. est, q duplex est materia huius sacramenti. s. remota, & proxima. Materia remota ex communi omnium Theologorum consensu est oleũ; nã expresso nomine illam designat Iacob. dicens vngentes eum oleo. Hinc secundo ẽt est de fide oleum hoc debere esse oliuæ, sicut declarauit Conc. Flor. in decreto Eugenij dicens materiã esse oleũ oliuæ: nam oleum simpliciter dictum antonomatice inquit, Rich. hac d. ar. 1. q. 3. oleum de oliuis expressum dicitur, & secundũ Palu. q. 1. oleum oliuæ proprie est oleũ, & ad hoc facit auctoritas, & vsus Ecclesię. Quapropter sicut aqua Baptismi intelligitur esse aqua naturalis, & materia Eucharistiæ panis triticeus, ex vi & proprietate verborũ aquæ, & panis simpliciter sumptorũ, ita in præsenti ex vi vocis olei, intelligimus hoc debere esse oleum oliuæ, & hanc fuisse Christ. institutionẽ, quæ est prima radix huius necessitatis, ita ut nulla sit in ecclesia potestas dispensandi, vt ex alia materia fiat hoc sacramentum: quia illa, quæ ex Christi institutione sunt essentialia, immutabilia sunt. Quare hanc materiã nec Papa, nec ecclesia mutare põt. Vnde oleum nucũ non potest esse materia huius sacramenti, ex cuiuscunq; institutione nisi solius Dei, peccat ergo qui sciẽter admisceret huic materiæ aliquã liquorem, puta balsamum, vel oleum nucum, vel consimilem alterius speciei.

Materia extremæ vnctionis est duplex.

Conc. Flor.

Richard. Paludan.

An oleũ vnctionis extremæ debeat esse simplex. Paludan. Sotus.

Sed dubium est, an sit de necessitate huius materiæ vt sit oleum simplex, id est, non mixtum alio liquore: aliqui enim Theologi ita sentiunt præsertim Palud. d. 23. q. 1. ar. 1. ait debere esse oleum simplex ita vt si misceatur balsamum fit trãsgressio præcepti. Idem sentit Soto. eadem dist. art. 3. addens si tanta fieret mixtio alterius liquoris, vt formam, id est, extremam speciem olei tollat, non esse materiam.

Scotus.

Ego autem dico primo, per se loquendo ad conficiendum hoc sacramentum sufficere simplex oleum benedictum, & in hoc differre a confirmatione, in qua necessarium est chrisma confectũ ex balsamo, & oleo, vt suo loco diximus, & hoc probat testimonium Iacobi adiunctis Concilijs, simpliciter enim de oleo loquuntur, non est ergo necessaria mixtio balsami. Et rationẽ differentiæ tradit hic Scot. quia confirmatio, inquit, est ad confessionẽ, & confirmationem fidei, & ideo in confirmato non tantũ requiritur puritas conscientiæ, quam oleum significat; sed odor bonæ famæ, quem viuentes tenentur per bona opera, & exempla dare, de quibus admonẽtur fideles quando confirmantur, quem odorem balsamum significat, sed hic qui habet in breui exire de via ad terminum sufficit conscientia pura, quam oleum significat, ac propterea ex institutione simplex oleum traditum est.

Chrisma est sufficiẽs materia vnctionis extremæ

Dico secundo chrisma licet mixtionem balsami esse sufficientem materiã, & per se non esse contra Christi institutionem illa vti in hoc sacramento, immo videtur aliquando ecclesia vsa hac materia etiã ad ungendum infirmos, idque sumitur ex Epist. 1. Inno. 1. vbi post allatum Iacobi testimoniũ subdit, quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto Christiani vti possunt in sua, aut suorum necessitate inungendo. Concilium etiam

Conc Vorm.

Vormatiense eodem modo ait, sancto oleo chrismatis, & quod loquatur de proprio chrismate colligi potest ex illo verbo ab Episcopo confecto, illud enim participium confectũ mixtionem aliquam, & plusquam simplicem benedictionem significat.

Fabia. Papa

Item Fabianus Papa in Epistola 2. ait debere episcopos feria quinta in Cęna Domini sanctum oleum conficere in quo saluatio infirmorũ creditur, vbi aperte loquitur de oleo sancto, quo dabatur hoc sacramentum. Fabianus aũt dum refert Apostolicam traditionem docet ex Apostolorum traditione Chrisma ex oleo, & balsamo debere ab Episcopo per singulos annos in cęna Domini consecrari, & ex eisdem patribus, & Concilijs constat, chrisma simpliciter appellari, vt eque dici posse oleũ sanctum ab Episcopo benedictũ. Cum ergo habeamus ex Concilijs oleum ab Episcopo benedictũ esse materiam huius sacramenti, & chrisma sit oleum sanctificatum ab Episcopo, non est dubitandum esse sufficientem materiam. Et quamuis omne oleum sanctificatum soleat interdũ chrisma appellari, & in Pontificali Romano oleum infirmorum in sua benedictione ita vocatur, nihilominus tamen existimo secusa ecclesiæ prohibitione, nullum esse peccatũ vti chrismate proprio ad hoc sacramentũ perficiendum, & præsertim si aliud oleum simplex & sanctificatum deesset.

Dico tertio. Propria auctoritate non licere illi aliquid miscere absolute, & sine causa, vt constat ex doctrina communi de sacramentis, verum item est si tanta esset mixtio vt corrũperetur olei natura, imo etiam si communem vsum, & appellationem olei amitteret, ita ut licet non esset oleum substantialiter transmutatũ, tamen ita esset iam commixtũ, & condensatum, vt non oleum, sed mixtum aliquod artificiale, seu vnguentum censeretur, illud non fore materiam sufficientem: quia nec est oleum simpliciter, & vsuale; at vero si oleum maneat in vera natura, specie, & vsu olei, non repugnat institutioni, quod ex ordinatione ecclesiæ cũ parua aliqua mixtione alicuius liquoris, sicut vino consecrando miscetur aqua, & aquæ Baptismi parum salis, & hac ratione dicebam Chrisma posse sufficere, & aliquando fortasse] fuisse in vsu. Nunc autem quando ecclesia has materias, earumq; benedictiones distinxit, nõ esset licitum eas commutare, nec alio oleo in hoc sacramento vti prætequã illo, quod ad hoc munus ex ecclesiæ institutione consecratur.

Scotus.

Debet etiam hoc oliuarum oleum, vt sit huius sacramenti apta materia ab episcopo consecrari. Nam consecratio episcopalis (vt dicit Scotus) necessaria est ad hoc, vt sit materia apta, ita quod consecratio est de necessitate sacramenti, & ministri ex diuina institutione, quam ecclesia Catholica, Apo-

Victoria.

stolica traditione recepit, vnde non est audiendus Victoria, qui in summa de sacramentis n. 216. affirmat simplex oleum sufficere ex Christi institutione, ritumque benedicendi oleũ esse accidentarium ex ecclesiæ institutione, ideoque si prętermittatur etiam peccaminose validum nihilominus confici sacramentum, aliquando vero ex causa iusta, scilicet necessitate vrgente sine culpa posse ita confici: nam hæc sententia est contra omnes Theologos in 4. d. 23. & contra doctrinam, &

Conci. Flor. Tridentinũ.

sensum ecclesiæ, vt patet ex Concilijs Florent. & Tridentino, vtrumque enim dixit, materiam esse oleum per Episcopũ, seu ab Episcopo benedictũ. Quando autem Cõcilia assignãt materiam simpliciter, tantum ea ponunt, quæ sunt essentialia, vel substantialia, vt patet, tum ex absoluta appellatione,

Innocen. I.

tum ex doctrina, quam de alijs sacramentis traduot. Innoc. etiam Primus, qui expressius, quam cæteri patres huius sacramenti mentionem fecisse videtur in d. Epist. 1. ad Decen. c. 8. dicit ægros inungendos esse oleo sancto ab Episcopo con-

Conc Vorm. Aquisgran.

fecto, quæ verba vsurpauit Conc. Vormatien. c. 72. & Conc. Aquisgran. tit. 2. c. 8. dicit oleum sanctum conficiendum esse ab Episcopo: quia in eo saluatio infirmorum creditur, scilicet posita, quo verbo maxime significatur necessitas huius benedictionis, seu sanctificationis olei.

D. Thomas. Durand. Paludan. Scotus.

Hæc ergo veritas sufficienter nobis constat ex traditione, etiam si non sit in scriptura euidenter expressa, de ratione autem seu congruentia, disputant D. Thomas. Duran. Palud. & alij. hac dist. Scotus vero hanc assignat congruentiam: quia communiter in sacramentis consistentibus in vsu, solus Baptismus non requirit materiam specialiter consecratam: quia Christus tactu mundissima carnis suæ, quando voluit a Io. baptizari, totam aquam consecrauit, id est, in vsum istum de-

Oleum vnctionis extremæ debet esse ab Episcopo benedictũ

dicauit. Ratio autem a priori diuersitatis sanctificationis materiæ huius sacramenti, & non alterius est diuina voluntas ad nos deriuata per doctrinam Apostolicã, adeo quod Christus sua institutione determinauit, vt materia esset oleum benedictum, nec potuerunt Apostoli, nec ecclesia hunc ritũ immutare, imo nec dispensare: quia in his, quæ sunt de substantia sacramentorum non potest ecclesia dispensare. Duo tamẽ in hac benedictione distinguere oportet. scilicet eum a quo danda est, & modum quo danda est. Quo ad primum existimo esse a Christo Domino in particulari præceptũ, quidquid Palu. Duran. & alij sentiant, qui certe non consequenter loquuntur. Nam Concilia eodem modo dicunt oleum ab Episcopo benedictum esse materiam, ergo totum hoc est de substantia talis materiæ, & sacramenti, ergo totum est ex Christi institutione, vtraque consequentia ex dictis patet, & antecedens in terminis est Concilij Floren. & Triden. & sumitur ex alijs decretis citatis. Vnde sequitur per dispensationem Papæ nõ posse inferiori sacerdoti cõmitti, vt oleum illud benedicat, quod futurũ est materia huius sacramenti: quia in substantiali materia non cadit dispensatio, & Christus ex vi institutionis determinate postulauit oleum ab Episcopo benedictum.

Paludan.

Palud. in d. 23. q. 1. ar. 1. concl. 3. dicit, quod ex constitutione ecclesiæ est, & non ex ordinatione diuina, quod oleum sit ab Episcopo consecratũ, & cum humana constitutio subest ordinationi Papæ, posset Papa cõmittere sacerdoti simplici, quod omnem materiã cuius sanctificatio requiritur ad vsũ sacramenti sanctificaret, & benediceret, ex quo sequitur, quod olei consecratio est de necessitate sacramenti, sed quod sit consecratũ ab episcopo est ex institutione humana, & de necessitate ministri. Vnde Doctores qui putant sacerdotem posse consecra-

Caietanus. Paludan. Victoria. Scotus.

re chrisma confirmationis ex cõmissione Papæ, vt Caie. 3. p. q. 72. ar. 3. Palu. d. 7. q. 4. Idem potiori iure admittunt de oleo vnctionis, atq; ita Episcopi benedictio est de pręcepto, sed nõ de necessitate materiæ si Papa dispensat. Vict. §. 200. alias 216. & Sco. d. 7. q. 1. §. Materia aũt remota, Concilia autem explicant id, quod consuetum est absq; dispensatione, vide quæ diximus in 1. tomo d. 7. quæst. 1. de materia Confirmationis.

Modus autem huius benedictionis non fuit definitus, vt omnes docent, vnde omne oleum, de quo vere dici potest esse ab Episcopo benedictum est materia sufficiens, quia hãc solam Christus instituit, vt patet ex Concilijs Florent. & Trident. & fieri nullo modo potest, quin materia a Christo instituta sufficiat, vnde licet Episcopus mutaret modum benedictionis ab ecclesia designatum, si tamen ea mutatione non obstante vere, & in re ipsa illud oleum benedictum maneret, esset materia sufficiens, & hæc de materia remota huius sacramenti.

Quo

Scotus.

Quo ad materiam proximam, quæ est vnctio facta ex oleo ab Episcopo benedicto, vt docet Scotus in hac q. sub litt. D. §. Ista ratio posita cauenda est quorundam sent. qui asserebant vt referunt D. Thomas. Bona. & alij in 4. d. 23. Sacramentum hoc esse ipsum oleum ab Episcopo benedictum, vnctionem, autem eius tantum esse vsum sacramenti iam confecti, quam merito, vt improbabilem reijciunt, quia nullũ Sacramentum consistit in facto esse, aut habet esse permanens nisi Eucharistia, vt ex doctrina de sacramentis in genere constat. Cuius ratio est: quia per consecrationem Eucharistiæ ipse auctor gratiæ sub speciebus panis efficitur, & significatur, per benedictionem autem olei nulla gratia significatur, neque datur, vnde illa sacramentale quoddam est non sacramentum. Deinde forma essentialis huius sacramenti nõ esset, quam concilia præscribunt, id est, quæ profertur in ipso vsu, & vnctione, sed esset oratio illa, quam Episcopus dicit cum oleum benedicit, & consequenter minister proprius huius sacramenti non esset presbyter, sed Episcopus, quia ad illum solum pertinet olei benedictio. Sit ergo certum, sacramentum hoc consistere in ipso vsu, & olei benedictionem solum esse quandã materiæ præparationẽ seu confectionem.

D. Thom.
D. Bonaud.

Ex quo concluditur materiam proximam huius sacramẽti esse vnctionem ex oleo factam, quod optime probat verbũ Iacobi. Vngentes eum oleo. Duo autem de hac materia explicanda sunt, scilicet qualitas & quantitas; quo ad qualitatem inquiri potest, an oporteat fieri vnctionem in figura crucis? Dico hoc non esse de necessitate huius sacramenti. nã Conc. Flor. solum indicat vnctionem per modum crucis esse necessariam in confirmatione, quia in forma illius sacramenti exprimitur cum dicitur. Signo te signo Crucis, at hic nihil huiusmodi interuenit. Nã in forma simpliciter dicitur. Per istam sanctam vnctionem. Nec etiam videtur hoc signũ esse de necessitate præcepti saltem sub culpa graui secluso contẽptu, aut scandalo, quia nullum est expresse latum præceptũ de hac re. & de consuetudine non constat sub hac existimatione esse introductam, & præterea materia ex se non est grauis. Quare si ea iusta causa omittatur, vt breuius, vel securius agatur, nullum erit peccatum, regulariter vero id magis piũ est, ideoque debet obseruari, & fieri. vide Ledesm. 2. p. 4. q. 21. art. 8.

Non est necesse vt vnctio fiat per modũ Crucis.

Ledesma.

Quo ad quantitatem. Conc. Flo. numerat septem vnctiones, quibus perficiendum est hoc sacramentum. s. in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentẽ. Hic vero numerus vnctionum dici potest veluti discreta quantitas huius materiæ. De singulis vero vnctionib. inquiri potest quanta esse oporteat vnamquamq; seu cuius magnitudinis. In hoc vero immorari non est necesse; quælibet enim sufficit etiam si minima sit, dummodo veram rationẽ vnctionis attingat iuxta communem loquendi modũ; non enim est satis vnicam guttam olei stillare, quia id non est vngere, vel certe est res aliquo modo dubia, sed oportet partem corporis oleo lenire aliquod per istam diffundẽdo, hoc enim est proprie, & in rigore vngere.

Septẽ vnctiones sunt in vnctione extrema.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc verba. Per istam sanctam vnctionem &c. sint forma huius sacramenti.

PRo explicatione huius art. obser. est primo, aliquam verborum formam esse de essentia huius sacramenti, & in hoc nulla est controuersia inter catholicos, sed cum solis hæreticis, contra quos sufficiunt nobis definitiones Conci. Flor. & Trident. & quæ in superiori tomo de sacramentis in genere diximus. Ex quibus etiam certũ est, aliquam verborum formã esse determinatã iure diuino, atq; ita essentialẽ huic sacramento, vt sine illa confici nullo modo possit, hoc enim generale est omnibus sacramentis nouæ legis, & in particulari significant dicta Concilia de hoc sacramento, & ex dictis de illius institutione colligitur: Si enim Christus Dominus non præscripsisset certam verborum formã, non plene, nec definite instituisset essentialem ritum huius sacramenti, sicut in simili de materia dicebamus. Quo circa cum Victoria in summa sacramen. n. 201. & Naua. in Man. c. 22. nu. 13. dicunt posse ecclesiam mutare formã huius sacramenti, sano modo intelligendi sunt, videlicet posse Ecclesiam mutare, aut materiam verba seruato eodẽ legitimo sensu, aut aliqua verba, quę non sunt de substantia, sed ad ritum accidentalem pertinent.

Forma sacramẽti vnctionis quæ sit.

Victoria.
Nauar.

Secundo obser. est, quod tres referuntur formæ huius sacramenti Vna indicatiua, alia deprecatiua & tertia ex vtrisq; cõposita. Prima tempore D. Ambrosij fuit in vsu in Ecclesia Mediolanensi, quæ erat talis, vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen aereas possis superare potestates, ita refert D. Bon. d. 23. p. 1. ar. 1. q. 4. & alij ibi. Similemque formam refert ibi Palaci. ex libro sacramentali Venetorum approbato, vt ibi dicitur a Leone X. Vngo te oleo sancto, vt hac vnctione protectus, fortiter stare valeas aduersus aereas cateruas in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ecclesia autem Romana vtitur illa forma per hanc sacram vnctionẽ, & suam piissimam misericordiã, indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per visum &c. vt patet ex dictis Concilijs, & vsu, ex quo sequitur (dicunt aliqui) hanc formã non habere determinationem ex iure diuino. Tertia forma ex vtrisq; cõposita est talis, Vngo hos oculos, vt per istam sanctam vnctionem &c.

Tres referũtur formæ sacramenti vnctionis.

D. Bonaud.
Palacios.

His obseruatis respondetur ad quæst. vnica cõclusione. Licet sacramenti extremæ vnctionis plures reperiantur formę, attamen non prima, sed secunda tanquã tutiore & congruentiore, ac quandoq; tertia Romana vtitur ecclesia a B. Petro ea in re, vt pie creditur satis edocta. prima pars huius cõclusionis patet ex secundo notabili, & secunda pars facili probatur contingentia. Quod aũt sit tutior probatur: quia de prima multi dubitant, an sit forma determinata & per se sufficiens. de secunda autem nullus dubitat, quam B. Petrus non dedit, sed docuit, & B. Iacob. eam tacite insinuauit cum dixit Et orent super eũ Imo D. Tho. in 4. d. 23. q. 1. ar. 4. & D. Bon. q. 1. ar. 4. Capreolus, Sotus & alij, affirmant ita esse necessariã hanc formam, vt solum indicatiuũ verbum sine formali deprecatione non sufficiat, & fauent mirũ Conc. Flor & Trid. & confirmatur ratione. Nã duæ formæ non possunt esse per se, & sigillatim sufficientes ad constitutionem vnius sacramẽti, nisi sint æquiualentes in sensu, si ergo forma deprecatiua sufficiens est, indicatiua sola non sufficit, quia non habet æquiualentẽ sensum, q aũt forma deprecatiua sit sufficiens fundatur in traditione ecclesiæ Romanæ, quam impossibile est decipi, in his præsertim, quæ pertinent ad substantiam sacramentorũ, vt dicitur in c. ad abolendã de hæreticis, vbi dr. Qui de ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere nõ metuunt, quã sacrosancta Ecclesia Romana prædicat, & obseruat vinculo perpetui anathematis innodamus. Sed ecclesia Romana vtitur illa forma tanquã necessaria de necessitate sacramenti, & ministri ad hoc sacramentum. ergo tutior. De illis autem varijs formis dicendũ est eã, quam ecclesia retinet continere substantialem formã huius sacramenti. Vnde oẽs aliæ formæ, quo ad substantialem sensum, vel sunt reducendæ ad formã ecclesiæ Romanæ, vel aliquid eis addendum est, seu additũ semper fuisse credendum est, quo prædictus substantialis sensus perficeretur. Nã vt dicit D. Tho. credendũ est nullam ecclesiã vti solis illis verbis indicatiui modi, sed præmittere illa ad explicandã actionem, & intentionẽ ministri, postea vero subiungere deprecationem, q etiã significauit Alber. & Dur. et hoc modo interpretari conatur vsus Ecclesiarũ. Et supplemẽtum Gabr. d. 23. q. 1. dicit, q si qui vtuntur forma tertia ex vtrisq; cõposita uerba indicatiua nõ sunt forma, neq; de essentia formæ, sed quædã dispositio, & exhortatio ad formã, insinuantur intentio ministri determinatur per illa uerba ad huius, uel illius mẽbri unctionem, & Palu. dicit q nulla illarum formarũ est ab ecclesia prohibita, ideo obseruãda est consuetudo ecclesiæ huius, uel illius, hoc saluo q semper fiat inuocatio Trinitatis sub signo crucis, de consecr. dist. 5. c. nunquid. ubi dicitur quod omnia sacramenta Crucis signaculo perficiuntur. Verũ respiciendo textum, uidetur solum loqui de sacramentis, quæ chrismatis unctione perficiuntur.

D. Thomas.
D. Bonaud.
Capreolus.
Sotus.

D. Thomas.

Albertus.
Durandus.
Suple. Gab.

Paludanus.

Quod aũt sit congruentior docent D. Tho. & D. Bon. primo, quia suscipiens hoc sacramentũ est proprijs uirib. destitutus, ideo oratione est releuandus. Secundo quia datur excũtib. de hoc mundo, quia iã desinunt esse de foro ecclesiæ, & in manu solius Dei relinquuntur, ideo indigent intercessione apud Deũ, & sunt Deo per orationes fidelium cõmendandi. Tertio quia p istã formã exprimitur actus sacerdotis vngentis, intentio ministri, effectus sacramenti, infirmus indigẽtis, Auctor effectus sacramenti, & oratio ecclesiæ deprecatoria.

D. Thom.
D. Bonaud.

Sed circa hanc formam sunt aliqua dubia. Primum est, an oporteat in hac forma explicare materiam remotam ex qua fit talis vnctio, sicut in Confirmatione dicitur. Confirmo te chrismate. Respondeo hoc non esse de necessitate huius formæ, nec de substantia Sacramenti, nec de præcepto, quod patet ex forma, qua vtitur Romana Ecclesia. nam solũ dicit, per istam sacram vnctionem &c. nulla facta mentione olei, ergo certum est hoc non esse de substantia, neq; de præcepto. Item in Baptismo non est necesse explicare materiam remotam. s. aquam in forma, nisi quatenus continetur in verbo abluendi, ergo neq; hic est necesse explicare materiã olei, nisi quatenus in voce vnctionis inuoluitur, præsertim cũ sit sermo in particulari de ista sacra vnctione. Nec est simile de Confirmatione: quia in Sacramento Confirmationis occurrit specialis occasio declarandi materiam chrismatis: nã sine illa verbum confirmo, aut signo non satis explicaret materiã proximam, seu actionem ministri, quæ fit per modũ vnctionis propriæ illius Sacramenti, quod secus est in præsenti: nã verba illa, per hanc sacram vnctionem, sufficienter declarãt materiam proximam, & actionem ministri.

In forma non est necesse explicare materiam remotam.

Secundum dubium est, An singulæ illæ particulæ. s. istam, & sacram sint essentiales, vel sufficiat dicere per istã vnctionem, vel vngendo te, parcat tibi Deus, & videtur quod sic, quia formæ sacramentorum semper debent exprimere actionem, seu efficaciam ministri. Sed dicendum censeo verius esse fortasse has mutationes non esse substantiales, quãuis omnino cauendæ sint, quia non fierent sine graui culpa, tum propter dubium, & periculum, tum propter ecclesiæ consuetudinem. Idemq; dicendum existimo de illa particula, & per suam piissimam misericordiam, per quam declaratur virtus diuina, quæ principaliter in hoc Sacramento operatur, & in quam nititur deprecatio, quæ per hanc formam fit, vt D. Th. vbi supra q. 3. declarauit, Indicatq; illam particulam esse de substantia formæ; Sed mihi incertum est, an in re illa particula sit substantialis; quia explicari in forma principalẽ causam effectus sacramentalis non solet esse de substantia sacramenti, nisi vbi inuocatio Trinitatis ob specialem aliquam rationem est necessaria, necessarium est tamen sub graui culpa particulam illam non omittere, ne a communi consuetudine ecclesiæ recedatur, & vt omne periculum, & dubium vitetur.

Qua verba sint de essentia forma.

Tertium dubium est. An reliquæ particulę, quibus significatur effectus huius Sacramenti sint de substantia huius formæ. Et in primis est dubium. Cur potius petatur remissio peccatorum, quã aliquid aliud, dico breuiter illud exprimi, quia vel inter effectus huius sacramenti ille est præcipuus, vel ne finis præcipue intentus in hoc Sacramento propter peccata impediatur.

Secundò dubitari potest de inuocatione Trinitatis, quam aliqui addere solent in fine omnium verborum, an sit de necessitate huius formæ. Palud. vbi supra, & Angelus verbo vnctio extrema. nu. 2. saltem esse necessarium ex præcepto asserunt. Sed nulla est talis necessitas, quia neq; hoc Sacramentum est professio fidei sicut Baptismus, neque in hoc Sacramento occurrit aliqua specialis ratio inuocandi Trinitatem in forma, imo si bene attendatur modus deprecatiuæ formę non bene illi accõmodatur, denique neque in Concilijs hoc declaratur, neque in cæremoniali Romano, neque etiam cõmunis consuetudo id habet, nullum ergo fundamentum est ad asserendam talem pręcepti obligationem.

Inuocatio Trinitatis nõ est de necessitate huius formæ. Paludan. Angelus.

ARTICVLVS V.

Vtrum solus homo baptizatus, ratione vtens, pœnitens, & infirmus, possit hoc recipere Sacramentum.

EXplicata essentia huius sacramenti, superest dicendum de causis, & effectibus eius, incipiẽdo a causa materiali, causam autẽ materialem hic voco non materiã, ex qua sacramentum conficitur, hæc. n. est iam expedita, sed subiectũ in quo sacramentum recipiendum est; illud. n. per modũ materię in qua, vel circa quam ad totũ sacramentum comparatur, & ab illo sacramentũ in suo esse pendet. hæc autem materia, seu subiectum duplex est, nimirum totale, integrum, & aliquo modo remotum, quod est ipsa persona, & propinquũ, quod est pars talis suppositi. In præsenti art. de subiecto remoto & totali est sermo, in sequenti vero de propinquo, & partiali.

Subiectũ extremæ vnctionis est duplex

De subiecto remoto in hoc ar. quærimus quatuor. Primo an solus homo baptizatus possit hoc recipere Sacramentum. Respondetur primo solum hominem viatorem, atque adeo in hac mortali vita degentem esse capacem huius sacramenti, hoc constat ex principio generali de sacramentis in genere. Sacramenta enim pro viatoribus instituta sunt, qui sunt capaces medicinæ, vel augumenti gratiæ, non pro alijs, qui iam sunt in termino. Hinc docent Theologi omnes, si infirmus iam sit mortuus, vngendum non esse cadauer eius, iam enim non fiet sacramentum, nec illa vnctio quidquam animæ proderit. Vnde vnctio illa, de qua Dionysius in fine libri de Eccles. Hierarch. quæ circa corpora fidelium defunctorum fieri solebat, vt ad sepulcrum præpararentur, sine dubio non erat hoc sacramentum, neq; aliud. sed cæremonia aliqua pia, quæ a fidelibus tunc retinebatur. Vnde vlterius infertur, an fidelis vere sit mortuus, nec potest veritas omnino explorari, & merito timetur, ne dum exploratur veritas, moriatur; dari posse, & debere hoc Sacramentum sub conditione, aut verbis expressa, aut mente concepta. Si non es mortuus. Et in hac doctrina omnes Summistæ, & Theologi conueniunt.

Solus Baptizatus est capax vnctionis extremæ.

Dionysius.

Dico secundo hoc sacramentum tantum dari posse homini baptizato, hoc patet ex generali principio de baptismo, & sacramentis in primo tomo. vbi ostendimus Baptismum esse ianuam Sacramentorum, eiusque characterem comparari, vt potentiam passiuam ad receptionem sacramentorum omnium, quare indubitatum est hoc esse de substantia sacramẽti. Ex quo sequitur sub forma verborum factam a sacerdote circa hominem non baptizatum in re ipsa, etiam si sit baptizatus in voto, & catechumenus, fidelis, ac iustus inanem, nullumque sacramentum esse, aut effectum eius habere. Vnde Concilium Triden. sess. 14. in principio, de hoc Sacramento ait, esse consummatiuũ pœnitentię, & totius Christianæ vitæ, supponit ergo necessario Christianam vitam inchoatam, at hæc inchoatur in Baptismo, vt constat.

Conc. Trid.

Secundo quæritur an solus ratione vtens sit capax huius Sacramenti. Dico primo quod infantes (quicquid dicat Maior hac d. q. 2.) non sunt capaces huius sacramenti: quia sicut isti infantes non sunt capaces pœnitentiæ, ita neque huius sacramenti, quod est consummatiuũ pœnitentiæ, vt dixit Concilium. Item quia in illis nondum est Christiana vita inchoata, quia hæc vita iuxta Concilij mentem in rationali actione consistit, subdit enim quæ, scilicet vita, perpetua pœnitentia esse debet. Tandem id patet ex fine huius sacramenti ab ipso Concilio declarato; institutum enim est propter luctam, & grauissimas tentationes articuli mortis, quarum nõ est capax infans, quia nec tentari potest, nec resistere. Denique hoc sumi potest ex verbis Iacobi. Dum enim ait si in peccatis est, dimittentur ei, aperte loquitur de actualibus peccatis, supponit ergo hominem vngendum debere esse capacem actualis peccati; Item dum ait infirmatur quis in vobis inducat presbyteros ecclesiæ, significat ipsummet infirmum debere petere hoc Sacramentum, vel eius susceptioni consentire, quæ facere non potest nisi qui ratione vtitur. Hæc omnia colligit D. Bona. ex serie verborum D. Iacobi, cum inquit inducat presbyteros &c. Et si in peccatis est &c. hoc autem. s. inducere, pęnitere, & in peccatis actualibus esse est solum adultorum.

Infantes nõ sunt capaces huius Sacramenti.

D. Bonauẽ.

Dico secundo, quod illi, qui nunquam rationis vsum habuerunt, vt perpetuo amentes, qui infantibus comparantur quo ad omnia, non sunt huius sacramenti capaces, hæc conclusio patet, omnia enim, quæ procedunt de infantibus, procedunt in illis, qui nunquam rationis vsum habuerunt.

Perpetuo amentes non sunt capaces huius sacramenti.

Et si dicatur in infantibus & amentibus, sunt reliquiæ peccati originalis, contra quas etiam hoc sacramentum datur. Item mortis periculum, vnde potest hoc sacramentum eis esse vtile ad sanitatem corporis recuperandam, ac denique ad augumentum gratiæ obtinendum. Respondetur, quod hoc sacramentum non datur directe contra reliquias originalis peccati, nisi inquantum auctæ sunt per peccatum actuale, & ideo licet in pueris, & perpetuo amentibus reperiantur infirmitates, non tamen ex actuali, sed originali peccato dumtaxat causatæ. Item hoc sacramentum non tollit reliquias peccati originalis in se, seu radicaliter, sed per auxilia spiritualia confortando animum ad superandam debilitatem ex peccato illo contractam, infantes vero non sunt capaces huius remedij vt per se constat. Sanitas autẽ corporis non est effectus primarius, sed secundarius huius

sacra-

sacramenti, qui cessat cessante primario, vnde propter illud solum non est dandum hoc sacramentum, maxime cum infallibilis non sit. Augmentum vero vel infusio gratiæ est generalis effectus sacramentorum, qui per singula sacramenta non datur, nisi vt coniunctus propriis effectibus ipsorum sacramentorum, & ideo vbi non est capacitas primarij, ac proprij effectus nec est capacitas sacramenti, nec effectus cõmunis sacramentorum, quatenus per tale sacramentum conferendus est.

Furiosi & amentes qui lucida habẽt interualla possunt & debent vngi.

Dico tertio, quod furiosi & amentes si lucida habeant interualla, & eorum conualescentia speratur, non debent inungi, sicut nec baptizari, si autem non speratur conualescentia; & præsumantur per præcedentem voluntatem voluisse inũgi, potest eis hoc sacramentum conferri. Pro explicatione huius conclusionis obstat, quod diuersum est id, quod sufficit ad substantiam sacramenti, ab eo, quod necessarium est vt honeste, & recte ministretur. Vt n. valide hoc sacramentum ministretur non est necesse, vt qui illud recipit, tunc sit sui compos, aut habeat vsum rationis, satis enim est (vt sapienter hic dicit Scotus) quod aliquando habuerit, & peccare actualiter potuerit, quantũ est ex parte vsus rationis, quodque susceptioni huius sacramenti sufficientem consensum præstiterit ratio est: quia ad substantiam huius sacramenti, & vt persona absolute sit capax illius, sufficit quod fuerit capax peccati actualis, deuotionis, tentationis, & resistentiæ, & fiduciæ in Deum, quod vero hic, & nunc sit impeditus, ne hos actus exercere valeat per accidens est, ideoque non est contra substantiam sacramenti. Imo dicit Palud. quod si non speratur conualescentia, nec etiam in sanitate constituti petierunt sibi hoc sacramentum dari, si non sint excommunicati, nec ante lapsum fuerint vitæ prauæ, sed bonæ, præsumi debet, quod non fuerunt immemores salutis propriæ, sed si præuidissent hũc statum futurum petiuissent, aut voluissent sibi tunc vnctionem dari, & ita præsumi debent, quod petierint, & voluerint inungi saltem habitum, & secundum mentis præparationem. Et in hunc sensum dicunt fere omnes Doctores, quod licet ad recipiendum hoc sacramentũ necessaria sit intentio, seu petitio recipientis, iuxta illud Iacobi. 5. Inducat Presbyteros Ecclesiæ, non tamen semper sit formalis necessaria, sed virtualis, seu interpretatiua sufficiat.

Scotus.

Paludanus.

Quamuis autem hæc ad substantiam sacramenti sufficiãt, ministri tamen huius sacramenti curare debent, vt detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, & cognoscere possint quid circa eos agatur, & ad deuotionem & fiduciam per ipsum sacramentum valeant excitari, quoties tamen casu accidit infirmum prius amittere vsum rationis, quam vngatur, tunc sine culpa vngi potest. obseruandum tamen est, vt sacramentum non sine aliqua indecentia, aut immunditia, aut quid simile ministretur, quod dico propter furiosos, & amentes, in quibus maxime potest hoc periculum intercedere, quare si facerent irreuerentiam sacramento, cũ hoc sacramentum non sit necessitatis simpliciter, cautius eos non forte inungendos tunc. Palud. tamen reprobat probabile, quod tales furiosi deberent ligari, & inungi: quia de per accidens extrema vnctio potest esse de salutis necessitate, vt si quis est solum attritus, & non contritus nec confessus, nec potest confiteri, tunc in hoc casu cæteris paribus furiosus debet inungi, licet nesciat quid sit, & sufficit deuotio præcedẽs; quia sic inunctus ex attrito, fit contritus. Nam hoc sacramẽtum facit de attrito contritum, quoties suscipiens de nouo non peccat in illius susceptione, sed ille recipiens non peccat de nouo: nam ratione talis status est incapax noui peccati, & alias supponitur attritus, ergo fiet contritus virtute sacramẽti; ergo digne illi tribuitur; quod vtique verum est, quando id fieri potest sine indecentia, vel immunditia, semper enim reuerentia sacramenti præferenda est priuatæ vtilitati alicuius personæ. Ad prudentiam vero ministri spectat ponderare, quanta illa sit, quantumque cauenda.

Paludanus.

An præcise pœnitens sit inungendus.

Tertio quæritur, an præcise pœnitens sit inungendus. Sẽsus dubij est, an sit de necessitate huius sacramenti, vt suscipiens aliquando actualiter peccauerit, & ratio dubitandi sumitur ex verbis formæ. Remittat tibi Deus quicquid peccasti per visum &c. quæ manifeste supponit actuale peccatũ. Vnde propter hanc præcipue causam pueri, & perpetuo amentes non sunt capaces huius sacramenti: quia cum non sint capaces peccati actualis, non potest super illos forma vere proferri. Beatissima etiam virgo non fuit capax huius sacramenti, quia non fuit capax actualis peccati: signum est ergo neminem esse capacem huius sacrame[illegible] qui actualiter peccauit. Tandem hoc sacramentum [illegible] est per modum medicinæ animæ, quam [illegible] ergo sicut supponit infi[illegible]tatem corporis, ita eti[illegible]

His tamen [illegible] obstantibus. Dico [illegible] sacramentũ dari posse eti[illegible] qui nunquam act[illegible] peccauit. Et ratio est, quia ne[illegible] verbis Iacobi, neque ex aliquo concilio, neque ex [illegible] materia huius sacramenti, neque ex fine eius colligi potest necessitas huius conditionis, & alioqui effectus [illegible] huius sacramenti [illegible] locum habet in eo, qui [illegible] actualiter peccauit, ergo & ipsum sacramentum: [illegible] quo ad singulas partes. Nã Iacobus solum [illegible] in peccatis est, dimittentur ei, quæ verba non supponunt [illegible] necessario peccatum [illegible] conditionalis nihil ponit in esse, sed ad summum supponit possibilitatem peccandi Concil. item [illegible] & Trident. [illegible] hoc nihil addunt his, quæ Iacobus explicauit. Forma [illegible] iuxta verba Iacobi intelligenda est [illegible] conditionaliter [illegible] potentialiter. Ignoscat tibi Deus, quid [illegible] peccasti id est si quid peccasti, vel quidquid solet per [illegible] peccati, sicut dicemus de illo, qui semper caruit aliquo [illegible] per quem peccare nõ potuit. Ex materia vero clarum [illegible] posse colligi, quia licet vnctio significet curationem [illegible] & [illegible] videatur animæ ægritudinem supponere, non tamen [illegible] necessario, præter eam, quam [illegible] resistendum tentationibus dæmonis [illegible] præcipue in mortis articulo, & adiuncta debilitate corporis [illegible] morbo prouenientes. Vnde neque ea fine aliquid [illegible] quia vnctio [illegible] principalibus finib. huius sacramenti est [illegible] infirmum in eo articulo contra Dæmonis insidias [illegible] athletam ad pugnam, hoc etiam subsidio indiget [illegible] homo qui nunquam peccauit. Minor autem principalis argumenti [illegible] dictis probata relinquitur; quia ille etiam [illegible] nunquam peccauit actualiter de se est debilis, & infirmus [illegible] originalis peccati, vel reliquiarum eius, & ægritudinis ad superandas dæmonis insidias. ergo non solum est capax propter auxilium huius sacramenti, sed etiam illo maxime indiget, præterquam quod gratiæ sanctificantis augmentum accipiet, & ad ingressum gloriæ perfectius præparabitur.

Conc. Florẽt. Tridentinũ.

Verum est tamen, quod si interdum actualiter peccauit, antequam hoc sacramentum suscipiat debet peccatorum pœnitere; quia nullus est capax huius sacramenti digne, (vt dicit Scotus) nisi sit in gratia, istud enim sacramentum non est remedium acquirendi primam gratiam, quia ad hoc sunt tantum baptismus & pœnitentia, si autem est in peccatis venialibus, debet eorum saltem in generali pœnitere, alioquin si actu placeret fictus esset, & non conuenienter dispositus ad susceptionem sacramenti.

Scotus.

Ex his autem satisfactum videtur rationibus dubitandi in principio positis. Nam ad illud de forma iam dictum est quomodo potest intelligi conditionaliter, vel sic indulgeat tibi Deus &c. id est conferat tibi gratiam ea se remittentem omnem culpam si adsit, & confortantem contra reliquias eius si necesse sit. Ad illud vero quod de B. Virg. attingebatur quamuis Palud. d. 23. quæst. 3. art. 2. num. 5. & supplemẽtum Gabr. quæst. 1. art. 3. dub. 1. in princ. Victor. §. 205. negent de facto recepisse vnctionem: quia de facto morbum de se lethale non habuit, & quia in portione superiori aiunt quidã habuisse effectum iustitiæ originalis cum plenitudine gratiæ, & luminis, & ita confirmata, vt in sensu composito peccare non posset, tamen hæc non impediunt, quin in via vt habuit libertatem ad meritum, ita auxiliis indiguit, quib. pugnaret contra tentationes extrinsecas a Diabolo oblatas, qui maxime tentare solet tempore mortis; & quamuis non indigeret remedio vnctionis, potuit illo frui ad augmentũ gratiæ, & maiorem vigorem contra debilitatem naturalem, quæ contingit ex agone mortis; quare nihil est quod obstet, quin hoc sacramentum receperit, imo probabilius est illud recepisse, & alias decuit, tum propter fructum, tum propter exemplum, tum propter ipsum sacramentum, ne despici videretur; neque hoc est magis indecens, quam quod B. Virgo fuerit baptizata, quando quidem etiam baptismus datur in remissionem peccati, & ipsa ablutio non quancunque sanctificationem, sed illam, qua a sorde peccati lauat, significat: tamen quia non significat illam vt necessario actualiter faciendam, sed solum quo ad collationem gratiæ de se sufficientis, & ordinata ad illud malum expellendum, ideo in Virgine etiam locum habere potuit, idem ergo dicendum

Paludanus. Supplemen. Gabriel. Victoria.

est

do propter connexionem, & colligantiam potentiarum &c. & nisi ratio voluntatem auertat, subest peccatum in foribus Hinc Hier. 9. Intrauit mors per fenestras. Cum ergo abusus sensuum præ omnibus alijs præstet primatiam occasionem peccati, ideo vnctio illorum videtur esse de necessitate sacramenti: non ergo totum corpus est huius sacramenti proximum subiectum. Vnde quamuis Iacobus dicat vngentes eum, non dicit vngentes totum eum. nec ad veritatem illius locutionis necessarium est totum corpus inungere. Denique quamuis de baptismo dicatur baptizantes eos, & D. Thom. in 4. d. 23. q. 2. art. 3. q. 1. ad 3. ponens differentiam inter Baptismum, & sacram vnctionem dicat, quod in Baptismo abluitur totum corpus, non vero totum vngitur in hoc sacramento, quia Baptismus datur per modum ablutionis ad tollendas sordes, & per ablutionem tantum mũdatur ea pars, quæ lauatur, & ideo vt significetur totum hominem mundari, totum corpus abluitur: vnctio vero datur per modum curationis, sæpe autem curatur pars licet non ipsa, sed alia vbi est radix mali inungatur, & ideo vt significetur integra curatio nõ est necesse totum corpus vngi: quare etsi illa vnctio significet infirmitatem spiritualem, & eius curationem, quæ fit in anima, quæ est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis, ex his tamen non sequitur, quod totum corpus inungi debeat. Nam quamuis de Baptismo dicatur Baptizantes eos, non est necesse integre totum corpus lauare, & licet doctrina D. Thomæ optime declaret, & confirmet veritatem positam, tamen non est de essentia Baptismi, vt totum corpus lauetur, aut quod per immersionem fiat, quia sufficit aspersio, & partis corporis ablutio, ita hic sufficit facere partium inunctionem, & hoc sufficit ad significationem effectus huius sacramenti, & licet anima sit tota in toto corpore &c. tamen videt oculo, & non manu, &c.

D. Thom.

Cum ergo non sit totum corpus inungendum, eritne liberum ministro quas voluerit partes corporis inungere? Dico quod non: sed iuxta numerum quinque vnctionum, quas supra enumerauimus quinque determinatæ partes sũt inungendæ, nempe quinque organa sensuum. Cuius ratio est institutio per vsum, & traditionem ecclesiæ nobis sufficienter manifestata. Congruentia vero iam tacta est: quia in quibusque sensibus viget origo omnis peccati, non possunt autem sensus ipsi in se inungi, sed solum ratione organi corporei, ibi ergo faciendæ sunt quinque vnctiones, vnde sicut illæ essentiales sunt, ita ex parte subiecti ad substantiam sacramenti pertinẽt, quod in talibus subiectis proximis seu partibus fiant.

Quæ partes corporis sũt inungendæ.

Sunt ergo illæ partes organa potentiarum sensitiuarum, per quarum actus peccatur frequenter venialiter, vt potentia quinque sensuum, & potẽtiæ motiuæ, & hoc aliquãdo respectu eiusdem sensus, & potentiæ geminatæ, vt organa potentiæ visiuæ duo oculi, organa potentiæ auditiuæ duę aures, organa potentiæ olfactiuæ nares, organa potentiæ tactiuæ manus, nam quamuis tactus sit dispersus per totum corpus, & ideo videri potest illa vnctio quantum ad substantiam spectat sufficienter fieri in quacunque corporis parte, quia ibi viget tactus, tamen communis ecclesiæ vsus habet, vt talis vnctio fiat in manibus, quia ibi dicitur esse organum huius sensus in maiori perfectione ac vigore. Et sic in istis prædictis, sicut geminantur organa, ita geminantur vnctiones, organum gustus est lingua in qua nõ fit vnctio propter abominationem tollendam vncto, sed exterius super os; propter autem organum potentiæ generatiuæ fit vnctio ad lumbos iuxta illud Gregorij super illud Lucæ. 12. sint lumbi vestri præcincti, &c. Vbi inquit luxuria in lũbis est, &c. propter organum motiuæ quantum ad progressiuam, quæ est principalis motiua, fit duplex inunctio in duobus pedib. tãquam organis ad illum motum ordinatis. Alia motio quæ frequenter peccatur est motio linguæ iuxta illud Iacobi 3. Qui non offendit verbo, hic perfectus est vir, & multa alia ibi, & contra istud est vnctio oris, ita quod ipsa est remediũ cõtra duplex peccatum veniale, sicut lingua congruit in duo opera naturæ. 2. de anima. t. c. 88. in gustum. s. & loquelam. sunt ergo 12. vnctiones. 5. partiales, sed aliquæ sunt geminatæ quasi vna ita quod sunt septem principales quinque sensuum, sexta in organo principali potentiæ motiuæ progressiuæ, septima in organo principali generatiuæ. hæc Scotus in hac. q. sub lit. C. §. quod additur.

Scotus.

Pro quorum explicatione sunt aliqua dubia soluenda. Primum dubium est. An sit de essentia huius sacramenti in vnctionibus singulorum sensuum [illegible] [illegible] dicem facere vnctionẽ. ver. gra. [illegible] vnum oculorum [illegible] [illegible] aurium. Respondetur negatiue. Nam quamuis [illegible] communiter fiat, & regulariter ac [illegible] necessitate [illegible] [illegible] fit propter consuetudinem ecclesiæ, tamen non est [illegible] essentia, quia in vna parte sufficienter significatur vnctio [illegible] sensus, licet virtus eius in pluribus partibus vigeat, & [illegible] sub necessitatem in quocunque sen[illegible] vna tantum fiat vnctio, & verum fiet sacramẽtum, & nihil [illegible] peccabitur.

Secundum dubium, an septem vnctiones hic a Doctore enumeratæ [illegible] a Concilio Florent. in decreto Eugenij sint de necessitate præcepti vel sacramenti? Nam quod non omnes sint necessariæ etiam ex præcepto ex eo euidenter conuincitur, quod plerumque duæ earum omittuntur. s. pedum, & renum præsertim in fœminis propter honestatem, atque adeo supplementum Gabr. d. 23. q. art. 3. Sotus q. 2. art. 3. & Victoria in summa num. 223. fatentur non esse necessarias, imo de vnctione renum censent conuenientius esse illam omittere. Quod [illegible] vetitum est, de [illegible] etiam aliarum constare potest esse [illegible] necessariam, [illegible] multo minus de toto earũ numero: quia [illegible] Concilium Florentinum omnes æque numerat, ergo [illegible] aliqua excipimus, [illegible] tantum est ex auctoritate Concilij, non [illegible] [illegible] de aliquibus aliarum affirmare esse simpliciter necessarias. [illegible] accedit quod Iacobus solum dixit, [illegible] [illegible] presbyteros ecclesiæ, & vngant eum [illegible] [illegible] sufficienter explicatur materia huius sacramenti, [illegible] Tridentinum, significatur, sed ad veritatem [illegible] complementum huius verborum non est necessaria multiplex [illegible], sed vna sufficit, sicut ex vi verborum Christi Baptizate eos &c. vna aspersio, vel ablutio sufficit.

Septem vnctiones an sint de necessitate sacramenti.
Supplemen. Gabr.
Sotus.
Victoria.

Propter has rationes quidam [illegible] sunt dicere non esse de necessitate huius [illegible], vt per plures actiones fiat, neque in determinatis [illegible] corporis, sed vnicam vnctionẽ sufficere, quantum spectat ad valorem sacramenti. Cæterum antiqui Scholastici sentiunt plures vnctiones esse de essentia, & valore huius sacramenti, saltem illas quinque, quibus quinque sensus inunguntur. ita docent D. Thomas, in 4. d. 23. q. 2. art. 3. q. 2. D. Bon. Ricar. Duran. Palud. Maior. supplementum Gabr. Soto, & summista in verbo Vnctionis extremæ quamuis non omnes distincte loquantur de necessitate sacramenti, sed absolute. Iuxta quam doctrinam omnino certum existimo has quinque vnctiones quinque sensuum esse de necessitate præcepti, hoc enim, vt minimum conuincit vniuersalis ecclesiæ consuetudo, a qua discordare graue crimen est, præsertim in re, quæ facile redundare potest in dubium de valore sacramenti. Et congruentia quam supra adduximus optima est: quia hoc sacramentum adhibetur, vt medicina ad sordes peccatorum tollendas, & ibi adhibetur vbi est radix peccatorum: hæc autem radix est in quinque sensibus, per quorum actus (vt inquit Scotus) frequenter venialiter peccatur, merito ergo in illis partibus applicatur medicina.

D. Thomas.
D. Bonau.
Ricardus.
Durandus.
Paludanus.
Maior.
Gabriel.
Soto.
Scotus.

Tertium dubium est, an istæ vnctiones habeant inter se, ordinem, qui spectet ad essentiam sacramenti? Respõdetur, ordinem talium vnctionum non esse de essentia sacramenti. s. vt prius vngantur oculi, postea aures &c. licet. n. hic ordo seruandus sit, quia & est rebus ipsis consentaneus, & maxime quia ita habet ecclesiæ consuetudo, quæ sine aliquo peccato non potest omitti, non est tamen absolute de essentia, nec illa immutatio esset contra valorem sacramenti, vt omnes Doctores supponere videntur, quia materia essentialis non est relatio, aut ordo, sed vnctio, quamuis autem mutetur ordo, seruatur tamen tota vnctio essentialis, ergo &c.

Ordo vnctionum non est de essentia sacramenti.

Quartum dubium est, cum sint multæ vnctiones partiales & successiuæ, etiam [illegible] qualibet particularis vnctio, puta vnctio oculorum cum prolatione verborum sit vnum sacramentum, & virtute illius remittãtur venialia commissa per oculos, vel expectetur quousque totum sit completum. Quantum ad hoc non est magnum periculũ dicere hoc, vel illud; Nam vnum veniale potest remitti sine alio, cum comparatur secum charitatem, & ideo potest dici, quod per illam vnctionem oculorum remittuntur venialia commissa per oculos, & non commissa per aures: & hoc videntur sentire aliqui Doctores, affirmantes, quod qualibet partialis vnctio cum forma sibi correspondente est partiale sacramentum, & habet suum effectum. Potest etiam dari secundum. s. quod in vltima vnctione remittuntur omnia venialia commissa per

An qualibet vnctio cum sua forma sit sacramentũ.

Distinctio. XXIII.

De Sacramento extremæ vnctionis.

Continuatio.



Reter præmissa est etiam aliud sacramentum. Ex quo Magister determinauit de Baptismo quod est sacramentū intrantium, vel ingredientium, insuper de confirmatione, de Eucharistia, & pœnitentia, quæ sunt sacramenta progredientium. Nunc consequenter determinat de extrema vnctione, quæ est sacramentum exeuntium. Et circa hoc tria facit. Primo quid sit hoc sacramentum manifestat. Secūdo quid efficiat. Tertio suadet, ne quis ipsum per contemptum & negligentiam pretermittat. Sumatim littera Magistri tribus conclusionibus clauditur.

Diuisio.

Prima concl. *Prima conclusio. Extremæ vnctionis infirmorum, quæ fit in oleo consecrato per manus episcoporum tria sunt genera secundum mentem Doctorum. Pro cuius insinuatione dicit Magister, quod sacramentum extremæ vnctionis fit oleo per episcopum consecrato, & tangit triplex genus vnctionis. Est.n. quædam vnctio principalis, quæ fit chrismate, oleo.s. mixto balsamo, & tali vnctione vnguntur Reges, & Pontifices in capite confirmandi aūt in fronte, & baptizandi in uertice. Alia est vnctio, qua cathecumeni, & Neophyti vnguntur in pectore, & inter scapulas in perceptione Baptismi. Tertia vero vnctio est illa, qua vnguntur infirmi, & de hac ad præsens agitur. Prima vnctio nec est sacramentum nec aliquid sacramentale, quia nec per se gratiam causat, nec ad aliquod sacramentum suscipiendū, vel perficiendum ordinatur. Secunda sacramentalis est, sed nō sacramentū, quia.s. ad sacramentū ordinatur. Tertia & vltima proprie sacramentū est, & vnctio extrema, siue sacramentum sicut nomen sonat, quia post id aliud non speratur. Vnde solis infirmis, & periculose ægrotantibus, ita quod de vita eorum desperetur dari debet, & ideo quamdiu probabiliter speratur de euasione non debet dari; & est per se vltimum, per accidens tamen, vt si conualescit, potest esse post ipsū aliud, differentia inter istas vnctiones est huiusmodi, quod primæ duæ simplici oleo fiunt benedicto. Tertia vero quæ est sacramentum fit oleo per episcopum consecrato, & hæc vnctio quatenus est sacramentum, inquit Magister, quod ab Apostolis instituta legitur. Iacobi. 5. infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ &c. Sed in hoc Magister reprobatur.*

Vnctionis triplex est genus.

Vnctio extrema quando debeat dari, & quibus.

Secunda cō. Sacramentum vnctionis duplici de causa est institutum. *Secunda concl. est hæc. Hoc sacramentū duplici de causa est institutum. s. ad peccatorū remissionē, & ad corporis infirmitatis alleuiationem. Hanc Magister insinuās dicit, causā institutionis huius sacramēti fuisse duplicē, iuxta duplicē sanitatē. s. animæ, & corporis. Vnde cōstat eū, qui hanc vnctionē fideliter, deuoteq; percipit, & in corpore, & in anima alleuiari, si tamen expedit, vt in vtroque alleuietur, quod si forte corpus valetudinem illi habere non expedit, illam, quæ est animæ, sanitatem in hoc sacramento acquirit, deinde ponit huius sacramenti conformitatem ad alia. Etenim in hoc sacramēto est aliquid, quod est sacramentum tantum, vt exterior vnctio, & aliquid quod est res sacramenti, vt vnctio interior, id est, peccatorum remissio, & virtutum appositio, & ideo sacramētum hoc contemnere, vel negligere periculosum est, & damnabile.*

Tertia concl. *Tertia conclusio. Hoc sacramentum ex contemptu vel negligentia non prætermittatur, nec reiteretur nisi morbus reuertatur. prima pars conclusionis patet ex præmissis; secundam insinuans Magister quærit, vtrum hoc sacramentum possit reiterari. Et primo aspectu ex mente. D. Aug. videtur quod non. Nam lib. contra Parmenianum inquit sacramentum non iterandum, & sacramento non faciendam esse iniuriam, quasi velit iniuriam sacramento facere eum, qui sacramentum reiterat. Sed respondetur, quod D. August. ibi tantum de tribus loquitur sacramentis. s. de Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quæ nullo modo iteranda sunt, Alia vero sæpius iterari possunt, vt Eucharistia, Pœnitentia, & Matrimonium, quare etiam vnctio reiteratur, si morbus iterum reuertatur. Dum enim morbus iteratur, non secus, & medicina, sed vnctio extrema est, vt medicina, quare si morbus iteretur, nec non & medicina, id est, vnctio extrema, & hæc de tota hac distinctione. Circa quam Scotus vnicam mouet quæstionem includentem totam materiam distinctionis.*

D. August.

QVAESTIO VNICA.

Vtrum extrema vnctio sit sacramentum nouæ legis.



Ro explicatione tituli obseruandum est primo, quod post pœnitentiæ sacramentum, iure optimo Magister de sacramento extremæ vnctionis determinat, quoniam et si sacramentum hoc distinctum sit a sacramento pœnitentiæ, vt pote ad diuersum finem institutum, & ex diuersa forma, & materia constans, habet tamen cum illo quandam coniunctionem, & affinitatem, eo quod pœnitentia ad tollenda peccata, vnctio vero ad reliquias peccatorum, quæ illis sublatis permanere solent auferendas ordinatur, quam ob rem consummatiuū pœnitentiæ, vel totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, dictum est a patribus, vt Concil. Trident. annotauit, sess. 14. in proœmio de hoc sacramento. Ideo absoluto pœnitentiæ sacramento, adiungit tractatum de extremæ vnctionis sacramento.

Sacramentum vnctionis coniunctionem habet cum sacramēto pænitentiæ.

Secundo obseruandum est, nomine extremæ vnctionis Ecclesiam catholicam intelligere, quoddam speciale sacramentum sic dictum, quia & per quandam vnctionem confertur, & veluti extremum est omnium sacramentorum, & in extremo vitæ periculo confertur. Quærit ergo Scotus an verum sit esse in ecclesia tale sacramentum. Nam multi hæretici illud esse sacramentum negarunt, vt Vuald. apud Aeneam Syluium lib. de origine Boemorum c. 35. & Albigenses apud Sanderum lib. 7. de V isib. Monar. hæres. 151. Item Albanenses apud Anton. 4. p. Theolog. tit. 11. c. 7. §. vlt. & Rutheni apud Prateolum verbo Rutheni. Præterea in eodē fuit errore Vuicleph, vt refert Vualden tomo 2. de sacram. c. 163 Lutherus, item Caluinus, & alij sectarij, vt Prateolus. & Alphonsus a Castro lib. 14. aduersus hæreses. verbo, vnctionis extremæ sacramentum.

Aeneas. Syluius. Sanderus. Antoninus. Prateolus. Tho. Vual. Castro.

Tertio obseruandum est, quod multiplex reperitur vnctio in scriptura, quarum duas ponit Innoc. de sacra vnctione cap. vnico, vna exterior & visibilis, qua inungitur corpus vel pars corporis. Alia est interior inuisibilis, & spiritualis, qua inungitur anima de prima Iacobi. 5. Infirmatur quis ex vobis &c. de secunda prima. Ioan. 2. Vnctionem quam accepistis ab eo manet in vobis, & non necesse habetis, vt aliquis doceat vos, sed sicut vnctio eius vos docet in omnibus, ita faciatis. Vnctio visibilis & exterior signum est vnctionis interioris, & inuisibilis. Ad vnctionem exteriorem, & visibilē benedicitur oleum, quod dicitur vel cathecumenorum, vel infirmorum, & conficitur chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo mystica ratione, quam habet Innoc. vbi supra. Chrismate caput, & manus Episcopi consecrantur, & licet in veteri testam. etiam vngebantur Sacerdos, Rex, & propheta, non tamē videtur factū chrismate, nec oleo sanctificato im Palu.

Vnctio est multiplex. Innocent.

Paludan.

Nam

Nam olim non erat oleum consecratum, nisi oleum vnctionis, quo prohibebatur inungi omnis homo Exo. 30. Addit Lyra, exceptis regibus, & sacerdotibus, qui quantum ad officia vngebātur ex eo. Oleum illud dictum oleum vnctionis sanctum erat vnguentum compositum opere vnguētarij vt habet textus ibidem. Vngebantur ergo oleo simplici. Vnctio tunc quoad Reges fiebat in capite, sed postquā Christus Iesus caput noster vnctus est oleo lætitiæ præ participib. suis, vnctio a capite ad brachium est translata, ideo nunc Reges non in capite, sed in brachio humeris, vel armo inunguntur. In quibus principatus congrue designatur iuxta illud, factus est principatus super humerum eius Esaiæ. 9. Ad quod designandum Samuel fecit poni armum ante Saul cui dedit in mensæ capite locum ante alios inuitatos. Caput ergo Pontificis, & manus chrismate consecratur, sed brachium Principis oleo delinitur, vt sic ostendatur differentia inter auctoritatem Pontificis, & Principis.

Lyranus.

Reges olim in capite modo in brachio inunguntur.

Chrismate etiam inungitur baptizatus a sacerdote in vertice, & a Pōtifice confirmante in fronte, oleo benedicto cathecumenorū inungitur baptizandus primo in pectore, deinde inter scapulas, & sacerdotum manus, sed baptizatus chrismate sancto vt supra, oleo benedicto infirmorum inunguntur infirmi, & de hac vnctione dumtaxat hic dicendum est, quæ vt vidimus in littera dicitur sacramentum exeuntium, de qua sequentes explicabimus articulos.

Primus Art. Vtrum in ecclesia detur aliquod sacramentum, quod extrema vnctio appelletur.

Secundus Art. Vtrum extremæ vnctionis sacramentum sit a Christo Domino immediate institutum.

Tertius Art. Vtrum materia huius sacramenti sit oleum oliuarum ab episcopo consecratum.

Quartus Ar. Vtrum hæc verba per istam sanctam vnctionem &c. sint forma huius sacramenti.

Quintus Art. Vtrum solus homo baptizatus ratione vtens, pœnitens, & infirmus possit hoc recipere sacramentum.

Sextus Art. Vtrum aliquæ determinatæ partes corporis sint proximum subiectum huius sacramenti.

Septimus Art. Vtrum sacerdos sit minister proprius huius sacramenti.

Octauus Art. Vtrum remissio venialium sit proprius effectus huius sacramenti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum in ecclesia detur aliquod sacramentum, quod extrema vnctio appelletur.

VIdetur quod non, quia sacramenti principalis effectus esse debet spiritualis, quia remedium spirituale est, at vnctionis extremæ effectus est corporalis, vt ex Iacobi auctoritate colligitur, nō ergo sacramentum dici dēt.

Deinde quod vnum non est, neq; sacramentum est, at vnctio extrema vnum non est: quia plures requirit presbyteros, seu ministros, nec materia vna, sed plures quia multas vnctiones, neque vnam formam numero, quia multas orationes coniunctas multis vnctionibus, quare vnctio extrema non potest vnum appellari sacramentum, ergo nec sacramentum, quia quod non est vnum nihil est. Pro solutione huius quæstionis duo explicanda sunt. Primum quod possibile est esse aliquod sacramentum nouæ legis, quod sit signū efficax finalis remissionis venialiū. Secundo quod congruit, & quod ita factum est.

Quoad primum. Possibile est Deum finaliter remittere venialia, ergo sibi possibile est instituere signum efficax illius remissionis, consequentia patet: quia possibile est hominem instituere, signum efficax practicum cuiuscumq; operis sui, ergo multo fortius est Deo possibile, atque ita quodcumque signum sensibile, cuius institutio non includit contradictionem instituere tanquam signum practicum efficax istius effectus.

Quoad secundum de congruitate constat: quia congruū est recessurum ab hac vita, finaliter a venialib. absolui, quia ista non remissa essent impedimentum gloriæ consequendæ, & non remissa possunt esse vsque ad exitum, quia peccator quasi cōtinue peccat talibus peccatis, necesse est ergo huiusmodi peccata dimitti, quoniam & si venialia stent cum gratia, non tamen stant cum gloria, si enim quis moreretur in peccato veniali, nunquam beatus esset, nisi prius deletum esset illud peccatum veniale. Sed dices, dictū est supra, quod peccata venialia delentur in instanti mortis, propter bonos actus factos, dictum est etiam, quod mors ipsa patienter accepta erat sufficiens ad delendum peccata venialia. Respondeo quod hoc argumentum nihil valet: quia eodem modo dicam ego de sacramento pœnitentiæ, nonne per contritionem delentur peccata mortalia? ergo frustra ponitur sacramentum pœnitentiæ. vnde licet multis alijs modis peccata venialia possint deleri, quam per sacramentum, nullus tamen modus est vtilior, facilior, & certior ad delendum peccata, quam per sacramenta.

De facto, id est, quod tale sacramentum de facto sit in ecclesia. Probatur ab aliquibus per illud Marci. 6. vbi dicitur Christus misisse Apostolos ad prædicandum, & de eis subditur, & vngebant oleo multos ægrotos & sanabant hoc testimonio vtuntur ad factum comprobandum Vuald. supra. & Castro contra hæreses loco relato: putant. n. illam vnctionē fuisse vere sacramentum, & videtur hæc sententia fidei consentanea, & accōmodata contra hæreticos huius temporis propter hæc argumenta. Primum quia si vnctio in hoc loco sacramentum non est, nec alibi est: nulla est. n. ratio cur hic negetur esse sacramentum, alibi vero affirmetur. Et cōfirmare hoc possumus: quia veteres expositores hac ratione moti de eadem vnctione locum hunc, & alium Iacobi interpretātur, vt patet in Beda, Theophylacto, & alijs. Secundum arg. est, quia sacramentum nihil aliud est, quā cæremonia a Christo instituta tanquam ordinarium remedium salutis animæ, quæ tota definitio conuenit illi Apostolicæ vnctioni. Tertiū quia si solum ad curanda corpora illa vnctione vterentur Apostoli sine causa oleum adhiberent, cuius vsus occultare potius, ac diminuere miraculum, quam augere, vel manifestare posset, quod fuisse contra finem illorum miraculorū. melius enim solo verbo ostenderent sanitatem illam in Christi virtute, & supernaturaliter dari, quam oleo adhibito, ergo non tantum ad morbos, sed vt verum sacramentum illud ministrabant. Quartum quia nec Apostoli in alijs efficiendis miraculis, nec alij fideles, qui gratiam habuerunt curationis oleo vtebantur ad corpora tantum curanda, ergo signum est Apostolos non ob hunc solum finem, sed propter animæ curationem, vnctione illa tanquā vero sacramento vsos fuisse.

Vualdens. Castro.

Beda. Theophyla.

Cæterum hæc sententia non videtur alijs vndequaque vera. Nam existimant vnctionem illam, qua ad curanda corpora ægrotantium vtebantur Apost. Marci 6. non fuisse verum sacramentum extremæ vnctionis, sed quoddam præuium signum, & adūbratio eius. Ita censent Petrus a Soto lectione 1. de hoc sacramento ar. 1. Iansenius in Concord. cap. 55. in fine & Card. Bellar. lib. de hoc sacramento. c. 2. Cuius sententiæ tres adducunt coniecturas.

Petr. a Soto. Iansenius. Bellarmin.

Prima: quia in textu illo Euangelico nullum est indicium sacramentalis vnctionis, sed tantum medicinalis, seu curatiuæ. Solum enim dicit Marcus. Vngebant ægros, & sanabāt. Matth. autem cap. 10. refert dixisse Christum Apostolis infirmos curate, Marcus vero insinuauit etiam modum docuisse seu designasse, scilicet oleo vngendo, quia non est verisimile eos vsuros fuisse oleo, nisi Christus id significasset.

Secunda & vehemens coniectura est, quia tunc Apostoli non erant ordinati sacerdotes, vt possent hoc sacramentum ministrare. Antecedens sumitur ex Conc. Trid. sess. 22. cap. 1. vbi volens explicare institutionem sacrificij missæ ait. Christum in cœna nouissima, qua nocte tradebatur corpus suum, & sanguinem sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulisse, & subdit statim. Ac sub earumdem rerum Symbolis Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit &c. Si ergo tunc constituebat, certum est non prius fuisse sacerdotes. Item si tunc dedit eis potestatem offerendi sacrificium per illa verba. Hoc facite &c. antea ergo non habebant, non erant ergo sacerdotes.

Conc. Trid.

Tertia coniectura est. Quia Apostoli non solum vngebant baptizatos, sed quoslibet, cum tamen hoc sacramentum solis baptizatis valide dari possit. Potest & quarta addi coniectura, huic similis. Quia Apostoli non vngebāt tantū infirmos decumbentes, & in periculo vitæ constitutos, sed quoslibet.

Vnde Scot. Hoc sacramentum institutum fuisse probat ex illo Iacobi. 5. in quo hæc veritas catholica potissimum fundatur, vbi sic dicitur. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuabit

Scotus.

bit eum, etsi in peccatis est, dimittentur ei; Scio quod hoc testimonium deludunt hæretici negando primo hanc Iacobi Epistolam esse canonicam; sed nos id supponimus de fide certum, ex Ecclesiæ traditione, & consensu, & definitione *Conc. Trid.* *Bellar.* Conc. Trid. sess. 4. secundo respondent ad varios, & falsos sensus verba detorquendo, vt late refert, & impugnat Bellar. supra c. 3.

Nobis autem ad veritatem confirmandam sufficit in primis verborum proprietas, deinde antiqua Patrum expositio. Nam in illis verbis continentur omnia, quæ sunt de ratione sacramenti nouæ legis. primo ritus externus sensibilis, materia, & forma constans. s. vnctione olei, & verbo, seu oratione sacerdotis. secundo designatur minister. s. presbyter. tertio subiectum. s. fidelis infirmus. quarto effectus cũ promissione gratiæ ad remissionem peccatorum, quod cum nõ possit intelligi de mortalibus, quia hæc non remittuntur per se loquendo nisi in Baptismo, vel pęnitentia, debet intelligi de venialibus, & alleuationem ægroti ordinatam, quæ omnia in sequentibus articulis explicabuntur.

Secundo probatur hæc assertio ex traditione, & definitione ecclesiæ, & in primis est celebre testimonium Innocen. I. *Innoc. I.* in epist. ad Decent. ca. 8. vbi de hac vnctione exponit locum *Innoc. III.* Iacobi. eandem veritatem docuit Innoc. III. in ca. vnico de sacra vnctione. vbi vnctionem visibilem de qua Iacob. locutus est, dicit esse signũ inuisibilis vnctionis interioris, atque adeo Sacramentum. Pontifices imitata sunt Concilia. Nam *Conci. Vor.* *Cabilonēse.* Vormatiense. c. 72. verba Innoc. I. transcripsit. Cabilonen. sub Carolo. c. 48 eodẽ modo exponit locũ Iacobi, & subdit. Non itaque contemnenda est huiusmodi medicina, quæ animæ, *Aquisgran* corporisq; medetur languoribus. In Conc. vero Aquisgrã. 2. sub Lud. cap. 8. Præcipitur Episcopis vt in die cœnæ oleum sanctum conficiant, quia in eo saluatio infirmorum esse cre- *Muguntin* ditur. Conc. Mugunt. præsidente Rabano. c. 26. agens de infirmis. Sacra inquit cum vnctione Dei animari secundũ statuta sanctorum Patrum communione viatici reficiãtur. Ex- *Senonēse.* pressius traditur hæc veritas in Conc. Senon. ca. de extrema *Florentinũ.* vnctione, & in alio Conc. Mugun. c. 34. Flor. in decreto Eu- *Tridentinũ* genij. Trid. sess. 14. in doctrina, & canonibus de hoc sacramẽto, vbi c. 2. locum Iacobi elegãter expendit, dicitq; eũ sensum ex Apostolica traditione per manus accepta ecclesiam didicisse. Attingens vero eundem locum Marci solum ait apud Marcum fuisse sacramentum hoc insinuatum, vt intelligamus etiam ex mente Concilij non esse parem vim horũ testimoniorũ, immeritoque cita os Auctores illa æquiparare.

Tertio probatur hæc veritas ex patribus, & primo aucto- *Dionysius.* ritate Dionysij 7. de Ecclesiast. Hierarchia parte 3 in fine, vbi loquens de hoc sacramento dicit. Idcirco sanctorũ sacra functio diuinas participationes largitur vtrique animæ quidem in vera eorum, qui ignorantur scientia, corpori vero per sacratissimum vnguentum, & per diuinæ communionis augustissima signa, totum sanctificans hominem, integramq; ipsius salutem operans, & resurrectionem denuncians. In quibus verbis loquitur de speciali vnctione infirmorum adhuc viuentium: nam plane significat dari homini ad sanctificationem totius, & ad animæ profectum licet in corpore fiat. Vnde illi satis clare tribuit sacramentalem efficaciam, illãq; cum communione coniungens, declarat illam esse vnctionẽ viuorum, & esse verum sacramentum. Secundo probatur ex *D. Augusti.* D. August. lib. de rectitudine catholicæ conuersationis, & li. 2. de visitatione infirmorum, c. 4. vbi de hac vnctione loquẽs de ea interpretatur locum Iacobi, idem affirmant Chrisost. li. 3. de sacerdot. Cyrillus Hierosolymitanus catheches. 5. Mi- *Chris. Rem.* *Cyrilus.* stagogica, Beda li. 4 in Marcum. c. 24 & Iacobi. 5. Bernardus *Beda.* in vita Malachiæ Episcopi circa finẽ vbi refert illum in fine *Bernardus.* vitæ hoc sacramentum postulasse. Quem curam omnibus vi- *Surius.* ris sanctis fuisse constat ex Surio præsertim tomo 2. Item ex *Alcuinus.* Alcuino lib. 4 de offic. ecclesiast. cap. de cęna Domini.

Ad argumenta in oppositum respondetur, & ad primum dico. Vnctionis extremæ duplicem assignari posse effectum, vnum principalem, alterum accidẽtalem, siue vnum ex antecedenti, alterum ex consequenti, si primo modo nulla est ratio, si secundo modo debet concedi, sed nihil contra nos concludit.

Ad secundũ dicit Sco. ꝙ est vnũ sacramentũ vnitate integritatis nõ vnitate indiuisibilitatis, sicut eius effectus nõ est indiuisibiliter vnus, quia nõ est remissio vnius venialis, sed vnus vnitate plenariæ remissionis omniũ venialiũ, vt oĩbus remissis nihil remaneat retardãs a perceptione beatitudinis.

ARTICVLVS II.

Vtrum extremæ vnctionis sacramentum sit a Christo Domino immediate institutum.

HAec quæstio difficultatem habet: quia inter Catholicos nonnulli negauerunt Christum Dominum instituisse hoc sacramentum, ex quo plane consequebatur non esse verum sacramentum; sed ipsi consequens non admittebãt, quia putant posse esse sacramẽtum ab Apostolis institutum. Ita sentit Hugo de Sancto Victore li. 2. de Sacramentis. par- *Hugo.* te 15. c. 2. Quem sequutus est Magister sent. in hac. d. Ale. de *Magister.* Ales 4. p. q. 8. m. 2 art. 1. Altissiodo. lib. 4. sum. tract. 7. c. 1. & D. *Ale. de Al.* Bona. hac d. art. 1. q. 2. Qui solum in eo fundantur, quod sa- *Altisiodor.* *D. Bonaue.* cramentum hoc, non ex Euangelio, sed epistola Iacobi colligitur. Vnde dicit D. Bon. ꝗ Spiritus sanctus per Apostolos hoc sacramentum instituit; Quod autẽ hoc potuerit esse manifestum est, cum ipse sit Dominus præcipuus, sicut & Christus, & exemplo patet, quia Apostoli spiritu sancto dictante formam Baptismi a Christo institutam, & confirmatam ad tempus mutauerunt, quanto magis, quod Christus insinuauit instituere potuerunt? Et quod ita fuerit congruum manifestum est, si attendatur diuersitas sacramentorum.

Quædam enim sunt sacramenta communia legi veteri, & *Sacramentorum diuersitas.* nouæ, quædam propriissima legi nouæ, quædam medio modo. Communia sunt illa, quæ sunt quodammodo ex dictamine naturæ, quod quia semper idem manet, illa sacramenta ab initio cucurrerunt, vt Matrimonium, & pęnitentia secundum quod Deo reconciliat, & hæc quidem Dominus Iesus consũmauit, & confirmauit in lege noua, non euacuauit. Quædam sunt propriissima legi nouæ, & hæc sunt, quæ signant gratiam in statu, quæ proprie competit legi nouę, hæc autem duo sunt, cõfirmatio, & vnctio, vbi signatur gratia Spiritus sancti, secundum quam inungitur quis in pugilem, vt pro Christo aduersetur, & in Regem, vt in regnum cœlorum possit intrare, tanquam in suum. Hoc est nouæ legis proprium, ideo in veteri testamento non habuerunt certam figuram hæc duo sacramenta. Et quia signant Spiritus sancti gratiam in abundantia, & spiritus sanctus abũdanter non fuit datus, antequam Iesus fuit glorificatus, sicut dicitur Io. 7. & ideo hæc duo sacramenta a Christo fuerunt insinuata, sed post a Spiritu sancto fuerunt instituta. Quædã sunt sacramenta media, quæ in veteri lege non fuerunt in veritate, fuerunt tamen in figura, & significatione, sicut Baptismus, Eucharistia, & ordo; & quia Christus legẽ impleuit, & figuras euacuauit, hæc tria sacramenta per se ipsum instituit.

His tamen non obstantibus dicendum est, sacramentum hoc fuisse a Christo Domino immediate institutum, hęc fuit semper communior Scholasticorum sententia in 4. d. 23. D. *D. Thomas.* Thomæ, Scot, Palu. Gab. & aliorum & nunc est definita in *Scotus.* *Paludanus.* Conc. Tri. in particulari sess. 14. c. 1. de hoc sacramẽto, vbi ita *Gabriel.* legitur. Instituta est autem sacra hæc vnctio infirmorũ, tan- *Conc. Trid.* quam vere, & proprie sacramentũ noui testamenti a Christo Domino nostro, apud Marcum quidem insinuatũ, per Iacobum autem Apostolũ. & Domini fratrem fidelibus promulgatum, & cõmendatum, & in canone primo dicitur. Si quis dixerit extremã vnctionem non esse vere, & proprie sacramentũ a Christo Domino nostro institutum, & a B. Iacobo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a patribus, aut figmentum humanum anathema sit.

Confirmatur hæc conclusio ex doctrina superioris art. in quo determinatum est vnctionem extremã esse nouæ legis sacramentum euidenti consequentia in hunc modum. Omnia sacramenta nouæ legis sunt immediate a Christo instituta, sed vnũ ex his sacramentis est extrema vnctio, ergo &c. Maior patet ex Conci. Tri. sess. 7. can. 1. Si quis dixerit sacra- *Conc. Trid.* menta nouæ legis non fuisse omnia a Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura, vel pauciora quã septẽ, videlicet Baptismũ, Cõfirmationẽ, Eucharistiã, Pęnitẽtiã, extremã vnctionem, Ordinẽ & Matrimoniũ, aut etiam aliquod horum septẽ nõ esse vere, & proprie sacramentũ. anathema sit.

Et confirmatur secundo, quia si ab alio, quã a Christo Domino fuisset institutũ, maxime ab Apostolo Iacobo, sed hoc non est cur dicatur: quia licet ipse solus illius fecerit mentionem, potuit autẽ loqui nõ vt auctor sacramenti, sed vt Præco, *Scotus.* Prædicator, & doctor, aut promulgator, vt dicit hic Scot. ad 1. Sed difficultas est quando fuerit hoc sacramentũ a Christo institutum, hoc enim est quod D. Bonauenturam maxime mouit loco supra citato: quia cum Euangelistæ nullã mẽ

tionem

Christo Domino institutum.

tionem huius institutionis faciant, verisimile est Christum Dominum illam non fecisse, cur enim Euangelistæ omisissent rem adeo grauem, & ad ecclesiæ fundamentū maxime pertinentem?

D.Thomas. Scotus.

D.Tho.q.29 3.p.dicit, quod nescitur, vbi Christus instituit sacramentum vnctionis. Scotus vero in 4.d.2.q.1.sub lit. D.§.De extrema vnctione. verisimile putat Christum hoc sacramentum instituisse, quando misit Apostolos ad prædicandum: nam tunc instruxit illos, vt per olei vnctionem miraculose, & supernaturaliter infirmos curarent, non enim ausi fuissent Apostoli illo medio vti ad sanitatem conferendam, nisi a Christo edocti fuissent, & in virtute ac fide verbi illius id facerent: nam constat quod non faciebant nisi in virtute Christi, qui instituerat illam vnctionem virtuosam. Nō enim putādum est Apostolos curasse, & sanasse infirmos virtute naturali olei, aut id solum intendisse. Quid nanque opus illud ad doctrinam confirmandam contulisset? aut quo modo posset medium illud omnibus ægris indifferenter prodesse, & non multis nocere? Ergo sicut tunc instituit Christus illam vnctionem ad sananda corpora, ita credendum est instituisse in ratione sacramenti, cum non habeamus in Euāgelio indicium aliud huius institutionis. Et pro hoc facit, quod illum locum Marci.6. de hoc sacramento exponunt. Beda, Hieronymus, Theophylactus, Oecumen. Euthymi. Albert. Magnus. Carthosian. Beaulxa. Harmo.tomo.2.fol.116. in fi. & ea eodem loco Marci id sacramentum probant Beda, Oecumen. in Iacobi.5. Idem Beda li.3.in Lucam.c.7. Petrus Damianus sermo. dedicat. Pius V. in Cathechismo Antedigma Concil. Colon. Valden.ca.163. Castro, & Medices verbo vnctio, Petrus Soto lect.1.de hoc sacram. Vict.§.196.alias 213. Vnde non est cur Sotus hac d.q.1.art.1.§.Est ergo conclusio, dicat Bedam in hac re esse caute legendum, cum hæc sententia placuerit tot viris sapientibus citatis.

Beda. Hieronym. Theophyla. Oecumen. Euthymius. Alb. Magn. Carthusia. Beaulxam.

Cæterum quia, vt diximus supra, probabilius est vnctionem Marci.6.non fuisse sacramentum. Dicendum est ibi tantum insinuatam fuisse, Ioan.vero 20. institutam, & tributam fuisse Apostolis potestatem per hoc sacramentum remittandi peccata, & peccatorum reliquias. Nam ibidem, id est, Io. 20.data est vera potestas contra peccata, & institutus est Minister sacramenti pœnitentiæ, & extremæ vnctionis. Tunc enim institutum est sacramentum pœnitentiæ, vt docet Cōci. Trid.sess.14.cap.1.can.6.& 10.sess.6.cap.14 & sess.23.cap 4. Quod sacramentum inchoauerat Matt.10.dum leprosos clamantes misit ad sacerdotes, vt Patres aiunt.& ideo Trident. sess.14.cap.1.dicit præcipue instituit. Ita Ioan.20.dedit complementum institutionis vnctionis, vt significat Chrisost. li. 3.de sacerdotio, & in Ioan.hom.85. Cyrillus lib.12.cap.55. Quia per ly accipite spiritum sanctum exponunt potestatem remittendi, vt refert Bellar.li.1.sacra.ca.26.ad 2. Itē Cyrillus ibi, &c.56.vt refert Bellar.li.1.de pœnit. c.10. & Trid. sess.14. in proœmio dicit a patrib. vocari sacramentū consommatiuū pœnitentiæ cum tamen vnctionis institutionē inchoasset, & insinuasset Marci.6.nam & Io.20.secit ēt, vt ex officio essent ministri Baptismi, vt dicit ibi Cyrill li.12.in Io.c.56. Chrisō. ho.85.in Ioan.& Hiero.Epist.150.ad Edib.q.9.quia similia verba Lucæ vlt.habentur, vt fatetur D. August. de consens. Euan.c.25. Quem Lucam constat simul loqui de Baptismo, quod aduertunt Bellar.li.1.de pœn.c.10. & li.1. de Romano Pontifice c.12. Probabilius tamen est vt dicit Zaper ar.3.cum Osiandro, & Iansenio, verba esse diuersa in sensu, & tempore, Nam Ioan.loquitur statim post resurrectionem, & de solo sacramento pœnitentiæ. Sed Marc.vlt.& Luc.vlt.in die Ascensionis de solo Baptismo. At saltem ab his Patribus habemus, quod Io.20. institutus est per se minister trium sacramentorum, quæ ordinantur contra peccata. s.Baptismi, Pœnitentiæ, & extremæ vnctionis.

Conc. Trid.

Chrisosto. Cyrillus. Bellar.

Sacramentum vnctionis institutum fuit Ioan 20.

Cyrillus. Chrisost. Hieronym. August. Bellar. Zaper. Osiander. Iansenius.

Itaque plena huius sacramenti institutio consummata nō fuit a Christo Domino ante resurrectionem suam, tamen sine dubio credendum est fuisse consummatā ante Ascensionem, quia plene, & perfecte fundauit ecclesiā, priusquā ex hoc mundo discederet, ideoque omnia ēt sacramenta prius pfecte instituit, vt in superiori tomo d.2.q.1. latius diximus.

Nec coniectutæ D.Bonauen.vrgent, quia non est necesse, quod Euangelistæ omnia narrauerint, & quia iam fuit consummata gloria Christi post resurrectionem, etiam ante Ascensionem, Tum quia oportuit, vt priusquam Christus ad gloriam cōscenderet, & nos instrueret, & media institueret per quæ nos ad ascendendum cum illo disponeremur. Ex quib. consequitur nō esse vllo modo audiendū Ioannē Eckium, qui non reputauit absurdum si quis sentiat sacramentū istud ab Iacobo Apostolo, ex auctoritate Christi, & iussu Spiritus sancti fuisse institutum, etenim cum sit verum sacramentū vim habens conferendi gratiam, non nisi ab ipso gratiæ Auctore Christo oportuit institui, vt definitum est in Concilio Trid.sess.14.can.1.de extrema vnctione. Iacobus autem vt diximus non instituit hoc sacramētum, sed promulgauit, imo si vera sunt quæ scribit Lindanus in sua Panoplia li.4.ca.96. antequam Iacobus epistolam illam scriberet, sacramentum istud fuit apud fideles vsitatum, ipsisque Apostolica prædicatione traditum, quare Iacobus nec rem omnino nouam fidelibus proposuit, sed id repetiuit, & inculcauit, quod ex recepto iam more faciendum erat, quod quidem si ita est intelligere oportet Iacobum fuisse primum, qui sacramētum istud scripto quidem promulgauerit, licet antea etiam viua voce Apostolorum promulgatum esset.

Io. Eckius.

Lindanus.

ARTICVLVS III.

Vtrum materia huius sacramenti sit oleum oliuarum ab Episcopo consecratum.

PRo explicatione huius art. videndum est primo, quid sit extremæ vnctionis sacramentum, deinde explicabimus, quidnā sit eius materia, quod titulus articuli postulat. Quo ad primum Suarez duplicem huius sacramenti refert definitionem vnam appellat Physicam, & alteram metaphysicam cum enim hoc sacramentum, sicut & cetera constet ex materia & forma, tanquam ex partibus Physicis, sic dicatur sacramentum hoc, esse vnctionem oleo benedicto factam in eis partibus corporis, vbi præcipue quinque organa sensuum vigent, sub præscripta forma verborū. In qua definitione quāuis pars materialis ponatur loco generis, quia in rebus artificialibus solet materia de toto artificiato prædicari, ipsū tamen sacramentum non est proprie vnctio, nec pro illa sola supponit, sed pro toto composito ex vnctione, & verbis. Vnde proprius compositum ipsum poneretur loco generis, ita ut dicatur hoc sacramentum esse quoddam artificiale ex tali materia, & tali forma.

Suarez.

Aliter potest dari hæc definitio modo metaphysico ex genere, & differentia, nimirum, esse sacramentum nouæ legis ad confortandum seu alleuiandum in animo, & corpore fidelem grauiter ægrotantem, institutum, cuius definitionis genus satis constat ex dictis in primo art. vbi ostēdimus hoc esse vnum ex sacramentis nouæ legis. differentia vero sumpta est ex verbis Iacobi.ca.5. Et oratio fidei alleuiabit infirmū, & si in peccatis est, dimittentur ei.

Alij vtranq; definitionē miscent dicentes, extremā vnctionem esse sacramentum ex sacra vnctione olei, & prece sacerdotis confectum, & ad salutem mentis, & corporis ægrotantis hominis diuina institutione ordinatū. At Sco.in hac q. at. 2.sub litt. B. hoc sacramentū in hunc modum definit. Extrema vnctio, est vnctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partib. corporis cum oleo consecrato ab episcopo ministrata a sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione diuina efficaciter significans curationem finalem venialium.

Scotus.

Quo ad secundū obser.est, quod duplex est materia huius sacramenti, s.remota, & proxima. Materia remota ex communi omnium Theologorum consensu est oleū; nā expresso nomine illam designat Iacob. dicens vngentes eum oleo. Hinc secundo ēt est de fide oleum hoc debere esse oliuarū, vt declarauit Conc. Flor. in decreto Eugenij dicens materiā esse oleū oliuæ: nam oleum simpliciter dictum antonomatice inquit, Rich.hac d.ar.1.q.3.oleum de oliuis expressum dicitur, & secundū Palu.q.1.oleum oliuæ proprie est oleū, & ad hoc facit auctoritas, & vsus Ecclesię. Quapropter sicut aqua Baptismi intelligitur esse aqua naturalis, & materia Eucharistiæ panis triticeus, ex vi & proprietate verborū aquæ & panis simpliciter sumptorū, ita in præsenti ex vi vocis oleū, intelligimus hoc debere esse oleum oliuæ, & hanc fuisse Christi institutionē, quæ est prima radix huius necessitatis, ita ut nulla sit in ecclesia potestas dispensandi, vt ex alia materia fiat hoc sacramentum: quia illa, quæ ex Christi institutione sunt essentialia, immutabilia sunt. Quare hanc materiā nec Papa, nec ecclesia mutare pōt. Vnde oleum nucū non potest esse materia huius sacramenti, ex cuiuscunq; institutione nisi solius Dei, peccat ergo qui scienter admisceret huic materiæ aliū liquorem, puta balsamum, vel oleum nucum, vel consimilem alterius speciei.

Materia extremæ vnctionis est duplex.

Conc. Flor.

Richard. Paludan.

An oleũ vnctionis extremæ debeat esse simplex. Paludan. Sotus.

Sed dubium est, an sit de necessitate huius materiæ vt sit oleum simplex, id est, non mixtum alio liquore: aliqui enim Theologi ita sentiunt præsertim Palud. d. 23. q. 1. ar. 1. ait debere esse oleum simplex ita vt si misceatur balsamum sit trãsgressio præcepti, Idem sentit Soto. eadem dist. art. 3. addens si tanta fieret mixtio alterius liquoris, vt formam, id est, extremam speciem olei tollat, non esse materiam.

Ego autem dico primo, per se loquendo ad conficiendum hoc sacramentum sufficere simplex oleum benedictum, & in hoc differre a confirmatione, in qua necessarium est chrisma confectũ ex balsamo, & oleo, vt suo loco diximus, & hoc probat testimonium Iacobi adiunctis Concilijs, simpliciter enim de oleo loquuntur, non est ergo necessaria mixtio balsami.

Scotus.

Et rationẽ differentiæ tradit hic Scot. quia confirmatio, inquit, est ad confessionẽ, & confirmationem fidei, & ideo in confirmato non tantũ requiritur puritas conscientiæ, quam oleum significat; sed odor bonæ famæ, quem viuentes tenentur per bona opera, & exempla dare, de quibus admonẽtur fideles quando confirmantur, quem odorem balsamum significat, sed hic qui habet in breui exire de via ad terminum sufficit conscientia pura, quam oleum significat, ac propterea ex institutione simplex oleum traditum est.

Chrisma est sufficiẽs materia vnctionis extremæ

Dico secundo chrisma licet mixtionem balsami esse sufficientem materiã, & per se non esse contra Christi institutionem illa vti in hoc sacramento, immo videtur aliquando ecclesia vsa hac materia etiã ad ungendum infirmos, idque sumitur ex Epist. 1. Inno. 1. vbi post allatum Iacobi testimoniũ subdit, quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo Chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto Christiani vti possunt in sua, aut suorum necessitate inungendo.

Conc Vorm.

Concilium etiam Vormatiense eodem modo ait, sancto oleo chrismatis, & ꝙ loquatur de proprio chrismate colligi potest ex illo verbo ab Episcopo confecto, illud enim participium confectũ mixtionem aliquam, & plusquam simplicem benedictionem significat.

Fabia. Papa

Item Fabianus Papa in Epistola 2. ait debere episcopos feria quinta in Cęna Domini sanctum oleum conficere in quo saluatio infirmorũ creditur, vbi aperte loquitur de oleo sancto, quo dabatur hoc sacramentum. Fabianus aũt dum refert Apostolicam traditionem docet ex Apostolorum traditione Chrisma ex oleo, & balsamo debere ab Episcopo per singulos annos in cęna Domini consecrari, & ex eisdem partibus, & Concilijs constat, chrisma simpliciter appellari, ve. eque dici posse oleũ sanctum ab Episcopo benedictũ. Cum ergo habeamus ex Concilijs oleum ab Episcopo benedictũ esse materiam huius sacramenti, & chrisma sit oleum sanctificatum ab Episcopo, non est dubitandum esse sufficientem materiam. Et quamuis omne oleum sanctificatum soleat interdũ chrisma appellari, & in Pontificali Romano oleum infirmorum in sua benedictione ita vocatur, nihilominus tamen existimo seclusa ecclesiæ prohibitione, nullum esse peccatũ vti chrismate proprio ad hoc sacramentũ perficiendum, & præsertim si aliud oleum simplex & sanctificatum deesset.

Dico tertio. Propria auctoritate non licere illi aliquid miscere absolute, & sine causa, vt constat ex doctrina communi de sacramentis, verum item est si tanta esset mixtio vt corrũperetur olei natura, imo etiam si communem vsum, & appellationem olei amitteret, ita ut licet non esset oleum substantialiter transmutatũ, tamen ita esset iam commixtũ, & condensatum, vt non oleum, sed mixtum aliquod artificiale, seu vnguentum censeretur, illud non fore materiam sufficientem: quia nec est oleum simpliciter, & vsuale; at vero si oleum maneat in vera natura, specie, & vsu olei, non repugnat institutioni, quod ex ordinatione ecclesiæ cũ parua aliqua mixtione alicuius liquoris, sicut vino consecrando miscetur aqua, & aquæ Baptismi parum salis, & hac ratione dicebam Chrisma posse sufficere, & aliquando fortasse fuisse in vsu. Nunc autem quando ecclesia has materias, earumq; benedictiones distinxit, nõ esset licitum eas commutare, nec alio oleo in hoc sacramento vti præterquã illo, quod ad hoc munus ex ecclesiæ institutione conseruatur.

Scotus.

Debet etiam hoc oliuarum oleum, vt sit huius sacramenti apta materia ab episcopo consecrari. Nam consecratio episcopalis (vt dicit Scotus) necessaria est ad hoc, vt sit materia apta, ita quod consecratio est de necessitate sacramenti, & ministri ex diuina institutione, quam ecclesia Catholica, Apostolica traditione recepit, vnde non est audiendus Victoria,

Victoria.

qui in summa de sacramentis n. a 16. affirmat simplex oleum sufficere ex Christi institutione, ritumque benedicendi oleũ esse accidentarium ex ecclesiæ institutione, ideoque si prętermittatur etiam peccaminose validum nihilominus confici sacramentum, aliquando vero ex causa iusta, scilicet necessitate vrgente sine culpa posse ita confici: nam hæc sententia est contra omnes Theologos in 4. d. 23. & contra doctrinam, & sensum ecclesiæ, vt patet ex Concilijs Florent. & Tridentino, vtrumque enim dixit, materiam esse oleum per Episcopũ, seu ab Episcopo benedictũ.

Conci. Flor. Tridentinũ.

Quando autem Cõcilia assignãt materiam simpliciter, tantum ea ponunt, quæ sunt essentialia, vel substantialia, vt patet, tum ex absoluta appellatione, tum ex doctrina, quam de alijs sacramentis tradunt.

Innocen. I.

Innoc. etiam Primus, qui expressius, quam cæteri patres huius sacramenti mentionem fecisse videtur in d. Epist. 5. ad Decen. c. 8. dicit ægros inungendos esse oleo sancto ab Episcopo confecto, quæ verba vsurpauit Conc. Vormatien. c. 72. & Conc. Aquisgran. tit. 2. c. 8. dicit oleum sanctum conficiendum esse ab Episcopo: quia in eo saluatio infirmorum creditur, scilicet posita, quo verbo maxime significatur necessitas huius benedictionis, seu sanctificationis olei.

Conc Vorm. Aquisgran.

Hac ergo veritas sufficienter nobis constat ex traditione, etiam si non sit in scriptura euidenter expressa, de ratione autem seu congruentia, disputant D. Thomas. Duran. Palud. & alij. hac dist.

D Thomas. Durand. Paludan. Scotus.

Scotus vero hanc assignat congruentiam: quia communiter in sacramentis consistentibus in vsu, solus Baptismus non requirit materiam specialiter consecratam; quia Christus tactu mundissimæ carnis suæ, quando voluit a Io. baptizari, totam aquam consecrauit, id est, in vsum istum dedicauit, Ratio autem a priori diuersitatis sanctificationis materiæ huius sacramenti, & non alterius est diuina voluntas ad nos deriuata per doctrinam Apostolicã, adeo quod Christus sua institutione determinauit, vt materia esset oleum benedictum, nec potuerunt Apostoli, nec ecclesia hunc ritũ immutare, imo nec dispensare: quia in his, quæ sunt de substantia sacramentorum non potest ecclesia dispensare.

Oleum vnctionis extremæ debet esse ab Episcopo benedictũ

Duo tamẽ in hac benedictione distinguere oportet. scilicet a quo danda est, & modum quo danda est. Quo ad primum existimo esse a Christo Domino in particulari præceptũ, quidquid Palu. Duran. & alij sentiant, qui certe non consequenter loquuntur. Nam Concilia eodem modo dicunt oleum ab Episcopo benedictum esse materiam, ergo totum hoc est de substantia talis materiæ, & sacramenti, ergo totum est ex Christi institutione, vtraque consequentia ex dictis patet, & antecedens in terminis est Concilij Floren. & Triden. & sumitur ex alijs decretis citatis. Vnde sequitur per dispensationem Papæ nõ posse inferiori sacerdoti cõmitti, vt oleum illud benedicat, quod futurũ est materia huius sacramenti: quia in substantiali materia non cadit dispensatio, & Christus ex sui institutionis determinate postulauit oleum ab Episcopo benedictum.

Paludan

Palud. in d. 23. q. 5. ar. 5. concl. 3. dicit, quod ex constitutione ecclesiæ est, & non ex ordinatione diuina, ꝙ oleum sit ab Episcopo consecratũ, & cum humana constitutio subsit ordinationi Papæ, posset Papa cõmittere sacerdoti simplici, ꝙ omnem materiã, cuius sanctificatio requiritur ad vsu sacramenti sanctificaret, & benediceret, ex quo sequitur, ꝙ olei consecratio est de necessitate sacramenti, sed ꝙ sit consecratũ ab episcopo est ex institutione humana, & de necessitate ministri. Vnde Doctores qui putant sacerdotem posse consecrare chrisma confirmationis ex cõmissione Papæ, vt Caie. 3. p. q. 72. ar. 3. Palu. d. 7. q. 4. Idem potiori iure admittunt de oleo vnctionis, atq; ita Episcopi benedictio est de pręcepto, sed nõ de necessitate materiæ si Papa dispensat. Vict. §. 200. alias 216. & Sco. d. 7. q. 1 §. Materia aũt remota, Concilia autem explicant id, quod consuetum est absq; dispensatione, vide quæ diximus in 1. tomo d. 7. quæst. 1. de materia Confirmationis.

Caietanus. Paludan. Victoria. Scotus.

Modus autem huius benedictionis non fuit definitus, vt omnes docent, vnde omne oleum, de quo vere dici potest esse ab Episcopo benedictum est materia sufficiens, quia hãc solam Christus instituit, vt patet ex Concilijs Florent. & Trident. & fieri nullo modo potest, quin materia a Christo instituta sufficiat, vnde licet Episcopus mutaret modum benedictionis ab ecclesia designatum, si tamen ea mutatione non obstante vere, & in re ipsa illud oleum benedictum maneret, esset materia sufficiens, & hæc de materia remota huius sacramenti.

Quo

Scotus.

D. Thom.
D. Bonau.

Quo ad materiam proximam, quæ est vnctio facta ex oleo ab Episcopo benedicto, vt docet Scotus in hac q. sub litt. D. §. Ista ratio posita cauenda est quorundam sent. qui asserebant vt referunt D. Thomas. Bona. & alij in 4. d. 23. Sacramentum hoc esse ipsum oleum ab Episcopo benedictum, vnctionem, autem eius tantum esse vsum sacramenti iam confecti, quam merito vt improbabilem reijciunt, quia nullũ Sacramentum consistit in facto esse, aut habet esse permanens nisi Eucharistia, vt ex doctrina de sacramentis in genere constat. Cuius ratio est: quia per consecrationem Eucharistiæ ipse auctor gratiæ sub speciebus panis efficitur, & significatur, per benedictionem autem olei nulla gratia significatur, neque datur, vnde illa sacramentale quoddam est non sacramentum. Deinde forma essentialis huius sacramenti nõ esset, quam concilia præscribunt, id est, quæ profertur in ipso vsu, & vnctione, sed esset oratio illa, quam Episcopus dicit cum oleum benedicit, & consequenter minister proprius huius sacramenti non esset presbyter, sed Episcopus, quia ad illum solum pertinet olei benedictio. Sit ergo certum, sacramentum hoc consistere in ipso vsu, & olei benedictionem solum esse quandã materiæ præparationẽ seu confectionem.

Ex quo concluditur materiam proximam huius sacramẽti esse vnctionem ex oleo factam, quod optime probat verbũ Iacobi. Vngentes eum oleo. Duo autem de hac materia explicanda sunt, scilicet qualitas & quantitas; quo ad qualitatem inquiri potest, an oporteat fieri vnctionem in figura crucis? Dico hoc non esse de necessitate huius sacramenti, nã Conc. Flor. solum indicat vnctionem per modum crucis esse necessariam in confirmatione, quia in forma illius sacramenti exprimitur cum dicitur. Signo te signo Crucis, at hic nihil huiusmodi interuenit. Nã in forma simpliciter dicitur. Per istam sanctam vnctionem. Nec etiam videtur hoc signũ esse de necessitate præcepti saltem sub culpa graui secluso contemptu, aut scandalo, quia nullum est expresse latum præceptũ de hac re, & de consuetudine non constat sub hac existimatione esse introductam, & præterea materia ex se non est grauis. Quare si ex iusta causa omittatur, vt breuius, vel securius agatur, nullum erit peccatum, regulariter vero id magis piũ est, ideoque debet obseruari, & fieri. vide Ledesm. 2. p. 4. q. 21. art. 8.

Non est necesse vt vnctio fiat per modũ Crucis.

Ledesma.

Quo ad quantitatem. Conc. Flo. numerat septem vnctiones, quibus perficiendum est hoc sacramentum. s. in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vigentẽ. Hic vero numerus vnctionum dici potest veluti discreta quantitas huius materiæ. De singulis vero vnctionib. inquiri potest quantam esse oporteat vnamquamq; seu cuius magnitudinis. In hoc vero immorari non est necesse: quælibet enim sufficit etiam si minima sit, dummodo veram rationẽ vnctionis attingat iuxta communem loquendi modũ; non enim erit satis vnicam guttam olei stillare, quia id non est vngere, vel certe est res aliquo modo dubia, sed oportet partem corporis oleo lenire aliquod per illam diffundẽdo, hoc enim est proprie, & in rigore vngere.

Septẽ vnctiones fiũt in vnctione extrema.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hæc verba. Per istam sanctam vnctionem &c. sint forma huius sacramenti.

PRo explicatione huius art. obiec. est primo, aliquam verborum formam esse de essentia huius sacramenti, & in hoc nulla est controuersia inter catholicos, sed cum solis hæreticis, contra quos sufficiunt nobis definitiones Conci. Flor. & Trident. & quæ in superiori tomo de sacramentis in genere diximus. Ex quibus etiam certũ est, aliquam verborum formã esse determinatã iure diuino, atq; ita essentialẽ huic sacramento, vt sine illa confici nullo modo possit, hoc enim generale est omnibus sacramentis nouæ legis, & in particulari significant dicta Concilia de hoc sacramento, & ex dictis de illius institutione colligitur: Si enim Christus Dominus non præscripsisset certam verborum formã, non plene, nec definite instituisset essentialem ritum huius sacramenti, sicut in simili de materia dicebamus. Quo circa cum Victoria in summa sacramen. n. 201. & Naua. in Man. c. 22. nu. 13. dicunt posse ecclesiam mutare formã huius sacramenti, sano modo intelligendi sunt, videlicet posse Ecclesiam mutare, aut materialia verba seruato eodẽ legitimo sensu, aut alia verba, quę non sunt de substantia, sed ad ritum accidentalem pertinent.

Forma sacramẽti vnctionis quæ sit.

Victoria.
Nauar.

Secundo obser. est, quod tres referuntur formæ huius sacramenti Vna indicatiua, alia deprecatiua & tertia ex vtrisq; cõposita. Prima tempore D. Ambrosij fuit in vsu in Ecclesia Mediolanensi, quæ erat talis, vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, & filij, & spiritus sancti, vt more militis vncti præparatus ad certamen aereas possis superare potestates, ita refert D. Bon. d. 23. p. 1. ar. 1. q. 4. & alij ibi. Similemque formam refert ibi Palaci. ex libro sacramentali Venetorum approbato, vt ibi dicitur a Leone X. Vngo te oleo sancto, vt hac vnctione protectus, fortiter stare valeas aduersus aereas cateruas in nomine patris, & filij, & spiritus sancti. Ecclesia autem Romana vtitur illa forma per hanc sacram vnctionẽ, & suam pijssimam misericordiã, indulgeat tibi Deus, quicquid peccasti per visum &c. vt patet ex dictis Concilijs, & vsu, ex quo sequitur (dicunt aliqui) hanc formã non habere determinationem ex iure diuino. Tertia forma ex vtrisq; cõposita est talis, Vngo hos oculos, vt per istam sanctam vnctionem &c.

Tres referũtur formæ sacramenti vnctionis.

D. Bonau.
Palacios.

His obseruatis respondetur ad quæst. vnica cõclusione. Licet sacramenti extremæ vnctionis plures reperiantur formę, attamen non prima, sed secunda tanquã tutiore & congruentiore, ac quandoq; tertia Romana vtitur ecclesia a B. Petro ea in re, vt pie creditur satis edocta. prima pars huius cõclusionis patet ex secundo notabili, & secunda pars facili probatur contingentia. Quod aũt sit tutior probatur: quia de prima multi dubitant, an sit forma determinata & per se sufficiens, de secunda autem nullus dubitat, quam B. Petrus non dedit, sed docuit, & B. Iacob. eam tacite insinuauit cum dixit Et orent super eũ. Imo D. Tho. in 4. d. 23. q. 1. ar. 4. & D. Bon. q. 1. ar. 4. Capreolus, Sotus & alij, affirmant ita esse necessariã hanc formam, vt solum indicatiuũ verbum sine formali deprecatione non sufficiat, & fauent multũ Conc. Flor. & Trid. & confirmatur ratione. Nã duæ formæ non possunt esse per se, & sigillatim sufficientes ad constitutionem vnius sacramenti, nisi sint æquiualentes in sensu, si ergo forma deprecatiua sufficiens est, indicatiua sola non sufficit, quia non habet æquiualentẽ sensum. quod autẽ forma deprecatiua sit sufficiens fundatur in traditione ecclesiæ Romanæ, quam impossibile est decipi, in his præsertim, quæ pertinent ad substantiam sacramentorũ, vt dicitur in c. ad abolendã de hæreticis, vbi dr. Qui de ecclesiasticis sacramentis aliter sentire, aut docere nõ metuunt, quã sacrosancta Ecclesia Romana prædicat, & obseruat vinculo perpetui anathematis innodamus. Sed ecclesia Romana vtitur illa forma tanquã necessaria de necessitate sacramenti, & ministri ad hoc sacramentum. ergo tutior. De illis autem varijs formis dicendũ est eã, quam ecclesia retinet continere substantialem formã huius sacramenti. Vnde oẽs aliæ formæ, quo ad substantialem sensum, vel sunt reducendæ ad formã ecclesiæ Romanæ, vel aliquid eis addendum est, seu additũ semper facile credendum est, quo prædictus substantialis sensus perficeretur. Nã vt dicit D. Tho. credendũ est nullam ecclesiã vti solis illis verbis indicatiuis modi, sed præmittere illa ad explicandã actionem, & intentionẽ ministri, postea vero subiungere deprecationem, quod etiã significauit Alber. & Dur. et hoc modo interpretari conatur vsus Ecclesiarũ. Et supplemẽtum Gabr. d. 23. q. 1. dicit, quod si qui vtuntur forma tertia ex vtrisq; cõposita verba indicatiua nõ sunt forma, neq; de essentia formæ, sed quædã dispositio, & exhortatio ad formã, innuitur vel intentio ministri determinatur per illa uerba ad huius, uel illius mẽbri unctionem, & Palu. dicit quod nulla illarum formarũ est ab ecclesia prohibita, ideo obseruãda est consuetudo ecclesiæ huius, uel illius, hoc saluo quod semper fiat inuocatio Trinitatis sub signo crucis, de consecr. dist. 5. c. nunquid. ubi dicitur quod omnia sacra cũ eta Crucis signaculo perficiuntur. Verũ respiciendo textum, uidetur solum loqui de sacramentis, quæ chrismatis unctione perficiuntur.

D. Thomas.
D. Bonauẽ.
Capreolus.
Sotus.

D. Thomas.

Albertus.
Durandus.
Supl. Gab.

Paludanus.

Quod aũt sit congruentior docent D. Tho. & D. Bon. primo, quia suscipiens hoc sacramentũ est proprijs uirib. destitutus, ideo oratione est releuandus. Secundo quia datur excũtib. de hoc mundo, qui iã desinunt esse de foro ecclesiæ, & in manu solius Dei relinquũtur, ideo indigent intercessione apud Deũ, & sunt Deo per orationes fidelium cõmendandi. Tertio quia per istã formã exprimitur actus sacerdotis inungentis, intentio ministri, effectus sacramenti, infirmus inungẽdus, Auctor effectus sacramenti, & oratio ecclesiæ deprecatiua.

D. Thom.
D. Bonau.

Sed circa hanc formam sunt aliqua dubia. Primum est, an oporteat in hac forma explicare materiam remotam ex qua fit talis vnctio, sicut in Confirmatione dicitur. Confirmo te chrismate. Respondeo hoc non esse de necessitate huius formæ, nec de substantia Sacramenti, nec de præcepto, quod patet ex forma, qua vtitur Romana Ecclesia. nam solũ dicit, per istam sacram vnctionem &c. nulla facta mentione olei, ergo certum est hoc non esse de substantia, neq; de præcepto. Item in Baptismo non est necesse explicare materiam remotam, aquam in forma, nisi quatenus continetur in verbo abluendi, ergo neq; hic est necesse explicare materiã olei, nisi quatenus in voce vnctionis inuoluitur, præsertim cũ sit sermo in particulari de ista sacra vnctione. Nec est simile de Confirmatione: quia in Sacramento Confirmationis occurrit specialis occasio declarandi materiam chrismatis: nã sine illa verbum confirmo, aut signo non satis explicaret materiã proximam, seu actionem ministri, quæ fit per modũ vnctionis propriæ illius Sacramenti, quod secus est in præsenti: nã verba illa, per hanc sacram vnctionem, sufficienter declarãt materiam proximam, & actionem ministri.

In forma non est necesse explicare materiam remotam.

Quæ verba sint de essentia formæ.

Secundum dubium est, An singulæ illæ particulæ, scilicet istam, & sacram sint essentiales, vel sufficiat dicere per istã vnctionem, vel vngendo te, parcat tibi Deus, & videtur quod sic, quia formæ sacramentorum semper debent exprimere actionem, seu efficaciam ministri. Sed dicendum censeo verius esse fortasse has mutationes non esse substantiales, quãuis omnino cauendæ sint, quia non fierent sine graui culpa, tum propter dubium, & periculum, tum propter ecclesiæ consuetudinem. Idemq; dicendum existimo de illa particula, & per suam piissimam misericordiam, per quam declaratur virtus diuina, quæ principaliter in hoc Sacramento operatur, & in quam nititur deprecatio, quæ per hanc formam fit, vt D. Th. vbi supra q. 3. declarauit, Indicatq, illam particulam esse de substantia formæ; Sed mihi incertum est, an in re illa particula sit substantialis; quia explicari in forma principalẽ causam effectus sacramentalis non solet esse de substantia sacramenti, nisi vbi inuocatio Trinitatis ob specialem aliquam rationem est necessaria, necessarium est tamen sub graui culpa particulam illam non omittere, ne a communi consuetudine ecclesiæ recedatur, & vt omne periculum, & dubium vitetur.

Tertium dubium est. An reliquæ particulæ, quibus significatur effectus huius Sacramenti sint de substantia huius formæ. Et in primis est dubium. Cur potius petatur remissio peccatorum, quã aliquid aliud, dico breuiter illud exprimi, quia vel inter effectus huius sacramenti ille est præcipuus, vel ne finis præcipue intentus in hoc Sacramento propter peccata impediatur.

Inuocatio Trinitatis non est de necessitate huius formæ. Paludan. Angelus.

Secundò dubitari potest de inuocatione Trinitatis, quam aliqui addere solent in fine omnium verborum, an sit de necessitate huius formæ. Palud. vbi supra, & Angelus verbo vnctio extrema. nu. 2. saltem esse necessarium ex præcepto asserunt. Sed nulla est talis necessitas, quia neq; hoc Sacramentum est professio fidei sicut Baptismus, neque in hoc Sacramento occurrit aliqua specialis ratio inuocandi Trinitatem in forma, imo si bene attendatur modus deprecatiuæ formæ non bene illi accõmodatur, denique neque in Concilijs hoc declaratur, neque in cæremoniali Romano, neque etiam cõmunis consuetudo id habet, nullum ergo fundamentum est ad asserendam talem præcepti obligationem.

ARTICVLVS V.

Vtrum solus homo baptizatus, ratione vtens, pœnitens, & infirmus, possit hoc recipere Sacramentum.

EXplicata essentia huius sacramenti, superest dicendum de causis, & effectibus eius, incipiẽdo a causa materiali, causam autẽ materialem hic voco non materiã, ex qua sacramentum conficitur, hæc. n. est iam expedita, sed subiectũ in quo sacramentum recipiendum est, illud. n. per modũ materiæ in qua, vel circa quam ad totũ sacramentum comparatur, & ab illo sacramentum suum esse pendet. hæc autem materia, seu subiectum duplex est, nimirum totale, integrum, & aliquo modo remotum, quod est ipsa persona, & propinquũ, quod est pars talis suppositi. In præsenti ait, de subiecto remoto & totali est sermo, in sequenti vero de propinquo, & partiali.

Subiectum extremæ vnctionis est duplex.

De subiecto remoto in hoc ar. quærimus quatuor. Primo an solus homo baptizatus possit hoc recipere Sacramentum. Respondetur primo solum hominem viatorem, atque adeo in hac mortali vita degentem esse capacem huius sacramenti. hoc constat ex principio generali de sacramentis in genere. Sacramenta enim pro viatoribus instituta sunt, qui sunt capaces medicinæ, vel augmenti gratiæ, non pro alijs, qui iam sunt in termino. Hinc docent Theologi omnes, si infirmus iam sit mortuus, vngendum non esse cadauer eius, iam enim non fiet sacramentum, nec illa vnctio quidquam animæ proderit. Vnde vnctio illa, de qua Dionysius in fine libri de Ecclesi. Hierarch. quæ circa corpora fidelium defunctorum fieri solebat, vt ad sepulturam præpararentur, sine dubio non erat hoc sacramentum, neq; aliud, sed cæremonia aliqua pia, quæ a fidelibus tunc tenebatur. Vnde vlterius infertur, an fidelis vere sit mortuus, nec potest veritas omnino explorari, & merito timetur, ne dum exploratur veritas, moriatur; dari posse, & debere hoc Sacramentum sub conditione, aut verbis expressa, aut mente concepta. Si non es mortuus. Et in hac doctrina omnes Summistæ, & Theologi conueniunt.

Solus Baptizatus est capax vnctionis extremæ.

Dionysius.

Dico secundo hoc sacramentum tantum dari posse homini baptizato, hoc patet ex generali principio de baptismo, & sacramentis in primo tomo. vbi ostendimus Baptismum esse ianuam Sacramentorum, eiusque caracterem comparari, vt potentiam passiuam ad receptionem sacramentorum omnium, quare indubitatum est hoc esse de substantia sacramẽti. Ex quo sequitur sub forma verborum factam a sacerdote circa hominem non baptizatum in re ipsa, etiam si sit baptizatus in voto, & catechumenus, fidelis, ac iustus inanem, nullumque sacramentum esse, aut effectum eius habere. Vnde Concilium Triden. sess. 14. in principio, de hoc Sacramento ait, esse consummatiuũ pœnitentiæ, & totius Christianæ vitæ, supponit ergo necessario Christianam vitam inchoatam, at hæc inchoatur in Baptismo, vt constat.

Conc. Trid.

Secundo quæritur an solus ratione vtens sit capax huius Sacramenti. Dico primo quod infantes (quicquid dicat Maior hac d. q. 2.) non sunt capaces huius sacramenti: quia sicut isti infantes non sunt capaces pœnitentiæ, ita neque huius sacramenti, quod est consummatiuũ pœnitentiæ, vt dixit Concilium. Item quia in illis nondum est Christiana vita inchoata, quia hæc vita iuxta Concilij mentem in rationali actione consistit, subdit enim quæ, scilicet vita, perpetua pœnitentia esse debet. Tandem id patet ex fine huius sacramenti ab ipso Concilio declarato, institutum enim est propter luctam, & grauissimas tentationes articuli mortis, quarum nõ est capax infans, quia nec tentari potest, nec resistere. Denique hoc supponit etiam ex verbis Iacobi. Dum enim ait si in peccatis est, dimittentur ei, aperte loquitur de actualibus peccatis, supponit ergo hominem vngendum debere esse capacem actualis peccati; Item dum ait infirmatur quis in vobis inducat presbyteros ecclesiæ, significat ipsummet infirmum debere petere hoc Sacramentum, vel eius susceptioni consentire, quæ facere non potest nisi qui ratione vtitur. Hæc omnia colligit D. Bona. ex serie verborum, D. Iacobi, cum inquit inducat presbyteros &c. Et si in peccatis est &c. hoc autem, s. inducere, pœnitere, & in peccatis actualibus esse est solum adultorum.

Infantes nõ sunt capaces huius Sacramenti.

D. Bonau.

Dico secundo, quod illi, qui nunquam rationis vsum habuerunt, vt perpetuo amentes, qui infantibus comparantur quo ad omnia, non sunt huius sacramenti capaces, hæc conclusio patet, omnia enim, quæ procedunt in infantibus, procedunt in illis, qui nunquam rationis vsum habuerunt.

Perpetuo amentes non sunt capaces huius sacramenti.

Et si dicatur in infantibus & amentibus, sunt reliquiæ peccati originalis, contra quas etiam hoc sacramentum datur. Item mortis periculum, vnde potest hoc sacramentum eis esse vtile ad sanitatem corporis recuperandam, ac deniq; ad augumentum gratiæ obtinendum. Respondetur, quod hoc sacramentum non datur directe contra reliquias originalis peccati, nisi inquantum auctæ sunt per peccatum actuale, & ideo licet in pueris, & perpetuo amentibus reperiantur infirmitates, non tamen ex actuali, sed originali peccato dumtaxat causatæ. Item hoc sacramentum non tollit reliquias peccati originalis in se, seu radicaliter, sed per auxilia spiritualia confortando animum ad superandam debilitatem ex peccato illo contractam, infantes vero non sunt capaces huius remedij vt per se constat. Sanitas autẽ corporis non est effectus primarius, sed secundarius huius sacra-

sacramenti, qui cessat cessante primario, vnde propter illud solum non est dandum hoc sacramentum, maxime cum infallibilis non sit. Augmentum vero vel infusio gratiæ est generalis effectus sacramentorum, qui per singula sacramenta non datur, nisi vt coniunctus propriis effectibus ipsorum sacramentorum, & ideo vbi non est capacitas primarij, ac proprij effectus nec est capacitas sacramenti, nec effectus communis sacramentorum, quatenus per tale sacramentum conferendus est.

Furiosi & amentes qui lucida habent interualla possunt & debent inungi.

Dico tertio, quod furiosi & amentes si lucida habeant interualla, & eorum conualescentia speratur, non debent inungi, sicut nec baptizari, si autem non speratur conualescentia; & præsumantur per præcedentem voluntatem voluisse inungi, potest eis hoc sacramentum conferri. Pro explicatione huius conclusionis obseruandum est, quod diuersum est id, quod sufficit ad substantiam sacramenti, ab eo, quod necessarium est vt honeste, & recte ministretur. Vt. n. valide hoc sacramentum ministretur non est necesse, vt qui illud recipit, tunc sit sui compos, aut habeat vsum rationis, satis enim est (vt sapienter hic dicit Scotus) quod aliquando habuerit, & peccare actualiter potuerit, quantum est ex parte vsus rationis, quodque susceptioni huius sacramenti sufficientem consensum præstiterit ratio est: quia ad substantiam huius sacramenti, & vt persona absolute sit capax illius, sufficit quod fuerit capax peccati actualis, deuotionis, tentationis, & resistentiæ, & fiduciæ in Deum, quod vero hic, & nunc sit impeditus, ne hos actus exercere valeat per accidens est, ideoque non est contra substantiam sacramenti. Imo dicit Palud. quod si non speratur conualescentia, nec etiam in sanitate constituti petierunt sibi hoc sacramentum dari, si non sint excommunicati, nec ante lapsum fuerint vitæ prauæ, sed bonæ, præsumi debet, quod non fuerunt immemores salutis propriæ, sed si præuidissent hunc statum futurum petiuissent, aut voluissent sibi tunc vnctionem dari, & ita præsumi debent, quod petierint, & voluerint inungi saltem habitum, & secundum mentis præparationem. Et in hunc sensum dicunt fere omnes Doctores, quod licet ad recipiendum hoc sacramentum necessaria sit intentio, seu petitio recipientis, iuxta illud Iacobi. 5. Inducat Presbyteros Ecclesiæ, non tamen semper sit formalis necessaria, sed virtualis, seu interpretatiua sufficiat.

Scotus.

Paludanus.

Quamuis autem hæc ad substantiam sacramenti sufficiant, ministri tamen huius sacramenti curare debent, vt detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, & cognoscere possint quid circa eos agatur, & ad deuotionem & fiduciam per ipsum sacramentum valeant excitari, quoties tamen casu accidit infirmum prius amittere vsum rationis, quam vngatur, tunc sine culpa vngi potest. obseruandum tamen est, vt sacramentum non sine aliqua indecentia, aut immunditia, aut quid simile ministretur, quod dico propter furiosos, & amentes, in quibus maxime potest hoc periculum intercedere, quare si facerent irreuerentiam sacramento, cum hoc sacramentum non sit necessitatis simpliciter, existimo eos non fore inungendos tunc. Palud. tamen reprobat probabile, quod tales furiosi deberent ligari, & inungi: quia de per accidens extrema vnctio potest esse de salutis necessitate, vt si quis est solum attritus, & non contritus nec confessus, nec potest confiteri, tunc in hoc casu exteris paribus furiosus debet inungi, licet nesciat quid sit, & sufficit deuotio præcedens; quia sic inunctus ex attrito, fit contritus. Nam hoc sacramentum facit de attrito contritum, quoties suscipiens de nouo non peccat in illius susceptione, sed ille recipiens non peccat de nouo: nam ratione talis status est incapax noui peccati, & alias supponitur attritus, ergo fit contritus virtute sacramenti; ergo digne illi tribuitur; quod vtique verum est quando id fieri potest sine indecentia, vel immunditia, semper enim reuerentia sacramenti præferenda est priuatæ vtilitati alicuius personæ. Ad prudentiam vero ministri spectat ponderare, quanta illa sit, quantumque cauenda.

Paludanus.

An præcise pœnitens sit inungendus.

Tertio quæritur, an præcise pœnitens sit inungendus. Sensus dubij est, an sit de necessitate huius sacramenti, vt suscipiens aliquando actualiter peccauerit, & ratio dubitandi sumitur ex verbis formæ. Remittat tibi Deus quicquid peccasti per visum &c. quæ manifeste supponunt actuale peccatum. Vnde propter hanc præcipue causam pueri, & perpetuo amentes non sunt capaces huius sacramenti: quia cum non sint capaces peccati actualis, non potest super illos forma verè proferri. Beatissima etiam virgo non fuit capax huius sacramenti, quia non fuit capax actualis peccati: signum est ergo neminem esse capacem huius sacramenti, nisi qui actualiter peccauit. Tandem hoc sacramentum institutum est per modum medicinæ tam animæ, quam corporis, ergo sicut supponit infirmitatem corporis, ita etiam animæ.

His tamen non obstantibus. Dico posse hoc sacramentum dari posse etiam illi, qui nunquam actualiter peccauit. Et ratio est, quia neque ex verbis Iacobi, neque ex aliquo concilio, neque ex forma, vel materia huius sacramenti, neque ex fine eius colligi potest necessitas huius conditionis, & alioqui effectus præcipuus huius sacramenti optime locum habet in eo, qui nunquam actualiter peccauit, ergo & ipsum sacramentum: minor probatur quo ad singulas partes. Nam Iacobus solum dicit. si in peccatis est, dimittentur ei, quæ verba non supponunt necessario peccatum, sed conditionalis nihil ponit in esse, sed ad summum supponit possibilitatem peccandi Concil. item Florent. & Trident. in hoc nihil addunt his, quæ Iacobus explicauit. Forma item iuxta verba Iacobi intelligenda est. conditionaliter, seu potentialiter. Ignoscat tibi Deus, quod quid peccasti idest si quid peccasti, vel quidquid solet per visum peccari, sicut dicemus de illo, qui semper caruit aliquo sensu per quem peccare nõ potuit. Ex materia vero clarum est posse eis dari: quia licet vnctio significet curationem spiritualem, & hæc videatur animæ ægritudinem supponere, non tamen peccatum necessario, præter eam, quam homo habet ex se ad resistendum tentationibus dæmonis, præcipue in mortis articulo, & adiuncta debilitate corporis ex morbo prouenientis. Vnde neque ex fine aliquid colligitur, quia vnus ex principalibus finibus huius sacramenti est roborare infirmum in eo articulo contra Dæmonis insidias, & erigere athletam ad pugnam, hoc etiam subsidio indiget etiam homo qui nunquam peccauit. Minor autem principalis argumenti ex dictis probata relinquitur: quia ille etiam qui nunquam peccauit actualiter de se est debilis, & infirmus ratione originalis peccati, vel reliquiarum eius, & ægritudinis ad superandas dæmonis insidias. ergo non solum est capax proprij auxilij huius sacramenti, sed etiam illo maxime indiget, præterquam quod gratiæ sanctificantis augmentum accipiet, & ad ingressum gloriæ perfectius præparabitur.

Conc. Florẽt. Tridentinũ.

Verum est tamen, quod si interdum actualiter peccauit, antequam hoc sacramentum suscipiat debet peccatorum pœnitere; quia nullus est capax huius sacramenti digne, (vt dicit Scotus) nisi sit in gratia, illud enim sacramentum non est remedium acquirendi primam gratiam, quia ad hoc sunt tantum baptismus & pœnitentia, si autem est in peccatis venialibus, debet eorum saltem in generali pœnitere, alioquin si actu placerent fictus esset, & non conuenienter dispositus ad susceptionem sacramenti.

Scotus.

Ex his autem satisfactum videtur rationibus dubitandi in principio positis. Nam ad illud de forma iam dictum est quomodo potest intelligi conditionaliter, vel sic indulgeat tibi Deus &c. idest conferat tibi gratiam ex se remittentem omnem culpam si adsit, & confortantem contra reliquias eius si necesse sit. Ad illud vero quod de B. Virg. attingebatur quamuis Palud. d. 23. quæst. 3. art. 2. num. 5. & supplementum Gabr. quæst. 1. art. 3. dub. 1. in princ. Victor. §. 205. negent de facto recepisse vnctionem: quia de facto morbum de se lethale non habuit, & quia in portione superiori aiunt quidam habuisse effectum iustitiæ originalis cum plenitudine gratiæ, & luminis, & ita confirmata, vt in sensu composito peccare non posset, tamen hæc non impediunt, quin in via vt habuit libertatem ad meritum, ita auxilijs indiguit, quibus pugnaret contra tentationes extrinsecas a Diabolo oblatas, qui maxime tentare solet tempore mortis; & quamuis non indigeret remedio vnctionis, potuit illo frui ad augumentum gratiæ, & maiorem vigorem contra debilitatem naturalem, quæ contingit ex agone mortis; quare nihil est quod obstet, quin hoc sacramentum receperit, imo probabilius est illud recepisse, & alias decuit, tum propter fructum, tum propter exemplum, tum propter ipsum sacramentum, ne despici videretur; neque hoc est magis indecens, quam quod B. Virgo fuerit baptizata, quando quidem etiam baptismus datur in remissionem peccati, & ipsa ablutio non quancunque sanctificationem, sed illam, quæ a sorde peccati lauat, significat: tamen quia non significat illam vt necessario actualiter faciendam, sed solum quo ad collationem gratiæ de se sufficientis, & ordinatæ ad illud malum expellendum, ideo in Virgine etiam locum habere potuit, idem ergo dicendum est

Paludanus. Supplemen. Gabriel. Victoria.

do propter connexionem,& colligantiam potentiarum &c. & nisi ratio voluntatem auertat, subest peccatum in fontibus Hinc Hier.9. Intrauit mors per fenestras. Cum ergo abusus sensuum præ omnibus alijs præstet primatiam occasionem peccati, ideo vnctio illorum videtur esse de necessitate sacramenti non ergo totum corpus est huius sacramenti proximum subiectum Vnde quamuis Iacobus dicat vngentes eum, non dicit vngentes totum eum. necad veritatem illius locutionis necessarium est totum corpus inungere. Deniq; quamuis de baptismo dicatur baptizantes eos,& D. Thom. in 4.d.23.q.2.art.3.q.1.ad 3. ponens differentiam inter Baptismum,& sacram vnctionem dicat,quod in Baptismo abluitur totum corpus,non vero totum vngitur in hoc sacramento,quia Baptismus datur per modum ablutionis ad tollendas sordes,& per ablutionem tantum mūdatur ea pars, quæ lauatur,& ideo vt significetur totum hominem mundari,totum corpus abluitur: vnctio vero datur per modum curationis,sæpe autem curatur pars licet non ipsa,sed alia vbi est radix mali inungatur, & ideo vt significetur integra curatio nō est necesse totum corpus vngi:quare etsi illa vnctio significet infirmitatem spiritualem,& eius curationem,quæ sit in anima,quæ est tota in toto corpore, & tota in qualibet parte corporis,ex his tamen non sequitur,quod totum corpus inungi debeat. Nam quamuis de Baptismo dicatur Baptizantes eos,non est necesse integre totum corpus lauare, & licet doctrina D. Thomæ optime declaret, & confirmet veritatem positam,tamen non est de essentia Baptismi,vt totum corpus lauetur, aut quod per immersionem fiat, quia sufficit aspersio,& partis corporis ablutio,ita hic sufficit facere partium inunctionem, & hoc sufficit ad significationem effectus huius sacramenti,& licet anima sit tota in toto corpore &c.tamen videt oculo,& non manu,&c.

D.Thom.

Cum ergo non sit totum corpus inungendum, eritne liberum ministro quas voluerit partes corporis inungere? Dico quod non: sed iuxta numerum quinque vnctionum, quas supra enumerauimus quinque determinatæ partes sūt inungendæ,nempe quinque organa sensuum. Cuius ratio est institutio per vsum,& traditionem ecclesiæ nobis sufficienter manifestata. Congruentia vero iam tacta est; quia in quibusque sensibus viget origo omnis peccati, non possunt autem sensus ipsi in se inungi,sed solum ratione organi corporei, ibi ergo faciendæ sunt quinque vnctiones, vnde sicut illæ essentiales sunt,ita ex parte subiecti ad substantiam sacramenti pertinēt. quod in talibus subiectis proximis seu partialibus fiant.

Sunt ergo illæ partes organa potentiarum sensitiuarum, per quarum actus peccatur frequenter venialiter, vt potè organa quinque sensuum,& potentiæ motiuæ, & hoc aliqua do respectu eiusdem sensus,& potentiæ geminatæ,vt organa potentiæ visiuæ duo oculi,organa potentiæ auditiuæ due aures,organa potentiæ olfactiuæ nares,organa potentiæ tactiuæ manus,nam quamuis tactus sit dispersus per totum corpus,& ideo videri potest illa vnctio quantum ad substantiam spectat sufficienter fieri in quacunque corporis parte, quia ibi viget tactus,tamen communis ecclesiæ vsus habet, vt talis vnctio fiat in manibus,quia ibi dicitur esse organum huius sensus in maiori perfectione,& vigore. Et sicut in illis prædictis,sicut geminantur organa,ita geminantur vnctiones,organum gustus est lingua in qua nō fit vnctio propter abominationem tollendam vnctio ;sed exterius super os; propter autem organum potentiæ generatiuæ fit vnctio ad lumbos iuxta illud Gregorij super illud Lucæ.12. sint lumbi vestri præcincti, &c. Viris inquit luxuria in lūbis est,&c. propter organum motiuæ quantum ad progressiuam, quæ est principalis motiua,fit duplex inunctio in duobus pedib. tāquam organis ad illum motum ordinatis. Alia motio qua frequenter peccatur est motio linguæ iuxta illud Iacobi 3. Qui non offendit verbo,hic perfectus est vir, & multa alia ibi,& contra istud est vnctio oris,ita quod ipsa est remedium cōtra duplex peccatum veniale,sicut lingua congruit in duo opera naturæ 2.de anima.t.c.88.in gustum. & loquelam. sunt.ergo 12.vnctiones. 5. partiales,sed aliquæ sunt geminatæ quasi vna ita quod sunt septem principales quinque sensuum,sexta in organo principali potentiæ motiuæ progressiuæ,septima in organo principali generatiuæ. hæc Scotus in hac.q.sub lit. C. 5. quod adducit.

Quæ partes corporis sūt inungendæ.

Scotus.

Pro quorum explicatione sunt aliqua dubia soluenda. Primum dubium est. An sit de essentia huius sacramenti in vnctionibus singulorum sensuum [illegible] licem facere vnctionē. ver.gra. [illegible] um oculorum, au [illegible] orum aurium. Respondetur nega[illegible]. Nam quamuis [illegible] communiter fiat,& regulariter [illegible] sola necessitate ita [illegible] um sit propter consuetudinem ecclesiæ,tamen non est [illegible] e essentia,quia in vna parte sufficienter significatur vnctio [illegible] sensus,licet virtus eius in pluribus partibus vigeat,& ide[illegible] si ob necessitatem in quo cunque [illegible] vna tantum fiat vnctio,& verum fiet sacramentum,& nihil [illegible] ccabitur.

Secundum dubium,an septem vnctiones hic a Doctore enumeratæ,& a Concilio Florent. in decreto Eugenij sint de necessitate præcepti vel sacramenti. Nam quod non omnes sint necessariæ etiam ex præcepto,ex eo euidenter conuincitur,quia plerunque duæ carum omittuntur. s.pedum, & tenum præsertim in fœminis propter honestatem,atque adeo supplementum Gab.d.23.q.1.ar.2. Sotus q.2.art.3. & Victoria in summa.num.223. sentit non esse necessarias, imo de vnctione renum censent consuetudinem esse illam omittere. Quod vero verum est, de [illegible] etiam aliarum constare potest esse necessariam, [illegible] multo minus de toto earum numero: quia Concilium Florentinum omnes æque numerat, ergo si aliquas excipimus, quantum est ex auctoritate Concilij,non possumus de aliquas aliarum affirmare esse simpliciter necessarias, [illegible] quod Iacobus solum dixit. Infirmatur quis [illegible] vocet presbyteros ecclesiæ,& vngant eum oleo, [illegible] us verbis sufficienter explicatur materia huius sacramenti, vt Concilium Tridentinum, significauit,sed ad veritatem [illegible] memm horu [illegible] verborum non est necessaria multiplex vnctio,sed vna sufficit. sicut ex vi verborum Christi Baptizantes eos &c. vna aspersio, vel ablutio sufficit

Septem vnctiones an sint de necessitate sacramenti.

Supplemen. Gabr.

Sotus.

Victoria.

Propter has rationes [illegible] ausi sunt dicere non esse de necessitate huius sacramenti vt per plures actiones fiat, neque in determinatis partibus corporis, sed vnicam vnctionē sufficere,quantum spectat ad valorem sacramenti.Cæterum antiqui Scholastici sentiunt plures vnctiones esse de essentia,& valore huius sacramenti, saltem illas quinque,quibus quinque sensus inunguntur. ita docent D.Thomas.in 4. d. 23.q.2.art.3.q.2. D.Bon.Ricar.Duran.Palud.Maior.supplementum Gabr. Soto,& summista in verbo Vnctionis extremæ,quamuis non omnes distincte loquantur de necessitate sacramenti,sed absolute.Iuxta quam doctrinam omnino certum existimo has quinque vnctiones quinque sensuum esse de necessitate præcepti,hoc enim,vt minimum conuincit vniuersalis ecclesiæ consuetudo,a qua discordare graue crimen est,præsertim in re,quæ facile redundare potest in dubium de valore sacramenti. Et congruentia quam supra adduximus optima est: quia hoc sacramentum adhibetur, vt medicina ad fordes peccatorum tollendas,& ibi adhibetur vbi est radix peccatorum; hæc autem radix est in quinque sensibus, per quorum actus (vt inquit Scotus) frequenter venialiter peccatur, merito ergo in illis partibus applicatur medicina.

D. Thomas. D. Bonau. Ricardus. Durandus. Paludanus. Maior. Gabriel. Soto.

Scotus.

Tertium dubium est,an istæ vnctiones habeant inter se, ordinem,qui spectet ad essentiam sacramenti? Respōdetur, ordinem talium vnctionum non esse de essentia sacramenti. s. vt prius vngatur oculi,postea aures & c. licet. n.hic ordo seruandus sit, quia & est rebus ipsis conformaneus, & maxime quia ita habet ecclesiæ consuetudo,quæ sine aliquo peccato non potest omitti, non est tamen absolute de essentia,nec illa immutatio esset contra valorem sacramenti, vt omnes Doctores supponere videntur,quia materia essentialis non est relatio,aut ordo,sed vnctio,quamuis autem mutetur ordo,seruatur tamen tota vnctio essentialis, ergo &c.

Ordo vnctionum non est de essentia sacramenti.

Quartum dubium est, cum sint multæ vnctiones partiales & successiuæ, circa quamlibet particularis vnctio, puta vnctio oculorum cum prolatione verborum fit vnum sacramentum,& virtute illius remittātur venialia commissa per oculos,vel expectetur quousq; totum sit completum. Quantum ad hoc non est magnum periculum dicere hoc, vel illud; Nam vnum veniale potest remitti sine alio, cum compatiatur secum charitatem, & ideo potest dici, quod per illam vnctionem oculorum remittuntur venialia commissa per oculos,& non commissa per aures: & hoc videntur sentire aliqui Doctores,affirmantes,quod qualibet partialis vnctio cum forma sibi correspondente est partiale sacramentum,& habet suum effectum. Potest etiam dari secundum. s. quod in vltima vnctione remittuntur omnia venialia commissa

An qualibet vnctio cum sua forma sit sacramentū.

per

per organa quinque sensuum, eo quia omnes illæ partiales vnctiones sunt vnum totale sacramentum, & hoc quam est probabile.

Si inungendus careat manibus aut oculis vbi sit vngendus.

Quintum dubium est. An is qui inungendus est careat manibus, vel oculis, sit capax huius sacramenti & an ego & muti a natiuitate sint inungendi, de primo videtur quod non: quia cum careat proximo subiecto, quod est de necessitate sacramenti, videtur quod sit huius sacramenti incapax: idē videtur de secundis, quia nunquam peccauerunt visio cæci nati, vel lingua naturaliter muti, ideo ne fiat mendacium in forma, videtur quod illæ partes non sint inungendæ. Ad primum dico huiusmodi hominem non esse incapacem huius sacramenti, & vnctionem tunc faciendam esse in parte propingua, vt omnes Doctores docent, & vsus ecclesiæ satis ostendit, & ratio est, quia talis homo non minus indiget fine, & fructu huius sacramenti, debuit ergo ita infirmum, vt ab eius participatione non excludatur. Ad secundum dico, quod cum peccatum sit in voluntate, & non in sensu, & forte quādoque voluerint videre, vel loqui contra rationem rectam, & ita per visum, & linguam peccauerunt, non per potentiā imperantem, sed per voluntatem elicientem, aut obiectiue solum, ideo debent inungi cæci, ut diximus, manet, &c.

Sextum dubium. Petrus committit aliqua venialia, & per nullum istorum organorum, sed per solam cogitationem. vtrum per vnctionem externam remittantur, & videtur quod non: quia hoc sacramentum ... contra venialia commissa, & aliquod istorum ... exteriorum, ergo non se extendit ad venialia ... Dico quod nullum est veniale, quin sit commissum ... obiectiue per aliquod istorum organorum, & ... esse veniale, quod non habet operationem pro obiecto ... obiectum Dei superpunum, vel actus infidelitatis ... tamen dicere, quod illa remittuntur virtute ... vnctionis cum prolatione verborum.

ARTICVLVS VII.

Vtrum sacerdos sit minister proprius huius sacramenti.

IN hoc articulo de vltima causa huius sacramenti, qui est minister agitur. Circa quam cauendus est primo hæreticorum error: hi enim sicut negant vnctionis sacramentū, ita negant vnctionem illam de qua loquutus est Iacobus, esse necessario a sacerdotibus ministrandam. Quia Iacobus solum dicit inducat presbyteros ecclesiæ, idest seniores, & grauiores fidelium, ut ipsi aiunt) & non aliud in rigore significat vox πρεσβύτεροι. Accedit quod Innocentius primus Epistola 1. ad Decen. c. 8. loquendo de illo oleo sancto inquit. Quod nō solum sacerdotibus, sed omnibus vti Christianis licet in sua aut suorum necessitate inungendo. Quæ verba vsurpauit etiam Concilium Vormatien. c. 72. & iste Beda in Iacobum.

Innocent. 1.

Conc. Vorm. Beda.

Aliqui etiam ex catholicis dixerunt, saltem in extrema necessitate, quando sacerdotis copia haberi non potest posse hoc sacramentum ministrari ab inferiori clerico, vel etiā à laico si alius non fuerit sicut potest Baptismus, ita Vualden. tom. 2. de sacram. c. 163.

Vualdensis.

Laicus non potest sacrā vnctionem ministrare.

Ad hanc quæstionem respondetur per aliquas conclusiones. Prima conclusio, laicus non potest hoc sacramētum ministrare: quia non fieret per idoneum ministrum. Probatur, quia in hoc sacramento fit remissio peccatorum. sed laicus non est idoneus minister ad remittenda peccata, ergo non est idoneus minister ad ministrandum hoc sacramentum. Sed contra, hoc sacramentum habet effectum ab oratione, vt dictum est Iacobi 5. Sed oratio laici quandoque est Deo accepta, sicut oratio sacerdotis, ergo potest hoc sacramentū conferre. Præterea de quibusdam patribus legitur quod in Aegypto oleum ad infirmos ministrabant, & sanabantur, & similiter dicitur de sancta Genouefa, quod oleo infirmos vngebat, ergo hoc sacramentum potest conferri a laicis.

Respondetur, quod laicis ex officio nullum sacramentū administrare competit, eo quod secundum Dionysium de Ecclesiastica Hierarchia exercentes actiones Hierarchicas sunt in sacris constituti: sacramentorum autem administratio est actus hierarchicus, ergo cum laici non sint in sacris constituti, nullius sacramenti eis dispensatio competit, sola enim baptizatio propter extremam illius sacramenti necessitatem illius permittitur, vt regenerationis facultas nulli desit: istam quidem necessitatem non habet extrema vnctio.

Dionysius.

Vnde ad fundamentum hæreticorum, dico mentem Iacobi fuisse de sacerdotibus loqui, alioqui, quid necesse erat sacerdotes vocare, vt infirmum vngerent? certe potius sanctiores vocandi fuissent, per quos Deus facilius conferret sanitatem, si talis vnctio ad illam supernaturaliter conferendam præcipue ordinabatur. Illud igitur fundamentum hæreticū est, vt ex Concilio Tridentino constat sess. 14. c. 3. de hoc sacramento. & can. 4. vbi ita legitur. Si quis dixerit Presbyteros ecclesiæ, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum inūgendum hortatur non esse sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores, in quauis communitate, ob idque proprium extremæ vnctionis ministrum nō esse solum sacerdotem, anathema sit.

Conc. Trid.

Ad illud Innocentij. Sotus. q. 2. artic. 1. inquit Innocentiū illis verbis tantum affirmare, quod licitum sit sanitatis gratia oleo illo ab Episcopo consecrato infirmos delinire, non tamen sentit illud esse sacramētum, nisi a presbyteris in forma ecclesiæ illud fiat. Itaque voluit Innocentius iuxta Soti expositionem licere omnibus christianis vti oleo ad vngendum suos infirmos in necessitate, non quidem sacramentaliter, sed alio modo ex deuotione si necesse sit. Sed non est hæc expositio consent. ne a menti Innoc. qui plane loquitur de vnctione sacramentali, nam infra concludit esse genus sacramenti: dicendum est ergo loqui de vsu passiuo, i. licere omnibus fidelibus vti ... hoc oleo vocando presbyteros, qui eos vel suos in necessitate vngant. Ita exponunt Ruar. art. 2. Iansen. in c. 6. Marci, & ibidem Maldonatus, Bellarminus lib. 1. de hoc sacramento cap. 9. & Baronius tom. 1. anno Christi 63. num. 14.

Sotus.

Ruardus. Iansenius. Maldonat. Bellarmin. Baronius.

Ad primam rationem dico, quod oratio illa non fit a sacerdote in persona sua, quia cum sit quandoque peccator non esset exaudibilis, sed fit in persona totius ecclesiæ, in cuius persona orare potest quasi persona publica, non autem laicus, qui est persona priuata.

Ad secundum de discipulis B. Antonij apud Ruffinum lib. 2. hist. c. 4. & de S. Martino apud Seleucum Sulpicium in vita eius, c. 21. & de alijs apud Palad. c. 1. & 20. dico quod illæ vnctiones nec fiebant de oleo ab Episcopo consecrato, (saltem hoc ex historijs nō constat) sed oleo alio, quod ipsi forsasse per signum Crucis, vel aliam deprecationem benedicebant, nec erant sacramentales. sed ea quadam deuotione recipientium talem vnctionem, & meritis vngentium, & oleum mittentium consequebatur effectus sanitatis corporalis, per gratiam sanitatum, non per gratiam sacramentalem.

Ruffinus. Seleucus. Paladius.

Secunda conclusio. Diacones non possunt hoc sacramentum ministrare. Hæc conclusio de fide determinata est in Cōcilio Florentino, & Tridentino. vbi supra, & probatur: quia Diaconus non habet potestatem in corpus Christi verum, neque ad remittenda peccata, ideo nec per se habet potestatem in corpus mysticum ad sanctificādum illud, & ad remittendum peccata etiam mortalia, quod interdum per hoc sacramentum fit. Sed contra hanc concl. arguitur; quia hoc sacramentum habet vim purgatiuam, sed virtus purgatiua est in Diaconibus; ergo possunt ministrare hoc sacramentum. Maior patet, quia hoc sacramentum purgat ab infirmitate mentis & corporis: Minor probatur, quia Diaconibus pertinet ex officio exorcizare, per quod purgantur infirmitates. Item dignius sacramentum est sacramentum Baptismi, quā extremæ vnctionis, sed Diacones possunt baptizare, ergo extremam vnctionem ministrare.

Diacones nō possunt hoc sacramentū ministrare.

Ad primum dico, quod diaconus habet tantum vim purgatiuam, quæ fit per exorcismos, & catechismos, sed non illuminatiuam, quæ fit per gratię infusionem, atque adeo cū illuminatio fiat per gratiam, nullum sacramentum, in quo confertur gratia, diaconus ex officio potest dare, & per consequens cum in hoc sacramento conferatur gratia, diaconus illud administrare non potest.

Ad illud de Baptismo, dico quod hoc sacramentum non est necessitatis sicut Baptismus, ideo non ita committitur dispensatio huius sacramenti, sicut dispensatio Baptismi: qui est necessitatis, nec etiam diaconus potest baptizare ex officio, sed tātum ex commissione, & necessitate, & forte in primitiua Ecclesia ex commissione Episcopi propter frequentiam baptismi, vbi erat raritas sacerdotum, baptizabant.

Tertia conclusio. Episcopus non est huius sacramenti necessa-

Episcopus non est huius sacramenti necessarius minister.

cessarius Minister. Probatur ex Innocen. 1. in d. Epist. vbi sic loquitur. Superfluum est, vt de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere non est dubium. Nam idcirco de presbyteris dictum est: quia Episcopi alijs occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum, & benedicere, & tangere chrismate sine cunctatione potest, cuius est ipsum chrisma conficere, ex quibus verbis duo habemus, primum quod a ministerio huius sacramenti non excluditur Episcopus: quia cum sit Episcopus est etiam sacerdos, secundum quod Episcopus non est huius sacramenti necessarius minister; quia cum sint arctioribus negotijs implicati, non eis vacat, imo neque eos decet per domos infirmorum discurrere, quod esset ad inungendum illis necessariũ, si Episcopus esset huius sacramẽti minister necessarius.

Sacerdos solus est huius sacramenti minister necessarius.

Quarta conclusio. Solus sacerdos est minister necessarius huius sacramenti, neque ab vllo alio valide confici potest. hæc conclusio est Scoti in hac. q. sub lit. D. §. Quod autem sequitur. vbi dicit, quod sacerdos est idoneus minister huius sacramenti, non solum qui licite exerceat, sed qui solum sacramentum ministret, ita quod si alius attentaret nihil facit, sicut si non sacerdos attentet conficere nihil facit, & hæc conclusio est de fide, fundaturque præcipue inquit Scotus in verbis Iacobi. 5 Inducat presbyteros ecclesiæ. Quamuis enim nomen presbyteri in communi vsu Græcæ linguæ possit etiam seniorem significare, tamen in vsu ecclesiæ, & præsertim Apostolorum communiter sumitur pro ecclesiæ sacerdotibus, quod ostendit tum locus ille Pauli. 1. ad Timot. 4. Cum impositione manuum Presbyterij, tum communis vsus retentus in ecclesia latina, quæ veluti traditio quædam Apostolica reputari potest; atque ita intellexerunt hunc locum Concilia Florent. & Trident. locis supracitatis & indicarunt Beda, & alij in eum locum. & Cyrillus. lib. 2. in Leu. Chrysostomus lib. 2. de Sacerdotio. & Gratianus post cap. Presbyteros. 95. dist.

Conc. Flor. Tridentin. Beda. Cyrillus. Chrysost. Gratianus.

Sacerdos proprius iuste potest hoc sacramentum conferre

Quinta conclusio. Quamuis quilibet sacerdos hoc ipso quod sacerdos est, valide possit conferre hoc sacramentum, tamen vt licite etiam conferat, necessariũ est vt sit proprius ægroti sacerdos, aut a proprio potestatem habẽs. Prima pars probatur; quia sacramentum hoc non pendet quoad substantiam nisi ex potestate ordinis sacerdotalis, hanc autem integram habet quilibet sacerdos simplex, vt de fide certum est. Probatur maior. quia hoc sacramentum non confertur per modum iudicij, sed per modum cuiusdam sanctificationis, & medicinæ, ergo per se, & essentialiter non requirit potestatem iurisdictionis, sed solam potestatem ordinis, & præter has duas potestates non potest fingi alia potestas, vel conditio simpliciter necessaria. Secunda pars probatur ex Clement. 1. de Priuilegijs vbi generatim omnibus sacerdotibus interdictum est sub excommunicatione, ne quis administret hoc sacramentum, aut Eucharistiam, aut Matrimoniũ, aut absolutionem ei, qui non sit suus subditus proprius sine legitima ad id facultate per priuilegium sedis Apostolicæ, aut licentiam Parochi. Vnde Sotus, & post ipsum Valentia existimant sacerdotem quemcunque sine facultate hoc sacramentum administrantem incurrere excommunicationẽ maiorem ipso facto, nam indicant illam Clement. loqui vniuerse de omnibus sacerdotibus non parochis. Clementinam autem dudum. de sepulturis, loqui specialiter de religiosis. Sed licet hæc posterior Clemen. de solis religiosis loquatur, non tamen de hoc sacramento, nisi fortasse negatiue, quia illius vsum non concedit specialiter religiosis: tamen positiue non prohibet, nec propter hoc aliquam pœnam statuit. In alia vero Clement. sine vllo dubio non in vniuersum de simplicibus sacerdotibus; sed tantum de religiosis est sermo: nec licet a similitudine rationis in materia pœnali argumentum sumere, comprehendit ergo illa Clement. religiosos præcise; respectu secularium, non vero respectu regularium inter se: nam textus limitate loquitur, & Doctores annotarũt, simplex ergo sacerdos non parochus si sit secularis non potest licite hoc sacramentum ministrare sine licentia parochi, quia hoc est officium pastoris, quod vsurpare propria authoritate, & in materia adeo graui graue peccatum est, cæterum si hoc faciat censuram excommunicationis non incurrit. Regularis vero si absque licentia parochi hoc sacramentum administret, & peccat grauiter, & est ipso facto excommunicatus.

Sotus. Valentia.

Solet autem hic specialiter dubitari, an religiosus ministrans [illegible] sacramentum in il[illegible] extremæ necessitatis, quando [illegible] rochus vel abest, v[illegible] non vult hoc sacramentum [illegible] ministrare incurrat [illegible] censuram. Nam Syluester, [illegible] Archidiac. dixit [illegible] incurrere: verior tamen est contraria sententia, quam [illegible] Sotus supra. & Caiet. verbo excommunicatio. 5. c. 6[illegible] Pontifex ibi non intẽdit prohib[illegible] ere aliquid de nouo [illegible] sed solum censurã adiungere priori obligationi, & ideo non vetat in eo casu dare extremam vnctionem, in quo iure communi, & quasi naturali poterant. Nec vult etiam [illegible] sacramentorum administrationem concedere Parochis in detrimentum infirmorũ, sed solum ius eorum, & debitam subordinationem defendere.

Archidiac. Syluester. Sotus Caietanus.

Sed dubitatur an possit hoc sacramentum a multis sacerdotibus confici. Pro solutione [illegible] certa ab incertis segregemus statuendum est primo, vnum sacerdotem per se loquendo esse sufficientem ministrum huius sacramenti, quod certũ est de fide, & constat ex vniuersali vsu ecclesiæ, quia in vno sacerdote est potestas sufficiens ad applicandam totam materiam, & formam ad hoc sacramentum necessariam. Vnde in c. quæsitum. de verborum significatione, definit Pontifex sacerdotem vel filio præsente, vel etiam solum posse infirmũ inungere. Nec obstat verba D. Iacobi dicentis. Inducat presbyteros ecclesiæ; quoniam perinde est ac si diceret, vocet vnum ex presbyteris ecclesiæ, [illegible] plurale pro singulari acceptum sit, vel certe propter reuerentiam, vel solemnitatem sacramenti positum est plurale illud, vt significaretur sacramentum hoc cum debita pompa, & solemnitate esse deferendum.

Secundo certum est, hoc sacramentum regulariter ac per se loquendo ab vno, & eodem ministro esse perficiendum, a quo inchoatur, ita vt si aliter sine necessitate fiat, sine graui peccato non fiat, nam [illegible] et vsus ecclesiæ, a quo in re graui non sine graui crimi[illegible] separatur, tum quia voluntarie relinquere sacramentum [illegible] inchoatum, & imperfectum de se graue crimen est: nam quod ab alio postea perficiatur extrinsecum & quasi accidentarium est.

Difficultas vero est, an possit sacramentum hoc interdum a pluribus ministris valide fieri. Duobus autem modis possunt duo sacerdotes ad hoc ministerium concurrere, primo vt vnus faciat vnctionem, alius vero proferat formam, secũdo, vt vnus faciat vnam, vel plures vnctiones cum formis illis proportionatis, non tamen omnes essentiales, alius compleat, quæ defuerint.

De priori modo nihil inuenio dictum expresse a Theologis in particulari de hoc sacramento, de Baptismo quidem docent non esse validum si vnus abluat, alter vero formam proferat. Solus Scotus in hac. q. sub lit. D §. Quæ sequuntur, videtur innuere, non posse hoc modo sacramentum valide fieri, a pluribus personis seu ministris partialibus. Nam inquit. Quæ sequuntur verba debita, & simul cum intentione debita proferente pertinent ad formam huius sacramenti, & simultatem eius cum materia, & intentione ministri, simultas & intentio exposita sunt satis supra in materia de Baptismo; Nam sicut in sacramento Baptismi, requiritur quod idem abluat & simul formam proferat, vt diximus in t. to. Idem videtur de hoc sacramento supponere. Nam si in illo sacramento, quod est maxime necessitatis id Christus non permisit ex vi institutionis suæ. Cur in hoc sacramento, quod necessarium non est, id admittere debuisset. Quod cõfirmat vsus ecclesiæ. Nunquam visum est hoc sacramentum aliter confici, ex quo vsu explicari videntur verba Iacobi, & verba formæ, vt hunc sensum referant. Nam Iacobus ait. Inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum: expendenda enim & coniungenda sunt illa verba, orent vngentes, eundem ergo vult esse qui orat, & qui vngit, vult. n. vt vngendo oret, & orando vngat. Hæc ergo sententia tenẽda videtur.

Scotus.

Quoad secundum sensum dico breuiter, posse sacramentum hoc dicto modo confici a pluribus sacerdotibus. Ita docet D. Thomas in 4. d. 23. q. 1. art. 1. q. 2. ad 3. Ricar. ar. 1. q. 1. ad 4. Duran. q. 1. in fine. Sotus. q. 1. art. 1. Syluest. verbo extrema vnctio. q. 4. & Tabien. num. 5. qui dicunt esse hoc singulare in hoc sacramento, quia ex pluribus formis, & materijs partialibus constat, quamuis priores partes nihil factum relinquant quantum ad effectum sacramenti seu formæ, vel materiæ. In hoc enim posita est singularitas, si quæ est in hoc sacramento. In alijs enim contingit sacramentum inchoatum

D. Thomas. Ricardus. Durandus. Sotus Syluester. Tabiena.

ab

ab vno perfici ab alio, tamen ibi hoc est propter efficaciam priorum verborum, vt in Eucharistia declaratum est, at vero in præsenti per priorem vnctionem, & formam partialē nihil fit. & nihilominus cæteri Doctores asserunt nullo modo repetendum esse, sed quod deerat supplendum esse ab alio sacerdote. Cæterum quamuis hæc sententia nobis placeat, displicet tamen in hoc quod dicit quod priores vnctiones nihil factum relinquant quantum ad effectum sacramenti, seu formæ, vel materiæ. Ideo existimo dicendum esse, priores partiales vnctiones a priore sacerdote factas sub proprijs formis partialibus re vera fuisse validas, idest ex se sufficientes ad verum sacramentum conficiendum, & in suo gradu, & ordine habuisse suam significationem, & perfectionē partialem. Cuius signum est, quia si prior sacerdos reliquas partes consummasset, perfectū ex omnibus fieret sacramentum, ergo priores ex se validæ erant. Vnde in hoc conuenit hæc partialis confectio sacramenti, cum consecratione hostiæ in Eucharistia, quod vtraque est vera confectio sacramenti partialis, quamquam differat in modo, quia diuersū esse sacramenti habent. Eucharistia enim habet esse permanens, & perficitur per transmutationem materiæ, & ideo fit illa species sacramenti per propriam & physicam actionem formæ circa materiam. hoc autem sacramentum tantū consistit in vsu, eiusque confectio non consistit in actione formæ circa materiam, sed in sola prolatione eius tanquam informatione, seu artificiali coniunctione, & significatione, & ideo hac vsa actiuitate formæ vernaculè dicitur hoc partiale sacramentum, & in hoc est formalis conuenientia: nā quod vnum sacramentum fiat per actionem, aliud vero minime, diuersitas materialis est, formaliter n. etiam vnctio partialis manet suo modo consecrata per formam suam, & determinata ad significationem sacramentalem, & consequenter etiā ad sufficientiam si aliæ partes adiunguntur, & in hoc fundatur ratio huius sententiæ: nam in sacramentis conficiendis, quod semel valide factum est, non est iterandum, sed addendum quod deest, hæc autem pars sacramenti valide facta est, ergo non est iteranda. Vnde nihil refert, quod illæ priores vnctiones nullum habuerint effectum gratiæ in suscipiente: satis est quod sacramentum quoad partem illam vere maneat confectum, & subiectum licet non maneat sanctificatum quantum ad sanctitatem gratiæ, manet tamen, vt sic dicam, ex ea parte sacramentatum, & dispositum ad effectum gratiæ, si reliquæ partes adiungantur, & ideo quod factum fuit non est iterandum, sed quod deest fuit addendum, ex quo fit necessario consequens, vt tale sacramentum a pluribus sacerdotibus confici possit. Præterquam quod posset dici, quod quælibet partialis vnctio habuit suum effectum, cum quælibet partialis vnctio cum forma sibi correspondente (vt diximus in superiori art. dub. 4.) est partiale sacramentum. quod etiam innuit Scotus ad secundum.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum remissio venialium sit proprius effectus huius sacramenti.

PRo explicatione huius quæst. obseruandum est primo, aliud esse inquirere, an hoc sacramentum deleat venialia peccata, & quando, aliud vero an sit primario ad hunc finem institutum. Primum a nemine negari potest, & patet ex verbis D. Iacobi, etsi in peccatis est remittentur ei, & ex verbis formæ. Per istam sanctam vnctionem &c. remittat tibi Deus, quicquid oculorum, narium, linguæ, tactus, vel huiusmodi vitio

D. Bernard. deliquisti. Vnde D. Bernardus in vita Malachiæ referēs sanctum illum cuidam fœminæ ægrotanti hoc sacramentū ministrasse, addit hæc verba sciens in hoc sacramento remitti peccata, & quod oratio fidei saluet infirmum. Et Cōcilium

Conc. Trid. Trid. sess. 14. c. 2. inter effectus huius sacramenti hunc primo loco ponit; nam relatis verbis D. Iacobi, hæc subdit. Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti cuius vnctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit &c. Posterius vero controuertitur inter Doctores.

Aureolus. Secundo obseruandum est, quod septem sunt notabiles huius sacramenti effectus, vt dicit Aureolus in 3. d. 27. & refert Angelus in verbo vnctio extrema. nu. 6. primus est deletio venialium; Nam negari non potest, quin hoc sacramentum sit institutum, ad tollenda peccata etiam quo ad culpam, tum propter verba formæ quicquid peccasti, tum propter verba Iacobi, si in peccatis est, tum propter verba Concilij, delicta si quæ sunt adhuc expianda, quæ omnia non satis intelligerentur de solis pœnis peccatorum, vt ex proprietate, & modo locutionis constat. Secundus est diminutio pœnę debitæ tam pro veniali, quam pro mortali: quod colligitur ex fine huius sacramenti, qui est præparare vltimo animam, & quantum in ipso est eam proxime disponere ad introitum gloriæ: quia non solum culpa, sed etiam reatus pœnæ non remissus impedit introitum gloriæ, sed hoc sacramentum institutum est ad tollenda omnia hæc impedimenta quantum in ipso est, & proxime præparandum hominē ad gloriam, vt docet

Scotus. Scotus in hac q. art. 1. secūdo colligit ex verbis formæ, quicquid peccasti: absoluta. n. & vniuersalis remissio peccatorū; de se etiam pœnas complectitur. Iuuat præterea Concilium

Conc. Trid. Trid. separatim dicens, delicta, & peccati reliquias abstergit, optime enim inter reliquias peccatorum numerari potest reatus pœnæ post remissionem culpę relictum, esto aliæ etiam sint peccatorum reliquiæ, locutio autem Cōcilij cum sit indefinita, & doctrinalis vniuersaliter est intelligenda.

Tertius est augmentatio gratiæ, quæ augetur virtute ipsius sacramenti, & non tantum ex deuotione ministrantis, vel recipientis, sed ex ipso sacramento operato Dei interueniente misericordia; Nam præcipuus effectus huius sacramenti est gratia ad peccatorum remissionem, & si augetur gratia, per consequens augebitur gloria.

Quartus effectus est vnctio interior per charitatem quandam, & iucunditatem spiritualem: Nam homo in illo articulo mortis est in ingenti timore & tremore propter demonū præsentiam constitutus, propter quod Dei misericordia instituit hoc sacramentum ad donandum interiorem lętitiam, robur, & spem contra Demonis tentationes, quas potissime in mortis articulo conatur inferre, hoc totum fundamentū habet primo in illo verbo Iacobi. Et alleuiabit eū dominus, Græce excitabit, seu confortabit eum dominus. deinde sum-

Conc. Trid. ptum est ex Concilij Trid. doctrina sess. 14. vbi in proœmio de hoc sacramento sic inquit. Clementissimus redemptor noster, &c. ita extremæ vnctionis sacramento finem vitæ tāquam firmissimo quodam præsidio muniuit. Nam & si aduersarius noster, occasiones per omnem vitam quærat, & captet, vt deuorare animas nostras quoquomodo possit, nullū tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia, etiam si possit diuinæ misericordiæ deturbandos, quam cū impendere nobis exitum vitæ perspicit. Idem significauit

Conc. Colon. Concilium Coloniense. p. 7. c. 40. dicens. Restat extrema vnctio, quæ quoniam in morte extrema lucta est adhibetur, vt vel conualescat ægrotus, si Deo ita visum, fide, bonaq; spe obdormiat in domino. Ex quibus verbis ad tres præcipuos effectus hoc sacramentum dari videtur, quæ maxime in articulo mortis necessarij sunt. Primo ad roborandam fidem: quæ maxime in eo articulo necessaria est. Nam vt Conciliū Trident. dixit. Tunc Demon omnes suæ versutiæ neruos intendit ad hominem a fiducia diuinæ misericordiæ deturbandum. & ideo in cap. 2. addit de hoc sacramento. Aegroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo misericordiæ fiduciam excitando. Secundo præbet hoc sacramentum auxilium ad hilaritatem animi concipiendam: quia infirmus morbi incommoda, & labores leuius fert, vt idem Conciliū dixit. Tertio hinc etiam promptior, & fortior redditur ad tētationes Demonis, quæ tunc grauiores sunt superandas, ex hoc sequitur.

Quintus effectus, fractatio diabolicę potestatis. Credendum est enim quod Demon post sacramenti receptionem, non sit sic potens tentare vt prius, cum enim videt infirmū multiplici signo Crucis signatum oleo sacro, terretur, nec ita audet appropinquare, vt prius.

Sextus effectus est corporis sanatio. Vnde in primitiua Ecclesia multi hoc sacramento suscepto sanitatem consequebantur corporalem: ideo dicitur Iacobi 5. & oratio fidei saluabit infirmum, vel alleuiabit eum dominus, quod etiam de salute corporali intelligendum esse definitum est in Con- Conc. Flor. Tridentin.

cilijs Florent. & Trid. & ita intellexerunt D. Thom. D. Bo- D. Thomas.

nauent. & alij cum Magistro in 4. d. 23. & Hugone lib. 2. de D. Bonauent.

Sacramen. p. 15. c. 2. Quia vero sanitas corporis non est bo- Magister.

num per se necessarium homini, sed est inferioris ordinis, Hugo.

atque ex his, quæ interdum ad bonum animæ expediunt, vero nimium; ideo pro nullo illa non intelligitur esse absoluta, sed sub ea conditione, quam Concilium cap. 2. expressit. Vbi saluti animæ expedierit.

Septi-

Septimus effectus est protestatio infirmi decedẽtis, quia mansit in vera fide ecclesiæ militantis, & ideo securus egre ditur, & ingreditur ad Ecclesiam triumphantem cum populo triumphanti, sicut.n.sub signo sacramenti Baptismi, Baptizatus ingreditur Ecclesiam militantem, sic sub signo extremæ vnctionis, Ecclesiam triumphantem ingreditur, portans secum testimonium signi, quod fideliter mansit in Ecclesia militanti, & sic signatus intrat gloriam.

D. Thom. Octauus effectus potest addi ex D. Thoma. in 4. d. 23. minimum quod tollit peccatum veniale & mortale, etiam quã rum ad culpam, dummodo non opponatur obex ex parte recipientis. Nam quæ diximus de primo effectu huius sacramenti non possunt arctari ad sola venialia peccata, tũ quia verba formæ generalia sunt, & cum distributione, quidquid peccasti: tum etiam quia propter sola venialia, non oportuisset in verbis Iacobi ponere cõditionem. si in peccatis est, quia vix reperitur homo aliquando sine culpa veniali, tum denique quia delicta in rigore magis significant mortalia, quam venialia, magisque necessaria est in illo art. eorum remissio, quam istorum.

Sed circa modum quomodo mortalia remittat cauenda sunt extrema. Nam si remittit mortalia sequitur posse facere hominem interdum de attrito contritum, sed non etiam, qui sciens & videns accedit ad hoc sacramentum cum sola attritione, & absque sacramento pœnitentiæ, etiam si per eũ non stet confessio, sed confiteri non possit: quia saltem per eum stat, quo minus contritus accedat, semper.n. conteri potest, & ad hoc tenetur per se loquendo, nec excusatur ratione ignorantiæ, vt supponimus, nec ratione huius sacramenti, quia ipsum, per se loquendo est sacramentum viuorum, licet debilium, & ideo per se supponit gratiam, nec ex directa intentione institutum est ad illam primo conferendam, *Scotus.* vt docet Scotus in hac. q. sub lit. D. §. quod additur pœnitentis. per se ergo loquendo necessaria dispositio ad hoc sacramentum est status gratiæ, & consequenter vt is, qui consciẽtiam habuit peccati mortalis, prius vel digne confiteatur, vel si non datur copia confessionis saltem conteratur. Per accidens autem poterit sufficere sola attritio, dummodo intercedat excusatio noui peccati commissi propter omissam contritionem. Erit autem illa excusatio, vel si inuincibiliter existimetur contritio, quæ tantum gradum attritionis attingit, vel inuincibiliter quis putet illam esse sufficientem dispositionem, vel certe si absque actuali vsu rationis sacramẽtum ei detur: nam tunc non potest in ipsa susceptione actualiter peccare: vnde si erat attritus, quãdo vsum rationis perdidit sine dubio iustificatur. De illo enim statu, iuxta proxime præcedentem dispositionem iudicandum est: quia in illa censetur moraliter permanere.

Corrolariũ. Ex hoc sequitur Corrolarium, stat duos in æquali dispositione, & displicentia peccatorum suorum quantum est ex parte eorum decedere & vnus damnabitur, & alter saluabitur: quia vnus recipit hoc sacramentum, virtute cuius ex vi operis operati remittitur peccatum & alius non suscipit, nec dimittitur ei peccatum, & damnatur. Ideo hoc sacramẽtum per accidens extenditur ad remissionem mortalium, & de per se ad remissionem venialium.

His suppositis, & explicatis circa propositam quæstionẽ est duplex modus dicendi, vnus tenet effectum primarium huius sacramenti non esse venialium remissionem, sed diminutionem reliquiarum peccati originalis, & actualis. Ita D. Thomas in 4. d. 23. q. 1. art. 2. quæst. 1. Quem sequitur ibidẽ Paludanus. q. 4. Capreolus. q. 3. art. 1. Sotus. q. 1. art. 2. & cæteri Thomistæ. Quid autem intelligant per peccatorum reliquias varie exponunt. Quidam intelligunt peccata aliqua, quæ interdum accidit relinqui in anima etiam quo ad culpam post alia sacramenta suscepta, siue quia ob inaduertentiam omissa sunt, siue quia postea sunt commissa, quod frequentius accidit in venialibus peccatis, quã in mortalibus, & ideo magis solent hæc venialia comprehendi sub his reliquijs quam mortalia peccata. Alij per reliquias peccatorũ intelligunt reatum pœnæ temporalis. Alij per reliquias intelligunt prauos habitus ex peccatis relictos; Alij postremo dicunt reliquias peccatorum esse, pronitatem ad malum, & torporem, ac difficultatem operandi bonum, quæ ex peccato originali, & actuali relinquitur.

D. Thomas. Paludanus. Capreolus. Sotus.

Sed contra hanc sententiam quouis modo explicatam arguitur. Nam si per reliquias peccatorum intelliguntur peccata, vel per inaduertentiam omissa, vel postea commissa, hic modus dicendi est vetus, cæterum non iuxta mentem D. Thomæ, & aliorum, qui de his reliquijs peccatorum loquuntur, nam generatim illas distinguunt ab omnibus peccatis commissis, peccata ergo vel per præcedentem absolutionẽ non dimissa, vel post illam commissa, et dici possint relicta, seu durantia post præcedentem remissionem vel susceptionem sacramenti, non tamen propriè iuxta D. Thomam dici possunt peccatorum reliquiæ. Qui vero per peccatorũ reliquias reatum pœnæ temporalis intelligunt, minus probabiliter loquuntur, quia ad pœnam temporalem tollendã nullum est sacramentum per se institutum, nec sunt necessarium: tum quia talis effectus per se non requirit infusionẽ gratiæ, tum etiam, quia ille est proprius effectus sacrificij ex opere operato, suntque alia sufficientia media, quibus hæc pœna tolli potest. Qui autem per reliquias intelligunt prauos habitus ex peccatis relictos improbabilius loquuntur; quia illi non tolluntur per gratiæ infusionem, quantumuis perfectam, & ideo nec tolluntur per hoc sacramentum magis quam per alia, vnde experientia constat, cum qui in ægritudine hoc suscipit sacramentum, si postea cõualescat eosdem habet sentire. Item verba Iacobi. Si in peccatis est dimittentur ei. & verba etiam formæ non rectè de his habitibus intelliguntur, denique propter hunc effectum esset sumendum hoc sacramentum etiam in quolibet tempore vitæ.

Easdem difficultates patitur vltimus modus explicandi istas peccatorum reliquias. Nam in primis non apparet, quæ sint hæ reliquiæ sic explicatæ præter fomitem, & phantasmata, vel habitus prauos Ex peccato n. originali seclusa pœna & culpa nihil aliud relinquitur nisi fomes, ex actualibus vero nihil nisi phantasmata, vel habitus, & ab his prouenit, vel pronitas ad malum, vel torpor ad bonũ, et si quid aliud fingitur voluntarium est, sic facile explicari poterit, quid illud sit, at fomes non tollitur per sacramentum, vt per se notum est, nec etiam habitus, vt declaratum. ergo &c. Et si dicatur sacramentum hoc non tollere hæc radicitus, sed viuare, & confortare animum ad hæc vincenda &c. Cõtra hoc est, tum quod hoc non videtur particularis effectus alicuius sacramenti, omnia enim dando gratiam, cuique specialia auxilia iuuant ad vincendas & superandas has reliquias peccatorum. Tum etiam quia si hic esset præcipuus finis huius sacramenti, etiam tempore sanitatis esset suscipiendum: quia ille finis semper est necessarius.

Est ergo secundus modus dicendi, quod proprius effectus huius sacramenti est remissio venialium peccatorum. Ita docent Alex. de Ales. 4. p. q. 5. m. 7. art. 2. Altisiod. lib. 4. summę. c. de extrema vnctione. q. 1. D. Bona. d. 23. art. 1. q. 1. Ricard. art. 1. q. 5. & 6. Scotus in hac. q. Durand. q. 1. nu. 9. Supplemẽtum Gabr. q. 1. art. 2. Almayn. Maior. q. 1. Carthus. q. 2. Asten. lib. 5. summæ tit. 4. 1. art. 5. Abulen. sup. cap. 8. Matth. q. 8. Albertus Pigiu. controuer. 10. Ayla de tradit. 3. p. consideratione. 8. & Denique Nauar. cap. 22. nu. 13. vbi dicit. Hoc sacramentum principaliter esse institutum ad remissionem peccatorum venialium iuxta communem sent. in c. si Romanorũ. d. 19. & in cap. solitæ. de maiorit. & obed. quam sententiam probant ea omnia quæ adduximus ad probandum primum effectum huius sacramenti.

Alex de Al. Altisiodor. D. Bonauen. Ricardus. Scotus. Durandus. Gabriel. Almayn. Maior. Carthusian. Asteñs. Abulen. sis. Albertus Pigius. Ayla. Nauar.

Quæ sententia si rectè explicetur vera est, & Concilijs Florent. & Trid. valde consentanea vnde pro eius explicatione obseru. est ad finem, seu effectum per se institutum per hoc sacramentum pertinere præparare finaliter animam, & quantum in ipso est eam proxime disponere ad introitum gloriæ, hoc colligitur ex Conc. Trident. quatenus ait sacramentum hoc, esse totius humanæ vitæ consummatiuum, & ad sacramentum hoc spectare delicta si quæ sunt adhuc expianda, & peccatorum reliquias abstergere.

Duo sũt quibus homo p̃paratur ad gloriam. Secundo obseru. est, quod duo sunt, quibus homo potest ad gloriæ introitum præparari, vnum est perfecta animæ sãctificatio, quæ præter gratiam sanctificantem consistit in ablatione omnis mali ex peccatis prouenientis, aliud est perseuerantia in illo bono vsque ad mortem. Primum confert hoc sacramentum quantum est in se; quia si non inueniat obicem tollit omne malum, quod posset introitum gloriæ impedire, aut retardare, atque hinc optime colligitur hoc sacramentum institutum esse ad tollenda peccata, etiam quo ad culpam, vt supra ostendimus; cum.n. hoc sacramentum per se primo ordinatum sit ad præparandum proxime hominẽ ad introitum gloriæ, & ad hanc præparationem maxime necessaria sit peccatorum remissio, non potest hæc ratio exclu-

di

di ab intentione instituentis, quinimo speciali intentione, hoc remedium procurauit, vt si fortasse casu aliquo accideret aliquod peccatum non esse dimissum per hoc sacramentū deleretur. & hoc significatur in illis conditionalibus Iacobi. Si in peccatis est dimittentur ei: & Concilij. Delicta si quæ sunt adhuc expianda abstergit. Quare exprimendo hunc effectum sub conditione plane significant esse peculiarem huius sacramenti, & in eius institutione intentum. Et hoc quam maxime commendat Christi Domini prouidentiam circa salutem æternam hominum, illiusque desiderium, Nā quia ab illo momento æternitas pendet: & damnum, quod tunc incurreret circa æternam salutem irreparabile est, potestque multis de causis contingere, vt vel alia remedia applicari nō possint, vel certe, vt sine effectu applicata sint, ideo huic extremo remedio propriam virtuté tribuit ad supplēdum hunc defectum, subueniendumque homini in tanto periculo constituto. Quo fit vt hæc virtus maxime necessaria sit, propter periculum mortalium peccatorum, hinc vero consequenter & quasi a fortiori data est ad tollenda etiam venialia, & frequentius circa hæc exercetur: quia facilius, & frequentius est superesse venialia nondum remissa, quam mortalia. Nam vt diximus supra hoc sacramentum per se loquendo est sacramentum viuorum, & non mortuorum, & ideo per se supponit gratiam, nec licet in statu peccati ad illud accedere, vnde per se loquendo non delet peccata mortalia, sed per accidens tantum vt dictum est supra.

Et hoc est, quod intelligunt Doctores pro secunda opinione relati, & potissime Doct. noster Sub. qui non dicit simpliciter hoc sacramentum esse institutum pro remissione venialium peccatorum, sed pro finali remissione venialium peccatorum. Nam inquit quod respectu finalis remissionis venialium conuenit esse, & potest esse, & est sacramentum nouæ legis, cuius conclusionis congruentiam assignans inquit. congruum est recessurum ab hac vita finaliter a venialibus absolui, quia ista non remissa sunt impedimentum gloriæ consequendæ. secundum Scotum ergo ad finem huius sacramenti pertinet vltimo præparare animam, & quantum in ipso est eam proxime disponere ad introitum gloriæ, disponit autem frequentius, & per se loquendo per remissionem venialium, quæ possunt esse non remissa vsque ad exitū, quia peccator quasi continue peccat talibus peccatis. Et io hoc sensu dicimus quod proprius, & præcipuus effectus huius sacramenti est remissio venialium.

Vnde obseru. est, quod quatuor actus sunt, qui per ordinem debent fieri propter periculum mortis. Primus est confessionis. secundus sacræ communionis, tertius extremæ vnctionis, & quartus finalis recōmendationis. Nam sicut in via periculosa & lubrica requiritur, quod Peregrinus sit ab oneribus alleuiatus. Secundo quod habeat confortationem, & viaticum vnde possit recreari; Tertio quod propter timoré inimicorum sit munitus, vel armatus, & quarto quod sit bene associatus, sic in vita animæ, quæ (o bone Iesu) quam est periculosa, & lubrica, in exitu ex corpore, requiritur primo quod alleuietur peccatorum deprimentium exoneratione per confessionem, secundo quod habeat viaticum communionis: sicut Elias, qui ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Oreb 4. Reg. 30. quod contra hostem singula membra armentur per sacram vnctionem, & anima recipit dispositionem, ex qua est magis tuta contra hostes. quarto contra insidias commendatur Christo, Angelis, ac Sanctis.

Si quæras quibus signis potest homo confidere de salute morientis. dicit D. Anselmus quod sex interrogationes debent sibi fieri. Prima est. Credis tu ea, quæ sunt fidei christianæ quātum ad omnia determinata ab Ecclesia? Dicat, quod sic. Secunda Gaudes, & lętaris quia morieris in fide Christi? Dicat sic. Tertia cognoscis te Deum grauiter offendisse? Dicat sic. Quarta doles tu quod offendisti Deum? Dicat sic. Quinta Proponis tu si vixeris abstinere a peccatis, s. mortalibus? Dicat sic. Sexta credis & speras quod venies ad saluté, non meritis tuis; sed Christi? Dicat sic. Septima non est interrogatio, sed assecuratio, & dicatur sibi. si obijciat aliquis tibi, opponas merita Christi inter te, & ipsum & his peractis dicit Anselmus saluabitur. Quoniàm omnibus peccatis remissis nihil remànet retardans a perceptione beatitudinis. Quam nobis concedat &c. Et hæc de hoc venerabili sacramento, & hac dist. cum nostro Doct. dicta sufficiant, quæ quidem, & omnia, quæ in hoc Secundo Tomo a nobis sunt explicata, Iudicio & correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ libenter submittimus. *Laus Deo. Deique Matri, & D. Francisco.* Amen.

D. Anselm. Signa quib. possumus [illegible] haere de salute morientis.

F I N I S.

Correctione Typographica Lauri de Milisapris.